

ADM. R. P. F.

LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI, ORD. MIN. REG. OBS. S. P. FRANCISCI, LECTORIS JUBILATI EXPROVINCIAL. EXAMIN. SYNODALIS, AC S. O. CONSULTORIS

PROMPTA BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA

Innumeris fere locis ad Auctorum fidem sedulo restituta a compluribus Doctissimis Viris luculentissimis Additionibus locupletata, nec non Vindiciis Auctoris in easdem Notas, & Additiones.

NOVISSIMÆ HUIC EDITIONI ACCEDUNT

LOCUPLETISSIMA TRIUM PRÆSTANTISSIMORUM VIRORUM

ADDITAMENTA, ET CORRECTIONES

TUM AD SACRAM THEOLOGIAM, TUM AD JUS CANONICUM, ET CIVILE MAXIME PERTINENTIA.

ADJECTIS ETIAM SUMMARIIS

TOMUS SEXTUS.

N. O. P.

ROMÆ MDCCLXXXIX.

EX TYPOGRAPHIO JO. ZEMPEL PROPE S. LUCIAM TINCTÆ.

SUMPTIBUS NATALIS BARBIELLINI IN FORO PASQUINI,
ET MICHAELIS ANGELI BARBIELLINI IN PLATEA MINERVÆ,
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX TITULORUM

Qui sexto hoc Tomo continentur.

N

O

P

ADPROBATIONES.

VOluminis sexti Bibliothecæ P. LUCII FERRARIS additiones noviter factas attente perlegi, nec quidquam in iis mihi visum est deprehendere, quod orthodoxæ fidei dogmatibus, aut rectis morum regulis repugnet. Quapropter censeo nihil obstare, quominus publici juris fiant.

Dat. Romæ die 22. Januarii 1789.

Fr. Jo. Franciscus Rigo Ord. Præd.
In Colleg. Germanico Hungarico Sac. Theolog. Professor.

NIhil admodum in hoc sexto Tomo Bibliothecæ LUCII FERRARIS deprehendere mihi licuit, quod moribus, aut Fidei dogmatibus adversetur; cumque insuper illud habeat commodi, quod de Theologiæ Moralis, aliarumque nonnullarum facultatum implicatis quæstionibus, expedite quis cum non magna temporis jactura abunde disserere valeat, publicis propterea Typis committi posse putarem.

Datum in Conventu Jesus Mariæ die 22. Januarii 1789.

Fr. Dominicus Nicolaus a SSmo Rosario Augustinensis
Excalceatus Sac. Congregationis Indicis Consultor.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Franc. Xaverius Paſſeri Vicesgerens.



REIMPRIMATUR,

Fr. Th. Maria Mamachius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ADM. REV. P.

F. LUCII FERRARIS

PROMPTA BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICO-MORALIS, THEOLOGICA.

(*) NATALIS, NATALE.

SUMMARIUM.

1. *Hoc nomen anniversariæ quarumcumque rerum seu lætarum, seu tristium commemorationi olim tributum.*
2. *Lætis deinceps festis datum.*
3. *Hinc Natalis* Calicis.
4. Papæ.
5. Episcoporum.
6. *Quorum uterque etiam* Natalis Cathedræ *dicitur.*
7. *Natalis* Basilicæ.
8. *Natalis* Sanctorum, *scilicet obitus.*
9. *Eorumdem* natale genuinum.
10. *Natalis depositionis.*
11. Natalis *illorum pro dedicatione templi Deo eorumdem nomine erecti.*
12. *Ubi ergo* Natalis sanctorum *occurrat, sedulo videndum, quid eo nomine significetur.*

1 Antiqui quasvis insignium rerum anniversarias memorias *Natales* vocabant. Ita Alexandrinos *natalitia* magni *terræmotus* sub Valentiniano quotannis recoluisse, Sozomenus narrat *lib.* VI. *cap.* 2.

2 Cæterum quod *natalis* cujusque dies antiquis lætus erat, adhiberi passim *Natalis* nomen cœptum est, præsertim ad lætos alios, qui singulis annis recurrunt, significandos. Hinc

3 Ante medium quinti sæculi Feria V. in cœna Domini denominabatur *Natalis Calicis*, ut ex Calendario apud Bollandianos *T. VII. Junii pag.*178. habemus. Rationem reddit S. Eligius Noviomensis, aut alius sub ejus nomine *Bibl. Patr. Colon. T. VII.* editus *hom.X. de Cœna Domini*; ubi ait: *vocatur enim hæc dies* Cœna Domini; *vocatur &* Natalis Calicis: *& merito quia hac die mysticum Pascha Dominus cum discipuli suis celebrans Sacramenta Corporis, & Sanguinis sui illis atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis* INITIUM *fecit.*

4 *Natalis* quoque *Papæ* dicebatur annua susceptæ a Summis Pontificibus ordinationis memoria. Nimirum inquit doctissimus Rosweidus in Epistolam XVI. S. Paulini Nolani, ut olim Imperatores Imperii sui ortum, seu Natalem celebrabant (quare in Silvii Laterculo x. Kal. Nov. adscribitur *Natalis Valentiniani Purpuræ*, & in Bucheriano Calendario VI. Idus Novembr. notatur *Natalis Constantii*, scilicet, ut est in Idacii Fastis, dies, quo *levatus est Constantius Cæsar*), ita Romani Pontifices Episcopatus sui natalem celebrare sunt soliti. Sixtus Pontifex ad Cyrillum Ep. Alexandrinum a. Christi 432. *Ad Beatum Apostolum Petrum Fraternitas universa convenit: ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis. Habuerunt Coepiscopi nostri illum gratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque, & venerabili Synodo, quam Natalis mihi dies favente Domino congregarat, quia sic credendum est, ipse præsedit.* Idem epistola ad Johannem Episcopum Antiochenum: *Audivit universa Fraternitas, quæ ad Natalis mei convenerat, diem, qualiter bono humani generis Apostolicæ Sedis me præside gratulentur.* Hilarius Papa in epistola ad Episcopos Tarraconensis Provinciæ: *lectis ergo in conventu Fratrum, quos Natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris.* Ea festivitas inter solemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quæ profert Anastasius Bibliothecarius in vita Hadriani Primi: *denique ejus beatitudo fecit & pharum majorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum Crucis, qui pendet ante præsbyterium, habentem candelas mille trecentas, & septuaginta. Et constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, idest in Nativitate Domini, in Pascha, in Natali Apostolorum, & in* NATALI PONTIFICIS.

Neque id e more fuit tantummodo Romanorum Pontificum, sed & ceterorum Episcoporum 5
Sic S. Augustinus ep. 108. num. 5. & *Lib. II. contr. Lit.* Petil. *cap.* 23. *frequentissima numerositate* Thamagudensis Optati *natalitia* celebrata perhibet, anniversarium nempe suscepti Episcopatus diem. Gregorius quoque Turonensis hoc sensu *natale Episcopatus S. Martini* appellat in lib. 1. *de miraculis,* ejusdem S. Martini *cap.* 6. *sciatis quia post hoc triduum natalis Episcopatus ejus esse consueverat.* Hujusce rei locuples quoque testis est S. Ambrosius Lib. VIII. ep. 60. ad Felicem. Tandem ne in re notissima longior sim, in Lectionarii Luxoviensis a Mabillonio vulgati legenda 71. extat lectio *in Natale Episcopi.*

6 Utrumque Natale cum Romanorum Pontificum tum Episcoporum vocabatur etiam *Natale Cathedræ*. Quare in pervetusto Bucherii Kalendario VIII. Kal. Martii occurrit *Natale Petri de Cathedra*. Augustinus quoque, aut alius antiquus Auctor *serm.* xv. *de sanctis* in festo Cathedræ S. Petri ait: *Institutio solemnitatis hodiernæ a Senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus cathedram suscepisse referatur*. Anniversario Cathedræ die concionem habebant Episcopi. Vide S. Leonem M. Serm. I. II. & III. & Augustinum hom. 24. & 25. ex Libro I. Homiliarum. Aliquando eo die aliorum panegyricis laudabantur Episcopi: ita Petrus Episcopus panegyrico sermone ornatus fuit a Chrysologo *serm.* 107., & Laurentius Mediolanensis Episcopus ab Ennodio sacra dictione prima.

7 *Natalem* quoque *Basilicæ* sæpe in veterum monumentis offendes. Anniversarius dies est, quo Basilica solemnibus Ecclesiæ Catholicæ ritibus fuerat dedicata.

8 Natalis Sanctorum plerumque dies est, quo ex misera hac lacrimarum valle ad cælestia gaudia evolarunt. *Natalem*, inquit Augustinus in Natali Cypriani Martyris, *hodie sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, idest Natales, ut natales vocet pretiosas Martyrum mortes*. Et paulo post. *Quid est hoc, Fratres? Quando natus sit, ignoramus, & quia hodie passus est, Natalem ejus hodie celebramus*. Huc spectat *natalis Martyrii* in actis S. Policarpi, & *Natale S. Agnetis de passione* in Sacramentario Gelasiano. Tertullianus quoque *lib. de corona milit. num.* 36. Martyrii solemnia *natalitia* appellat. Sed de his audiatur etiam S. Nicolaus I. Pontifex in celebri epistola *ad consulta Bulgarorum cap.* 5. *Consuetudinem*, inquit, *tenet Ecclesia, ut solemnes Beatorum Martyrum, vel Confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum nuncupentur* NATALES; *sed & eorum solemnia non funebria tamquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium Natalitia vocitentur*: In eandem sententiam loquitur Carolus Rex epistola 2. ad Albinum Abbatem, ex qua in MS. collectione Canonum Cardinalis Laborantis *Tit.* XIX. *primæ partis Libri* VI. *de octavis diebus festivitatum* hæc afferuntur, Cl. Præsule Antonellio teste *in. Miss. Vetus Rom. p.* 24. *Duas stolas sunt habituri Sancti, glorificationem scilicet corporis, & glorificationem animæ. Altera præcedit alteram, stola videlicet animæ. Hæc enim in die depositionis carneæ gravitatis, & sarcinæ corporalis accipitur: qui dies* Natalis, *seu* Natalitium hujus, illiusve sancti *vocatur. Tunc quippe vir sanctus cum præsenti miseriæ moritur, nascitur æternæ felicitati; Dies, inquit mortis dies Nativitatis, & sociatur Angelicis choris, & ut pro nascente puero fieri solebat antiquitus, pro eo Natalitium celebratur in terris, de cujus assumptione gaudium fit in cœlis, & cui veluti concorporali membro cetera membra congaudent*. Certe isthæc Natalitia, sive anniversariæ Martyrum commemorationes *Eucharisticæ*, hoc est gratulatoriæ & lætitiæ testes erant, ut animadvertit Cl. Muratorius in opere *de Paradiso cap.* 10. *pag.* 87. Conferri etiam poterit Baronius in notationibus ad Martyrologium III. *Non. Januar.*

Si quando tamen ipsa alicujus sancti in terris 9
nativitas celebranda videretur, ea *natalis genuini, & ingenuini* nomine designabatur. In Missali Gelasiano extant orationes Missæ in *Natale genuinum*, nempe in diem, quo quis ex matris utero emersit in lucem. Vide Thomasium in *Orationali Tomo II. p.* 552. Hinc apud Rhabanum ad d. XXVIII. Januarii: *Romæ S. Agnetis genuinum*: suppl. *Natale*, quod antiquiores dixere: *Nativitas S. Agnetis Virginis*, vel etiam, ut in eodem Gelasiano Sacramentario, *Natale ejusdem de Nativitate*. Vide Mazochium *Tom.* I. *Kalend. Neapol. p.* 17. & Equitem Victorium *dissert. Philolog. p.* 20.

Ipsa quoque dies depositionis, seu sepulturæ 10
Sanctorum *Natalis* nomen non raro obtinet; immo & ipsa translationis Reliquiarum dies eodem nomine prænotatur: sic *natalis Reliquiarum Stephani Protomartyris* in Martyrologio Hieronymiano IV. Nonas Augusti recolitur.

Tandem alicujus sancti *Natalis* dies quoque 11
appellabatur ex ipso Ethnicorum more dies, quo fuerat Deo templum aliquod sub ejus nomine dedicatum. *Natalis Nicomedis Martyris* pro dedicatione Ecclesiæ ejusdem Nicomedis legitur in genuino Bedæ Martyrologio, & in Martyrologiis Reginæ Svecorum, & Othoboniano. *Natalem quoque sanctæ Mariæ ad Martyres* duo Bedæ apographa optimæ notæ in codicibus Palat. Vatic. 833., & 834., Ado, Usuardus, Notkerus, aliique exhibent, eam in cæteris Martyrologiis *dedicatio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres*. Habetur quoque in vetustissimo Leoniano Sacramentario pro dedicatione Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli *Natale Basilicæ Angeli in Salaria*. Dixi id factum *ex ipso Ethnicorum more*. Romani enim Ethnici, ut animadvertit Cl. Althanus *p.* 65. *Natalis* nomine eodem plane sensu usi sunt: sic apud Ciceronem *lib.* IV. *ad Attic. ep.* I. *Natalis salutis* dies vocatur, quo templum fuerat saluti inscriptum.

Cavebis igitur, ne ubi Sancti cujuspiam *Na-* 12
talis occurrat, statim credas, diem mortis designari. Multa antequam hac de re judicium feras, consideranda erunt, ducibus Baronio, Sollerio, Georgio, & Mazochio ad Kalendarium Neapolitanum. (*)

NAUFRAGIUM, NAUFRAGANTES.

PER naufragium intelligitur navis, aut cujus- 1
libet navigii maria, seu alia flumina emetientis jactura, sive in rupes elidat, sive aquis absorbeatur cum nautis, ac mercibus omnibus, aut sola parte illarum.

Naufragantium bona remanent adhuc de Jure 2
suorum Dominorum; *l. Pomponius* 44. *de acquirendo rerum dominio*, ubi expresse dicitur; *Si naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere*. Sic etiam de Jure suorum dominorum 3
adhuc

adhuc remanent bona illa, quæ in naufragii periculo conjiciuntur in mare, *Institut. lib. 2. tit. 1.* §. 48. ibi: *Alia sane causa est aliarum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur; Hæc enim Dominorum permanent; quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari lucrandi animo abstulerit, furtum committit*: *l. Interdum* 21. *ff. de acquirenda, vel amittenda possessione* §. 1. ibi: *Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito; & ibidem* §. 2. *Idem Juris esse existimo in his rebus quæ jactæ sunt, quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est*, *l. Si laborante* 2. §. 8. *ff. de Lege Rhodia, & l. Qui levandæ* 8. *ff. eodem.*

4 Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea piscantes in mari, vel flumine tenentur restituere Domino; *l. Navigia, Cod. de furtis*, & Sanctus Pius V. Con-
5 stitut. 7. incip. *Cum nobis*. Immo qui dicta bona non restituit Domino, quadruplo tenetur; *l. Pom-*
6 *ponius* 44. *ff. de acquirendo rerum dominio*. Quinimmo ea retinens, & non restituens publicatione omnium bonorum mulctatur, *cit. l. Navigia, Cod de furtis*, & expresse Julius II. Constit. 20.
7 incip. *Romanus Pontifex*. Unde si quæ esset alia Lex, aut consuetudo talia bona non restituendi, tamquam injusta esset deserenda, & abroganda, *cit. l. Navigia, Cod. de furtis*, & Julius II. cit. Constit. 20. incip. *Romanus Pontifex*, ibi: *Nos considerantes, tam Civili, quam Canonica lege licere unicuique naufragium suum impune colligere, ac jacta in mari, alleviandi oneris causa, recuperare, illaque diripientes furtum committere, ac graviter delinquere: ac Christianos naufragium patientes, rebus suis spoliantes diversis pœnis puniri, & propterea consuetudinem prædictam, tamquam contra Regulam fidei, qua unus alteri auxilio esse tenetur, merito corruptelam appellari, neminique suffragari debere cujuscumque temporis cursu munitam Consuetudinem capiendi, & retinendi bona per naufragium, vel jactum, levandæ navis gratia, aut alia urgente necessitate factum, nulli in judicio, vel extra illud suffragari debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus*. Quod & confirmavit Paulus III. Const. 42. inc. *Accepimus*.

8 Hinc naufragantium bona inventa sibi assumentes excommunicati sunt in Bulla Cœnæ: Vide
9 verb. *Excommunicatio art.* 3. §. 4. Excommunicationem etiam incurrunt accipientes scienter bona ab iis, qui naufragantium bona acceperunt. Gregorius XIII. Constit. 81. incip. *Consueverunt*.

10 Nec refert, quod ea bona Dominus nunquam forsan recuperaturus fuisset, nisi talis v. g. piscator, aut ereptor magna industria, labore, & periculo vitæ ea piscasset, aut eripuisset; *l. Pomponius* 44. *ff. de acquirendo rerum dominio*; ubi dicitur, quod quælibet res nostra quantumcumque periclitetur, manet nostra, quamdiu non est consumpta. Et sic tenet quoad omnes suprapositas con-
11 clusiones *Communis Doctorum*; Qui tamen dicunt quoad hanc ultimam posse talem piscatorem, seu ereptorem compensationem laboris, ac periculi sui debite æstimatam Jure exigere, quia Domini negotium utilissime gesserunt; *l. Navis* 4. *ff. de lege Rhodia*. Unde naufragii tempore, qui vocati a 12
Patronis navium, vel barcarum auxilium eis ad bonorum præservationem, vel recuperationem præstiterint in Portubus, & ripis ditioni Papæ subjectis, lucrantur quartam partem bonorum præservatorum, aut acceptorum. Paulus III. Constitut. 42. incip. *Accepimus*. Et insuper consequun- 13
tur Indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum. Julius II. Constit. 20. incip. *Romanus Pontifex*, & S. Pius V. Constit. 7. incip. *Cum nobis*. Et e contra non dantes auxilium 14
naufragantibus in statu Ecclesiæ incurrunt crimen læsæ Majestatis. S. Pius V. cit. Constit. 7. incip. *Cum nobis*. Illi etiam, qui Christianos naufragia 15
patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnata cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere: Sic expresse habetur *in cap. Excommunicationi* 3. *de raptoribus*. Ubi etiam statuitur, quod excommunicationi sub- 16
dantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis honestis causis navigio vectos aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Sic *ibi*.

Si, ut a periculo naufragii liberetur navis onu- 17
sta mercibus plurium mercatorum, projectæ sint in mare merces trium ex dictis mercatoribus, & sic præservata sit navis cum mercibus aliorum, tenentur omnes pro sua parte æque reparare, & compensare judicio viri periti jacturam, & damna eorum trium, quorum merces pro communi omnium utilitate in mare projectæ sunt, textu expresso *in lege Rhodia, ff. De lege Rhodia*, ibi: *Lege Rhodia cavetur, ut si servandæ navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est, & l. Si laborante* 2. *ff. eodem*, ibi: *Æquissimum enim est commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt, ut merces suas salvas haberent.*

Mercatores, quorum merces præservatæ sunt a 18
naufragio ob exonerationem navis factam per projectionem mercium aliorum in mare, debent contribuere juxta valorem, & pretium suarum mercium sine respectu, aut ad gravitatem, aut ad majus, vel minus spatium, quod occupant, sive sint gemmæ, aut margaritæ, hujusmodi; nam ad pretium, quod in pereundi periculo fuit, & quod servatum fuit, omnino attendendum est, ut expresse statuitur *in l. Si laborante* 2. *ff. de lege Rhodia* §. 2. ibi: *Cum in eadem nave varia mercium genera complures mercatores coegissent, prætereaque multi vectores servi, liberique in ea navigarent, tempestate gravi orta, necessario jactura facta erat; quæsita deinde sunt hæc, an omnes jacturam præstare oporteat, & si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, veluti gemmas, margaritas, & quæ portio præstanda est? & an etiam pro liberis capitibus dari oporteat? & qua actione ea res expediri possit? Placuit, omnes, quo-*

A 2 *rum*

rum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum conservatæ res deberent; Itaque Dominum etiam navis proportione obligatum esse; Jacturæ summam pro rerum pretio distribui oportet; Corporum liberorum æstimationem nullam fieri posse. Ex conducto Dominos rerum amissarum cum nauta, idest cum Magistro, acturos.

19 Si autem Dominus navis, sæviente tempestate, ancoras, aut alias navis partes amiserit, non tenentur mercatores Domini mercium inibi existentium talem jacturam ei compensare textu expresso *in cit. l. Si laborante* §. 1. ibi: *Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut si aliquid exarmaverit, nulla facienda est collatio, quia dissimilis earum rerum causa sit, quæ navis gratia parentur, & earum, pro quibus mercedem aliquis acceperit; nam etsi faber incudem, aut malleum fregerit, non imputaretur ei, qui locaverit opus.*

20 Si vero vectorum voluntate, & utilitate ad evitandum naufragium tales navis partes projectæ sint in mare, tunc a dictis vectoribus debet ei fieri compensatio, textu expresso *in cit. l. Si laborante §. 1. in fine*, ibi: *Sed si voluntate vectorum, vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet, & l. Cum arbor 3. ff. eodem, de Lege Rhodia*, ibi: *Cum arbor, aut aliquod navis instrumentum, removendi communis periculi causa, dejectum est, contributio debetur; & l. Amissæ navis 5. §. 1. ff. eod.* ibi: *Arbore cæsa, ut navis cum mercibus liberari possit, æquitas contributionis habebit locum.*

21 Item compensatio fieri debet etiam mercatori illi, cujus merces ratione jactus aliarum in mare deteriores factæ sunt verb. grat. quia propter jactum nudatis suis mercibus damnum secutum est. Sic expresse habetur *in l. Navis 4. ff. de lege Rhodia in fine*, ibi: *Sed hoc videamus, num & ipsi conferri oporteat, quid enim interest jactatas res meas amiserim, an nudatas deteriores habere cœperim? Nam sicut ei, qui perdiderit, subvenitur, ita & ei subveniri oportet, qui deteriores propter jactum res habere cœperit. Hæc ita Papirius Fronto respondit.*

22 Si autem damnum secutum in suis mercibus propter talem jactum sit minus ea portione, quam pro sua parte aliis conferre deberet, debet reliquum conferre, & ita econtra ut sic non sit melioris, nec deterioris, sed æqualis conditionis cum aliis. Sic expresse *in cit. l. Navis §. 2. circa medium*, ibi: *Adhuc numquid etsi aspergine propter jactum res deteriores factæ sunt? sed distinctio subtilior adhibenda est, quid plus sit in damno, an in collatione, si v. grat. hæ res viginti fuerunt, & collatio quidem facit decem, damnum autem duos; deducto hoc, quod damnum passus est, reliquum conferre debeat. Quid ergo si plus in damno erit, quam in collatione? Ut puta decem aureis res deteriores factæ sunt, duo autem collationis sunt? Indubitate utrumque onus pati non debet.*

23 Si tamem damnum in suis mercibus non sit secutum propter talem jactum, sed ex alia causa verb. grat. quia merces jacebant in angulo aliquo, ubi aqua penetravit, tunc debet conferre secundum pretium præsens suarum mercium, textu expresso *in cit. l. Navis* §. 2. ibi: *Cum autem jactus de nave factus est, & alicujus res, quæ in navi remanserunt, deteriores factæ sunt, videndum an conferre cogendus sit? Quia non debet duplici damno onerari, & collationis, & quod res deteriores factæ sunt. Sed defendendum est, hunc conferre debere pretio præsente rerum. Itaque verb. grat. si vicenum merces duorum fuerunt, & alterius aspergine decem esse cœperunt, ille cujus res integræ sunt, pro viginti conferat, hic pro decem . . . . . . tunc enim conferre debebit.*

Si navis a Pirata capta, magna aliqua pretii summa redimatur ab uno, vel duobus ex pluribus mercatoribus, qui in ea merces habent, tenentur omnes concurrere ad solvendam illam summam pro ratione rerum, quas servaverunt, textu expresso *in cit. l. Si laborante 2. ff. de Lege Rhodia* §. 3. ibi: *Si navis a Piratis redempta sit, Servius, Ofilius, Labeo omnes conferre debere ajunt.* Si autem Pirata, seu Prædo a dicta navi abstulerit solas merces unius ex dictis mercatoribus ipse solus damnum sustinere tenetur, nec alii concurrere debent ad solvendam summam ab ipso expensam pro earumdem suarum mercium redemptione, textu expresso *in cit. l. Si laborante* §. 3. ibi: *Quod vero Prædones abstulerint, eum perdere, cujus fuerit, nec conferendum ei qui suas merces redemerit.* 24

Additiones ex aliena manu.

Pertinet huc Lex Rhodia de jactu, qua uti æquissima Romani usi sunt, & utuntur etiamnum omnes Populi, quatenus legibus particularibus non sit ei derogatum. 25

In specie hac Lege cautum est: *Ut si naufragio imminente merces levandæ navis gratia jactæ sint, reliqui socii periculi, quorum res sunt servatæ, in tributum veniant.* Hoc porro congruit juris naturæ, quod dictat ut omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. 26

Ut autem Vectores reliqui teneantur ad contributionem requiritur I. Ut jactus sit factus, & quidem ob justum metum naufragii de consensu majoris saltem partis Navigantium; *L. 2. princip. & §. 2. ff. ad Leg. Rhod. de Jact.* 27

Damnum autem, quod culpa existit ab Auctore damni est resarciendum in subsidium tamen, si naufragii avertendi causa factus est jactus, locum habet contributio quatenus damnum passi suum ab Auctore damni servare nequeunt; *arg. L. 29. §. 3. ff. ad Leg. Aquil.* 28

II. Ut res jactæ sint amissæ, vel deterioratæ; *L. 4. in fin. ff. ad Leg. Rhod. de Jact.* Si recuperatæ, cessat æquitas contributionis; *L. 2. §. 7. ff. dict. tit.* Immo, si post contributionem jam factam salvæ fuerunt recuperatæ, condici potest, quod tributum est, *arg. L. 2. §. 1. de Condict. sine causa.* 29

Manet enim domini res jacta, quia reprobatum est jus occupandi bona Naufragorum, ita ut Furti teneatur, qui tales res haud restituit; *Authent. Navigio C. de Furtis.* 30

III. Ut per jactum navis, res cæterorum Vectorum sint servatæ. Inde nascitur obligatio ad contributionem quoad omnes res servatas etiam non mul- 31

multum onerantes navim, immo quoad ipsam navim servatam, non quoad cibaria; *L.* 2. §. 2. *ff. ad Leg. Rhod. de Jactu*. Quod si facto jactu nihilosecius periit navis, nulla fit contributio, sed quod quisque servat, hoc sibi servat quasi ex incendio; *L.* 5. *princ. & L.* 7. *dict. tit.* Cæterum sufficit ad obligationem hac vice navim esse servatam, licet postea alibi submergat; *L.* 4. §. 1. *ff. dict. tit.*

32 Concurrentibus hisce omnes contribuunt, quorum interfuit jactum factum fuisse; *L.* 2. §. 2. *dict. titul.* adeoque etiam Assecuratores, Dominus Navis, & quorum res amissæ. Contributio autem fit secundum proportionem respectivam, ita tamen ut amissarum, quatenus indicatæ sunt, æstimatio computetur, *quanti emptæ sunt*, servatarum vero quanti *venire possunt* *L.* 2. §. 4. *ff. dict. tit.* Alicubi vero mores variant. Confer Loccen. *de Jur. maritim. lib.* 2. *cap.* 8.

33 Quod autem mirum est, Romani, qui agnoscunt æquitatem contributionis, minime tamen suppeditant formulam agendi, qua damnum passus directo agere queat, sed contra Magistrum Navis potius agere jubent ex Locato, ut is cum reliquis agat ex conducto; *L.* 2. *princ. ff. dict. tit.*
34 eorumque res donec solverint retineat. Moribus vero directo agi potest cum convectoribus. Adest enim obligatio perfecta ad contribuendum, quod sufficit, quum ad formulas actionum non simus adstricti. Non tamen Magister Navis Convectorum res dimittere debet priusquam facta sit contributio, alioquin tenetur ipse in solidum. Confer Huber. *in prælect. hoc titul.* §. 7.

35 Lex Rhodia de jactu ob simile damnum extenditur I. Ad res in Navi per jactum deteriores redditas: *arg. L.* 4. *ff. hoc Tit.* Item repositas in Scapham levandæ navis ergo, si perierint in ea; *arg. dict. Leg.* 4. *ff. eod.* Quod secus est, quando navis periit, scapha incolumi; *arg. dict. Leg.* II. Ad solutionem factam Piratis, á quibus navis redempta est; item hostibus pro evitando Urbis incendio; *arg. Leg.* 2. §. 3. *ff. dict. tit.* III. Ad domum publica auctoritate combustam, ut vis hostilis arceretur; Læso enim satisfaciendum est ex publico; *arg. Leg.* 1. *ff. dict. tit.* IV. Si incendio urgente dirutum sit ædificium ad servanda vicina ædificia, quatenus servata eadem sunt, sive certum, sive incertum fuerit perituram fuisse domum dirutam; *Arg. L.* 4. §. *final. ff. dict. tit.* modo deficiat alia actio E. G. Legis Aquiliæ adversus eum,
36 qui causam culpa sua dedit incendio. In his similibusque casibus, modo de recepta hujusmodi extensione constet, locum habet imploratio officii Judicis. Adi Lautherbac. *de Æquitat. & extension. Leg. Rhod.*

(*) NAUTICUM FOENUS.

INter contractus, qui aleam continere dicuntur, & in quibus jus ad rem quamcumque 1
non certo extituram cum re certa, vel pecunia permutatur, ut in *l.* 11. §. *ult. in fin. & l.* 12. *ff. de act. empt. & vendit.* commode etiam referri potest nauticum fœnus, sive ut alii dicunt *mutuum*, vel *creditum marinum*, quemadmodum legitur *in præfat. Novell.* 106. Antiquissima præ cæteris extant apud Græcos Scriptores hujus negotiationis testimonia. Legimus enim apud *Polluc. lib.* 3. *c.* 9. *& lib.* 8. *cap.* 12. Ναυτικὴν Συγγράφην scilicet *Nauticam Singrapham* quæ videlicet de nautico fœnore scripta erat. Idem pluribus in locis occurrit apud Demosthenem Ναυτικῶς ἐργάζεσθαι nempe maritimis usuris quæstum facere. Habemus pariter ex Diogene Laertio Zenonem, & Menippum solitos fuisse Ναυτικῷ τοκῷ δανείζειν id est *credere sub nautico fœnore*. His omnibus accedit doctissimi *Gothofredi* testimonium *in L.* 122. §. 1. *ff. de verbor. obligat. lit. t.*, quo confirmatur Græcis revera nauticum hoc fœnus cognitum fuisse in eo, quod respicit illas nautici fœnoris species, de quibus infra, nempe Ε'τερόπλοιας, vel Καὶ ἀμφοτερόπλοιας videlicet *in itum tantum* vel *in itum & reditum*.

Juxta varias temporum circumstantias, majores- 2
que, aut minores locorum distantias, modo majores, modo minores exigebantur usuræ, ideo nil mirum, si apud ipsos teste *Stypman de jur. marit. art.* 4. *cap.* 2. *n.* 126. non semper idem fœnerandi modus adservabatur. Interdum enim maritimas usuras stipulabantur in octava parte sortis, modo eædem usuræ ipsam sortem æquabant, modo quintam ejusdem sortis partem non excedebant, quæ a Græcis diciturΕ πίτεμπτος, seu usura Epitemptica cujus exemplum videre est apud Demosthenem ἐν τῷ πρὸς τὴν Α'πατουρίου παραγραφὴν in epistola ad Apaturium.

Romani, qui usque ab initio quamplures a 3
Græcis mutuaverant mores, hunc quoque fœnerandi modum secuti fuerunt quoad substantiam, accommodantes incidentia majori civium commoditati. Hanc negotiationem apud Romanos revera antiquitus in usu fuisse colligitur ex *Livio Histor. lib.* 23. *cap.* 49. *Ut quæ in naves imposuissent ab hostium, tempestatisque vi publico periculo essent.* Clarius idem affirmat Sueton. *in Claud. c.* 18. *Negotiatoribus commeatus hybernos invecturis certa lucra proposuit suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset, & Cicero Epistol. Famil.* 17. *lib.* 2. Hæc proprie de assecuratoribus loquuntur, sed cum vel maxime cambio maritimo affinis sit assecuratio, ita esse nequit, ut Romani perspectum haberent assecurationis contractum, eodemque tempore nauticum fœnus ignorarent.

Non æque ab omnibus hoc negotiandi genus 4
definitur. Aliis quippe placuit, ut *sit mixtum ex contractu mutui, & contractu periculi aversi, directe*

recte respiciens pecunias mutuas, & usuram propter usum earum solvendam in majore tamen quantitate ob conjunctum periculum. Ita *Zech. rigor. moderat. circa usuras. disert.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. *de contract. assecurat.* §. 115. qui in hoc sequitur. Grot. *de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 12. §. 5. *in fin.* Eundem tamen refellit, vel saltem declarat Henric. Coccej. *in ipsius comment. ad dict.* §. 5. *in fin. Fœnus nauticum est quando quis alii credit pecuniam mari transvehendam ea lege ut periculum sit penes creditorem, unde differt a mutuo, quia natura mutui in eo consistit, ut periculum sit debitoris, qui dominus est pecuniæ, nec est contractus innominatus do ut des, quia proprium nomen huic negotio datum est. Jure naturæ hic unum negotium est, adeoque nulla compositio hic obtinet. Inter paciscentes enim convenit, ut certa pecunia alicui solvatur ea lege, ut reddat eam cum usuris centesimis, si salva fuerit navis*. Quare alii fortasse rectius simpliciorem hujus contractus definitionem tradunt, quod nempe sit *illud, quod ex mutua pecunia trans mare vehenda periculo creditoris ipsi creditori a recipiente solvitur*. Hanc veriorem hujus contractus definitionem esse arbitror, eamque videtur etiam sequi Heinec. *in Pandect. part.* 4. §. 106. vide tamen etiam Samuel Coccei *de nautic. fœnor. lib.* 22. *tit.* 2. *quæst.* 1. & Voet *in Pandect. eod. tit. in princ.*

5 Nihilominus plerisque forensibus placuit diversam omnino a precedentibus tradere hujus contractus definitionem. Ita quippe docent. *Cambia maritima trinum continent contractum, primum nempe societatis lucrorum inter dantem & accipientem: alterum venditionis eorundem lucrorum a commercio maritimo pariendorum ac tertium susceptionis periculi*: Peri. *in tractat. de negotiat. italice scripto part.* 3. *cap.* 10. *vers. Ridicolo dunque, & vers. all'incontro.* Targa *ponderat. maritim. cap.* 32. *n.* 13. & *seq.* Casareg. *de commerc. & consulat. maris tom.* 1. *dis.* 14. *sub n.* 4. §. *Nostrates, & tom.* 2. *disc.* 62. *n.* 1. Super his nostra servata metodo, propositam non pigeat expendere definitionem. Primo sane non satis liquet, cur in nautico fœnore tres enunciati contractus debeant induci.

6 Nauticum quippe fœnus, ut recte advertit *Coccejus loco sup. cit.*, est contractus nominatus, suasque peculiares habet leges, quibus nititur, quin ipsius validitatem, & existentiam ab aliis multiplicibus contractibus suscipiat. Ut in nautico fœnore tres isti contractus inducantur ad præsumptiones & conjecturas confugiendum est. Porro contractus societatis a quacumque abhorret præsumptione, adeo ut nisi evidentissime probetur, numquam inesse censetur, ut de societate fusius probatum est. Præterea si natura enunciatorum contractuum expendatur, manifestum erit non separatos esse contractus sed unicum contractum Societatis. *Societas* quippe *est contractus qui ex consensu duorum pluriumve communionem inducit inter eos: vel communio pro indiviso consensu contracta; vel communionis consensio inter aliquos: vel damni & lucri ex consensu facta communicatio honesta, & justa*. *Ita* Cujacius *in paratit. Digestorum lib.* 17. *tit.* 2. *lit. C.* & Voet *in Pandect. lib.* 17. *tit.* 2. *n.* 1. Vel igitur nullum societatem inter, & nauticum fœnus constitui discrimen debet, vel si nomine, & qualitatibus distinguendum est a societate nauticum fœnus, frustra in hoc posteriori contractu inseritur societas, quæ omnes suapte natura complectitur contractus, qui in solo nautico fœnore admittuntur. Etenim si societas secum fert, ut commune sit lucrum, & damnum, inutilis remanet distinctio contractus societatis, & contractus emptionis, venditionis lucrorum, cum certi determinati lucri conventio respectu dantis pecuniam respiciat potius modificationem, & restrictionem contractus societatis, quam novum emptionis venditionis contractum. In societate non prohibentur contrahentes pacisci certum lucrum, & damnum, quod quamvis in ea certum non sit, eo quia versetur ex. gr. in tertia parte lucri percipienda, in tertia parte damni avertenda, quæ tertiæ partes modo majores modo minores ex diversis circumstantiis fiunt, licet ex natura societatis æquale esse deberet lucrum & damnum spectata quantitate pecuniæ, vel mercis, aut operarum, quæ in societatem conferuntur; ita in cambio maritimo hæc vaga lucri & damni communicatio ad certam determinatamque quantitatem cohibetur, quod societatis naturam non mutat, sed eo maxime eandem modificat, vel restringit. Non desunt contractus, qui nonnulla cum aliis contractibus communia habent, nemo tamen dixerit in illis plures immisceri contractus. Nundinalia cambia in eo pariter versantur ut inter contrahentes dividantur lucra, & loco incerti lucri in illis certæ, & determinatæ usuræ favore creditoris conveniuntur, quin in his quoque inducantur contractus societatis, & emptionis venditionis lucri. Idem quoque affirmari posset de contractu locationis prædiorum rusticorum, in quo plurimum communicantur lucra et damna, sed loco incerti lucri annua convenitur pensio, nec tamen in hoc quis societatem admiserit. Suas igitur unusquisque retineat nomina, et qualitates, quin alter cum altero absque necessitate confundatur. Quid vero de tertio contractu dicendum, quod pariter a forensibus nautico fœnori adnectitur, de contractu nempe assecurationis? Vel sermo est de vera & propria assecuratione, & hæc quidem nihil confert ad perfectionem contratus nautici fœnoris, ut infra breviter attingemus. Vel intelligitur pactum avertendi periculi quod Creditor suscipit, & hoc casu hujusmodi pactum ad instar separati contractus nequit considerari sed ipsa societas. Dum enim quis de damno, & lucro communicando convenit, idem est ac si conveniat de avertendo damno, non potest enim ex se damnum communicari, nisi vel tacite, vel expresse, vel ex natura contractus periculum suscipiat, ideoque de damno avertendo paciscatur. Quin immo si Creditor, vel socius qui tradidit pecuniam, vel merces ita caveat, ut totum damnum ad debitorem pertineat, nullumque lucrum sentiat, injustum ac illicitum hujusmodi pactum reputatur eo usque ut, si conveniatur, ut integra restituta sorte lucra tantum dividantur, talis conventio non sustineatur, ut late probat *Molin. de contract. disput.* 416. *n.* 1.

n. 1. *& seq.* Profecto pactum avertendi periculi eandem esse societatem, non vero contractum mixtum docet contra Grotium Coccejus *in suis comment. lib.* 2. *cap.* 11. §. 24. *verb. fiet enim mixtus. Immo unum hic est negotium scilicet societas ad cujus essentiam sufficit communio lucri, id est ejus, quod superest deaucto damno.*

7 His contractibus sicuti diversum nomen, ita & diversæ qualitates tributæ sunt. Societas morte unius socii dissolvitur; Nauticum vero fœnus nequaquam nisi prius navis appulerit ad portum, ad quem ex conventione debuit appellere. Aliud igitur est, quod aliquam similitudinem habeat cum societate, aliud vero, & longe diversum, quod ad ipsius essentiam societas in eodem concurrat. Profecto utrumque contractum a veteribus Romanis accepimus cum iisdem legibus, & qualitatibus. Porro societas ab initio, in qua alter contrahentium pecuniam, alter operam poneret, non ab omnibus Jurisconsultis admissa erat, ut recte ex Diocletiani, & Maximiani constitutione in *l.* 1. Cod. *pro Socio colligit Schultingius Jurisp. vet. antejustin. ad Caii instit. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 95. Si enim super hujus societatis natura nulla excidisset inter illos controversia non equidem laudati Imperatores asseruissent loco citato: *Societatem uno pecuniam conferente alio operam posse contrahi, magis obtinuit.* Sed de hoc amplius post Justinianum non ambigitur. Verum si admitti debet a societate partem nautici fœnoris contractus fuisse ab initio constitutam, affirmari quoque oporteret, antea nauticum quoque fœnus contrahi non potuisse, nisi unusquisque contrahentium tum operam, tum pecuniam contulisset, quod tamen falsum est. Ita enim nauticum fœnus comparatum fuit, ut alter operam, alter vero pecuniam pecuniæque periculum conferret. Immo ex hoc deduci posse arbitror, ideo nauticum fœnus inventum fuisse quia societas cum hoc non poterat conciliari. Cum antiquitus in usu esset societas nil opus erat, ut novus, mutato tantum nomine societatis contractus inveniretur, si natura societatis nautico fœnori non repugnabat. Sicuti vero a societate proprie dicta alienum esse arbitrantes Juris consulti contractum, in quo alter pecuniam, alter operam conferebat, hujusmodi contractum cum legibus societatis metiri nonnulli saltem recusabant, ita compertum fit etiam tunc distinctum a societate ipsos voluisse Nauticum fœnus, quod non modo in hoc, sed etiam in aliis qualitatibus dissimile a societate videtur. Quare ubi quæstio erat de hujusmodi contractibus non abs re est veteres jurisconsultos censuisse, ad instar nautici fœnoris potius ipsos contractus esse reputandos, quam ad instar societatis, ideoque leges nautici fœnoris, non societatis servandas. Ad summum si cum nautico fœnore societas convenisset, distinxissent tantummodo societatem in genere, & societatem navalem, de qua fit mentio a Grot. *de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 12. §. 25. *ibique* Coccejus. Sunt quidem contractus complicati, sed nihil commune habent cum Nautico fœnore, ut fusius infra demonstrabimus, ubi de trino contractu sermo erit. Quidquid tamen sit de hujus forensis doctrinæ veritate, si quis ipsius sectatores plerosque saltem adire velit consulat *Rot. cor. Olivat. decis.* 457. *num.* 23. *&* 49. *& decis.* 534. *n.* 33. *in Romana Societatis* 4. *Junii* 1744. *Cor. Bussio* §. 3.

Sit itaque firmum immotumque, Nauticum fœnus natura sua esse contractum a Societate distinctum, nec ad propriam essentiam eadem societate indigere. Quare non temere hoc definiendum opinamur, quod *sit legitima & justa pecuniæ vel mercis periculo creditoris trans mare vehendæ accessio in præmium suscepti periculi, creditori debitæ juxta modum a contrahentium pacto ad juris tramites præfinitum.* Dicimus *legitima & justa*, quia neque civili neque naturali juri ipsius perceptio repugnat. Addimus *in præmium suscepti periculi*, quia non alia de causa hæc accessio debet admitti nisi propter periculum a creditore susceptum. Hinc si contingeret, ut quis pecuniam crederet trans mare vehendam ad portum, ad quem jam salva navis, ipso sciente pervenerat, nulla poterit conveniri pecuniæ creditæ accessio. Ideo enim debitor convenit de accessione, quia in maritimo itinere potest naufragio navis perire, atque ita pecunia sibi credita damno cedere creditoris, propterea hoc remoto periculo, cessat causa finalis contractus, & conventæ accessionis, ut mirifice idem Grot. *loc. sup. cit.* §. 23. *Contractus omnino nullus erit, si contrahentium alter rem, de qua agitur aut salvam quo destinabatur pervenisse, aut periisse sciverit, quia propria materia hujus contractus est damnum sub ratione incerti.* Et clarius ibidem Coccej. *in comment. verb. omnino nullus. Solvitur enim pecunia hæc pro periculo, non autem est periculum si navis jam in portum delata, & salva est. Dolose igitur stipulatur tales usuras, qui scit, periculum non esse.* Cave autem credas, quodlibet periculum cedere creditoris detrimento debere, sed illud tantum, quod a periculo maris, & dubio rerum eventu proficiscitur. Sed si *per vitium debitoris, nec quidem loco navigii servato, illicitis comparatis mercibus ea, quæ navis continebat, fiscum occupasse contingat, amissarum mercium detrimentum, quod non ex marinæ tempestatis, discrimine, sed ex præcipiti avaritia, & incivili debitoris audacia, accidisse adseveratur, adscribi tibi juris publici ratio non permittit.* Ita Imperatores Diocletianus, & Maximianus rescripserunt *in l.* 3. *Cod. hoc tit.*

Locum navigii non fuisse servatum, tunc dicitur, cum Magister navis a suscepto itinere adeo divertit, ut in aliam proficiscatur provinciam ab ea prorsus diversam, quam petiturus pacto promiserat, si modo pactum intercessit *l. unic. cod. de littor. & itiner. custod.* Stryckius *de cautel. de jur. marit. part.* 4. *cap.* 7. *n.* 360. *Rot.* Januen. *de mercat. decis.* 25. *& decis.* 63. *utrobique præsertim n.* 4. *Rot. cor.* Olivatio *decis.* 457. *num.* 12. 15. *& decis.* 534. *num.* 28. Servatum vero navigii locum dicetur, dum retento proposito progrediendi ad metam in aliquo portu considat, qui forte in itinere occurrat, ibique merces exoneret, permutet, aut vendat ut distinguendo tenet Casareg. *de Commerc. disc.* 1. *n.* 129. *& seq. & disc.* 67. *n.* 24. *&* 25. Targa

Targa *de ponderat maritim. cap.* 52. *n.* 13. *& seq.* Strac. *de assecurat. glos.* 14. *n.* 5. *Rot. apud* Balduc. *tit. de assecurat. decis.* 8. *n.* 17. *post* Albic. *de inconst. in judic. decis.* 64. *n.* 17. *in recent. part.* 14. *decis.* 54. *n.* 17. *decis.* 120. *n.* 2. *&* 3. *cor.* Olivat. *decis.* 457. *num.* 13. *&* 14. præsertim si pactum *di toccare tutte le scale* favore nauclerii accedat *dicta dec.* 457. *n.* 16. *& decis.* 534. *n.* 29. *cor.* Olivat. Nec refert, quod necessitate adactus Nauclerius ad portum appulerit, vel tantum ex arbitrio. Cum navium magistris hæc consistendi facultas competat, satis est, portus, in quibus detinetur, intra lineam reperiri, ad hoc ut quodlibet infortunium propter hanc moram contingens ipsius nauclerii vitio non vertatur, sed creditoris damno adscribatur. Neque hæc ipsis minuitur facultas ex pacto in certis tantummodo locis consistendi, quia hujusmodi facultas nullo potest contrahentium pacto cohiberi *l.* 1. Cod. *de Nautic. fœnore* Targa *ponderat. maritim. cap.* 32. *n.* 13. 14. Casareg. *de commerc. tom.* 1. *disc.* 1. *n.* 129. 132. *Et disc.* 14. *sub n.* 4. *& tom.* 2. *dis.* 62. *n.* 1. 2. Coccei *ad* Grot. *de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 12. *ad* §. 23. *vers. fieri autem Rot. cor.* Olivat. *dec.* 457. *n.* 17. 18. 19. 28. 29.

10 Diximus *pecuniæ vel mercis accessio*. Quamvis enim in dubium nequeat verti, quin ad probandum cambium maritimum sola receptæ pecuniæ confessio exuberet. Targa *ponderat. maritim. cap.* 33. *n.* 19. *& Rot. loc. cit. n.* 39. nihilominus non semper requiritur, ut in nautici fœnoris contractu de pecunia numerata constet. Potest enim in mercibus versari, dummodo creditoris periculo ipsæ quoque merces trans mare vehantur. Casareg. *de commerc. dis.* 63. *n.* 1. *& seq. disc.* 73. *n.* 3. *& seq. Rot. cor.* Olivat. *decis.* 457. *n.* 39. *& a n.* 41. *ad n.* 44. *dec.* 534. *n.* 9. *cor. eod. dec.* 346. *n.* 6. *seq. & decis.* 368. *n.* 3. *cor.* Caprara *& in* Mantis. *ad* Card. de Luca *lib.* 8. *de credit. decis.* 8. *n.* 9. Senogallien. *cambii* 5. *Julii* 1756. §. 4. *cor.* Borull. Hoc tamen in cambiis maritimis speciale arbitror esse. Cum enim res sit inter mercatores, inter quos juxta apices juris non proceditur, nimiæ legum subtilitates vitandæ sunt, a quibus publici commercii favor, & mercatorum fides abhorret. Santern. *de assecurat. part.* 2. *n.* 22. *& part.* 3. *n.* 1. *& seq.* Giballin. *de univers. rer. uman. negotiat. l.* 4. *cap.* 11. *art.* 2. *num.* 3. Thesaur. *quæst.* 77. *n.* 10. Card. de Luc. *de credit. disc.* 23. *n.* 7. 8. *dis.* 109. *n.* 6. Ansald. *de commerc. disc.* 7. *n.* 7. Casareg. *dis.* 1. *n.* 4. 5. de Comitibus *decis. Florent.* 22. *part.* 2. *Rot. cor.* Gregor. *decis.* 126. *n.* 3. *in recent. decis.* 47. *n.* 3. 4. *part.* 7. *cor.* Olivat. *dec.* 457. *n.* 9. 10. *& dec.* 534. *n.* 31.

11 Quamquam nec desunt, qui hoc idem affirment etiam in cambiis *Nundinalibus* ut præ cæteris Card. de Luc. *de Camb. dis.* 3. *n.* 4. *& disc.* 7. *n.* 7. Urceol. *decis. Florent.* 44. *n.* 7. *Rot. cor.* Molines *decis.* 545. *n.* 17. *& seq. cor.* Lancet. *dec.* 1007. *n.* 11. *in* Eugubina *Cambiorum sup. reservat.* 7. *Junii* 1754. §. 2. *cor.* Elephantutio *& in* Senogallien. *Cambii* 5. *Julii* 1759. §. 3. *cor.* Borull. Hæc tamen sententia non modo quamplures habet contradictores, sed insuper ipsis Pontificiis constitutionibus adversatur, ut supra notavimus *lit. C. tit. Cambium artic.* 2. *n.* 16. *& plur. seq.* eamque ideo neque in agendo neque in judicando sequerer. Alia enim, & longe potior ratio in fœnore nautico occurrit, qua accessio etiam mercis licet per se infructuosæ permittitur. In hoc enim nulla alia de causa permittitur usura nisi quia Creditor maris periculum suscipit, ideoque potius periculi pretium quam usura mereretur appellari *in l.* 5. *ff. de nautic. Fœnor. princ.* & remoto periculo non debetur usura *l.* 4. *ff. eod.* Contra vero in cambiis nundinalibus est accessio pecuniæ, quæ parere fructus per se apta non est. Loquor tamen de cambiis, quæ nundinalia finguntur inter privatas personas mercaturam non exercentes. Quod in cambiis maritimis debeatur accessio, quæ loco præmii succedat ob susceptum periculum, rationi, & æquitati consonum est, ut in aliis cambiis, in quibus ut plurimum nullum creditori imminet periculum cum nullum in se suscipiat periculum, & suam creditor in vim hypothecæ rem salvam faciat, nullo jure potest accessiones consequi, nisi ob usum pecuniæ debitori concessum. Ab usu autem simplici pecuniæ accessiones non posse consequi tum sacræ litteræ, tum canonica jura passim monent, ideoque usuræ, quæ in cambiis maritimis permittuntur, nequeunt in nundinalibus improprie dictis permitti, licèt in longe minori summa conveniantur, cum usurarum natura a majori, vel minori quantitate nequeat metiri sed si ex pecunia posteriori casu non debetur usura, multo rectius eadem debet denegari, ubi loco pecuniæ succedunt merces.

Non denique casu posteriora definitionis verba apposuimus *debita juxta modum a contrahentium pacto ad tramites juris præfinitum*. Nam licet in jure permissa sit hæc accessionis conventio non tamen illimitata est, & a sola creditorum avaritia dependens. Quapropter modo major, modo minor conveniri potest accessio, sed modum a jure præscriptum prætergredi non debet, ideo dicitur *pacto ad tramites juris præstitutum*. In statuendis usuris Jus civile prospexit maximo periculo, quod interdum subire cogitur creditor ob longas navigationes, relicta tamen contrahentibus facultate modo augendi modo minuendi accessiones spectato majori, vel minori periculo, dummodo semper inter limites a jure præscriptos contineantur. Quinam autem sint hujusmodi limites, suo loco videbimus. 12

Ex hactenus dictis, sive superius allatas definitiones sequi velimus, sive eam, quam nos ipsi ultimo loco proposuimus, certum est ad nautici fœnoris contractus validitatem omnino requiri, ut duo præsertim eodem contextu concurrant, quorum utrumque Creditoris respicit personam, relicto debitori onere tantum navigandi. Ex his alterum in eo versatur, ut revera tradatur pecunia trans mare vehenda & vere non simulate trans mare vehatur. Alterum vero respicit periculum ejusdem transvehendæ quod ipse creditor cogitur suscipere. *Stypman. de jur. naut. & marit. part.* 4. *cap.* 2. *sub n.* 4. *& seq.* Cum enim hoc casu ideo usurarum conventio, perceptio, & retentio permittatur, quia plena periculis est navigatio, propterea opus est, ut pecunia revera trans mare vehen- 13

vehenda sit, ut verificari possit periculum. Debet vero a creditore suscipi, quia existente periculo, si periculi damnum debitoris incommodo cedere deberet, jam tradita pecunia in dominium transiret debitoris, atque ita potius versaremur in contractu mutui, quam cambii maritimi. Quare cum in mutuo nequeant usuræ in pactum deduci, neque in cambio maritimo possent pacisci, si periculi damnum ad Debitorem pertineret. Nec ulla profecto occurrit ratio, ob quam debeat præmium, nullo existente periculo concedi creditori, ideoque ut illud jure possit retinere, concurrat oportet navigationis periculum, utque creditor illud suscipiat. Hinc non immerito in *Lege Rhodia de jactu* statutum legimus, cambium maritimum corruere si alterutrum ex his requisitis deficiat. Hæc præcipua sunt cambii maritimi, sed aliud etiam requiritur quod commune est cum aliis quoque contractibus. Etenim in nautico fœnore, ut in cæteris contractibus ea debet servari æqualitas, quæ tum suscepto damni periculo, tum traditæ pecuniæ conveniat. Licite quidem conveniri possunt usuræ, sed si periculum damni, quod alter in se suscipit, æstimabilius sit, quam pretium certum ab altero persolutum, & vice versa stricto quidem jure validus erit contractus, sed tamen reipsa injustus, non ex natura ipsius contractus, sed ex inæqualitate. Ita etiam in contractu emptionis, venditionis, locationis, permutationis & similibus, in quibus vel res æstimabilior pretio, vel pretium æstimabilius ipsa re concurrat, contractus illico corruit ex capite læsionis, ideoque non ex natura contractus, qui licitus est, sed ob non servatam æqualitatem Zech. *rigor. moderat. doctrin. Pontificiæ circa usuras dissert.* 3. *Cap.* 2. *sect.* 4. *de contract. assecurat.* §. 118. Lampred. *jus public. univers. Part.* 1. *cap.* 1. *de act. benefic.* §. 24. *in fin. vers. quamvis.*

14 Hoc nauticum fœnus in duas dividitur species. Altera cum creditor sortis, & usurarum solutionem in id tempus differt, quo navigatione confecta navis salva portum intraverit. Altera vero cum certi præfiniuntur dies, intra quos si navis salva portum subierit, pecuniæ trajectitiæ petitio competit creditori, secus vero suum amittit, si navis fuerit amissa. De hac diei præfinitione habetur mentio *in l.* 4. *l.* 6. *ff. hoc tit. & in* Novell. 106. Verum cum non semper pecunia trajectitia acciperetur, & respective traderetur in utramque navigationis partem, quam navis perficere poterat eundo, & redeundo ad eundem portum, sed modo in alteram partem, modo in utramque, hinc prima nautici fœnoris species dupliciter subdividebatur. Vel tradebatur pecunia ad certum portum transvehenda simpliciter, & vocabatur nauticum fœnus *in itum*; aut tradebatur ad certum portum vehenda, sed iterum ad eundum portum reportanda, a quo profecta navis erat, & tunc fœnus vocabatur, in itum & reditum. Prima species definiri potest: *illud a Creditore susceptum pecuniæ trajectitiæ periculum, quod navis subire poterat donec hunc vel illum portum attigisset l.* 3. *Cod. de nautic. fænor.* Altera vero in eo versabatur periculo, quod creditor suscipiebat, donec navis portum, ex quo profecta foret, rursus appelleret, & sic itus, & reditus *l.* 1. *Cod. eod.* Si quis tamen de utraque nautici fœnoris specie curiosius velit inquirere adeat Stypman. *de Jur. nautic. & marit. part.* 4. *cap.* 2. *n.* 3. *cum plur. seq.* Quas etiam species leviter attingit Gerard. Noodt. *lib.* 2. *cap.* 7. *de nautic. fænor. in princ.*

Eos nauticum fœnus limites in conveniendis, 15 & percipiendis maritimis usuris non cognovit apud Romanos, inter quos a Græcorum legibus, vel consuetudine coercebatur, sed *trajectitia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras capere potest*, ut testatur Paulus *recept. sentent. lib.* 2. *tit. de usuris.* Et late observat Duaren. *disput lib.* 2. *cap.* 3. *tom.* 4. Huic illimitatæ usurarum licentiæ in maritimis negotiationibus nulla lex nullusque modus usque ad Justiniani tempora præfinitus fuit, quidquid autument nonnulli innixi auctoritati textus in *l.* 4. §. 1. *ff. de nautico fænor. & l.* 26. §. 1. *ff. de condict. indebit.* In lege quidem primo loco citata usuræ centesimæ fit mentio a Papiniano, sed ea verba non ex Papiniani sententia esse, sed potius a Triboniano addita, ut Justinianæo juri jus antiquum accommodaret, tenet in commentariis ad hanc legem *Cujacius*, & post eum Scultingius *Jurisprud. vetus Ante justinianæa ad* Paul. *recept. sentent. lib.* 2. *cap.* 14. §. 3. *not.* 11. Centesima usura incognita quidem Romanis non fuit etiam ante Justinianum, sed ubi de usuris terrestribus, & nundinalibus agebatur, de quibus loquitur *lex* 26. §. 1. *ff. de condict. indebit.* prohibens hujusmodi usurarum conventionem ultra duplum. Nec est credendum a Paulo dissensisse Papinianum quoad usuras maritimas: æquales enim fuerunt, & uterque Imperantibus Severo & Caracalla floruit, a quibus æque uterque honoribus & dignitatibus amplis auctus fuit, ut colligitur ex *l. ult. ff. de jur. fisci. l.* 79. *ff. de adquir. hæred. l.* 38. *ff. de minor.* Immo Paulum inter Papiniani adsessores fuisse constat. ex *l.* 40. *de reb. dub.* Omnem denique adimit difficultatem rescriptum *Diocletiani, & Maximiani in l.* 1. *Cod. de Nautic. fænor.* & distinctio quæ legitur in eodem Paulo *loc. sup. cit.* §. 2. & 4. *Usuræ supra centesimam solutæ sortem minuunt, consumpta sorte repeti possunt. Usuræ quæ centesimam excedunt per errorem solutæ repeti possunt.* Cur vero idem nullis circumscribendas limitibus censuit maritimas usuras, ubi de his sermonem habuit? Nulla profecto alia ratione, nisi quia illis temporibus obtinebat, ut usuræ communes ultra centesimam in stipulatum deduci non possent, & si per errorem solverentur possent repeti. Sed de his fusius *Chr. ab* Ilag. *cap.* 5. *n.* 15. Duaren. *oper. tom.* 4. *disput. lib.* 2. *cap.* 3.

Inter Romanos Legislatores novissimus denique 16 Justinianus maritimas quoque usuras inter certos limites cohibuit, jussitque, ut *in trajectitiis contractibus usque ad centesimam tantummodo liceret stipulari nec eam excederet, licet veteribus hoc esset concessum l. eos qui §. in trajectitiis* 7. *Cod. de usur.* Hæc autem *centesima usura erat cum duodecim aurei post annum ob centenos dantur, propterea quod ex centum singulis mensibus unus datur, qui, si ad* uni-

universa centum respexeris, centesimus est, jure igitur centesima ea usura dicitur. Quemadmodum explicat Harmenopul. *epitom. lib.* 3. *tit.* 7. & ulterius consuli possunt Joh. Fred. Gronovius *de pecun. veter lib.* 3. *cap.* 13. *& de centes. usur.* Gerard. Noodt *de fænor. & usur. lib.* 11. *cap.* 3. *&* 4. Duaren. *loc.sup. cit.* Inde liquet, quod ubi in Justinianæis libris occurrit usura centesima, intelligendum est de uno nummo singulis mensibus pro centum nummis persolvendo, usque dum centum menses laberentur, quibus peractis usurarum cursus desinebat, cum jam impleta esset centesima, & quod ulterius solvebatur, in sortem imputabatur. *l.*26. §.1. *D. de condict. indebit*. Et hoc inde profectum est, quod vetus apud Romanos contrahendi modus ferebat, ut usuræ convenirentur non in singulos annos, sed in singulos menses, quo fit, ut in nonnullis legibus non usura centesima legatur, sed menstrui nummi. *l.*40. *ff. de reb.cred.* & hæc erat usura centesima. Heinec. *in pandect. part.* 4. §.93. *in not.* Apud nos hæc usura æquipollet 12. pro centum, quam etiam circa tempora Justiniani in usu fuisse ex eo maxime colligitur, quod in Concilio Tarraconensi centesimæ usuræ reiterata fuit Clericis prohibitio, ut videre est in *cap.* 4. *quæst.* 4. *causa* 14. quas iisdem jam antea interdixerat Concilium Nicænum, cujus verba habes in *distinct.* 47. *cap.* 2. *& causa* 14. *quæst.* 4. *cap.* 8. Cum in laudatis textibus centesimæ usuræ tantum fiat mentio, non satis liquet, utrum centesima tantum, an quælibet usura interdicta censeretur, sed probabilius est, de qualibet usura utrumque Concilium sensisse, ut notat Bynckerschoeckius *lib. singul. ad l. lecta* 40. *ff. de reb. cred. cap.* 7. Sculting. *ad lib.* 2. *tit.* 14. *Paul. recept. sentent. not.* 6.

17 Cavit itaque Justinianus in prænotata *leg. eos qui* §. 7. *Cod. de usuris*, ne usuræ maritimæ centesimam excederent, sed depravati avidorum negotiatorum mores hanc cito legem irritam prorsus reddiderunt, adeo ut ipse Justinianus ab iisdem tollerandis moribus vacare non potuerit. Quapropter in *Novella* 106.post diversas recensitas consuetudines, quæ prorsus sancitæ legi adversabantur, & quamlibet in pecuniis trajectitiis permittebant usuram juxta varias locorum, & temporum circumstantias, mandavit, ut quod antea inter maritimos negotiatores fieri consueverat, deinceps quoque servaretur, *& quod neque jam positis repugnaret legibus*. Positis nempe legibus non repugnabat, quia in ipsis nulla facta fuerat mentio consuetudinis tollendæ quoad pecuniam trajectitiam, quæ inter maritimos negotiatores viguisset: ideoque *quod longis ita est servatum temporibus, & tenuit immutabiliter, quomodo non est justum & in omnibus aliis valere, quæ postea erunt, & esse hanc eis rerum transactionem ex propria lege valentem, & altera quadam dispositione non egentem; sed in naucleriis, seu negotiatoriis occasionibus in omne tempus valentem, ut puta generalem existentem legislationem, & naucleriis seu negotiatoribus, & eorum contractibus impositam? Quæ debet etiam pars fieri jam a nobis positarum legum, & judicantes ad hanc respicientes proferre sententiam*, *dicta novell.* 106. Non multo tamen post hanc ipsam Novellam idem Justinianus posteriori substulit *Novella* 110, & spreta qualibet contraria consuetudine primævæ observantiæ restituit *l.* 26. *Cod. de Usuris*. Sed non satis inter se conveniunt Juris Interpretes in decernendo quo dicta abrogatio respexerit, an scilicet centesimam, vel antiquam nullis circumscriptam limitibus fœnerandi licentiam confirmaverit. Vix mihi quidem de hoc dubitandum videtur. Præfatio posterioris Novellæ 110. omnem dirimit controversiam. Ibi siquidem expresse meminit legis super trajectitiis pecuniis, nec aliam sane super illis antea sanxerat legem præter *Novell.* 106., quæ tota super trajectitiis pecuniis versatur, & de usuris nauticis inscribitur. De hac igitur sola intellexit Justinianus non de *l.* 26. *Cod. de usuris*, quæ nullo facto discrimine omnes complectitur usuras, nec de trajectitiis pecuniis nisi incidenter, & breviter agit, nec de nauticis usuris inscribitur. Quare ut dicta *lex* 26. dici possit comprehensa in abrogatione de qua in *Novella* 110. non satis est, ut in hac simpliciter mentio fiat legis super trajectitiis pecuniis, nisi saltem de legibus loquatur, quæ super iisdem pecuniis versentur, cum abrogata lege de trajectitiis pecuniis, de ea tantum *Novell.* 106. possit intelligi, quæ de nauticis usuris inscribitur, non de alia *lege* 26., cujus si paucos demas versus ne verbum quidem de trajectitiis pecuniis invenies. Propterea non temere hæc eadem nostra opinio placuit Molineo *in d. l.* 26. §. 7. *cod. de Usuris, &* Cujacio *comment. ad novell.* 110. Hoc unice nonnullos in contrariam trahit sententiam, quod nauticum fœnus ex quantitate periculi æstimandum sit, ideoque cum contingere interdum possit, ut periculi æstimatio major centesima usura sit, propterea inverisimile sit Imperatorem ad centesimam tantum coercere voluisse nauticam usuram. Lampred. *jus. publ. univers. edit. prim. part.* 1. *cap.* 11. §. 24. *de pecun. traject. vers. quamvis.* Claud. Salmas. *lib. de mod. usur. cap.* 9. *pag.* 377. Stypman. *de jure nautic. & marit. part.* 4. *cap.* 2. *n.* 267. Grænovegen. *de leg. abrog. ad tit. Cod. de Nautic. fænor.* Hæc mihi tamen sufficiens ratio non videtur ad nautici fœnoris licentiam in infinitum protrahendam. Periculi æstimatio in maritimis negotiationibus non semper centesimam exæquat, sed modo maior modo minor est. Quare cum lex inter utrumque extremum consistere debeat, nil refert interdum periculi æstimationem non æquare, aliquando excedere centesimam, dummodo constet sæpissime inter centesimam contineri, quin immo nec ipsam attingere. Sicuti vero non satis justa dici posset lex, si minimo periculo consuluisset, ita justa dici non deberet, si remotissimo tantum periculo, quod raro contigit, prospexisset, quod tamen semper Judicis arbitrio relinquitur.

Hac de re non satis mirari possum, virum cæteroquin summum, & doctissimum Ger. Noodt. 18
de fænor. & usur. lib. 2. *cap.* 7. in maximum irrepsisse errorem, ut superiorem, quam rejecimus, opinionem tueretur. Ideo enim arbitratur ex Justiniani *Novella constitutione* 110. licitam esse quam-

quamlibet illimitatam in trajectitiis pecuniis usuram, eo quia usura communis sit centesima. Quod si ita esset sicuti ob mutuatam simpliciter pecuniam, & propter ipsius usum nullo vel minimo existente periculo, centesima usura mutuanti conceditur, multo rectius usura ultra centesimam concedi debet pecuniam trajectitiam cedenti. Sed tanti viri pace dicam, id omnino falsum est. Non inficior ex veterum jurisconsultorum sententia usque ad centesimam usuram potuisse stipulationes interponi, ut satis liquet ex Pauli *recept. sentent. lib.* 2. *cap.* 14. §. 1. *&* 2. Sed quæstio, quæ nos exercet, non in veteribus interpretandis jurisconsultorum libris versatur, verum super cognoscenda Imperatoris mente. Fuerint utique centesimæ usuræ antiquitus usuræ communes, has tamen communes esse vetuit Justinianus. Nam *veterem duram & gravissimam usurarum molem ad mediocritatem deducens jussit illustribus quidem personis, sive eas præcedentibus minime licere ultra tertiam partem centesimæ usurarum nomine in quocumque contractu vili vel maximo stipulari. Illos vero qui ergasteriis præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ab bessem centesimæ usurarum nomine in quocumque contractu suam stipulationem moderari.* Ita Justinianus de usura communi legem ponens jussit in *l. eos qui.* 26. §. 1. *Cod. de usuris*, cujus quidem derogationis nullibi apparet vestigium in *Novella* 110. Post usuras communes cujus modum confirmavit etiam *Novell.* 136. *cap.* 4. ad nauticas usuras ipse Imperator gressum facit, easque usque ad centesimam protrahi sinit. Majoris itaque periculi rationem habuit in trajectitiis pecuniis, illudque inter has & illas constituit discrimen, ut in quolibet contractu usura bessem centesimæ non excederet, in maritimis vero negotiationibus integram centesimam permitteret. Quid igitur opus est ut ad argumenta confugiamus, dum rei veritas opponitur? Quare laudati Auctoris opinio falso laborat supposito, quod æquale lucrum permittatur tum nullum, vel minimum, tum maximum subeunti periculum, statim ac ex ipsis Justinianæis constitutionibus usuræ communes coercitæ sunt. Quod cum ita sit Justinianus *in Novell.* 110. ad proprias constitutiones respiciens debuit revocans *Novellam* 106., primævæ observantiæ *legem* 26. restituere.

19 Hoc idem mihi videtur demonstrare ratio, ob quam *Novella* 106. abrogata fuit. Hæc quidem ni fallor particularis fuit, in eaque certis determinatisque personis, vel ad summum certæ Provinciæ concedebatur privilegium forte ob peculiares ipsius loci, & personarum circumstantias. Id non modo ex contextu ipsius constitutionis eruitur, sed insuper, & quidem clarius ex *Novella* 110. in qua nulla alia abrogationis adducitur causa nisi quia *cognovit eam in quibuslibet Provinciis jam insinuatam, propterea sanxit talem legem omnino vacare, & si contigerit etiam per Provincias eam destinari, nec ibi valere sed invalidam esse*. Si igitur in quibuslibet Provinciis paulatim *insinuata* fuerat, manifestum est, hanc legem propter particularem Provinciam fuisse latam sed deinde in reliquis etiam provinciis *insinuatam* fuisse non ex mente imperatoris, sed Provincialium consensu. Quare idem Imperator, ne in hujusmodi Provinciis ulla dubitatio superesset utrum comprehensæ in posteriori lege censerentur, illico subdit, *& si contigerit etiam per provincias eam destinari nec ibi valere, sed invalidam esse*. Igitur in aliquibus Provinciis destinata, non a Principe, in aliquibus vero ex se insinuata fuerat. Hac vero lege peculiares Provincias respiciente abrogata jussit, ut *secundum de talibus positas leges a nobis negotia, & æstimatione, & sententia potiantur*. Sed quasnam antea de *talibus posuerat leges*? Nullam profecto aliam, quæ generalis possit appellari nisi *legem* 26. usque ad *legem* 30. *Cod. de usuris*. Quod si hujusmodi leges generales sunt, si in *Novella* 110. particularis legis abrogationi respexit, necessario sequitur per hanc abrogatam fuisse *Novell.* 106. quæ utique illimitatas permittebat usuras, non vero legem 26. quæ certos constituerat limites usuris & non particulariter quoad certas personas, & loca, ut ex allatis *Novella* 106., sed generaliter nulla persona nulloque excepto loco.

Inter hos quidem limites, ni fallimur, circumscriptæ a Justiniano fuerunt usuræ, quæ antiquitus propter trajectitias pecunias conveniri solebant. 20 Sed inde vel quod commercii necessitas id expostularet, vel quod in dies magis corrumperentur mores, vel alia quacumque de causa obliteratis Justinianæis legibus, paulatim antiquior consuetudo prævaluit, ut non amplius usuræ in his contractibus modum susciperent a legibus, sed a majori vel minori periculi æstimatione, ut testantur Gratian *discept. forens.* 589. *n.* 3. *&* 4. Ansald. *de comerc. & mercat. disc.* 70. *sub. n.* 4. Marquardus *de jur. mercat. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 70. Coccejus *in disput. de assecurat* §. *Præmium*, *&* §. *Cæterum impress. in comment. ad* Grot. *de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 12. §. 23. Stypman. *de Jur. marit. part.* 4. *cap.* 2. *a num.* 242. Voet in Pandect. *lib.* 22. *tit.* 2. *n.* 3. *&* 4. Grot. *manduct. ad Jurisp.* Holland. *lib.* 3. *cap.* 11. Grœnewegen. *de legibus abrog. ad tit. Cod. de Nautic. fænor. & in comment. ad l.* 6. *Cod. de usuris n.* 3. Roseboom. *Costumen. van. Amsterdam. cap.* 52. *Rota in Fulginaten, seu Londinen. Pecuniaria* 21. *Februarii* 1752. §. 17. *& in confirmat.* 26. *Junii ejusd. anni* §. 15. *cor. Vicecomite. & decis* 451. *a n.* 54. *ad fin. cor.* Olivatio. Quin immo, si accurate res posset expendi, usura, quæ antea conveniri in trajectitiis pecuniis solebat, fortasse centesimam non excedebat, postea vero nostrisque temporibus longe ultra centesimam convenitur. Ita enim fit, ut dum ad antiquiores consuetudines & jura revertimur, posteriora jura latiorem, & laxiorem admittunt interpretationem, ut recte advertit Viglius Zuichemus *instit. tit. de testam.* §. *Sed ut nihil. Jam & novæ leges per antiquas distinguuntur, & municipiorum institutis plerumque ea, quæ in jure civili correcta fuere, iterum sunt recepta, & ipsa correctoria jura latiorem interpretationem accipiunt, quoties ad antiquum aliquod jus redimus*.

Nostris enim temporibus nil aliud videtur requiri ad validam reddendam in cambiis mariti- 21

mis usurarum conventionem, nisi quod creditori pecuniæ trajectitiæ amittendæ periculum immineat, Navarra *in manual. cap.17. n.254. & cap.51. fæneraberis* 14. *notabil. n.* 52. *& seq.* Less. *de just. & jur. part.* 2. *cap.* 25. *n.* 22. *& seq.* Carleval. *de judic. tom.* 2. *disput.* 2. *n.* 17. Giballin. *de usur. lib.* 3. *cap.* 3. *& seq.* Mantic. *de tacit. lib.* 6. *tit.* 6. *tom.* 1. Leotard. *de usur. quæst.* 31. *n.* 13. Scaccia *de commerc.* §. 3. Gloss. 3. *n.* 36. *& seq. Rot. cor.* Olivatio *decis.* 457. *n.* 48. Quare in creditore, hoc periculo concurrente, quæcumque sit accessionum conventio, in cambiis maritimis quælibet usurariæ pravitatis suspicio abesse traditur a Molin. *de contract. disput.* 318. *n.* 3. Rocco *de assecurat. notabil.* 17. *n.* 18. *& seq. & notabil.* 78. *n.* 281. Gratian. *de univers. rer. human. negotiat. lib.* 4. *cap.*11. *art.*1. *confect.* 2. *vers. sexto quæritur.* Altimar. *de nullit. contract. rubric.* 1. *par.* 2. *quæst.* 26. *n.* 115. Card. de Luca *disc.* 111. *n.* 9. 10. *& disc.* 167. *n.* 6. Casareg. *de commerc. tom.* 2. *disc.* 70. *n.* 5. *Rot. post.* Urceol. *de transact. decis.*53. *& decis.*56. *confirmat. cor.* Ubago *decis.* 99. *cor.* Emerix *Jun. decis.* 439. 482. 515. *& cor.* Olivat. *dicta decis.* 457. *n.* 5. Hoc vero periculum ex ea die ad creditorem spectat, qua navem navigare convenit, usque dum navis eadem ad destinatum portum appulerit. *l.* 3. *ff. de nautic. Fænor. l.* 1. *& ultim. Cod. eod. tit.* Nisi certum tempus expressum sit quousque periculum creditoris esse debeat. *l.* 4. *in princ. l.* 6. *ff. eod.* Jo. Ortwini Westembergii *princ. jur. lib.* 22. *tit.*2. §.3. *&* 4. Corvin. *in Cod. lib.* 4. *tit.* 33. Quod si Navis incendio, aut alio casu pereat antequam ad destinatum portum perveniat ad creditorem pertinet damnum dummodo nulla accesserit debitoris culpa, ut supra monuimus, & docet Corvin. *loc. cit.* Ex eadem die, qua periculum ad creditorem pertinet, ipse jus habet ad consequendas usuras, quæ etiam ex nudo pacto eidem debentur, cum adinstar accessionum pecuniæ non reputentur, sed tamquam periculi pretium, quod in se suscipit creditor. *l.* 5. *fin. l.* 7. *ff. de Nautic. fænor. l.* 3. *Cod. de Usuris* Duaren. *de nautic. fænor. cap.* 2. *pag.*149. *col.* 1. Jo. Ortwini Westemberg. *loc. sup. cit.* §. 5. Corvin. *in Cod. lib.* 4. *tit.* 33. In hoc ideo minus recte videtur sentire doctissimus Zech. *rigor. moderat. doctrin. pontific. circa usur. dissert.* 3. *sect.* 4. *cap.*2. §.115. ubi affirmat, Romanorum legibus in Nautico fœnore *usuram propter usum pecuniæ solvendam, in majori tamen quantitate ob conjunctum periculum*. Nullibi sane legitur, quod Romanæ leges in maritimis contractibus usuras permiserint propter usum pecuniæ, sed constanter, ut usuræ peti possent, requisiverunt periculum. Si vero ob solum pecuniæ usum licita fuisset usura nullum de periculo verbum fecissent. Immo si usuræ debitæ fuissent partim propter usum pecuniæ, partim ob junctum periculum, ut censet laudatus *Zech.*, sublato periculo aliqua adhuc deberetur usura propter usum pecuniæ. Sed sic est quod in trajectitiis pecuniis cessante periculo non amplius peti poterant usuræ. *L.* 4. *ff. de nautic. fænor.* Coruin. *in Cod. lib.*4. *tit.*33. Henric. Coccei. *in comment. ad* Grot. *de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 12. §. 23. *& ipse* Grotius *ibidem*. Igitur non propter usum simul, & periculum concedebantur usuræ; sed tantummodo propter periculum. In communibus quidem contractibus obtinebat, ut propter usum pecuniæ deberentur usuræ, non item in trajectitiis. Hinc propter simplicem pecuniæ usum percipiebantur usuræ in mutuo; sed peculiares de mutuo statutæ fuerunt leges. Ubi vero de trajectitiis pecuniis in aliis legibus factus est sermo, diversimode prorsus cautum fuit. Quare tum veteres Romani Legislatores hos contractus tum quoad nomen, tum quoad qualitates distinxerint, non ita facile statui possunt eadem in utroque contractu principia, secus non fœnus nauticum, sed mutuum appellassent utrumque contractum, quod omnino repugnat. In mutuo enim dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur; in trajectitiis vero pecuniis, vel mercibus dominium rerum trajiciendarum remanet penes creditorem, cujus ideo damno pecuniæ vel merces pereunt, cum res domino pereat.

Tota igitur hujus contractus de Jure Civili justitia in suscepto periculo posita est, nec aliæ requiruntur solemnitates, quæ aliorum contractuum constituunt essentiam. Cum vero quoad contractus præcipue, qui usuram involuere possunt, a Canonico jure regamur, neque Canonicæ sanctiones ullam eidem contractui auctoritatem addant, sed potius (spectato saltem materali verborum sono) illum reprobent, ut infra notabimus, ita aliis principiis, quæ Pontificiis legibus non repugnent, confirmandum, & ad eorum tramites dirigendum arbitramur Nauticum fœnus. Qua propter distinctionem præmittimus periculi, quod aliud statuimus reparabile, aliud vero irreparabile. Reparari potest periculum amittendæ sortis vel fidejussionibus, vel pignoribus vel hypothecis, vel aliis similibus remediis. Irreparabile vero dici potest periculum ubi non ita facile caveri potest indemnitati creditoris, ut omnino tutus sit in iis casibus, in quibus valde probabilis metus occurrit ejusdem amittendæ sortis, & difficillime creditor fidejussionum, pignorum, & hypothecarum præsidio se potest tueri. Primo casu sibi imputet creditor, qui, dum potuit rem suam salvam facere, id neglexit, ut ita huic prætextui fretus præmium exigeret ex contractu, cujus natura nullum ei debebatur præmium, nec inter illos recensetur, quos aliquo dignos auctario Ecclesiastica jura statuerunt. Susceptio periculi tunc justum titulum præbere potest, cum alio modo evitari nequit, non vero dum facilis est ejusdem reparatio, & mutato contractu accessiones etiam percipi possunt. Cum vero periculum amittendæ sortis sit adnexum quidem contractui sed non essentiale, ita si periculum sit irreparabile vel saltem difficillime possit reparari, ratione illius poterit licite de præmio convenire creditor cum debitore. Ita sentiunt Giballin. *de usur. lib.*2. *cap.*4. *artic.*1. Henric. *a* S.Ignatio Ethic. *amor. tom.*2. *lib.*9. *cap.*31. 32. Steyaerot. *Theolog. pract. aphorism. part.*3. *disput.*42. *n.* 10. *idem in in Appendic. ad* Wiggers *controv.* 7. *quæst.* 2. Boudart. *manual. theolog. tom.* 4. *tract.* 6. Hieron. Nicolius *lucubrat. utriusq. Jur. lib.*3. *tit.*15. *n.* 12. Philippus *a* Ss. Trinitate *in* 2. 2. *de Jur. & just.*

just. disput. 8. *quæst.* 78. *vers. dubitatur septimo*. Zech. *rigor. moder. circ. usur. dissert.* 2. *a num.* 30. *ad n.* 38.

22 Sed nec sola periculi existentia licet irreparabilis mihi sufficiens stricto jure videtur juxta Canones. Hic agitur de periculo amittendæ sortis, nec specialiter in Canonico jure cautum quidquam apparet de Nautico fœnore. In hoc igitur contractu easdem leges requiri arbitrarer, quas Doctores supra laudati requirunt in iis casibus, in quibus de irreparabili sortis amittendæ periculo agitur. Et quidem (I) vellem, ut accessio ratione hujus periculi ultra sortem exigendam in pactum deduceretur. (II) Ut periculum esset verum, & in probabilibus conjecturis fundatum; conjecturas autem satis probabiles eas habeo, si passim, videamus sortem periclitari apud hujusmodi conditionis homines. (III) Ut ratione suscepti periculi non exigatur plus, quam illud a prudentibus communiter existimetur. (IV) Mutuatarius non compellatur ad paciscendum cum creditore de periculo, sed plena ipsi libertas relinquatur, vel ad aliter paciscendum, vel ad pignus pro sortis securitate exhibendum. (V) Demum ut auctarium non exigatur contra debitum charitatis, & Eleemosinæ. Zech. *loc. supr. cit.* §. 39. His præcipue servatis conditionibus quælibet usurariæ pravitatis suspicio ab hoc contractu recedit, sicuti abest etiam ab aliis contractibus, in quibus probabile amittendæ sortis periculum concurrit. Hoc enim periculum est contractui non de essentia sed adnexum & licet ex Sacris Litteris habeamus *mutuum date, nihil inde sperantes*, nihilominus S.Lucas ibidem loquitur de accessionibus, non de sorte, quæ salva debet creditori superesse. Revera si pecuniæ creditæ periculum insitum esset contractibus, & ex eorundem natura cedere deberet damno Creditoris, non hic posset de ejusdem securitate cavere per pignora, hypothecas, fidejussiones & similia. Quemadmodum vero prorsus contractui extrinsecum est, ita & pretio æstimabile est, propterea pro eodem in se suscepto a Creditore licebit aliquid ex pacto petere. Profecto Creditor in se suscipiens periculum amittendæ sortis a propria contractus natura recedit, quæ secum fert, ut dominium rei, vel pecuniæ creditæ transeat in debitorem. Ob hanc dominii translationem res ipsa debitori uti domino perire debet. Sed si creditor in se suscipit periculum, ideoque amittendæ sortis periculum ipsius damno cedere debet, jam non desinit esse dominus rei creditæ. Quemadmodum vero rei propriæ amissæ, vel in deterius lapsæ solus dominus damnum sentit, ita & æquum est, ut utilitatem quoque percipiat. Profecto in aliis quoque contractibus ultra obligationem illorum propriam, & ex majori vel minori periculo regulatur præmium, ut in locatione equi, currus, & similium, in emptione nominum debitorum, quorum exactio exceptionibus subjiciatur. Sotus *de Just. & jur. lib.* 6. *quæst.* 4. *artic.* 1. *ad* 3. in fidejussione *lib.* 6. §. *fin.ff. mandati*. *l.* 19. §.1. *ff. de donationibus*. *l.*23. *Cod. ad SC.* Vellejan. & in contractibus hujus generis aliis. Sicuti vero in recensitis contractibus ob probabile incertum damnum certa determinata quantitas potest percipi, ita etiam idem licebit, ubi adsit periculum probabile amitendæ sortis. Magis enim naturæ contractuum adversatur amissio sortis, quam damnum inde emergens, cum omnia jura exigant, ut sors restituatur, nec prohibere valent, ne damnum sequatur. Quemadmodum vero periculum damni ab ipso damno distinguitur, & licite potest de compensando damno pactum iniri, dummodo absit utriusque vis, & dolus, etiamsi damnum forte non sequatur, ita etiam periculum amittendæ sortis ab ipsa sorte distinctum esse debet, & de illius periculi pretio pacisci, licet inde sors ipsa non amittatur. Revera periculum damni ab ipso damno distingui ex eo patet, quod in allatis exemplis modo major, modo minor requiritur ipsius damni compensatio pro majori, vel minori periculo. Hinc a conducente equum ad peragendum iter per loca inhospita, montuosa, multo major quantitas exigitur, quam ab eo qui iturus est per viam planam, & facilem. Sed si damnum a periculo damni disjunctum non esset, semper æqualis esset compensatio, non vero modo major, modo minor. Ita fere ratiocinatur. Zec. *rig. moder. doct. pontif. circ. usur. dissert* 2. §.41. Omnem denique adimeret dubitandi locum si vera esset, quæ fertur, resolutio capta a S.Congregatione de Propaganda Fide confirmata ab Innocentio X. Pontifice 12. Septembris 1645. Missionarii Sinenses quærebant an liceret percipere 30. pro 100. licet realiter nullum damnum emergens aut lucrum cessans contigerit, sed tantummodo ob periculum recuperandæ sortis ut si debitor fugam arriperet, moram in solvendo committeret, vel necesse sit eum coram judice convenire, & similia. Hujusmodi quæsito S. Congregatio respondit ob mutuum nihil deberi, sed ratione periculi probabiliter imminentis aliquid posse percipi, habita tantum ratione qualitatis periculi, probabilitatis ejusdem, & servata proportione inter periculum, & id quod accipitur. Hujus responsi exemplum habes apud Thomam Hurtado *in calce resolut. de Martyrio fidei*, ejusque veritatem in publica disputatione acriter defendit Henricus *a* S. Ignatio ut ipse testatur, Ethic. *amor. tom.*2. *lib.*9. *cap.* 31. 32. eamque disputationem inseruit Platelius *suæ Sinopsi part.* 3. *cap.* 4. §. 5. *n.* 637. Dictam tamen Sac. Congr. responsionem fictitiam esse plures contendunt inter quos P. Daniel Concina.

Et quidem non mihi satis suadet eorum opinio, qui Nauticum fœnus contrahenti usuræ notam inurunt, eo quia non satis contractus hic valeat concipi nisi simul concurrat mutuum. Esto quod mutui contractus a Nautico fœnore non absit, non ea tamen erit mutui causa, quæ per Canonicas sanctiones mereatur reprobari. Primo enim ut supra notatum est a natura mutui non minus abhorret accessionis perceptio, quam periculum amittendæ sortis, ideoque sicuti hoc a mutuo distinctum, immo eidem reputatur contrarium, ita nequit repugnare, ut hoc concurrente periculo, nova inducantur pacta. Deinde dato etiam quod in simplici mutuo versemur, statim ac mutuans in se suscipit periculum amittendæ sortis, a nulla 23

lege

lege poterit prohiberi, quominus auctarium recipiat. Finge quod non mutuans sed tertius quilibet fidejubendo caveat de indemnitate mutuantis; hic procul dubio fidejussionis pretium exiget ob periculum quod ipsi imminet de alieno debito solvendo, quoties mutuatarius quacumque de causa solvendo desierit. Censuit enim Ulpianus *extra causam donationum esse talium officiorum mercedes*, *l. hoc jure utimur.* 10. §. 1. *ff. de donat. & l. si remunerandi gratia* §. 7. *ff. mandati*. Sed si tertius, cur non item ipse creditor, qui dominus rei creditæ adhuc meretur reputari, dum ipsius rei periculum, quod solo domino convenit, in se suscipit? Jam vero si contra naturam mutui amittendæ sortis periculum in se suscipit creditor, atque ita rei creditæ non desinit esse dominus, æquum est, ut sicuti domini commodo cedit quodlibet lucrum, quod a re propria percipitur, ita etiam Creditor lucri saltem portionem si non integrum lucrum a re credita consequatur.

24 Sit itaque firmum, quod nauticum fœnus non pro mutuo, vel pro pecuniæ usu datur, sed pro periculo, quod lubens, volensque, consentiente immo offerente mutuatario, in se suscipit creditor, quodque in pecunia trajectitia maxime metuendum est. *Vide* Samuel Coccej. *Jus civil. controv. h. t. quæst.* 1. *in princ.* Profecto si quis centum aureos alicui mutuet, ex ipsius mutui natura tunc mutuata pecunia fit accipientis. *L.* 1. §. 2. *ff. de obl. & act.*, & periculum omne ad mutuatarium pertinebit. *L. Secundum naturam* 10. *ff. de R. P. L. certi. condictio* 9. *in fin. ff. de reb. cred. & L. ult. ff. de Naut. fænor. & L. Incendium* 11. *Cod. Si certum petatur &c.* Sed si debitor mutuam accipiat pecuniam animo navigandi, & navigationis periculum metuens idem periculum velit in creditorem transferre, illudque creditor sponte suscipiat, hic dum ob talem periculi susceptionem, quod pretio æstimabile est, *L.* 1. *& seq. ff. de nautic. fænor.* de aliqua mercede ultra sortem exigenda paciscitur, causa hujus pacti non a mutui præstatione, sed a periculi susceptione desumenda est. Duo enim hic actus fiunt, unus est contractus mutui, vi cujus mutuans nil exigit præter sortem, cui tamen ex post alter superadditur a priore prorsus distinctus, in quo mutuatarius de periculo sortis suscipiendo aliquod auctarium cum ipso paciscitur creditore. Quamobrem si tale pactum in se illicitum esse nequit, sique illud cum tertio quolibet licite iniri potest, nullam redolebit injustitiam, si illud mutuo addatur, sique cum ipso creditore ineatur. Piringh. *in jus Can. lib.* 5. *tit.* 19. *sect.* 2. *de usus.* §. 4. *&c.*

25 Contra hæc objiciunt primo. Quidquam exigi nequit, nisi compensationis nomine; Compensatio autem supponit non merum periculum, sed damnum reale; Ulterius damnum hoc ab iis compensandum, qui illud intulerunt, illudque æstimandum, quanti revera interest damnum tulisse; At cum in præsenti casu neque damnum reale verificetur, sed solum damni periculum, quod contra omnem æquitatem ab illis, qui nullum damnum intulere, compensari expostuletur, recte concludi potest, quod sub ementito reparationis damni colore mere usurarium a mutuatariis sibi lucrum quærant ij, qui trajectitiæ pecuniæ in se periculum suscipiunt. *Vide super his* Natal. Alexandr. *Theol. Dogmat. lib.* 3. *cap.* 7. *art.* 5. *reg.* 3. Petr. Ballerini *de J. Div. & nat. circa usuras lib.* 6. *cap.* 3. *&c.*

Primo falsum est, quod, ut aliquid licite exigi queat, requiratur damnum reale, neque damni periculum sufficiat. *L.* 8. §. 1. *ff. de contrah. empt.* non lucrum solum reale, sed etiam probabilis spes lucri licite potest in contractum deduci, pretioque æstimari, ideo non damnum dumtaxat reale, sed & probabile damni periculum æstimationem recipit, & compensationem admittit. Bruneman. *in* Pand. *lib.* 18. *tit.* 1. *in L.* 8. *ad* §. 1. *num.* 4. Donell. *& ibi* Hillig. *lib.* 13. *cap.* 1. *litt. G.* Ex his itaque habentur requisitæ conditiones ad aliquid ultra sortem exigendum; habetur siquidem probabile amittendæ sortis periculum, quod æstimationem recipit; ipsius pretium ab iis exigitur, a quibus ex pacto illud imminet, tantumque exigitur, quanti ex communi hominum sensu periculum ipsum æstimatur. 26

Obj. 2. Per obligationem lucri non redimitur periculum sortis amittendæ, sed huic per idoneas sponsiones, pignora, & hypothecas obviari potest; patet itaque, cum per ista remedia sibi caveri non curet mutuatarius, etiamsi de damno vere metuat, se nolle cavere de damno, quod timet, sed hoc nomine supra æstimationem damni velle lucrari. 27

Quod per obligationem lucri non redimatur periculum amittendæ sortis, quod huic periculo per idoneas sponsiones, pignora, & hypothecas obviari possit, utrumque concedimus; habet itaque ex his creditor, quomodo suæ consulat indemnitati, & securitati; At animadvertendum, quod non sine magno debitoris periculo per ista sibi cavit creditor remedia. Non enim res adeo expedita est, ut statim possit inveniri fidejussor, præsertim respectu eorum, qui nihil in bonis habentes pignus tradere, vel hypothecam constituere in bonis propriis nequeunt. Quo fit, ut dum pignora hypothecæ & fidejussiones quæritant indigentes pecuniis, isti ammittunt opportunitatem lucrandi, quæ in negotiationibus maritimis statim occurit, & statim fugit, & inania redduntur proposita remedia. Quamobrem si debitor, ut partam sibi occasionem captandi lucri accipiat, ultro pactum inire velit cum ipso venditore, ut pro eo, quod fidejussione, vel pignore de periculo sortis sibi caveat, periculum ipsum in se suscipiat, nullis justitiæ regulis pugnat, si creditor propter hanc periculi susceptionem aliquid sibi a debitore stipulatur; supra enim visum fuit mutuatæ pecuniæ periculum omne ad mutuatarium pertinere, illudque pretio esse æstimabile. Præterea cum pro fidejussione ex supra notatis licite possit pacisci pretium, non repugnat, ob remissam fidejussionem, & pignora illud idem concedi creditori, quod fidejussori exsolvendum esset. Hoc *quippe* casu, quod suscepturus erat periculum fidejussor, in semetipsum suscipit mutuatarius. 28

Obj. 3. Ut quis juste periculi pretium exigat 29

necess-

necesse est, ut periculum in se suscipiat, & alterum a periculo liberet; At cum mutuatarius a nullo liberetur periculo, ita ad illius pretium persolvendum nequit obligari. Sed notandum est, quod periculum consistit in casu fortuito, quo res perit, casus autem est, adversus quem caveri non potest. *L. 33. in fin. ff. de Reg. Jur. L. 9. Cod. de pericul. Tut. L. 2. ff. Quod met. caus. gest.* Quod si casum hunc fortuitum, quo pecunia trajectitia perire potuisset ipsius mutuatarii damno, in se suscipit creditor, nemini dubium superesse potest, quin mutuans mutuatarium a periculo liberet sortis restituendæ, etiamsi aliquo adverso casu eadem pereat. Neque obstat, quod a nullo debitor sit liberatus periculo, si quando accidat, ut nil adversi contingat; Ut enim contractus hic subsistat non requiritur damnum reale, sed, uti supra visum fuit, sufficit metus damni saltem probabilis.

30 Obj. *6.* Majus est pecuniæ periculum furto ablatæ, quam mutuo datæ, fur autem præter summam furto ablatam nil tenetur restituere ratione periculi, in quod pecuniæ dominum ex culpa conjiciet; multo itaque minus ad hoc teneri mutuatarium dicendum erit. Contra habetur *in L. final. §. 3. Cod. de furtis, & servo corrupto.* Ibi siquidem cum contentio orta esset inter dominum, & commodatarium rei furto ablatæ super pertinentia pœnæ occasione ejusdem rei a fure persolutæ, Imperator respondit hanc pœnam non domino, sed commodatario esse tradendam, rationem subdens, quod ubi periculum, *ibi & lucrum collocetur, ne sit damno tantum obnoxius, qui rem commodatam accepit, sed liceat etiam lucrum sperare Vid. cit. L. d. §. &c.* Patet itaque ex his, quod etiam in furto periculi ratio habetur, & pœna furibus inflicta lucro cedit illius, qui periculum subiit. Cujac. *in paratitl. ad h. t.* Bruneman. *in Cod. lib. 6. tit. 2. L. 22. in §. 3. num. 9.* Verum aliter respondet allatæ objectioni. Zech. *de usur. dissert. 2. cap. 1. sec. 3. de periculo sortis §. 59.*

31 Obj. 7. Per leges civiles uti est *in L. periculi prætium ff. de Naut. fænor.* de periculi pretio pacisci licet, si modo contractus *in aleæ speciem cadat;* Id est si periculum utrimque sit, utrimque sit lucri species; In nostro autem casu hoc non verificatur, siquidem mutuatarius numquam lucratur, quoniam ab obligatione restitutionis numquam liberatur, & periculi pretium semper cogitur solvere.

32 Primo notandum est, quod ista lex diversimode legitur apud interpretes, ac præcipue in illis verbis: *Si modo in aleæ speciem cadat,* & in pandectis Florentinis relatis verbis adjicitur negativa: *Si modo in aleæ speciem non cadat,* quam lectionem tenent Gothofred. *in not. ad eamd.* L. Uldradt. *eod. tit.* Tinzerling. *singulari disputatione in hanc L. inter* Basilienses *vol. 1. Demum in Basilicis eadem retinetur lectio ex Greca versione, quam nobis exhibet* Cujacius IX. *obs. n. 8.*, ea quam maxime ratione quia verisimile non est, Jurisconsultum approbare voluisse contractum, qui in aleæ speciem caderet, cum alea jamdiu fuerit legibus reprobata. At quidquid sit de hujus legis lectione ex ea profecto non evincitur, quod omne periculi pretium requirat aleæ speciem ex utraque parte; satis namque est in nostro casu, si aleæ species cadat ex parte creditoris, qui vel sortem cum convento auctario habebit, vel facto casu nil erit recuperaturus. *Vid. L. 8. ff. de contractu empt. L. 11. ff. de hæred. vel act. vend. &c.* Insuper falsum est, quod mutuatarius ex mutuata pecunia nihil lucretur. Etenim ut lucrum sentiat, non requiritur mutuatæ pecuniæ imminutio, sed satis est si occasione ejusdem aliquod commodum sentiat. Nec mutuatarius adeo fatuus credendus est, ut universos quæstus, quos ex pecunia mutuata consecuturus est, velit mutuanti concedere, sed spe majoris lucri, minores paciscitur usuras favore mutuantis. Quod itaque ratione mutuatæ pecuniæ Mutuatarius percipit, quod conventas excedit usuras, id omne ipsius mutuatarii commodo cedit, quod satis est, ut erronea adversariorum sententia detegatur, mutuatarium nempe lucro semper carere, cum a solutione mutuatæ pecuniæ numquam liberetur.

Obj. 8. In mutuo centum aureorum pericu- 33
lum perdendi centum aureos nequit magis æstimari, quam ipsum centum aureorum damnum: totum autem damnum hujus capitalis posset compensari per centum aureos: ergo etiam periculum hujus Capitalis magis æstimari non poterit; adeoque qui ultra centum aureos ratione periculi aliquid exigit, injuste gravat debitorem.

In hoc argumento distinguendum est pericu- 34
lum centum aureorum a damno centum aureorum; nam si utrumque indiscriminatim accipias ad avertendum amittendæ sortis periculum injuste retinerentur pignora, injuste pignoratitia ageretur actione *ut in L. Tutor. 16. §. 1. ff. de act. pignorat.* Cum enim actiones istæ, & jura sint valde æstimabilia, retento pignore ratione mutui, aliquid ultra sortem pretio æstimabile injuste retineretur. Revera dum quis ex causa cambii maritimi mutuat centum, periculum cum sit pretio æstimabile, iniquum non est, ut ipsius ratio habeatur in constituendo cambio maritimo. Non inficior periculum perdendi centum aureos non esse æstimabilius damno centum aureorum, quapropter pro periculo centum aureorum de centum aureis licite non pacisci; non repugnat tamen, quod de certa proportionata quantitate pacisci quis possit. Nam ob periculum, damnumque centum aureorum conveniuntur usuræ. Profecto si mutuatæ tantummodo pecuniæ licita esset conventio, nulla mutuanti concederetur compensatio ob periculum ejusdem amittendæ pecuniæ. Re enim eveniente mutuanti eadem restituitur pecunia, omneque lucrum mutuatario tribuitur, si vero navis naufragio pereat, mutuatæ pecuniæ damnum incommodo tantum cedit mutuantis, quin illius particeps sit mutuatarius, adeoque hic in lucro semper est, solusque mutuans usque subjicitur damno, quin ullum unquam commodum sentiat. Cum vero tritum ac vulgare sit, eum sentire commodum debere, qui incommodum sentit, ideo hoc casu etiam mutuanti poterit ob hoc periculum aliquod præmium concedi, ut ei in prospero rei

rei eventu aliqua tribuatur compensatio damni, quod ferre in adverso potest. Non aliter statutum est de fidejussione, per quam aliquid non interdicitur exigere pro periculo, cui se subjicit ad implendam alienam obligationem, etiamsi ex sua fidejussione non solvat; Idem dicas de eo, qui pecuniæ trajectitiæ periculum suscipit.

35 Obj. 9. Dictum illud Evangelicum Lucæ *cap. 6.*, quo usuræ reprobantur: Scilicet: *Mutuum date nihil inde sperantes*: Verum præceptum hoc Evangelicum (cujus verba refert Urbanus III. *in cap. Consuluit* 10. *de usuris* ad probandum, jure divino usuras esse prohibitas) quodcumque lucrum, aut usuram non reprobat, sed illam ratione mutui, ac directe, & immediate propter mutuum acceptam. Nos autem de auctario ultra sortem quempiam pacisci contendimus non propter mutuum, sed ratione periculi, quod in se creditor suscipit, proinde ad hunc casum traducenda non sunt præcitata verba uti habet. Zoes. *Comment. in Jus Canonic. lib.* 5. *Decretal. tit.* 19. *de usur.* §. 4. *&c.* Revera in mutuo proprie dicto nullum mutuatæ pecuniæ periculum afficit mutuantem. Cum enim eadem pecunia illico in mutuatarii dominium transeat, ad ipsum ideo cum pertineat tum pecunia, tum ipsius periculum, æquum est, ut lucrum omne ipsius commodo cedat. Cæterum de his fusius actum est in verbo *mutuum*, & quod talis receptio auctarii ex parte periculum suscipientis nullam in se contineat usurariam pravitatem monet Azor. *cap. 6. q.* 1. Lugo. *c.* 1. *num.* 77. Piringh. *loc. cit.* §. 4. *&c.*

36 Negotium tamen maximopere facessit celeberrima Decretalis Gregorii IX. *in cap. Naviganti ult. h. t.*, in qua fœnus hoc nauticum manifestissime reprobari videtur. Ita enim *cit. loc.* rescripsit Pontifex: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*. Super hoc Gregoriano rescripto varia a variis afferuntur. Maritimas hasce usuras hac Decretali penitus reprobari putant nonnulli Doctorum *sic cum* Glos. *Panormitanus*, *Hostiensis*, Fagnan. *Navar. initio comm. de cambiis*, *&* Leotard. *de usuris quæst.* 23. *num.* 3., *&* 19., *quorum opinionem refellit* Zoesius *Comment. in jus Can. unio in lib.* 5. *Decret. tit.* 19. *de usur. sub num.* 4. alii opinantur a Gregorio IX. usuram maritimam tunc solum prædicto capite fuisse damnatam, cum vel nullum, vel fictitium subsit amittendæ sortis periculum, ut hac sub ementita periculi specie sibi lucrum quærant fœneratores: sic Molineus *in tract. de usuris quæst.* 3. *num.* 95. refellitur tamen a Covaruv. *lib.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 5. *&* Piringh. *eod. loc. cit.* §. 4. *sub. num.* 47. alii tenent, quod hujus capitis dispositio locum habeat, quando periculi pretium sit injustum, & excessivum, secus si sit justum, & legitimum; Verum huic interpretationi repugnat littera Textus uti notat idem Piringh. *loc. cit.* alii cum Barbosâ Laiman. Stypman. *de jur. marit.*; & quibusdam aliis negativam interponunt, subtiliter quidem, qui concordes exhibent omnes: *Usurarius est censendus*: *non secus Vid.* Joan. Bernatt. *de util. legendæ Hyst. l.* 2. *in princ.* Navar. *ad d. C. ult. h. t.*, *& in* Manuali c. 17. *n.* 284., *& seqq.* Binff. *ad d. c. ult. q.* 1. *&* 2. Canis *ib.* 4. Scac. *de commerc.* §. 3. Gloss. 3. *n.* 37. Quo autem argumento de omissa negatione innitantur, videre est apud Gagliardi *Inst. Jur. Can. lib.* 4. *tit.* 17. *in not. Loc. d. ad* §. 78. *apud* Zech. *de usur. dissert.* 11. *cap.* 1. *sect.* 3. *de periculo sortis*. §. 53.

Verum opinionem de omissa negativa optime arguendo refellit Zech. *loc. cit.*, cujus argumentum cum non sit, ut ipse protestatur, a nullis viris de Canonico jure optime meritis adhuc animadversum, ex integro referre non piget. *Is itaque*, inquit, Raymundus de Pennafort *fuit compilator Decretalium* Gregorii IX. *uti videre est apud* Florent. *in suam præfat. ad tract. IX. in IX. priores tit. lib.* 1. *Decret.* Gregorii IX. (*&* Martinus Polonus, *qui &* Innnocentii III. *&* Honorii compilationum meminit, de Gregoriana sic loquitur. *Hic Papa per Fratrem* Raymundum *Pœnitentiarium*, *& Capellanum ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit unum volumen*, *mandans ubique Doctoribus illo uti*). *Fuit inquam Decretalium compilator* Raymundus *de* Pennafort; *iisque hoc ipsum Capitulum inseruit*, *scripsit quoque summam de Pœnitentia*, *quam licet ante Decretalium collectionem inchoaverit*, *eas tamen post ipsorum collectionem magis expolivit*, *atque perfecit*. *In hac vero summa Decretalem* Gregorii IX. *iisdem refert verbis*, *ac modo legitur in corpore Decretalium*; *Quapropter nemini dubium esse potest*, *quin prædicta decisio vel ex summa* Raymundiana *in Decretales* Gregorii IX., *vel ex his in illam fuerit translata*; *In utroque autem casu actum esse videtur de omni controversia super lectione prædictæ Decretalis*, *quæ nulla interposita negativa accipi debet*. 37

Hac itaque Epistolæ Gregorianæ affirmativa lectione retenta, plures alias Doctorum interpretationes referre piget, eæ siquidem tales sunt, ut nullo in pretio haberi debeant, videri tamen possunt *apud Gregor* Tholosan *de usur. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. Franc. *de* Arauxo *decis. moral. de stat. civil. disput.* 5. *q.* 1. Valasquez. *de avendanno tr. de censib. Hispan. C. n.* 1. Petr. Santerna *de assecurat. p.* 1. *num.* 10. *seqq. Navar. Manual. confess. c.* 17. *num.* 284. Ex omittendis autem excipienda opinio, quam præclarissimi viri amplectuntur, Piringh. *loc. cit.* §. 48. Vallens. *paratitl. jur. Canon. lib.* 5. *tit.* 19. *de usur.* §. 3. *num.* 7. Gagliardi *Inst. Canonic. lib.* 4. *tit.* 17. *num.* 79.. *& alii*, non ut cæteræ, despicienda. Inquiunt hi prædictum Capitulum de mutuante intelligendum, qui invitum traxit mutuatarium ad secum paciscendum de suscipiendo periculo pecuniæ trajectitiæ aliter non mutuaturus; hic enim etsi revera suscipiat aliquod periculum, quamdam tamen mutuatario imponit obligationem ita secum paciscendi, quod est contra naturam mutui, quod gratuitum esse debet; quam interpretationem prædocuit S. Antonin. *par.* 2. *tit.* 10. *cap.* 7. §. 21. *quem plurimi* sequuti sunt Theologi, & Canonistæ. Quæ quidem sententia mihi valde probabilis videtur. Nihilominus aliam hujus Decretalis interpretationem habemus apud. Zech. *de usur. dissert.* 2. *cap.* 1. *sect.* 3. §. 65. *& dissert.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. §. 131. Laudatus auctor loc. cit. firmat. Decretalem intelligendam de periculo juris, non facti, proposita 37.

posita tamen hujusmodi distinctione non satis constat de solutione quæstionis. Periculum juris pretio æstimabile esse, etiam ii qui rigorem doctrinæ profitentur, concedunt, inter quos præcipue Ballarinus *de jur. divin. & natur. circ. usur. tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 3. §. 1. *n.* 4. *Hoc periculum* (periculum nempe perdendi ipsum jus ad repetendam sortem, ut nempe mutuatarius non teneatur creditori etiam de sorte si hæc casu pereat) *quod periculum juris quidam appellant, si in omni mutuo intercederet, justum esset in omni mutuo suscepti periculi pretium*. Sed si hoc periculum justum præbet auctario titulum & de hoc loquitur decretalis, non de periculo facti, cur in eadem decretali statuitur, hujusmodi contractum usurarium censendum esse? Hac fortasse de causa nonnulli contra Ballarinum tenent susceptum juris periculum per se ab usuraria pravitate non excusare inter quos Fagnan. *ad Cap.* Naviganti *de usur.* Card. de Luca. *de usur. disc.* 3. Leotard. *de usur. quæst.* 23. Ut igitur periculum amittendæ sortis ab usura immunem reddat contractum, necessario concurrant oportet qualitates, de quibus supra est sermo, quod nempe periculum hoc irreparabile sit, vel saltem difficillime possit reparari, quod sponte a creditore suscipiatur, & similia.

39 Nec facile assentiri possum laudato Zech. *dissert.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. §. 132. ubi tenet decretalem respexisse ad fœnus nauticum Romanorum, eo quia leges civiles in pecuniis trajectitiis permitterent usuras ratione metus, sive propter usum pecuniæ, vehementer tamen auctas ob susceptum periculum. De hoc satis supra actum est, & ostensum in aliis quidem contractibus propter usum pecuniæ permissas fuisse usuras a Romanorum legibus, non tamen in nautico fœnore, in quo unice ad periculi susceptionem respexerunt, non ad usum pecuniæ, adeo ut remoto periculo in legibus de Nautico fœnore cautum habemus nullas potuisse percipi usuras. Demum super hac Decretali videri possunt. Gregor. Tholos. *de usur. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 9. Franc. de Arauxo *decis Moral. de stat. civil. disput.* 1. *quæst.* 1. Velasquez. de Avendanno *tractat. de censib.* Hispan. *cap.* 21. Giballin. *de usur. lib.* 2. *cap.* 4. *artic.* 3. *num.* 2. *seq.* Petrus Santerna de Assecurat. *part.* 1. *n.* 10. *seq.* Navar. *Manual. confess. cap.* 17. *n.* 284. Scaccia *de commerc.* §. 1. *quæst.* 1. *n.* 498. *seq.* Lupus *de usuris comment.* 3. §. 1, & ceteri omnes, qui commentariis illustrarunt titulum juris Canonici de usuris, quorum tamen opiniones parvi existimat & ab illis se breviter expedit. Zypæus *jur. pontific. nov. lib.* 5. *tit. de usur. n.* 4. *cum* Paulo Bussio. *ad tit.* Digestorum. *de* Nautico *fænor. n.* 4. qui docent immerito dictam Decretalem nullibi gentium esse receptam Lupus autem *de usuris comment.* 3. *Præfat.* vocat nimis temere hanc Constitutionem *duram atque asperam, quæ redditur molesta non tam usurariis in fænore exercendo quam Interpretibus in eam exponendo*. Sed omnium novissimus negotiationem collibisticam, & fœnus Nauticum docte non minus quam erudite pertractavit Baldasseronus nuper in lucem editus.

40 Quamplures sunt huic nautico fœnori affines contractus, inter quos primo occurrit *fænus quasi Nauticum*, quod definitur *usura seu accessio pecuniæ non per mare, ut in nautico fænore, sed per alia loca, etiam terrestria periculosa trasferendæ*. Zech. *de usur. dissert.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. §. 115. Verum tesseris collibisticis, seu litteris cambialibus inventis hoc contrahendi genus ab usu hominum recessit. De tesseris autem collibisticis satis actum est supra lit. C. verb. contractus Cambialis artic. 1. & 2., & nonnulla infra erunt attingenda de societate, ubi de contractu trino agendum erit, qui temere a nonnullis cum Nautico fœnore confunditur.

Ab eodem fœnore Nautico pariter distinguenda 41
est assecuratio, seu contractus periculi avertendi *quo quis certa mercede accepta in se suscipit, & præstiturus pollicetur pericula a mercibus trans mare, vel alia loca vehendis subitura*. Puffendorf. *de jur. nat. lib.* 5. *cap.* 9. §. 8. Hic contractus licet nonnullas leges cum Nautico fœnore communes habeat, Nautico tamen fœnori extraneus prorsus est. Diversæ enim ut plurimum concurrunt personæ & sæpissime in actu prorsus separato uterque perficitur. Persona quippe assecurantis accedit post perfectum cambium marinum, quod perfectum fuerat inter creditorem, & debitorem. Obligatio debitoris in cambio marino respicit personam creditoris; assecurator vero minime spectata persona debitoris obligationem suscipit favore ejusdem creditoris, adeo ut merito a plerisque assecuratio consideretur adinstar fidejussionis. De hoc vide doctores allegatos a *Rot. Decis.* 457. *num.* 27. *cor.* Olivatio. A Nautico fœnore dissimilis non minus est contractus a Germanicis dictus Bodemeria ex vocabulis: Schiffl-Boden sive *carina maris*. Contractus hic apud nos dicitur: *Imprestito sul corpo e Noli*: in quo magister navis, vel exercitor necessitate coactus mutuam accipit ab altero pecuniam, ut navem servet, eamque mutuanti oppignorat navigaturam deinceps ipsius mutuantis periculo. De hoc posteriori contractu proprie agunt Decisiones cor. Olivatio, quarum meminimus supra, sed utrique a nautico fœnore differunt. Quamvis enim omnes in lucri spe, & periculo versentur, in eo tamen fœnus Nauticum differt ab Assecuratione, quod in hac non pecuniæ numeratæ, sed mercium alio transportandarum quispiam suscipit periculum. Differt autem a Bodemeria eo quod navis in specie creditori oppignoratur. De his fusius. Samuel Coccejus *jus civil. controv. lib.* 22. *tit.* 2. *quæst.* 1. *per tot.* Henric. Coccej. *exercit. curios. disput.* 68. *& uterque* Coccejus *in commentar. ad* Grot. *de jur.* Bell. *&* Pac. Stypmann. *Jus maritim. part.* 4. *cap.* 5. *n.* 136. & alia quamplura attulimus supra *lit. A. verb. Assecuratio*.

His omnibus proxime accedere videntur conven- 42
tiones quas memorat *lex* 5. *ff. de* Nautic. *fænor.* quæque periculi pretium & aleam continent, veluti si quis piscaturo in piscationis apparatum plurimum pecuniæ dederit, aut Athletæ in exhibitionem, idest victum uti explicat Ger. Noodt. *lib. c.* 7. *de fænor. & usur. in fin.* Quintilian. *in l.* 12. *instit. or. c.* 10. *p.* 1096. *in fin.* In exhibitionem, inquam, & exercitationem ea tamen adjecta lege ut ille si cepisset, si vicisset, alter redderet cum usuris; contra vero nil redderet ille, si nihil cepisset, nil alter, si victus a prælio discessisset. Inter has contrahendi species & nauticum fœnus quod discrimen intercedat, ex eo maxi-

maxime liquet, quod in illis ne verbum quidem de pecunia trajectitia occurrat, nauticum vero fœnus super pecunia trajectitia unice, & principaliter versetur. De his propterea pauca delibasse sufficiat, cum, qui majora curiosius inquirere cupiat, possit commode adire Scriptores supra laudatos, & præsertim eos, qui allegantur in Decisionibus *Cor. Olivatio*.

NECESSITAS.

1 NEcessitas alia est medii, alia præcepti, &
alia medii, & præcepti simul. *Sic in re*
2 *Communis Doctorum*. Necessitas *medii*, seu finis est illa, qua aliquid est ita necessarium ad finem, verb. gr. ad salutem animæ consequendam ut sine eo, quamvis inculpabiliter omittatur, finis, idest animæ salus, obtineri non possit de lege Dei ordinaria, & sic est necessaria Gratia sanctificans respectu omnium, Baptismus in re respectu infantium, in re, aut in voto respectu
3 adultorum. *Communis*. Necessitas præcepti est illa, qua aliquid sub obligatione præcepti necessario præstandum est, verb. grat. ad consequendam salutem æternam, eo quod alias quis transgrediendo præceptum mortaliter peccaret, sicque æternam salutem amitteret, quamvis tamen si ex ignorantia, vel impotentia, aut oblivione inculpabili id forte prætermittatur, non impediat salutis æternæ consecutionem, & sic est necessaria ad salutem observantia mandatorum. *Communis*.
4 Necessitas *medii*, *&* *præcepti simul* est illa, qua aliquid est ita necessarium ad salutem æternam consequendam, ut non solum sine illo non possit quis salutem æternam consequi, sed insuper si illud culpabiliter omittat tamquam præcepti divini transgressor, fiat reus perditionis æternæ. Sic adultis hominibus necessarius est Baptismus ad salutem æternam casu, quo possint eum in re suscipere. *Communis*.

Necessitas proximi sive spiritualis, sive corpo- 5
ralis est triplex, scilicet extrema, gravis, & communis. *Omnes*. Necessitas *spiritualis extrema* est, 6
cum proximus versatur in periculo proximo damnationis æternæ, & quandoque si sit in periculo proximo peccandi mortaliter. *Communis*.
Necessitas spiritualis *gravis* est, cum proximus, 7
licet non versetur in periculo proximo damnationis æternæ, reperitur tamen in talibus circumstantiis, quæ ejus salutem æternam reddunt difficilem. *Communis*. Necessitas spiritualis *communis* 8
est illa, in qua reperiuntur communiter peccatores in mortali constituti. *Communis*.

Necessitas corporalis *extrema* est illa, cui si non 9
succurratur, egentis proximi vita certo, vel probabiliter periclitabitur. *Communis*. Necessitas cor- 10
poralis *gravis* est illa, cui si non succurratur, imminet proximo periculum gravis mali, ut captivitatis, notabilis jacturæ bonorum, vel status, & hujusmodi, ratione quorum proximus vitam nonnisi ægre, & difficulter potest conservare. *Communis*. Necessitas corporalis *communis*, seu ordi- 11
naria est illa, qua laborant pauperes triviales, qui ostiatim, communiter, & ordinarie mendicare solent. *Communis*. Vide sub verb. *Eleemosyna a nu-* 12
mer. 9. ad 12. aliam hujus triplicis necessitatis clariorem descriptionem.

In extrema necessitate est obligatio sub morta- 13
li succurrendi proximo etiam ex necessariis aliquo modo ad statum proprium. *Communis*. Vide 14
d. verb. *Eleemosyna num.* 13. Hinc pauper in extrema necessitate Jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem a quolibet similem necessitatem non patiente; nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. *Communis*.
Vide *ibidem num.* 14. Sic etiam non tenetur resti- 15
tuere, qui in extrema necessitate consumpsit id, quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum, immo quod ante furatus fuerat. Sic ex communi Lessius, & alii; Vide *ibidem num.* 15. (*).

In

Notæ Romani Theologi.

(*) Continuator Tournely *part. 3. de Rest. in partic. cap. 2. quæres* 11. aperte asserit, *hominem, qui transacta necessitate, ob quam omissa fuit restitutio, in pinguiorem fortunam venit, urgeri obligatione restituendi hac de causa, quia tamdiu remanet restituendæ rei alicujus obligatio, quamdiu dominus exigit rationabiliter, ut res illa sibi restituatur, ejusque dominium in alium non transfert: atqui transacta extrema sua necessitate, rationabiliter exigit dominus, ut res sua sibi restituatur; potuit enim legitime ejus usum concedere ea lege, ut ipsius restitutio sibi fieret, statim ac fieri posset. Possent quidem homines consentire, ut quoties aliquis in extrema necessitate constitutus foret, is rem alienam, absque restituendi onere, tamquam pauper acciperet, sed in his de facto consensisse non videntur*. Atque hinc facile patet, hominem, qui dum in extrema necessitate esset, mutuo atque commodato rem alienam accepit, atque consumpsit, teneri ad restitutionem, dum in pinguiorem fortunam veniat: Tum quia hac lege præsumitur rei dominum commodasse, vel mutuasse; Tum etiam, quia vel homo ipse miser, qui mutuum, vel commodatum accepit, se se obligasse videtur ad restituendum, cum posset. Immo & idem dicendum videtur de furto: Ideo enim in extrema necessitate omnia communia dicuntur, quia hoc in casu dominus rei non censetur rationabiliter invitus, dum quidpiam ipsius rei ab extrema necessitate laborante subripiatur; ergo qua ratione dominus rationabiliter invitus non est, eadem ratione excusabitur miser a restitutione; atqui transacta necessitate dominus rationabiliter petit rem suam, cum homo jam restitutionis capax evaserit. Quid vero si statuatur hominem mutuum, & commodatum accepisse, aut furatum quidpiam fuisse, antequam in extrema minciderit necessitatem? Numquid

16 In gravi necessitate est obligatio sub mortali
succurrendi proximo ex bonis superfluis propriæ
vitæ, & statui, quamvis sint aliquo modo ne-
cessaria ad splendorem, & decentiam proprii sta-
17 tus. *Communis*. Vide *ibidem num.* 16. Immo in
gravi necessitate secundum multos est obligatio
succurrendi proximo etiam ex bonis aliquibus suo
statui necessariis, sed non valde necessariis. Vi-
18 de *ibid. num.* 17. Constitutus in gravi necessitate
nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sub-
levandam talem gravem necessitatem. *Commu-*
19 *nis*. Vid. *ibidem n.* 18. In gravi tamen necessitate
Reipublicæ licitum est auferre a divitibus super-
flua, quæ necessaria sunt ad sublevandam Rem-
publicam, quia necessitas gravis Reipublicæ æqui-
valet, immo superat necessitatem, quam habet
unus privatus; Sic cum S. Thoma, & aliis Car-
denas *in* 2. *Crisi d.* 23. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 16. La
Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 956. & alii passim.

20 Necessitas gravis Reipublicæ, v. gr. propter fa-
mem communiter æquivalet necessitati extremæ
particularium, ut docent Cajetanus, Suarez, Ta-
pia, Cardenas *in* 1. *crisi d.* 80. *a n.* 15. La Croix
lib. 3. *part.* 2. *num.* 1146. & alii communiter, adeo-
que est obligatio sub mortali illi succurrendi in
tali gravi necessitate, ut docet Communis Do-
ctorum cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 6. quia
commune bonum debet præferri bono proprio par-
ticulari in temporalibus, & debet quilibet priva-
tus etiam vitam perdere, si necesse sit, pro tuen-
da vita Reipublicæ: Vide verb. *Homicidium n.* 37.

21 Immo licitum est subvenire Reipublicæ in gravi
necessitate etiam ex illis, quæ ad usus pios etiam
per ultimas voluntates sunt destinata, quia bona
exteriora ex Dei institutione destinata sunt ad
sublevandam necessitatem indigentium saltem ex-
tremam, aut illi æquivalentem, uti est necessitas
gravis Reipublicæ. Sic *Communis Doctorum* teste
La Croix *loc. cit. n.* 1148. *arg. cap. Aurum* 70. *&*
cap. Gloria Episcop. 17. *caus.* 12. *quæst.* 2.

22 In communi necessitate adest obligatio sub gra-
vi succurrendi aliquando per eleemosynam proxi-
mo pauperi ex bonis simpliciter superfluis vitæ,
& statui, & a fortiori ex superfluis decentiæ sta-
tus. *Sic communior, & tutior Doctorum sententia.*
23 Vide verb. *Eleemosyna num.* 19. Pauperes autem la-
borantes solum necessitate communi nequeunt li-
cite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevan-
dam talem necessitatem. *Communis*. Vide *ibidem*
num. 20.

24 In quacumque pari necessitate potest quis prius
sibi providere, quam quibuscumque aliis, etiam
parentibus; quia ordinata caritas incipit a seipso,
25 cum sibi ipsi sit conjunctior. *Communis*. In qua-
cumque pari necessitate debet quis prius subveni-
re Parentibus, Filiis, & Uxori, quam Fratribus,
vel Sororibus, quia illis est conjunctior, adeoque
ad illos est major obligatio. *Communis*. In qua- 26
cumque pari necessitate debet quis prius succurre-
re sanguine junctis, licet improbis, quam non jun-
ctis sanguine, & probis, quia conjunctio sangui-
nis inducit naturalem obligationem, non autem
probitas vitæ. *Communis*. In quacumque pari ne- 27
cessitate debet quis prius subvenire parentibus na-
turalibus, quam spiritualibus, prius amicis, & do-
mesticis, quam aliis, prius indigenis, quam alie-
nigenis, & sic de similibus. *Communis*.

In extrema necessitate debet quis prius subveni- 28
re Patri, Matri, Uxori, Filiis, Fratribus, & Soro-
ribus, quam Creditoribus, quia in extrema neces-
sitate cessat obligatio solvendi debita, & urget
sola obligatio alterius virtutis, v.g. Caritatis. Ca-
ritas autem magis urget erga magis conjunctos:
Bonacina, Lessius, Coninch. Diana, & alii citati,
& secuti a La Croix *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 728.

In extrema, vel gravi necessitate debet quis prius 29
subvenire proprio Patri, & Matri, quam proprio
Filio quia licet sit æque vicina connexio naturalis
Patris, & Matris ad suum Filium, ac Filii ad suum
Patrem, & Matrem, Filius tamen plus habet a Pa-
tre suo, & Matre, quam Pater, & Mater a Filio,
adeoque est major obligatio naturalis Filii erga
Patrem, & Matrem, quam Patris, & Matris erga
Filium; Vide verb. *Filius a num.* 91. *ad* 94.

In extrema necessitate debet quis potius subve- 30
nire Patri, & Matri, quam Uxori, Filiis, vel cui-
cumque alteri, quia plus habet a Patre, & Matre,
quam ab ullo alio, nempe primum esse, quod est
fundamentum ad recipienda ab alio beneficia. *Com-*
munis. Vide verb. *Eleemosyna num.* 22. *& verb. Fi-*
lius num. 95. *& num.* 98. ubi aliqui extendunt hoc
etiam ad necessitatem gravem. In extrema vel gra- 31
vi necessitate debet quis potius subvenire Patri,
quam Matri, quia licet Mater plus passa sit, ta-
men absolute loquendo Pater est principalior, &
nobilior origo totius esse, quod est in Filio. *Com-*
munis. Vide *ibidem num.* 22. In extrema necessitate 32
debet quis potius subvenire Filiis, quam Uxori,
quia de Jure naturæ strictior est conjunctio Patris
ad Filium, quam Mariti ad Uxorem, adeoque de
Jure naturæ tenetur Pater in extrema, vel gravi ne-
cessitate potius succurrere Filiis, quam Uxori, cum
qui genuit Filium, de Jure naturæ teneatur eum
alere. *Communis*. Vide verb. *Filius num.* 96. *& seq.* 33
In extrema, vel gravi necessitate Maritus debet po-
tius subvenire Uxori, quam aliis suis propinquis,
& ita Uxor debet potius subvenire Marito. *Com-*
munis. Vide verb. *Eleemosyna num.* 22. In extrema 34
necessitate si sit Filius, tenetur Pater ipsi succur-
rere prius, quam Uxor ipsius, quia conjunctio na-
turalis, quæ est inter Patrem, & Filium, est ma-
gis intrinseca, quam conjunctio civilis tantum, &

 extrin-

quid a restitutionis onere absolutus esset, etiam dum dives evaserit? Ita sane Lucius noster, sive potius Auctores, quos ipse sequitur, contendere videntur; at Romanis Censoribus id minime placet; & quidem jure meritoque: Nam dum mutuum, dum commodatum, dum furtum homo ille accepit, onus in se restitutionis suscepit, quod suspensum mansit, extrema superveniente necessitate, neutiquam tamen extinctum. Quamobrem transacta necessitate, atque accedentibus divitiis, suspensio illa restitutionis cessat, ac virtute obligationis initio contractæ debitum solvere tenetur. Confer Addit. ad verb. *Eleemosyna* num. 18.

extrinseca, quæ est inter Maritum, & Uxorem: Pater enim genuit *esse* Filii, Uxor autem non genuit *esse* Mariti, adeoque majorem obligationem habet Pater ad conservandum esse Filii, quam habeat Uxor ad conservandum esse Mariti in tali extrema necessitate; *Communis*.

35 In communi necessitae debet quis potius prolibus suis succurrere, quam suis parentibus, quia proles sunt sub cura parentum, & ab illis etiam extra gravem necessitatem Jure postulant alimenta: non item parentes; *Communis*. Vide verb. *Eleemosyna num.* 22. *& verb. Filius num.* 99. In com-
36 muni necessitate debet Maritus præferre Uxorem, & Uxor Maritum propriis parentibus, & prolibus.
37 Vide verb. *Eleemosyna num.* 22. In communi necessitate debet uxor prius succurrere Marito, & Maritus prius succurrere Uxori, quam Pater, vel Filius, quia in communi vita Maritus, & uxor sunt unum, & tanta est inter eos conjunctio, ut debeant se semper comitari, & sibi invicem adhærere, juxta illud *Genes.* 2. *num.* 24. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ*, adeoque ad ipsos prius, quam ad suos parentes, & filios spectat ad invicem sibi succurrere in communibus necessitatibus in dies occurrentibus; *Communis*.

Additiones ex aliena manu.

38 Necessitatis nomine intelligi debet status hominis, in quo parere legi haud potest absque peri-
39 culo suo. Periculum autem, si ad vitam pertineat, necessitas dicitur extrema; sin ipsi vitæ non immineat, pro magnitudine periculi major, vel mi-
40 nor appellatur. Atque necessitas absoluta, si periculum nullo alio modo evitari potest, quam lege violata, & respective, si alius quidem homo, at non hic homo, qui in illo versatur, declinare queat.

His notatis, videndum nunc quinam sit favor necessitatis.

41 Leges vel sunt divinæ, vel humanæ, eæque vel ajentes, vel negantes. Porro leges humanæ regulariter intelligendæ sunt cum exceptione necessitatis.

Idemque dici debet de legibus divinis ajentibus,
42 nisi forte intermissio actionis ita sit comparata, ut tendat in injuriam Summi Numinis; tunc enim simul concurrit lex negans, quod nihil in Dei ignominiam sit faciendum. Quo refertur factum *Danielis*. *Dan. VI.* 10.

43 Leges divinæ negantes, vel respiciunt ipsum Deum, vel nos ipsos, vel alios homines. Exceptionem necessitatis minime admittunt leges negantes, quæ Deum respiciunt; Nec aliud dicendum de legibus negantibus, quæ respiciunt nosmetipsos.
44 Quod vero attinet ad leges negantes, quæ alios homines respiciunt, si necessitas sit a Deo, admittunt eæ exceptionem necessitatis, si de conservatione nostri ipsius agatur, non item si de perfectione nostra, ac felicitate tuenda, & amplifican-
45 da. Sin autem necessitas sit a malitia hominum, aut id illi agunt, ut pereamus, aut ut necessitatem peccandi nobis imponant. Priori casu locus est favori necessitatis, nequaquam vero posteriori.

His perpensis regulis facile erit judicare de fa- 46
vore necessitatis in casibus particularibus; Vide tamen, qui de iis latius agunt, Thomasium *jurisprud. Divin. lib.* 2. *cap.* 2. §. 130. *& seq. tit.* Puffendorf. *de Offic. Hom. & Civ. observat.* 141. Barbeyrac. *ad eumdem* Puffendorf. *de Jur. Natur. & Gent. not.* 5. *& plur. sequent.* aliosque; sed caute simul legito.

NEGROMANTIA.

Vide verb. *Superstitio num.* 15.

NEGOTIATIO.

prout est Clericis interdicta.

Negotiatio an, quomodo, & quando sit prohibita, vel non, Clericis, & Religiosis? Vide 1
verb. *Clericus art.* 3. *per totum*, ubi late de omnibus.

Negotiatio Clericis interdicitur, etiam sub alie- 2
no nomine; Benedict. XIV. tom. 1. Constit. 13. incip. *Apostolicæ*. Et ubi hæreditario jure, aut alias ad 3
eos delata fuerit, dimitti debet; Idem *ibid.* §. 2. 4
Quatenus continuari possit ad tempus, Vide *tom.* 2. *verb. Clericus art.* 3. *in fine*, ubi datur summarium dictæ Constitutionis.

* Constitutiones adversus Clericos negotiatores 5
innovantur, & extenduntur ad Clericos etiam sub laici nomine quomodolibet negotiantes. Benedictus XIV. Const. incip. *Apotolicæ servitutis*. Tom. 1. *Bullar. num.* 18.

Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, 6
dein ad Clericos devoluta, sive hereditario jure, sive quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, coheredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi Clerici, qui 7
per seipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos coheredes, ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab 8
eis acquisita pœnis in Constitutione Pii IV. quæ incip. *Decens esse*, quæ est 19. inter Bullas ejusd. Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis Cameræ Apostolicæ comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt a pœna spoliorum ex 9
Constitutionibus Pii IV. *Romanus Pontifex*, & Pauli V. *In eminenti*, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit, atque declarat in cit. Constitutione *Apostolicæ servitutis*.

Negotiatio tamen impropria, non est Clericis 10
interdicta, ut ex. gr. manuum suarum labore, & honesto artificio victum sibi comparare, quod & Apostolus Paulus suo exemplo docuit, & a SS. etiam Monachis præstitum est. *De Synodo Diœc. lib.* 7. *cap.* 49. §. 2.

Licitum est etiam Clericis vendere res collectas 11
ex

ex propriis prædiis, sicut & eas, quas coemerunt ad familiæ suæ sustentationem, quæ si superfuerint, vendere possunt carius, quam emerint, intra limites tamen justi pretii. *Ibid.*

12 Plura si cupis vide tom. 2. verb. *Clericus*, *art.3.* ubi fuse de hac re tractatum est, atque sub *n.91.* adducitur novissima Constitutio Clementis XIII. merito observanda.

13 In ditione Pontificia pro negotiis ad Ecclesiasticos pertinentibus in publicis Consiliis quorumcumque locorum, deputandi sunt duo Ecclesiastici, unus ex Clero Sæculari, alter ex Regulari, & ambo ex Sæculari, si desint Regulares, interpellandi toties, quoties pertractandum est aliquid ad ipsos pertinens, ut intersint in iisdem Consiliis cum suffragio consultivo dumtaxat: cum facultate tamen recurrendi, si laici contrarium resolverint. Si vero neglexerint interesse, non inde invalidum erit quidquid in dictis Consiliis decretum fuerit. Vocandi sunt etiam quando redditur ratio expensarum, quæ ab iisdem Ecclesiasticis tolerantur, eisque communicandi in loco designato a Gubernatoribus, non vero tradendi libri computorum, cum facultate pariter recurrendi ad Superiores, si quid injustum in illis deprehenderint. Sic statuit Bened.XIV. 29. Julii 1752. Constit. incip. *Quamvis*.

NEOPHYTI.

1 NEophyti ad Sacros Ordines non sunt promovendi, nisi prius de eorum constantia in vera nostra fide constiterit. Concil. Nicænum *Canon.2.* ibi: *Nam & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post, Baptismi probatione quamplurima.* Et in *Canone 3. Arabico*, ab Echeliensi edito, ibi: *Quicumque recens baptizatus fuerit, cujus Fidei adhuc non dignoscitur experimento certitudo, ne Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinetur.* Bened.XIV.de synodo Diœcesana *lib.7. cap.65. num.6.* Ubi subjungit, quod ad id dignoscendum quantum temporis requiratur, est incertum, cum nullum de hac re sit certum tempus a jure definitum, adeoque ut volunt Covarruvias, & Gibalinus *de Irregularitate cap.3. q.3. & alii*, videtur id relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcopi serio expendentis mores & constantiam in fide cujusque Neophyti.

Novus Articulus de Neophytis.

Ex aliena manu.

1 NIhil habet Ferrariana Bibliotheca in Articulo *Neophyti*, præter duo, eaque sane non magni momenti, ab Opere *de Synodo Diœcesana* Benedicti XIV. excerpta, etsi multa ad Neophytos spectantia, notatu dignissima occurrant, quæ suum pluteum in hac refertissima Bibliotheca occupare merentur. Quapropter integrum Articulum adlaborare statui, in quo nonnulla haud contemnenda indigitare pergam.

2 *Neophytus* a duplici græca dictione *Néon* & *Phytòn*, *nova plancta*, idem est ac *recens consitus*. Sumitur pro eo, qui nuper Ecclesiasticum statum amplexus est, vel Religionem est ingressus. Communius tamen per Neophytum intelligitur ille, qui recens ab infidelitatis statu egressus, sacris Baptismatis undis est regeneratus.

Isti sunt novellæ plantationes in domo Domini, quas semper maximi fecit Ecclesia, nunc vero, proh dolor! illi, qui olim vocabantur (ut verbis utar Auctoris sermonis, olim inter Augustinianos 157. *de tempore*, nunc 172. in Appendice) *novella germina, sanctitas regenerata ex aqua & Spiritu, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris & fructus laboris; gaudium & corona mea*, adeo sunt vulgo despecti & abjecti, ut fortasse inter maximas reputetur injurias Neophytum quemquam vocitare, iique qui Dei gratia illuminati, superstitione relicta, Christianæ Religioni nomen dedere, Dei donum occultare cogantur.

Privilegia Neophytis concessa a Paulo III. & a Clem.XI. confirmata, Vide verb. *Hebræus Tom. 3. pag.312.* 3

Hæc porro, cæteraque omnia privilegia in favorem Neophytorum alias a sancta Sede emanata, Sanctissimus Dominus noster CLEMENS Papa XIII. probe sciens, infidelium conversionem inter apostolatus instituta primum obtinere locum; novissime confirmavit suo Chirographo ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Nigronum Proauditorem dato die 26. Octobris 1766., in quo inter multa hæc statuit. „ I. Quod in futurum, ac perpetuis futuris temporibus Neophytorum Judex „ eorumque receptoriæ domus, Ecclesiæ, & Universitatis, ac locorum piorum annexorum in causis civilibus passivis motis, & admovendis, sit „ Illustrissimus, & Reverendissimus D.Almæ Urbis pro tempore Vices gerens. III. Quod Neophyti a quibuscumque censibus, taxisque ab artium statutis præscriptis sint exempti, earumque artium, ac Universitatum onera atque munera subire minime teneantur, eisque solitæ literæ patentales gratis concedantur. V. Quod „ sint immunes a taxis, & licentiis Tribunalis viarum cum illa amplitudine & respectiva limitatione exemptionis, quæ fuit jam declarata in Decretis Congregationis particularis deputatæ a san. „ mem. Clemente Papa XI. VII. Quod dictum est „ pro Neophytis, intelligatur constitutum, etiam „ pro Neophytorum filiis primi gradus, & pro Maritis Neophytarum, filiarumque primi gradus „ Neophytorum.

Collegium Ecclesiasticum Adolescentium Neophytorum instituit Greg.XIII. Causam erectionis hujus Collegii, explicat S.Pont. in Bulla incipient. *Vices ejus*, quæ ejus est LXXIII. Tom.IV. P.III. Bullarii, pag.346. his verbis: *Ut non modo Hæreticorum, sed eorum etiam qui in infidelitatis tenebris ambulantes misere pereunt, præsertim Judæorum conversionem, veramque salutem exoptare ac totis viribus quærere non cessemus.* 4

Proinde Fidei Christianæ propagationi, & incremento hujusmodi quantum possumus, incumbentes, atque tam saluti, & eruditioni eorum puerorum, & adolescentum, qui ex Judæorum, Turcarum, & Maurorum

rerum similiumque Maumetanorum genere nuper ad Christi Fidem conversi sunt .... providere volentes, UT EX EIS PRODEANT OPERARII AD OPUS EVANGELII IDONEI, QUI IN IPSA URBE CETERISQUE ITALIÆ LOCIS, ATQUE ADEO IN OMNIBUS TERRARUM ORBIS PARTIBUS, IN QUIBUS JUDÆI, ET INFIDELES DEGUNT, CHRISTIANÆ FIDEI MYSTERIA, ETIAM PROPRIA ILLORUM LINGUA, SIVE HEBRÆA, SIVE ARABICA EXPLICARE, DOCERE, ET PRÆDICARE POSSINT ET VALEANT, *nihil opportunius esse censuimus quam proprium Collegium ad eosdem instituendos erigere*.

Concedit deinde Privilegia amplissima ad instar studii Generalis Almæ Urbis.

5 Hinc audacia retunditur duorum Protestantium scriptorum, scilicet Jo. Christophori Wagenseilii, & Jacobi Basnagii, virorum ceteroquin doctorum, qui Ecclesiæ Romanæ impetendæ pruritu numquam non excitati, Apostolicam Sedem calumniantur, ac si Judæorum conversionem omnino posthaberet. Primus in Præfatione ad Opus, cui titulus. *Tela ignea satanæ* Altorfii 1681. pag. 89. hæc contumeliose eructat: „ Videram Romæ illas magnificas augustasque ædes, quibus Collegium Propagandæ Fidei nomen, unde tamquam ex alveari quocumque terrarum provolant... pag. 91. An non per omne Turcicum Imperium, per Persiam, totamque Africam dispersi agunt infiniti Judæi informationis indigi? Sed horum quoque in gratiam quemquam Missionariorum iter aliquando ingressum esse, numquam fando accepimus... Certum tamen est nihil frigidius, & negligentius Romanum Clerum tractare quam Judæorum conversionis negotium „. Alter vero *Histoire des Juifs all' Haje* 1716. Tom. IX. par. 2. vol. XIV. p. 546. non minus audacter Romanam Sedem impetit.

Quoique Saint Pierre ait ete l'Apotre des Juifs, & que ces successeurs marchant sur les traces de cet Apotre, dussent donner tous leurs soins a la conversion de ce Peuple, ils ne laissent pas de les negliger beaucoup. Hæc illi, non minus impudenter quam falso.

6 Faxit Deus, ut Ecclesiasticum Neophytorum Collegium e pulvere reviviscens juxta Pontificis Institutoris mentem, fructus uberes in Judæorum, Muhamedanorumque gente producat, ut os iniqua loquentium obstruatur.

7 Neophytis ad fidem conversis Venetiis in Loco Pio Catechumenorum, permittitur Matrimonium contrahere cum Fideli, absque interpellatione prioris Conjugis in infidelitate relicti, arbitrio Nuntii Apostolici Venetiis existentis. Benedictus XIV. Constit. CXVII. incipient. *In suprema* Tom. 1. Bullarii sui, pag. 483. dummodo præfato Nuntio sum-
8 marie & extrajudicialiter constet, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum, intra tempus in monitione præfixum suam voluntatem significare neglexisse.

Libellum repudii non licet Judæis ad Fidem conversis dare uxoribus in Judaismo remanentibus. Bened. XIV. in Constit. incip. *Apostolici* XXXVIII. T. 2. Bullar. pag. 330.

Neophytus, si repudii Libellum Rabbinicis superstitionibus inveniatur dedisse uxori nolenti se convertere, in eum, tamquam *Judaizantem*, animadvertendum esse statuitur. *Ibidem* pag. 331.

Si autem id fecerit coram Notario, & Testibus Christianis, minori pœna plectendus erit. *Ibidem.*

Contingit sæpenumero, ut ex conjugibus infi- 9
delibus, vir catholicam Fidem amplectatur, uxore in sua infidelitate remanente. Disputatum non minus frequenter fuit, an uxori volenti in sua perseverare infidelitate, cogendus sit vir, ad dotis munerumque nuptialium restitutionem. Nulla hucusque prodiit, quod sciam, aliqua authentica hujusce controversiæ definitio. Quamobrem non abs re fore confido, si hic eam breviter ventilandam aggrediar, ut morem geram Viro mihi necessitudine conjunctissimo, qui eamdem profunde examinavit, mihique disquisitiones suas benigne suppeditavit.

Primus, qui in præjudicium viri conversi quæ- 10
stionem determinavit, seu potius dubitare cœpit circa contrariam sententiam, videtur fuisse Baldus junior in suo Opere *de Dote*, Dissert. 21. num. 47. *Sed vidi*, inquit, *alias dubitatum, si Infidelis puta Judæus uxoratus conversus est ad Fidem, uxore remanente in Judaismo .... debet rehabere dotem suam*.

Eum secutus est Everhardus junior Tom. I. 11
Cons. 36. num. 3. ubi relata Baldi opinione, concludit: *Quam sententiam probo*. Alios fortasse, qui eidem opinioni subscripserint, recensere non erit difficile. At cum non quæramus, quid hic, aut ille senserit; siquidem summo juri adhærere, quantum fieri potest, intendimus; hinc supervacaneum esse arbitror, in aliis Authoribus perquirendis tempus insumere.

Oppositam nunc sententiam perscrutandam as- 12
sumo, de cujus certitudine dubitari non posse existimo. Dico itaque si casus contingat, virum infidelem Christianam Religionem amplecti, & uxorem in sua infidelitate persistere, nullatenus posse primum obligari ad dotis, munerumque dotalium restitutionem. Quam quidem assertionem ita probo.

Ex Jure Canonico firmum statutumque manet 13
sequens principium, scilicet exposito in casu infidelem uxorem censeri repudiare maritum. C. *Si Infidelis*, 28. *q.* 2. „ Si infidelis (inquit) discedit odio Christianæ Religionis, discedat, non est enim frater aut soror fidelis subjectus servituti: non est enim DIMISSIO peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur; infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in Matrimonium, neque est ei fides servanda conjugii; quia propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse Christianorum conjugiorum „. Vides ergo ex hoc Canone, uxorem infidelem illam esse, quæ *discedit*, & virum fidelem ab ea esse *dimissum*.

Totidem fere habet S. Ambros. Tom. III. edit. Pa- 14
ris. 1603. col. 366. a quo videtur Canon præfatus desumptus, etsi a Gratiano Gregorio tribuatur.

Et ne quis putet, Canonem hujusmodi nulla pol- 15
lere auctoritate, utpote qui à Gratiano dumtaxat referatur; sciat ipse velim, eumdem approbatum fuisse

fuisse ab Innoc. III. c. *Quanto*, *de divortiis*, ubi Episcopo Ferrariensi ita scribit: „ Si enim alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit vota transibit: & in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat . . . & Canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur.

16 Unde merito notat Van-Espen Tom. III. Part. V. comment. ad Part. II. Gratiani, pag. 306. „ Sententiam Gratiani secuti sunt uno consensu Theologi & Canonistæ: quin & ipsi Romani Pontifices eam in omnibus adoptarunt, uti videre est in Decretalibus Clem. III. & Cœlest. III. ..., similiter & Innoc. III. sententiam Gratiani quoad utrumque distinctionis membrum adoptavit in cap. 7. *extra*, *de divortiis*.

17 Hinc patet Romanæ Ecclesiæ sententiam esse, infidelem uxorem, nolentem converti, aut marito cohabitare sine Creatoris contumelia, censeri eum repudiare. Tota ratio innititur in illo Apostoli verbo 1. ad Cor. VII. 15. *discedit*, ex quo concluditur Matrimonii vinculum solutum iri; verum respective solum ad fidelem qui ab uxore infideli dimittitur.

18 Quare S. Thom. *in* 4. *dist*. 37. *q*. 2. *art*. 5. *ad* 3. eam perpetuo cælibatui servando adstringi merito docet. „ unde in pœnam uxoris infidelis, ei indicitur quod non possit cum alio contrahere magis quam ex virtute Matrimonii præcedentis „. Quam sententiam secuti sunt S. Bonav. in 4. *dist*. 37. *art*. 2. *q*. 2. Turrecremata in *c. Simili modo*, 28. *q*. 2. *ad* 3. *argum*. Basil. Pont. *de matrim. lib*. 7. *c*. 48. *num*. 26.

19 Jam vero, cum ex dictis clare aperteque constet uxorem infidelem in nostro casu repudiare fidelem maritum, de qua re nemo ambigere potest, quærendum est, utrum mulier illa jus habeat ad dotem, atque ad nuptialia munera repetenda. Quod si hujusmodi jus, nedum ei denegetur, quinimo ad dotis, munerumque nuptialium amissionem Legibus damnetur, omnino certum atque exploratum erit, sæpe a nobis laudatam infidelem uxorem maritum conversum adstringere nequaquam posse ad dotis, ac donationum restitutionem. Quod autem tali pœnæ uxor virum suum repudians legibus subjiciatur, nemo, nisi sit in Jurisprudentia prorsus novus, ignorat.

20 In Codice Theodosiano, Edit. Gottofr. Lipsiæ 1736. lib. III. Tit XVI. L. 2. de Repudiis, pag. 355. aperte statuitur; „ Mulier quæ repudii a se dati oblatione discesserit, si nullas probaverit divortii sui causas, ABOLITIS DONATIONIBUS quas sponsa perceperat, etiam dote privetur. Paria leguntur L. VIII. C. lib. V. *de Repudiis* Tit. XVII. Nam mulier si contempta lege repudium mittendum esse tentaverit, suam dotem, & ante nuptias donationem amittat „. Vide & in Authent. Collat. IV. Cap. XV.

21 Neque ullum futurum fore arbitror, qui ita desipiat, ut hasce Leges antiquatas esse adfirmet. *Inepta est* (inquit Clar. Gottofridus Comment. in Cod. Theod. pag. 357.) *eorum sententia, qui hanc Legem una cum superiore abrogatam tradunt Novella Theodosii XVII. de repudiis*: *est enim ea Novella non de pœnis injusti repudii, ut hæc Lex; verum contra de pœnis conjugum qui divortio causam dedere*.

Consonant dispositionibus Romani Juris, ipsa Judæorum Jura, in *Misna* seu *Jure civili-Canonico* Hebræorum, edit. Gulielmi Surenhusii, Amstelodami, an. 1700. Part. III. p. 74. ubi in Tractatu *Chetuboth*, hoc est, *de dotibus*, *&* *Litteris Matrimonialibus*, Cap. V. num. 7. sequens extat statutum: „ Si quæ rebellaverit contra Maritum suum, ei diminuunt dotem suam Matrimonialem septem denarios qualibet septimana...... Quousque diminuet? usque ad quantitatem dotis matrimonialis. „ 22

Est igitur Romanis Judæorumque Legibus cautum, ut quotiescumque mulier absque legitima causa a viro suo discedit, repudium ei offerendo, dotem ceteraque dotalia munera amittat. Quo posito, ea quæ hucusque dicta sunt, sequenti ratiocinio colligo. Jure Canonico decernitur, ut si quæ mulier infidelis, viro ad Fidem converso, in sua infidelitate persistat, aut ei conjungi nolit, sine Creatoris contumelia, censeatur ei repudium impertiri, & quidem injuste; quare enim vir dumtaxat a Matrimonii vinculo liberatur? At vero jure Civili non absimili modo cavetur, ut uxor repudium marito suo injuste mittens, dotem & ante nuptias donationem amittat. Ergo præfata mulier infidelis renuens Fidem amplecti, & marito cohabitare sine Creatoris contumelia tum dotem, tum munera nuptialia amittit. 23

Duo huic Doctrinæ opponi possent. Primum, cui Baldi, & Everhardi conclusio innititur, ex eo petitur, quod Judæi ad Fidem amplectendam nequaquam sint cogendi. Ita Baldus loco citato: *Quia propter hoc quod non velit converti, non debet perdere dotem*, *quia nullus cogitur accipere Fidem*. Cujus vestigia secutus Everhardus, & ipse laudato loco eandem affert suæ sententiæ rationem his verbis: *Præsupposito quod Judæus nullo modo ad Christi fidem ... cogi aut compelli potest . . . . nec metu amissionis bonorum, vel dotis, ad Fidem sunt cogendi ... ut bene facit* Text. in cap. Qui sincera XLV. Dist. *ubi divus Gregorius rescribit*, *Judæos non molestiis aut vexationibus ullis; sed mansuetudine, ac blandimentis ad fidem Christianam permovendos esse*. 24

At fallitur uterque. Quis unquam somniavit infidelem uxorem dotis amissione cogendam esse ad Fidem amplectendam, quasi dotis amissio eo tenderet, ut compelleretur Judaismum ejurare; non vero justa esset pœna a legibus inflicta ob denegatam viro cohabitationem? Duo namque illa in femina sunt spectanda, ideoque numquam confundenda: perseverantia scilicet in sua infidelitate, & denegatio cohabitationis facta viro suo sine Creatoris contumelia: primum crimen Dei vindicis Tribunali puniendum relinquitur; alterum vero, quod verum repudium a Jure Canonico reputatur, dotis, aliorumque munerum amis- 25

missione civilibus legibus plectitur.

26 Porro S. Gregorii textus tantum abest ut Adversantium opinioni quidquam momenti superaddat, quin potius eam recta confodit. Sane S. Pontifex, tum in Epistola ad Petrum Episcopum Terracinensem, quæ est 35. lib. 1. Registri T. 11. Edit. Benedict. col. 524. tum in altera ad Cyprianum Diaconum Rectorem Patrimonii Siciliæ data, quæ est 8. L. V. col. 733. aperte dicit, non esse Judæos ad Fidem perducendos minis & terroribus; sed alliciendos esse *mansuetudine*, *benignitate*, *admonendo*, *suadendo*, & etiam temporalium beneficiorum oblectamento. At addit non esse a Fide repellendos *minis & terroribus*.

27 Quæro nunc in quanam sententia sanctissimi Pontificis statutum plenum suum sortiatur effectum? Siquidem si contrariæ doctrinæ standum sit, nedum Judæus ad Fidem Catholicam ejurandam non allicitur mansuetudine, benignitate, atque temporalium beneficiorum oblectamento; verum etiam ab ejuranda sua perfidia depellitur. Quis enim nesciat, quam facile sit virum infidelem, ac præsertim Judæum, cujus in mente vix Evangelici luminis splendor infidelitatis tenebras repellere cœpit, a Fide amplectenda deterreri, si animadvertat, fructum conversionis suæ esse restitutionem dotis, ceterorumque munerum? Adde usum obtinere apud Judæos hodiernos, ut via repudiis a lege permissis præcludatur, dotes præter modum augeri, ultra rei veritatem. Quin & ipsa mulier, quæ fortassis ex metu amittendæ dotis ad Fidem alliceretur, si certa sit, ex viri conversione futurum fore ut dos ei restituatur, in infidelitate magis magisque confirmabitur.

28 Ad rem afferre juvat verba Julii Morosini Neophyti doctrina & pietate insignis in Opere, cui titulus: *Via della Fede*, Romæ typis S. Congregationis de Propaganda Fide edito, ann. 1684. ubi quæstione hac exagitata Tom. II. pag. 1011. tandem pag. 1018. concludit: „ Confido pure, che la Santa Sede Apostolica, nè qualsivoglia altro Tribunale vedendo scoperti gl'inganni de' nostri avversarj, e i pregiudizj alla Santissima Religione che professiamo, permetterà, che la Sinagoga si vanti de' suoi artifizj, e ponga impedimenti efficaci alla conversione degli Ebrei, molti de' quali per quella pretensione de' Capi loro (su i donativi nuzziali) temendo di perder i beni temporali, s' astengono di lasciar l' Ebraismo.

29 Prima difficultate soluta, ad secundam convellendam jam propero. Ea autem desumi ex eo potest, quod Supremæ Inquisitionis Tribunal facile se se præbeat in concedendis dispensationibus, ut vir conversus ad secundas transeat nuptias absque interpellatione conjugis in infidelitate permanentis, num viro suo copulari velit absque Creatoris

30 contumelia. Quod quidem argumentum ex eo incrementum sumit, quod auctoritate roboretur celebris Ritualis Sacramentorum a Cardinali Sanctorio jussu Gregorii XIII. evulgati, cujus sæpe meminit Benedict. XIV. in opere de Synodo Diœcesana, alias typis Vaticanis impressi, ubi Titulo, *de recipiendis & instruendis Catechumenis*, pag. 127. hæc leguntur: „ Uxor conversi, si post omnem adhibitam diligentiam ad Fidem venire noluerit, sed obdurata in infidelitate permanserit, dimittatur: .... Neque cum ea cohabitet, propter periculum subversionis Fidei, & blasphemiæ, & contumeliæ in Creatorem; nisi propter spem & certa indicia futuræ conversionis uxoris, & Prælatus sincera mariti fide & stabilitate confisus, id ei ad tempus judicaverit permittendum. „ Hinc si Sancti Officii Tribunal dispensat, ne uxor interpelletur; si de facili non est permittenda cohabitatio virum conversum inter & uxorem infidelem; ut quid pœna plectenda est uxor in dotis amissione, quæ neque interpellatur; vel si interpellatur, etsi promittat se vivere velle absque Creatoris contumelia, non de facili ei cohabitatio cum viro suo conceditur?

Enimvero tota hæc difficultas, ut plausibilis videatur, oculi ictu evanescit. Atque imprimis, dum ego in ea sum sententia, ut sæpepræfata uxor omne jus ad dotis, munerumque nuptialium repetitionem amittat, eam suppono jure interpellatam fuisse super cohabitatione, atque eam hanc denegasse, vel si in eam inclinaverit, sarta tecta haud servaretur debita in Creatorem reverentia; tunc enim ipsa est in culpa; ipsa divertit a Marito innoxio; ac proinde ipsa de sua pertinacia debitas pœnas per dotis amissionem luere debet. Quod si sine ulla ejus noxa vir eam relinqueret, tunc quæstio pristinum suum mutat adspectum, atque alia evadit. Restat igitur inquirendum, utrum dispensatio frequens a S. Officio impertita, aut difficultas in concedenda cohabitandi licentia innocuam reddat uxorem. Si res ita se habeat, status quæstionis nostræ iterum mutatur. Quod si ipsa semper culpabilis perseveret, a justa animadversione a Legibus inflicta liberari neutiquam poterit.

Quænam porro causa est, cur dispensationes 32 hujusmodi facili negotio conceduntur; & e contra cohabitatio ex se licita & debita aliquando interdicitur? Haud multum insudandum nobis est, ut eam assequamur. Etsi enim, si theorice res spectetur, nullatenus repugnet, ut alter conjugum falsæ addictus sit Religioni, altero inter Christianos coadunato, attamen in praxi res semper periculi plena visa est, ut Christianus vir cum femina infideli, ac præsertim Judæa cohabitet. Promittet fortasse illa, se quidquam numquam moliturам fore, quod in Creatoris contumeliam vergere possit. At numquid stabit promissis? Quis cautam fidejussionem exhibebit? Si de Hæreticis Apostolus dicit I. ad Tim. cap. 2. vers. 17. *Et sermo eorum ut cancer serpit*; quid dicendum erit de femina erga maritum tenellæ adhuc fidei, veluti modo genitum infantem? Nonne universam dabit operam blanditiis, precibus, lacrymis, ut in animæ perniciem, Deique contumeliam, fidem quam amplexus est, ejuret, & ad pristinum vomitum revertatur? Hæc quotidie vidimus, & utinam non videremus, etiam tunc, cum uxor maritum in sua conversione comitatur.

Demus autem & in praxi, uxorem Judæam vi- 33
ro converso copulari posse, si merum Judaismum pro-

profiteatur, legem scilicet Mosaicam. At si præter legem Moysis, Rabbinismum sequatur, Talmudistarum instituta veneretur; qui fieri potest, ut ei, cum viro cohabitare indulgeamus? Nemo in Talmudistarum Theologia, nisi sit jejunus, ignorat sanguinariam, virulentam, atque detestandam legem, qua tenetur unusquisque Judæus interimere quemcumque, qui Judaicæ superstitioni valedicens, Jesu Christo vero Deo nomen dederit. Huic legi præcipue uxor adstringitur. Et ne quis me Sycophantam arbitretur, nefarias eorum decisiones, prout in eorum libris jacent, hic accipiat: Talmud, Tractatu Avodà Zarà, fol. 26. lin. ult. hæc habet: *Gentiles, Pastores animalium minutorum, non sunt extrahendi* de puteo (si in illum inciderint) *nec præcipitandi; at hæretici, & calumniatores, & Amesciumadim*, (id est Apostatæ seu Neophyti) *sunt præcipitandi, & non extrahendi*. Hinc Maimonides c. IV. num. 10. Halachoth Rozeach, hujusmodi præceptum inhumanum tradit: *Præceptum est occidere Israelitas illos, qui legem abnegant & prophetiam. Si est in manu ejus vis ad occidendum eos in gladio publice; occidet; alias veniat super eos prætextibus, donec occisionis eorum caussam quæsierit*, &c. Vis plura? Ea alter Rabbinus non minus Maimonide celebris. Is est Isaac Abravanel c. v. libri, *de capite Fidei*, p. 22. versionis Cl. Vorstii edit. Amst. 1638.

34 *Vide*, inquit, *verba Rab, quæ scribit sub finem articulorum his verbis*, &c. *Qui non credit cuilibet istorum articulorum, prout æquum est, & jam exclusus est a communione Israelis, atque negat radicem* (hoc est fidei fundamentum) *& vocatur hæreticus, atque Epicureus, atque excisor plantarum* (idest Judaismi abnegator), *ac tenetur homo hujusmodi odio prosequi, ac abominari, atque perdere istum. Et juxta hoc dicitur* Psal. 139. 21. *Nonne osores tuos odi, Domine?* Et ne mulierculæ ipsæ mandatum hoc satanicum ignorarent, anno 1654. seu potius ann. 1672. editus est Venetiis libellus inscriptus: *Sepher Emeth Veemunah* a R. Isaac Aruvas, hebraice atque italice editus, in quo eadem venefica doctrina, idemque micidiale præceptum Neophytos interimendi clare enucleateque firmatur. Ita enim habet pag. 127. post relata Abravanelis verba: *è precetto di odiarlo e di perderlo, e su lui fu detto già: quei che odiano te, o Signore, odierò*. Hebraice testimonia darem, si id necessitas exposceret.

35 Præmissa hujusmodi lege, numquam satis horrenda, quis non laudet æconomiam hodiernæ disciplinæ, qua facilis redditur dispensationis assecutio circa mentem uxoris, an convivere velit cum marito sine Creatoris contumelia? Quis non extollat monitum illud a prudentia dictatum, ne faciles se exhibeant Prælati in concedenda cohabitatione viri cum uxore infideli? Unum forte medium superesset: cogere videlicet mulierem ad ejurandam legem Rabbinicam, ei interdicendo quamvis cum Judæis ceteris communicationem, accessum ad Synagogas, & quemcumque actum, qui inter legis Mosaicæ limites non contineatur. Verum cum huic durissimæ conditioni impossibile sit, ut hodiernus Judæus subscribat; hinc optima est consuetudo dispensandi super interpellatione.

Concludo igitur, & dispensationem, & difficultatem assensus ad cohabitandum, nihil obstare 36
justæ pœnæ a legibus impositæ mulieri, quæ virum suum relinquit. Hujusce enim tum dispensationis, tum difficultatis causa est ipsa uxor, quæ præsumitur numquam cohabitatura sine Creatoris contumelia. Hæc præsumptio fundatur in facto, & in jure. Factum ex praxi constat: jus ex ipsa Judæorum doctrina. Hinc certo certius est, uxorem infidelem, si converti renuat, post conversionem mariti, omne jus amittere ad dotis, & ante nuptias donationum repetitionem.

Ceterum, si quæ contra hanc conclusionem extet definitio, omnia pro non dictis haberi volo.

NOMINA AFFINITATIS, & CONSANGUINITATIS. Vide verb. *Affinitas Art. I. num. 15. & 16.*

NOTARIUS.

NOtarius, cum creatur, jurare solet I. Quod conficiet instrumenta, & testamenta, de quibus fuerit rogatus, nil veritatis tacendo, vel falsitatis miscendo. II. Quod non revelabit, quod sibi secreto commissum fuerit, nisi justa de causa. III. Quod non conficiet scienter aliquod instrumentum de contractu usurario, nec de alio quovis illicito. IV. Quod retinebit de omnibus instrumentis, & testamentis, quæ dederit, regestum, seu protocollum. V. Quod erit fidelis ei, a quo fuit creatus Notarius, & admonebit eum die iis, quæ sciverit in ejus damnum vergere. VI. Quod nullo odio, vel amore, spe, vel timore officio suo abutetur. Navarr. *cap. 25. num. 52.* Nicol. *in Floscul. verb. Notarius num. 3.* Fagnan. *in cap. Sicut te 8. Ne Clerici vel Monachi n. 1.*

Notarii quicumque, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati, possunt ab Episcopo ut delegato Papæ examinari, & si non reperti idonei, vel inventi delinquentes, suspendi ab officio, vel perpetuo, vel ad tempus in causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus. Concil. Trid. *sess. 22. de reformat. cap. 10.* Talis facultas exami- 3 2
nandi Notarios competit etiam Prælatis inferioribus quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus. Sic decisum fuisse referunt Sellius *in Selectis Canonicis cap. 15. num. 16.* & Barbosa ad *d. sess. 22. de reformat. cap. 10. num. 2.*

Notarii intra mensem tenentur referre Epi- 4
scopo Legata Testamentorum ad pias causas sub pœna Excommunicationis & deinceps eorum instrumenta careant fide, si non exequuntur: *Concil. Ravennat. II. sub Clement. V. cap. 31.* Unde in Synodis Diœcesanis solet reponi inter casus reservatos; *Legatorum piorum a Notariis ultra mensem dilata revelatio*, uti de facto reperitur in Synodo

nodo Æsina acta anno 1683. & in Albanensi edita anno 1689.

5 Concilium autem Mediolanense I. *part.* 3. *tit. de piorum locorum administratione* statuit, quod Notarii intra tres menses a die mortis testatoris sub pœna excommunicationis teneantur manifestare Episcopo Legata, & Codicilla, facta ad pias causas, & debita mercede accepta, teneantur particulam illam Legati descriptam & sigillo munitam tradere Episcopo.

6 Unde Notarii tenentur ex officio etiam nemine requirente revelare Legata pia, alias peccant mortaliter. Navarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 53. Lazar. *Quæst. Canonic. sect.* 3. *q.* 1. *num.* 5. Vidal. *de Legat. inquisit.* 1. *num.* 64. Felix Potestas *tom.* 1. *n.* 2547. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 15. *n.* 8. *& tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 1. *num.* 16. cum pluribus aliis a se citatis, Graffius *decis. aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 127. ubi insuper dicit, quod Notarii non revelantes Legata pia teneantur ad restitutionem.

7 Notarii Fori Ecclesiastici tenentur intra mensem dare copiam appellanti, si petit soluta mercede congrua; si differant, privandi sunt officio, & condemnandi ad pœnam dupli valoris litis dandi pauperibus. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 20.

8 Notarii tenentur intra mensem revelare Legata facta Fabricæ S. Petri. Clemens VII. Constit. 8.
9 incip. *Admonet.* Notarii possunt a Fabrica S. Petri cogi ad dandum instrumentum Legati post obitum Testatoris, etiamsi clausum fuerit, data debita mercede. Pius IV. Constitut. 6. incip. *Etsi.*

10 Notarii quorumcumque Locorum tenentur in virtute s. obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum, ac solutione dupli revelare omnes dispositiones in favorem sacræ domus Lauretanæ factas, vel faciendas intra octo menses a die mortis disponentis extra Italiam, intra vero, infra tres menses. S. Pius V. Constitut. 56. incip. *ad Romani.*

11 Notarii facientes instrumenta Usurariorum, seu quorumcumque tales illicitos contractus celebrantium subjacent pœnis Usurariorum ipso facto;
12 *Conc. Ravennat. IV. sub Joan. XXII. cap.* 15. Et concordat *l. Jubemus* 14. §. 2. *de Sacrosanctis Ecclesiis*, ubi statuitur, quod perpetuo puniantur exilio Notarii, qui contractus illicitos ausi fuerint conscribere, ibi: *His Tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exilii animadversione plectendis.*

13 Laici possunt esse Notarii in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus. *Communis*, & patet experientia; pluribus enim in locis Actuarii, seu Cancellarii Episcopi sunt Laici. Et
14 Sacra Congregatio Immunitatis pluries decrevit, Cancellarios, seu Notarios Episcopi, licet sint Laici, gaudere privilegio Fori, aliisque exemptionibus. Vide verb. *Cancellarius a n.* 22.

15 Episcopus prohibere non potest Notariis Laicis exercendi officii usum in negotiis, & litibus profanis coram Judice Laico, neque in Territorio, seu ditione temporali Ecclesiæ, quia Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 10. *de reformat.* loquitur solum *de negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus*; adeoque non intellexit de litibus profanis neque coram Laico. Sic respondit Sacr. Congr. Episcopo Recanatensi, teste Fagnano *in cap. Sicut te* 8. *Ne Clerici, vel Monachi num.* 66.

Potest tamen Episcopus vigore facultatis sibi a 16
Concilio Trid. *loc. cit.* concessæ prohibendi Notariis minus idoneis repertis, ne in negotiis, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus suum exerceant officium, ipsis prohibere, ne illud exerceant quoad negotia, & lites Locorum Piorum a Laicis administratorum. Item ipsis prohibere etiam potest, ne illud exerceant quoad contractus personarum Eccle-
siasticarum super earum bonis patrimonialibus. Sic 17
quoad utrumque censuit *Sacra Congr. Concilii die* 1. *Decemb.* 1588. apud Fagnan. *loc. cit. n.* 67.

Notarii, seu Cancellarii Episcopi, seu Curiæ 18
Episcopalis quam mercedem recipere possint pro scripturis, & instrumentis, ad quæ teneantur, & quibus exemptionibus gaudeant? Vide verb. *Cancellarius per tot.*

Notarius proprius ab Episcopo assumendus est 19
in visitatione personarum Cathedralis Ecclesiæ, non illi tamen Capitulo suspectus. Sic decrevit Sacra Congr. Concilii apud Barbosam *in summa Apostolic. dec. verb. Notarius num.* 7. *& de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 73. *num.* 8. Episcopus uti potest Notario criminali civitatis, si sit vir probus, & advena, & sub quovis prætextu taxam non excedat. *Sacr. Cong. Episcop. in una Civitatis Castelli* 14. *Aprilis* 1615.

Generales, & Provinciales Religionum creare 21
possunt Notarios intra suum Ordinem pro causis criminalibus Religiosorum, ita ut illis tanta fides adhibeatur, quanta Notario sæculari. *Communis*, cum Barbosa supra Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 10. *de reformat. num.* 4. Portell. *In dubiis Regular. verb. Notarius a n.* 1. Roderic. *in compend. quæst. Regular. resolut.* 100. *num.* 1. Insuper S. Pius V. Constit. 124. incip. *Debitum Pastoralis*, concessit, quod Superiores Ordinis Prædicatorum, & consequenter etiam alii communicantes in privilegiis cum ipsis, ut notat Ameno *de pæn. tit.* 1. *q.* 16. *n.* 135. Matthæucc. *Officialis Curiæ quoad Prælatum Regularem cap.* 18. *n.* 38. & alii in unaquaque Provincia possint constituere etiam plures sui Ordinis Fratres ab eis approbatos in Notarios publicos pro intimandis mandatis, & rescriptis Apostolicis, faciendis instrumentis, & authenticandis transumptis publicam, vel privatam dicti Ordinis utilitatem concernentibus. Unde pro talibus Notariis creandis datur hic modus, & formula. Selectis igitur a Prælato Religiosis moribus, fide, doctrina, & peritia idoneis, ipsi coram eo genuflexi, tactis Sacris Evangeliis coram duobus, vel tribus testibus debent juramentum præstare de fideliter, & cum omni integritate dicto officio exercendo, ut infra: *Ego N. promitto, & juro Deo Omnipotenti, & SS. D. N. Papæ N. & tibi Patri, quod meum fideliter exercebo officium in omnibus, & per omnia. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Sic tradit Peyrin. *ad Constit.* 8. *S. Pii V. num.* 9. Matthæucc. *loc. cit. num.* 35. Prælatus autem recepto a Notario tali juramento tradit ei calamum, & atramentum dicens: *Accipe pote-*

potestatem notificandi, & intimandi pro ista Provincia quibuscumque personis, etiam Regibus, mandata, indulta, ac Privilegia Apostolica juxta Privilegia Ordinis concessa, faciendique publicos actus, & instrumenta &c. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

22 Testimoniales postea creationis in Notarium poterunt dari sub his terminis: *Nos Frater N. Minister Provincialis*, (si creatio sit Generali, varietur nomen) *vigore privilegiorum Apostolicorum creavimus, & constituimus, ac deputavimus in Notarium pro hac nostra Provincia R.P.F.N. virum moribus probatum, fide, & virtute idoneum ad intimanda, & notificanda quæcumque indulta &c. facienda quæcumque instrumenta, & authenticanda transumpta &c. recepto prius ab eo coram nobis genuflexo corporali juramento fidelitatis, tactis Sacris Evangeliis coram infrascribendis testibus. In quorum &c. Dat. &c.* Deinde fiant subscriptiones & juxta hanc formulam, variatis variandis, dari poterunt Litteræ Patentales. Sic apud Matthæucc. *loc.cit. num.35. ad 37.*

23 Inquisitores hæreticæ pravitatis possunt creare Clericos Sæculares, & Regulares in Notarios Sanctæ Inquisitionis pro causis ad eam spectantibus: Alexander IV. Const. 22. incipient. *Ne commissæ*. Notarii omnes omnia gratis pro officio S. Inquisitionis expedire tenentur. Clemens VIII. Constit. incip. *Sanctissimus*.

25 Clerici tum Sæculares, tum Regulares an, & quando, & pro quibus possint esse Notarii, vel non? Vid. verb. *Clericus art.3. n.64.*

26 Notarii, seu Tabelliones in pluribus peccant. 1. Si sine sufficienti peritia suscipiant Officium. 2. Si juramentum violent. 3. Si in depositione testium aliquid notabile, & momentosum addant, vel detrahant. 4. Si ministro transcriptori (cum erroris periculo) examen committant. 5. Si protocolla, & acta negligenter custodiant cum damno partium. 6. Si differant causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueant. 7. Si testamentum scribant hominis ratione destituti. 8. Si testes falsos admittant. 9. Si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili, vel malitia prætermittant. 10. Si testimonium aliquod necessarium unius rogatu, & alterius damno non exhibeant. Si conficiant instrumentum usurarium, vel falsum præsertim in damnum tertii. Si faciant, ut processus, & causæ veniant ad alios Judices, vel Referentes &c. quam ordo illius Tribunalis postulat, quia multum interest habere hunc, vel illum Judicem. 11. Si secretum violent v.gr. aperiendo parti adversæ dicta testium ante eorum publicationem. 12. Si parti petenti instrumenta occultent, præsertim quæ continent Legata. 13. Si acta occultent vel parti petenti transumptum processus negent. 14. Peccant graviter, si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingant. Sic litteraliter Busemb. *lib. 4. cap. 3. artic. 4. dub. 4. n.4.* & concordant alii communiter.

27 Notariatus officium esse vile multi Doctores tenuerunt, & multis annis fuit administratum per servos publicos, donec prohibitum fuit; Unde Notarii appellati fuerunt ab aliquibus personæ viles, & abjectæ. Rota *par. 1. recent. decis. 504. num. 3.* Fagnan. *in cap. Sicut te 8. Ne Clerici, vel Monachi num. 14.* cum aliis ibi citatis. Contrarium tamen alii sentiunt, & sustinent Notariatum esse officium nobile. Rota *part. 1. recent. dec.297. n.4. & dec.504. n.4. & par.7. dec.258. num.6.* Unde attendendam esse loci consuetudinem & quoslibet Notarios esse nobiles, quando loci consuetudo eos non reputat viles, censuit Rota. *part. 1. recent. dec.504. num.6.* Talis autem consuetudo viget in Civitatibus Ditionis Mediolanensis, ubi Notarii admittuntur ad Decurionatus, & Collegia, atque ad alios honores. Rota *par.1. recent. dec.297. n.5. & dec.504. n.6. & seq.* Quod etiam procedit in Civitate Veronæ. Rota *part.13. recent. dec.213. n.13.* Dicta tamen consuetudo non videtur posse extendi extra locum, aut Civitatem, nec ad diversos honores. Rota *par.1. recent. dec.297. num.6. & dec.504. num.7.* Ideoque non venit admittenda ad effectum assumendi habitum Religionis Hierosolymitanæ. Rota *ibidem*. Intellige tamen, nisi aliunde probetur nobilitas secundum statuta ejusdem Religionis, quo casu officium Notariatus non derogat, Rota *ibid. & num.8. & par.13. dec.213. num.12.* 29 30 31 32 33

35 Notario sibi obviam venienti Carolus V. caput inclinavit asserens posse illum renunciationem sui Imperii rogare, testibus Cotta *in Memorabil. verb. Notarius*, Fontanell. *de Pact. Nupt. claus.5. gloss.10. part. 1. n.65.* Arbusc. *in suis Facibus fol.75. n.50.* & Ursaya *in Miscellan. sacro, & profano litt.N.n.16.*

36 Notariatus Apostolicus conceditur quibuscumque etiam non nobilibus graduatis, neque constitutis in aliqua dignitate. Taxa cum Agentia sunt 4. scuta, 50. bajocchi. Romæ petitur hoc modo: Petitur Notariatus Apostolicus pro N.N. Diœcesis N. Presbytero, vel Canonico &c.

37 Protonotariatus Apostolicus, ut impetretur a Papa, debet persona, pro qua petitur, aut esse nobilis, au graduata in aliqua scientia Theologica, Juridica, aut Philosophica, vel esse in dignitate aliqua Ecclesiastica. Taxa sunt 24. scuta. Ejusmodi Protonotariatum dat etiam Dux Sforzia, aut alius. Taxa apud hunc sunt 6. aut 7. scuta, & 50. bajocchi. Modus petendi est iste. Petitur Protonotariatus Pontificius (vel Ducis Sforziæ) pro N.N. Diœcesis N. Canonico ibidem, vel Nobili, vel Magistro Philosphiæ &c. Sic tradit La Croix *lib. 6. part.3. sub n.931.*

38 Protonotarii, an, & quando exempti sint a Jurisdictione Ordinarii, & quibus privilegiis gaudeant? Vide verb. *Protonotarius*.

39 Notarii totius status Mediolanensis juxta ordines Regis Catholici ad Decretum renovatum sub *die 22. Julii 1679.* & mandato Excellentissimi illius Gubernatoris denuo promulgatum sub *die 18. Augusti 1695.* in omnibus testamentis, ac aliis ultimis voluntatibus, de quibus rogati fuerint, tenentur serio admonere, & exhortari Testatores, ut aliquam legent, seu relinquant eleemosynam pro conservatione, & manutentione Sanctorum nostræ Redemptionis locorum Jerusalem. Et Notarii totius Ditionis Regis Sardiniæ, ut ex ejus Regiis Constitutionibus *tit. de Notariis cap.5. n.2.* jubentur similiter serio admonere, & exhortari dictos Testatores, ut aliquam legent eleemosynam Hospi- 40

talibus Congregationum Caritatis Loci, aut Provinciæ ubi reperientur, ac Hospitali Ss.Mauritii &
41 Lazari. Et ipsi, aliique omnes Notarii sub pœna excommunicationis intra tempus *supra n.* 4. 5. 8. *&* 10. assignatum, tenentur revelare Episcopo, seu aliis ad id deputatis, dicta, aliaque omnia pia Legata. Sicuti etiam sub eadem excommunicationis pœna revelare tenentur intra duos menses a die rogationis aut obitus testatoris omnia relicta pro Redemptione captivorum, ex Constitutione Clementis VII. incip. *Exponi*.

43 Notarii exequentes Litteras Apostolicas offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 14. incip. *Pastoralis* §. 13. Notarii expedientes inhibitiones vigore appellationis in casibus non permissis, infamiam, & inhabilitationem incurrunt, & pœnas pecuniarias. Idem Const. 48. incip. *Ad Militantis*
45 §.40. Item expedientes Monitoria in causis ultra montes absque speciali Judicis rescripto. Idem *ibid.*
46 §.47. Item recusantes exequi citationes, & mandata Sedis Apostolicæ, & Curiæ Romanæ, vel alias executionem impedientes. Idem Constit. 42. incip. *Pastoralis regimin.* §.8.

47 Notarii quorum opera, & scientia Judæi conversi libellum repudii dederint conjugibus in Judaismo remanentibus, puniantur pœnis pecuniariis, & etiam aliis. Idem tom. 2. Constit. 38. incip. *Apostolici Ministerii*.

48 Terminus mensis a Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 20. *vers. Præterea* præfixus Notario suffraganei ad dandum acta, potest a Metropolitano abbreviari. *S.Congreg.Concil. in Castren.* 31. *Augusti* 1605. Apud Nicol. *in Lucubrat. tom.* 2. *lib.* 2. *tit.* 28. *n.* 82. & apud Joann. Baptistam Pittonum *Constitut. & decision. ad Episcopos, tom.* 1. *num.* 635.

49 Non potest Episcopus præcipere, ut Judices Synodales in causis sibi delegatis uti tantum debeant opera Notariorum Curiæ Episcopalis. *Sac.Congreg. Concil. in Pistorien.* 13. *Novembr.* 1627. *apud Nicol. in Floscul. verb. Judex num.* 25. *& in Lucubrat. t.* 2. *lib.* 1. *tit.* 29. *num.* 13. *& apud* Pittonum *loc. cit. num.* 982.

50 Instrumentum depositi rogari potest a quolibet Notario ad arbitrium Monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in Cancellaria Episcopali. *Sacr. Congreg. Episcopor. in Aquilana* 8. *Novembr.* 1612. Vid. supra *verb. Moniales artic.* 2. *num.* 21. *&* 22.

51 Notarius exul ab Urbe ob defectus in Officio commissos, non debet admitti in Tribunalibus Ordinariorum. *Sac. Congreg. Episcopor. in Interamnen.* 6. *Septemb.* 1613. apud Nicol. *in Floscul. verb. Notarius n.* 18. & apud Pittonum *loc.cit. n.* 133.

52 Non potest Episcopus prohibere, ne cæteri Notarii, præter solum Cancellarium Episcopalem possint rogari de instrumentis, quæ commodum locorum piorum concernunt. *Sac. Cong. Immunit. in Tudertina* 20. *Decemb.* 1667. apud Pascuc. *in Compend. ad Consultat.* Pignatell. *par.* 1. *tit. de Immunitat.Eccles. pag.* 442. & apud Pittonum *loc.cit. n.* 1588.

53 Notarius Episcopi non potest assistere simul cum eo electioni Abbatissæ in Monasteriis subjectis Regularibus, nec durante scrutinio permanere intra Ecclesiam. *Sacr. Congreg. Concil. in Tyburtina* 26. *April.* 1727. *ad* 2. *&* 3. *dub.* Vid. *tom.* 3. *verb. Electio artic.* 4. *n.* 100.

Notario Curiæ Episcopalis non tenentur uti Conservatores Regularium, sed possunt assumere quemcumque sibi benevisum. *Sacr. Cong. Concil. in Ferentina* 17. *Decemb.* 1667. Vid. *tom.* 2. *verb. Conservatores artic.* 2. *n.* 22. 54

Notarius seu Cancellarius Curiæ Episcopalis non debet admitti ad conscribendum actum electionis Abbatissæ Monasterii subjecti Regularibus, seu Notarius, seu Secretarius Superioris Regularis tantum. *Sac. Cong. Concil. in Wormatien.* 17. *Septemb.* 1746. *ad* 3. *dub.* 55

Additiones ex aliena manu.

De attestatione Notarii circa rasuram Instrumenti non inutile est hic agere. 56

Rasura Instrumenti regulariter suspectum illud reddit. At si Notarius attestetur se fecisse illam abrasionem, cancellationem, & interlineationem, cessat suspicio; Borel. *Consil.* 23. *n.* 21. *Stryk. Juridic. dissert. vol.* 1. *disput.* 6. *cap.* 3. *n.* 1.

Nota vero, Notarium attestationem hanc facere debere *incontinenti*, & ante appositionem signi, non post subscriptionem, nec in margine, quia tunc die, & testibus careret, sed in fine & in corpore Instrumenti, quando scilicet illi subscribit, illudque publicat; Stryk. *ubi supra n.* 2. 57

Quæstionis vero est; Num sufficiat generalis attestatio Notarii, an vero opus sit, ut accedat specialis? Placuit autem hæc distinctio, ut si plures in Instrumento reperiantur rasuræ, generalis attestatio haud sufficiat, sed exprimi in specie debeat locus particularis factæ rasuræ, cancellationis, vel additionis, in qua videlicet sit linea, in quo verbo. Sin autem unica tantum in scriptura sit rasura, vel cancellatio, satis superque sit generalis Notarii attestatio. Quinimo non desunt, qui tenent eam satis esse, si duobus in locis ejusdem Instrumenti facta sit rasura; Stryk. *loc. cit. num.* 4. 58 59 60 61

De eo etiam hic agendum; An & quando Notarius possit corrigere errorem? Porro ex intervallo postquam dedit Instrumentum Partibus, nequit Notarius errorem corrigere propria auctoritate sine judicis mandato, maxime si ipsæ partes contradicant; Idque quia functus jam est officio suo. Incontinenti vero posse, non dubitatur. Sed dubium est, quando dicatur corrigere incontinenti. Hoc enim in jure sumitur, interdum pro sex diebus, interdum pro tribus, & interdum pro momento. Stryk. *eod. loc. num.* 2. *&* 3. Conter. & Bartol. *in leg. Imperator ff. de stat. Homin.* qui latius an, & quando Notarius errorem corrigere valeat, discutit. 62 63

Nec incongrue paucis hic disserendum de Instrumentis confectis a Notario falsi damnato. Juris autem est compertissimi, Notarium post condemnationem nequire conficere Instrumenta, & confecta nihil valere, licet facta ad Pias causas; Stryk. *loc. cit. cap.* 5. *num.* 7. Farinac. *de Falsitat. quæst.* 155. *num.* 4. 64

Limitat vero Stryk. conclusionem hanc pluribus 65
in

in casibus: *Nisi* (inquit loco allegato) *condemnatio de falso fuerit facta per sententiam publice lectam, sed occulte & secrete &c. & nisi extra officium Notariatus commiserit falsitatem &c. vel perfecit si non privatus exercitio Tabellionatus &c. vel tantum quoad certam speciem ipsi prohibitum exercitium Notariatus E. G. in Palatio, vel in Gabella &c. vel nisi porro conficiatur inter volentes Instrumentum &c. vel si per Principem ad honores, & famam restituatur*.

66 Illud haud est omittendum, quod Notarius Instrumentum, quod ante condemnationem celebravit, & nondum publicavit, post condemnationem potest publicare; Stryk.

NOTORIUM.

1 NOtorium *est jus, vel factum transiens in notionem omnium, vel majoris partis eorum. Est in re communis* apud Fagnan. *in capit. Vestra* 7. *de cohabitat. Clericor. num.* 68. & colligitur aperte *ex cap. Quæsitum est* 10. *de cohabitat. Clericorum*, ibi: *Notorium per sententiam, seu confessionem factam in Jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit*, & concor-
2 dat *cap. Cum olim* 25. *de verbor. significat*. Dicitur autem Notorium, quia transit in cognitionem omnium, ut ex Saliceto notat Fagnanus *loc. cit.* nam per majorem partem totus populus repræsentatur, *l. Nulli* 3. *l. plane* 4. *ff. de Regul. juris*, ibi: *Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem*.

3 Manifestum autem prout distinguitur a Notorio, *est publica seu famosa insinuatio, vel proclamatio ex certa scientia, & certis auctoribus proveniens*. Ita *in re Communis* apud Fagnan. *loc.cit. num.*55. Dicitur *famosa insinuatio, vel proclamatio*, quia, ut quid vere dicatur *Manifestum*, debet concurrere fa-
4 ma cum veritate. Et ex hoc patet differentia inter Publicum, & manifestum, quod scilicet illud dicatur Publicum, quod est factum præsentibus multis, sed non est famosum; Manifestum vero quod secum habet famam, *arg. cap.* 1. *de postulat. prælator.* Fagnan. *loc.cit. num.*56. & alii. Dicitur *ex certa scientia, & certis auctoribus proveniens*, ut sic pateat sua differentia a *Famoso, & Rumore*: nam *Fama* non requirit certam scientiam, sed provenit
5 ex sola suspicione. Nec *Rumor* requirit certum Auctorem, sed provenit ex incerto Auctore, ut patet ex suis definitionibus mox dandis: Manifestum autem certam requirit scientiam, & certos auctores, qui per certam cognitionem habitam medio sensu corporeo verum testimonium dare possint. Fagnan. *loc. cit. num.* 63. Butrius, & alii ibi citati.

6 Fama est duplex, scilicet, fama de homine, & fama inter homines. Fama de homine scilicet bona *est illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus*; *l. Cognitionum* 5. §. 1. *De extraordinariis cognitionib.* prout originaliter descripsit Gloss. *in cap. Infames, verb. Infamia* 3. *qu.*47. Fama inter homines, de qua ad præsens, *est publica, seu famosa, & communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, & certo auctore proveniens*. Ita in re communis apud Fagnan. *loc.cit.num.*38. per text. *in cap. Sicut nonnulli, dist.* 46. & *cap. Sanctum, in fine, de consecrat. dist.* 4. *cap. Cum insinuante, de purgation. Canonic.*

Rumor est *particularis insinuatio, seu proclamatio ex sola suspicione, & incerto auctore proveniens*. 7
Ita in re Communis, apud Fagnan. *loc.cit. num.*44. per text. *in cap. Super eo* 5. *De eo, qui cognovit consanguin. Uxoris suæ, cap. Osius, de election. & cap. Veniens, circa princip. de Regular.*

Unde patet, in quo differant Fama, & Rumor; 8
Fama enim a certo auctore procedit, & Rumor ab incerto, & insuper fama est majoris partis Viciniæ; Rumor vero minoris partis, ut tertiæ, vel quartæ partis. Fagnan. *loc.cit. num.*44. cum aliis ibi citatis. Et sic Rumor est quid minus, quam Fama: Gloss. *in c. super eo* 5. *De eo, qui cognovit consanguin. Uxoris suæ*. Abbas *in c. Vestra* 7. *de cohabitat. Clericor. & mulierum, num.* 12. *in fine vers. Rumor vero*, Fagnan. *ibid. num.* 44. & alii.

Similiter Publicum est quid minus quam Mani- 10
festum, cum ad Manifestum requiratur Fama, non vero ad Publicum, & omne quod est manifestum, sit etiam Publicum, sed non econtra; *arg. cap.* 1. *de postulat. prælator.* Fagnan. *loc.cit. n.*56. Butrius, & alii. Item Manifestum proprie loquendo est 11
quid minus quam Notorium: omne enim, quod est Notorium, est etiam Manifestum, sed non econtra, *arg. cap. De hoc* 13. *de Simonia*, Abbas *loc. cit. n.* 12. Fagn. *loc. cit. n.* 54. & alii.

Occultum quamvis varie sumatur, præcipue ta- 12
men duplici modo aliquid dicitur occultum, scilicet proprie occultum, & pene occultum. *Proprie occultum* dicitur illud, quod nulla ratione probari potest. Fagnan. *loc. cit. n.*45. ubi testatur de communi, *arg. cap. unico, Ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*. *Pene*, vel *quasi occultum est*, quo probari quidem potest, sed solum difficulter, & per paucos v. g. per duos, vel tres, aut quinque. Nam secretum adhuc dicitur etiam illud, quod fit in præsentia quinque personarum antequam judicialiter sit discussum, *cap. Quis aliquando* 87. *de Pœnitent. dist.* 1. §. *Hæc ergo secreta, verb. Filiam Archisynagogi*, & notat ibi Gloss. verb. *Secreta*, observans *esse secreta, quæ fiunt sub præsentia quinque personarum*, & ideo donec clare fiat fides in judicio, ab Ecclesia toleratur, *cap. Vestra* 7. *de cohabitat. Clericor. & mulierum*, ibi: *Aliud est pene occultum quod ab Ecclesia toleratur*, & Glossa *ibidem verb. Occultum*, ibi: *Tamdiu reputatur occultum, licet plures sciant, quandiu ab Ecclesia toleratur*, utpote ad Judicium nondum deductum.

Notorium est triplex, scilicet Notorium Juris, 13
Notorium facti, & Notorium præsumptionis. Glossa communiter recepta *in cit. c. Vestra, verb. Notorium*. Notorium *Juris* est, de quo aliquis in Ju- 14
dicio condemnatus, aut in Jure confessus est. Ita in re Communis per textum *in cap. Quæsitum est* 10. *de cohabitat. Clericor. & mulierum*, ibi: *Notorium per sententiam, seu per confessionem factam in Jure*. Notorium *facti* est factum ita evidenter 15
exhibi-

exhibitum conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari. Ita in re Communis per textum *in cit. cap. Quæsitum*, ibi: *Aut per evidentiam rei; quæ tergiversatione aliqua celari non possit*, & *cap. Cum olim* 24. *de verb. signif.* ibi: *Aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari*.
16 *ri*. Notorium *præsumptionis*, seu *Notorium præsumptum* est dictum, vel factum ex publicis circumstantiis a Jure pro veritate acceptum, seu est evidentia Juris vehementer præsumpta. Ita in re Communis apud Fagn. *loc. cit. num.* 84. *& seq.* Exempla notoriæ præsumptionis sunt Paternitas, & Filiatio; nam quod aliquis sit alterius pater, vel filius, non potest vere probari, *l. Lucianus* 83. *ff. de conditionibus, & demonstrationibus*. Sed Jus præsumit vehementer esse filium, qui natus est de nuptiis, *l. Filium* 6. *ff. de his, qui sui, vel alieni Juris sunt*, ibi: *Filium enim definimus, qui ex viro, & uxore ejus nascitur*, & concordat *l. Quia* 5. *de in Jus vocando*, ibi: *Pater vero is est, quem nuptiæ demonstrant*. Vel quia publice pro filio habitus, & nominatus, atque altus fuit. Glossa communiter recepta *in cap. Michael* 13. *de Filiis Presbyterorum*, *verb. constiterit*. Idem solet exemplificari in infamato, cui indicta est purgatio canonica, & deficit, tunc enim is præsumitur esse reus criminis, *cap. Tua* 8. *de cohabitat. Cleric.*, *& mulier.*, *cap. Insinuatum* 23. *de Simonia*, Fagnan. *loc. cit. num.* 86. & alii.

17 Notorium facti adhuc est triplex, sicut & factum, scil. Notorium facti permanentis, Notorium facti transeuntis, & Notorium facti interpolati. Glossa communiter recepta *in cap. Manifesta* 15. *caus.* 2. *quæst.* 1. Fagnan. *loc. cit. num.* 78.
18 & alii passim. Notorium *facti permanentis* est, quod continuo sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, unde non indiget aliqua probatione, nisi inspectione oculari. Exemplum est de eo, qui detinet in domo, mensa, & lecto concubinam, omnibus scientibus, & videntibus filios natos, & nascentes, qui reddunt notoriam incontinentiam continuam, *arg. cap. priusquam*, *dist.* 29. *cap. Proposuisti dist.* 82. *cap. Consuluit* 14. *de appellationibus*, *cap. Tua* 8. *de cohabitat. Clericor. & mulierum*, *l. Si vicinis* 9. *Cod. de nuptiis*, cum similibus: Fagnan. *loc. cit. num.* 79. *& seq.* cum aliis ibi citatis.
19 Notorium *facti transeuntis* est quod transeunter sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ut cum quis in publica platea, seu via in conspectu totius populi aliquem occidit, & hujusmodi, *cap. Deus Omnipotens* 20. *§. quando autem caus.* 2. *quæst.* 1. Fagnan.
20 *loc. cit. num.* 82. & alii passim. Notorium *facti interpolati* est, quod non continuo, sed sæpius per intervalla, seu interpolate sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ut patet de Usurario publico, qui non continuo, sed interpolate mutuat ad usuras, *Cap. Cum tu* 5. *de usuris*, & sic de Meretrice notoria, quæ non peccat continuo, sed interpolatim, &
21 de similibus. Et hujusmodi Notorium *facti interpolati*, sicuti & Notorium *facti transeuntis* cum non habeat facti permanentiam, si subesse negetur, indiget probatione, *arg. cap. Consuluit*, 14. *de appellat.* ubi notatur quod multa dicuntur *Notoria*, quæ talia non sunt, adeoque ubi negentur, probari debent.

Ad hoc, ut aliquod factum dicatur vere, & pro- 22
prie Notorium notorietate facti, sufficit esse factum in præsentia majoris partis populi, Viciniæ Parochiæ, Collegii, Communitatis &c. dummodo tamen in tali Communitate non sint pauciores homines, quam decem. Quia decem constituunt populum, *arg. cap. Unic.* 3. *caus.* 10. *quæst.* 3. Glossa *ibidem verb. Mancipia*, & jam fuit dictum sub verb. *Collegium a num.* 5. *ad* 17. ubi fuit assignatum, quot requirantur ad constituendum Collegium, Universitatem, Congregationem, Familiam, Parochiam, Populum, Turbam &c. adeoque, cum ex citatis juribus *supra num.* 2. per majorem partem totus populus repræsentetur, id quod fit coram majori parte Communitatis, coram omnibus ejusdem, & sic *notorie*, fieri censetur. Abbas *in cap. Vestra* 7. *de cohabitat. Cleric. & mulierum num.* 16. Silvester verb. *Notorium qu.* 4. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 55. Salicet. *in l. Ea quidem* 7. *Cod. accusation. num.* 58. & alii passim *arg. cap. De manifesta* 16. *caus.* 2. *quæst.* 1. & Glossa *ibidem verb. Plurimis*.

Ad hoc autem, ut aliquid factum dicatur No- 23
torium *notorietate facti*, non requiritur, quod sit factum in præsentia majoris partis populi, quando populus in aliquo loco, vel Civitate est valde numerosus, quia nemo audebit dicere, quod in Civitate 600. mille hominum ad hoc ut aliquod factum dicatur Notorium, requiratur quod sit factum in præsentia 300. mille hominum, sed sufficit, quod sit factum in præsentia majoris partis Viciniæ, Parochiæ, Collegii, aut Communitatis, respectu cujus dicitur *Notorium*, & in similibus spectat ad prudentem & discretum Judicem declarare ex circumstantiis, & qualitate actus, loci, temporis, & personarum, an tale factum sit Notorium, vel non, cum circa hoc nihil habeatur in Jure definitum; *arg. l.* 1. *§.* 2. *de Jure deliberand. l. Continuis* 137. *ff. de verbor. obligat. & cap. De causis* 4. *de Offic. Delegati*. Sic Abbas *in cit. cap. Vestra n.* 16. Fagnan. *ibidem num.* 92. cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel *lib.* 5. *decr. tit.* 1. *a n.* 250. & alii.

In factis vere notoriis potest Judex procedere, 24
non servato Juris Ordine, & ea absque alia probatione punire. *Communis*, per clarissimos textus *in cap. Prohibentur* 14. *§. His omnibus caus.* 2. *qu.* 1. ibi: *Quæ manifesta* (idest notoria) *sunt, Judiciarium ordinem non requirunt*, *cap. Quæ Lotharius* 16. *ead. caus.* 2. *quæst.* 1. ibi: *In talibus* (scilicet notoriis) *Judiciarius ordo non requiritur*, *cap. Super eo* 3. *de testibus cogendis*, ibi: *Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem, vel ordinem Judiciarium non requirant*.

Unde ad punienda delicta *Notoria* non requiri- 25
tur accusator, denunciator, nec libellus, sed potest judex absque his ex officio procedere contra *notorie* delinquentem. *Communis* textu expresso *in c. Evidentia* 9. *de accusationibus*, ibi: *Evidentia patra-*

patrati sceleris non indiget clamore accusatoris; *cap. Manifesta* 15. *caus.* 2. *q.* 1. ibi: *Manifesta accusatione non indigent*. Clementin. *Sæpe* 2. *de verb.*
26 *significat. verb. Nos autem*, cum similibus. Nec requiritur productio, aut examinatio testium. *Communis*, textu expresso *in cap. De manifesta* 17. *caus.* 2. *qu.* 1. ibi: *De manifesta, & nota pluribus causa, non sunt quærendi testes*; *cap. Super eo* 3. *de testibus cogendis*, ibi: *Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari*. Cum enim Judex jam certus sit ex facto vere *Notorio*, non indiget per testes ulterius certiorari, *arg. cap. Eum qui* 31. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*.

27 In vere *Notoriis* nulla datur appellatio, & si appelletur, potest Judex procedere ad executionem pœnæ, non obstante tali appellatione. *Communis*, textu expresso *in cap. Cum sit Romana* 5. *de appellationibus*, ibi: *Qui de crimine impetitur, appellare potest, nisi sit notorium*; *cap. Pervenit* 13. *tit. eod.* ibi: *Si vero publicus est, & notorius, appellationis obtentu, non prætermittas quin eos excommunicatos denuncies, ipsosque facias, sicut excommunicatos, cautius evitari*, & concordant *cap. Consuluit* 14. & *c. Proposuit* 24. *tit. eodem*.

Additiones ex aliena manu.

28 Recte ait *Gloss. in c. Manifesta caus.* 2. *qu.* 1. *quotidie de notorio loquimur, quid autem si ignoramus*.

29 Non male autem describitur Notorium: *id quod omnibus, vel plerisque, ita manifestum, evidens, publicum, cognitumque est, ut nullo modo a quovis in dubium vocari possit, sed de quo omnes, vel plerique certam notitiam, & indubitatam fidem habent*.

30 Itaque *manifestum, evidens, notum, & cognitum* esse, per se non facit *notorium*, nisi item sit & *omnibus*, vel *plerisque* manifestum, evidens, notum, cognitumque, *ut nihil amplius dubii remaneat*.

31 Patet autem hinc, non omne *manifestum* esse *notorium*. Potest enim quid esse *manifestum*, quod tamen non omnibus, vel plerisque notum sit, & ita nec *notorium*. Idemque dici potest de *evidenti*. Quinimo nec omne *publicum* dici potest notorium. Aliquando enim dicitur publicum id, de quo per famam constat. Hoc vero dici nequit notorium, quum tergiversatione, seu exceptione quadam possit celari, & elidi.

32 Utile autem est hæc observasse; nam ex confusione *notorii* cum *manifesto, evidenti, & publico* nonnulli errores nati sunt. Huc pertinet quod dicitur communiter, *acta judicii facere notorium*.

33 Quot quæso negotia, & lites peraguntur & deciduntur in judicio, quæ tamen in paucissimorum hominum notitiam veniunt? Porro *notoria* hæc esse nemo, qui ob oculos habeat veram descriptionem *notorii*, affirmare potest. Vide & alios errores notatos a Stryk. *juridic. dissert. vol.* 12. *disput.* 4. *cap.* 1. §. 16. & *plur. seq.* qui una ex justa idea notorii rejicit divisionem, quam vulgo tradunt Doctores *notorii in notorium juris*, & *notorium facti*, & *notorii juris in notorium dispositionis, notorium præsumptionis*, & *notorium probationis*.

De notorio, an & quomodo probationem in judicio admittere possit, necne, vide Stryk. *ubi supra cap.* 2. *per tot.* 34

Effectus notorii plures vulgo tradi solent. Prior est, quod *in notoriis juris ordo non sit servandus*. At effectum hunc aliqui admittunt tantum in criminalibus, non item in civilibus. Sunt qui & in criminalibus hunc ipsum effectum admittunt, si agatur de *notorio facti permanentis*, nequaquam vero de *notorio facti transeuntis*. 35

Mihi vero eorum arridet sententia, qui tenent in notorio non esse causam ordinario modo discutiendam, sed summario absque strepitu & figura judicii discuti omnino debere, & sic omitti haud posse essentialia processus, aliqualem scilicet citationem, responsionem rei, demonstrationem, defensionem rei, & sententiam. Et hoc intellexit Summus Pontifex dum *in cap.* 2. *de jurejurando*, inquit: *Ordinem judiciarium non esse observandum* in notorio, ut observant *Gonzalez ibidem num.* 1. Stryk. *loc. cit. cap.* 3. §. 5. & *plur. seq.* qui confutat alios effectus, quos quasi rivulos ex hoc primo falso derivare solent DD. scilicet in *notoriis citatione opus non esse*, nec *libello*: *cessare litis contestationem*: *causæ cognitionem a parte Judicis non esse necessariam*: *nulli defensioni locum esse*: *nullam requiri sententiam*: *non esse admittendam appellationem &c.* 36

Alii *notorii* effectus tradi solent, videlicet quod *illud, tametsi non allegatum, Judex ex officio supplere valeat*, quod *tollat ignorantiæ præsumptionem*, quod *aliquando possit limitare leges, statuta, & rescripta*, quod *ferri super eo possit sententia die feriata*, quod *sententia valeat etiam sine scriptura*. At consule de iis animadversiones Stryk. *eodem loco cap.* 4. *a* §. 24. *ad finem*. 37

Confer etiam, ubi de *notorio* disserere occurrit, dissertationes Strauch. Eberhard. & Orthii.

NOVITIATUS, NOVITIUS, NOVITIA.

NOvitiatus annus institutus est, ut Religio probet mores Novitii, & Novitius austeritatem Religionis; textu expresso *in cap. Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus*, & *cap. Is qu.* 1. & *cap. Non solum* 2. *de Regularib. in* 6. Novitiatus annus, sive in masculis, sive in feminis, incipit solum a die susceptionis habitus, sive ab eo die, quo in habitu Religionis Novitii, seu Novitiæ incipiunt sequi communem aliorum Religiosorum, seu Religiosarum vitam; Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *cap.* 15. *sess.* 25. *de Regular.* 1

Alia plurima quoad Novitiatus annum, Vide verb. *Annus probationis, seu Novitiatus a num.* 3. *ad* 44. *usque in finem*, ne inutilis fiat repetitio. 3

Novitiatus de licentia Superioris, & ex justa causa potest fieri partim in uno Conventu designato 4

gnato, & partim in alio item designato; Sic declarasse Sac. Congr. Concil. referunt Passerinus *de statu homin. tom. 3. quæst. 189.* & Matthæucc. *Officialis Curiæ quoad Novitios cap. 34.*

5 Novitios ad habitum recipere, de Jure communi pertinet ad Prælatum, & Conventum simul, itaut nec Conventus sine Prælato, nec Prælatus sine Conventu possit ad Religionem aliquem recipere, ut habetur expresse *in cap. Novit 4. De his, quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli*, & concordant *cap. Quanto 5. & cap. Ea noscitur 6. eodem tit. & cap. Congregatio ultim. caus. 16. q. 7.*

6 Regulariter tamen debent attendi Constitutiones, Consuetudines, & Privilegia cujuscumque Religionis pro receptione suorum respective Novitiorum, prout aperte habetur *in cap. final. de Regular. in 6.* ibi: *Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto, nequibit novus Monachus a Conventu creari; alias poterit, si eorum creatio spectat ad utrumque insimul.*

7 Unde si Novitius in aliqua Religione recipiatur a non habente auctoritatem secundum suas peculiares Leges, seu Constitutiones, talis receptio est nulla, & ipse Novitius potest a legitimis Superioribus spoliari, & a Religione dimitti; *arg. cit. Jurib. sup. n. 5.* quia ex defectu potestatis, seu auctoritatis corruit actus; non enim valet, quod ab aliquo fit, quando id ab eo solo fieri non potest sine interventu, seu consensu, vel licentia alterius; *l. Titium 47. ff. de administrat. Tutor.* adeoque talis receptio ipso jure est nulla, ex quo facta sit contra Jus, quod irritat, & annullat contrarium factum; *l. Non dubium 5. Cod. de Legibus, & constitutionibus*, Donat. *prax. rer. Regular. tom. 2. part. 2. tract. 1. q. 4.* cum pluribus ibi citatis.

8 Novitii in Ordine Fratrum Minorum de Observantia non possunt admitti ad Professionem; nisi ter in anno Novitiatus, hoc est, quarto quoque mense per vota secreta a majori parte Fratrum in eo Conventu a duobus mensibus actu ibi de Familia existentium, habiles fuerint inventi; Sic expresse statuit Innocentius X. Constit. incip. *Ad*
9 *propagandam*. In paritate votorum debent vota ferri usque ad tertiam vicem, & si semper fuerint paria, debet Novitius expelli absque ulteriore computatione, nisi aliter in Domino censuerit Pater Provincialis, qui in hoc votum decisivum ferre, vel aliam computationem imponere potest, ut expresse fuit sancitum in novissimo Capitulo Generali Mediolani in Conventu S. Angeli celebrato *die 4. Julii 1729.* cui & ipse interfui, dum, licet immerito, Ministrum agerem Provincialem. Ibi enim in Constitutionibus pro Cismontana Familia *n. 48.* statutum fuit præcise, ut sequitur: *In paritate votorum, dum tertia vice feruntur pro Novitiis ad Professionem admittendis, statuitur, ut absque ulla ulteriori computatione Novitius expellatur, nisi aliter in Domino censuerit P. Provincialis, qui in hoc votum decisivum habere, vel aliam computationem imponere valeat.*

10 Religiosi consentientes, & concurrentes ad expulsionem Novitii habilis per denegationem suffragii absque legitima causa, peccant mortaliter, quia gravem injuriam faciunt Religioni eam privando idoneo Religioso, & etiam Novitio, qui peracto probationis anno, & habilis repertus jus habet ad Religionem, & insuper contrafaciunt in re gravi Concilio Tridentino, quod *cap. 16. sess. 25. de Regularibus* præcipit, ut Novitii reperti habiles, finito anno Novitiatus ad Professionem admittantur; Sic etiam peccant mortaliter Religiosi admittentes per sua favorabilia suffragia ad Religionem Novitios certo cognitos inhabiles, quia per admissionem talium inhabilium Novitiorum grave damnum, & deplorabile præjudicium infertur Religioni. *Communis.*

Novitii non tenentur ad statuta, & præcepta Regulæ ex debito justitiæ, quia nondum sunt proprie Religiosi, nec perfecte partes illius Religionis, ut dicitur expresse *in cap. Religioso 21. de sentent. Excomm. in 6.* & obligatio observandi Regulam ex debito justitiæ nascitur ex voto & promissione Professorum. *Communis*. Tenentur tamen ad ea ex quadam decentia, *quia dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam*, ut expresse dicitur *in cap. Recolentes 3. vers. Si enim, de statu Monachor.* Tum quia eorum probatio id exigit, ut probentur in spiritu, quo venerunt; *Communis.* 11 12

Novitii non subjiciuntur casibus reservatis a Superioribus suæ Religionis, nec casibus reservatis ab Episcopo loci, unde non possunt innodari Censuris, nec ab Episcopo, nec a Superiore Religionis, quia sunt in statu neutro, idest nec vere subditi Episcopi, nec Superioris Religionis, sed sunt in statu medio per abnegationem extremorum in odiosis; *arg. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*; Alphons. de Leone *de. potest. confessarii part. 2. recollect. 11. num. 137. & de Censuris recollect. 2. num. 265. in fine*; Graff. *in Appendic. lib. 1. cap. 7. num. 69.* Nald. *in Summa verb. Novitius*; Donat. *prax. rerum Regular. t. 2. part. 2. tract. 6. q. 2. n. 4. & 5.* cum aliis ibi citatis, *& ibid. q. 15. num. 2. & 5.* Tamburin. *de Jure Abbat. disput. 15. quæst. 6.* & alii. 13

Hinc Novitii possunt sine alia licentia absolvi a quolibet Confessario approbato pro Fratribus sine expressa exclusione Novitiorum. Vide verb. *Approbatio art. 2. num. 2. & seq.* Insuper Novitii absque licentia Prælatorum Ordinis possunt valide confiteri, & absolvi a peccatis etiam in Religione reservatis per quemcumque Confessarium, sive Sæcularem, sive Regularem ab Ordinario loci pro Sæcularibus approbatum. Vide *d. verb. Approbatio art. 2. num. 5. & seq.* 14 15

Novitii, seu Sæculares nondum induti, de brevi tamen induendi, & jam in Novitiatum admissi, ut sic sub obedientia Prælati, & disciplina Magistri Novitiorum per aliquot dies incipiant experiri Religionis austeritates, possunt a Confessariis etiam a solo Prælato Regulari approbatis absolvi ab omni excommunicatione, & Censura, etiam ab homine generaliter lata; D. Antoninus *3. part. tit. 24. cap. 77. §. 1.* Corduba *lib. 1. quæst. 30.* Rodriq. *tom. 1. Quæstion. Regular. quæst.* 20. 16

20. *art.* 21. & Communis aliorum per plurima privilegia ad id a Summis Pontificibus Regularibus
17 concessa. Immo si dicti Juvenes, dum sic sunt in Monasterio, infirmentur, possunt omnia Sacramenta recipere a Regularibus dicti Monasterii, & si decedant, possunt in eorum Ecclesia tumulari, inconsulto Parocho & quarta funeris non soluta: Tales enim gaudent omnibus Fratrum, & Novitiorum privilegiis, quia de proximo accingendus in favorabilibus habetur pro accincto; *l. penult. ff. de milit. testam. & l. Item Legato* 47. §. 1. *ff. de Leg.* 3. & partus conceptus (ut sunt tales Juvenes de proximo induendi, & jam stantes in utero Religionis) in his, quæ concernunt præservationem, ut producatur ad esse, gaudet privilegio natorum, prout aperte colligitur *ex l. Prægnantis ff. De pœnis, & l. Qui in utero ff. de stat. homin.* Donat. *loc. cit. tract.* 1. *quæst.* 18. *per tot.* cum variis aliis ibi citatis; Vide verb. *Moniales art.* 1. *n.* 61. & verb. *Sepultura* n. 31.

18 Novitii, & Novitiæ in articulo mortis existentes, etiam anno Novitiatus non completo, si sint in ætate legitima, possunt Professionem emittere: Sic expresse concessit S. Pius V. Novitiis Monialibus S. P. Dominici Const. incip. *Summi Sacerdotis cura*: qua concessione gaudent per communicationem etiam Novitii, & Novitiæ a-
19 liarum Religionum. Si tamen hujusmodi Novitii, & Novitiæ convaluerint, debent suo Novitiatus tempore completo iterum profiteri; Sic censuit *Sacr. Congr. Concil. in una Ordinis S. P. Francisci Min. de Observantia die* 20. *Mart.* 1649. *ad cap.* 15. *sess.* 25. *de Regularibus* apud Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 356.

20 Novitii, & Novitiæ gaudent omnibus Privilegiis suæ respectivæ Religionis, adeoque gaudent etiam Privilegio Fori, & Canonis; *cap. Religioso* 20. §. *Quamvis, de sentent. excommun. in* 6. & gaudent etiam Indulgentiis, quibus gaudent Professi; Pellizar. *in Manual. Regular. tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 7. *num.* 1. Portell. *de dub. Regular. verb. Novitius num.* 54. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decr. tit.* 31. *n.* 115.
21 & alii communiter. Insuper specialiter lucrantur Indulgentiam plenariam diebus, quibus Sacrum induunt Habitum, & Professionem emittunt, si confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; Paulus V. Constit. incip. *Romanus Pontifex*.

22 Novitii soli de more recitantes in Choro horas Canonicas satisfaciunt præcepto loco Professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus Communitatis, sive Collegium, scilicet saltem tres, quia tres faciunt Collegium, *l. Neratius* 85. *ff. de verb. significat.* ibi: *Neratius Priscus tres facere existimat Collegium, & hoc magis sequendum est*, & sic tenent Donat. *tom.* 2. *tr.* 6. *q.* 22. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 31. *num.* 116. & alii. Vide verb. *Officium divinum art.* 1. *num.* 43. & 44.

23 Beneficium Clerici ingredientis Religionem non potest ab Episcopo alteri conferri intra annum Novitiatus ipsius; *Communis* textu expresso *in cap. Beneficium* 4. *de Regularib. in* 6. ibi: *Beneficium illius, qui religionem ingreditur, non est infra probationis annum alicui conferendum*. Et interim du- 24
rante tempore Novitiatus per alium Beneficii functiones, & onera præstari debent, assignata ei congrua sustentatione de redditibus ipsius Beneficii; *Communis* textu expresso *in cit. cap. Beneficium*, ibi: *Sed interim eidem Beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione*.

Talis congrua quantitas determinari debet ab 25
Episcopo loci; Glossa *ibidem verb. Sed interim*, Barbosa *in d. cap. Beneficium num.* 8. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 4. *num.* 14. Pirhing *lib.* 3. *decr. tit.* 31. *n.* 76. Reiffenstuel *ibid. num.* 119. & alii communiter. Residui autem fructus reservandi sunt, at- 26
que restituendi Novitio, tamquam vero Beneficiato, si exeat; Sanchez *loc. cit. nu.* 19. Pirhing *loc. cit. n.* 76. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 119. & alii passim. Si vero Novitius Beneficiatus Professio- 27
nem emittat, restituendi sunt Monasterio; In illis enim succedit Monasterium, si successionis sit capax, sicut in aliis bonis Professi, nisi hic ante Professionem aliter de illis disposuerit; Sanchez *loc. cit. num.* 19. Pirhing *loc. cit. n.* 76. & alii; Reiffenstuel tamen *loc. cit.* vult restituendos esse non Monasterio, sed Ecclesiæ, seu ad causas pias applicandos tamquam fructus mere Ecclesiasticos superfluos.

Si Novitii Beneficium habeat annexum Jus eli- 28
gendi, seu suffragandi in Electionibus, ut si Novitius erat Canonicus alicujus Cathedralis, vacante intra annum sui Novitiatus Prælatura, si ipse velit Electioni interesse, excludi non potest; quia retinet adhuc verum suum Jus ad talem Electionem, cum nec Beneficio, nec fructibus, & effectibus ejus sit privatus. Sanchez *loc. c. n.* 10. Pirhing *loc. c. num.* 118. Suarez *tom.* 5. *cap.* 16. *n.* 16. & alii. Non est tamen necessario vocandus, & 29
ipso non reclamante, possunt alii ad Electionem libere, & valide procedere, quia cum se ipsum sponte a sæculo segregaverit, merito reputatur inter absentes, & remotos, qui nec solent, nec debent vocari. Glossa *in cit. cap. Beneficium, verb. Conferendum in fine*, Joann. Andr. & Franc. *ibid. num.* 2. Barbosa *ibidem num.* 13. Sanchez *loc. cit. n.* 10. Pirhing *loc. c. num.* 75. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 118. Silvester verb. *Religio* 5. *quæst.* 11. Suarez *loc. c. n.* 16. & alii.

Novitii, ut valide renunciationem, seu obliga- 30
tionem irrevocabilem faciant de suis bonis, & Juribus temporalibus, ultra solemnitates Juris communis, debent necessario observare alias duas specialiter statutas a Concilio Tridentino *sess.* 25. *de Regularib. cap.* 16. videlicet quod talis renunciatio fiat cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, & intra duos menses proximos ante Professionem, ibi: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante Professionem, ac non aliter intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione, aliter vero facta etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita & nullius effectus*.

31 Vi hujus Tridentini Concilii Decreti prohibentur, & irritantur omnes tam lucrativi, quam onerosi inter vivos contractus, quibus Novitii libertas deserendi Religionem possit aliqualiter impediri. *Communis*, arg. textus ipsius Concilii, ibi: *Ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium* (si huic renunciavit) *possideat* (seu alii possideant) *nec facile, si discesserit, id recuperare possit*. Et revera quod prohibeantur, & irritentur omnes tales contractus, aperte demonstrat Concilium per ly *nulla ..... obligatio*, nomine cujus veniunt omnes contractus, *arg. l. Omnes* 1. *ff. De Novationibus*, *l. Veluti* 25. *ff. de Verbor. obligation.* sicut econtra contractuum appellatione veniunt obligationes; *l. Labeo* 19. *ff. de verbor. signification.*

32 Item prohibentur, & irritantur omnes donationes notabiles, seu magni momenti, quia per ipsas recurrit finis Concilii: *Ne hac occasione discedere nequeat &c.* Donatio enim est vera species renunciationis, & obligationis. *Communis*, *argum.*

33 *citatis Juribus*. Item prohibentur, & irritantur omnes remissiones debitorum notabilium, quia tales remissiones sunt quædam species donationis, & renunciationis, quæ possunt minuere Novitii libertatem ad egrediendum contra finem expressum

34 Concilii Tridentini. *Communis*. Item prohibentur, & irritantur renunciationes, & donationes etiam Jurium ad futuras hereditates; Quælibet enim renunciatio potens minuere libertatem egrediendi declaratur a Concilio irrita, ibi: *Nulla quoque renunciatio*. Tales autem sunt dictæ renunciationes, & donationes etiam Jurium ad futuras hereditates, adeoque &c. *Communis*.

35 Vi dicti Concilii Tridentini non prohibentur, nec irritantur Testamenta, & aliæ dispositiones mortis causa factæ, adeoque semper valent, sive fiant ante ingressum Religionis, sive post ingressum quocumque die intra annum Novitiatus sine licentia Episcopi, aut ejus Vicarii, & etiam ante dictos duos menses proximos ante Professionem, dummodo habeant cetera alia Juris requisita, quia Testamenta, & aliæ dispositiones mortis causa factæ, ut Codicilli, donationes mortis causa &c. nec renunciationes, nec obligationes irrevocabiles sunt, cum toties, quoties voluerit Novitius, ante Professionem possit pro libitu suo ea revocare, adeoque cum sic nec in minimo lædant libertatem Novitii egrediendi a Religione, non prohibentur, nec irritantur a Concilio in dicto decreto, quod pro unico fine prohibitionis, & irritationis respicit conservationem talis libertatis Novitii egrediendi a Religione, ibi: *Ne hac occasione discedere nequeat &c.* Sic tenent Doctores communiter, & sic expresse declaravit *Sacr. Congr. Concil.* teste Fagnano *lib.* 2. *decret. cap. In præsentia* 8. *de probationibus num.* 50.

36 Item non prohibentur, nec irritantur illi Contractus onerosi, vi quorum Novitius tantum recipit, quantum dat, ut sunt emptiones, locationes, & hujusmodi; in his enim contractibus, nec in minimo læditur libertas Novitii exeundi a Religione, cum tantum recipiendo, quantum dat, nihil a parte rei perdat. *Communis*.

Item non prohibentur, nec irritantur renunciationes, & obligationes, quæ fiunt ante ingressum, & absque intuitu ingressus in Religionem, seu sine animo eam ingrediendi, quamvis postea progressu temporis ingressus contingeret, quia intentio Concilii sola fuit prohibere illas renunciationes, & obligationes, quæ fiunt intuitu Religionis, & liberum impediunt egressum, ibi: *Ne hac occasione discedere nequeat &c.* 37

Immo neque prohibentur, neque irritantur renunciationes, donationes, & obligationes factæ ante ingressum Religionis, etiam intuitu, & causa ipsius ingressus Religionis. Sic expresse Rota *part.* 5. *tom.* 1. *recent. decis.* 125. *num.* 24. ubi dicit sic declarasse *Sacram Congr. Concilii*, *& part.* 12. *decis.* 245. *num.* 6. & quod late discusso hoc articulo, sic fuit responsum *in Romana donationis* 1. *Februar.* 1640. *coram Reverendiss. Tarraconen. & in Romana successionis de Comitibus* 12. *Januar.* 1642. *coram Reverendissimo Decano* cum aliis pluribus congestis per Alden. *ad decis.* 586. *num.* 2. *part.* 5. *tom.* 2. *recent.* Quamvis enim adsint declarationes Sacræ Congregationis Concilii, in quibus declaratum fuit, Tridentinum comprehendere non solum donationes, & renunciationes factas a Novitiis intra duos menses proximos ante Professionem, sed etiam illas, quæ fiunt ante ingressum Religionis cum narrativa, & mentione expressi ipsius ingressus, vel cum conditione quatenus donans profiteatur. Rota *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 586. *num.* 17. Quæ fundatur in ea ratione, quod cum Concilium reprobaverit donationes a Novitiis non factas intra duos menses ante Professionem, ne ob timorem non recuperandi bona donata adimeretur Novitiis libertas egrediendi, ita ex eadem ratione censendas esse prohibitas donationes factas ante ingressum. Rota *ibidem num.* 18. *&* 19. Unde inferebatur, contrarium tenentes intelligendos esse de donationibus simpliciter, & sine mentione, neque intuitu ingressus factis. Rota *ibid. num.* 30. 38

Verum revocatis antiquis declarationibus, ead. Sacra Congr. Concilii declaravit, & per plura alia Tribunalia definitum fuit, dictum Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regularibus* non habere locum, quando donatio, vel renunciatio fit ante ingressum intuitu ingressus Religionis, *Annotat. ad decis.* 586. *num.* 22. ubi pro hac opinione referuntur 38. Auctores, & inter alios Passarell. *de privileg. Minorum cap.* 37. ubi refert, quod pro hac opinione fuit judicatum; Menochius *in addit. ad lib.* 2. *cap.* 430. *num.* 3. ubi miratur de Navarr. & Molina, qui tenuerunt contrarium; Roderic. *qq. Regul. tom.* 2. *quæst.* 47. *art.* 8. ubi dicit, quod pro hac opinione fuit judicatum, & refert, quod pro ea consuluerunt quamplures ibi nominati; Hector Capycius Latro *decis.* 31. *n.* 7. ubi dicit, quod hæc opinio frequentiori DD. calculo est approbata, decisionibus Supremorum Tribunalium roborata, & declarationibus Eminentissimorum Card. Sacr. Congr. Concil. sic est interpretata; Rota *in Tarentina donationis* 3. *Februar.* 1607. *coram Sacrato, & in Parmen. Transactionis coram Durand. decis.* 39

decis. 121. *n.* 39. *in impressis in Perusina hereditatis* 10. *Decemb.* 1620. *coram bonæ memor. Card. Virili*, Diana *resolut. moral. tom.* 3. *tract.* 2. *de dub. Regular. cap.* 55. ubi pro hac opinione refert de verbo ad verbum declarationem Sacræ Congr. Conc. Et hanc opinionem tenent Fagnanus *lib.* 4. *decretal. in cap. Statuimus* 23. *de Regularibus a num.* 42. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 5. *num.* 4. Donatus *prax. Rerum Regul. tom.* 2. *tract.* 7. *q.* 20. qui omnes referunt ita declarasse Sacram Congreg. Concilii, & Barbosa *in Summa Apostol. decis. verb. Renunciatio Novitii num.* 1. ubi cum pluribus aliis refert sic fuisse decisum a Sacra Congr. Concilii, & Collectan. *in Concil. Trid. cit. sess.* 25. *cap.* 16. *de Regul. num.* 18. ubi dicit, quod illa verba Concilii *Antea facta* intelligi debeant de renunciatione tantum facta post ingressum Religionis, ac proinde, quod sæcularis ante habitus susceptionem, & Novitiatus ingressum, possit etiam intuitu ejusdem ingressus valide de suis bonis disponere, illa renunciando, donando, seu obligando absque solemnitate requisita a Concilio *in d. cap.* 16. *sess.* 25. *de Regularibus*, & ibi citat Rotam, & 35. Auctores & in fine addit, quod ideo donationem factam per Filium Patri per paucos dies ante ingressum Religionis, seu habitus susceptionem intuitu, & contemplatione ejusdem Religionis esse validam tuetur expresse Aldan *in Compend. Canonicar. resolut. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 15. ubi refert sic fuisse decisum *sub. die* 13. *Aprilis* 1630. Et hanc sententiam probabilem censent Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 7. Pirhing *lib.* 3. *decr. tit.* 31. *num.* 81. & alii plures, Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 31. *n.* 142. quamvis ipse *ibidem a n.* 145. *ad* 152. cum pluribus aliis defendat contrarium, uti etiam defendunt 15. Doctores apud Barbosam *loc. cit. num.* 18. *in fine*, existimantes renunciationem, seu donationem factam ab existente adhuc in sæculo prætextu, & intuitu ingressus Religionis nullam, & invalidam esse sine solemnitate requisita a Concilio *loco citato*.

40 Ratio autem nostræ sententiæ est, quia cum dictum Decretum Concilii sit correctorium Juris communis, non debet intelligi, nisi in casu suo, nec est extendendum ad alios, quamvis paritas urgeret rationis, *Annotat. ad decis.* 486. *n.* 23. *part.* 5. *tom.* 2. *Rot. recentior. arg. cap. Quæ a Jure* 28. *de Regul. jur. in* 6. ibi: *Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*; Tum quia in dubio textus est intelligendus juxta Rubricam sub qua existit, cum unusquisque textus congruis subdatur titulis; *arg. l. Dedit nobis* 3. §. 13. *Si quid autem*, *&* §. 18. *Si vero*, cum similibus: Rubrica autem Concilii est *de Regularibus*, qualis non est qui adhuc existit in seculo, quamvis Religionem ingredi intendat, adeoque &c. Tum etiam quia dictum *cap.* 16. *sess.* 25. est continuativum *cap.* 15. immediate antecedentis, ut patet ex illa particula *quoque* sub initio posita, ibi: *Nulla quoque renunciatio*, cujus dictionis natura est copulare sequentia antecedentibus; *arg.* §. 7. *Prætorum quoque*, *tit.* 2. *Institutionum de Jure naturali*. Cap. autem 15. immediate præcedens expresse agit de solis Novitiis, ut clare patet ex textu, adeoque etiam de solis Novitiis est intelligendum *d. cap.* 16. immediate sequens per illam particulam *quoque* cum antecedenti copulatum.

Unde hanc sententiam mordicus tuetur Fagnan. 41
in citat. cap. Statuimus 23. *de Regularib. a num.* 42. *ad* 47. ubi testatur eam contra Navarr. sæpius probasse Sacram Cong. Concilii; aliquando enim, dicit ipse, censuit *d. cap.* 16. *sess.* 25. *de Regularibus*, sibi locum non vindicare in donationibus factis ante susceptum habitum probationis, sicuti etiam reperitur adnotatum in calce prædictorum *Consil.* Navar. 81. *&* 82. & alias consulta: *An illud caput comprehendat renunciationes factas ante ingressum, illius tamen contemplatione*. Respondit: *non comprehendere renunciationes factas ante ingressum, hoc est ante habitus susceptionem*; Quinimmo præsuppositis duabus Congregationis declarationibus super *d. cap.* 16. altera, quod minime infringantur renunciationes factæ ante ingressum Religionis, altera, quod ex eo Decreto renunciationes factæ in ipso ingressu non valeant; Quæsitum est: *an cum Clarix Buccapadulla renunciaverit bonis tam paternis, quam maternis eadem die, qua ingressa fuit Monasterium, prædicta ejus renunciatio sufficiat, an nova requiratur ante professionem, juxta formam a Concilio præscriptam? Die* 22. *Jun.* 1613. *Sacr. Congr. censuit Decretum d. cap.* 16. *non vindicare sibi locum in renunciationibus factis ante actum seu momentum susceptionis habitus, ac propterea ex eo decreto suprascriptam renunciationem non esse nullam*. Sic ad litteram refert Fagn. *loc. cit. num.* 47.

Novitii sine solemnitatibus a Concilio *in d.* 42
cap. 16. requisitis, possunt valide, & licite facere modicas eleemosynas, & modicas donationes Deo, seu B. Mariæ, vel Sanctis, quia in similibus modicis eleemosynis, & donationibus respectu bonorum, & facultatum Novitii cessat finis prohibitionis Concilii, nempe: *Ne hac occasione discedere nequeat*. Garcias, Azorius, Lezana, Tamburin. Sanchez, Peregrin. & alii citati, & secuti a Barbosa *supra d. sess.* 2. *cap.* 16. *n.* 7. *&* 8.

Renunciatio facta ad favorem Patrum societatis 43
Jesu per Novitium inter Patres dictæ Societatis est valida, non obstante, quod non fuerit facta cum licentia Episcopi. Sic decisum fuisse *in Neapolitana* 20. *Martii* 1621. referunt Sellius *in Selectis Canonic. cap.* 19. *n.* 15. & Barbosa *super Tridentin. d. sess.* 25. *cap.* 16. *num.* 19.

Immo Novitii Societatis Jesu possunt renunciare 44
bonis in favorem Societatis, vel cujuscumque, non servata forma Concilii, vel expectato bimestri proximo ante Professionem. Aldanus enim *in Compend. Canonic. resolut. lib.* 1. *tit.* 16. *n.* 10. & Barbosa *loc. cit. n.* 41. referunt fuisse decisum, quod Patres Societatis Jesu dicto Decreto Concilii non solum excepti sunt quoad emittendam Professionem, sed etiam quoad obligationes, & renunciationes, adeo ut hæ etiam ab eorum Novitiis quandocumque, & sine cujusvis licentia factæ, nullitati dicti Decreti minime subjaceant.

Novitiis Societatis Jesu, qui post Vota simpli- 45
cia, ante tamen solemnem Professionem a dicta Societate ab ejusdem Præposito Generali juxta facul-

cultatem sibi a Sede Apostolica concessam dimittuntur, nulla ab eadem Societate debentur alimenta; aut congrua substentatio, licet dum in ea viverent, titulo Religiosæ paupertatis ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promoti fuerint. Sic novissime statuit Benedictus XIII. Constit.45. incip. *Injuncti Nobis*.

46 Novitius habens Beneficium Ecclesiasticum, nequit illud renunciare, non servata solemnitate a Concilio requisita. Sic declaravit *Sac. Cong. Concilii* apud Fagnan. *in c. Statuimus* 23. *de Regularib. num.* 19. & Matthæuc. *Officialis Curiæ cap.*43. *n.*31. & tenent Flaminius *de resignat. Benefic. lib.*3. *q.*13. *a num.* 4. Sperell. *dec.*17. *num.*49. Novar. *in Lucerna Regular. verb. Renunciatio bonorum n.*4. Tamburin. *de Jure Abbatum tom.* 3. *disput.* 6. *qu.* 10. *num.* 3. Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 12. Sanchez *lib. moral. cap.* 5. *n.* 38. Majol. Campanil. Azorius, Molfesius, Caval. Miranda, & alii plures apud Barbosam *super Tridentin. loc. cit. num.* 13. quamvis ipse cum Garcia teneat contrarium.

47 Donatio facta a Novitio cum solemnitate a Concilio requisita, ad hoc, ut sit firma, requiritur, ut Professio sit valida. Sanchez *lib.*7. *moral. c.*5. *num.*55. Lezana, Tamburin. Peregrin. Bartholomæus a S. Fausto, Peyrin. citati, & secuti a Barbosa *loc.cit. num.*15. Unde si Novitius ad sæculum redeat, vel forte moriatur ante factam validam Professionem, donatio irrita est. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.*3. *allegat.* 99. *n.* 11. *& loc. cit. num.*15. cum Navarr. Sanchez, Passarel. Bartholomæo a S. Fausto, Honded. Fr. Emman. Peyrin. Bartholom. de Vecchis, Peregrin. ibi citatis, Fagnan.*in cit.cap.Statuimus num.*35.*&* 36.ubi refert sic fuisse decisum a Sacra Congregatione Concilii.

48 Ratificata vero Professione, si illa nulliter emissa fuerit, censetur quoque renunciatio ratificata, & valida, dummodo in ratificatione expresse non declaret se nolle denuo bonis renunciare. Vide *infra num.* 65. Barbosa *loc. cit. num.*16. cum Aloysio Riccio, Tamburin. Sanchez, Peregrin. ibi citatis.

49 Novitius si servata solemnitate Concilii renunciaverit legitimam, & emissa Professione sit factus Episcopus, recuperat jus succedendi in d. legitima etiam quoad renunciata, ad favorem tamen suæ Ecclesiæ. Sic decisum fuisse *sub die* 11.*Januar.*1631. referunt Aldan. *in Compendio Canonic.resolut. lib.*2. *tit.* 9. *num.* 10. & Barbosa *supra Concil. loc. cit. num.* 17.

50 Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum Religionis, & durante Novitiatu aliud condere. *Communis*.

51 Novitius in testamentum nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post Professionem, quia per Professionem sibi adimit omnem facultatem testandi. *Communis*, & sic expresse statuit *Sac. Congreg. Concilii in Neapolitana* 5. *Julii* 1628. respondens non sustineri reservationem de aliquibus bonis sibi factam a quodam Milite Hierosolymitano in renunciatione facta bonorum ante Professionem sub prætextu, ut de reservatis testari posset, apud Barbos. *super Trident. loc.cit.*

52 *num.*22. Potest tamen Novitius in suo Testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam post suam Professionem quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annuum Legatum, vel ne quid de eis alienetur, & hujusmodi; Talis enim dispositio, cum sit facta in tempore, quo ipse libere poterat disponere de suis bonis, valet pro semper quoad licite in ea disposita. *Communis* cum Fagnan. *lib.* 2. *decretal. cap. In præsentia* 8. *de probationibus num.* 13.

Novitius si ante Professionem testari omittat, 53
succedit in ejus bona, actiones, & Jura Monasterium, si sit capax bonorum. *Authent. de Monachis §. Illud quoque*, *Authent. Ingressi*, *Cod. de Sacrosanctis Eccles. cap. Quia ingredientibus* 7. *cap. Perlatum est* 8. *cap. Si qua mulier* 9.*caus.* 19. *qu.* 3.*cap. In præsentia* 6. *de probationibus*, cum similibus; Si autem Monasterium sit incapax successionis, uti Religio nostra Seraphica, succedunt consanguinei ab intestato. *Communis*.

Post Professionem emissam non potest Religio- 54
sus testamentum ante Professionem factum revocare. *Communis*, *arg. c. Quia ingredientibus* 2. *de testam. c. Non dicatis* 11.*caus.* 19.*q.* 1.*cap. Quia ingredientibus* 7.*caus.* 26.*q.* 3.*Authent. Ingressi*, *Cod.de S.S. Eccl.* cum similibus. Potest tamen testamen- 55
tum suum ante Professionem factum declarare, præcipue si testamentum dubiæ, & obscuræ voluntatis interpretatione indigeat, ipseque Religiosus declarationem verbis convenientem proferat. Sanchez *lib.*7. *moral. c.* 11. *n.* 16. Gozzadin. *consil.* 41. *n.*15. 16. 17. Fr.Emmanuel. *tom.*3. *qu.*69. *art.*3. Reginald. *lib.*18. *c.*27. *n.*397. Moneta *de commut.ultim. volunt. c.*5. *q.*1. *n.*14. Barbosa *sup. Trid. loc.cit.n.*12. Cum aliis ibi citatis contra Covaruv. *in cap.*2. *de testam. n.* 5. *&* 9. Mirandam. *in Manual. Prælator. tom.* 1. *q.* 23. *art.* 10. Navarr. *in c. Non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. existimantes non posse Religiosum Professum testamentum ante Professionem a se factum post Professionem declarare.

Monasterio nihil, exceptis victu, & vestitu, po- 56
test tribui a parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus Novitii ex bonis ejusdem Novitii sub pœna Ecommunicationis incurrendæ a dantibus, & accipientibus, textu expresso in Concilio Tridentino *cit. sess.*25. *de Regularibus c.* 16. ibi: *Sed neque ante Professionem excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ut hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit, quin potius præcipit Sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant.* Fagnan. *in cit.cap. Statuimus num.*49.*&* 50. & alii communiter.

Immo sub eadem pœna neque potest aliquid 57
dari, & recipi ex bonis propriis parentum, vel consanguineorum: Quamvis enim Concilii verba videantur restricta ad bona ipsius Novitii, tamen proposito dubio: *An quod disponitur cap.*16.*sess.*25. *de Regularibus, ne de bonis puellæ aliquid Monasterio*

sterio ante Professionem tribuatur sub pœna anathematis, habeat locum, etiamsi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed parentum, vel consanguineorum? Sacra Congreg. censuit habere locum.
58 Sic refert Fagnan. *loc.cit. num.* 55. Unde pater nequit dare paramentum Altaris Religioni, ubi eius Filius est in Novitiatu. Sic fuisse decisum 22.*Aug.*
59 1617. refert ex Sellio Barbosa *loc.cit. num.*45. Insuper neque Novitius potest in ingressu aliquid donare Monasterio, etiamsi sit sui juris, & non habeat parentes; proposito enim dubio: *An si Novitius sit sui Juris, & non habeat parentes, possit in ingressu Religionis præter victum aliquid donare Religioni amore Dei? Sacr. Congr. censuit non posse, ex verbis expressis d. cap.*16. ita refert Fagnan. *loc. cit. num.* 56.

60 Excommunicatio lata a Concilio Tridentino in dantes, & accipientes aliquid ante Professionem Novitii non incurritur ipso facto, nec est Sedi Apostolicæ reservata. Sic declaravit. *Sac. Congr. Concil.* teste Fagnano *loc.cit. num.*59.

61 Pacta, seu conventiones, quibus Regulares utriusque sexus exigunt a parentibus Novitii; seu Novitiæ aliquam pecuniæ summam convivii causa, tempore ejus Vestitionis, vel Professionis, prohibentur sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Papæ reservatæ; textu expresso *in*
62 *Extravag. Sane* 1. *de Simonia*. An autem hujusmodi pacta sint etiam comprehensa in dict. cap.16. Concilii Tridentini? *Sacra Congr. censuit Decretum d. cap.*16. *ad hunc casum non pertinere, sed id prohiberi Constitutione Urbani IV. quæ incipit: Sane. Ceterum quia ex consuetudine Mediolanensi recepta, & a bonæ mem. Cardinali S. Praxedis tolerata, passim hujusmodi convivia exhibentur, consultius putavit, nihil responderi*. Sic refert Fagnan.
63 *loc. cit. num.* 58. Ast vide verb. *Moniales art.* 2. *a num.* 52. *ad* 63. verb. *Simonia art.*1. *a n.*20. *ad* 27.

64 Monialibus prohibitum est dotes accipere ante Professionem Novitiarum etiam sub nomine depositi, quamvis præstetur cautio de illis restituendis, Professione non sequuta. Sic colligitur *ex cit. cap.*16. *Tridentini*, & expresse declaravit Sac.Congr. apud Fagnan. *loc. cit. num.*15.

65 Hinc improbatur cautela, ut depositarius totum, quod in depositum recipit, Monasterio consignet ante Novitiarum Professionem; Orta enim dubitatione, an cautela adinventa a Monialibus Civitatis Alexandrinæ, ut quando aliqua puella Monasterium ingreditur, depositum dotis prius fiat, & deinde omne id, quod in depositum recipitur, totum depositarius ipsi Monasterio ante Professionem consignet, sit contra dispositionem Concilii Tridentini *c.* 16. *sess.*25. *de Regularibus vers. Neque ante Professionem? Sacr. Congregat. censuit Decretum Concilii dict. cap.*16. *non prohibuisse quidem hujusmodi depositum, sed quod pecuniæ sic depositæ dentur Monasterio directe, vel indirecte, & in specie modo hic descripto, videri omnino prohibuisse. Et licet alias Sacra Congregatio in casu Neapolitano visa fuisset sentire, posse dari, præstita idonea cautione bancaria, tamen nunc censuit non scribendum amplius in futurum secundum illam sententiam, sed secundum istam posteriorem, ut nullo modo detur Monasterio, nec cum deposito, nec sine*. Sic refert Fagnan. *loc.cit. n.*53.

Novitio egredienti, vel ejecto restitui debent 66
omnia bona, quæ secum tulit, nec quid minimum ex eis retinere possunt Superiores Regulares, quod, ut recte fiat, Episcopus potest etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, eos ad id compellere; textu expresso in Concilio Tridentino *d. cap.* 16. ibi: *Abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod ut fiat, Episcopus etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat*.

Immo Novitio exeunte, aut decedente ante se- 67
quutam Professionem, nec retineri possunt per Monasterium bona ipsi donata etiam servata solemnitate, & forma Concilii. Cum enim duo Novitii Religionem ingressi, bona sua Monasterio, servata forma Concilii, donassent, posteaque uterque decessisset, sed alter revocata, alter vero non revocata donatione: Fuit dubitatum, an Monasterium posset retinere bona saltem illius, qui donationem non revocavit? *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit neutrius bona posse retineri per Monasterium, cum non sequuta Professione, nulla fuerit renunciatio*. Sic refert Fagn. *in cit.cap. Statuimus* 23. *de Regularibus num.* 36.

Habitus tamen Religionis non est restituendus 68
Novitio exeunti, sed illius pretium. Sic decisum fuisse *a Sac. Cong. Concil.* referunt Novarius *in Lucerna Regular. verb. Habitus num.*6. Lezana *in summa qq. Regular. tom.*1. *cap.*25. *num.*38. Barbosa *super Trid. loc.cit. n.* 51. *in summa Apostolic. decis. verb. Habitus n.* 9. *& de Officio & potest. Episc. allegat.* 101. *n.*93.

Novitius sponte, vel coacte egrediens tenetur 69
solvere expensas in sui victum, vestitum, & in alia necessaria, ac consueta a Monasterio factas, si de earum solutione pactum intercesserit inter Novitium, & Monasterium, aut extet legitima consuetudo eas solvendi. *Communis, arg. Concil. Trid. cit. sess.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus*, ubi prohibetur aliquid dare, vel accipere de bonis Novitii, *excepto victu, & vestitu*, adeoque cum ex Concilio liceat aliquid dare, & accipere pro victu, & vestitu, potissimum erit obligatio dandi, ubi intercesserit pactum, *argum. cap. Antigonus* 1. *& cap. Qualiter* 3. *de pactis*, & ubi adsit legitima consuetudo, *arg. cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*.
Non tenetur tamen Novitius solvere dictas expen- 70
sas, ubi non intercesserit tale pactum, aut non extet talis legitima consuetudo, ut in nostra Religione de corpore Observantiæ, & Capuccinorum, ubi nihil recipitur, nec potest recipi pro alimentis, & similibus a Novitiis, ut recte observat Matthæucc. *Officialis Curiæ cap.* 34. *num.* 30. & alii passim.

Dos Novitiæ decedentis ante Professionem de- 71
bet heredibus restitui una cum fructibus, deducto tamen illius victu, & vestitu. Cum enim dubitatum fuerit: An si mulier ingressa Monasterium intra tempus probationis decedat, dos soluta, ejus heredibus una cum fructibus, si quos Monasterium percepisset, restitui debeat? *Sacr.Cong.censuit,*

suit, ita debere, deducto tamen victu, & vestitu Novitiæ. Sic refert Fagnan. *loc. cit. num.* 38.

72 Immo hoc etiam procedit, non obstante pacto, ut si puella post annum decesserit, facta, vel non facta Professione, dos Monasterio acquiratur; Proposito enim dubio de quadam puella, quæ Monasterium ingressa est cum pacto, ut si infra annum moreretur, dos restitueretur dotantibus, si vero post annum facta, vel non facta Professione, acquireretur Monasterio, stetit ibi per annum, & menses cum velo albo, in quo incedunt Novitiæ, cum tamen Professæ incedant cum nigro, & nulla facta expressa Professione postea decessit. *Sac.Congr. censuit secundum ea, quæ proponuntur, dotem esse restituendam heredibus defunctæ.* Sic refert. Fagnan. *loc. cit. sub num.* 38. Vide verb. *Moniales art.* 1. *a num.* 98. *ad* 100.

73 Licentia Episcopi, seu ejus Vicarii requisita pro renunciatione facienda a Novitio intra duos menses proximos ante Professionem debet intervenire in ipso actu renunciationis. Rota *in Romana Fideicommissi* 15. *Novembris* 1624. *coram Reumboldo*, Barbosa *supra Concilium Trident. cit.sess.*25. *cap.*16. *de Regularib. n.* 33. & alii communiter.

74 Episcopus confirmatus nondum consecratus potest concedere in sua Diœcesi Novitio talem licentiam ad renunciandum. Barbosa *loc. cit. n.* 24. *& de Offic. & potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 99. *num.* 3. Peregrin. *in Constitut. Cleric. Regul. part.* 2. *cap.* 1. *lit. C.* §.25. Sanchez *lib.*7. *moral. cap.* 5. *num.* 66. & alii passim.

75 Archiepiscopus licet Pallium nondum receperit, potest hujusmodi licentiam in sua Diœcesi concedere. Barbosa *loc. cit. num.* 25. *& cit. alleg.*99. *n.*5. Peregrin. *loc. cit.* §. 26. Sanchez. *loc. cit. num.* 66. & alii communiter.

76 Capitulum, Sede vacante, seu Vicarius Capitularis potest eamdem licentiam concedere, Barbosa *loc.cit. n.*26. Sanchez *loc.cit.n.*67. Tamburin. *de Jure Abbat.tom.*3.*disp.*6. *q.*10. *num.*3. Bartholom. a S.Fausto *in Thesauro Religiosorum lib.*5.*quæst.*195.Peregr. *loc. cit.* & alii.

77 Abbates, & alii Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, nullique Episcopo subjecti, possunt in suis Diœcesibus hanc licentiam concedere. Barbosa *loc. cit. num.* 27. Sanchez *loc. cit. num.* 68. Bartholomæus a S. Fausto *loc. cit. q.* 196. Bartholom. de Vecchis *in praxi observanda in admittendis ad Religionis statum Novitiis disp.*8.*dub.*2. *num.*2. Peregrin. *loc. cit.* §.27. & alii passim.

78 Prælati Regulares non possunt hanc licentiam concedere etiam in Monasteriis exemptis, & sibi subjectis, quia Concilium Tridentinum *loc.cit.* solum Episcopi licentiam ad hanc renunciationem requirit. Barbosa *loc.cit. n.*28. Miranda *in Manual. Prælator. tom.*1. *quæst.*23. *art.* 6. *Conclus.* 2. Bartholom. de Vecchis *loc. cit. dub.*9. *num.*2. Sanchez *loc. cit. num.* 74. Peregr. *loc. cit.* §. 30. & alii communiter.

79 Formam Laicorum statuto præscriptam nequaquam oportet servare in renunciationibus, quæ fiunt a Novitiis intra probationis annum, nec hujusmodi statuti omissio tales renunciationes invalidat, utpote factas a personis, quæ secundum præsentem statum Novitiatus censentur tamquam Ecclesiasticæ, ac proinde Legibus Laicalibus solemnitatem inducentibus subjacere non debent, ut decisum fuisse referunt Aldan. *in Compend. Canon. resolut. lib.* 2. *tit.* 9. *num.* 11. & Barbosa *super Trid. d. sess.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus n.*31. & idem tenuit Rota *in Parmen. transactionis* 20. *Decemb.* 1627. *coram Durano*.

Non est necesse, quod renunciatio bonorum, 80
ut sit valida, fiat a Novitio integro bimestri ante Professionem, sed satis est, ut fiat intra totum bimestre ante Professionem, quamvis immediate ante ipsam. Barbosa *loc. cit. num.* 35. Sanchez *loc. cit. cap.*5. *num.*80. Peregrin. *loc. cit.* §.20. Bartholomæus a S. Fausto *loc. cit. lib.*5. *q.*192. & alii communiter.

Bimestre hoc computandum est de momento 81
in momentum, & secundum quod occurrit mensis in Kalendario. Barbosa *loc. cit. n.* 37. Sanchez *loc.cit. num.* 81. Bartholomæus a S.Fausto *loc. cit. quæst.* 193. Sperell. *dec.* 16. *n.* 54. Tamburin. *loc. cit. qu.*10. *n.*4. Bartholomæus de Vecchis *loc.cit. disp.*8. *dub.*9. *n.*5. Unde *Sac. Congr. Concil. sub die* 21.*Januarii* 1617. expresse decrevit, non valere renunciationem factam a Moniali ante duos Menses præfixos in d. Decreto Concilii, ut ex Aldan. refert Barbosa *loc.cit. num.*36.

Renunciatio facta a Novitio per duos menses 82
ante Professionem tenet, licet ante expletum decimum sextum annum. Sic decisum fuisse *a Sac. Cong. Conc.* refert ex Armendar. Barbosa *loc. cit. n.* 37. & *in summa Apostol. decis. verb. Renunciatio Novitii num.* 3.

Ex quacumque causa contingat Professionem 83
protrahi ultra annum, valet Renunciatio facta a Novitio post decimum Novitiatus mensem. Sic decisum fuisse a *Sac. Congr. Concilii* referunt Bartholom. de Vecchis *loc. cit. disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 5. *in fine*, & Barbosa *in dict. c.* 16. *num.* 37.

Renunciatio a Novitio excedente ætatem 16. 84
annorum facta absque solemnitate Decreti Concilii Tridentini *loc. cit.* est invalida, ita ut Concilium locum habeat etiam in iis, qui excedunt annum decimum sextum. *Sac. Congreg. Concilii* 15. *Januarii* 1601. apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis. d. verb. Renunciatio Novitii num.* 2.

Renunciatio facta per eum, qui nulliter emi- 85
sit Professionem, si postea cognita invaliditate iterum valide professus sit, declarans nolle denuo bonis renunciare, quatenus prior renunciatio non sustineatur, est nulla. *S. Congreg. Conc.* 3. *Decemb.* 1632. apud Barbosam *in cit. Summa Apostolic. decis. n.* 7.

Deferre habitum Novitiorum non est de es- 86
sentia, & necessitate anni probationis ad validitatem Professionis, sed sufficit deferre habitum Religionis, seu Professorum. Vid. verd. *Habitus num.* 5.

Novitius deferens per annum habitum Religio- 87
nis, completo integro anno probationis, censetur tacite professus, si habitus, quem defert, non sit patenter distinctus ab habitu Professorum, & aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ; Vide *d. verb. Habitus n.* 6.

Secus

88 Secus autem si habitus Novitiorum sit patenti distinctione distinctus ab habitu Professorum. Vide *d. verb. Habitus num.* 7.

89 Novitii sine titulo Beneficii, vel Patrimonii, aut Pensionis nequeunt promoveri ad sacros Ordines, *arg. Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 2. & expresse S. Pius V. Constitut. 75. incipit. *Romanus Pontifex*, ubi dictum Concilii decretum extendit ad omnes & singulos cujuscumque Ordinis Clericos, Religiosos non professos, prohibens ipsos sicuti alios Clericos sæculares promoveri ad sacros Ordines sine
90 dicto titulo. Et hoc ipsum habet locum non solum in Novitiis, seu non Professis, sed etiam in nulliter Professis: Sic Rota *in Urgellen. Canonicatus* 3. *Martii* 1595. *coram Blanchetto* & sæpe alibi, & tenent communiter Doctores cum Barbosa in *Concil. Trid. d. sess.* 23. *c.* 2. *& de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 19. *num.* 5. Garcia *de Benefic. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. *&* 12. Reiffenstuel
91 *lib.* 1. *decr. tit.* 11. *nu.* 74. Patres autem Societatis Jesu, qui tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in Societate emiserunt de licentia Præpositi Generalis, possunt promoveri ad sacros Ordines absque titulo etiam ante solemnem Professionem emissam, non obstante d. Constitutione S. Pii V. Sic eis specialiter concessit Gregorius XIII. Constit. incip. *Ascendente*, & etiam alii
92 Pontifices. Et novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Injuncti Nobis*, statuit nulla ab eadem Societate deberi sic ordinatis alimenta, aut congruam sustentationem, si contingat eos ante solemnem Professionem a Præposito Generali a dicta Societate dimitti; Quidquid in contrarium scripserint alii. Vide *supra n.* 45.

93 Novitii non possunt promoveri ad Ordines minores a suis Superioribus Abbatibus Regularibus, quia pendente anno probationis non habentur quoad Ordines suscipiendos pro subditis horum Superiorum Religionis. Barbosa *supra Concilium Trident. sess.* 23. *cap.* 10. *& de Offic. & ptest. Episc. part.* 2. *allegat.* 3. *num.* 8. Naldus *in Summa verb. Novitius n.* 8. Marchin. *de Sacram. Ordinis tract.* 1. *p.* 2. *cap.* 10. *cum seq.* Tamburin. *de jure Abbat. t.* 2. *disp.* 2. *qu.* 27. Ugolin. *de Offic. Episc. cap.* 26. §. 20. *num.* 7. Roderic. *in Compend. resol.* 106. *n.* 2. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 1. *qu.* 38. *art.* 9. *concl.* 2. *in fine*, & alii passim, *arg. Concil. Trident. cit.*
94 *sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* Unde Novitii respectu minorum Ordinum ordinandi sunt a proprio Episcopo, *ut ex cap. Cum nullus, de temporibus Or-*
95 *din. in* 6. Episcopus autem proprius est Episcopus loci Monasterii, in quo Novitius agit Novitiatum, cum Novitius contrahat domicilium in loco, in quo agit annum probationis ex notatis communiter per Doctores *in dicto cap. Cum nullus* §. *final.* ut tenet, & observat Fagnan. *lib.* 2. *decretal. cap. Cum inter* 13. *de sentent. & re judicata*, Donat. *prax. rer. Reg. tom.* 2. *tract.* 7. *qu.* 25. *nu.* 4. *&* 5.

96 Novitii post Professionem in Professorio, seu in Conventu secundi Novitiatus sunt collocandi, ut patet ex decretis Clementis VIII. adductis a Fagnan. *lib.* 3. *decret. cap. Relatum* 7. *num.* 82. *Ne*
97 *Clerici, vel Monachi*. In Novitiatibus, & Professoriis est exacte observanda vita communis. Citat. Decret. Clement. VIII. apud Fagnan. *loc. cit. num.* 48. quæ decreta super receptione, & educatione Novitiorum a d. Clemente VIII. edita, ut ab omnibus præ oculis habeantur, hic ad litteram dantur.

CLEMENS PAPA VIII.

§. 1. *Cum ad Regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam, Novitiorum institutio maxime utilis sit, ac necessaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuisse compertum sit, quam, vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem, supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inserviendi; vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis, idcirco, ut hujusmodi incommodo deinceps occuratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat ut in recipiendis Novitiis, & in eorum institutione, atque educatione, nec non in Magistri, & aliorum Ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, & Decretis præsertim Concilii Tridentini Pontificiis, & cujuscumque Ordinis aut instituti Constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quam nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & Conventibus, hæc, quæ sequuntur, inviolate observari, & exequi perpetuo curent.* 98

§. 2. *Primum, quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de uniuscujusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipue eorum, qui sextum decimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxii sint juxta formam Constitut. fel. recor. Sixti V. & moderationum subsecutarum; Illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in Monasteriis, & Conventibus, ex Apostolica facultate, Novitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones a sacris Canonibus, summorumque Pontificum Constitutionibus præscriptas non habeat, juxta decretum super forma de recipiendis Novitiis die* 19. *Maii* 1602. *editum.*

§. 3. *Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari etiam Mendicantium in ea sit ætate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, Regularia Instituta, & Ordinationes requirunt; eam vero litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, ut minores, & suis temporibus majores Ordines, juxta Decreta sacri Concil. Trid. suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum Regularem admitti postulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in Conversorum tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur: Ipsi autem Conversi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, & nisi*

si saltem præcipua doctrinæ Christianæ capita noverint.

§. 4. *Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes, destituantur.*

§. 5. *Provideant quoque, ut omnes etiam Conversi recipiendi, priusquam ad habitum Regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque Regulari, & aliis cujusque Ordinis peculiaribus Institutis, & Constitutionibus diligenter instruantur; Et quia quarumdam Religionum mos est, ne dum Conversos ad Professionem admittendos, verum & Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem, unaquæque Religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque Instituta observare teneatur.*

§. 6. *Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum Confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.*

§. 7. *Quod vero ad loci qualitatem uniuscujusque Novitiatus spectat, locus hujusmodi propria Clausura ab ea parte Conventus, & Monasterii, in qua degunt Professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam Cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro, ejusque socio reperiatur.*

§. 8. *In eo etiam præter alias communes commoditates aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.*

§. 9. *Oratorium insuper, seu Capella, si commode fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus, præsertim in ceremoniis, ecclesiasticisque functionibus exercendos.*

§. 10. *Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus, atque munitus adsit; sin minus hortum ceteris Fratribus communem, recreationis tempore, ingrediantur; Ipsis vero Novitiis ibi commorantibus curabit Magister, cum loci Superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eumdem quisquam alius ingrediatur.*

§. 11. *Ad hujusmodi locum Novitiatus nemini ejusdem, vel alterius Ordinis Regularis, etiam Conventus, aut Monasterii Officiali, ullo unquam tempore, sub quovis prætextu, aditus pateat, præterquam Magistro, ejusque socio, ac etiam Monasterii, aut Conventus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit, quo tamen casu, aliquem semper ex senioribus Conventus vel Monasterii Patribus socium assumat.*

§. 12. *Hujus loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere: Si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.*

§. 13. *Novitiorum Magistro socius si per Novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus quoad fieri poterit, consimilis deputetur, qui in his quæ ad Novitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediate subjectus existat; eliganturque tam Magister, quam socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujusmodi subituri. Quod si aliquo casu, extra tempus Capitulare, nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, & socii hujusmodi, in his novis locis, per Generalem, vel Provincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu, fieri permittatur; idemque servetur, si intra triennium alterum, vel utrumque, urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant.*

§. 14. *Tam Novitiorum Magister, quam socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium a Professione emissa in Religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, caritateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præsertim, & indignatione, quæ in se, & erga alios caritatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, & tales demum qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.*

§. 15. *Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.*

§. 16. *Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in Regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque præcipue Divinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solemnium, & quam necessaria Ordinis constitutionum observantia; modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, & vitia, (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque proclivis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, Confessionis præsertim, quæ his saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.*

§. 17. Qui-

§. 17. *Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi a Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat; Ipsi autem Magistro soli Novitiorum Confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum Confessiones audire*. (Istæ ordinationes non sunt per modum præcepti, sed solum per modum regulæ, & consilii, unde Statutis Regularibus non derogant, nec minus irritant Confessiones aliter factas; *Sic in illis terminis tenet Molfes*. par. 1. Summ. tract. 7. cap. 14. num. 83. *ex Peyr*. pag. 298.

§. 18. *Quotidie Missæ Sacrificio intersint, statutis horis in Choro nocturnisque divinis officiis assistant*.

§. 19. *Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant; quæ in solitario loco, & commodo extra Novitiatum, semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper Magistro præsente, vel socio qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur*.

§. 20. *Non liceat eis, durante Novitiatus, & probationis tempore, una cum professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in Processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari*.

§. 21. *Pro communibus, & propriis cujusque necessitatibus, quæ accidere possunt, unus ex Novitiis ipsis, ætate, moribusque provectior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ custodia, & rerum levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit*.

§. 22. *Cum autem licet Clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conversorum tamen Religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam cum Regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre: Conversis ipsis a Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus, quantum commode fieri poterit, assignari præcipitur; illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conventuum juxta cujusque Ordinis statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, & commoditate de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad capitula, & spirituales conciones, quæ per Magistros Novitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis, statutis horis conveniant, nisi tunc in suis Officiis actualibus occupati fuerint*.

§. 23. *Tempore vero probationis elapso, ii tantum qui non solum Religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo, ac diligenti examine reperti fuerint, dummodo ætatis suæ annum quoad Clericos decimum sextum, quo vero ad Conversos vigesimum primum excesserint, ad Professionem admittantur, sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint*.

§. 24. *Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit constitutus; particularem librum habeat, in quo uniuscujusque Novitii Professio registretur, illumque Novitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant*.

§. 25. *Conversus vero litterarum ignarus professus in eorumdem testium, qui se subscripserint, præsentia, propria manu signum Crucis apponat, asserveturque liber, & custodiatur in archivio, ubi Scripturæ ad Monasterium, seu Conventum pertinentes reponi consueverunt*.

§. 26. *Quia vero in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit, ut Novitiis educandis certa Monasteria, aut Conventus, designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conventuum hujusmodi Ordinum, in quibus Filiationis usus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum Filios, juxta cujusque Ordinis Constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cum juxta præsentes institutiones, & alias servatis servandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum testimonialibus litteris transmittere, ubi tanquam dictorum Conventuum, seu Monasteriorum filii, eorumdem nomine, & instantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conventus filiationis hujusmodi remittantur, in Professorio ad perfectionem, ut præmissum est, exerceri debebunt*.

§. 27. *Porro ne loca unius Monasterii, seu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis, aut Provincialis partes erunt numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem, si opus fuerit, inire, ac singulis Conventibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur*.

§. 28. *Ut autem Novitii jam in Professorum numerum, sicut præmittitur, recepti, melius in bono spiritu, Regularisque disciplinæ observantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, ut statim post Professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasteriis pro Novitiatibus assignatis, locus aderit secundi Novitiatus, sive Professorii, ab ea, quæ Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione, distinctus, & segregatus, ibi colloccentur, si Monasterium, aut Conventus eos alere queat; sin minus, in alium commodiorem Conventum, aut Monasterium transferantur, in quo eis locus cum requisitis ad Novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur*.

§. 29. Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur quæ suarum Constitutionum, seu Institutorum vigore majoris temporis cursu novos Professos intra Novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum Constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant sub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores Professi, ita quod in negotiis Monasteriorum, aut Conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint vel saltem per triennium post Professionem; quo etiam tempore poterunt, quinimmo & debebunt, litterarum studiis operam navare, sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

§. 30. Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Novitios, nisi in locis pro Novitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

§. 31. Denique si illi, qui inter religiosos gradu & ordine Superiores sunt, & alii, ad quos spectat in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt privationem, graviores que, pro modo admissæ culpæ pœnas se subituros certo sciant.

Datum Romæ apud Sanct. Petrum die 19. Martii 1603. Ant. Seneca Reformat. Apost. Secr. Anno 1624. Indictione 7. Pontificatus autem S. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus 2. die vero 26. mensis Octobris supradicta decreta tam Sacræ Congreg. Concil., quam S. M. Clementis VIII. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joan. Lateran. & Principis Apostolorum, nec non in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Julium Marzitellum Cursores Sanctissimi. Brandimartes Latinus pro Magistro dictor. Curs.

99 *Datur insuper Decretum Innocentii XI. super Conventibus Novitiatus, & Recollectionis Minorum de Observantia, & super iis, quæ in eisdem Conventibus servari debent.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Pro meliori Novitiorum, & recenter Professorum educatione, & ut Fratres illi, qui majori spiritus quieti, & strictiori Regulæ nostræ observantiæ incumbere desiderant, id præstare possint in propriis Provinciis absque eo quod hujus studii prætextu, aut ad alias transire, aut novas reformationes, & scissuras in Ordinem invehere moliantur, statuitur, quod in singulis hujus Familiæ Provinciis de Observantia instituantur tres, aut quatuor Conventus Recollectionis, qui sint primi, & secundi Novitiatus, ut simul, & loca spiritualis quietis, & perfectionis seminaria pro tota Provincia esse valeant.

Ad hunc finem eligi, & deputari debent Conventus commodiores pro Regulæ observantia, & Novitiorum educatione, quorum designatio committitur Commissario Generali Familiæ cum consilio definitorii cujuscumque Provinciæ respective, cui Generali Commissario etiam committitur prima Guardianorum, & Magistrorum eorumdem Conventuum institutio cum facultate, ut si in Provincia aliqua non fuerint Religiosi pro his officiis in nova Recollectionis erectione idonei, ex aliis Provinciis, vel Observantibus, vel Reformatis, immo & ex alia Familia possit eos adducere. Et insuper eidem committitur prima in eisdem Conventibus eorum Fratrum collocatio, qui ad formationem prædictæ recollectionis fuerint necessarii.

§. 1. Et ut incommoda ex multiplicitate horum Conventuum alias experta evitentur, omnino interdicitur, ne in qualibet Provincia plures quam quatuor, paucioresve quam tres, recollectionis Conventus esse possint, sublata facultate cuilibet Superiori Ordinis super hoc statu dispensandi; Et ut nunquam separari a Provincia possint, decernitur, ut in nullo Conventu Provinciæ, qui hujusmodi Recollectionis non fuerint, possint indui Novitii, nec probationis annum agere. Atque ita Provinciæ inseparabiliter sint incorporati, ut sine ipsis, utpote domus receptionis, Provincia ipsa subsistere nonpossit.

§. 2. Conventus autem prædicti distribuentur sic, ut in Provinciis magnis duo illorum sint primi Novitiatus, duo vero Professorii, seu Novitiatus secundi: in minoribus autem, aut unus erit primi Novitiatus, & duo secundi, aut e converso, pro commoditate Conventuum, aut Provinciæ: Et quia in nullo prædictorum Conventuum studium facultatis litterariæ collocandum est, aut permittendum, statuitur, quod Professi, antequam ad professoria, in quibus sunt artium litterariarum studia, transmittantur, in Conventu Recollectionis secundi Novitiatus ad minus per annum integrum collocentur, ut in spiritu in Novitiatu concepto, antequam ad studia transeant, confirmentur, & roborentur.

Forma autem vivendi in prædictis Recollectionis Conventibus sequens erit;

Primo: Officium divinum statutis indispensabiliter horis, graviter, & devote persolvatur, & orationi mentali duabus horis cum dimidia omnino vacetur, ita ut post Matutinum (quod indispensabiliter media nocte persolvendum est) una hora, post primam dimidia, post completorium hora altera, in oratione mentali persistant. Sed a Resurrectione usque ad Exaltationem Sanctæ Crucis propter noctium brevitatem, hora post Matutinum orationis in horam ejusdem post sextam, & ante prandium habendam, commutetur.

Secundo: Silentium, ac lectio spiritualis in Refectorio nulla causa dispensetur. In Dormitoriis autem, Claustris, & Sacristia ita silentium observetur, ut tantum omnino necessaria, & submissa voce Fratres loquantur.

Tertio: Sæculares, nisi Officiales Conventus sint, ad interiora Conventus non admittantur, sed pro rebus necessariis cum ipsis tractandis in Claustro inferiori, camera honesta disponatur, in qua prædicta præstari possint.

Quar-

Quarto: Communitates Chori, & Refectorii omnes Fratres sequantur, nec ullus ab aliqua, sine expressa Guardiani licentia, excusetur.

Quinto: Tribus diebus in hebdomada, nempe feria secunda, quarta, & Sabbato post vesperas immediate, assistentibus Prælato, & omnibus Fratribus, lectio expositionis Regulæ, aut Theologiæ mysticæ habeatur; ita ut duobus ex prædictis diebus exponatur Regula, altero vero de Theologia mystica, seu de vita spirituali tractetur; Ad hoc instituatur unus Lector, qui sit in Theologia morali, & mystica versatus, cui ut tempus pro lectionibus conficiendis habeat, conceditur ut a Prima, & oratione post ipsam excusetur. Qui post expletam expositionem Regulæ poterit Decalogum clare, & breviter pro instructione juvenum explicare.

Sexto: Guardianus ad minus semel in mense feria sexta post Completorium celebrabit Capitulum culparum, eo modo, quo in Constitutionibus generalibus præscribitur, habita ad Fratres spirituali collatione, in qua ad perfectionem, & spiritualem profectum excitentur & animentur.

Septimo: Paupertas nostri status, quantum fieri potest, stricte in communi observetur; & ut ita etiam fiat in particulari, Guardiani de omnibus necessariis ad usum strictum Seraphicæ paupertati congruum, Fratribus provideant, ita ut recursus particularium ad Benefactores, aut amicos spirituales via omnino præcludatur, nullusque quidquam ad usum suum habeat sine expressa licentia Guardiani, qui usum rei, & supellectilis non necessariæ nulli concedat, aut permittat; quod ut exactius observetur, nullus quidquam ad proprium usum clausum habeat, & ad cujuscumque cellam semper aditus Superiori pateat; & tam Novitiis, quam ceteris Religiosis usus duarum Tunicarum talarium, quarum una erit cum caputio, & alia sine caputio, juxta Regulæ præscriptum, concedatur, nec cuiquam permittatur ut Sudaria, Sachetos, aut alia quævis non concessa in Regula sub prætextu portationis solius habitus, deferat.

Octavo: Postquam præfata Recollectio per triennium firmata fuerit, nullus possit institui Guardianus in prædictis Conventibus, qui in aliquo illorum per biennium immediate vitam communem Recollectionis sequens commoratus non fuerit.

Nono: Nullus Religiosus, cujuscumque qualitatis sit, in Conventu Recollectionis de familia collocari possit, aut in eo commorari, in quo Regulæ præcepta observare non possit; nempe jejunia, excalceationem, duarum tantum Tunicarum usum, peditationem, chori die, noctuque communitatum sequelam; cum pro non valentibus adeo stricte vivere, ceteri Provinciæ Conventus expediti maneant, & tam Guardianus ipse, quam ceteri omnes Fratres hebdomadam sine exceptione suo ordine faciant.

Decimo: In præfatis Conventibus nullus Frater criminosus, aut pro luenda pœna collocari possit, nec quisquam a quocumque Prælato missus recipi debeat, nisi de consensu Guardiani, & majoris partis Discretorum Conventus, admittendus judicetur.

Undecimo: Nullus Religiosus, cujuscumque qualitatis sit, possit recreationis, aut alterius cujusque negotii causa ad prædictos Conventus divertere, nisi quis ad exercitia spiritualia per aliquos dies facienda cum sequela omnium communitatum, & rigoris vitæ Recollectæ, admitti voluerit, nec Minister Provincialis, quando ad præfatos Conventus, causa Visitationis, vel alias accesserit, possit sub pœna suspensionis sui Officii per bimestre, sæculares, aut alios fratres secum ferre, præter suum Secretarium, & socium, cui Provinciali plurimum in Domino commendatur, ut in Conventibus Recollectionis omnibus seipsum præbeat exemplum bonorum operum, & Regularis disciplinæ.

Duodecimo: Discursus Fratrum extra Conventum, quantum fieri possit, evitentur, & ut Fratres addicti Choro, extra Conventum non vagentur, statuitur, ut in quolibet prædictorum Conventuum, præter Officiales pro interiori gubernio necessarios, collocentur Fratres laici spirituales, & devoti, qui continuo, & extra Conventum, eleemosynas pro necessitatibus Fratrum temporibus opportunis petant, & spiritualis vitæ quieti incumbant; Fratribus autem Choro addictis raro exeundi extra Conventum licentia concedatur, nec unquam nisi duo extra ipsum esse possint; Novitiis autem, & Clericis in nullo casu, nisi in Communitate exeundi a Claustro licentia concedi possit, sub pœna privationis officii eam concedenti.

Ultimo: in predictis Conventibus quoad reliqua ad vitam monasticam spectantia, constitutiones generales exacte ab omnibus observentur, ut ceteris exemplo & ædificationi in pura observantia sint.

Curent itaque Commissarius Generalis, & Provinciarum Diffinitoria, ut prædicti Recollectionis Conventus in prædicta vivendi forma erigantur, & componantur; Dum enim per attestationem prædicti Commissarii generalis, & Diffinitorii Provinciæ, & Discretorum illorum Conventuum juramento firmatam de tali erectione, & compositione constiterit; Sanctissimus Dominus Noster pro sua benignitate licentiam induendi Novitios in illis Conventibus sic efformatis concedet; Quod si post primam concessionem prædicta vivendi forma in ipsis Recollectionis Conventibus exacte, & rigorose non observetur, licentia ulterius induendi in illa Provincia non concedetur; Unde Provinciæ ipsæ sibi consulant, nam si medio adeo ad bonum, & stabilitatem Religionis conducente non utantur, omnino successu temporis extinguentur.

Alia Vide verb. *Approbatio art. 2. a n. 2.* verb. 100
Annus probationis, seu Novitiatus; verb. *Habitus*,
verb. *Professio*.

Receptus pro Laico, seu Converso, an possit 101
transire ad statum Clericalem? Vide verb. *Professio num. 88. & numer. 89.* & verb. *Transitus*
num. 1.

Novitii in quibus edocendi, atque instruendi, 102
habebis benevole lector vel in indice ad calcem
indicis tituli hujus, vel in aliquo ex tenuibus aliis

nostris operibus, quæ Deo dante post promptam Bibliothecam in lucem insuper daturi sumus: ob gravem enim adversum casum, ea quæ novissime de re jam meditata erant, non poterunt hic apponi.

103 Ad complementum hujus tituli, præstat addere, quod per unum Novitium mei Seraphici Ordinis Minorum de Observantia habuit originem devotio Coronæ Beatissimæ V. M. septem decadum in honorem suorum septem Gaudiorum, modo qui sequitur, prout refertur ad litteram in Annalibus Waddinganis *tom.* 10. *ad annum* 1422. *a num.* 8. *ad* 18. *ultimæ Romanæ impressionis typis Rochi Bernabò* 1734.

Sub hoc tempus, idest Anno Christi 1422. associatus est Minoribus adolescens quidam, Beatæ Virgini Mariæ reverenter addictus, qui contexta ex floribus corolla, simulacrum ejusdem decorabat. Dum legendis floribus, & huic prosequendæ pietati non adeo liceret in tyrocinio intendere, juvenili levitate constituit ad sæculum redire. Discessurus Virginem salutavit, & Patrocinium poposcit. Cui illa apparens dixit: *Noli contristari ob dimissum, vel impeditum, quod mihi præstabas, florum obsequium; docebo quomodo in aliud præclarius convertas, & coronam mihi compingas serto illo rosarum valde pulchriorem. Singulis diebus coronam mihi contexe, non ex floribus, qui cito marcescunt, neque semper haberi possunt, sed ex piis precibus, quas tu potes, & Angelus docuit recitare. Profer decies Salutationem Angelicam, & semel Orationem Dominicam, in memoriam gaudii, quo ego exultavi de concepto Verbo æterno. Secundo, eadem repete, propter illud, quo perrexi cum festinatione in montana Judeæ cognatam Elisabetham invisura. Tertio, propter summam lætitiam, qua Christum Dominum absque dolore, integro pudore sum enixa: Quarto, propter eam, qua Magos infantulum adoraturos excepi. Quinto, ob repertum in Templo Filium, quem prius deflebam amissum. Sexto, ob gloriosam ejus resurrectionem. Septimo, ob meam in Cælos assumptionem. Hæc si singulis diebus dixeris, certo scias sertum mihi gratum, & tibi meritorium te compacturum.* Obsecutus adolescens, qua potuit devotione, recitare cœpit præscriptam precum formulam, & accedens caute tyronum Magister, ut exploraret quid in cubiculo ageret, vidit Angelum rosas filo paulatim inserentem, & singulis denis aureum lilium connectentem, mox coronam ex omnibus composuisse, & tyronis genuflexi capiti imposuisse. Paulo post præceptor imperavit, ut quæ tunc faciebat, enarraret, dixitque eo se modo preces illas obtulisse, quo a Beata Virgine instructus fuerat, unde visionis arcanum Magister percepit.

Confirmatur miraculis.

1. Prosecutus ille quotidie per omnem vitam, devotionem hanc, accidit ut cum socio alternatim repetens, per nemus quoddam, prædonum latibulum, transiret. Prodeuntes ex latebris nebulones irruerunt in Fratres, sciscitantes quoniam dilapsa fuerit speciosa puella, quam secum in nemoris aditu ducebant. Illi negare, & abjurare se nullum duxisse, neque vidisse; hi urgere, in comitatu fuisse, precariis orbiculis rosas alligasse, & ultima minari tormenta, nisi revelent ubi dimiserint, aut absconderint. Dum nihil extorquere potuerunt a nihil scientibus, ad arbores alligatos vexare tentarunt. Illi e contra agonem suum Deo, & Sacratissimæ Virgini commendantes, rogarunt, ut invocantibus opem ferrent. Adfuit Beata Virgo, & latrones increpavit, quod ita inhumane suos servos tractaverint, seque ipsam esse dixit, quæ associabat coronæ pensum devote solventes. Hac visione territi, increpatione compuncti latrones, a viis suis pessimis recedentes, Fratrum Minorum institutum subierunt, & ubique retulerunt, quæ propriis oculis conspexerunt.

2. Hinc invaluit mos in Ordine Minorum, transivitque ad alios, coronam Beatæ Virginis recitandi, quam Oratione Dominica septies, & Salutatione Angelica septuagies & bis repetita, in honorem septuaginta duorum annorum, quibus Sacratissima Virgo, juxta probabiliorem sententiam vixit, & gaudiorum septem ab ipsa complendam pii viri asseverant. Ut vero amplius hæc cresceret pietas, crebra fecerunt miracula. Etenim post paucos annos ipse adolescens decedens, visus est in Cœlum efferri, rosis, & liliis circumdatus, atque inter brachia Sacratissimæ Virginis exceptus, floribus coronari.

3. Consodalis alter firmiter constituit quotidie coronam hanc recitare ante prandium, sed semel oblitus, dum manducare incepit, recordatus est omissionis. Petiit licentiam abeundi, recessit in templum, ubi coram Beatæ Virginis altari, quod solebat, pensum solvebat. Dum his immoraretur, misit Guardianus exploratum quid ageret, aut quo abierit. Visus est genuflexus orans, & Angelos duos per brevia intervalla excipere ex ore ejus rosas, & post decimam quamque, lapidem pretiosum, & ex his contextam coronam imposuisse capiti Beatæ Virginis adstantis. Retulit omnia explorator Præfecto; hic vero obedientiæ præcepto ab orante confessionem omnium extorsit.

4. Simile quid accidit Anconæ in Marchia. Beatus Gabriel Anconitanus Guardianus, admirandæ pietatis vir, præcepit Ludovico Albanensi tyroni, ut singulis diebus antequam manducaret, obsequium istud Beatæ Virgini præstaret. Quodam die toto tempore ante meridiano domesticis ministeriis implicitus, non potuit. Dum mensæ assideret, interrogatus a Superiore an pensum hoc Beatæ Virgini illo die persolverit, & fassus non fecisse, jussus est in Ecclesiam abire, atque omissionem compensare. Abiit, fecit, oravit coram altari præcipue hanc noxam sibi dimitti. Submisit postea Superior, qui investigaret, an vere obedierit? visus est ferme eodem modo, quo alter, orare, atque ex ejus precibus aptatam corollam Beatæ Virginis capiti circumduci. Retulit hic quæ vidit; missi deinde alii, qui etiam idipsum perspexerunt: accessit demum ipse Guardianus, & quæ reliqui, conspexit. Hinc amplius devotionem Novitio commendavit, & ceteris Fratribus imitandum proposuit, & diuturno tempore illo in loco,

quo

quo Novitius orabat, perseveravit suavissimus odor rosarum, & liliorum.

5. Frater Petrus e Civitate Pennensi oriundus, socius B. Thomæ Florentini, & primus inter Observantes Provinciæ Sancti Bernardini, Laicus vir miræ perfectionis, & assiduæ orationis, qui aliquoties visus est per horas quinque immobilis, brachiis in crucis modum protensis hæsisse, facie interim Solis instar resplendente: aliquoties etiam a terra in altum elevatus, hac etiam ferebatur devotione, ut quotidie his precandi formulis Beatam Virginem salutaret. Semel accidit, dum construendo Cænobio Sanctæ Mariæ Podii Orsonæ adlaboraret, ut diurno labore fessus oblivisceretur coronam recitare. Dum iret cubitum, meminit omissi pensi Mariani, statimque recessit ad Oratorium, dicturus, quæ solebat. Ab incæpta corona paulo post somno correptus, absolvere non potuit. Dormitanti apparens Beata Virgo Angelis duobus associata dixit: Dormi, & requiesce dilecte fili, satis orasti laboribus fessus, obedientiæ, & caritatis operibus addictus, & afferri fecit per Angelos in lectum. Ad matutinas preces expergefactus, comperit visionem, quam habuit, veram fuisse, non imaginariam.

6. Simile ferme per omnia accidit cuidam Fratri adolescenti in Provincia Romana, die quodam distracto in hospitibus recipiendis. Rem omnem deprædicabat Frater Laurentius de Monte Calerio, Vicarius ejusdem Provinciæ vir probatissimæ vitæ, Beatæ Virginis cultor studiosissimus. Qui de hac re scribunt, suspicantur ista eidem Laurentio in juventute accidisse.

7. In Provincia Sancti Francisci, & Comitatu Assisii, fuit quidam vir religiosissimus, pietate, & prophetiæ dono insignis, qui devotionem hanc omni hominum generi magnis, & parvis, nobilibus, & infimis, & senibus, & junioribus perpetuo inculcabat, propterea *Frater Jacobus de Corona* nuncupatus. In omnibus tribulationibus, & necessitatibus ad has preces recurrebat, & opem reportabat, rebusque dubiis dabat responsa. In Burgo Sancti Sepulcri, dum ageretur de destruendo Conventu Minorum extra mænia posito, ne hostibus Neapolitanis cito adventuris, foret præsidio, rogavit Jacobus Commissarium, a Senatu Florentino in hanc rem amandatum, ut a ruina paululum supersederet, donec ille Beatæ Virginis imploraret auxilium. Assueto suo precum genere salutavit, rogavitque, ut domum, in qua tot ei coronæ quotidie tam a se, quam a reliquis Fratribus offerebantur, servaret indemnem. Responsum accepit non accessuros hostes, sed ab omnibus Florentinorum terminis brevi discessuros; quod post paucos dies ipse probavit eventus. Eo in loco, postquam varia patrarat miracula, & Sacrosancta susceperat Ecclesiæ Sacramenta, migravit ad Dominum. Animam ad Cœlos evehi inter multitudinem Angelorum visum est, & exequiis interfuit populus universus.

8. 9. 10. Bernardinus Feltrensis Veronæ, in Eremitorio Pescariæ, Provinciæ Sancti Antonii, narrabat ea in urbe accidisse, ut Frater quidam pius in quodam Ecclesiæ angulo, formula hac orandi devote uteretur, & ab alio viderentur ei astitisse Angeli, qui ad singulas salutationes Angelicas corona aurea Virginem redimirent, & rosam, aut lilium porrigerent. Referebat etiam, in eadem Provincia Antonium Rubeum Foro-Juliensem, huic pietatis generi addictissimum, dum comitaretur senem quemdam Provinciæ Vicarium in Civitatem Vicentiæ, sub continuo aquarum Diluvio, invocata B. Virgine, & positis precariis orbiculis in capite, neque una guttula madefactum, sed sicca veste in urbem omnibus admirantibus pervenisse. Frater Franciscus Sulmonensis Provinciæ Sancti Bernardini, vir laudabilis, & pius, retulit adolescentem quemdam initiandum apud Minoritas, toties quoties accedebat, ut religiosa veste indueretur, revocatum variis tentationibus, quas demum nullo negotio superavit, recitata corona aliquoties coram B. Virginis effigie.

11. 12. 13. 14. Prædictus Feltrensis publice prædicavit, scholarem Perusinum, nobilis adolescentulæ amore insanientem, magicis incantationibus usum, ut potiretur, sed omnes elusas, etiam ipsius dæmonis confessione, quod singulis diebus coronam hanc Beatæ Virgini puella consecraret. Improbæ etiam vitæ hominem, qui ex summa desperatione dæmones in suum convocavit interitum, ab eisdem sibi apparentibus responsum accepisse, nocere non posse quotidie has preces recitanti. Ticini dixit ex suggesto nobilem quamdam matronam docuisse hunc Virginis cultum suos filios puerulos, summo mane singulis diebus exhibendum, atque ex his unum in flumen decidisse: matri demum, & multis corpus quærentibus super aquas incolumem apparuisse, & dixisse se beneficio illius Virginis servatum, cui ex matris disciplina matutinas adaptabat coronas. Pellicem etiam, propter quam multa orta erant scandala, & homicidia, demum lethaliter sauciatam, & in foveam projectam, apparente, & protegente B. Virgine, propter hanc quotidianam devotionem, eo usque vixisse, donec advenerit Confessarius, & rite se accusanti reatuum impenderit absolutionem, statimque expirasse.

15. 16. Volaterris anno MCDLIV. devota femina, antequam iret cubitum cum suis filiis, hac formula oravit. Accidit, ut illa nocte tectum oppressum nimio pondere nivis corrueret, sed nihil nocuit, paucis arundinibus circa lectum compositis, totam molem cum omnium admiratione sustinentibus. In oppido Sartiani in eadem Provincia Etruriæ, & Ecclesia Minorum, irruentes duo sicarii in duos incolas Castri plebis, hujus cultus Mariani perpetuos observatores, uni nocere non poterant, alteri licet vulnera multa inflixerint, vivus, & sanus præter omnium expectationem apparuit. Hæc & alia multa collegerunt, qui de recitanda Virginis coronâ ejusque virtute pie scripserunt.

Ob hæc, & alia miracula cœpit a nostris Religiosis de Observantia promulgari in tota Seraphica Religione, & in universo Orbe hic sanctus usus, & singularis devotio Coronæ Beatissimæ Virginis Mariæ, omnes fervide exhortando ad frequentandam hanc tam acceptam B.M. Virgini & Fidelibus sic proficuam devotionem; itaut brevi intervallo tempo-

temporis fuerit ab omnibus Mariæ devotis in praxim deducta, & a Romanis Summis Pontificibus approbata, valde commendata, & Indulgentiis ditata, ac decorata, & signanter a Leone X. Brevi incip. *Exponi Nobis*, & alio incip. *Dum præexcelsa*, in quo concessit Indulgentiam Plenariam omnibus Fratribus, & Sororibus Ordinis Fratrum Minorum, & consequenter Tertiariis, & Cordigeris recitantibus dictam Coronam B. M. V. ex 72. Ave Maria, & 7. Pater noster, cum adhuc uno Pater, & Ave pro Summo Pontifice; Quam Paulus V. post generalem Indulgentiarum Regularibus concessarum revocationem, de novo concessit 8. *Julii* 1608. ad instantiam Patris Ludovici a S.Joanne Evangelista Commissarii Generalis Ultramontanæ Familiæ Minorum de Observantia ut refert Lantusca in *Theatro Regularium*, *verb. Indulgentia num.* 3. Et Innocentius XI. Brevi incip. *Exponi Nobis*, firmam esse voluit, atque sancivit, ut patet in *Rubricis novi Breviarii nostri Franciscani confirmatis ab Innocentio XII. num.* 90. Et hanc Indulgentiam applicabilem esse etiam defunctis expresse docent Candidus Brugnolus *in speculo Clericorum tract.* 3. *cap.* 15. *resolut.* 10. Petrus Antonius de Venetiis in *Viridario Seraphico italice impresso tom.*2. *part.*7. *cap.*10. *in fine*, & alii passim innixi etiam speciali Brevi Gregorii XV. edito *sub die* 10. *Novembr.* 1622. in quo concessit, quod Fratres Minores, Clarissæ, & Tertiarii, quibus additi sunt Cordigeri, possint applicare per modum suffragii omnes indulgentias, & opera meritoria animabus Purgatorii. Vide verb. *Indulgentia art.*5. *n.*10. *&* 12.

104 Novitii Regulares admitti debent juxta formam Decretorum Clementis VIII. & Constitutionum Ordinum peculiarium, nec sine gravi causa minuendum est ipsis probationis tempus. Benedictus XIV. tom. 2. Constitut. 47. incip. *Si datam*
105 *hominibus*. Novitiatus expleri debet in Cœnobio ad institutionem Novitiorum designato sub pœna nullitatis Professionis. Idem *ibidem*.

Additiones ex aliena manu.

106 Magna inter Doctores quæstio est, an Abbates, quibus jus est conferendi primam tonsuram, & minores ordines subditis suis Regularibus, possint eos conferre *Novitiis*. Resolutio autem hujus quæstionis inde pendet, an Novitii accenseri possint subditis Regularibus, quibus tantum possunt Abbates primam tonsuram, & minores ordines conferre.

107 Affirmant autem Pirhing. *ad titul. Decr. de Tempor. Ordin. num.* 55. Krimer *ad eumdem titulum numer.*2117. Engel *de Privil. Monast.priv.*49. Schmier. *Jurisprud. Canon. Civil. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.*2. *sect.*2. §.1. Negant vero clar. memor. Cardin. Petra *in commentar. ad Constitut. Apostol.Constit. unic. Urban.II. sect.*2. *num.*20. Mirand. *in Manual. Prælator. tom.*1. *quæst.* 83. *art.* 9. Pax Jordan. *diversar. Lucubrat. tom.*1. *lib.*5. *tit.* 3. *num.*60. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom.* 2. *disput.* 10. *quæsit.*10. *num.* 4.

108 At amplectenda omnino est negativa sententia, quam tenuit *Sacra Congregatio Concil. Trid. interpres. in Mutinen. Ordinationis* 14. *Maii* 1689. In hac causa enim, tametsi definitum fuerit Abbatem Cassinensem haud potuisse primam tonsuram conferre Oblato; idem tamen dicendum est de Novitio, quippe qui non secus ac Oblatus, subditus Regularis dici nequit.

Utrum autem collatio primæ tonsuræ, & Ordinum minorum facta Novitio sit tantum illicita, an 109
etiam invalida, vide apud Gruber *de Privileg. disput.* 7. *sect.* 2. *num.* 18. *& seq.*

De Ordinarii licentia ex Concilio Trid. *sess.*25. 110
*cap.*16. *de Regular.* in Renunciationibus Novitiorum intra duos menses ante professionem requisita, de qua agit Auctor *a n.* 30. *ad plur. sequent.* quæri solet, & quidem maxima animorum contentione, utrum requisita ea sit pro extrinseca solemnitate, an pro forma. In varias Doctores abierunt opiniones. At Rota tenet eam pro forma re- 111
quisitam esse, ut novissime *in Romana seu Januen. Successionis 9. Decembris* 1746. §.8. *cor. clar. memor.* Millin. *&* 26. *Junii* 1747. §. 8. *cor. Reverendiss.* Cortada.

Valde autem utilis est hæc observatio; Eo enim 112
ipso, quod hæc licentia non pro solemnitate extrinseca, sed pro forma est requisita, sequitur hinc, quod si ea haud interveniat in ipso actu renunciationis, præsumi haud possit, ex observantia licet triginta annorum. Ex hac enim observantia præsumi potest solemnitas extrinseca actus, non item forma ejusdem actus, ut confutatis omnibus contrariis respondit idem Sacrum Tribunal Rotæ *in d. Romana, seu Januen. Successionis 9. Decembris* 1746. §.7. *& seq. coram clar. mem.* Millin. *&* 26. *Junii* 1747. §. 8. *& plur. sequent. coram Reverendiss.* Cortada.

Quid si ipsa licentia enunciata in instrumento 113
renunciationis, minime tamen reperiatur? Hoc in casu posse eam præsumi ex observantia triginta annorum placuit eidem Supremo Auditorio Rotæ *in dict. Decisionibus mox citatis*. At si ipsa nec 114
enunciata in instrumento renunciationis sit, præsumi haud potest ex dicta observantia triginta annorum.

Nec illud est hic reticendum, quod ex eo, quod 115
hæc licentia requisita est pro forma actus, nec juramento renunciare ei valet Novitius; Rota *in dict. Romana, seu Januen. Successionis 9. Decembris* 1746. §.8. *coram clar. mem.* Millin. *&* 26. *Junii* 1747. §. 8. *coram Reverendiss.* Cortada.

NUMMUS. Vid. verb. *Emptio art.* 1. *n.* 7. *&* 8.

N U N C I U S.

NUncii Sedis Apostolicæ offendi prohibentur 1
sub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ. Bendict. XIV. tom. 1. Constitution. 14. incip. Pastoralis §.11. Nunciis Apostolicæ Sedis adimitur facultas dispensandi quoad clausuram. Idem Constit. 39. incip. *Regularis disciplinæ* §.4. & Constitut. 4. incip. *Salutare* §. 3. Nuncio Poloniæ adi- 3
mitur

mitur facultas dispensandi quoad formalitates præscriptas in celebratione Matrimonii. Idem Constit.
4 tut. 85. incip. *Nimiam* §. 16. Arbitrio Nuncii Apostolici Venetiis existentis permittitur Neophytis ad Fidem conversis Venetiis in loco pio Catechumenorum Matrimonium contrahere cum fideli absque interpellatione prioris conjugis in infidelitate relicti. Idem Constitut. 117. incip. *In Suprema*.
5 Nuncii Apostolici in Computisteria Camerali rationes exhibere tenentur de pecuniis Cameræ a se administratis. Idem tom. 7. Constitut. 6. incip. *Apo-*
6 *stolicæ Sedis num.* 26. Nunciis Sedis Apostolicæ injungitur, ut super Episcoporum residentia invigilent. Idem Constitut. 18. incip. *Ad universæ*.

Alia ad rem; Vid. verb. *Legatus*.

(*) Nunciorum Apostolicorum, qui stabilem apud aliquem Principem, aut in aliqua urbe sedem habeant, origo vetustissima est, & ab Apocrisariis, qui saltem a S. Leonis M. temporibus ad Constantini Pogonati Imperium in Constantinopolitana urbe apud Orientis Imperatores, & in ipsa Imperatorum aula residebant, repetenda. Duo autem sunt hujusmodi Nunciorum genera. Alii enim *primi ordinis* sunt, qui scilicet non ante suo munere defunguntur, quam Cardinales renuncientur; alii *secundi ordinis*, quibus non statim a suæ Legationis exitu, sacræ Purpuræ honor deferri consuevit. Sunt illi Nuncii, qui Vindobonæ apud Imperatorem commorantur, & apud Reges Galliarum, Hispaniæ, ac Lusitaniæ; hi vero Nuncii Poloniæ, Venetiarum, Lucernæ apud Helvetos, Monachii in Bavaria, Neapolis, Florentinæ, & qui seu ad tractum Rheni mittuntur, & Coloniæ Agrippinæ resident, seu Missionibus Hollandiæ, & Angliæ præsunt, & Bruxellis consistunt. Omnibus hisce Nunciis antiquitate præstat Viennensis; licet enim Neapoli jam XIV. sæculo fuerint hujusmodi Nuncii, ita tamen eorum series interrupta fuit, ut si illorum instaurationem attendimus, Viennensibus qui sub ipsa XVI. sæculi initia statuti sunt, posteriores haberi debeant. Coloniensis, seu ad tractum Rheni primum constitutus a Gregorio XIII. fuit, qui illuc Magni Caroli Borromæi familiarem Franciscum Bonomium Episcopum Vercellensem Coloniam misit, ut Gerardo Truchsessio Archiepiscopo Coloniensi, qui cum Sanctimoniali Agnete Mansfeldia sacrilegum connubium inierat, exauctorato domicilium ibi figeret, suaque præsentia, & auctoritate aut mala præcaveret, aut certe nulla interposita mora repararet. Clemens deinde VIII. avulsis a Coloniensis Nuncii jurisdictione Hollandis, aliisque qui in Belgii Missionibus degunt, Catholicis novum Nuncium Bruxellis residere jussit, qui & Anglorum Missionibus præesset. Novissimus inter Nuncios Monacensis est, quem PIUS VI. P. M. urgente Religionis Catholicæ studiosissimo Bavariæ Duce, atque Electore instituit, non tamen sine exemplo, ut non tam creasse, quam intermissam legationem illam revocasse, & confirmasse videatur.

Ad Nunciorum jurisdictionem quod attinet, ea ex illos mittentis auctoritate, & potestate accersenda est. Vere enim quotquot Romani Pontifices Nuncios legant, illud Gregorii M. *lib.* 1. *ep. I. ad Episcopos Siciliæ* usurpare possunt: *valde necessarium perspeximus, ut sicut Prædecessorum nostrorum fuit judicium, ita uni, eidemque personæ omnia committamus, ut ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas*. Sed cum a paucis annis hac de re in Germania contentio aliqua exorta sit, ac tenebricosi quidam scriptores impudentissimis libellis Nunciorum jurisdictionem oppugnare ausi sint, brevi liber prodibit ab ipsis Germanis expetitus (cujus etiam specimen quoddam Germanice nuper exiit) ad tantam comprimendam temeritatem atque audaciam.

N U N D I N Æ.

NUndinæ sunt de rebus majoribus semel in 1
anno, vel saltem raro in eodem loco, negotiatoribus de longinquo convenientibus. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 44. incip. *Ab eo*
tempore §. 16. Nundinæ Ecclesiasticis legibus sæpe 2
interdictæ fuerunt diebus Festis. Idem *ib.* §. 18.
Sed ob generalem consuetudinem, & necessita- 3
tem hominum tolerandæ sunt. Idem *ib.* §. 25.
Prohibentur tamen agitari commercia certis per 4
diem Festum horis, quibus divina Officia celebrantur. Idem *ibid.* §. 30. & Constit. 105. incip. *Paternæ Caritatis* §. 2. & prorogatis diebus Nundina- 5
rum, & Indultorum ad eas celebrandas concessorum. Idem *ibid.* Nundinæ in Civitate Senogallien- 6
si celebrari jubentur per septemdecim postremos dies mensis Julii, cum privativa, exemptionibus, & privilegiis. Idem cit. Constit. 105. incip. *Paternæ*. Vide *tom.* 3. verb. *Festa*, *num.* 120. 121.

N U P T I Æ.

NUptiæ dicuntur ab obnubendo, quia feminæ 1
in Nuptiis caput suum obnubere solebant. textu expresso *in cap. Nec illud* 8. *caus.* 30. *qu.* 5. ibi: *Inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberant*. Sic etiam fecit Rebecca videns Isaac sponsum venire in occursum sibi: *Gen.* 24. *n.* 64. 65. ibi: *Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de camelo, & ait ad puerum: quis est ille qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei, ipse est Dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se*.

Feminæ, dum maritantur ideo velantur, ut co- 2
gnoscant se semper maritis suis subditas esse, & humiles, textu expresso *in cap. Feminæ* 7. *caus.* 30. *qu.* 5. ibi: *Feminæ, dum maritantur, ideo velantur, ut noverint se semper maritis suis subditas esse, & humiles*. (*) Olim erat purpurei coloris, quod propterea *flammeum nuptiale* vocat S. Ambrosius *de Virgin. cap.* XV, ad denotandum fortasse pudorem, quem in conjugio servari oportet. (*)

In nuptiis annulus a sponso sponsæ datur, vel 3
prop-

propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur, & ideo quarto digito inseritur, textu expresso *in d. cap. Feminæ* 7. *caus.* 30. *qu.*5. *in fine*, ibi: *In primis Nuptiis annulus a sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto digito annulus idem inseritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat.* (+) Annulus ex veteri more ad sponsalia spectat, non ad nuptias. Quare Tertullianus *Apolog. cap. 6.* eum vocat *pronubum annulum*. Vide S. Nicolai I. *responsa ad Consult. Bulgaror.* ubi cæremonias in sponsalibus adhiberi solitas ab illis, quæ in nuptiis, aperte distinguens, annulum ad *arrhas* refert, quibus *sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit.* (+)

4 Veritas Nuptiarum non consistit in sola commixtione maris & feminæ, sed principaliter in tori conjugalis fide, & cura ordinata filios procreandi, ut expresse cavetur *in c. Non enim caus.* 32. *q.*1. Unde qui non causa procreandi filios, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur non tam conjuges, quam fornicarii videntur, textu expresso *in cap. Pudor* 1. *caus.* 32. *q.* 2. ibi: *Qui ergo non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur, non tam conjuges, quam fornicarii videntur.*

5 *Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum.* Sic expresse dicitur *in cap. Nuptiæ* 11. *caus.* 32. *q.* 1. Nuptiæ secundæ permittuntur ut licitæ: *cap. Hac ratione* 9. *cap. Quomodo* 10. *c. Aperiant* 11. *cap. Deus* 12. *& cap. Quod si dormierit* 13. *caus.* 31. *q.* 1. cum similibus.

6 In Nuptiis non debent Christiani saltare, & alia similia facere. *Concil. Laodicens. cap.* 53. ibi: *Non oportet Christianos ad Nuptias euntes vel ballare, vel saltare, sed caste cœnare, vel prandere, sicuti competit Christianis.* Et hoc in secundis Nuptiis prohibetur sub pœna excommunicationis, & alia arbitraria. *Conc. Turonen. IV. cap.* 13. ibi: *Fieri omnino prohibemus sub Excommunicationis sententia, & alia pœna arbitraria.*

7 Nuptiarum solemnitas Jure veteri prohibita erat a Septuagesima usque in octavam Paschæ, & tribus hebdomadis ante Festivitatem Sancti Joannis Baptistæ, & ab Adventu usque in Epiphaniam: textu expresso *in c. Non oportet* 10. *caus.* 3. *q.* 4. ibi: *Non oportet a Septuagesima usque ad octavam Paschæ, & tribus hebdomadis ante Festivitatem Sancti Joannis Baptistæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur*, & ex parte concordat *cap. Non oportet* 8. *c. Non licet* 9. *& cap. Nec uxorem* 11. *ead. caus.* 33. *& q.* 4. & de his sermo *in cap. Capellanus* 4. *de feriis.*

8 Jure autem novissimo Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reformat. Matrimonii cap.* 10. Nuptiarum solemnitas prohibetur solum ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, ibi: *Ab adventu Domini Nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit. In aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, curabunt; sancta enim res est Matrimonium, & sancte tractandum.*

Tempus Adventus in hac prohibitione incipit a primis vesperis Sabbati præcedentis: in Feria autem quarta Cinerum a media nocte illius Feriæ. Barbosa *in d. sess.* 24. *Concil. Trident. cap.* 10. *n.* 2. Molfes. *in Summa Theologiæ moralis tract.* 4. *cap.*11. *num.* 11. & alii passim. Terminat autem tempus dictæ prohibitionis in die Epiphaniæ inclusive, & in die octavæ Paschatis etiam inclusive: Concilium enim, dum dicit, *usque in diem Epiphaniæ*, excludit ipsius octavam, & dum subjungit *inclusive*, comprehendit tam ipsam totam diem Epiphaniæ, quam totam diem octavæ Paschatis, quia illud verbum *inclusive* ad utrumque tempus est referendum, cum nulla subsit ratio diversitatis, ut recte notat Fagnan. *in cit. cap. Capellanus* 4. *n.* 5. *de Feriis arg. l. Plures* 29. *ff. de rebus dubiis, & l. Cum post omnes* 1. *Cod. de liberis præteritis.* 9 10

Nuptiarum solemnitas pro certis anni temporibus potuit, & potest licite prohiberi ab Ecclesia, & contrarium asserens est anathema. Concil. Trid. *sess.* 24. *Doctrina de Sacramento Matrimonii Canon.* 11. ibi: *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, aut alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.* 11

Omnia ea, quæ concernunt Nuptiarum benedictionem. Vide verb. *Benedictio art.* 4. *per totum.* 12

Traductionem uxoris ad domum viri etiam privatam, & sine solemnitate, item & carnalem copulam, seu consummationem Matrimonii prohiberi in supradictis anni temporibus censet, & multis adductis probat Fagnanus *in cit. cap. Capellanus* 4. *de Feriis a n.* 8. *usque in finem*: At solam traductionem, quæ fit cum solemnitate esse interdictam tenet Gofredus *in summa tit. de Matrim. contrahend. contra Interdict. Eccles. num.* 2. Tancred. & post eum Hostiens. *in cit. cap. Capellanus n.* 2. *in fine*, Reiffenstuel *Theolog. Moral. dist.* 14. *qu.*2. *n.* 12. Sanchez *de Matrim. tom.* 2. *l.* 7. *n.* 16. Item & copulam carnalem, seu consummationem Matrimonii esse licitam dictis temporibus tenent Sanchez *loc. cit. n.* 23. Navarr. *in Manual. cap.* 22. *n.* 7. Card. Bellarm. *l.* 1. *de Matrim. cap.* 31. *ad finem*, Barbosa *in d. sess.* 24. *cap.* 10. *de reformat. Matrim. n.* 5. & alii passim, & signanter Nicolius *in Flosculis verb. Matrimon. num.* 6. ubi expresse dicit, quod Matrimonium contrahere, vel consummare absque Nuptiis, & traductione sponsæ solemni, ac sine benedictione nuptiali nullo tempore prohibetur. *Ex Rituali Roman. Rubr. de Sacrament. Matrim.* Navarr. *cap.* 22. *num.* 71. & jam sic obtinuit praxis, ut quocumque tempore licite Matrimonium contrahatur coram Parocho, & testibus absque solemnitate, per textum *in cit. c. Capellanus* 4. *de Feriis*, ubi dicitur, quod *ea sit Romanæ* 13

manæ Ecclesiæ consuetudo, ut quocumque tempore
16 *Matrimonium contrahatur*; Unde denunciationes Matrimonii fieri possunt temporibus prohibitis nuptias celebrare, ut expresse decrevit *Sacr. Congr. Ep. & Reg.* 18. *Dec.* 1589. apud Barbosa *in Summa Apost. dec. verb. Denunciationes Matrimoniales n.* 2. *& de offic. & potest. Parochi cap.* 21. *n.* 14.
17 Per Nuptias enim prohibitas proprie intelligitur ipsamet solemnitas, seu pompa exterior, quæ in contractu matrimoniali communiter adhiberi solet; *arg. Concil. Trid. cit. sess.* 24. *Canon.* 11. ibi: *Prohibitionem solemnitatis nuptiarum, & cit. cap.* 10. *ejusdem sess.* 24. ibi: *solemnium nuptiarum prohibitiones.... Nuptias solemniter celebrari*, ut expresse docet Reiffenstuel *loc. cit. dist.* 12. *num.* 2. & alii passim.
16 Attendenda sunt hic quæ sapientissime suo more tradit Card. de Lambertinis, Ben. XIV. in suis eruditissimis Notificationibus *Volumine* 4. *Notification.* 13. *per tot.* ubi plurimis solidissime ad rem adductis merito ibi videndis, docet ad licite contrahenda Matrimonia temporibus vetitis, seu feriatis requiri licentiam Ordinarii in illis diœcesibus ubi adest, vel legitima consuetudo, vel diœcesana dispositio ipsam petendi dictis temporibus, quia ibi obtenta, & licite contrahitur Matrimonium, & sponsa absque solemnitatibus ad viri domum traducitur, juxta Decretum *Sacræ Congregationis Concilii sub die* 10. *Junii* 1684. ab ipso allegatum his verbis.

DUBIUM TRADUCTIONIS SPONSÆ.

Nonnulli Parochi pro sua & Matrimonia contrahentium quiete supplicant declarari.

An concessa per Episcopum licentia contrahendi Matrimonium temporibus a sacro Concilio vetitis, in iis locis, in quibus dispositio ejusdem Concilii ad ipsum quoque Matrimonii contractum reperitur a consuetudine extensa, dicatur etiam permissa traductio sponsæ, seu uxoris ad domum viri? Die, & anno quo supra, Respondit: *Affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitatibus.*

17 Ac inde concludit sapientissimus Pontifex: Nemo ergo super hoc se, ac alios inquietet; & si quis zelat evellere in hac materia abusus, curet potius eradicare a mente nubere volentium superstitionem jam pene universaliter introductam nolendi uxorem ducere mense Maii, juxta sancita in Concilio Provinciali Burdigalensi de anno 1624. *cap.* 7. *de Matrimonio num.* 5. ibi: *Abolenda sane perversa illa, ac superstitiosa quorumdam opinio mense scilicet Majo uxorem non ducendi, quasi aliud ex eo mali ominis emanans fidelitati contrahentium, ac prosperitati Nuptiarum offerre possit. Doceatur igitur populus, & ab omnibus Parochis sepæ instruatur, ut superstitiosis illis nugis fidem haudquaquam adhibeat, sed præter ea tempora in quibus ex præscripto Ecclesiæ a celebratione Nuptiarum abstinendum, nullum esse, quo ipsæ jure, & canonice celebrari prohibeantur.*

20 Mater transiens ad secundas nuptias privatur tutela filiorum prioris Matrimonii textu expresso in *l. Matres* 2. *Cod. quando mulier tutelæ officio fungi potest*, ibi: *Nam si malunt alias optare Matrimonia, tutelam administrare non debent*, & concordant *Authen. Sacramentum, & l. Si pater* 3. *Cod. eod.* Item perdit etiam curatelam eorum, *l. Quod si nolit* 31. §. 13. *ff. De Ædilitio Edicto*, Reiffenstuel *l.* 4. *decr. tit.* 21. *num.* 39. Sanchez *de Matrimonio lib.* 7. *disp.* 88. *num.* 4. *&* 11. Joannes Angelus Bossius *de Matrim. contract. cap.* 11. *n.* 268. Rosignol. *in alias de Matrimonio controversias contract.* 15. *de Matrimonio IV. prænot.* 6. *num.* 1. *&* 3. & alii passim. Et ratio est, quia vehemens & efficacissima præsumptio est, quod femina transiens ad secundas nuptias negligat filiorum præcedentis Matrimonii curam, eorumque bona in commodum posterioris Matrimonii cum illorum jactura disperdat.

Dicta tamen pœna non afficit patrem transeuntem ad secundas nuptias. Baldus *Authent. Eisdem pœnis n.* 8. *Cod. de secundis nuptiis*, Angelus *l. Ex facto num.* 4. *ff. de vulgari, & pupillari substitutione*, Pinellus *l. final. num.* 15. *Cod. de bonis maternis*, Reiffenstuel *loc. c. n.* 39. Rosignol. *loc. cit. num.* 2. Sanchez *loc. cit. num.* 12. & alii; Immo existente patre non datur filiis Tutor, nisi eosdem emancipet; *l. Si infanti* 18. *Cod. de Jure deliberand.* manetque pater legitimus administrator gaudens usufructu bonorum maternorum, filiis quoad proprietatem competentibus; *l. Generaliter* 5. *verb. Negotia, Cod. De secundis nuptiis, & l. Omnem* 4. *Cod. de bonis maternis*, ibi: *Patres igitur usumfructum rerum maternarum, etiamsi ad secundas nuptias migraverint, sine dubio habere debebunt*: Supradicta enim lex cum præcise loquatur de matre binuba, & non de patre binubo, utpote pœnalis, est stricte interpretanda, nec est extendenda ultra expressa; *arg. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6. cum similibus; Tum quia in patre binubo non currit illud tantum periculum in damnum filiorum prioris Matrimonii, quod currit in matre binuba, ut de se patet, adeoque &c. 18

Parentes transeuntes ad secundas Nuptias, quando amittant hereditatem, & legitimam filiorum præmortuorum. Vide verb. *Legitima a n.* 33. *ad* 35.

Alia ad rem. Vide verb. *Benedictio art.* 4. *per tot.* 19
& verb. *Uxor n.* 42.

Nuptiarum ritus superstitione infecti, fidelibus 20
Indis prohibentur. Bened. XIV. tom. 1. Constitut.
107. incip. *Omnium solicitudinum* §. 2. & 14. Nu- 21
ptiarum tempora ab Ecclesia præscripta, sunt observanda etiam in Regno Serviæ, & finitimis regionibus. Idem Constitut. 89. incip. *Inter omnigenas* §. 16. Nuptiis infidelium, quæ temporibus 22
vetitis celebrantur, non prohibentur fideles assistere, dummodo fieri possint absque Creatoris injuria, & offensione fidelium, & Ecclesiæ Dei. Idem *ibid.*

Secundæ, tertiæ, & ulteriores nuptiæ sunt fi- 23
delibus permissæ. (1) Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 8. & Constitut. 129. incip. *Eo quam-*

(1) Duriora quædam in secundas nuptias, multoque magis in tertias apud Athenagoram in *legat. pro Christian.* Clementem Alexandrinum *lib.* II. *Strom.* Theophilum Antiochenum *lib.* III. *contr.* Auto-

24 *quamvis tempore* §. 29. Attamen a Præsbyteris minime benedicendæ sunt. Idem in cit. Constitut.
25 *Etsi Pastoralis* §. 8. (2) Secundæ nuptiæ impedimento sunt, ne quis promoveri possit ad Ordines sacros, etiam in Ecclesia Græca. Idem *ibid.* (3)
26 Secundæ nuptiæ prohibentur Diaconis, & Presbyteris Græcis, aliisque Orientalibus, sub pœna nullitatis, & depositionis ab Ordine. Idem in cit. Constitut. *Etsi Pastoralis* §. 7. & cit. Constitut. *Eo quamvis tempore* §. 30.

27 In Nuptiis Canæ Galilææ, ad quas fuit Christus vocatus, qui fuerit sponsus, valde inter se dissident Auctores. Plures enim volunt, quod sponsus fuerit S. Joannes Evangelista, qui viso miraculo conversionis aquæ in vinum, una cum sponsa de contrahendo matrimonio abjecit consilium. Auctores hujus sententiæ inter alios refert Tirinus in *Chronico sac. pag.* 51. *n.* 67. præcisis his verbis: *Addit S. Hieronymus, Augustinus, Beda, Alcuinus, Lyranus, Vincentius, & nemo veterum refragatur (immo ipse Joannes revelavit S. Gertrudi) Joannem fuisse sponsum illum in nuptiis Canæ Galilææ.* Barradius dicit, sponsam quoque Joannis se pariter consecrasse Christo, *& lateri B. Virginis adhæsisse.* Theophilus Raynaudus *tom.* 8. in Opere de titulis cultus specialis Sanctorum *punct.* 14. *pag.* 574. inter virgines in conjugio recenset juxta aliquorum sensum (quem tamen ipse non amplectitur) S. Joannem Evangelistam, quem volunt fuisse sponsum, idest absque conjugii usu jam virum, a Nuptiis in Cana Galilææ a Christo abductum. S. Augustinus in *Præfat. in Joan.* hæc habet: *Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, & cui matrem virginem virgini commendavit*; cui videtur subscribere S. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 4. *in resp. ad* 1. ibi: *Et ideo Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non separavit ab uxore: Joannem tamen volentem nubere a nuptiis revocavit.* Ast contrariam sententiam secutum fuisse S. Augustinum tradit Baronius ad *an. Christi* 31. *n.* 30. *& seq.* dicens, quod S. Augustinus asserit, Joannem revocatum fuisse a nuptiis, non quod uxorem duxerit, eamque reliquerit, sed quod eam prorsus non acceperit, id colligens ex præcisis verbis ejusmet S. Doctoris in fine citati operis, ibi: *Plus amatur, quod neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit.* Sicque tenet etiam eruditissimus Card. Lambertinus Benedictus XIV. *lib.* 3. *de Canonizat. Sanctor. c.* 37. *num.* 1. ubi ex relatis dictis verbis S. Augustini sic concludit: *Adhærendum esse videtur communi veterum sententiæ, quæ eum cælibem fuisse affirmat.* Legi potest Card. Baronius ad *ann. Christi* 31. *num.* 32. *& seq.* memoratamque sententiam amplectunctur ex Patribus Epiphanius *Hæres.* 58. §. 4. Chrysostomus *de Virginitate cap.* 82. Cassianus *Collat.* 16. *cap.* 14. Ambrosius *de Institut. Virgin. cap.* 7. Paulinus *Epist.* 43. Hæc ipse ad lit. qui idemque confirmat in Opere de *Festis J. C. n.* 16. ubi insuper dicit, quod Baronius ad *ann. Christi* 31. *num.* 30. optimo jure reprehendit Scriptores aliter sentientes, & potius Nicephoro tribuendam esse fidem, qui affirmat sponsum in illis nuptiis fuisse vel Simonem Cananæum, qui in duodecim Apostolorum numerum adscriptus, Zelotes appellatus est; vel Natanaelem e Cana, oppido in Galilæa gentium. Et quod S. Joannes non fuerit talis sponsus in Nuptiis Canæ Galilææ sustinet D. Calmet in *Dictionario* verb. *Joannes Evangelista*, expresse dicens: *Quæ utique de virginitate sententia validioribus rationum argumentis fulcitur*, quamquam Canæ sponsum fuisse tuetur.

Additiones ex aliena manu.

De secundis nuptiis non incongrue hic paucis disserendum.

Nuptiæ secundæ bifariam accipiuntur. Nonnunquam non tantum a primis, sed etiam a tertiis, & ulterioribus distinguuntur; Nonnunquam vero dicuntur quæcumque sunt post primas. De his agere intendimus. 28

Secundæ nuptiæ a primis in eo differunt, quod legatum virgini, sub illa conditione relictum, si non nupserit, debetur licet nupserit; *L. Quum tale legatum* 72. §. *Mævius ff. de Condit. & demonstr.* 29
At eadem sub conditione relictum viduæ, tametsi olim idem ex Lege Julia Miscella observaretur; 30
L. 62. §. 2. *& L.* 63. *princ. ff. eod. tit.* Jure tamen novo a secundis nuptiis abstinere debet, vel legato carere; *Novell.* 22. *cap.* 43.

Differunt præterea, quod vidua unius Matrimonii propter ingratitudinem revocare valet donationes liberis factas. *L.* 7. *C. de Revoc. donat.* At 31
quæ iterum nupsit, ob injuriam, quam vicissim facit liberis prioris Matrimonii, non utique, nisi I. Filius aperte insidiatus fuerit vitæ matris, aut II. impias manus ipsi intulerit, aut III. circa totius substantiæ ablationem aliquid molitus fuerit; *Novell.* 22. *cap.* 35. 32

Item differunt, quod ex communi juris Canonici interpretatione secundis nuptiis benedictio adhiberi non debet, nisi primæ non fuerint benedictæ; *cap.* 1. *&* 3. *de secund. nupt.* 33

Sunt qui & aliam differentiam addunt, quod scilicet nuptiæ simpliciter prolatæ de primis, non item de secundis intelliguntur, favore primarum & odio secundarum. At hanc differentiam rejiciendam esse firmat Mæstert. *de secund. nupt. qu.* 3. *fer. per tot.* nisi intentio proferentis, vel subjecta materia, aliud evincant. 34
35

Atque hinc legatum dotis relictum *mulieribus pauperibus*, debetur non solum puellis, quæ post lega- 36

Autolycum, aliosque veteres, præsertim Græcos offendas, non quod matrimonio etiam iterato infensi essent, sed quod ab Ethnicorum criminationibus non minus iniquis, quam turpibus Christianam Religionem vindicaturi, multum in eo ponderis situm esse ducerent, quod plerique Christiani ab omni conjugio abstinerent, reliqui vero illius sanctitatem perinde colerent, atque unitatem servarent: quare qui secundas nuptias inirent, eos ipsi nihil de Ecclesiæ honore sollicitos veluti communis caussæ proditores esse arbitrabantur. (2) Confer Martenium *de antiq. Eccles. ritib. p.* 11. *lib.* 1.
(3) Vide Petavium notis in Epiphanium *p.* 343. *seq.* & Cotelerium *T.* 1. *PP. Apostolic. p.* 90. *seq.*

legatum ad primum conjugium invitantur, sed & viduis, nisi tamen illud semel fuerint consequutæ; Mæstert. *de secund. nupt. quæst. 3. num. 8.*

37 In manifesto errore versantur, qui secundas nuptias odiosas esse credunt, & varias earum pœnas recensent. Causa erroris est, quod non distinguunt inter secundas nuptias, & id quod præter naturam secundarum nuptiarum evenire potest; quum contrahuntur, uti est ad eas nimia festinatio, & liberis prioris matrimonii quæsita injuria.

38 Nimium autem festinare dicuntur mulieres, quæ intra tempus (quod anni est) lugendis maritis præfixum, ad secunda vota transeunt. *L. 1. C. de secund. nupt.* Duplex autem hujus juris est ratio.
39 Prima, ne fiat turbatio sanguinis, & incertitudo generationis. Nec cessat hæc incertitudo, licet constet mulierem ex primo marito gravidam esse, propter metum superfœtationis, quod tamen deri-
40 dent saniores Physici. Altera, publica honestas, quod indecorum videatur mulierem, statim a morte Mariti, ad secunda vota transire, veluti quæ adhuc vivente marito pudicitiam violasset, vel de violanda cogitasset.

41 Mulier, quæ intra annum a die defuncti mariti nubit, varias incurrit pœnas; *L. 1. & 2. C. de secund. nupt.* Prima, & præcipua est infamia ipso jure, ita ut ne requiratur quidem Judicis sententia declaratoria. *L. 1. C. de secund. nupt.* Idque procedit, sive major, sive minor sit mulier; Quinimo eam incurrunt maritus, qui eam ducit, sciens annum luctus nondum præteriisse, tametsi sit miles; & parentes, qui eum, eamve in potestate habent, quia prohibere potuerunt. Adi Mæstert. *de secund. nupt. quæst. 9. per tot.*

42 Secunda pœna est, quod non possit mulier nomine dotis, aliove quovis titulo plus in secundum maritum conferre, quam tertiam partem suorum bonorum; *Leg. 1. Cod. de secund. nupt.*

43 Tertia pœna est, quod nihil ex ullius extranei testamento titulo hæreditatis, legati, fideicommissi, alteriusve ultimæ voluntatis capere possit; *dict. Leg. 1. Cod. de secund. nupt.*

44 Quarta pœna est, quod omnia amittat, quæ a defuncto marito ei obvenerunt: *dict. L. 1. Cod.*
45 *de secundis nupt.* Prior autem maritus hic is intelligitur, quem non debite mulier eluget. Quocirca si heres instituta a primo marito, post annum luctus secundo nupserit, ac etiam a secundo marito heres scripta ad tertia vota in annum luctus transierit, non hæreditate primi, sed secundi privabitur.

50 Quinta pœna est, quod ultra tertium gradum nulli consanguineo ab intestato succedere possit; *dict. Leg. 1. Cod. de secund. nupt.*

47 Suprascriptis pœnis Justinianus mulierem subjecit, quæ intra annum luctus non nupserit quidem, sed undecimo mense a morte mariti partum, quem ex inhonesta scortatione, & non ex defuncto marito conceperat, ediderit, *Novell. 39.*
52 *cap. 2.* Probe autem hic monet Mæstert. *de secund. nupt. quæst. 15. n. 7.* totum hoc negotium relinquendum esse arbitrio Judicis, qui examinatis diligenter mulieris moribus, aliisque circumstantiis, dijudicabit, an partus undecimo mense natus marito sit tribuendus, nec ne.

Mulierem vero, quæ intra annum luctus im- 49
pudice vivit, nec tamen parit, aut parit, sed diu post annum luctus, prælatis pœnis haud subjici firmant Scipio Gentilis *de secund. nupt. cap. 7. per tot.* & Mæstert. *eod. tract. quæst. 16. pariter per tot.*

Quatuor tamen casibus prædictas pœnas mulier 50
evitat. I. Si a Principe impetraverit, ut ipsi intra annum luctus nubere liceat; *Leg. 10. ff. De his, qui notantur infamia.* II. Si Princeps mulierem, quæ intra annum luctus nupsit, a supradictis pœnis liberet. Sed vide distinctionem hic traditam a Mæstert. *de secund. nupt. quæst. 18. per tot.* III. Si mulier juste crediderit longo tempore extinctum maritum fuisse; *arg. Leg. 8. ff. De his, qui notantur infamia.* IV. Si intra annum luctus partum ediderit, quem ex marito conceperat, cui mortuo nullum debet luctum, ut est hostis patriæ, damnatus perduellionis &c. *Leg. 11. §. 2. ff. de his, qui notantur infamia.*

Hactenus de pœnis, quas mulier incurrit nimia 49
festinatione intra annum luctus nubens. Sunt & aliæ pœnæ, quas incurrit mulier, tametsi post annum luctus nubat, in favorem, & commiserationem filiorum, si quos superstites habet. Prima 52
est, quod omnia quæ quocumque titulo a priori marito percipit, solo usufructu excepto, ad liberos ipsius proprii mariti transmittere debeat, nec eorum alienandorum facultatem habeat; *Leg. 3. Cod. de secund. nupt.*

Secunda est, quod quidquid perceperit ex suc- 53
cessione liberorum, id quoad proprietatem solo in diem vitæ suæ deducto usufructu, reliquis ejusdem Matrimonii liberis reservare debeat; *dict. Leg. 3. Cod. de secund. nupt.* Vide tamen Mæstert. *de secund. nupt. quæst. 27. & plur. sequent.* qui probe discutit, quid Justinianus circa duas hasce pœnas 54
per *Novellas suas* immutaverit. Vide quoque eumdem *q. 44. & plur. sequent.* qui de aliis pœnis disserit, tum examinat, an aliquibus in casibus eas evitet mulier.

Nostrum autem est hic tantummodo examinare, 55
an Jure Canonico *in c. penult. & ult. de secund. nupt.* omnes pœnæ, de quibus hactenus loquuti sumus, cessaverint?

Non ignoro, plures in ea esse sententia, ut 56
omnes prædictæ pœnæ a jure canonico sublatæ sint. Confer Scipion. Gentil. *de secund. nupt. c. 18.*
Ex aliorum vero sententia sublatæ a Jure Canoni- 57
co sunt pœnæ in odium tantummodo secundarum nuptiarum introductæ, non item illæ, quæ in favorem liberorum primi Matrimonii sunt statutæ; Peregrin. *de Jur. Fisci l. 3. tit. 15. n. 3.* Anton. Matth. *de secund. nupt. disput. 6. per tot.*

At mihi semper arrisit opinio Hunnii *ad Treut-* 58
tler. Selectar. disp. vol. 1. disp. 8. Thes. 5. litt. B. tenentis, solam infamiæ pœnam, non item cæteras pœnas jus Canonicum sustulisse. Confer omnino tum loco citato, tum clarissimum P. Girald. *in addit. ad Maschat Instit. Canon. tom. 2. pag. 677. col. 1.*

O B E D I E N T I A

Vide verb. *Votum art.* 2. *a num.* 10. *ad* 14.

OBLATI MONASTERIORUM.

* Oblati, & qui donati appellantur, quamvis non sint Religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem, & usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in Monasterium, sunt personæ Ecclesiasticæ, gaudent privilegio fori, & immunitate ab exactionibus sæcularibus. Verum ut subtrahantur ab jurisdictione Episcopi requiritur, ut actu inserviant suæ Religioni, ut late docet Benedictus XIV. *De Synodo diœces. libr.* 6. *capit.* 3. *

OBLATIONES.

1 Oblationes dupliciter sumi possunt, scilicet large, seu improprie, & stricte, seu proprie: *Communis*. Oblationes large, seu improprie sumptæ important omnes actiones, per quas quæcumque res ad divinum cultum exhibentur, seu offeruntur, ut explicant Sotus *de Justitia lib.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 23. *num.* 1. *& de Officio, & potest. Parochi par.* 3. *cap.* 24. & alii; Et sic sub nomine *Oblationum* veniunt etiam Decimæ, & Primitiæ, ut in specie advertit Silvester *in Summa verb. Decima n.* 2. & Barbosa *locis citatis*, & de Decimis patet *ex Genes. cap.* 28. ibi: *Decimas offeram tibi, & Num. cap.* 18. ibi: *Decimarum oblationem*. Et de Primitiis patet *Exodi* 34. ibi: *Primitias frugum terræ tuæ offeres, & Levitici* 2. ibi: *Primitias tantum*
3 *eorum offeretis*. Oblationes stricte, & proprie sumptæ dicuntur res illæ, quas fideles religionis intuitu immediate offerunt Deo, ut deserviant, vel ad usum Ecclesiæ, vel ad usum Ministrorum, juxta illud *Matthæi* 5. ibi: *Si ergo offers munus tuum ad altare; & Deuteronomii* 23. ibi: *Non offeres mercedem: & Malachiæ* 1. ibi: *Si offeratis*, sive res sint mobiles, sive immobiles, sive testamento legentur, sive aliter donentur; *arg. c. qui Oblationes* 10. *& c. Clerici* 11. *caus.* 13. *quæst.* 2. Sic Marc. Socin. *in tract. de Oblationibus libel.* 1. Troil. Malvet. *in simili tractatu fere per tot.* Monet. *De Decimis cap.* 2. *num.* 9. Galgan. *de Jure publico lib.* 3. *tit.* 53. *num.* 1. Barbosa *loc. cit.* & alii passim.

Unde harum Oblationum tres sunt species. Prima dicitur donatio rei inter vivos facta Deo, & 4
Ecclesiæ, *arg. cap.* 1. *Indigne* 21. *caus.* 12. *quæst.* 2. Secunda dicitur donatio causa mortis, quæ fit in testamento pro animæ redemptione, *arg. cit. cap. Indigne*. Tertia dicitur usualis, & est illa, quam faciunt fideles offerendo aliquas suas res in Ecclesia ad altare, aut in alio Ecclesiæ loco, aut etiam extra Ecclesiam ad Imaginem miraculosam vel devotam, & hujusmodi, prout ad longum refertur *in cap. Cum inter* 29. *de verbor. significat.* in cujus summario sic præcise habetur: *Oblationis nomine intelligitur, quidquid offertur Ecclesiæ, quocumque modo in Missa, vel extra, & in Ecclesia, vel extra*.

Oblationum usus cœpit ab origine mundi tem- 5
pore Cain, & Abel; *Genes.* 4. ibi: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, & deinde tempore Noe; *Genes.* 8. ibi: *Ædificavit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare*. Et postea tempore Moysis *Numer.* 7. ibi: *Obtulerunt principes Israel, & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino &c.* & sæpe sæpius aliis temporibus, ut patet in toto veteri Testamento, & etiam in novo, ubi *Matth.* 2. Magi *obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham*; Et sic in lege gratiæ adest antiquissimus usus offerendi in altari, vel Ecclesia tempore Missæ panem, vinum, (1) oleum, ceram, & alia hujusmodi, ut constat ex Canonibus *sextæ Synodi*; & in *Canone* 28. *Trullano* declaratur, qua ratione possint fructus aliqui offerri. (2)

Oblationes non debentur ex præcepto, nisi in 6
qua-

(1) Istæ potissimum oblationes sunt, quæ ab Ecclesiæ primordiis ad omnes gentes propagatæ sunt, panis, & vinum, quæ tantum elementa proprie ad sacrificium pertinebant. Hinc Diaconi, atque subdiaconi ubi ea collegerant, statim ad altare deferebant, Deo per Episcopum offerenda; ita tamen ut panis, ac vini ea tantum pars ad Eucharistiam asservaretur, quæ adstantibus fidelibus communicandis satis foret; cætera vero de altari per eosdem Diaconos auferrentur, fidelibus item, atque clero distribuenda.

(2) Inter veterum oblationes celebrantur præter oleum, & ceram, mel, lac, thus, uvæ, frumenta, quæ tamen non ubique omnia, neque uno temporis vestigio, sed sensim, ut altari offerrentur, permissa. Sic nonnullæ harum oblationum Canone Apost. IV. memorantur; contra *can.* III. mellis, lactis, siceræ, volatilium, aut animalium quorumdam, sive leguminum oblationes vetitæ fue-

quatuor casibus enumeratis a S. Thoma 2. 2. *q.* 86. *art.* 1. Barbosa *locis cit. num.* 10. Reiffenstuel. *lib.* 3.
7 *decret. tit.* 30. *a num.* 183. & ab aliis passim. Primus casus est, cum debentur per modum census, aut pensionis, seu conventionis antea factæ cum Ecclesia, seu ejus ministris, quia omne pactum servandum est; l. *Hujus edicti* 1. *ff. de pactis*, *cap. Antigonus* 1. *& cap. Qualiter* 3. *de pactis*, cum si-
8 milibus. Secundus causus est, cum debentur ex testamento, legato, voto, vel donatione inter vivos; Vota enim realia, & legata adimpleri debent etiam per successores, *cap. Licet* 6. *de voto, & voti redemptione*, *l. Si quis* 2. *de pollicitationibus* cum similibus, sicuti & omnino servari debent ultimæ testamentariæ voluntates: *cap. Ultima voluntas* 4. *caus.* 13. *quæst.* 2. cum concordantibus, nec revocari possunt donationes inter vivos sine legitima causa; *l. Si donationem* 5. *& leg. Generaliter sancimus* 10.
9 *de revocandis donationibus*. Tertius casus est, cum ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem: tenentur enim Parochiani ex præcepto naturali, & divino ad exhibendas oblationes, quando presbyteri indigentes sunt, nec habent unde possint sibi necessaria ministrare: quia, ex quo ministrent populo spiritualia, merentur ab eo temporalia; *cap. Si Episcopus* 6. *de Offic. Ordinar. in* 6. *& Matth. cap.* 10. *num.* 10. dicitur expresse; *Dignus est enim operarius cibo suo; & Lucæ* 10. *num.* 7. *Dignus est enim operarius mercede sua; &* 1. *ad Corinth. cap.* 9. *num.* 13. expresse habetur; *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant*; Unde *cap. Cum secundum* 16. *de præbendis* expresse dicitur: *cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio*
10 *deputantur, ut ipsa nobis ratio persuadet*. Quartus casus est, cum alicubi longa consuetudine introductum habetur, quod certis anni temporibus & festivitatibus a populo Oblationes fiant; *cap. Omnis Christianus* 69. *dist.* 1. *de consecrat.* ibi: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus Moysi dixit: non apparebis in conspectu meo vacuus; Etenim in Collectis Ss. Patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu Ss. Patrum debent*, ex quibus ultimis verbis clare patet ex usu, & consuetudine oriri talem obligationem, *& cap. Ad Apostolicam* 42. *de Simonia*, ubi *laudabiles consuetudines* aliquid dandi, & offerendi *ex devotione fidelium introductæ*, præcipiuntur observari: Et sic cum S. Thoma, & aliis supracitatis *num.* 6. tenent *communiter Doctores*.

11 Ad hoc autem, ut consuetudo faciendi Oblationes obliget, duo præcipue requiruntur. Primo, ut longo tempore vigeat talis consuetudo, videlicet saltem per decem annos, *arg.* §. 1. *Institut. de Usucap.* ubi decem anni longum tempus efficere dicuntur: Unde quando tanto tempore populus ex devotione perseveravit facere dictas Oblationes, præsumitur ad eas se voluntarie obligasse: quamvis enim hæc consuetudo a principio fuerit voluntaria, & minime obligatoria, elapso decennio, habet vim legis, & obligat; quia acceptata est, & præscripta ut obligatoria. Guttierez *Canonicar. qq. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 140. *& seq.* Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 30. *num.* 185. Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. part.* 3. *cap.* 42. *n.* 12. *& lib.* 2. *Juris Eccles. univers. cap.* 23. *n.* 12. cum aliis ibi citatis, *arg. cap. Ad Apostolicam* 42. *de Simonia*. Secundo requiritur, ut totus populus, vel saltem major pars observaverit dictam consuetudinem. Guttierez *loc. cit. n.* 150. *& sequent.* Navarrus *in Manual. cap.* 13. *num.* 19. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 186. Barbosa *loc. cit.*, & alii.

Unde, si dictis duobus requisitis concurrentibus ad consuetudinem faciendi Oblationes, populus ulterius eas facere recusaret, posset per Ordinarium loci ad eas continuandas compelli, etiam per excommunicationem, si opus foret; Covarruvias *variar. resol. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 3. Guttierez *loc. cit.* Barbosa *loc. cit. num.* 10. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 189. & alii communiter ita intelligentes Glossam *in c. Statuimus* 55. *caus.* 16. *qu.* 1. ubi dicit, populum via excommunicationis esse compellendum ad faciendas consuetas Oblationes, *arg. cit. c. Ad Apostolicam* 42. *de Simonia, & cap. Omnis Christianus* 69. *dist.* 1. *de consecrat.* 12

Oblationes omnes factæ intra Ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocumque loco sito intra limites parochiæ, de Jure communi spectant ad Parochum loci, nisi aliud habeat loci legitima consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, & voluntate. *Communis* cum Barbosa *locis citatis a num.* 22. Reiffenstuel. *loc. cit. n.* 190. Fagnan. *in c. Pastoralis* 9. *num.* 16. *De his, quæ fiunt a Prælatis*, Rota recent. *part.* 1. *dec.* 256. *num.* 1. *& dec.* 408. *num.* 1. *par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 161. *n.* 9. *& dec.* 402. *n.* 10. *par.* 19. *tom.* 1. *dec.* 234. *n.* 2. *&* 3. & sæpe alibi, *arg. cit. cap. Pastoralis* 9. *De his, quæ fiunt a Prælatis*, ubi omnes parochianorum proventus parochiali Ecclesiæ, & ejus ministro attribuuntur; *c. Ex transmissa* 10. *de præscrip. cap. Quia Sacerdotes* 13. *& c. Sanctorum* 14. *caus.* 10. *q.* 2. Et ratio est, quia nisi aliter constet de voluntate, & intentione offerentis, Oblationes fieri censentur Parocho ratione curæ animarum, administrationis Sacramentorum, & aliorum Divinorum, *arg. cit. c. Quia Sacerdotes* 13. *caus.* 20. *q.* 2. Rota rec. *par.* 6. *t.* 2. *d.* 402. *n.* 11. 13

Notanter autem dicitur in conclusione: *Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, & voluntate*; quia si alicubi legitima consuetudo habeat, ut Oblationes non ipsi Parocho, sed Ecclesiæ, vel alii pio loco, seu causæ piæ applicentur, v. g. ad comparanda Ecclesiastica ornamenta, ad construendam, vel reparandam fabricam Ecclesiæ, seu Capellæ, & hujusmodi, seu pro commodo alterius Sacerdotis 14

fuerant. Alia tamen super his disciplina utebantur Africani, alia Galli, ut notat Selvaggius *Antiquit. Christian. lib. II. cap.* 1. §. 6. Sed de his oblationibus consule, si placet, Francisci Antonii Zaccaria nuperrime vulgatum onomasticon rituale; præsertim vero P. Francisci de Berlendis e Clericis Regularibus *de oblationibus ad Altare communibus, & peculiaribus* luculentissimam dissertationem historico-Theologicam a. 1743. Venetiis e Balleoniano typographio emissam.

tis celebrantis, seu Ministri, tunc Oblationes sunt applicandæ juxta talem consuetudinem: *argum. cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*, & *cap. Cum inter* 29. *de verb. significat*. Et sic tenet commu-
15 nis Doctorum teste Fagnano *loc.cit. num.*36. Et a fortiori non Parocho, sed supradictis locis, & causis piis applicari debent Oblationes, quando sufficienter constat talem esse intentionem, & voluntatem offerentium. Rota *p.*5.*t.*1. *dec.*37. *n.*8. ubi expresse dicit, oblationes, quæ præstantur a fidelibus ad certum finem, & usum, nullo modo spectare ad Parochum, sed eorum voluntatem esse servandam; Et sic tenet *communissima Doctorum*, *arg. l. In re mandata* 21. *Cod. mandati*.

16 Hinc Oblationes, quæ fiunt Oratoriis, Capellis, aut aliis locis intra, vel extra Ecclesias, ubi aliquæ Imagines miraculosæ depictæ vel sculptæ existunt, non spectant ad Parochum, sed ad Oratorium ipsum, seu Capellam pro construenda in honorem Imaginis ampliori, & splendidiori Ecclesia, seu Capella. Consuetudo enim pene universalis & intentio, seu voluntas dantium, dicto fini, & non Parocho tales Oblationes attribuit, ut recte observant Card. de Luca *de Decimis disc.* 19. *num.*11. Reiffenstuel *loc.cit. num.*193. & alii passim ex jam communi praxi docentes, quod hisce temporibus solæ Oblationes, quæ in Ecclesia sub Missis ad altare fiunt, & quæ pro administratione Sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut Mulieribus post partum, pro exequiis, & sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad Parochum spectent, consuetudine, & intentione offerentium reliquas ferme omnes alias Oblationes Ecclesiis ipsis, capellis, altaribus, aut aliis certis finibus applicante, ut recte observant Reiffenstuel *loc.cit. num.*193. Van-Espen *in jur. Ecclesiast. univers. part.* 2. *tit.* 33. *c.*10. cum aliis ibi citatis.

17 Administratio tamen similium Oblationum spectat ad Parochum, ut scilicet eas ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem offerentium applicet. Rota *part.*5. *tom.*1. *decis.* 37. *num.*9. & *seq.* Fagnan. *in cit. cap. Pastoralis num.*39. Abbas *ibid. n.*2. Barbosa *loc.cit. num.*194. Van-Espen. *loc.cit. num.*24. & alii passim.

18 Nisi tamen ex longæva consuetudine talis administratio ad laicos ab initio legitima auctoritate ad id deputatos pertineat, quia in tali casu uti de facto pluribus in locis id praxis docet, possunt laici, vel soli, vel una cum Parocho juxta consuetudinem tales Oblationes licite administrare cum talis administratio non sit alicujus juris spiritualis, sed rei mere temporalis; sicut enim Laici tales Oblationes, ac reliquas Ecclesiæ supellectiles custodire, ita & easdem administrare, ac pro debito usu applicare possunt; Fagnan. *in cit. cap. Pastoralis num.*20. & *seq.* Van-Espen *loc.cit.* Reiffenstuel *loc.cit.* Card. de Luca *lib.*14. *part.*4. *Miscellan. Ecclesiastic. disc.*36. *per tot.* ubi pluribus adductis id ad longum demonstrat, & consuetudinem admittendam esse in materia Oblationum docet de com-
19 muni Barbosa *loc.cit. num.*31. Unde confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere, & administare Oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant; Amostaz *de casibus piis tom.*1. *lib.*4. *cap.*1. *num.*11. cum aliis ibi citatis, Card. de Luca *loc. cit. num.* 12. Fagnan. *loc.cit. n.*22. Decius *consil.*148. *num.*3. *vers. sed tamen in casu proposito*. Ferret. *consil.* 143. *num.* 6. & alii. Vide *verb. Confraternitas artic.*3. *num.* 23. & 24.

Oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ privatæ spectant ad Parochialem, intra cujus fines situs est paries; non vero ad ipsam personam privatam dicti parietis dominam: Amostaz *loc. cit. n.* 11. Marescottus *Variar. lib.*2. *cap.*42. *n.*4. Barbosa *loc.cit. n.*26. Hieronymus Carat. *in Opuscul. de juribus Parochi tit.* 3. *cap.* 11. Fagnan. *loc.cit. num.*18. cum pluribus aliis. Nisi tamen offerens obtulisset contemplatione domini domus, puta si talis esset pauper, vel offerens sciret dominum domus ex consuetudine convertere Oblationes in suas necessitates, vel in pios usus, ut advertunt Hieronymus Carat. & Barbosa *loc.cit.* addentes non obstare *cap. Hanc consuetudinem* 15. *caus.*10. *qu.* 1. quia loquitur de oblatis in Ecclesia non in loco profano. 20

Oblationes quæ fiunt tempore Jubilæi, vel anno sancto in Ecclesia cathedrali, seu imaginibus intra Ecclesiam, & Parochiam existentibus, spectant ad Archipresbyterum ejusdem Ecclesiæ privative ad Episcopum; Cum enim Archipresbyter habeat curam animarum, & sacramentorum administrationem, habet per consequens de Jure communi fundatam intentionem in omnibus Oblationibus, *cap. Pastoralis* 9. *de his*, *quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli*, *cap. Quoniam* 13. *de Decimis*, *cap. Dilectus* 18. *de Offic. Ordinar.* cum concordantibus; adeoque Oblationes ad ipsum Archipresbyterum, seu Parochum pertinent, & non ad Episcopum. Sic tenent Amostaz *loc. cit. num.* 13. cum pluribus ibi citatis, Barbosa *loc.cit. n.*27. & 29. cum aliis pluribus; Marian. Socin. *in tract. de Oblat. libell.*18. *num.*9. testans de communi, Fagnan. *loc.cit. n.*18. affirmans hanc sententiam esse receptissimam, & sic sæpius censuit Rota, & signanter *par.* 1. *recentior. decis.*256. & *par.*1. *dec.*27. *num.*2. ubi refertur ita etiam censuisse *Sacram Congregationem Concilii in una Cavensi*. Si autem loca, ubi sunt depictæ sacræ imagines, non sunt intra fines alicujus Parochiæ, aut incertum sit, de cujus Parochia existant, eo quod limites non sint distincti, tunc Oblationes integre pertinent ad Episcopum Diœcesanum, per textum *in cap. Quoniam* 13. *de Decimis*, uti ibi notant communiter Doctores teste Fagnano *ibid. n.*10. & *in cit. c. Pastoralis* 9. *de his*, *quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli num.*32. & sic expresse Rota recent. *par.*5. *tom.* 1. *decis.*37. *num.*4. Intellige tamen quoad omnia supradicta; *Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo*, *aut aliter constet de offerentium intentione*, & *voluntate*, ut jam supra dictum est *num.*14. & 15. 22 23 24

Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quæruntur monasterio pro Religiosis ibi servientibus. Rota *par.* 5. *recent. tom.* 1. *dec.* 373. *num.* 11. Fagnan. *loc.cit. n.* 34. Engel *lib.* 3. *decretal. tit.* 30. *n.*69. Reiffenstuel *ibid. n.*195. Abbas *in cap. Theodosius* 1. *de statu Monachorum*, & alii communiter; *arg.* 25

arg. cit. cap. Theodosius 1. *de statu monachorum*, ibi: *Cum monachis ibi servientibus debeat proficere quid-*
26 *quid a fidelibus offerri contigerit*. Unde Oblationes, & eleemosynæ inter Missarum solemnia possunt recipi a Regularibus, qui possunt se vertere ad populum, & generalem confessionem pro eo facere sistendo in medio altaris, non autem ab illo discedendo, & Ecclesiam circumeundo. *Sac. Cong. Concil. in Nullius Provinciæ Ravennaten.* 15. *Septemb.* 1629. apud Barbosam *in summa Apostol. decision. verb. Oblationes n.* 3. Aldan. & Novar. ibi citat.

27 Parochi diebus festis possunt post Offertorium in medio altaris vertere se ad populum, & invitando ad Oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum offerentibus: At aliis Sacerdotibus id non licet: Sic decrevisse *sacram Congregationem Concilii* refert Fagnan. *in cit. cap. Pastoralis num.*40. Parochi, stante consuetudine, possunt re-
28 cedere ab altari post Offertorium, & ad infimum locum Ecclesiæ accedere ad recipiendas Oblationes mulierum inibi existentium sejunctim a maribus. Sic declaratum fuisse a Sanctissimo refert Fagnan. *loc. cit. num.*14.

29 Sacerdotes novi non prohibentur in suis primis Missis post Offertorium in medio altaris ad populum se convertere, & Oblationes accipere a sponte dantibus, sed perambulationes per Ecclesiam, & extorsiones prohibentur. Sic decrevisse *sacr. Congregationem Concilii approbante Sanctissimo* refert Fagnan. *l.cit. n.*39. ubi subjungit, quod & sacra Congregatio Episcop. & Regul. declaravit, Sacerdoti Missam novam celebranti licere Oblationes accipere, modo non discedat ab altari, ut *in Januen.* 2. *Octobris* 1601. *in registro originali fol.* 96.
30 Et tales oblationes factæ novis Sacerdotibus, dum celebrant primas Missas, quæruntur ipsis, & non Parocho, quia sic habet ubique locorum consuetudo & talis est mens, & voluntas offerentium; Fagnan. *l.cit. n.*37. *&* 38. cum pluribus ibi citatis, & alii passim sic docente praxi ubique recepta.

31 De primo ad ultimum in materia Oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo, & mens, seu voluntas offerentium. Rota *part.*5. *rec. t.*1. *dec.*37. *n.*13. Barbosa *de Offic. & potest. Parochi part.* 3. *cap.* 24. *n.* 31. *& lib.*3. *juris Eccles. univers. cap.*23. *n.*31. cum pluribus ibi citatis, Faganan. *l.c. num.*24. 36. 37. 38. *& seq.* & alii communiter, & patet ex dictis supra *num.*14. *&* 15.

32 Oblatio major in alienatione bonorum Ecclesiasticorum semper recipitur, quando actus non est perfectus, idest quando nondum est factum instrumentum alienationis cum beneplacito Apostolico jam obtento, & executo ab executore: Beneplacita enim Apostolica conceduntur solum cum clausula, *Si in evidentem utilitatem Ecclesiæ*. Sic expresse eruditissime docet more suo Eminentissimus Cardinal. Petra *tom.*1. *Commentar. ad Constit. Apostolicas in Constit.* 1. *Divi Leonis Magni sect.*3. *num.* 37. cum Cardinal. de Luca, Salgad. Riccio, Del Bene, & aliis ibi citatis, Sabell. *in Repertorio vers. subhastatio num.*11. & plurimi alii ab ipso relati.

33 Oblatio major habet locum in re vendita in concursu creditorum. Hoc enim privilegium majoris oblationis in tali concursu æque & juste admittendum est ratione utilitatis deferendæ ipsis creditoribus, ut quantum fieri potest majori eorum indemnitati consulatur. Salgad. *in Labyrinth. credit. p.*1. *cap.*2. *num.*12. Riccius *in collect.* 1726. *vers. Limita* 3. Ridolphin. *in praxi. par.*1. *cap.*15. *num.*127. *& seq.* Thor. *in compend. Decis. Regni Neapol. verb. Obligati*; ubi de Judicato Sacri Concilii Card. Petra *loc.cit. n.*38. & alii.

Oblatio major in casu, quo habet locum in ven- 34
ditionibus, non requiritur ut sit in sexta parte, sed sufficit quæcumque, ad differentiam læsionis post contractum. Interveniente enim læsione in sexta parte, datur remedium restitutionis in integrum, quod non evenit in nostro casu, alias si oblatio deberet esse ad terminos læsionis, hoc non esset privilegium, quod tamen hic admittitur ab omnibus supracitatis communiter cum Cardin. Petra *l.cit. n.* 37. *&* 40.

Oblatio major nunquam admittitur post perfe- 35
ctum actum venditionis; quia tunc jam contractus est completus, & effectuatus, nec res amplius est integra, ut possit admitti nova major oblatio; actus autem non dicitur plene perfectus, nisi sit 36
factum alienationis instrumentum cum Beneplacito Apostolico jam obtento, & ab executore executo, de consensu partium in actu stupulationis instrumenti. Cardinal. Petra *loc.cit. n.*41. *&* 44. & alii passim.

Oblationis novæ privilegium post extinctam can- 37
delam conceditur minoribus; *l. & si sine dolo §. Quæsitam, ff. de minoribus*. Ecclesia autem potest uti omnibus privilegiis minorum, adeoque potest etiam ipsa illo uti, vel post extinctam candelam per tantum temporis, vel post 40. dies. Card. Petra *loc. cit. n.* 36. Salgad. *loc. cit. n.* 17. De Luca ad *Gratian. disceptat.*479. *n.*3. & alii communiter.

Oblatio major quando admittitur in venditioni- 38
bus rerum Ecclesiæ, semper primus emptor habet prælationem pro eodem pretio. Sic expresse *sacr. Congr. Concil. in Neapolitana pro PP. Tertii Ordinis S.P. Francisci die* 17. *Augusti* 1697. in qua responsum fuit: *Ad mentem Eminentissimi Præfecti pro concessione domus majori oblatori, data tamen prælatione pro eodem pretio primo emptori*. Et idem confirmavit *die* 28. *Septembris* 1697. *persistendo in dec. &* 23. *Novembris ejusdem anni* 1697. teste Card. Petra *loc.cit. n.*42.

Oblatio major admittitur, etiamsi fuerit initum 39
instrumentum venditionis cum reservatione Beneplaciti Apostolici, donec hoc subsequatur; quia licet fiat instrumentum venditionis, si reservetur Beneplacitum Apostolicum, quoadusque hoc obtineatur, actus est nullus, & sine vigore, adeoque interim sine difficultate est locus novæ majori oblationi. Card. Petra *loc. cit. n.* 42. Card. de Luca *de alienat. discurs.* 12. & alii passim.

Immo oblatio major admittitur, etiamsi sit jam 40
expeditum Beneplacitum Apostolicum in forma commissaria, & nondum ab executore sit executioni demandatum; quia donec ab executore non proferatur sententia, & executioni demandetur, res adhuc remanet integra, adeoque in majorem Eccle-

Ecclesiæ utilitatem potest, & debet interim admitti nova major oblatio, Card. Petra *cit. num.*42. & Card. de Luca *cit. discurs.* 12. & alii.

41 Insuper oblatio major habet locum etiamsi fuerit concessum Beneplacitum Apostolicum, & executum, cum facultate vendendi pro certo pretio certæ & determinatæ personæ; quia semper est locus novæ majori oblationi, donec actus sit perfectus, & completus; ad perfectionem autem, & complementum actus requiritur consensus partium in actu stipulationis instrumenti; Card. Petra *loc. cit. n.*44. & alii. Et ad id videtur facere *resolutio S. Cong. Concil. in Urbinaten.* 8. *Maii*, & 24. *Julii* 1734. apud Thesaurum *Resolutionum sacræ Cong. Conc. tom.* 6. quæ resolutiones prostant Venetiis apud Joan. Baptistam Recurti.

42 Oblator secundus, quando præfertur in emptione bonorum Ecclesiasticorum, tenetur reficere expensas primo emptori pro Beneplacito impetrato, illiusque executione. Cardin. de Luca *cit. discurs.* 52. Card. Petra *loc. cit. num.* 43. & alii.

43 Oblationum, vel eleemosynarum in Oratorio collectarum nequit Parochus administrationem exercere, vel clavem capsulæ pro illis conservandis expositæ retinere. *Sacr. Congreg. Concil. in Novarien. Aggregationis* 24. *Septembr.* 1718. *ad VII. dub.* apud Thesaurum resolutionum sacr. Congreg. Concil. tom. 1.

44 De oblationibus a fidelibus exteris, & non parochianis Oratorio rurali B. M. V. relictis, nulla Parocho portio debetur. *Sacr. Congr. Concil. in Tarantasien.* 22. *April.* 1719. *ad* 5. *dub.* apud dict. Thesaurum tom. 1.

45 Oblationum ad imaginem spectantium administrationem spectare ad Parochum una cum Oeconomo ecclesiastico ab ipso Episcopo deputando, vel in casu vacationis Episcopatus, a Metropolitano, rescripsit *sacr. Congr. Conc. in Portucallen.* 11. *Januar.* 1727. *ad III. dub.* apud dict. Thesaur. tom. 4.

46 Oblationum factarum confraternitati administratio spectat non ad rectorem Ecclesiæ, sed ad præfectum confraternitatis; ita tamen ut de eis rationem Episcopo reddat. *Sacr. Congr. Concil. in Cusentina Capellæ* 3. *Decembr.* 1729. *ad IV. dub.* apud dict. Thesaur. tom. 4.

47 Administrationem oblationum propriam esse rectoris Ecclesiæ, in qua illæ fiunt, excluso etiam Parocho, fuse probat Card. Petra *tom.* 2. *ad Constit.* 1. *Anastasii IV. sect.* 2. *num.* 20. & statuit *sacr. Congr. Concil. in Asculana Jurium*, & *functionum Parochialium* 29. *Aug.* 1733. ubi *ad IV. dub. An eidem rectori debeantur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in dicta villa Tini, seu in Oratorio prædicto, & an valeat in illarum administrationem se ingerere absque licentia, & consensu dicti Parochi?* Respondit: *Ad IV. Affirmative quoad oblationes, & eleemosynas in Oratorio, ita tamen ut ratio reddatur Episcopo, & dictæ eleemosynæ convertantur in usum, & cultum illius Ecclesiæ cum approbatione ejusdem Episcopi.* Sic apud dict. Thesaurum *tom.* 6.

48 *In Hyeracen.* ad dubium: *An, & ad quem spectet deputatio capellanorum, & heremitarum pro servitio Ecclesiæ S. Mariæ de Popsis, & respective procuratoris pro administratione eleemosynarum, seu oblationum, de quibus agitur in casu? Sacr. Congr. Concil.* 30. *Maii* respondit: *Spectare ad Abbatem sub obligatione reddendi rationem Episcopo, a quo visitari etiam possit Ecclesia jure saltem delegato, & quoties id sibi in Domino videbitur expedire.* Sic apud d. Thesaurum *tom.* 12.

Additiones ex aliena manu.

Oblationes ex consuetudine quantumvis vetusta necessarias evadere haud posse, tenet Jacobus de Lalande *in Prolegomen. ad tit. Decretal. de Decim.* relatus *in vol.* 4. *Novi Thesauri Meermanni* verbis hisce: *Verumtamen hic posterior casus mihi admittendus esse non videtur, quia oblationes sui natura voluntariam omnino præstationem continent, & in Christianismi cunabulis tales institutæ fuerunt, ut donantium arbitrio, & liberalitati relinquerentur, cujus rei probatio facilis & expedita est. Justinus Martyr de his sermonem faciens in Apologia secunda ita loquitur: Qui per facultates possunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod lubet, donant. Non minus expressa sunt verba Tertulliani in loco superius laudato, quæ propterea hic subjiciam: Etiamsi quod Archæ genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur, modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Ibi narrat Tertullianus, quæ pietatis opera suo tempore Christiani in Ecclesiis cœtus agentes exercerent, & inter cætera oblationum meminit, quæ ex sola beneficentia proficisci manifeste declarat, consequenter temporis diuturnitate in necessitatem converti nequeunt. Et huic sententiæ convenit id, quod vulgo dicitur præscriptione non acquiri ea, quæ sunt meræ voluntatis, nec ex spontaneis actibus quasi possessionem induci.* 49

At recedendum haud est a sententia illa communi, quod oblationes consuetudine legitime præscripta evadant necessariæ, quam ultra Doctores relatos ab *Auctore num.* 11. tenuit Rota *in Cracovien. præstationis lignorum* 30. *Junii* 1749. §. 2. & 20. *Aprilis* 1750. §. 1. *cor. Illustriss. Caprar. almæ Urbis Gubernat.* modo tamen eæ admixtam habeant causam retributionis, ut sunt illæ, quæ fiunt Parocho Ecclesiæque Parochiali, qualis erat casus *mox allegatarum Decisionum*. 50

Quæstionis vero est: An oblationes difformiter præstitæ, consuetudine necessariæ evadere queant? Hæc autem distinctio placuit Rotæ *in mox allegata prima Decisione* §. 7. *Quod nimirum* (sunt ejus verba) *tum demum consuetudo vires exercere nequiret ad obligationem inducendam etiam in futurum, si difformitas annuæ præstationis consisteret in ipsa specie, ut puta, si uno anno datum fuisset oleum, alio vinum, alio frumentum, & sic deinceps alia hujusmodi; & ratio est, quia ex actibus difformibus in specie, & sic in ipsa substantia, nulla oriri valet obligatio, nullaque possessio efficax potest emergere; Secus autem quando, prout hic, non agitur de difformitate in ipsa specie,* 51

sed solummodo de difformitate respectu quantitatis &c. quibus in terminis difformitas nihil officit efficaciæ consuetudinis, ut obliget etiam pro tempore futuro eam ob prævalidam rationem, quia licet variatus fuerit modus, seu quantitas annuæ præstationis lignorum, species tamen semper fuit una & eadem. Unde sicuti quoad speciem, quam plus & minus non variant, consuetudo dubio procul uniformis deprehenditur; ita hoc sufficit, ut quilibet ex incolis villæ Podelsze, juxta propriam possibilitatem quotannis ligna proprio Parocho in posterum tradat, prout antea per diuturnum temporis spatium tradere consuevit. Confer etiam de hac distinctione de Marin. *Resolut. Jur. lib. 2. cap. 81. num.21. & seq.* Lagun. *de Fructib. cap.33. num.124. & sequent.*

OBREPTIO. Vide verb. *Rescriptum num. 28. & 29.*

OBSERVANTIA VANA. Vide verb. *Superstitio a num. 41. ad 64.*

OBSTETRICES.

---

1 Obstetrix dicitur ex eo, quod obsistat dolori; vel certe pignori, ne laxatis uteri genitalibus claustris, in terram defluat; Sanctus Ambrosius *Oper. moral. Epist. 46. ad Siagrium fol. 234.* impressionis Romanæ *anni 1585.*

2 Obstetrices, quæ obstetricantur ex officio, tenentur sub mortali discere formulam, & modum baptizandi, quia ex tacito pacto ad id obligantur; Non enim admitterentur ad hoc officium obeundum, nisi tacite se obligarent ad Baptismum rite ministrandum in tam frequentibus casibus necessitatis. Navarrus *in Manual. c. 22. num.6.* cum Paludano, & S. Antonino *ibi citatis*, Reginald. *lib. 27. num. 45.* Henriquez *lib. 2. cap.29. num. ultim.* Gobat *tom. 1. tract. 2. cas. 5. num. 167.* La Croix *lib. 6. part. 1. num. 270.* Aliique multi cum Aversa *q.67. sect.2. §. Teneri.*

3 Hinc in pluribus diœcesibus, & signanter in Leodiensi, & Trevirensi teste Chapeaville *de modo administrandi Sacramenta tempore pest. cap. 2. q. 2.* & Gobat *loc. cit.* quando Obstetrices admittuntur ad hoc munus, juramentum emittunt procurandi salutem spiritualem sobolis, & puer-
4 peræ. Et in Obsequiali Constantiensi *fol.62.* traditur, Obstetrices debere esse in primis ab ipsis Parochis, & potestate sæculari approbatas.

5 Unde Parochi tenentur ipsas Obstetrices diligenter examinare, & si non sciant jam esse examinatas, & approbatas ab aliquo bene perito, peccant graviter eas non examinando, quia cum Obstetrices in tali casu sint vicariæ Parochi, & quisque obligetur scire, utrum suum locum tenens sit peritus officii sui, nec ne? stat clarum maxime ad id sub gravi teneri Parochum ad indagandam peritiam Obstetricum pro officio tantæ necessitatis; Quintanadvenas *singular. tract. 1. singular. 6.* Gobat *loc. cit. num. 169.* Layman *lib.5. tract. 2. c. 5. num. 3.* cum aliis ibi citatis; Et certe omnes fere constitutiones synodales sub gravi videntur id oneris Parochis imponere, ut signanter novissime fuit recte impositum in hac Synodo Alexandrina celebrata die 1. 2. 3. Maii 1732. ubi *tit. 6. de Baptismo* sic præcise statuitur: *Oneratam Parochorum conscientiam volumus, qui exactissime certo tempore Obstetrices examinent, quæ perfecte callere debent, & mente retinere modum Baptismum rite conferendi.*

Baptizati ab Obstetricibus sunt rebaptizandi 6
sub conditione, si Obstetrices sunt suspectæ de veneficiis, aut aliquando confessæ se non rite baptizasse, vel si a Parocho examinatæ, qua materia, forma, & quas corporis partes baptizaverint, non satis constanter respondeant, aut si aliunde oriatur probabile dubium de valore Baptismi ab ipsis collati. *Communis, argum. cap. De quibus dubium est 2. de Baptismo*, ubi sic expresse habetur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si batizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Sic enim & consulitur reverentiæ Sacramenti, & saluti animarum. Si vero nullum sit dubium de 7
valore Baptismi ab ipsis collati, ex quo diligenter a Parocho examinatæ, reperiantur bene peritæ, & rite adhibuisse debitam materiam, formam, & intentionem, non sunt rebaptizandi, ab ipsis Obstetricibus sic rite baptizati, cum Baptismus rite collatus, neque sub conditione debeat iterari, ex quo sit de sui natura irreiterabilis *ex cap. Majores 3. de Baptismo, Concil. Florent. in Litteris Unionis, & Trident. sess.6. can. 9.* sic tenent *Doctores communiter.*

Hinc Obstetrices, quæ infantem aliquem bapti- 8
zaverint, sunt a Parochis diligentissime examinandæ an, & quomodo, quibus verbis, & forma, qua materia, & aqua, & cum qua intentione baptizaverint; & si rite repererint fuisse a dictis Obstetricibus collatum Baptismum, non debent, nec possunt ipsum repetere; Si vero probabiliter dubitent, debent Baptismum sub conditione repetere. Catechism. Roman. *part. 2. cap.2. §. 43.* & sic solent statuere constitutiones synodales, ut recte statuunt illæ diœcesis Constantiensis *part. 1. tit. 6. n. 4.* ibi: *Examinent diligentissime Parochi, aut eorum socii Obstetrices, vel alios, qui infantem aliquem baptizarunt, an, & quomodo, quibus verbis, & forma, qua materia, & aqua, & cum qua intentione baptizaverint? Quod si debitam materiam, formam, & Ecclesiæ institutionem adfuisse cognoverint, Parochi Baptismum ab Obstetricibus collatum, minime repetant; Si probabiliter dubitent, Baptismum cum conditione conferant.*

Obstetrices Ægyptiæ respondendo (*Exodi cap.1. 9
num.19.*) Pharaoni: *Non sunt Hebreæ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt*, non sunt culpabiliter mentitæ; Vide verb. *Mendacium a n.14. ad 18.*; ubi tamen etiam citatur S. Au-

gustinus, qui eas peccasse censet, eique S. Thomas 2. 2. quaest. 110. art.3. ad 2. subscribit.

10 Alia ad rem. Confer quae cohaerenter hic dictis habet Benedictus XIV. De Synodo dioeces. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 4. & *Instit. Eccles.* 8. §. 6.

Additiones ex aliena manu.

11 In judicio nullitatis Matrimonii ob impotentiam alterutrius conjugis, tum in illo dispensationis super Matrimonio rato, & non consummato, disseri solet de viribus relationis Obstetricum.

12 Ex sententia autem multorum, si Obstetrices referant de virginitate mulieris adhibitis consuetis experimentis, probata remanet non consummatio Matrimonii. At si referant de virginitatis defectu, minime consummatio Matrimonii remanet probata, quum virginitas amitti ex aliis causis possit, quam ex Matrimonii consummatione; Confer Bohemer. *in Decretal. lib.* 4. *tit.* 15. §. 26. & *plur. sequent.* Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disput.* 9. *num.* 16. Pacian. *de Probat. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 22. *ad plur. sequent.* Sperel. *dec.* 141. *n.* 37.

13 Falluntur ergo qui septem Obstetrices requirunt. Licet enim *in cap.* 4. *de Probat.* habeatur septem Obstetrices inspectioni adfuisse; hoc tamen tantummodo refertur, atque narratur, non item per modum necessitatis praescribitur, ut tradunt communiter Canonistae *in dict. cap.* 4. *de Probat.* Grananiet. *num.* 7. Gonzal. *num.* 4. Bohemer. *in Decretal. lib.* 4. *tit.* 15. §. 27. Pacian. *de Probat. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Sperel. *decis.* 4. *num.* 4.

OCCASIO PECCANDI.

1 Occasio peccandi est duplex, scilicet proxima, & remota. *Occasio proxima* est illa, quae frequenter, & saepe saepius homines similis conditionis ad peccatum inducit, vel experientia constat eam in hoc homine, circumstantiis attentis, talem effectum causare. *Est in re communis*. *Occasio remota* est illa, quae quamvis aliquo modo inducat ad peccatum, tamen raro inducit ad illum homines similis conditionis, vel experientia constat eam in hoc homine, circumstantiis attentis, talem effectum raro causare. *Est in re communis*.
2 Hinc maxime sunt attendendae circumstantiae loci, temporis, personarum, & hujusmodi, quia saepe contingit, quod eadem occasio, quae uni, attentis circumstantiis loci, temporis, & personae, est occasio proxima, alteri, seu etiam eidem ipsi, in diversis circumstantiis, sit remota; sic saepe eadem occasio carnis, seu conversatio mulieris, quae juveni est proxima, seni, aut juveni valde timorato est remota; Ita etiam saepe contingit, quod eidem juveni conversatio unius mulieris sit occasio proxima, & conversatio alterius mulieris sit ei solum occasio remota, & quod etiam conversatio ejusdem mulieris in uno tempore, & loco sit ei occasio proxima, ut si in tempore magis periculoso reperiatur solus cum sola, & in alio tempore minus periculoso, aliis simul adstantibus, sit ei tantum occasio remota.

Sicuti occasio est duplex, ita duplex est periculum peccandi, scilicet proximum, & remo- 3
tum. *Proximum* est illud, quod, attentis circumstantiis, habet frequentem conjunctionem cum peccato. *Remotum* autem est illud, quod, attentis circumstantiis, habet raram conjunctionem cum peccato. Sic *in re communis Doctorum*. Pe- 4
riculum autem, vel occasio, non ideo dicitur proxima, quod inter ipsam, & peccatum nihil mediet; plerumque enim mediat aliquid, verb. grat. tentatio, aspectus, tactus, colloquium, & hujusmodi; sed ideo dicitur proxima, quia inter ipsam occasionem, & peccatum, communiter nihil intervenit, quod impediat peccatum. Card. de Lugo *de Poenitentia disp.* 14. *num.* 162. La Croix *lib.* 3. *n.* 251. & alii.

Periculum proximum aliud est formale, & aliud 5
materiale. *Formale* est illud, quod, attentis circumstantiis, ita inclinat, & movet ad peccandum, ut in persona similis conditionis soleat frequenter, & saepe saepius esse conjunctum cum peccato. *Materiale* vero est illud, quod de se secundum circumstantias suas extrinsecas solet esse conjunctum cum peccato, quamvis non conjungatur ob specialem conditionem subjecti. Unde materiale periculum est occasio externa, quae secundum se solet frequenter esse conjuncta cum peccato: Formale autem praeter occasionem externam includit tales circumstantias, ut his omnibus attentis in persona similis conditionis existimetur hic, & nunc fore conjunctum cum peccato. Sic *in re communis Doctorum*. Hinc idem 6
periculum potest esse respectu unius formale, & respectu alterius solum materiale, ut, salva proportione, dictum est supra *sub num.* 2. de occa- 7
sione proxima, & remota. Periculum formale aliud est intrinsecum, & aliud extrinsecum. *Intrinsecum* est illud, quod oritur ex propria, & personali intrinseca prava conditione, seu natura ipsius talis personae. *Extrinsecum* autem est, quod non oritur ex intrinseca prava conditione ipsius personae, sed ex aliqua occasione extrinseca. *Communis*.

Qui est in occasione remota, potest absolvi, 8
alioquin deberemus ad evitandas occasiones remotas exire de hoc mundo, ut inquit Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 5. *num.* 10. ibi: *Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse*. Cum etiam in ipsa solitudine, & in licitis commerciis humanis adsit occasio remota peccandi. *Communis*.

Qui est in occasione proxima involuntaria, 9
nec est in sui potestate eam removere, potest absolvi, dummodo tamen vitare conetur periculum formale peccandi per actus proprios. Vide verb. *Absolutio art.* 2. *num.* 8. 9. & 10. ubi assignantur dicti actus proprii, affertur ratio conclusionis, & datur ad hoc monitio pro Confessariis.

Absolvi tamen non potest, qui est in occa- 10
sione proxima voluntaria, nec vult eam, cum possit, deserere; licet sub praetextu cujuscum-
que

que utilitatis, commodi, vel boni spiritualis, vel temporalis sui, vel proximi. Habetur clare ex pluribus propositionibus damnatis relatis *sub dict. verb. Absolutio artic.* 2. *n.* 12. Vide ibi usque *ad num.* 13.

11 Absolvi non potest consuetudinarius, & recidivus, qui semper labitur in eisdem peccatis sine ulla spe emendationis, nec facit quantum in se est pro tali consuetudine peccaminosa deserenda. Vide *ib. a n.* 14. *ad* 16.

12 Si vero consuetudinarius, seu recidivus post ultimam suam confessionem se vel paululum emendavit, nec tot peccata, ut ordinarie solitus erat, commisit, & aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet absolvi. Vide *ib. num.* 17. (*)

13 Cum recidivæ peccati fiunt ex sola fragilitate intrinseca, potest pœnitens toties absolvi, quoties Confessarius judicat eum serio dolere, & proponere in posterum se emendare. Vide *ibid. num.* 18.

14 An sint absolvendi, nec ne, illi consuetudinarii, seu recidivi, qui in aliqua Confessione minora afferunt peccata, & in alia majora, & sic vicissim longo tempore sua peccata continuant, & quomodo cum eis procedendum? Vide *ibid. num.* 19.

OCCISIO. Vide verb. *Homicida*, *Homicidium*.

OCCULTATIO.

---

1 Occultatio fidei, cum simulatione Mahumetismi damnatur. Bened. XIV. tom. 1. Const. 89.
2 incip. *Inter omnigenas* §. 3. præsertim in Judicio. Idem *ibid.* §. 4.
3 Occultantes fidem tali simulatione excluduntur a Sacramentis in vita, & a suffragiis in morte.
4 Idem *ib.* §. 6. Ad occultandam fidem, non licet vitæ institutum amplecti omni religionis exercitio
5 vacuum. Idem *ib.* §. 7. Nec Ecclesiæ præcepta in-
6 fringere. Idem *ib.* §. 3. Occultantibus fidem cum dicta simulatione Mahumetismi nullæ dispensationes, aut gratiæ de Ecclesiæ thesauro sunt concedendæ. Idem *ib.* §. 14.

Occultatio impedimenti, sive defectus, de quo 7
quis in actu professionis interrogatus fuit, addita declaratione, quod religio ipsum cum eo impedimento, aut defectu admittere non intendebat, an allegari possit ab ipso professo ad obtinendam declarationem nullitatis professionis, est a Superiore regulari & ab Ordinario loci simul mature discutiendum, donec a Sanctissimo, ut in præmissis, hæc cum aliis similibus quæstionibus explanetur, & definiatur. Idem tom. 2. Constit. 37. incip. *Si datam*.

OCCULTUM. Vide verb. *Notorium*, *num.* 12. *& per tot.*

OCCUPATIO PRO ACQUIRENDO rerum dominio. Vide verb. *Dominium*, *art.* 3. *a nu.* 6. *ad* 35.

OCTAVÆ.

Octavarum usus est in Ecclesia antiquissimus, de quo agit Durandus *in suo Rationali lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 45. Et introductæ fuerunt ad majorem solemnitatem præcipuarum festivitatum. Hinc Radulfus *propos.* 19. ait: *Magnitudo festi a nobis exigit, ut prius illud incipiamus, & tardius terminemus; prævenimus vigilia, prorogamus, cum ad octavum diem festum protendimus: præveniamus ergo, & prorogemus, ut ardentius, quos debemus, recolamus; quæve uno die minus possumus, reliquis diebus compensemus.* 1 2

Cur autem octo dies assignentur ad hunc effectum, spectat ad mysterium numeri octonarii. Quarti Comment. *in Rubric. Missal. part.* 1. *tit.* 2. *ante dub.* 1. & alii *ibi cit.* In sensu igitur mystico primum octavæ mysterium consistit in expressione perfectionis omnimodæ & completæ illius Sancti, cujus festum celebratur cum octava, vel sublimitatis mysterii, quod recolitur; eo quia Octonario numero designatur justitia, & perfectio, etiam apud Gentiles Pythagoricos; quippe justitia 3 4

H 2 æqua-

Notæ Romani Theologi.

(*) Non ita facile absolvi debet consuetudinarius, qui paululum dumtaxat se emendavit, ac aliquem ad sui emendationem conatum adhibuit, ut Author asserit. Etenim, ut fere omnes sanioris ethicæ Theologi fatentur, iis impertienda est absolutio, qui efficacia adversus peccata remedia adhibent, qui sua crimina sincere plangunt, & detestantur supra quodcumque detestabile, adeout mori malint, quam in eadem relabi; uno verbo, qui idonea emendationis indicia præstant. Quæ indicia tunc manifestantur, quando pœnitens vitiosum habitum sic vincit, ut periculum proximum, seu probabile peccandi sustulerit, quando non adeo facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat, & difficilius, vel rarius cadit. Hæc autem non verificantur certe de pœnitente illo, qui paululum se emendavit ab ultima confessione, ac aliquem adhibuit conatum ad sui emendationem, loquendo præcipue de consuetudinario, qui pravi sui habitus radices omni quo potest conatu evellere debet.

æqualitatem respicit, & servat, numerus autem octonarius primus omnium ita solvitur, & dividitur in numeros pariter pares, hoc est in bis quaterna, ut nihilominus in numeros æque pariter pares divisio ipsa solvatur, hoc est in bis bina; hunc numerum appellarunt plenum. Hic enim numerus efficit cubum corporeæ soliditatis indicium. Insuper in Evangelio manifestum habemus ejusdem significationis exemplum in octo beatitudinibus, quibus Christianæ vitæ perfectio continetur, & exprimitur, de quibus loquens divus Augustinus *lib.* 1. *de serm. Dom. in monte cap.* 3. *Octava*, inquit, *tamquam ad caput redit*, *quia consummatum*, *perfectumque ostendit*, *ac probat*. *Hinc perfectam justitiam Sanctorum*, *vel consummatam sublimioris cujusque mysterii perfectionem*, *octo dierum numero sancta mater Ecclesia veneratur*.

5 Secundo, in sensu anagogico Octava significat æternitatem gloriæ, qua fruuntur Sancti, & Beati. Ubi adnotandum, septem dies hebdomadæ significare spatium hujus vitæ præsentis, qui in Sanctis fuerunt pleni virtutibus, & donis Spiritus sancti, juxta illud Psalmistæ: *Dies pleni invenientur in eis*. Additur insuper dies Octavæ in præmium virtutum, & laborum, idest dies æternitatis, quæ una est, & illi nec succedit nox ulla, nec caligo, & consequitur vitam præsentem septem dierum. Ita Fortunatus *lib.* 4. *cap.* 4. *Celebretur*, inquit, *per septem dies opus septiformis Spiritus*, *& octava die consummatio*, *& glorificatio ejusdem operis*.

6 Tandem in sensu tropologico concludimus cum Hesychio *lib. 6. in Levit.* ubi sic ait: *Ut doceamur debere nos exempla Sanctorum sequi*, *& tempore vitæ*, *quod septenario significatur*, *Deo placere*, *quousque ipso Deo Octava demum die fruamur*. Hæc Hesychius, & ad litteram Paulus Maria Quarti *Commentario in Rubricas Missalis part.* 1. *tit.* 2. *ante dubium primum*.

7 Dies Octava cujuslibet festi, quod cum hujusmodi solemnitate celebratur, quia non transfertur, excludit, & tranferri facit quodlibet festum duplex in ea occurrens per annum, sive sit minus, sive majus; solisque cedit festis solemnibus 1. aut 2. classis, seu talium vim habentibus, nisi sit privilegiata, qualis est Octava Epiphaniæ, de qua in Rubricis generalibus: Hinc ubi festum S. Elisabeth Hungariæ celebratur cum Octava, festum B. Delphinæ occurrens in die octava, licet sit duplex majus, tranferri debet in primam diem non impeditam. *Ex decreto sacræ Rit. Congregationis* 1. *Martii* 1681. Sic *in Rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani n.* 131.

8 Infra octavam Paschæ, & Pentecostes prohibetur Officium de festo cujuscumque ritus, & dignitatis. Item prohibentur Missæ votivæ, & de requiem. *Sacr. Congreg. Rit.* 28. *Aug.* 1627. *&* 23. *Aug.* 1704. *&* 1714. *&* 10. *Decemb.* 1718,

9 Infra Octavam Epiphaniæ prohibetur quodcumque Officium præter primæ classis, sed in die Octavæ etiam Officium primæ classis. Item prohibentur Missæ votivæ, & de requiem. *Sacr. Rit. Congr.* 18. *August.* 1627. *&* 23. *Aug.* 1704. *&* 10. *Decemb.* 1718.

Infra Octavam Corporis Christi prohibetur Officium de duplici translato, & semiduplici occurrente. Item prohibentur Missæ votivæ, & de requiem. *Sacra Cogreg. Rit.* 21. *Junii* 1670. *&* 23. *August.* 1704. *&* 1714. *&* 10. *Decemb.* 1718. 10

Infra Octavam Nativitatis Domini nostri Jesu Christi prohibentur Missæ votivæ, & de requiem. *Sacr. Rit. Congregatio* 27. *Septembris* 1707. 11

Infra reliquas Octavas non privilegiatas fit Officium etiam de festis semiduplicibus, & de ipsis translatis, si incidant in Dominicam infra Octavam, & haberi possint immediate die Lunæ, seu incidant in Festo duplici occurrente infra Octavam, & dies immediate sequens non sit impedita alio festo duplici, vel semiduplici; *Sacr. Rit. Congreg.* 30. *Septemb.* 1679. *&* 22. *Decembris* 1696. Unde sequitur, quod semiduplicia infra Octavam die impedito occurrentia, si non possint haberi die immediate sequenti, debeant transferri post totam Octavam & post omnes Octavas, si plures sibi immediate succedant, *ex decreto Sacræ Rit. Cong.* 11. *Julii* 1664. *& ex Rubricis anni* 1656. *ab eadem Sacra Congr. approbatis*. Duplicia autem licet non possint haberi prima die immediate sequenti, possunt haberi aliis diebus sequentibus infra Octavam. De semiduplicibus ad libitum non fit infra quamcumque Octavam: *Sac. Cong. Rit.* 24. *Januar.* 1682. 12

Occurrentibus in eadem die infra Octavam Corporis Christi duobus Festis duplicibus, alterum est transferendum post Octavam. *Sac. Rit. Congr.* 7. *Decemb.* 1680. Si Octava Corporis Christi occurrat, vel concurrat cum die octava S. Joannis Baptistæ, seu SS. Apostolorum Petri, & Pauli, aut alterius S. Titularis, vel Patroni, aut Dedicationis, fit totum Officium de Octava Corporis Christi, & sola Commemoratio aliarum Octavarum. *Rubric. gener. Breviar. tit. de translatione Fest. num.* 1. In dicta die octavæ Corporis Christi fit tantum de S. Joanne Baptista, si eodem die occurrat, vel de SS. Petro, & Paulo, aut de alio ex solemnioribus cum commemoratione Octavæ. *Ex Rubric. anni* 1666. *a Sac. Congr. Rit. approbatis*, *& ex Rubricis generalibus Breviarii tit. de translatione Festorum n.* 1. 13 14 15

Si festum Sancti Antonii de Padua, aut aliud festum 2. classis occurrat in die Corporis Christi, transfertur post octavam. *Sacra Rituum Congregatio* 12. *Jul.* 1664. Observa tamen posterius decretum in fine numeri sequentis. Si tamen tale festum esset titulare, sicuti & aliud quodlibet primæ classis, tunc fieret de eo Officium infra octavam, cum infra Octavam Corporis Christi possit, & debeat fieri Officium de duplicibus primæ Classis, etiam translatis *ex cit. Rubricis anni* 1666. *a Sacra Cong. Rit. approbatis*, *& ex Rubricis generalibus Breviarii tit. de translatione Festor. num.* 1. Immo infra dictam octavam fieri potest etiam Officium de Duplicibus translatis 2. class. ex posteriori decreto 30. Maii 1699. 16 17

Si festum habens octavam transferatur post dies octo a die festi, non celebratur illo anno cum octava. Si transferatur ad pauciores dies, octava non transfertur, sed numerari debet a die, quo festum 18

festum incidebat, & celebrari debebat, si translatum non fuisset; dies autem octavæ celebratur suo die, ac si festum non fuisset translatum, etiamsi occurrat statim post festum ipsius, *ex cit. Rubricis anni 1666.* ut patet *in Rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani n.* 124.

19 Si festum, quod celebrari solet cum octava venerit paulo ante Quadragesimam, ante Pentecosten, & ante diem 17. Decembris, tunc de tali octava a feria 4. Cinerum, vigilia Pentecostes, & a die 17. Decembris, nihil amplius fit, nec commemoratio. *Rubr. general. Breviarii sub tit. de Octavis n.* 1. Intellige tamen, quod quando dies 17. Decembr. vel dies Cinerum occurrunt infra aliquam octavam, ipsa octava terminari debet ad nonam præcedentis diei, etiamsi vesperæ sequentes (nullo occurrente festo) recitari debeant de Psalterio Sic expresse Rubricæ particulares nostri Breviarii Franciscani *titul. de Commemor. n. 96. ex Rubricis anni 1666.* Et si antevigilia Pentecostes, seu feria 6. post octavam Ascensionis occurrat infra aliquam octavam, ipsa octava desinit ad Nonam inclusive dictæ feriæ 6. itaut in vesperis illius diei nihil fiat, nec etiam commemoratio de dicta octava. Sic expresse *cit. Rubricæ n.* 95. Merati post Gavant. *tom. 2. sect. 6. cap. 17. n.* 5. Bauldry *part.* 4. *c. 3. num.* 5. & alii Rubricistæ passim. In ipsa autem feria 6. post octavam Ascensionis potest fieri de festo semiduplici etiam translato. *Sacr. Rituum Cong. in Romana dubiorum* 11. *Aug.* 1691.

20 In Pascha resurrectionis, & Pentecostes Officium octavæ terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam. *Rubric. Generales Breviarii sub tit. de Octavis num.* 2.

21 In Quadragesima sine speciali privilegio non possunt celebrari octavæ; *citat. Rubr. Gener. tit. de*
22 *octavis n.* 1. Si in Quadragesima occurrat Officium infra octavam qui ex speciali privilegio octavam celebrant, debent dicere Missam conventualem de feria cum commemoratione Octavæ, & Missas privatas possunt dicere de octava cum commemoratione feriæ. *Sac. Congr. Rit.* 23. *Jan.* 1662.

23 Die octava concurrente cum alia die octava fit a capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, exceptis Octavis privilegiatis, in quibus de aliis sequentibus non privilegiatis fit tantum commemoratio. *Rubr. General. Breviar. tit. de con-*
24 *currentia officii n.* 7. Die octava concurrente cum sequenti duplici minori etiam translato fit a capitulo de sequenti cum commemoratione octavæ.
25 Rubr. Gener *loc. cit. n.* 7. Die octava concurrente cum sequenti duplici majori etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ, excepta die octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus de sequenti etiam duplici majori fit tantum comme-
26 moratio. *Rubr. Gener. loc. cit. n.* 7. Die octava concurrente cum duplici secundæ classis etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ. *Rubr. General. loc. cit. n.* 7.
27 Concurrente autem die octava cum duplici primæ classis, totum Officium fit de sequenti sine commemoratione octavæ; ex *regula generali in tabula Quando concurrit sub num.* 1.

Quæcumque dies octava B. Mariæ virginis debet 28
habere integras utrasque vesperas in concurrentia cum festo duplici minori. *Sacra Congreg. Rit.* 11. *Augusti* 1691. Dies octava non privilegiata dimi- 29
diat vesperas in concurrentia cum duplici minori. *Sac. Rit. Congreg.* 12. *Jul.* 1663. Dedicatio Aposto- 30
lorum, & Salvatoris extra Urbem non habent integras vesperas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur Officium duplex minus. Idem dicendum est de die Octava dedicationis. *Sac. Rit. Congr.* 12. *Jul.* 1664.

Si aliqua dies octava incidat in Dominicam pri- 31
vilegiatam, de qua debeat fieri Officium, in primis vesperis dicuntur Psalmi Sabbati, capitulum de Dominica cum commemoratione octavæ, & si in Sabbato fuit festum semiduplex, de hoc sunt vesperæ, attamen a capitulo fit de Dominica, & prima commemoratio est de priori semiduplici, quia de eo fuit Officium, secunda est de octava, quæ nec habuit, nec habebit Officium. Sic ex Gavant. expresse La Croix *lib.* 4. *n.* 1280.

Infra octavam Officium fit semiduplex, in octa- 32
va fit duplex; infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis vesperis festi, & in primis vesperis diei octavæ, omnia sicut in primis vesperis festi, nisi aliter in propriis locis notetur, *Rubr. gener. Breviarii tit. de octavis n.* 5. De octavis Nativita- 33
tis, Epiphaniæ, & Corporis Christi fit semper commemoratio quocumque festo in illis occurrente, *Rubr. Gener. loc. cit. n.* 3.

Si in die octava alicujus festi habentis octavam 34
occurrat aliquod festum duplex 1. vel 2. classis, debet fieri officium de festo cum commemoratione diei octavæ, excepta die octava Nativitatis Domini, & Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem non impeditam. *Rubr. general. Breviar. tit. de Translation. festor. num.* 2. Si autem non fuerit ex prædictis, festis, debet fieri Officium de octava, & festum transferri juxta dicta *supra n.*7. festum occurrens 35
in Dominica in Albis, & Dominica Trinitatis, cujuscumque sit ritus, & dignitatis, transfertur in sequentem diem non impeditam: Quamvis enim in Pascha resurrectionis, & Pentecostes Officium octavæ terminetur in Sabbato sequenti ad Nonam juxta dicta *supra num.*20. tamen dictæ duæ Dominicæ cum aliis sunt privilegiatæ, ut patet ex *Rubric. general. tit. de commemorationibus n.* 3. & *tit. de Translation. festor. n.* 1.

Dies octavæ omnes (exceptis Christi & B.M.V.) 36
ordinarie sunt ejusdem solemnitatis: hinc dividere debent vesperas juxta dicta *supra sub n.* 23. nisi aliter notetur. Octava autem dedicationis est dignior, quam patroni, patroni quam titularis (nisi sit intra hos magna distantia dignitatis), assumptionis quam dedicationis. La Croix *lib.* 4. *n.*1279. Octava autem omnium Sanctor. tamquam dignior præferenda est octavæ dedicationis Eccles. *Sac. Rit. Cong.* 5. *Martii*. 1695.

Proposito in Sacr. Rit. Congregat. a capitulo ca- 37
thedralis Collensis inter alia nono dubio: *An infra octavas privilegiatas possit cantari Missa defunctorum in anniversario & officio solemni? Ead. sacr. rit. Congreg. in Collen. die* 5. *Julii* 1698. respondit *Ad IX. Negative*, Infra

38 Infra octavam Corporis Christi non sunt canendæ Missæ mortuorum, nisi præsente corpore. *Sacr.*
39 *rit. Congreg. in Nuscana* 12. *Septembr.* 1671. Quod intelligendum est etiam de diebus intra omnes quinque Octavas privilegiatas, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, & dictæ Corporis Christi, ex alio supra allato decreto ejusdem sacr. rit. Cong. *in Collen. die* 5. *Julii* 1698. *in responsione ad* IX. *dub.*

40 Nemini licet facere Octavam pro defunctis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. *S.R.C.* 13. *Augusti* 1667. *in Romana*.

OCULUS.

1 Oculo carens, si non sit valde deformis, non est irregularis, & consequenter ordinari potest. Vide verb. *Irregularitas art.* 1. *n.* 12. §. *Secunda ex defectu corporis*.

2 Impudicus oculus impudici cordis est nuncius, *cap. Nec solo* 12. *caus.* 32. *q.* 5.

3 Oculi irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum. Seneca *de remediis fortuit*. Unde S. Joannes Chrysostomus *in cit. cap. Non solo* 12. *caus.* 32. *q.* 5. sic ait: *Mulier, si se decoraverit & vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam, venenum enim obtulit, etsi nullus, qui bibat, inventus sit*.

4 Oculos stibio depingere non licet; Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in c. Multa* 1. *Ne Clerici, vel Monachi n.* 66. Unde S. Augustinus *Epist.* 37. *ante med. t.* 2. dicit: *Fucari figmentis, quo rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est.* Sic impia Jezabel introitu Jehu audito depinxit oculos suos stibio, 4. *Reg. c.* 9. *n.* 30. ibi: *Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum.* Et sub figura multiplicium stuprorum duarum meretricum Oollæ & Oollibæ acriter reprehendit idololatriam Samariæ, & Jerusalem Ezechiel 32. *n.* 40. ibi: *Circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri*.

5 Oculis noxia:

Allia, vina, venus, pulvis, ventus, faba, fumus.
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Sic apud Ursayam *in Miscellaneo sacro & profano litt. O. n.* 24. *&* 25.

6 Oculos retro nulla lex, nulla appellatio, nulla inhibitio habet: Rota *in Illerden. Hereditatis* 4. *Februar.* 1705. §. *Quod sic, coram Ansald.* apud Ursayam *loc. cit. n.* 26.

7 Oculorum officium amisisse durius est, quam linguæ. Fagnan. *lib.* 3. *decretal. in cap. Cum percussio* 1. *de Clerico ægrotante n.* 14. *cap. Causam, quæ de election. cap.* 1. *de tregua & pace*. Cum similibus.

8 In Missa Sacerdos elevat oculos, ad *Munda cor meum, Veni Sanctificator, Ad oblationem hostiæ, & calicis*, sed offerens hostiam, statim iterum deprimit in hostiam, offerens autem calicem tenet elevatos. Item oculos elevat *ad Suscipe sancta Trinitas, Te igitur Clementissime, Gratias agamus*, dum dicit *Deo nostro, Qui pridie*, dum dicit *Elevatis oculis*, quando hostiam, & calicem elevat; hæc enim respicit, donec deponat, in fine *ad Benedicat vos omnipotens Deus*. Sic ex *Missali in ritu servando in celebratione Missæ per tot.*

In Missa Sacerdos oculos demissos tenet, dum accedit, vel recedit ab altari. Quandocumque se vertit ad populum. Sub utroque *Memento*. Post consecrationem plerumque conjiciuntur in hostiam, nisi occupentur in legendo. Sic *ex Missali loc. cit.* 9

ODIUM.

Odium opponitur directe amori, seu caritati. *Communis*. 1

Unde sicut duplex est amor, scilicet, unus *amicitiæ*, & alter *concupiscentiæ*, ita duplex quoque est odium, scilicet unum *personæ*, seu odium *inimicitiæ*, & alterum odium *qualitatis*, seu odium *abominationis*. *Communis*. Odium *personæ*, seu odium *inimicitiæ*, est illud, quo personæ alicui volumus malum quatenus absolute illi malum est. *Est in re communis*. Odium *qualitatis, seu abominationis*, est illud, quo personam aversamur non secundum seipsam, sed secundum suam malam qualitatem, quatenus ipsa est nobis, vel alteri, aut communitati noxia. *Est in re communis*. 2 3 4

Odium *personæ*, seu *inimicitiæ* non reperitur formaliter in Deo, quia Deus non odio habet creaturam, ut creaturam, cum de illo dicatur *Sapient.* 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Reperitur autem in Deo odium *qualitatis*, seu *abominationis*, quatenus odio habet creaturam, ut peccatricem, juxta id, quod dicitur *Psal.* 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*, & inferius: *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*, *Psalm.* 118. *Iniquos odio habui, & ad Romanos* 9. *Esau odio habui*, cum similibus. 5 6

In homine reperitur (& utinam non reperiretur) utrumque odium, scilicet & odium *inimicitiæ*, & odium *abominationis*: *Communis*. 7

Odium inimicitiæ tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum. *Communis*. Et colligitur *ex Psal.* 37. ibi: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper, & ex lib. Num. cap.* 17. ibi: *Dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, & ex* 1. *Joan. cap.* 2. ibi: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est*, cum similibus. Et probatur etiam ratione, quia odium inimicitæ formaliter, & directe opponitur caritati, quæ est maxima omnium virtutum, *ex* 1. *ad Corinth.* 12. *n.* 13. ibi: *Major autem horum est caritas*, & de qua præcipuum mandatum habemus *ex Matth.* 22. *n.* 37. *& seq.* ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem simile est illi, diliges proximum tuum sicut te ipsum*; *ex Marc.* 12. *n.* 30. *& seq.* ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente* 8

mente tua, & ex tota vitrtute tua. Hoc est primum mandatum; secundum autem simile est illi, diliges proximum tuum tamquam te ipsum; majus horum aliud mandatum non est. Lucæ 10. *n.* 27. ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum*; Adeoque odium inimicitiæ, tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum.

9 Dicitur autem notanter *de genere suo*, quia licet odium inimicitiæ erga Deum non possit esse veniale ob parvitatem materiæ, cum quodlibet odium etiam in materia levi maxime repugnet summæ ejus bonitati, potest tamen esse veniale ob imperfectum animi consensum seu indeliberationem actus. Et odium inimicitiæ erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiæ, puta si levem aliquam displicentiam, seu modicam aversionem habeat quis erga proximum, aut leve malum illi optet, ut recte notant Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 4. *dist.* 7. *q.* 1. *n.* 5. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap. num.* 4. Turrianus *cap.* 1. *disp.* 17. *dub.* 1. & alii passim.

10 Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale: erga proximum autem interdum licitum est, & laude dignum. *Communis.*

11 Ratio primæ partis est, quia cum Deus sit infinite bonus, & in eum nulla malitia, sive defectus intrinsece, vel extrinsece cadere possit, ob quam abominatione, vel odio dignus sit, immo omnia, quæ in eo sunt, & ab ipso procedunt, pro nobis bona sint, quamvis cæcitati nostræ interdum mala videantur, ideo summa nostra deordinatio est Deum odisse, adeoque peccatum mortale est eum odio prosequi propter infirmitatem, paupertatem, afflictionem, & hujusmodi, &c. quibus ad nostrum spiritualem profectum, & utilitatem æternam nos

12 interdum visitare dignatur. Ratio autem secundæ partis est, quia odium abominationis, interdum fundatur in amore amicitiæ, seu caritatis erga Deum, vel nos ipsos, vel erga proximum ipsum, quem odio prosequimur, aut alterum proximum, ut proinde tale odium, si debito ordine, & fine eliciatur, ex virtute caritatis proveniat, adeoque sit licitum, & laude dignum; Unde licitum est & laude dignum mortem optare. (1) Hæresiarchæ vel publicæ pacis turbatori ob bonum commune, & multorum, juxta illud ad *Galatas* 5. *Utinam abscindantur*; Item mortem, egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut cesset a peccatis, & vitam in melius mutet; Item tristari de eo, quod dignitates conferantur indignis, vel de sanitate, & prosperitate, seu fortuna ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi; Et generatim ad bonum spirituale proprium, vel alienum licet mala pœnæ inefficaci affectu aliis velle: quia cum in hoc affectu bonum spirituale præferatur temporali, non est inordinatus.

13 Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem caritatis, quia quamvis licitum sit ordinate, & salva caritate inefficaci affectu optare alicui mortem, morbum, aut aliquod temporale infortunium ob bonum spirituale proprium, vel ipsius, aut alterius, aut propter bonum commune Reipublicæ, quod alias obtineri non posset, ut notant communiter Doctores cum S. Gregorio 22. *Moral.* 11. S. Thoma 2.2. *q.* 76. *art.* 1. & *in* 3. *dist.* 30. *art.* 1. & Scoto *in* 3. *dist.* 30. *q. unica*, quia sic principalis intentio, & finis non fertur ad malum, sed ad bonum spirituale ipsius, vel alterius, vel ad bonum communitatis, & ut alter graviter nocere desinat: Attamen illicitum est, & caritati repugnans optare mortem proximo ob bonum temporale non necessarium, aut quodcumque etiam modicum temporale emolumentum, quia tale bonum, & temporale emolumentum censetur esse levioris momenti facta comparatione cum vita hominis, & ita illicitum est desiderium, & gaudium de malo proximi, quod trahit secum nostrum, seu alterius, aut Reipublicæ bonum, si tale bonum non sit, facta comparatione ad malum proximi in ordine, & esse præstantius: Sic recte pluribus adductis notant Cardenas *in Crisi Theologica ad propositionem* 13. 14. & 15. ex merito damnatis ab Innocentio XI. *die* 2. *Martii* 1679. Viva ad easdem, & alii scribentes in ipsas; quæ popositiones hic ad litteram dantur, prout jacent.

Propositio XIII.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. 14

Proposito XIV.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

Propositio XV.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se inebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

Odium suscitat rixas, & universa delicta operit caritas. *Proverb. cap.* 10. *n.* 12. 15

Odisse quem læseris proprium humani generis est. *Tacit. in Vita Agricolæ.* 16

Alia ad rem, vide verb. *Virtus a n.* 34. *ad* 87. 17

(*) Ad ea, quæ Auctor num. 12. & 13. constituit, declaranda & illustranda, pertinent quæ habet Antoine in Tractatu de Virtutibus Theologicis cap. v. quæst. IV. ubi resp. 1. „ Nunquam, *ait*, „ licet optare & imprecari malum proximo, quatenus ejus malum est, vel gaudere de ejus malo ut tali, vel dolere de ejus bono, ut ejus „ bonum est. *Ita omnes*. Quia hæc sunt actus „ odii & inimicitiæ, & repugnant charitati; ideoque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt „ esse

(1) In utraque Editione Romana ad hæc verba adnotatio ista apposita legitur: „ Numquam licet „ optare mortem alterius, sed ejus conversionem. „ Vide tamen Addit. ad hunc Articulum.

„ esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati. Item „ non licet optare etiam inefficienter malum proximi, quamvis non ut malum illius, aut gaudere de eo etsi inculpate advenienti, vel dolere de ejus bono, quamvis non ex displicentia personæ, sed præcise propter bonum minus „ nostrum, vel alterius proximi. Quia hi actus „ repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus, & altioris ordinis præferre nostro minori, & inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab „ Innocentio XI. damnatis: „ illis nempe ipsis, quæ num. 14. a Lucio nostro descriptæ sunt. Deinde sic pergit„ *Resp.* 2. Ex S. Thom. in 3. „ dist. 30. quæst. 1. art. 1. ad 4. *Quia caritas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se, quam alium, & propinquos, quam extraneos, & amicos, quam inimicos, & bonum commune multorum, quam bonum privatum unius: potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus*. Igitur, 1. Licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, v. gr. morbum, „ & de illo gaudere præcise propter ejus bonum „ spirituale, v. gr. ut peccare desinat, & resipiscat: quia secundum ordinem caritatis, bonum „ spirituale præfertur temporali. 2. Licet sic optare mortem juste obventuram hæresiarchæ, vel „ malefactori Reip. noxio, & de ea gaudere, „ non quatenus ipsius malum est, sed quatenus „ per illam mortem majora mala impediuntur, „ & ob multorum bonum, quod præferendum „ est bono unius privati. 3. Licite optas victoriam de hostibus in bello justo, vel turcarum „ excidium, ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel ecclesiæ. Quia bonum ecclesiæ „ vel communitatis tuæ præferre debes bono alterius communitatis. 4. Licet optare malefactori pœnam meritam per judicem infligendam, „ vel ut ipse aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi aut aliis, nam hoc est consentaneum „ caritati; vel quia expedit reip. & bono communi, nam est actus pietatis erga remp.; vel „ ut jus læsum resarciatur, nam est actus justitiæ. Ast, ut dixi, numquam licet optare aliis, „ vel sibi majus malum ad vitandum minus; „ quia hoc est contra debitum ordinem caritatis. „ Hinc peccant mortaliter, qui sibi mortem deliberate optant ex gravi impatientia, ad vitandas „ aliquas leves molestias. „ (*)

OECONOMI ECCLESIARUM. (*)

SUMMARIUM.

1 *Bona Ecclesiastica nonnisi ad Cathedrales Ecclesias olim spectabant, a quibus alimenta percipiebant, qui Clerici in aliis seu civitatis, seu diœceseos Ecclesiis ministrabant.*
2 *Eorum cura Episcopis commissa.*
3 *Qui primum per Archidiaconos.*
4 *Deinde per Oeconomos ea administrabant, ac dispensabant; quos & ipsi eligebant;*
5 *Licet alicubi ex communi universi Cleri suffragio.*
6 *Quibus de caussis instituti Oeconomi.*
7 *Presbyteri, aut Diaconi; immo & Laici.*
8 *Eorum munera.*
9 *Episcopo obnoxii fuere.*
10 11 12 *Alia de illis.*
13 *Quando desierint?*

Antequam de Ecclesiarum Oeconomis dicere aggrediar, duo prænotare juvat. Primum est, nullos antiquitus Presbyteros, aliosve Clericos peculiaribus sive civitatis, sive diœceseos Ecclesiis fuisse alligatos, sed uni Ecclesiæ matrici, seu Cathedrali, de qua ad cæterarum ministerium indiscriminatim adhibebantur. Neque id mirum, nam Urbis, ac Diœceseos Ecclesiæ, separatos non habebant redditus; sed Clerici illis ministrantes, alimenta accipiebant ex communi Ecclesiæ matris ærario, in quod omnes particularium Ecclesiarum oblationes inferebantur, ut ex eo Clerici universi suas portiones acciperent. 1

Alterum est, omnium Ecclesiasticorum redditium curam, & distributionem ita Episcopo fuisse commissam, ut, hæc magna pars fuerit ipsius muneris, atque officii. Id disertis verbis statutum videas cum in Canonibus, quos *Apostolicos* dicimus Can. 31. & 33., tum in *Constitutionibus Apostolicis lib.* II. *cap.* 25. Satis sit duos Antiocheni Concilii Canones recitare, 24. & 25. In illo legimus: *Ea, quæ sunt Ecclesiæ, administrari convenit cum judicio, & potestate Episcopi, cui & omnis populus creditus, & eorum animæ, quæ in Ecclesiam conveniunt*. In hoc: *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset cum multa cautione, & Dei timore*. Hinc Gangrense Concilium *can.* 8. anathemate eum perculit, *qui vult fructus Ecclesiæ datos accipere, vel dare extra Ecclesiam, præter Episcopi sententiam*. 2

Primis Ecclesiæ sæculis Episcopi in Ecclesiasticorum redditium administratione Archipresbyteri, sed potissimum Archidiaconi opera utebantur. Quare Concilium Carthaginiense IV. *can.* 17. sancivit, *ut Episcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per se ipsum, sed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat*. Ejusmodi munere S. Laurentius Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus quanta fuerit fidelitate perfunctus, do- 3

docent Prudentius in Hymno de eodem S. Laurentio, Ambrosius *lib. II. de officiis cap.* 28., & Augustinus serm. CXI. *de diversis*. De Cæciliano autem idem Augustinus in *Brev. Collat. IIII.* tradit, eum a Donatistis fuisse accusatum inter cætera, *quia cum esset Diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisset*.

4 Quarto deinde, & quinto sæculo, cum Ecclesiarum redditus augerentur in dies, Episcopi vero, & Archidiaconi gravioribus negociis implicarentur, placuit, ut ad eorumdem reddituum curam, & dispensationem Ministri instituerentur *Oeconomorum Ecclesiæ* nomine, quibus id officii demandaretur. Episcopi erat Oeconomum ex suo Clero designare. Certe Ibam Episcopum Edessenum Oeconomorum, quos ipse ordinaverat, cura suæ Ecclesiæ bona administrasse docet fragmentum Concilii Tyrii a. 448. habiti recitatum Concilii Chalcedonensis *Act.* IX. Gennadius quoque Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, & Acacii successor Marcianum Oeconomum dixit; ut Theodorus Lector scribit *lib.* I. *n.* 13.

5 Alicubi tamen Oeconomi ab universo Clero communibus suffragiis statuebantur. Certe Theophilus Alexandrinus Episcopus in epistolis suis Canonicis apud Beveregium *can.* 9. statuit, *ut totius Sacerdotalis Ordinis sententia alius renuncietur Oeconomus, in quo Apollo Episcopus consentiat, ut bona Ecclesiæ in ea, quæ oportet, impendantur*.

6 Inter causas, ob quas Oeconomi constituti fuerunt, ea præcipua fuit recta reddituum dispensatio; tum illa, ne Episcopi eorumdem dissipatorum nomine a Laicis, vel etiam a Clericis accusarentur. Quare cum Ibas, de quo *num.* 4., fuisset a nonnullis dissipatorum Ecclesiæ Edessenæ reddituum insimulatus, *placuit illi in* Tyria Synodo *ex propria voluntate promittere, quod de cætero secundum formam Antiochenæ maximæ civitatis gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinatos a sua Religiositate*. Eadem de causa Chalcedonense Concilium *Can.* 24. decrevit, *omnem Ecclesiam Episcopum habentem ex proprio Clero Oeconomum habere, ut nec sine testibus sit Ecclesiæ administratio, nec ideo res ejus dissipentur, & probrum, & dedecus Sacerdotio inuratur*.

7 Presbyteri ut plurimum erant Oeconomi in Orientali Ecclesia. Sic Charisii Presbyteri, & Oeconomi Philadelphiæ mentio occurrit in Ephesino Concilio *Act.* I., uti & Proterii, qui Alexandriæ cum Presbyter antea, & Oeconomus fuisset, Episcopus fuerat creatus. Chalcedonense quoque Concilium de Dioscori depositione litteras dedit ad Charmosynum *Presbyterum, & Oeconomum*, ad Euthalium Archidiaconum, & ad alios Clericos Alexandrinos. Interdum tamen Oeconomi occurrunt nondum Presbyteri. Liberatus certe Diaconus *Breviar. cap.* 16. Joannis Talajæ meminit, qui *ex Oeconomo presbyter factus erat Tabennesiotis ..... factusque est iterum Oeconomus habens causas omnium Ecclesiarum*. Viguit hæc disciplina in Orientali Ecclesia ad Sæculum XI. Tum etiam Laicos constitutos Oeconomos legimus. Confer Thomassinum *P.* III. *Lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. Apud Latinos vero Diaconis hoc munus tribuebatur.

Oeconomi munera Theophilus Alexandrinus supra laudatus his verbis explicat, *ut bona Ecclesiæ, ut decet, insumantur; viduæ, & pauperes, & peregrinantes hospites omni quiete fruantur, & nemo ea, quæ sunt Ecclesiæ, ut sua usurpet*. Plura addit S. Isidorus Hispalensis in epistola ad Laudefredum, quam tamen sunt qui ei abjudicent. Neque omittendum quod ex Concilio Chalcedonensi *can.* 25. discimus, Sede vacante Oeconomi partes fuisse, reddituum Ecclesiæ curam gerere, ut Episcopo eligendo integri reserventur. 8

Erant tamen Oeconomi Episcopo ita subjecti, ut illi tamquam supremo Ecclesiæ Moderatori rationem omnino reddere debuerint. Indicant id Hieronymus *epist.* I. *ad Nepot.* ubi ait: *sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi, curæque præficiat*. S. Augustinus certe, auctore in ejus vita Possidio, omnes quidem suæ Ecclesiæ redditus per Clericos administrabat, ne sigillo quidem, aut clavi, sibi reservato; statis tamen temporibus obitæ administrationis rationes ab iisdem postulabat. Vide eumdem Thomassinum *P.* III. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 14. 9

Non perpetua fuit hæc Oeconomorum administratio. Quæ de Joanne Talaja ex Liberato *n.* 7. reddidimus, id palam faciunt. Ille enim dicitur *factus ITERUM Oeconomus*. 10

Adde, in magnis Ecclesiis plures extitisse Oeconomos. Hinc in Constantinopolitana Ecclesia *magnus Oeconomus*, summus scilicet inter Oeconomos, ex præcipuis erat dignitatibus, quem Simeon Thessalonicensis S. Stephani Protomartyris, & primævæ Ecclesiæ Oeconomi successorem vocat. 11

Cum tamen VII. Concilii Oecumenici tempore pigritarentur in Oriente Episcopi in Oeconomis sibi eligendis, statuit Concilium, ut si ab iis instituendis cessarent Metropolitani, in eam curam Constantinopolitanus Patriarcha succederet; si Episcopi, suppleret Metropolitanus; si Abbates, Episcopus. 12

In Ecclesia Græca adhuc sæculo XIII. residui erant Oeconomi, ut ex actis Lugdunensis Concilii a. 1254. constat. Verum in Latina Ecclesia, postquam mensæ communis bonorum partitio facta est inter Canonicos, Oeconomis nullus superfuit locus. His tamen Thesaurarii, Camerarii, Vicedomini in Canonicorum Collegiis successerunt. Adi & hic Thomassinum *P.* I. *lib.* III. *c.* 70. *num.* 6. *seqq.* 13

OFFICIALES BELLICI. Vide verb. *Bellum art.* 3. *per tot.*

OFFICIUM DIVINUM.

ARTICULUS I.

Quo ad ea, quæ concernunt ejus nomen, originem, divisionem, & obligationem.

1 Officium modo appellatur *Divinum*, ut *cap. Dolentes 9. de celebratione Missar.* ibi: *Ut Divinum Officium*, & *Clementin.* 1. *eod. tit.* ibi: *Divinum diurnum*, & *nocturnum Officium*;
2 quia ad Dei cultum est institutum; (1) modo vocatur *Ecclesiasticum*, ut *cit. Clementin.* 1. *de celebratione Missarum*, ibi: *Ecclesiasticum ..... Offi-*
3 *cium*, quia nomine Ecclesiæ persolvitur; modo vocatur *Canonicum*, seu *horæ canonicæ*, quia fit
4 juxta regulas sacrorum canonum; (2) modo vocatur *Breviarium*, quia est breve, & admirabile compendium veteris, & novi Testamenti; Patrum
5 sententiarum, & vitæ Sanctorum; (3) modo vocatur *Orarium* ab orando, quia magna ejus pars constat variis precibus, seu petitionibus fusis ad Deum, & potissimum Deum oramus, & precamur per ipsum.

6 Unde Officium divinum, seu ecclesiasticum, vel breviarium, aut orarium, seu horæ canonicæ definiri possunt, *Officia quædam divina ex psalmis, hymnis, canticis, sac. Scriptura, & doctrina SS. PP. constructa, atque ex sacrorum canonum decreto a personis ecclesiasticis Ecclesiæ nomine, certis diei, noctisque horis persolvenda ad Deum*, prout tradit Sporer *tom.* 3. *Theolog. Sacrament. appendice de obligatione recitandi horas canonicas quæst. præambula n.* 2. Vel ut brevius tradit Layman *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. *horæ canonicæ sunt publicæ, ac statutæ preces ex sacror. Canonum decreto ab ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ ad Deum persolvendæ.*

Usus divini officii, ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimus in Ecclesia catholica, & 7
jam a tempore Apostolorum inchoatus, atque celebratus, & colligitur ex illo *Actorum* 6. ibi: *Petrus, & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, & *Actor.* 10. ibi: *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam*, & *Actor.* 16. ibi: *Media nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum*; (4) Et probat etiam illud S. Clementis Papæ I. *lib.* 8. *Constitut. Apostolicar. canon.* 34. sic expresse dicentis: *Precationes facite mane, hora tertia, sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum.* (5)

Cum autem aliqui dicunt a S. Damaso, Ge- 8
lasio, & Gregorio primis horas canonicas cœpisse, intelligendi sunt horas canonicas a dictis summis Pontificibus cœpisse quoad novam, & reformatam formam ipsas recitandi, prout notant passim Scriptores, & colligitur ex notatis in initio nostri Breviarii Franciscani post Bullam Gregorii IX. incipient. *Pio vestro collegio*, ubi sic præcise habetur.

Breviaria autem a Gregorio IX. pro ordine no- 9
stro sic approbata, formulam divini officii continebant, quæ a SS. Damaso, Gelasio, & Gregorio primis pro S. Romana Ecclesia constituta, & a S. Gregorio VII. reformata extiterat, diuturnitate tamen temporis jam ab antiqua institutione deflexerat & operâ Haymonis Anglici generalis ministri ad præscriptum moderniorum decretorum S. Sedis tunc restituta fuerat. (6)

Eaque propter hujusmodi formula Deo persol- 10
ven-

(1) Seu potius, quia debitum est quoddam atque officium, quod duo persolvimus, preces nostras die noctuque dicando. *Oremus*, inquit in vita S. Pachomii S. Hieronymus, *psallamus, reddamus Deo officium.*

(2) Vel quia Majores nostri tempus, & horas, quibus officium persolvendum, Ecclesiasticis canonibus definierunt.

(3) Malim ego sic dictum, sive quod vetus officium contractum fuerit, sive quod hæc collectio sit quædam omnium precum epitome, quasi *breve orarium*. Cæterum hoc *Breviarii* nomen adeo pervulgatum erat Micrologi ævo (Vivebat autem is circa annum 1180.), ut non solum cum de divino suorum temporum officio ageret, sed & de antiquis Ecclesiæ libris, eos *Breviarios*, quemadmodum & nos hodie solemus, appellet.

(4) Antelucanos, & vespertinos conventus celebrasse vel ab ipso Apostolico ævo Christianos, in illisque psalmos, hymnos, precesque Deo obtulisse testatissima res est. Nec minus exploratum est, jam inde a primis Ecclesiæ sæculis fideles hora potissimum tertia, sexta, & nona, ceu statis precationum temporibus, ducto ab ipsis Apostolis exemplo privatim orare consuevisse. Eas sane precum horas commemorant Tertullianus *de jejuniis cap.* 3., & S. Cyprianus *de orat. Dominica*. Nondum tamen, inquit Selvaggius *Antiquit. Christian. Lib.* 11. *cap.* 9. *p.* 183., his horis publici in Ecclesia cœtus habebantur; præsertim cum Epiphanius, & Chrysostomus matutini, ac vespertini Ecclesiastici ministerii quam sæpissime meminerint, numquam vero illas canonicas horas meminerint, nisi dumtaxat cum de Monachis, eorumque institutis loquuntur.

(5) Ex his Constitutionum Apostolicarum verbis id solum argui potest, quarto jam sæculo, quo fuere primum illæ sub Apostolorum, vel Clementis I. nomine procusæ, in Oriente, saltem in quibusdam Ecclesiis horas illas canonicas fuisse usitatas.

(6) De Breviariorum restitutione ab Haymone facta, aliisque ad eorum historiam facientibus consule Francisci Antonii Zaccariæ *Bibliothecam ritualem T.* 1.

vendi sacras preces, laudes, & gratias, sic restituta, officiisque Conceptionis B. M. Virginis, & aliorum Sanctorum a S. Bonaventura subinde aucta adeo Sedi Apostolicæ placuit, ut testantibus Radulpho Tungrensi, Palmerio, Gavanto, & Card. Bona cum innumeris aliis sacris Scriptoribus a Nicolao III. anno 1277. ad Pontificatum assumpto pro ipsa Ecclesia Romana postmodum suscepta, ac sancita comperiatur.

11 Hanc deinde temporum injuria, aliisque de causis variatam, in pristinum statum ex decreto Tridentinæ Synodi restituit S. Pius V. sub rubricis præsertim, ac ritibus, regulisque pro ordine nostro a Romanis Pontificibus Nicolai III. successoribus usque tunc approbatis, & contentis in directorio divini officii prius pro ordine nostro edito, in cujus commendationem id testatum idem Gavantus reliquit, quod innuunt ejus infrascripta verba: *Paucissimi tamen erant* (inquit de rubricis appositis in reformatione Piana) *earum tituli, nempe undecim tantum in prima editione jussu Pii V. hausti e Directorio divini Officii, composito a Ludovico Ciconioliano Regularis observantiæ, sub Paulo III. qui & directorium approbavit*. Prædictæ tamen restitutioni, seu reformationi suam operam addidere impensissimam Clemens VIII. & Urbanus VIII. prout ex eorumdem sequentibus Bullarum summariis, & ipsius formulæ contextu luculentius apparebit.

12 Summa Bullarum summorum Pontificum pro editione Breviarii Romani.

Pius V. Bulla, quæ incipit, *Quod a nobis*, data Romæ septimo Idus Julii anno 1568.

Significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

Enarrat ea, quæ in hac re præstitere Paulus, & Pius nomine quarti, & quam ipse adhiberi operam curavit ex decreto Concilii Tridentini.

Tollit, & abolet omnino Breviarium a Cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissimum. (1) Item alia Breviaria Romana, & alia, quæ ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. (2)

Permittit tamen, ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si Episcopus, & universum Capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, & indulta precandi & psallendi more, & ritu prædictorum Breviariorum suppressorum.

Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe cum exceptione 200. annorum, de qua supra.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum, & detrahendum.

Obligat quosque, qui tenentur horas canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo.

Jubet omnibus Prælatis, ut hoc introducant, tam in choro, quam extra chorum. Tollit peccati obligationem, quæ erat recitandi in choro Officium parvum B. M. V. & defunctorum, psalmos pœnitentiales, & graduales, juxta rubricas Breviarii.

Hortatur, ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B. M. V. & defunctorum, quinquaginta recitantibus psalmos pœnitentiales, & graduales, quando rubricæ ea præscribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi Officium parvum B. M. V. in choro, immo eamdem confirmat, (3) & tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

Clemens VIII. Constitutione, cujus initium *Cum in Ecclesia*, data Romæ die 10. Maii 1602. declarat, se per viros pios, & eruditos Breviarium Romanum a Pio V. editum, & progressu temporis in multis depravatum examinasse, & in statum pristinum restituisse: illudque sic restitutum in Typographia Vaticana imprimi, & divulgari jussisse. Prohibet, ne alibi imprimatur, nisi juxta exemplar Vaticanum, & habita Ordinariorum licentia sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. (2) Interdicit usum Breviariorum impressorum absque tali Ordinariorum licentia in scriptis, quæ fidem faciat de collatione facta prædictorum Breviariorum cum originali Romano, cujus etiam licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Prædictis Ordinariis prohibet, ne aliquid addi, vel detrahi permittant. Et hæc sub pœna excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ; verumtamen in gratiam pauperum Breviaria hactenus impressa vendere; apud se retinere, ac illis uti permittit.

Urbanus VIII. Constitutione, quæ incipit *Divinam psalmodiam*, data Romæ die 25. Januarii 1631. declarat, se piorum, doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V. editum, & Clemente VIII. recognitum a pluribus mendis expurgasse, hymnos ad metri, & latinitatis

I 2

(7) Breviarium scilicet Cardinalis Francisci Quignonii, de quo multa idem Zaccaria, multa Faustinus Arevalus in appendice ad præclaram *de Hymnodia Ecclesiastica* dissertationem *p. 385. seqq.*

(1) Aboleveritne Pius V. isthæc Breviaria jure Pontificii Primatus an Patriarchali, inutilis quæstio est. Hoc firmum esto, potuisse utroque jure. Vide ejusdem Zachariæ dissertationem *de jure Liturgico* eidem Tomo I. *Bibl. Ritual.* præmissam.

(2) De officio parvo B. M. V. egregie disserit Emmanuel de Azevedo V. CL. *Exercit. LXXI.*

(3) Jure quidem. Sic etiam Missalis Piani omnia exemplaria post Edictum S. Pii *alterata*, inquit Index Librorum prohibitorum, *præsertim quæ* Venetiis *apud* Junctas, Sessas, Mysserinum, & ad signum Syrenæ, *atque* Europæ, & *quoscumque alios impressa sunt*, vetitæ lectionis fuerunt sub Clemente VIII. declarata. Vide Francisci Antonii Mondellii opusculum alias a me laudatum *de legitima Canonis pronunciatione*.

tatis regulas revocasse. (1) In psalmis, & canticis interpunctionem editionis vulgatæ restituisse, sermones, homilias, & Sanctorum historias collatis veteribus manuscriptis recognovisse. Quamobrem jubet, ut juxta hanc correctionem Romæ imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis Bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit. Adjungens easdem conditiones servandas in impressione eorum, quæ a Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt Missalia, Diurnalia, Officia parva B. M. V. Officia majoris hebdomadæ, & alia id generis.

13 Officium divinum dividitur in nocturnum, & diurnum, prout expresse habetur *ex cap. Dolentes 9. de celebratione Missarum*, ibi: *Ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum*; & ex *Clement. 1. de celebratione Missar.* ibi: *Et debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum*

14 *Officium*. Per *Officium nocturnum* intelligitur id, quod de nocte celebrari consuevit, & adhuc apud plures Religiones, & regiones celebratur; & vulgo nuncupatur *Matutinum*, cui juxta morem Ecclesiæ Romanæ adjunguntur *Laudes*. Quamvis istæ olim in multis Ecclesiis fuerint a matutino separatæ, & adhuc nunc apud nonnullos Religiosos Ordines separentur: & posse licite, immo laudabiliter separari fuit dictum sub verb. *Ma-*

15 *tutinum*. Per *Officium diurnum* intelliguntur omnes aliæ canonicæ horæ, quæ de die sunt persolvendæ.

16 Totum divinum Officium dividitur jam fere communiter contra Navarr. & nonnullos alios in septem partes, seu septem horas canonicas, nempe matutinum cum laudibus, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, & completorium, (2) juxta illud Davidis *Psalm. 118. Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius numerus* (subjungit Concilium Agathense relatum *in cap. 1. de celebratione Missarum*) *a nobis impletur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, & completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus; nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referamus.*

17 Et hujus septenarii numeri horarum canonicarum mysticam rationem assignat Glossa *in cit. cap. 1. de celebratione Missarum verb. Septenarius*, quia nempe septem sunt dona Spiritus Sancti, septem sunt dies sæculi, idest quibus completa fuit creatio mundi, septem sunt ætates, quibus completis, finietur mundus, septem sunt petitiones in oratione Dominica, septem sunt psalmi pœnitentiales, septem sunt Diaconi, septem sunt candelabra, & præsertim septem sunt præcipua Dominicæ passionis mysteria, in quorum proinde commemorationem septem horæ canonicæ recitantur, juxta illos vulgatos versiculos e Glossa *loc. cit.* relatos,

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, causam dat tertia mortis.
Sexta cruci nectit, latus ejus nona bipartit.
Vespera deponit, tumulo completa reponit.

Obligatio recitandi divinum Officium, seu horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet ex titulo sacri Ordinis, ex titulo beneficii Ecclesiastici, & ex titulo Religionis choro adstrictæ. 18
Communis. Titulo *sacri Ordinis* obligantur sub mortali ad recitandum divinum Officium, seu horas canonicas omnes majoribus Ordinibus initiati, scilicet Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti. *Communis*. De Sacerdotibus, & consequenter Episcopis habetur *in cap. Presbyter 1. & cap. Dolentes 9. de celebrat. Missar.* De Diaconis colligitur *ex cap. Si quis Presbyter ultim. dist. 92.* De omnibus etiam Subdiaconis habetur expresse in Concilio Basileensi *sess. 21. §. Quoscumque*. Quia tamen *cit. cap. Præcipimus ultim. dist. 92.* non satis convincit de Diaconis, & cit. Concil. Basileense fuit acephalum, & sine capite, adeoque non satis ex ipso inducitur obligatio de omnibus constitutis in sacris Ordinibus, dicendum est, obligationem recitandi divinum Officium respectu Diaconorum, & Subdiaconorum fundari in communi, & antiqua Ecclesiæ consuetudine vim legis secundum omnes obtinente, cum consuetudo legitime præscripta habeat vim legis, simulque ea sit optima legum interpres, *c. Cum dilectus 8. de consuetudine*. 19

Obligatio recitandi horas canonicas incipit a prima die, & hora suscepti Subdiaconatus, ita ut ordinatus in Subdiaconum teneatur recitare illas horas, quæ correspondent horæ suæ ordinationis, sicque sua obligatio a sexta, vel nona, si illo tempore, & hora fuit in Subdiaconum ordinatus. *Communis*. 20

Clerici in Sacris constituti tenentur ad recitationem divini Officii, etiamsi sint excommunicati, suspensi, & interdicti. *Communis*. Nemo enim debet ex propria culpa, & iniquitate commodum reportare; *cap. Intelleximus 7. de judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare, & l. Nemo ex suo ff. de regul. juris*, ibi: *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*. 21
Idemque propter eamdem rationem censent de degradatis, Navarrus, Sotus, Henno, Reiffenstuel, & alii contra alios volentes, clericos degradatos 22

(4) Confer & hic Zaccariam *T. 1. Bibl. Ritual.* & jam laudatam Arevali *de Hymnodia Hispanica* dissertationem *pag. 134. seqq.*

(5) Completorium primus horis canonicis addidit S. Benedictus. Vide & hic Emmanuelem de Azevedo *Exercit. 30.* ubi recte a Bellarmini, & Gavanti sententia recedit, quorum ille Completorium a Basilio in *regulis fuse disputatis* memoratum credidit, hic ad Cassiani tempora hujus horæ institutionem retraxit.

datos non obligari ad horas canonicas, ex quo ab Ecclesia spoliati sunt omni privilegio clericali, atque adeo ad statum mere sæcularem, seu laica-
23 calem rejecti. Idem pariter propter eamdem rationem de damnatis ad triremes, & de incarceratis docent Henno *tom.* 1. *tract. in decalogi præcepta disput.* 1. *quest.* 3. *conclus.* 1. & alii plures contra alios volentes, ipsos non teneri ad talem recitationem; quod revera multum probabile est de damnatis ad triremes, & a fortiori de captivis apud infideles; non tamen de incarceratis, ut cum Tamburin. & aliis recte docet Sporer *tom.* 3. *tract. append. de horis Canonicis cap.* 1. *num.* 9. Unde sacra Congregatio Concilii diebus 13. Augusti 1707. & 18. Augusti 1708. & 15. Decembris ejusdem anni, & 1719. noluit decidere utrum damnatus ad triremes teneatur recitare divinum Officium. Immo neque Clemens XI. cui Congregatio Concilii dubium resolvendum reservarat. Sic refert Ursaya *in* 1. *Miscellaneo sacro & profano lit. O n.* 42. (*).

24 Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem, tenetur adhuc probabilius ad recitationem divini Officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem Pontificiam, quia dispensatio utpote odiosa stricte est explicanda, *argum. cap. Odia* 16. *de regul. jur. in* 6. & ipse adhuc characterem Ordinis sacri retinet. Henno *loc. cit.* Busemb. *lib.* 4. *dub.* 2. *de Horis Canonicis num.* 1. La Croix *ibidem n.* 1186. cum Bonacina, & Azorio ibi citatis, & alii plures contra Sporer *loc. cit.* & alios.

25 Titulo *beneficii Ecclesiastici* obligantur sub mortali ad recitandum divinum Officium, seu horas canonicas Beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, ut Episcopi, Abbates, Archipresbyteri, Præpositi, Decani, Parochi &c. sive habeant beneficium non curatum, ut Canonici, Vicarii, Capellani, aliique Beneficiarii simplices. *Communis*, per textum *in cap. Dolentes* 9. *de celebratione Missarum*, & *cap. Quia* 15. *de rescriptis in* 6. ubi expresse dicitur, quod beneficium datur propter Officium, ibi: *Officium.... propter quod beneficium Ecclesiasticum datur*, & Constitut. 7. Leonis X. incip. *Supremæ dispositioni*, & Constitut. 135. S. Pii V. incip. *Ex proximo*, ubi expresse dicitur: *Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse.*

Et hanc Beneficiatorum obligationem recitandi 26 divinum Officium non incipere a die, qua beneficium ei collatum est, & ab ipso fuit acceptatum sed solum a die obtentæ possessionis; dummodo per ipsos non stet, ne possessionem consequantur, sed bona fide illam habere conentur, tenent Flaminius Parisius, Rodriquez, Henriquez, Azorius, Lessius, Suarez citati, & secuti a Layman *lib.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. ubi dicit hanc opinionem esse in Scholis, & praxi receptiorem, & ultra supradictos id defendunt Filliucius, Naldus, Molfesius, Menochius, Cajetanus, Philiarcus citati, & secuti a Bonacina *de Horis canonicis disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. & Cardin. de Lugo *respon. moral. lib.* 5. *dub.* 5. *num.* 1. ubi ex Gavanto *in Rubricas Breviarii sect.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. testatur de praxi, & consuetudine Romanæ curiæ. Sic etiam Sporer *tom.* 3. *tract. Appendic. de Horis Canon. cap.* 1. *n.* 22. Felix Potest. *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 3. *num.* 490. Pontas *dictionar. cas. conscient. verb. Officium Breviarii casu* 8. & alii plures, quos affert, & sequitur Diana *par.* 2. *tract. de Horis Canonicis resolut.* 21. Et ratio est, quia solum tunc censetur quis proprie habere beneficium, cum ejus pacificam possessionem accepit, & habet, & colligitur ex Constit. Leonis X. incip. *Supernæ*, & ex alia S. Pii V. incip. *Ex proximo*, ubi imponitur Beneficiatis obligatio restituendi fructus perceptos, si post sex menses ab obtento beneficio non recitaverint divinum Officium. Fructus autem non recipiuntur ante adeptam possessionem beneficii, & id etiam colligitur & Concilio Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ubi statuit, quod provisi de beneficiis teneantur emittere professionem fidei intra duos menses a die *adeptæ possessionis*, non autem a die obtenti tituli; Quod est contra Navarrum *cap.* 7. *de orat. n.* 29. & *cap.* 25. *Manual. n.* 102. existimantem solum benefici titulum sufficere post ejus acceptationem, & contra Henno *tom.* 1. *tract. in decalog. disp.* 1. *quæst.* 5. *art.* 1. *concl.* 3. dicentem obligationem recitandi Officium incipere ab eo tempore, quo fructus debentur Beneficiato, sive interim possessionem acceperit, sive non; quia ratio dictat, ut quando quis incipit gaudere fructibus, incipiat & præstare id, propter

Nota Romani Theologi.

(*) Quamvis multum probabilis dici possit illorum Theologorum opinio, quæ clericos ad triremes damnatos a recitatione divini Officii eximit, *quia*, ut ait P. Concina, *tom.* 2. *Theol. Christ. diss.* 2. *q.* 7. *pag.* 403. *vix in tam misero statu implere hoc onus possunt, tum ob impedimenta continua, tum ob Breviarii privationem, tum etiam quia Pontifex, dum eosdem tanto supplicio subjicit, videtur eosdem a recitando Officio tacite quodammodo dispensare ne status religiosus* (idem dicendum de statu clericali) *opprobrio exponatur*: isthæc tamen opinio penitus falsa est de clericis carceri mancipatis, qui certo certius recitare debent horas canonicas, ut omnes fatentur.

Responsio Auctoris.

Falsam esse opinionem, quæ clericos carceri mancipatos eximit a recitando Officio, fateor & ego ipsissimo *loc. cit.* expresse dicens; *non tamen de incarceratis*, ut cum Tamburin. & aliis recte docet Sporer &c.

pter quod sunt fructus, dicitque, quod contraria praxis Romanæ curiæ respicit solum forum externum; quæ opinio est vere probabilis, ubi nullum adsit dubium, & periculum obtinendi pacificam possessionem beneficii, cum, ut dicit etiam Pontas *loc. c. verb. Observandum*, sit tutior, & justitiæ affinior.

27 Immo tenentur Beneficiati ad recitationem divini Officii, etiamsi suum beneficium sit tenue, si scienter illud acceptarunt. Vide verb. *Beneficiatus*
28 *artic.* 1. *num.* 2. *& seq.* Item tenentur ad recitationem divini Officii habentes præstimonia, & præstimoniales portiones; Vide *d. verb. Beneficiatus*
29 *n.* 3. Clerici percipientes pensionem ex beneficio Ecclesiastico ex dict. Constitut. S. Pii V. incip. *Ex proximo*, tenentur recitare Officium B. M. V. nisi (ut limitant communiter Doctores apud Tamburin. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 5. *n.* 22.) recitent ipsum Officium divinum, sive gratuito, sive ex alia obligatione, nempe vel ratione sacri Ordinis, vel ratione religiosæ professionis; quia mens Pontificis solum fuit, ut Clerici pensionarii non essent omino immunes ab orando; non autem alio superaddito onere eos aggravare, si aliunde jam inveniantur onerati divino Officio.

30 Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum Officium sine impedimento & culpabiliter (secus si inculpabiliter, ob impotentiam, oblivionem &c.) non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis, seu respondentium tempori, quo non recitarunt: *Communis*; Vide *d. verb. Beneficiatus artic.*
1. *num.* 5. Beneficiati tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam, & declarationem judicis; Vide *ib. num.* 6. 31
Neque talem restitutionem compensare possunt 32
Beneficiati per eleemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenentur ad horas canonicas. Vide *ib. n.* 7. Pro re- 33
stitutione tamen ob neglectas horas, satis est post illud tempus, a quo Beneficiarii omiserunt, dare eleemosynam, etiam si non cogitent de debito, neque intendant dare in exsolutionem suæ obligationis. Vide *ibid. num.* 8. (*) Possunt tamen tales 34
Beneficiarii eleemosynas ob omissionem horarum debitas pauperibus sibi applicare, si vere sint pauperes, cum non sint pejoris conditionis ipsi, quam alii, etiamsi olim deliquerint, quia pauperibus existentibus in mortali potest fieri hujusmodi eleemosyna. Sic Viva *ad propositionem* 20. *de damnatis ab Alexandro VII. num.* 10. ubi testatur de communi aliorum. Cavendum tamen, ne interveniat fraus, & dolus in Beneficiatis non vere pauperibus.

Obtinentes beneficia, v. g. præposituras, perso- 35
natus, & hujusmodi, quibus ex speciali sua institutione, & erectione solum adnexa est obligatio recitandi Officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio cum expressa conditione, quod capellanus ratione capellaniæ non sit obligatus ad horas canonicas, eximuntur ab onere recitandi divinum Officium, & consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis. Sporer *loc. cit. num.* 29. Reiffenstuel *Theol. moral. tr.* 6. *q.* 2.

Nota Romani Theologi.

(*) Beneficiarios omnes teneri fructus illos restituere, qui ex possesso beneficio percipiunt, in casu omissionis divini Officii, tam certum est, quam quod maxime. Ita namque definitum perspicue est in Lateran. Concilio sub Leone X. *sess.* 9. ac a S. Pio V. confirmatum in sua Constitutione anno 1571. edita, cujus initium est: *Ex proximo Lateranensi Concilio*. Onus istud restitutionis pro rata omissionis officii, impositum est Beneficiariis omnibus, saltem post sex menses a possessione pacifica beneficii, qui omnes, vel aliquos beneficii ejusdem fructus percipiunt, a S. Pio V. in sua mox laudata Constitutione. Huic oneri, seu obligationi non satisfieri per quascumque eleemosynas, quas Beneficiarius sui beneficii fecerit, liquet ex propositione 33. ab Alexandro VIII. damnata. Sed neque per eleemosynas illas, quas Beneficiarius, post horarum canonicarum omissionem pauperibus erogavit, nihil cogitans de suo debito suaque obligatione, ut Lucius noster opinatur, nam Beneficiarius elargiens eleemosynam, nullo habito respectu ad restitutionis suæ debitum, liberaliter donat. Liberali autem donatione non satisfit oneri, quod ex justitia debetur: *Quid quod*, inquit P. Concina loco supra citatato quæst. 16., *similibus eleemosynis Beneficiarius forsitan intendit satisfacere præcepto erogandi superflua?*

Ad hanc porro fructuum restitutionem ob Officii omissionem, nedum tenentur Beneficiarii qui omnes beneficii sui fructus percipiunt, sed illi quoque, qui aliquos quoquomodo percipiunt; etenim Piana Constitutio indiscriminatim loquitur in casu omissi Officii, quod nempe Beneficiarius *non faciat fructus suos*, sive omnes, sive aliquos percipiat.

Responsio Auctoris.

Asserit hic R. *Theologus*, quod Beneficiarius non satisfacit suæ obligationi restituendo fructus ob omissionem recitationis divini Officii per eleemosynas factas post dictam omissionem, nihil cogitando de suo debito, quia tunc, dicit ipse, liberaliter donat. At hoc nequaquam: quamvis enim Beneficiarius tunc actualiter, & formaliter nihil cogitet de ipsa sua obligatione, habet tamen virtualem intentionem, ut dando eleemosynam, satisfaciat per illam omni suæ obligationi, ut cum pluribus aliis trado Ego *loc. ibi cit.* Nemo enim rationabiliter præsumitur velle charitatem exercere, relicta sua obligatione ex justitia, adeoque nullo modo dicendum est, quod in casu liberaliter donet,

36 6. *q.* 2. *num.* 26, & alii passim. Item a tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat, quo minus de facto aliquos fructus percipere possint, sive per se, sive per alios, aut in aliis substitutis; Nemo enim suis stipendiis militare cogitur, 1. *ad Corinth. cap.* 9. *num.* 7. ibi: *Quis militat suis stipendiis unquam?* Sic tenent Navarr. *cap.* 7. *de Orat. n.* 28. Herincx *part.* 3. *disp.* 7. *num.* 58. Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 5. *num.* 3. *& seq.* Sporer *loc. cit. num.* 22. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 26. ubi testatur de communi.

37 Titulo *Religionis professæ choro adstrictæ* obligantur sub mortali ad recitandum divinum Officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim omnes, ac singuli Regulares (exceptis novitiis, & laicis, seu conversis) qui profitentur Religionem choro adstrictam, & hoc ratione generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus choro addictis cum tali obligatione acceptata est, quamvis ad id non sint obligati, nec ex vi Ordinis sacri nondum recepti, nec ex vi beneficii non habiti, nec ex vi regulæ, aut voti; Sic paucis exceptis *Doctores communiter*: Et ratio est quia universalis consuetudo habet vim legis obligantis sub mortali; talis autem consuetudo in Religionibus choro adstrictis est communiter recepta sub tali obligatione ex fere communi sensu Doctorum, quibus in moralibus standum est, cum quis raro bene loquatur, cum contra omnes loquitur, ut dicit Baldus *consil.* 112. *in l.* 2. adeoque &c.

38 Dicitur *exceptis novitiis, & laicis, seu conversis*, quia novitii ex quo necdum sint Religionem professi, sed possint libere exire, ad onera Religionis non tenentur sub obligatione. Laici autem conversi licet sint Religionem professi, tamen per Professionem non ad chorum, sed ad exercitia corporalia monasterii recipiuntur, & deputantur; Unde si ex propria Regula non sint obligati ad recitationem aliquarum precum, seu auditionem Missæ, vel hujusmodi loco Officii, ad id non te-

39 nentur, ut tenent *communiter Doctores*. In illis autem Religionibus, ubi propria Regula obligat laicos, seu conversos ad consimilium precum recitationem, vel hujusmodi, ut in Religione Minorum, laici, seu conversi ad illas tenentur, sicut ad alia præcepta propriæ Regulæ. *Communis*.

40 Item sub mortali obligantur ad recitandum divinum Officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim omnes, ac singulæ Moniales choro addictæ ratione consuetudinis obligantis sub mortali, quamvis ad id non sint obligatæ ex vi Regulæ, aut voti. Vide verb. *Mo-*

41 *niales art.* 6. *a num.* 1. *ad* 3. Excipiuntur tamen novitiæ, & conversæ, de quibus discurrendum est, ut de novitiis, & laicis, seu conversis Regularium, uti *supra sub. n.* 37. *&* 38.

42 Obligatio recitandi divinum Officium in choro incumbit toti communitati, monasterio, capitulo, ita tamen, ut primario, & ex officio incumbat Prælato, seu Superiori, qui peccabit graviter, si ex ejus culpa Officium, vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur. *Communis*, *argum. Clement.* 1. *de celebratione Missarum*. Secundario talis obligatio incumbit subdi- 43
tis, ita ut deficiente suo muneri Superiore, etiam peccent mortaliter subditi, si ex eorum negligentia divinum Officium prætermittatur, aut indebite persolvatur. *Communis*, cum Donato *tom.* 4. *prax. Rer. Regul. tr.* 18. *qu.* 24. Sporer *loc. cit. n.* 16. Henno *loc. cit. qu.* 3. *art.* 1. *concl.* 2.

Novitii soli de more recitantes in choro horas 44
canonicas satisfaciunt obligationi loco Professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus communitatis, sive collegium. Diana *part.* 7. *tr.* 11. *Miscellan. resolut.* 5. ex Caramuel. *in Reg. S. Benedicti disp.* 101. *dub.* 6. Pellizzar. *in manual. tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 1. *q.* 22. *n.* 49. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 31. *n.* 116. Donat. *tom.* 2. *prax. Rerum Regul. part.* 4. *tract.* 6. *qu.* 22. & alii. Et ratio est, quia Novitii in favorabilibus reputantur Religiosi professi, adeo ut dici possunt pars, & membrum communitatis, ac proinde possint satisfacere obligationi chori; Tum quia sicut gaudent privilegiis professorum, ita possunt concurrere ad implenda illorum onera, cum per hoc non possint dici subesse oneribus professorum, sed posse implere illa loco professorum. Donatus autem *tom.* 4. *prax. Rer. Regul. tract.* 18. *quæst.* 30. censet negativam, & contrariam sententiam esse tutiorem, quia servitium chori est onus personale professorum, quod nequit per non professos adimpleri nisi ex causa justa, & necessaria, & secundum hoc vult intelligi, quod dixit *tom.* 2. *loco supra citato*.

Ad satisfaciendum obligationi persolvendi horas 45
canonicas in choro sufficiunt, & requiruntur saltem tres, quia tres faciunt collegium, *l. Neratius* 85. *ff. De verbor. signif.* ibi: *Neratius Priscus tres facere existimat collegium, & hoc magis sequendum est*, Reiffenstuel *lib.* 3. *decretal. tit.* 31. *num.* 116. Donatus *tom.* 2. *prax. rer. Regular. part.* 4. *tract.* 6. *q.* 22. & alii contra Sporer *loc. cit. num.* 17. & alios volentes requiri saltem quatuor.

Obligati ad divinum Officium, & choro addi- 46
cti, licet extra chorum non teneantur diebus statutis recitare Psalm. grad. nec pœnitentiales, neque Officium parvum B. M. V. nec defunctorum, tamen in choro ex præcepto recitare debent. Sic novissime *Sacr. Rit. congreg. per sequens Decretum*: Persolventes divinum Officium extra chorum non tenentur ad Psalmos graduales, nec pœnitentiales, neque ad Officium parvum B. M. V. nec defunctorum, quæ quidem Officia, & Psalmi sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro. *Sac. Rit. Congreg.* 2. *Septemb.* 1741. unde huic decreto accommodari, ac juxta idem moderari debent dicta in verb. *Canonicatus*, *Canonicus*, *art.* 5. *de Canonicis .... quoad chorum a n.* 51. *ad* 56. Vide etiam infra *art.* 3. *num.* 107.

Religiosi fugitivi, seu apostatæ, excommunica- 47
ti, suspensi, & interdicti tenentur adhuc ad recitationem divini Officii, licet non sint sacris initiati. Sic fere Communis Doctorum per dicta, & jura adducta *supra num.* 21. De religiosis condem- 48
natis ad triremes, incarceratis, seu factis captivis ab infidelibus idem dicendum est, quod de clericis

49 cis in sacris dictum est *supra num.* 23. De religiosis degradatis idem dicendum est, quod *supra num.* 22.

50 Quid autem dicendum sit de Religiosis ejectis. Vid. verb. *Ejecti a Religione, num.* 51. *&* 52.

51 Religiosus chorista nondum in sacris constitutus, si ex Privilegio Papæ exeat a Religione ad ducendam Uxorem (nisi diploma aliud statuat, propter quod est diligenter attendendum, & adimplendum) non tenetur divinum Officium recitare, quia tunc Papa dispensans in professione, censetur & dispensare in eo, quod talem professionem sequitur; *argum. l.Cum principalis* 178. *ff. De Regul. juris, & cap. Accessorium* 42. *de Regul. juris in* 6. Henno *loc. cit. conclus.* 2. Donatus *tom.* 4. *tract.* 18. *quæst.* 14. La Croix *lib.* 4. *num.*1191. & alii passim.

52 Idem probabiliter dicendum est de eo Religioso nondum in sacris, qui obtinuit Pontificiam dispensationem perpetuo vivendi extra monasterium, quia licet ipse maneat Religiosus, non tamen Regularis chorista. Unde cum obligatio recitandi Officium private sit sequela obligationis illud recitandi in choro, ablata ab eo per Papam obligatione recitandi in choro, censetur ablata etiam obligatio recitandi privatim, utpote accessoria ad illam, *argum. juribus cit. num. anteced.* Sic Sotus *lib.* 10. *de justitia q.* 5. *art.*3. Azorius *tom.*1. *lib.*10. *cap.*6. *quæst.* 8. Bonacina *de Horis Canonicis disp.*1. *qu.* 2. *punct.*2. *num.*4. Faustus *de Horis lib.* 2. *qu.*43. Donat. *cit. tom.*4. *tr.*18. *quæst.*13. *num.* 2. Busemb. *lib.* 4. *dub.*2. *de Horis Canonicis art.*1. *num.*2. cum aliis contra
53 Navarr. Suarez, & alios. Idem dicendum est propter eamdem rationem de Religioso nondum in sacris ex simili dispensatione Pontificia transeunte de clericatu ad statum conversorum, aut ad Religionem, ubi Religiosi non sunt ad chorum professi, & obligati. Henno *loc. cit. concl.* 2. Donat. *loc. cit. q.*17. Sotus *loc.cit. art.*3. *post* 2. *conclusionem in* §. *Dub. de Relig. ad finem*, & alii passim.

Additiones ex aliena manu.

54 Prioribus Ecclesiæ sæculis nulla clericos majores inter & minores fuit distinctio quoad obligationem recitandi horas canonicas. Nullus enim tunc Minoribus Ordinibus initiabatur, quin una adscriberetur alicui Ecclesiæ, cui deserviret tanquam minister. Nil igitur mirum, quod quicumque clericus horas canonicas recitare tenebatur.

55 Superioribus seculis disciplina hæc mutationem accepit, & ordinari clerici cœperunt sine adscriptione Ecclesiæ alicui. Atque ab eo tempore ab onere recitandi horas canonicas se eximere cœperunt, qui Clerici nondum sacris Ordinibus initiati erant, neque Beneficium possidebant. Consule *Vanesp. de Hor. Canonic. cap.*1. §.1. qui §.*sequenti*, docet, qua ratione Clericis merito injungatur horarum canonicarum recitatio.

Articulus II.

Quo ad ea, quæ concernunt intentionem, & attentionem requisitam ad recitationem divini Officii.

INtentio generatim sumpta est actus voluntatis 1
volentis aliquid facere, vel fieri a se, vel ab
alio. *Est in re Communis*. Intentio dividitur in 2
actualem, virtualem, & habitualem, & interpretativam. Quæ sint omnes istæ intentiones? Vide 3
verb. *Intentio a num.* 3. *ad* 7.

Intentio alia est explicita, & quæ sit? Vide d. 4
verb. *Intentio n.* 8.

Alia est implicita, & quæ sit? Vide *ibidem* 5
num. 9.

Alia est directa, & quæ sit? Vide *ibidem n.* 10. 6

Alia est indirecta, & quæ sit? Vide *ibid.num.*11. 7

Alia est absoluta, & quæ sit? Vide *ibidem* 8
num. 12.

Alia est conditionata, & quæ sit? Vide *ibidem* 9
num. 13.

Ad recitandas horas canonicas, seu divinum Offi- 10
cium requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum. Vide *ib. n.*44.

Non requiritur tamen intentio actualis, & expli- 11
cita, sed sufficit virtualis. Vide *ib. n.* 45.

Et etiam sufficit intentio implicita. Vide *ibidem* 12
num. 46.

Intentio autem mere habitualis, & interpretativa 13
non sufficit. Vide *ib. n.*47.

Non requiritur expressa intentio recitandi atten- 14
te, & studiose. Vide *ib. n.*48.

Intentio nova, vel primæ intentionis renovatio 15
non requiritur, si plures horæ consequenter recitentur, neque etiam ea requiritur, si fiat interruptio & postea prosecutio horæ. Vide *ibid. n.*49.

Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitatio- 16
nem horarum, sed sufficit intentio ponendi opus debitum. Vide *ib. n.*50.

Immo fatisfacit præcepto, qui recitans horas ex- 17
presse intendit per illam recitationem non satisfacere, quamvis dicat: *Nolo hac horarum recitatione satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed ut satisfaciam, decerno iterum has horas recitare*. Vide *ib. n.* 52. & nostras Addit. ad *n.* 55.

Affertur, & solvitur instantia. Vide *ibid.n.*53. 18

Hinc, qui legit horas non ea devotione, qua 19
voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere; etsi deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. Vide *ibidem num.* 54.

Affertur ad id notabilis advertentia. Vide *ibid.* 20
num. 55.

Attentio est actus intellectus, per quem homo 21
considerat ea, quæ facit, & differt ab intentione, quia intentio non est actus intellectus, sed actus voluntatis circa finem. *Sic Doctores communiter*.

Attentio est duplex, interna, & externa, & quæ 22
sit utraque? Vide verb. *Attentio num.*2. 3. *&* 4.

Attentio interna circa recitationem horarum est 23
triplex, scilicet superficialis, litteralis, & spiritualis. Vide d. verb. *Attentio n.*5.

Atten-

24 Attentio *superficialis* quæ sit? Vide *ibid. num.* 6.

25 Attentio *litteralis* quæ sit? Vide *ibid. num.* 7.

26 Attentio *spiritualis* quæ sit? Vide *ibid. num.* 8.

27 Quælibet ex his tribus attentionibus adhuc est triplex, scilicet actualis, virtualis, & habitualis? Vide *ibid. num.* 9.

28 Attentio *actualis* quæ sit? Vide *ibid. num.* 10.

29 Attentio *virtualis* quæ sit? Vide *ibid. num.* 11.

30 Attentio *habitualis* quæ sit? Vide *ibid. num.* 12.

31 Ad satisfaciendum obligationi de recitando divino Officio requiritur sub culpa mortali nedum attentio externa, sed etiam interna. Vide *ibid. num.* 13.

32 Adducuntur ad id duo versiculi Glossæ. Vide *ibid. num.* 14.

33 Adducuntur alii duo versiculi. Vide *ibid. n.* 15.

34 Affertur efficax ratio. Vide *ibid. n.* 16. *&* 17.

35 Adducitur, & solvitur duplex instantia. Vide *ib. a n.* 18. ad 23.

36 Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum Officium sufficit non solum attentio *litteralis*, & *spiritualis*, sed etiam attentio *superficialis* ad verba cum pia intentione orandi, & colendi Deum prolata (*) *Communis*. Vide *ibid. num.* 22. *&* 23.

Ad satisfaciendum tali obligationi recitandi divinum Officium non solum sufficit attentio *actualis*, sed etiam *virtualis*, minime vero sufficit attentio solum *habitualis*. *Communis*. 37

Ad peccatum mortale incurrendum ob defectum debitæ attentionis internæ non est necesse, ut mentis evagatio, seu distractio sit deliberata, directeque volita, sed sufficit, si sit volita indirecte. Vide *ibid. num.* 24. 38

Si vero mentis evagatio, seu distractio non sit plene voluntaria, seu recitans inadvertenter aliud cogitet, aut faciat, quousque advertat se distrahi, semper reputatur sufficienter attentus, & per consequens satisfaciit obligationi recitandi Officium. Vide *ibid. n.* 25. 39

Clerici beneficiati, qui cum voluntariis distractionibus recitant divinum Officium, licet mortaliter peccent, non tenentur tamen ad ullam fructuum restitutionem, dummodo integre, & cum intentione orandi, & Deum colendi recitent. Vide *ibid a num.* 26. *ad* 29. (*) 40

Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum Offi- 41

Notæ Romani Theologi.

(*) Horæ Canonicæ recitari debent secundum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *reverenter*, *distincte*, *devote*, ac ea animi attentione, quæ illi covenit, qui Deum suum præsentem considerat, qui in ipsum Creatorem omnium pio humilique affectu fertur, quique ipsum laudare intendit. Ex quibus infertur, quam longissime a vero aberrare auctores illos, qui asserunt, nullam requiri interiorem attentionem in recitatione divini Officii, sed sufficere superficialem quamdam attentionem ad verba, ut nempe ista integre distincteque pronuncientur, quam opinionem sequitur etiam Lucius noster. Verum qui sic opinantur, meminisse deberent, quod qui absque ulla interiori attentione Deum precatur, non orat, sed simulat orare; vera namque oratio est ascensus mentis in Deum, secundum Damascenum; est actus religionis Deo gratus, ac Ecclesiæ utilis; at oratio illa, quæ sine interiori attentione fit, non est verus Dei cultus, qui fieri debet in spiritu & veritate; sed est species quædam hypocrisis, ac simulatio orationis. Orandum est igitur non solum corpore, sed in spiritu & veritate, non superficiali duntaxat attentione, sed mente ad Deum elevata.

Responsio Auctoris.

Fallitur hic *Theologus* dicendo, quod Ego sequor opinionem illorum qui asserunt, nullam requiri interiorem attentionem in recitatione divini Officii, quum ego expresse contrarium sentiam, prout debebat ipse advertere ex iis, quæ trado *n.* 31. Quinimmo opinionem talem ego oppugno in cit. verb. *Attentio* num. 22. & 23. ubi expresse trado, quod facillima est attentio interna superficialis ad verba cum pia intentione orandi, & colendi Deum prolata &c. Vide *ibi sub num.* 23. ubi expresse concludo quod ad satisfaciendum præcepto de recitando divino Officio, & de audienda, vel celebranda Missa requiritur sub culpa mortali, nedum attentio externa, sed etiam interna; & *num. seq.* id efficaciter probo, & solvo objectiones, & num. 24. doceo, quod ad peccatum mortale incurrendum *ob defectum debitæ attentionis internæ*, non est necesse, ut mentis evagatio sit deliberate, directeque volita, sed sufficit, quod sit volita indirecte. Quid clarius circa sententiam meam, contra falsam assertionem a *Theologo* nostro mihi impactam?

Nota Romani Theologi.

(*) *Auctor* noster ratus sufficere superficialem tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini Officii, sustinet etiam propterea, Clericos beneficiarios, qui cum voluntariis distractionibus horas Canonicas recitant, non teneri ad ullam fructuum restitutionem, etsi mortaliter peccent. Verum opinio hæc pereruditis Romanis Censoribus non placet, & merito id quidem: *Nam qui voluntarie, & data opera mentem alio distrahit, & positive atque animo deliberato persistit in hac distractione tempore recitationis*, inquit P. Concina *loco superius citato quæst.* 10., *reipsa non implet præceptum, quemadmodum non impleret præceptum confessionis annuæ per confessionem sacrilegam*. Sicut enim qui confitetur sacrilege, facit confessionem voluntarie nullam, sic qui animo voluntarie distracto horas canonicas recitat, suæ obligationi non satisfacit, præceptum de recitando divino

Officium sufficit attentio tacita, vel implicita; Non enim requiritur propositum expressum attente recitandi; Unde intendens in genere recitare Officium modo consueto, vel intendens Deum laudare, & debito suo satisfacere, sufficientem habet attentionem. Vide *ibid. num.* 30.

42 Qui officium incipit recitare cum intentione recitandi debite, quoties dedita opera mentem non divertit, licet per totum Officium distractus, non

43 peccat mortaliter. Vide *ibid. n.* 31. Quod licet Sanchez intelligat de omnibus, Gobat tamen merito intelligit de solis scrupulosis, & solitis recitare pie, & devote. Vide *ibid. num.* 32.

44 Qui accedit ad Ecclesiam de more ibi Officium recitaturus, ut adimpleat munus suum, sufficientem habet attentionem, ac proinde satisfacit, quamvis postea recitet involuntarie distractus. Vide *ibid. num.* 33.

45 Dummodo quis adhibeat mediocrem diligentiam pro repellendis distractionibus se vexantibus, & non supina, & crassa negligentia se evagari sinat, satisfacit obligationi recitandi Officium cum sufficienti attentione. Vide *ibid. n.* 34.

46 Quinimmo absque culpa poterit admitti aliqua brevis mentis evagatio ad refocillandum cerebrum, vel cor, & inter recitandum Officium aliquid annotare, seu famulo mandare, aut aliquid alteri significare, ne interim memoria decipiat, aut evadat occasio. Vide *ibid. n.* 35.

47 Quamdiu scrupuloso evidenter con constat, quod mutaverit propositum recitandi attente, vel advertens, sciens, volens inhæserit cogitationibus plane alienis inter recitandum Officium, credere potest se satisfecisse suæ obligationi, cum hoc sit privilegium scrupulosorum. Vide *ibid. n.* 36.

Articulus III.

Quoad ea, quæ concernunt integritatem, continuationem, & formam recitandi divinum Officium.

1 OMittens culpabiliter integrum divinum Officium, peccat mortaliter. *Communissima*. An autem is committat tot numero peccata, quot

2 omittit horas? Variant Doctores. Cajetanus enim, Toletus, & alii cum Lessio *l.* 2. *c.* 47. *n.* 53. dicunt, tot committere peccata, quot horas omittit & sic si integrum omittit Officium, septem distincta peccata in Confessione numeranda committit, quia septem horæ, ut dicunt ipsi, sunt septem distincta præcepta. Alii vero communius, & verosimilius tenent, ipsum committere unum solum peccatum, gravius tamen, quia est unicum præceptum de recitando integro Officio unius diei, cujus singulæ horæ sunt pars: omnes enim horæ unum complent Officium, tamquam unum formale objectum unius debiti, & unius omissionis. Sic Navarrus, Silvester, Suarez, Vasquez, Bonacina, & alii passim cum Tamburin. *lib.* 2. *decalog. cap.* 5. §. 2. *num.* 9. Sporer *tom.* 3. *tract. Append. de horis Canonicis cap.* 2. *n.* 92. Herincx *disp.* 2. *de Horis Canonicis qu.* 1. *num.* 8. Reiffenstuel *Theol. moral. tr.* 6. *dist.* 1. *quæst.* 3. *n.* 29. Gobat *tract.* 5. *Theolog. experiment. num.* 617. Donat. *tom.* 4. *prax. rer. Regul. tract.* 18. *q.* 38. ubi dicit, quod in hoc omnes consentiunt. Ille tamen probabilius tenetur 3
in confessione explicare, quod omisit totum Officium, quia licet unicum peccatum commiserit, est tamen notabiliter gravius, & in communiori, & veriori sententia, circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt explicandæ in Confessione, ut cum aliis notant Sporer *l. c. n.* 92. Henno *tom.* 1. *tr.* 1. *in decal. disp.* 1. *art.* 7. *concl.* 1. & alii plures; & hoc maxime ob efformandum justum judicium de statu pœnitentis, & ob imponendam ei debitam pœnitentiam, nam aliud judicium est de omissione totius integri Officii, seu omnium septem horarum, quam unius solius horæ, majorque pœnitentia est injungenda pro omissione totius, quam pro omissione unius solius partis; sicuti aliud judicium est de furto mille florenorum, quam decem, majorque pœnitentia est injungenda pro illo furto, quam pro hoc, adeoque semper in confessione debet quis explicare numerum, & qualitatem horarum, quas omisit; maxime etiam, quia, ut fuit dictum *supra sub num.* 2. plures Doctores tenent tot numero peccata distincta committi, quot horæ omittuntur. Probabile autem est etiam, quod is non te- 4
neatur in confessione explicare, quod omiserit totum integrum Officium, aut tales, & tot horas, sed sufficiat, quod dicat: *Peccavi mortaliter omissione divini Officii*; Sic cum aliis notat Sporer *loc. cit. n.* 92. & alii plures tenentes istam sententiam, nedum probabilem, sed & probabiliorem, quia totali-

vino Officio non adimplet, ac proinde idem est, ac si prorsus actum non poneret. Hinc fit, quod si Clericus beneficiarius, ita animo voluntarie distracto Officium recitet, post primos sex menses a possessione beneficii, nedum mortaliter peccat, sed tenetur etiam ad restitutionem pro rata omissionis, ut S. Pius V. in supra laudata sua Constitutione præcipit. Quæ cum ita se habeant, conficitur sane, summam debere esse solertiam diligentiamque Clericorum, qui Ecclesiastica præcipue possident beneficia, repellendi a se voluntarias hujusmodi distractiones, ne obnoxii fiant restitutioni ob non adimpletum præceptum recitationis divini Officii.

Responsio Auctoris.

Non Ego reor sufficere superficialem tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini Officii. Debebat enim *R. Theol.* fideliter referre integram meam conclusionem, nempe, *licet mortaliter peccent, non tenentur ad ullam fructuum restitutionem; dummodo tamen integre, & cum intentione orandi & Deum colendi recitent*. Ad quod sustinendum adduco *loc.* ibi *cit.* solida fundamenta, attente *ibi* perpendenda.

totalitas est tantum circumstantia aggravans intra eamdem speciem. (*)
5 Peccat mortaliter nedum omittens totum integrum Officium, sed etiam omittens culpabiliter
6 ejus partem notabilem, *Communis*. Notabilis autem pars sufficiens ad constituendum peccatum mortale est omissio integræ unius Horæ minoris, v.gr. Tertiæ, Sextæ, aut Nonæ; Sic fere *communis Doctorum* cum Donato *prax. rer. Regul. t.4. quæst.39.* Verricell. 1. *par. moral. tract. 8. Miscellan. q.58.* Stoz *lib.1. part. 3. num.380.* La Croix *lib.4. n.1202.* qui omnes referunt sic etiam declarasse
Sac. Congregationem Cardinalium. Sic etiam nota- 7
bilis pars sufficiens ad mortale est omissio Laudum, unius Nocturni, aut alterius similis æquivalentis partis; Sic Suarez *lib.4. de oratione cap.25. n.15.* Henno *loc.cit. art.7. conclus.* 1. Illsung *tom.5. n.39.* Sporer *loc.cit. num.39.* cum pluribus ibi citatis. Omit-

Nota Romani Theologi.

(*) Quamplurima sunt, quæ in hoc Auctoris nostri Articulo Romanis Censoribus minime arrident. Et sane quis ferre posset, opinionem illam esse probabiliorem, quæ negat in confessione exprimendum esse numerum & qualitatem horarum, quas Clericus omisit? Hæc namque opinio ne dum probabilior, sed omni etiam probabilitate caret. Etenim si Clericus confiteretur dumtaxat generice: *Peccavi mortaliter omissione divini Officii*, quodnam esse posset confessarii judicium? Quonam pacto pœnitens suum, uti revera est, fateretur peccatum? Certe majus ac gravius peccatum committit, qui totum integrum Officium divinum omittit, quam qui unam vel alteram horam: magis obnoxius est restitutioni, qui quinque horas omisit, quam qui duas tantummodo, uti recte advertit etiam Lucius noster. Ipse itaque recte se gessisset, si opinionem hanc veluti improbabilem, nulloque solido suffultam fundamento rejecisset.

Verum Lucio nostro placent omnino, nisi me fallit animus, sententiæ illæ, quæ magis magisque benignitatem redolent, quæque obligationem minuunt. At non recte id quidem. Hinc falsum omnino est, esse tantum peccatum veniale omittere minorem partem, quam totam parvam horam, si per τὸ *minorem partem* intelligat Auctor noster, uti reapse intelligit, ultra dimidiam horam; Nam admissa hac opinione, si quis tres unius horæ psalmos omitteret, & reliqua recitaret, non peccaret mortaliter, quod nemo sane mentis dixerit: nam omitteret minorem partem, quam totam parvam horam.

Falsa quoque est opinio illa, quæ adstruit, peccatum tantummodo esse veniale, omittere vesperas Sabbati sancti, quamque Lucius noster obviis ulnis amplexatur. Nam vesperæ Sabbati sancti integram constituunt Officii horam; qui autem integram horam omittit, lethaliter peccat, quia materiam gravem, notabilemque partem omittit, ut fere omnes fatentur Theologi.

Ex his sequitur, quod si omittens notabilem Officii partem, sit Beneficiarius, & Sacerdos, duplex committit peccatum, contra duplicem virtutem, religionem scilicet, & justitiam, ut recte P. Concina cum innumeris pene aliis defendit, qui etiam contrariam sententiam laxam vocat. Et sane quod peccet etiam contra justitiam, evidens est; Nam ut bene, sciteque advertit Continuator Tournely: *Obligatio recitandi divinum Officium in Beneficiario, est juris naturalis præcipue nunc, cum Beneficia præcise propter horarum recitationem fundata sint: Hinc inter fundatorem & Beneficiarium pactum quoddam de recitando Officio intercedit; quod est contractus quidam, Do ut facias, & Beneficium datur propter officium. Porro pacta & conventiones jure naturali servari debent; igitur Beneficiarii, non solùm ex religionis virtute, sed etiam ex Justitia commutativa restituere tenentur, saltem post sex menses, secundum Pii Quinti mentem, sub hoc onere Beneficium quod eis collatum est, & ab eis acceptatum.*

Curare debent itaque omnes illi, qui Officium divinum recitare tenentur, ut ipsum recitent integre, & perfecte, absque præcipitantia, atque syllabarum contractione. Integre nimirum, idest voce, & pronunciatione articulata & sensibili, nisi impotentia excuset.

Et sic, qui in pulsandis organis longo tempore occupatur, dum in choro horæ Canonicæ persolvuntur, debet submissa voce, & per se illa recitare, quæ ipse non audit. Sic etiam Clericus, qui ob strepitum, aut alia de causa, ut si surdaster sit, partem alteram recitantem nullo modo percipit, nec verba audit, tenetur ex se repetere, alioqui non satisfaceret præcepto, quia omitteret notabilem officii partem, si nihil perciperet. At si isti attenderent quantum possent ad aliam partem psallentem, & per eos non staret, quin conarentur percipere & audire, quæ dicuntur, tunc suæ obligationi satisfacerent, nec tenerentur postea privatim recitare.

Responsio Auctoris.

Quis ferre posset (*ait hic R. Theologus*) opinionem illam esse probabiliórem, quæ negat in confessione exprimendum esse numerum & qualitatem horarum, quas Clericus omisit? Hæc opinio nedum probabilior, sed omni etiam probabilitate caret. Ast debebat advertere *Theologus*, quod Ego ibi sub *num.3.* concludo probabilius contrarium. Quod autem subjicio *num.4.* est ad eruditionem, ut legentes percipiant etiam quid sentiant alii. Sicuti etiam, quamvis ex opinione Auctorum *ibi* allegatorum sub *n.9.* trado, probabile esse, peccare tantum venialiter omittentem totas vesperas Sabbati sancti, subjungo tamen *num.10.* La Croix autem dicit, omittere vesperas sabbato Sancto *communiter censetur mortale &c.*

8 Omittere minorem partem, quam totam parvam horam, aut simile æquivalens, non est peccatum mortale: Sic Lessius, Bonacina, Layman, Garcias, Bonartius, Tambur. Gobat cum La Croix *lib.*4. *num.* 1202. & alii multi cum Stoz *lib.*1. *part.*3. *num.*381. contra Suarez, Sanchez, Escobar, Reginald. Dianam volentes omissionem mediæ partis unius parvæ horæ esse mortalem. Immo proba-
9 bile est esse tantum peccatum veniale omittere totas vesperas Sabbati sancti, cum sit tam exiguæ partis omissio, & quidem in die tam læto, in quo jam præcessit tam longum Officium. Tamburin. *in decal. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 11. Pelliz. *tom.* 1. *tract.*5. *cap.*8. *num.*93. Sporer *loc. cit. num.*93. Gobat
10 *loc.cit. num.* 609. Marchant. Franciscus Bonæ spei, & alii. La Croix autem *loc. cit. n.*1204. dicit, quod omittere totas vesperas Sabbato sancto communiter censetur mortale, non ob quantitatem, sed qualitatem, quia nempe sunt integra hora, & continent magnum mysterium.

11 Omittere culpabiliter interruptim per totum Officium quantitatem æquivalentem integræ parvæ horæ, est peccatum mortale: Qui enim per plures diversas horas psalmum, vel partem aliquam hinc inde omittit, iste censetur omittere notabilem quantitatem Officii, quia licet secundum se seorsim sumptæ non sint partes notabiles, simul tamen aggregatæ notabilem divini Officii partem constituunt; partes enim spectantes ad unum totius diei Officium coalescunt in unum, & omissio expendi debet ex respectu ad totum Officium, circa quod illæ partes conficiunt notabilem quantitatem. Sporer *loc.cit. n.* 95. La Croix *loc.c. n.*1203. & alii contra alios sentientes contrarium.

12 Omittens ut supra notabilem partem Officii probabilius committit unum solum mortale peccatum, quamvis simul sit Sacerdos, Parochus, & Monachus. Sic Tamburin. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 5. §.1. *num.* 33. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 6. *dist.* 1. *quæst.*3. *num.*30. Herincx *disp.*2. *de Horis Canonic. quæst.*1. *n.*9. Diana *par.*1. *tract.*12. *de Horis Canonicis resolut.*5. Burgh. *Centur.* 3. *cas.* 81. Castropal. *tract.* 7. *disp.* 2. *par.* 1. §.2. *num.* 29. Gobat *Theolog. experim. tract.* 5. *num.* 580. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.*8. *num.*96. La Croix *lib.*6. *part.*2.*num.*1122. cum Sanchez, Henriq. Homobon. Filliuc. & aliis ibi citatis contra Suarez, Bonacinam, Fagundez, Lessium, Sanig, Layman, & alios volentes, quod duo specie peccata committat specialiter in confessione exprimenda, unum contra virtutem religionis ratione Ordinis, vel professionis religiosæ, alterum contra virtutem Justitiæ ratione Beneficii, ratione cujus tenetur ex Justitia ad restitutionem fructuum ad ratam omissionis: Ast ad istorum rationem respondetur cum supradictis Doctoribus, quod Beneficiarius omittens horas non peccat contra Justitiam, sed tantum contra Religionem, ac præceptum Ecclesiæ, quæ talem obligationem restitutionis Beneficiariis imposuit, non tamquam debitam ob læsionem juris alieni, sed tantum velut pœnam delicti: cum, ut patet, tum ex *Concilio Lateranensi sub Leone X. sess.* 9. tum ex constitutione 135. S. Pii V. incip. *Ex proximo*, ubi imponitur talis restitutionis obligatio, imponatur solum facienda, si post sex menses a die Beneficii obtenti Beneficiatus divinum Officium non dixerit: Quod si talis obligatio restitutionis esset debita ex justitia, oriretur statim a prima die obtenti Beneficii.

Qui notabilem partem divini Officii culpabiliter, seu etiam inculpabiliter ex oblivione omisit, 13
si recordetur eadem die, tenetur sub mortali adhuc supplere, cum pro tota die vigeat obligatio. *Communis*. Si autem recordetur altera die, non 14
tenetur supplere, quia, cum quodlibet Officium sit affixum propriæ diei, ea die transacta, transit etiam obligatio; Unde nec tenetur amplius supplere, quod inculpabiliter ex oblivione omisit, nec supplere potest, quod omisit culpabiliter, cum jam mortaliter violaverit obligationem de recitando illa die, pro qua culpabiliter omisit. *Communis*.

Qui est dubius, an recitaverit aliquam horam, 15
v. g. primam, tertiam, & hujusmodi, si nullam habeat rationem, vel conjecturam, quod recitaverit, tenetur recitare, seu repetere; quia præceptum est in possessione, cum certa sit obligatio recitationis, & dubia recitatio. *Communis*. Si vero ha- 16
beat rationem aliquam, vel conjecturam, quod recitaverit, non obligatur recitare, seu repetere, ut tradit *communis Doctorum*: immo male faceret, si in tali casu repeteret, ut docent Sanchez *lib.* 7. *consil. moral. cap.* 2. *dub.* 34. & Sporer *loc. cit. num.* 97. & alii. Et a fortiori non tenetur repete- 17
re, qui certo scit, se dixisse aliquam horam, & solum dubitat, an integre eam dixerit (seu aliquid in ea omiserit? quia posito principali facto, in dubio præsumitur accessorium ex communiter contingentibus. Sanchez *loc. cit.* Sporer *loc. cit.* Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. Navarr. *c.* 13. *de Oration.* & alii passim.

Qui inter publicam horarum Canonicarum reci- 18
tationem ex officio, vel Superioris mandato occupantur in parandis libris, in prævidendis antiphonis, seu lectionibus, in pulsandis organis, in thurificandis altaribus, in sonandis campanis, & hujusmodi, non tenentur repetere ea, quæ alii ipsis non audientibus, nec recitantibus canunt, seu recitant, quia chorus, cui inserviunt, supplet pro ipsis. *Communis*.

Quamvis aliqui apud Pellizzarium *Manual. Re-* 19
gul. tom. 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 42. & Tamburin. *l.*2. *decalog. cap.* 5. §. 2. *n.* 11. probabile censeant eos satisfacere, qui cum sola attentione externa assistunt integræ horæ a musicis decantatæ: tamen oppositum est tenendum, quia tales simpliciter audientes non orant vocaliter, nec orationem illam musicorum faciunt suam, cum non alternent cum ipsis. Sporer *loc. cit. n.* 99. Gobat *loc. cit. nu.* 705. Sporer *loc. cit. n.* 1199. & alii.

Psalmi, hymni, antiphonæ, & hujusmodi, quæ 20
solo organo, vel alio musico instrumento sine humana voce personant, debent a Religiosis in choro submissa voce recitando suppleri, cum sola organi pulsatio non sit oratio, nec attendendo simpliciter ad organum, attendatur orationi. Sic passim Doctores, & praxis fere communis. Quam- 21
vis tamen Sanchez *lib.*7.*consil.moral. cap.*2.*dub.*26.

aperte

26. aperte doceat oppositum, & nec id improbabile censeat Sporer *loco citato num. 99.* Unde idem
22 Sanchez *ibidem*, aliis citatis, Sotus, Navarr. Aragon. Rodriquez apud Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. docent organædum, qui choro organis musicis, alternis versibus respondet, non esse obligatum, ut voce etiam proferat.

23 Integre recitatur divinum Officium, quod etiam privatim recitatur cum socio, seu sociis alterna-
24 tim versus recitando. *Communis.* Unde potest licite recitari divinum Officium etiam privatim a quatuor, vel octo simul: dummodo non constituatur, nisi duplex chorus, & alternis versibus recitentur psalmi, & hymni; antiphonæ autem, responsoria, capitula, lectiones, & orationes possunt licite recitari ab uno solo, vel a pluribus, omnibus aliis attente audientibus: At nequeunt duo, vel quatuor recitare totam primam mediam partem matutini v. g. & alteram mediam audire a sociis; Neque possunt duo recitare omnes psalmos, & postea a tertio audire lectiones, quia hoc esset recitare per tres choros contra morem Ecclesiasticum, & communem consuetudinem Ecclesiæ, quæ non concedit recitari Officium divinum cum socio, vel sociis, nisi alternatim in forma chori alternis versibus recitando. Sporer *loc. cit. num.* 105. cum pluribus ibi citatis, La Croix *lib.* 4. *num.* 1298. cum multis ibi citatis, & alii passim.

25 Integre, & licite recitatur divinum Officium cum socio etiam laico non obligato, non attento, immo non audiente, dummodo ipse recte recitet alternatim versus, & ab obligato ad Officium attente audiantur. Diana *p.* 7. *tract.* 11. *resolut.* 6. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 91. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *num.* 454. Gobat *Theolog. Experiment. tract.* 5. *num.* 691. La Croix *loc. cit. nu.* 1295. & alii passim.

26 Qui in choro, vel cum socio divinum Officium recitando, nondum absolutis alterius chori, seu socii versibus, præproperat notabiliter incipere suos, peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, qui ultra quod partem anticipatam non communicet alteri choro, seu socio, non percipit ipsemet versiculos a choro, vel socio recitatos. *Communis* cum Sporer *loc. cit. n.* 101. Henno *tom.* 1. *tract. in decalog. disp.* 1. *artic.* 7. *conclus.*
27 1. *resolut.* 4. Item peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, qui recitat divinum Officium sincopando, mutilando, truncando, glutiendo, seu absorbendo syllabas, sive medias, sive ultimas: nisi tamen id fieret involuntarie, ex naturali linguæ præcipitantia, aut balbutie, quia tunc nullum esset peccatum. *Communis* cum Sporer *loc. cit. nu.* 100. 102. & 103. Henno *loc. cit. resolut.* 3.

28 Qui ob alterius chori defectum, vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfacit, nec opus est quidquam repetere, quia alioquin multi orirentur scrupuli, ad quos removendos habemus privilegium; Bonartius *lib.* 3. *cap.* 45. *n.* 4. Gobat *Theolog. experiment. tract.* 5. *n.* 692. Sporer *loc. cit. n.* 107. Tamburin. *lib.* 2. *decalog. cap.* 5. §. 4. *n.* 12. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 444. & alii. Quinimmo Tamburinus, quem sequitur Felix Potestas *loco citato*, dicit ipsum satisfacere, quamvis ob socii, vel alterius chori defectum, nihil ex iis percipiat; Habet enim Tamburinus *loc. cit.* hæc præcisa verba: *Sine hæsitatione pronuncio te satisfacere, si attendas, quantum moraliter vales, licet propter socii, vel alterius chori defectum nihil ex iis percipias; Ratio est, quia hoc modo tu præstas id, quod potes, nec per te stat, quin audias, atque per debitam recitationem tuæ partis, & attentionem ad alteram partem ejus orationem, vel recitationem satis tibi communem facis.* Et hoc esse verum, etiamsi quis sit surdus, 29
& inde alterius chori partem audire non valeat, docent Henno *tom.* 1. *tract.* 1. *decalog. disp.* 1. *qu.* 13. *artic.* 3. *conclus.* 1. Leander *part.* 6. *tract.* 8. *disput.* 6. *quæst.* 40. cum Paschal. & aliis apud Felicem Potestatem *loc. cit. num.* 444. quia ex una parte ad impossibile nemo tenetur; *leg. Impossibilium* 185. *ff. de Regul. Jur. & cap. Nemo potest 6. de Reg. Juris in 6.* & ex alia parte, quod recitatur in choro, est oratio totius chori, adeoque etiam ejus qui non audit, non valens, dummodo choro assistat, & attendat. Non enim est credibile quod benigna mater Ecclesia voluerit illum obligare, vel ad repetendum privatim Officium, vel ad omnia, quæ ab aliis dicuntur, submisse recitanda, alias vix posset inter cantandum respirare; Tamburinus autem *loc. cit. n.* 13. quamvis concedat satisfacere surdastrum, etsi nihil percipiat, dummodo quantum potest attendat, negat tamen satisfacere omnino surdum, & ita etiam tenet Mendo verb. *Horæ n.* 33. ubi dicit, quod surdus teneatur repetere. Sporer tamen *loc. cit. num.* 107. dicit se nihil hic definire audere.

Officium divinum nedum est recitandum inte- 30
gre, sed etiam continue, ita ut una hora Canonica cœpta debeat tota dici usque in finem continue, nec possit licite interrumpi sine justa causa. *Communis, arg. cap. Nullus* 57. *de consecration. dist.* 1. *c. Presbyter* 1. & *c. Dolentes* 9. *de celebratione Missar. & Clementin.* 1. *de celebratione Missarum.* Unde graves Doctores, ut Navarrus, Me- 31
dina, Azorius, Vasquez, Marchant. apud Sporer *loc. cit. nu.* 135. Suarez, Baldell. Convarruv. & alii apud La Croix *lib.* 4. *n.* 136. dicunt, quod si in eadem hora, vel psalmo absque rationabili causa fiat magna, & longa interruptio, sit peccatum mortale, nisi repetatur totum, quia sic tollitur, seu dissolvitur unitas, & forma orationis ab Ecclesia instituta; estque species non parvæ irreverentiæ erga Deum, cœptum cum ipso colloquium sine justa causa, immo aliqua impertinente actione, seu vana locutione, notabiliter interrumpere, quod homo a servo vix toleraret.

At vero per se, præscindendo a scandalo & 32
contemptu, non erit peccatum mortale, sed solum veniale horam Canonicam cœptam absque omni rationabili causa interrumpere, etiam notabiliter per multas horas, quia cum singulæ partes sint de per se quædam preces, vel laudes divinæ, nec habeant necessariam connexionem cum aliis, sed tantum accidentalem ex ordinatione Ecclesiæ, qui eas etiam per multas horas notabiliter

ter interrumpit, dummodo omnes absolvat intra
eamdem diem, revera adhuc implet substantiam
præcepti, quamvis in accidentali modo continua-
tionis non servato peccet contra ordinationem
Ecclesiæ, adeoque non mortaliter, sed solum ve-
nialiter. Sic Arragon. Layman, Sanchez, Bonaci-
na, Quintanadven. Pellizzarius, Tannerus, Bas-
sæus, Sporer, Tamburin. Lessius, Beja, Gobat,
Illsung.; aliique citati, & secuti a La Croix *l.* 4.
n. 1306. Suarez, Diana, & alii apud Sporer *loc.
cit. num.* 136. ubi insuper dicit esse communem.
Reiffenstuel *Theol. Moral. tract.* 6. *dist.* 1. *quæst.* 5.
num. 55. Henno *tom.* 5. *tract. in decalog. disputat.* 1.
quæst. 3. *conclus.* 2. & alii passim.
33 Immo si justa & rationabilis aliqua causa inter-
veniat, nullum ne veniale quidem peccatum est in-
terrumpere paulisper recitationem divini Officii.
34 Sic *præcitati Doctores*. Tales autem justæ & ra-
tionabiles causæ variæ esse possunt, ut si in con-
fessionali Confessarius expectet pœnitentes, quo-
rum aliqui, dum recitat horas, accedunt; si oc-
currat necessitas succurrendi proximo infirmo, vel
aliter indigenti; si eveniat occasio amicum, vel
alium salutandi, alloquendi, respondendi &c. si
quis interim aliquid faciat ad tollendam distractio-
nem, aut aliquid in charta notet ad repellendam
internam inquietudinem, seu sollicitudinem, & hu-
jusmodi. Sic *citati Doctores*.
35 Matutinum autem potest licite etiam sine ulla
causa dividi tota nocte a laudibus. Vide verb.
36 *Matutinum num.* 15. Immo multi dicunt id esse
etiam laudabile; Vide *ibidem num.* 16. Quando
matutinum dividitur a laudibus, debet in fine ad-
di *Pater noster*, & probabilius etiam addi debet
oratio diei sine tamen aliis commemorationibus.
37. Vide *ibidem num.* 17. Probabilius est etiam, quod
initio Laudum divisarum non debeat dici *Pater
noster*, *&* *Ave*, quamvis consultum, & laudabile
38 sit illa dicere. Vide *ibidem num.* 18. Posse etiam
separari in Matutino nocturnum a nocturno, dum-
modo interruptio sit tantum unius, aut alterius
horæ, tenet probabilius Henno *tom.* 1. *tract. in
decalog. disp.* 1. *art.* 7. *conclus.* 2. *in fine*, quia, di-
cit, sic fiebat in primitiva Ecclesia, ubi Matuti-
num canebatur in tribus vigiliis noctis, Laudes
in quarta vigilia, & idem censent Lezana *tom.* 1.
cap. 12. *num.* 16. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 67. &
Sporer *loc. cit. num.* 138. ubi dicit, quod non exi-
gitur gravis ratio ad tollendam omnem culpam
ejusmodi separationis per dimidiam circiter ho-
ram, & postea dicturus aliud Nocturnum non
præmittit necessario *Pater*, *&* *Ave*, ut contra Re-
ginaldum bene docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.*
8. *q.* 4. Gobat *loc. cit. n.* 675. & alii.
39 Pro recitando divino Officio ab omnibus Bre-
viario Romano adstrictis servanda est omnino
forma generalis Breviarii editi jussu S. Pii V. Con-
stitut. incip. *Quod a Nobis*, & confirmati a Cle-
mente VIII. Const. inc. *Cum in Ecclesia*, & ab Urba-
no VIII. correcti, & novis hymnis adornati, Con-
stitut. incip. *Divinam psalmodiam*; quarum trium
Constitutionum summarium habes supra *art.* 1.
40 *num.* 10. 11. *&* 12. Dicitur autem notanter: *Ab
omnibus Breviario Romano adstrictis*, quia S. Pius V.
in cit. Constitut. incip. *Quod a Nobis*, confirmata
a dictis Clemente, & Urbano octavis, excipit
Ecclesias illas, & Religiones, quæ a ducentis an-
nis fuerunt alio Breviario usæ, illisque indulget
servare suam antiquam formam, & uti dictis suis
propriis Breviariis.
Clerici, & Religiosi adstricti Breviario Roma- 41
no non satisfaciunt præcepto, sed mortaliter pec-
cant, si recitent Officium ex alio Breviario pecu-
liari alicujus Ecclesiæ vel Religionis, v. g. Am-
brosianæ, Dominicanæ, & hujusmodi. *Communis*,
arg. cit. Constitut. S. Pii V. incip. *Quod a Nobis*,
ubi expresse statuitur, eum, qui suæ Ecclesiæ,
vel Religionis formam non custodit, præcepto non
satisfacturum: præcepto autem non satisfacere,
quamvis esset etiam per unicam diem, est mate-
ria gravis.
E contra Clerici, & Religiosi adstricti Brevia- 42
rio propriæ Ecclesiæ, vel Religionis (nisi aliud
specialiter pro ipsis post dictam Constitutionem
S. Pii V. a S. Sede sit cautum) non peccant, si in
privata recitatione divini Officii utantur Breviario
Romano, quia tunc conformes se reddunt Eccle-
siæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesia-
rum; unde merito præsumendum est, id non di-
splicere Pontifici, maxime cum S. Pius V. in d.
Constitutione loquatur de choro, & insuper de
iis dicat; *Quibus inveteratum illud jus psallendi
suum Officium non adimimus*, quibus verbis, ut vi-
des, illas Ecclesias, & Religiones ab hac nova
lege eximit quasi privilegio; privilegio autem u-
timur, quando volumus; cum liberum sit unicuique
juri suo renunciare, *cap. Si de terra* 6. *de privile-
giis*, *& l. Si quis in scribendo* 29. *Cod. de pactis*;
Et sic expresse tenent Sa verb. *Horæ*, Busemb.
lib. 4. *cap.* 2. *dub.* 33. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 37.
num. 74. Portell. verb. *Horæ*, Diana *par.* 2. *tract.* 12.
resol. 10. Sporer *loc. cit. nu.* 114. & alii contra Sua-
rez *de Oratione lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 6. Herincx *de
horis Canonicis disp.* 2. *quæst.* 2. *num.* 11. & alios
oppositum sentientes, præsertim de Religiosis,
qui vi professionis suæ non improbabiliter tenen-
tur ad ritum sui Ordinis, abstrahendo ab omni
Diœcesi.
(*) Quorum sententia omnino sequenda est,
cum qui Ordini, vel Ecclesiæ proprio ritu in Di-
vini Officii recitatione utenti adscripti sunt, eo
ritu in Canonicis horis persolvendis uti teneantur
Itaque S. Cong. Concilii teste Cuniliati Tract. IV.
de I. Decalog. Præcept. cap. XI. §. IV. num. 1. apud
Garziam de Beneficiis p. 3. c. 1. num. 155. de hoc
consulta respondit. „ Habentes Breviarium ante
„ ducentos annos institutum, non satisfacere re-
„ citando, etiam extra chorum, juxta formam
„ Breviarii novi Pii V., si hoc in sua Ecclesia
„ non fuerit receptum de consensu Episcopi, &
„ Capituli. (*)
Forma recitandi divinum Officium, nedum ser- 43
vanda est secundum dictum Breviarium, sed etiam
secundum proprium Kalendarium, seu directorium,
recitando qualibet die, prout ibi signatur. *Com-
munis*. Unde peccat mortaliter, nec satisfacit præ- 44
cepto, qui data opera mutat Officium hujus diei
in aliud Officium notabiliter brevius. *Communis*,
arg.

arg. proposit. 34. ex merito damnatis ab Alexandro VIII. *die* 18. *Martii* 1666. ibi: *In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto*; Et ratio est, quia ultra quam quod variatur hoc modo sine justa causa forma ab Ecclesia præscripta, omittitur etiam magna, & notabilis pars Officii diei, ideoque peccatur mortaliter.

45 Immo peccat probabilius etiam mortaliter, qui, data opera, sine justa causa mutat Officium hujus diei in aliud licet æquivalens, & etiam longius; Sic divus Antoninus, P. Marchantius, & Salmanticenses citantes pro se quatuordecim auctores, ut notat, & sequitur Henno *tom.* 1. *tract. in decalog. disp.* 1. *art.* 5. *concl.* 2. & tenent alii plures cum Sporer *loc. cit. num.* 117. cum Castropal. *tract.* 7. *disp.* 2. *num.* 17. cum Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *num.* 388. *&* 397. contra multos alios; Et ratio est, quia Officium hac die ab Ecclesia præscriptum, sunt hi psalmi, hi hymni, hæ Antiphonæ, hæ lectiones &c. & forma tali die determinata a S. Pio V. est præscripta veluti substantia rei præceptæ; sanctus enim ille Pontifex non præcipit Officium divinum in genere, sed Officium tale juxta occurrentiam festorum, aut dierum, ut patet ex ejus toties cit. Constitutione incip. *Quod a Nobis*. Dicere autem obligationem illam in re tanti momenti, & ponderis, esse levem, videtur omnino sine fundamento.

46 Qui culpabiliter recitavit Officium de martyre v. g. cum esset recitandum de Confessore, non tenetur totum repetere, sed sufficit, si repetat illa, quæ sunt Confessoris propria, quia quælibet oratio, antiphona, lectio, capitulum, responsorium &c. habet suam vim, efficaciam, & significationem independenter a psalmis, & aliis. Henno *tom.* 1. *tract. in decalog. disp.* 1. *art.* 5. *respons. ad primum quæsitum*, Busemb. *loc. cit.* cum pluribus ibi citatis, Lugo *respons. moral. lib.* 5. *dub.* 8. & alii passim.

47 (*) Si autem inculpabiliter per inadvertentiam recitavit Officium de Martyre, cum esset recitandum de Confessore, licet consultius, & laudabilius sit illa repetere, non esset tamen obligatorium, neque sub veniali, quia is præcepto Ecclesiæ jam satisfecit; neque præsumendum est, quod Ecclesia velit ad duo Officia obligare eum, qui sine culpa est. Henno *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. c. n.* 62. & *Communis aliorum* teste Viva *ad propositionem* 34. *ex damnatis ab Alexandro VII. n.* 16.

48 Qui per inadvertentiam, seu errorem incepit recitare Officium non præscriptum, & recitato jam Matutino, primum advertit errorem, si nolit ab initio repetere, uti esset consultum & laudabile, sufficit, quod ex tunc errorem corrigat, & recitet Officium præscriptum illius diei quoad reliquas horas: In tali enim casu eum excusat bona fides, & eo maxime quod pensum quoad substantiam, & æquivalentem quantitatem, jam persolverit. Viva *loc. cit. num.* 16. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 63. Herincx *disp.* 2. *de Horis Canonicis q.* 3. *num.* 19. Lugo *Respons. moral. lib.* 5. *dub.* 8. Sporer *loc. cit. num.* 128. Sanchez, Tamburin. & alii ibi citati. Consultum tamen est, quod repetat saltem antiphonas, versus, collectam, & alia propria festi, de quo erat secundum Rubricas recitandum Matutinum, & hujusmodi.

Qui per inadvertentiam, vel errorem hodie recitavit Officium crastinum, aut lectiones Scripturæ diei crastinæ assignatas, debet cras iterum recitare illud Officium jam hodie recitatum, aut lectiones Scripturæ, jam hodie recitatas; quia pro tali die est præceptum obligans de persolvendo isto Officio, cui heri, cum tempus præcepti necdum cucurrerit, non potuit satisfieri. Nec error, & inadvertentia dat jus invertendi rubricas; unde si inadvertenter erravit heri, non debet advertenter errare hodie non recitando Officium hodiernæ diei assignatum per hoc, quod jam illud recitaverit heri; quia sic esset bis errare contra Rubricas. Viva *loc. cit. num.* 16. Henno *loc. cit. respons.* 1. *ad* 2. *quæsitum*, Reiffenstuel *loc. cit. n.* 64. Herincx *loc. c. n.* 20. Sanig *dist.* 2. *de Horis Canonicis qu.* 3. *n.* 5. Sporer *loc. c. n.* 127. Lugo *Respons. Moral. lib.* 5. *dub.* 8. ubi mordicus hanc sententiam propugnat, & plurima adducit. 49

Unde sequitur, quod qui sic erravit, debeat potius eo anno penitus illud Officium omittere, quam Rubricas invertere, illud in alium diem transferendo, cum non sit præceptum recitandi semel in anno de tali Sancto, sed recitandi tali die; sic Lugo, omnesque citati numero antecedenti, & alii. 50

Plura consimilia vide apud Sporer *loco cit. num.* 129. *&* 130. 51

Generaliter loquendo omnis Clericus, sive Sæcularis, sive Regularis existens etiam pluribus annis extra suam diœcesim, aut monasterium, sed solum tamquam peregrinus, aut advena, potest recitare Officium de Sanctis, de quibus recitaret, si existeret reipsa in sua diœcesi, aut in suo monasterio, adeoque de Reliquiis, aut de Dedicatione, aut de Patronis suæ Ecclesiæ. Suarez, 52

Nota Romani Theologi.

(*) Convenit penes omnes, quod si quis unum Officium pro alio absque justa, & urgenti necessitate recitaret, peccaret saltem venialiter. Quod si culpabiliter id faceret, certe majus peccatum committeret, & multorum non inferioris notæ Theologorum sententia, lethale peccatum committeret, præcipue post Bullam S. Pii V., & propositionem damnatam ab Alexandro VII. Pius Quintus siquidem præcipit ne dum divini Officii recitationem; verum & modum, formulamque designat, qua dicendum recitandumque est Divinum Officium. Si quis itaque culpabiliter, & data opera modum hunc, formulamque mutaret, recitando Officium de Martyre, quando recitandum erat de Confessore, probabilius est, quod totum de Confessore Officium repetere debeat, nec sufficeret, si ea tantum repetat, quæ sunt Confessoris propria. Immo sententia opposita, quam Lucius noster defendit, ad laxitatem propendet, ratione propositionis damnatæ, ac Bullæ Pianæ.

rez, Quintanadven. citati, & secuti a Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *n.* 635. La Croix *lib.* 4. *num.* 1144.

53 Unde *Sacra Congregat. Rit. die* 8. *Septembr.* 1602. decrevit, quod: *Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, debent recitare Officium, quod in choro dicitur, & licet extra Ecclesiam, vel diœcesim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesiæ ipsorum.*

54 Regulares vero choro addicti debent semper recitare Officium, quod recitatur in illo conventu, in quo sive ut moratores, sive ut hospites, existunt, ut dicitur *in Rubricis particularibus Breviarii nostri Franciscani n.* 143. & 144. ibi: *Cum ex decreto Sacræ Rit. Congr. die* 8. *Septemb.* 1602. *emanato qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, debeant recitare Officium, quod in illius choro dicitur, & aliunde cum Fratres re ipsa de gremio illius Ecclesiæ censeantur, cujus choro sive ut hospites, sive ut moratores, sunt obligati; Hinc tamquam certum tenendum, ipsos, dum sunt præsentes, etiam ut hospites in aliquo Conventu Ordinis facere Officium, tam de festis, quam de Oct. sicut fit in conventu illo, quamvis per Ordinem generaliter de iis non fiat; Postquam vero ab illo conventu recesserint, ad Officium consuetum redeant. Ex Rubr. a S. Sede pro nobis, ac Fratribus Dominicanis, & Carmelitanis approbatis.*

55 Forma recitandi divinum Officium juxta Kalendarium, & Breviarium Franciscanum servanda est ab omnibus Religiosis, & Monialibus existentibus sub obedientia Ministri generalis Fratrum Minorum. *Sac. Congr. Rit.* 7. *Augusti* 1664. Vide *d. Rubricas*. Et sic sæpe alibi.

56 Etiam Moniales tam S. Claræ, quam tertii Ordinis, quamvis sint sub gubernio Ordinariorum, possunt uti nostro Breviario Franciscano, ut expresse cavetur de mente S. Sedis *in Rubricis n.* 141. ibi: *Eidemque conformari queunt Moniales, tam S. Claræ, quam tertii Ordinis, sive sint sub nostri Ordinis, sive sub Ordinariorum, aut aliorum Religiosorum cura, & gubernio, quæ usum elegerint ejusdem Breviarii: sacra siquidem Congregatio in decreto die* 30. *Augusti* 1687. *edito consulto declaravit (licere prædictis Monialibus S. Claræ, & tertii Ordinis uti Breviario vel Patrum Conventualium, vel Patrum Observantium.*

57 Etiam Tertiarii nostri Ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano, ut expresse cavetur de mente S. Sedis *in dictis Rubricis num.* 142. ibi: *Personæ tandem tertii status tertii Ordinis prædicti (quæ quatenus vivendi formam, ac regulam a S. Sede approbatam, opera nostra suscipiunt, quoad ejusdem regulæ observantiam directioni nostri Ordinis regulari ex Apostolico præscripto legitime subsunt (eodem poterunt uti Breviario, quia præter superius adductum decretum a sacra Congr. die* 7. *August.* 1694. *editum, id pariter præscribunt tam Rub. num.* 1. 2. 3. 4. & 21. *ut n.* 22. *innuitur, approbatæ, quam Bulla Pauli III. ibidem apud Directorium trium Ordinum citata; in qua sub cap.* 4. *Regulæ hujus tertii status*, sic adest sancitum (*Fratres Litterati, seu Beatæ Litteratæ, si voluerint, persolvant divinum Officium, ut Fratres primi status hujus sacri Ordinis de Pœnitentia.*)

Tam Fratres, quam Tertiarii in sæculo degentes, qui ratione Episcopalis dignitatis, aut alterius muneris sunt de gremio alicujus ecclesiæ, & ipsius choro intervenire debent, tenentur recitare Officia, quæ sunt particularia illius ecclesiæ, & diœcesis. Secus vero, si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. Sic expresse ex decreto sacræ Congr. *in dictis Rubricis n.* 145. ibi: *Hinc tam Fratres, quam Tertiarii tertii status in sæculo degentes, de quibus loquuntur Rubr. n.* 4. & 21. *qui ratione Episcopalis dignitatis, & alterius muneris, de gremio alicujus ecclesiæ fuerint, & ipsius choro intervenire debuerint, recitare tenebuntur Officia, quæ sunt particularia illius ecclesiæ, & diœcesis; Secus vero si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. Ex decreto dicta die* 8. *Septembr.* 1602. *expedito.* 58

Generaliter autem loquendo Episcopus regularis debet Officium recitare juxta ritum suæ diœcesis, non vero Regulæ, & occurrente festo Regulæ in festo Diœcesis, hoc erit præferendum. *Sacr. Congreg. Rit.* 11. *Jun.* 1605. apud La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2055. *Decret.* 69. 59

Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius Religionis alteri facta se minime extendit ad Officia Sanctorum. *Sac. Congr. Rit.* 16. *Decemb.* 1679. Vide *d. Rubricas num.* 161. 60

Facultas recitandi Officium de aliquo Sancto concessa uni ex ordinibus, seu Congregationibus Fratrum, seu Monialium S. Francisci, non extenditur ad Fratres seu Moniales alterius Congregationis. Sic *sacra Rit. Congr. in cit. decreto*, ut patet *in dictis Rubricis n.* 162. ibi: *Facultate recitandi Officium de aliquo Sancto concessa uni ex Ordinibus, sive Fratrum, sive Monialium S. Francisci, seu uni ex Congregationibus ad eosdem Ordines spectantibus, uti nequeunt Fratres, aut Moniales alterius Ordinis, seu Congregationis, cui ea facultas expresse non fuerit impertita. Ex eodem decreto.* 61

Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes Observantium, Reformatorum, Discalceatorum, & Recollectorum utriusque familiæ. *Sacra Rit. Congr. in cit. decreto*, ut liquet *in citatis Rubricis num* 163. ibi: *Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes Observantium, Reformatorum, Discalceatorum, & Recollectorum utriusque familiæ, Ultramontanæ scilicet, & Cismontanæ, quoad prædictam facultatem, vigore solius præfatæ communicationis. Ex ipsomet decreto.* 62

Multo minus admitti potest eadem extensio de conventu ad alios conventus, & de provincia ad alias provincias; *Sacra Rit. Congr. in cit. Decreto*, ut habetur *in citatis Rubricis num.* 164. ibi: *Multoque minus admitti poterit eadem extensio de uno conventu, seu de una provincia ad alios conventus, aut provincias ejusdem Ordinis, vel Instituti. Ex eodem Decreto.* 63

Quamvis Officia Sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri, alias transferri possent in annum sequentem ex *decreto sacr. Congreg. Rit.* 7. *Decemb.* 1680., nunc vero amplius transferri non possunt ex *novissimo decreto ejusdem sacr. Congr. Rit.* 8. *Mart.* 1738. ut infra. 64

Ex

Ex parte Ministri provincialis Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum Provinciæ S. Didaci in Regno Mexicano Sac. Rit. Congregationi pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit:

An Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari Officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno omittendi?

Sac. eadem Congr. inhærendo alteri resolutioni in similibus editæ ad instantiam reverendissimi Archiepiscopi Hispalen. sub die 26. Novembris 1735. rescribendum censuit.

Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut in semiduplicibus cum nona lectione ad matutinum composita ex eorum omnibus lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius, & ita declaravit die 8. Mart. 1738.

Card. Guadagni Pro-Præf.

Vide tom. 8. Decreta *Sac. R. C.*

65 Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & altare prædictis Beatis erigere. *Sac. Congreg. Rit.* 17. *April.* 1660.

66 Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat Officium, debet se illi conformare. *Sacr. Rit. Congr.* 11. *Jun.* 1605.

67 Non possunt locorum Ordinarii tam sæculares, quam regulares addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel sacrorum Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. *Sacr. Rituum Congreg.* 8. *April.* 1628. & 10. *Jun.* 1690.

68 Si festum S. Confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste Confessor* nulla fiat mutatio versiculi, sed dicatur *Meruit beatas*, dummodo primæ vesperæ non sint impeditæ. *Sacra Rituum Congregatio* 13. *Januar.* 1683.

69 Translato festo S. Confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste Confessor* facienda est mutatio versiculi dicendo: *Meruit supremos*. *Sacr. Rit. Congr.* 14. *Jun.* 1692.

70 Et hoc etiamsi tali Confessori perpetuo translato sit fixa dies assignata. *Eadem sacra Congregatio Rituum* 11. *Junii* 1701. *in responsione ad* 5.

71 Officium, seu festum translatum, quamvis posset in diem immediate sequentem transferri, seu reponi, non debet recitari, seu celebrari ante alia festa prius translata, quando sunt æqualis ritus. Sic recedendo a decreto edito *in una Ordinis Capuccinorum* 30. *Septemb.* 1679. statuit *sacr. Congreg. Rit. in Lycien.* 24. *Novemb.* 1691. *in Suessana* 11. *Jul.* 1695. & 22. *Decemb.* 1696. Quando proposito tali dubio expresse respondit: *Officium celebrandum esse de primo translato*. Sic refert Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *form* 2. *n.* 21. Vide tamen resolutiones sacr. Congr. in nostro tom. 8.

Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus diœcesis, vel Religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. *Sac. Cong. Rit. die* 13. *Junii* 1682. & 27. *Septembr.* 1698. Item vide cit. resolutiones sacrar. Congreg. tom. 8. & serva posteriores, ut ibi. 72

Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. *S. Congr. Rit.* 20. *Julii* 1686. 73

Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangelistæ, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum Apostolorum. *Sacra Rit. Congreg.* 18. *Septembris* 1666. Vide d. tom. 8. resolutiones Sacr. Congregation. 74

Si vero simul sint transferenda festa S. Josephi, & Annunciationis, prius reponatur Officium Annunciationis, deinde S. Josephi, non obstante decreto edito in contrarium sub *die* 12. *Jan.* 1682. Sic decrevit *eadem sacr. Congr. Rituum* 14. *Junii* 1692. Vide d. tom. 8. resolutiones Sacr. Congregat. 75

Capellanus Monialium potest Missam celebrare de Sancto, cujus Officium ab ipsis Monialibus recitatur in choro, Missali tamen Romano, in quo si Missa particularis de eodem Sancto non adest, sumitur de communi. *Sac. Rit. Cong. in Austriæ Oeniponti* 22. *Decemb.* 1672. apud Barbos. *in summ. Apostolic. decis. verb. Capellanus num.* 4. Et *eadem sacr. Cong.* 20. *Novemb.* 1628. apud Nicol. *Lucubr. canonic. tit.* 1. *de vita*, & *honestat. Clericor.* & Gavant. *in Manual. Episcop. verb. Monialium cura spiritualis num.* 33. & Monacell. *tom.* 1. *tit.* 11. *formul.* 23. *num.* 6. Et novissime *eadem sacra Cong. Rit. die* 20. *Novembris* 1717. idem concessit confessariis, & capellanis Monialium approbante, & confirmante Clemente XI. *die prima Decembris ejusdem anni* 1717. ut apparet *in ejus Bullario decr.* 28. *sacræ Congregat. Rit.* Vide verb. *Moniales art.* 5. *num.* 48. 76 77

Unde capellani, & confessarii Monialium, ad hoc ut Missa concordet cum Officio, possunt etiam recitare Officium, quod recitant Moniales, sed cum Breviario Romano, & de communi ad instar citati decreti *de die* 20. *Novembris* 1717. in quo statuitur, quod Missas Sanctorum, de quibus Moniales recitant Officium, confessarii, & capellani ipsarum celebrent cum Missali Romano, & de communi: Non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a sacra Congregatione concessas. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 625. Henno *tom.* 1. *tract. in Decalog. disp.* 1. *art.* 4. *concl.* 4. Quintanadven. *singular. tract.* 8. *singul.* 7. Tambur. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *n.* 32. Stoz *lib.* 1. *par.* 3. *n.* 386. La Croix *lib.* 4. *num.* 1254. & alii dicentes, quod tales capellani, seu confessarii videantur æquiparari Beneficiatis, qui possunt recitare Officium 78

cium ecclesiæ cujuscumque, in qua habent Beneficium. (*)

79 Regulares tenentur sub ritu duplici I. Classis cum octava ad Officium tam dedicationis, quam titularis Ecclesiæ conventus, in quo morantur.
80 *Sacr. Rit. Congr.* 3. *Junii* 1682. Item sub eodem ritu, sed sine octava tenentur ad festa Sanctorum, qui provinciis Regularium præsunt, tamquam earum patroni, seu titulares. *Rubr. Partic. Breviarii nostri Franciscani num.* 77.

81 Regulares tenentur celebrare festum de dedicatione Ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici 2. classis, & sine octava. *Sacra Congreg. Rit.* 8.
82 *Aprilis* 1652. Officia autem de patrono principali loci conventus, ac de patrono, seu protectore principali civitatis, regni, aut provinciæ, & de titulari. Ecclesiæ cathedralis tenentur Regulares celebrare sub ritu duplici I. classis, & sine octava. *Sacra Cong. Rit.* 3. *Junii* 1682. *&* 20. *Martii* 1683. ut patet *in dict. Rubr. particularib. nostri Breviarii Franciscani n.* 78. *&* 80.

83 Ad officia vero de patronis minus principalibus, ac de Sanctis diœcesum non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario, & tunc non sub alio ritu quam ibi assignato: *Cit. Rubr. particulares d. num.* 78, ex decreto sacræ Congregationis Rituum ibi adducto.

84 Ad hoc autem ut Regulares teneantur ad Officia patronorum principalium, & Clerici sæculares etiam ad Officia patronorum minus principalium, debent esse electi in patronos juxta conditiones præscriptas in sequenti decret. emanat. de ordine SS. Domini Nostri Urbani Papæ VIII. *die* 25. *Martii* 1630.

„ Sacra Rituum Congregatio annuente S. S. D. „ N. in electione patronorum mandavit infrascri- „ pta imposterum servari debere, declarans, quod „ aliter facta electio nulla sit ipso jure.

„ Primo, quod eligi possint in patronos ii „ solum, qui ab Ecclesia universali titulo San- „ ctorum coluntur, non autem Beatificatorum „ dumtaxat.

„ Secundo, quod de patrono civitatis electio „ fieri debeat per secreta suffragia a populo me- „ diante consilio generali illius civitatis vel loci, non „ autem ab Officialibus solum, & quod accede- „ re debeat consensus Episcopi & Cleri illius loci.

„ Idemque servari debeat in patrono regni, „ qui pariter eligi debeat per secreta suffragia Po- „ puli singularum civitatum provinciæ.

„ Et quod repræsentantibus regnum, civitatem, „ vel provinciam, nulla competat facultas eligen- „ di patronos, nisi ad hoc habeant speciale man- „ datum, & ulterius interveniat consensus Epi- „ scopi, & Cleri dictarum Civitatum.

„ Et tertio quod causæ electionis novorum pa- „ tronorum debeant in Sacr. Congregat. deduci, „ & ab ea examinari, ac demum causa cogni- „ ta ab eadem Congregat. approbari, & confir- „ mari.

„ Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam „ tempore possit allegari, eadem sacra Rit. Con- „ gregatio supradictum decretum imprimi, & pu- „ blicari mandavit.

Approbatio S. patroni, seu protectoris principa- 85
lis solet concedi pro unico solo cum hac clausula: *Dummodo alium principalem patronum, seu protectorem non habeant*, ut *in una Mazzarien.* 30. *Martii* 1697. *pro universitate Castri Veterani*, *&* *alia Lycien.* 12. *Julii* 1699. *pro Universitate Terræ Monteroni*, apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 6. *formul.* 10. *num.* 11.

Regulares exempti utentes Breviario Romano, 86
quamvis ex dictis supra *num.* 83. non teneantur recitare Officia de patronis minus principalibus, & de Sanctis diœcesum, seu solitis recitari in diœcesibus, in quibus existunt, posse tamen illa licite recitare, si velint, expresse tenent Henno *tom.* 1. *tract. in Decalog. disp.* 1. *art.* 4. *conclus.* 3. La Croix *lib.* 4. *n.* 1246. Sporer *tom.* 3. *Theolog. Sacramental. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 122. & alii; Et favent *Rubricæ particulares nostri Breviarii Franciscani num.* 84. ibi: *Ad alia tandem specialia locorum Officia neutiquam tenemur, nisi expressa adsit mentio de Regularibus in concessionibus, & tunc deficiente præcepto, adhuc recitanda erunt ad libitum, prout superius in Rubr. num.* 11. *manet præscriptum*; Et ratio conclusionis, est, quia privilegium Principis alicui provinciæ, aut civitati concessum, quando nemini nocet, est latissime interpretandum,

Nota Romani Theologi.

(*) Scio plurima ex sacra Rituum Congregatione variis temporibus prodiisse decreta, quibus præcipitur, ut Sacerdotes Sæculares, etiam capellani, missas celebrent in ecclesiis Monialium de Sanctis illis, de quibus officium a Monialibus celebratur, sed cum Missali Romano. At capellanos ipsos posse se conformare in Officio quoque cum Monialibus, falsum mihi omnino est. Nam si capellani, aut alicui ecclesiæ, aut Religioni sunt addicti, certe recitare nequeunt Officium Monialium illarum, quarum Ecclesiæ inserviunt. Si vero nulli Religioni aut Ecclesiæ sunt addicti utpote ad solum patrimonii titulum ordinati, tunc Officia illa recitare debent, & juxta illum ritum quo, recitantur in tota illa diœcesi, in qua sunt; Sic videmus quotidie in praxi; & nullus Monialium capellanus arbitratur se posse conformare in recitatione divini Officii cum Monialibus, quarum ecclesiæ inservit.

De Monialium Confessariis, qui Missam conventualem, vel canere, vel quotidie legere debent, quæque quoad fieri potest concordare debet cum Officio, nonnullorum est opinio, quos inter Continuator Tournely *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 3. eos posse convenire cum Monialibus in recitatione divini Officii; sed praxis confessariorum est in contrarium, etiamsi nulli ecclesiæ sint addicti; immo neque id facere posse existimant sine privilegio speciali.

dum, cum sic habeat rationem beneficii, *cap. Olim 16. de verbor. significat.* ibi: *Cum beneficia Principum sint interpretanda largissime*; Temerarium enim est, & perabsurdum liberalitatem Principis non ad augmentum privilegiorum, sed ad diminutionem convertere, seu interpretari velle, ut expresse dicitur *in l. Hac saluberrima. 2. Codic. de Præpositis agentium in rebus*. Ergo privilegium Apostolicum concessum alicui diœcesi, seu provinciæ, vel regno pro recitandis certis Officiis particularibus potest ita late interpretari, ut etiam comprehendat Regulares, ut eo uti possint, si velint, eo vel maxime, quod potissime in privilegiis concessis favore cultus divini sit late facienda interpretatio, ut notat Fagnan. *in cit. cap. Olim 16. de Privilegiis num.* 25. & Calderin. *consil.* 422. *alias 6. de privilegiis*, per clarum textum *in capit. In his 30. de privilegiis*, ibi: *In his, quæ ad cultum Divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio facienda*. Et concordat *cap. Odia 15. de Regul. juris in 6.* ibi: *Favores convenit ampliari*; Tum quia hoc conducit ad servandam uniformitatem divini Officii. Non est tamen excedendum a decreto *Sacr. Congregationis Rit. 19. Julii* 1687. disponente contrarium, ut apparet *in Rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani n. 78. in fine*, ubi sic expresse habetur: *Immo nec possumus octavas prædictas, & patronorum minus principalium, ac Sanctorum diœcesum festa cum Officio celebrare vigore constitutionum a Sede Apostolica approbatarum, nisi de eisdem festis singularis ibi adsit mentio, & particularis dispositio. Ex decreto* 18. *Julii* 1687. Vide ad id resolutiones sacrar. Congreg. tom. 8.

87 Hinc quando permittitur fieri Officium aliquod per ditiones subjectas Cæsari, per has intelliguntur etiam urbes Imperiales; In omnibus enim Cæsareis rescriptis, in quibus Cæsar de aliqua talium civitatum loquitur, semper dicit: *Nostra, & sacri Romani imperii Urbs*. Item intelliguntur etiam omnes provinciæ, ditiones, & loca, quæ de facto sunt proprie dicta feuda Imperii, quia ejusmodi feuda sunt vere subjecta Cæsari, ut Cæsari, cum sit illorum dominus directus, ut liquet ex communi definitione feudi apud Schraderum *Tractat. Feudal. part. 2. cap. 2.* Sic Gobat *tom. 1. tract. 5. numer.* 650. *Append. 5. litt. N.* La Croix *lib. 4. num.* 1247. & alii.

88 Locorum Ordinarii tam sæculares, quam regulares nequeunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum qui habetur in Calendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiorem ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum. Sic expresse statuit Sacra Rit. Congregatio approbante Urbano VIII. qui insuper tale decretum cum aliis jussit apponi in novis Breviariis, uti de facto in initio nostri Breviarii Franciscani reperitur, ut sequitur.

„ Sacra Rit. Cong. declaravit, & decrevit non „ potuisse post Bullam Pii V. de Breviario Ro- „ mano, neque posse locorum Ordinarios, tam „ sæculares, quam Regulares addere Kalendariis „ etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dum- „ taxat quæ Breviarii Romani Rubricis, vel sac. „ Rit. Congreg. seu Sedis Apostolicæ licentia con- „ ceduntur: Neque propria auctoritate, quovis „ prætextu, mutare Ritum; qui habetur in Ka- „ lendario Romano, seu Rubricis Breviarii in „ altiorem ritum, neque extendere concessa Offi- „ cia de loco ad locum.

„ Item vetuit, & prohibuit celebrari per totam „ civitatem, vel diœcesim, etiam de cujuscum- „ que Ordinarii auctoritate festum cum Officio, „ eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel „ Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua reliquia; „ sed tantum in ipsius Sancti ecclesia titulari, „ seu ubi asservatur corpus, aut insignis reliquia, „ & non alibi.

„ Insignes autem reliquias declaravit esse ca- „ put, brachium, crus aut illam partem corpo- „ ris, in qua passus est Martyr, modo sit inte- „ gra, & non parva, & legitime ab Ordinariis „ approbata.

„ De sanctis Episcopis locorum, Martyribus, „ civibus, & aliis festis, de quibus in Kalenda- „ rio Romano, seu Rubricis Breviarii nihil ha- „ betur, uti etiam de Beatis nondum canoni- „ zatis nihil propria auctoritate constituatur, sed „ omnino consulatur sacra Rit. Congregatio.

„ Decretum quoque nuper editum super ele- „ ctione Sanctorum in patronos, & impressum „ omnino servetur. Et hæc omnia decrevit, sta- „ tuit, & mandavit, innovando pœnas Constitu- „ tionis Pii V. respective.

„ Facta demum relatione horum decretorum „ SS. Urbano Papæ VIII. ea laudavit, & appro- „ bavit, ac in omnibus ubique sub prædictis pœ- „ nis servari præcepit, necnon in novis Breviariis „ de mandato Sanctitatis suæ imprimendis appo- „ ni jussit.

Loco ✠ Sigilli.

T. Tegrimius Episcopus Assisien. Secretarius.

Officium recitatur sub ritu duplici minori de illo Sancto, cujus habetur reliquia insignis, scilicet caput, brachium, crus, aut ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodo sit integra, & non parva, legitime ab Ordinariis approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in Missa. *Sac. Rit. Cong. 8. Aprilis* 1628. Qui recitant officium de Sancto, de quo habent insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebrent eo die in alia ecclesia, debent omittere *Credo*; *S. Congr. Rit. 2. Decembris* 1684. 89 90

De Sancto, cujus habetur corpus, vel insignis reliquia, non potest fieri Officium, nisi constet de identitate, & nisi reperiatur in Martyrologio Romano; Reliquiæ vero a locorum Ordinariis approbatæ, possunt exponi ad fidelium venerationem. *Sacra Congr. Rit. 21. Aug. 1691. approbante S. S. die 19. Octobris ejusdem anni 1691.* ut patet ex originali prout sequitur. 91

Decretum Generale.

„ Cum sacror. Rituum Congregationi innotue- „ rit, quamplures abusus irrepsisse circa recita- „ tio-

„ tionem Officii sub prætextu decreti ab eadem „ Congregatione evulgati de anno 1630. & in Breviario Romano impressi, in quo permittitur „ posse in Ecclesia recitari Officia, & Missas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora, aut „ Reliquiæ insignes in ea asservantur; Eminentissimi Patres eidem sacræ Congregationi præpositi iisdem abusibus evellendis præcipue intenti, inhærendo decretis alias in similibus editis, declararunt, prædicta Officia Sanctorum „ ratione corporis, seu insignis reliquiæ recitanda, intelligi de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodo constet „ de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio „ Romano descriptus; De ceteris autem sanctis „ in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, „ Officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, „ non obstante, quod ipsorum corpora, vel insignes reliquiæ in Ecclesiis asserventur. Quibus „ tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed „ absque Officio, & Missa, sub pœnis de non „ satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione B. Pii V. contentis, die „ 11. Augusti 1691.

„ Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas sua hujusmodi „ decretum approbavit, ac ut debitæ executioni „ demandetur, locorum Ordinariis injungendum „ esse præcepit. Die 29. Octobris ejusdem anni „ 1691.

92 Dedicationis festum, & Officium extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica. *Sacra Rit. Cong.* 16. *Octob.* 1604.

93 Si in locis diœcesis nullus reperiatur electus patronus, tenetur diœcesis non solum ad festum de patrono civitatis, sed etiam ad octavam. *Sacr. Rit. Congr.* 29. *Septemb.* 1568. In patronorum, sive 94
protectorum præcedentia servandus est ordo hierarchiæ Ecclesiæ, & inter ordinem hierarchicum anterioritas in electione. *Sacr. Rit. Cong.* 11. *Martii* 1690.

Canonici sub onere, & obligatione restitutionis 95
fructuum tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis, & non satisfaciunt, si solum assistant, & intersint horis, & per Capellanos, & alios Beneficiatos psallant; ipsi vero vel ibi, vel domi privatim recitent horas, quia institutio canonicatuum est, non ut adsint tantum in choro, sed ut canendo assistant, & ob id eis dantur distributiones; Colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ibi: *Omnes vero divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia ... atque in choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*: Et sic censuit sacra Congr. Concilii; nam proposito dubio: *An Canonici, & alii, qui intersunt divinis Officiis, satisfaciant eorum muneri exhibendo suam præsentiam in choro etiam quod non cantent, neque psallant, maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias preces tunc recitare?* An vero teneantur *præcise alta, & consona voce divina Officia, & horas canonicas recitare, cantare, & psallere, & aliter non satisfaciant muneri, & obligationi? Eadem sacr. Congr. sub die* 20. *Aprilis* 1602. *censuit teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere*. Vide verb. *Missa, art.* 3. *n.* 11. ubi ad id affertur novissima dispositio Benedicti XIV. Canonici ex decentia debent alta voce 96
cantare in choro, & Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. *Sacra Congr. Rit. in Egitanensi* 23. *Nov.* 1602. (*)

Extra chorum ipsi Canonici, & quicumque alii, 97
quan-

Nota Romani Theologi.

(*) Quamvis Concilium Tridentinum, & Concilia quam plurima Provincialia a Sancta Sede approbata, quamvis Summus Pontifex Bened. XIV. in sua Constit. die 19. Augusti 1744. edita, præcipiant, ut Canonici omnes in choro cum aliis psallant, & canant, & *Lucius* noster asserat, quod ad id stricto jure tenentur; nihilo tamen minus ipse autumat, Episcopum illos posse hortari, sed non cogere, juxta sac. Rit. Congreg. decretum. Verum *Auctor* noster proprio se perimit gladio. Si Canonici tenentur psallere, & canere, aliter non satisfaciunt suæ obligationi, Episcopus itaque potest illos cogere ad psallendum & canendum, si sola hortatio sufficiens non esset. Quod ut magis magisque planum fiat, audiatur Benedict. XIV. in suo Brevi ad Eminentissimum Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquilejensem dato, die 10. Januarii 1748. in quo hæc habet verba: *Porro nolumus inter tot tantaque privilegia eidem Capitulo, & Canonicis concessa, numerandum esse illud, quod quemadmodum Tibi, æque ac Nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum Canonum sanctiones, ac nostram præsertim Constitutionem, cujus initium est*, Cum super oblatas, *invectum ab ipsis Canonicis, non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi dumtaxat choro, & cum cæteris Mansionariis, Capellanis, Acolythis, & Clericis canentibus, psallentibusve adsistendi, numquam vero cum iisdem canendi, psallendive; etsi nonnullos eorumdem esse accepimus, qui aliter sentientes a conscientiæ angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a Te, dilecte Fili noster, poscimus, & flagitamus, ut non solum hujusmodi ABVSVM & CORRVPTELAM ab Ecclesiastica disciplina absonam, & Canonicis ordinationibus*, ac nostræ quoque Constitutioni contrariam *penitus evellere, & eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas, & horteris, ut in posterum ea qua decet*, ac tenentur *reverentia choro intersint, adsistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia* omnino canere, vel psallere *cum cæteris studeant, & contendant. Deinde iisdem edicas & notum facias; Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis litteras Tibi declaramus, & injungimus* decer-

quando soli recitant, non obligantur tam alte loqui, & recitare, ut circumstantes possint audire, quia id nulla Lex præcipit, ut testibus Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 691. Sporer *loc.cit. num.* 110. docet *Com-*
98 *muni: Doctorum*. Probabilius tamen privatim, & soli recitantes debent ita alte proferre verba, ut possint ipsimet ea audire, si non impediat propria surditas, vel tumultus, & strepitus aliorum, quia divinum Officium est injunctum per modum orationis vocalis. Sic cum multis docet Suarez, & Sporer *loc.cit. n.* 110. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *form.* 1.
num. 9. & alii. Sufficere autem, ut quocumque 99
minimo sono seu voce absque syllabarum confusione verba distincte pronuncient, docent Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 11. *qu.* 4. Tannerus *de Horis Canonicis qu.* 1. *num.* 110. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. Busembaum *lib.* 4. *cat.* 2. *dub.* 2. *art.* 4. *num.* 2. cum Bonacina, & aliis ibi citatis; Item Caramuel, Bas-

decernere, *atque statuere*, *sicut* in eadem Constitutione nostra innuimus, *ipsos suosque successores Canonicos*, *choro quidem interessentes*, *adsistentesque*, *minime vero canentes*, *psallentesve*, NULLO PACTO ex præbendis, & distributionibus facere fructus suos, atque adeo RESTITUTIONI *obnoxios esse*, *ac fore &c.* Ex Summi itaque Pontificis Maximi verbis evincitur, ut Episcopi omni nisu, omnique conatu curent, non hortatione tantum, sed etiam coactione, ut Canonici in choro cum cæteris canant, psallantve, & sic abusum illum, ac corruptelam penitus evellant, & eradicent, quæ multis in locis invaluit, contra Ecclesiasticas ordinationes.

Quid vero dicendum de privilegio a Leone X. Fratribus Minoribus concesso, quod Lucius noster obtrudit? Illud nempe, aut omnino commentitium esse, aut si verum, omnino revocatum censeri a Summis Pontificibus Gregorio XV. & Urbano VIII. qui illud, & alia vivæ vocis oracula prædecessorum Pontificum revocarunt. Verum enim vero, quo authentico documento hoc probatur privilegium? Forsan authenticis litteris Cardinalis Laurentii? At ubinam gentium sunt istiusmodi authenticæ litteræ? Ab auctoribus, qui privilegium hoc divendunt, non producuntur. Porro privilegium hoc omni caret verisimilitudine. Primo, quia in *cap. Dolentes* præcipitur distincta ac devota Officii divini recitatio, quæ in Deum dirigat non solum propriam, sed etiam aliorum mentem. Tum quia præceptum recitandi divinum Officium Ecclesiasticum est, quod secundum omnes Theologos directe pertinet ad exteriorem recitationem, quæ spectat immediate ad forum Ecclesiæ. Quonam pacto itaque poterat Pontifex Summus Leo X. Fratribus Minoribus concedere, ut totum divinum Officium mente recitarent, etiam quando soli recitant, contra naturam, & institutionem Ecclesiasticam ipsiusmet divini Officii?

Quod si privilegium hoc vivæ vocis oraculo concessum velint, jam cum cæteris vivæ vocis oraculis revocatum censemus a Gregorio XV. & Urbano VIII. 20. Decembris 1631. qui *omnia & singula privilegia*, *facultates*, *licentias*, *& gratias quascumque vivæ vocis oraculo a Prædecessoribus suis concessas*, omnino revocat. Neque in mentem alicui veniat, privilegium recitandi mentaliter divinum Officium esse declarationem juris communis, adeoque non revocatum a dictis Pontificibus; Nam jus commune Ecclesiasticum conceptis verbis præcipit, ut divinum Officium clara, ac distincta voce persolvatur, ut omnes fatentur, non autem mente; unde tale privilegium non esset declaratorium juris communis, sed potius ipsi oppositum, uti est perspicuum.

Responsio Auctoris.

Asserit hic *R. Theologus*, quod Lucius noster dicendo, quod Canonici omnes in choro cum aliis debent canere, & psallere, & postea subdendo, quod ad id Episcopus potest illos hortari, sed non cogere, proprio se perimit gladio; Ast vero Ego Lucius nec proprio, nec alieno me perimo gladio. Ibi enim sub *num.* 95. assero, teneri Canonicos cum aliis in choro canere, & psallere, & non satisfacere suæ obligationi, si solum assistant, & intersint horis, & per Capellanos, & alios Beneficiatos psallant, ipsi vero, vel *ibi*, vel domi privatim recitent horas, & ad id adduco decretum Sacr. Congreg. Concil. quæ *sub die* 20. *Apr.* 1602. *censuit*, *teneri omnino psallere*, *alioquin obligationi suæ non satisfacere*. Et postea sub *num.* 98. subjungo, quod Canonici ex decentia debent alta voce canere in choro, & Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere *ex decreto sac. Congreg. Ri. in Egitaniensi* 23. *Novembris* 1602. ubi, ut vides, nec duo hæc decreta pugnant inter se, nec ipsa adducendo Ego meo me perimo gladio, ut argutatur Theologus. In primo enim decreto *sub die* 20. *Aprilis*. 1602. sac. Congreg. Concil. inhærens ipsi Concilio censuit, Canonicos teneri omnino psallere. Et in secundo postea eodem anno 23. *Novemb. S.R.Congreg.* interrogata, an Canonici debeant alta voce cantare in choro, respondit, quod Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. Aliud enim est, teneri Canonicos psallere in choro, & aliud debere cantare alta voce & ad illud posse ab Episcopo cogi, quod negat secundum decretum de canendo alta voce. Sufficit enim, ut Canonici suæ satisfaciant obligationi, quod in choro cum aliis psallant, ut ex primo decreto, sed non tenentur omnes horas alta voce cantare, nec ad id possunt ab Episcopo cogi, ut ex secundo decreto, & docet quotidiana praxis Cathedralium, & Collegiatarum. Vide ad id Concil. *Trid. sess.* 24. *c.* 12. *&* Constitut. Recol. memor. Bened. XIV. incip. Cum *semper* §. *Huic demum* per extensum allat. a me sub verb. *Missa art.* 4. *n.* 11. Et ecce duo gladii hic ad perimendam infirmam, & injustam Theologi censuram, & ne unus quidem, qui possit perimere sanam, & justam meam assertionem.

Bassæus, Baldellus apud Dianam *part.* 10. *tract.*11. *resolut.*33. & alii, quia revera non potest exhiberi lex aliqua requirens clariorem pronunciationem.

100 Et hoc maxime pro Regularibus ob privilegium a Leone X. concessum Fratribus Minoribus, ut possint horas Canonicas mentaliter persolvere, ut patet ex infrascriptis verbis dictæ petitionis relatis a Rodriquez *in Bullario Regularium inter vivæ vocis Oracula Leonis X.* & a Sporer *loc. cit. n.*111. ibi: *Placeat Sanctitati vestræ, ut ne Fratres mutuo se impediant in Officio divino, aut aliis sint fastidiosi, quod, quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio, tam in horis Canonicis, quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter aut legendo intra se per librum, quia aliqui devotius sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum. Et eodem modo possit facere, qui dicit Officium solus, cum prolatio verbalis sit præcipue, ut ab aliis intelligatur.* Cui postulationi cum aliis simul propositis annuit Leo Papa, ut per suas litteras authenticas testatur Eminentissimus Laurentius Presbyter Cardinalis S. S. Quatuor Coronatorum die 15. *Aprilis anno* 1516.

101 An autem illa verba: *Et eodem modo possit facere, qui dicit Officium solus*, debeant referri solum ad præcedentia, nimirum illa, quæ in ordinario jubentur dici *secreto sub silentio*, ut Pater, Ave, Credo, & alia quædam; an vero sint extendenda ad totum divinum Officium, ita ut solus extra Chorum possit totum divinum Officium dicere mentaliter absque ulla pronunciatione, seu expressione, vel formatione verborm? Gravis est inter Doctores controversia. Quidam enim, ut Navarrus *de Oratione cap.*17. *num.* 88. Rodriquez *quæst. Regular. tom.*1. *q.* 2. *art.* 4. Casarubios, Corduba, Miranda, eosque citans Bruno Cassaing. *de Privilegiis Regularium part.*2. *tract.*8. *cap.*4. *proposit.*5. Joannes Crucius, Sanctorius, Persicus, Tamburinus apud Dianam *par.*10. *tract.*11. *resol.*1. & Sporer *loc.cit. n.* 111. tenent, quod solus extra chorum possit totum divinum Officium dicere mentaliter, quia id suadet ratio addita in petitione: *Cum prolatio verbalis sit præcipue, ut ab aliis intelligatur*, quæ ratio non tantum de illis paucis *Pater*, *Ave*, *Credo*, sed de toto Officio a solo recitando militat; Alii tamen, ut post Garciam, & Pellizarium Diana *par.* 10. *tract.* 20. *resolut.* 2. Lugo *Respons. moral. lib.* 3. *dub.* 17. Henno *loc.cit. art.*6. *conclus.* 4. & fere communiter de hoc scribentes tenent oppositum, teste Sporer *loc. cit. conclus.*4. ubi dicit hoc privilegium, utpote vivæ vocis oraculo concessum, fuisse ab Urbano VIII. revocatum, sed de hoc infra sub verb. *Oracula vivæ vocis*.

102 Litaniæ in festo S. Marci, & tribus diebus Rogationum sunt pars divini Officii, adeoque recitandæ sunt de præcepto sub mortali; Vide verb. *Litaniæ n.*16.
103 Et quidem recitandæ sunt proprio mane, nec possunt recitari Vesperi pridie statim post Matutinum, & Laudes ab illis, qui Matutinum, & laudes recitant Vespere pridie. Vide d. verb. *Litaniæ n.* 17.

104 Adstricti Breviario Romano non tenentur in diebus in Breviario notatis recitare Officium B.M.Virginis, Officium Defunctorum (excepto die Animarum) psalmos Graduales, & Pœnitentiales, quia a tali obligatione ipsos expresse liberavit S.Pius V. Constit. incip. *Quod a Nobis*, cujus summarium habes supra *art.* 2. *n.* 20. uti adest *in initio Breviarii Franciscani*. Excipit tamen S. Pontifex ex- 105
presse illas Ecclesias, in quibus viget sancta consuetudo, & usus recitandi in choro Officium B. M.V. ita ut in predictis Ecclesiis, sive sæcularibus, sive Regularibus, debeat adhuc servari talis laudabilis, & sancta consuetudo recitandi more solito prædictum Officium; Unde in prædictis Ecclesiis saltem dicta Constitutione S.Pii V. antiquioribus manet obligatio recitandi prædictum Officium B.M.V. in choro, non tamen privatim extra chorum, ut notant Herincx *de horis Canonicis disp.*2. *q.*2. *n.*13. *in fine*, Sporer *loc.cit. n.* 115. & alii passim, sic servante communi praxi.

Hinc Canonici tenentur recitare in Choro, Of- 106
ficium Defunctorum, psalmos Graduales, & Pœnitentiales solum juxta d. Constitutionem S.Pii V. & non alias. *Sacra Cong. Rit. in Suessan.* 28. *Januarii* 1609. Et qui prædicta non recitant, minime peccant. *Ead. Sac. Congregatio in Barchinonen.* 20. *Januarii* 1690. Observanda tamen sunt novissima sequentia decreta.

Proposito enim dubio in sacra Congregatione 107
Concilii: An in Ecclesa Suessana recitandi sint psalmi Graduales, Pœnitentiales & Officium B. M.V. & Defunctorum in diebus assignatis a Rubricis Breviarii? *Ead. Sacr. Cong.* 28. *Augusti* 1708. respondit: *Ad formam Bullæ Pii V.* Sic refert eruditissimus Scarfantonus ad Ceccoperium *part.* 2. *lib.* 3. *in animadvers. ad tit.*10. *sub n.*11. Et sacra Rit. Congregatio 2.Septemb. 1741. sic expresse declaravit: *Persolventes divinum Officium extra chorum non tenentur ad psalmos Graduales, nec Pœnitentiales, neque ad Officium parvum B.M.V. nec Defunctorum: quæ quidem Officia, & psalmi sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro.* Sic refert eruditissimus P. Cavalieri *in suis egregiis commentar. tom.* 2. *par.* 2. *cap.* 46. *decret.* 4. ubi post multa ad rem doctissime observata, *sub num.* 3. hæc expresse habet: Hæc indubia cum sint, iisdem conciliari debet decretum, ita ut, dum extra chorum dictorum Officiorum nullam obligationem agnoscit, veritatem undequaque habeat relate ad Romanum Clerum: Secus ad reliquum, qui in obligatione suæ consuetudinis perstat. Dum vero eadem Officia qualificat *onera ex præcepto adimplenda in choro*, id verum erit de Officio Deiparæ pro iis Ecclesiis, in quibus consuetudo aderat; secus de reliquis Officiis, in quorum omissione, uti & Officii B.Virginis relate ad Ecclesias, quæ ejusdem consuetudinem minime habebant, nonnisi concessas deperdunt indulgentias. Dicuntur autem adhuc *onera ex præcepto implenda in choro*; quatenus Rubricæ eisdem præfixæ, disertis verbis choro demandent eadem: secus extra chorum, ubi *posse dici pro temporis opportunitate*, dumtaxat asserunt. Hæc ille, qui *sub num.*5. subjungit, quod licet plurimi insignes Auctores asserant consuetudinem in favorem Officii B. Mariæ in Bulla S. Pii præservatam, non obligare sub peccato, tamen lo-

quendo

quendo de tali antiqua consuetudine ante Sanctum Pium V. vult, quod peccati periculo fuerit & adhuc reperiatur obnoxia; secus autem loquendo de consuetudine introducta post S. Pium V. quia censetur potius inducta ex devotione, & causa lucrandi indulgentias, quam ex animo se sub peccato obligandi, ut recte concludit ipse *sub num.* 4.

108 Officium B.M.V. tenentur Canonici adhuc recitare, ubi vigebat talis pia consuetudo, quia Sanctus Pius V. in dicta Constitutione ipsam non abstulit, sed jussit servari, ut observat Fagnan. *in*
109 *cap.* 1. *num.* 35. *de celebratione Missarum.* Immo Officium B.M.V. debet dici in choro etiam in Dominicis, si aderat consuetudo. *Sacr. Rit. Congr.* 1. *Septembr.* 1607. apud Gavant. *in Manual. Epi-*
110 *scopor. verb. Horæ Canonicæ num.* 27. Et tempore Paschali recitantes Officium parvum B. M. V. in choro debent recitare sine addito *Alleluja*; *Ead. S. Rit. Congr.* 28. *Martii* 1626. Et sic expresse Breviarii Rubrica 37. *de Officio parvo B.Mariæ*, *& aliis num.*2. ibi: *Tempore Paschali in Officio parvo B.Mariæ, quod dicitur in choro, non additur Alleluja antiphonis, neque versibus, neque responsoriis*, & hoc ad distinctionem horarum majorum Canonicarum: Quod asserendum videtur etiam de aliis precibus, extra divinum Officium, ut in versiculis Sanctorum, ver. gr. *Ora pro nobis B. P. Francisce*, *Ora pro nobis B.Antoni*, *Ora pro nobis B.Didace &c.* qui cani solent in novendiis, quæ fiunt ad eorum gloriam pro aliqua gratia impetranda, sicque ipsis non est addendum *Alleluja*, ut etiam pro versiculo: *Panem de Cœlo &c.* statuerat *Sac. Rit. Congregatio in Collen.* 5. *Julii* 1698. quæ ad dub. *An in expositione, & depositione SS. Sacramenti etiam causa devotionis, sit addendum Alleluja ad versiculum Panem de cœlo*, respondit, *Negative*; Cui tamen versiculo peculiari ratione addendum esse *Alleluja* tempore Paschali, & in tota octava SS. Corporis Christi mandavit Clemens XI. *die* 20. *Januarii* 1705. & confirmavit, ac innovavit Clemens XII. *die* 1. *Septemb.* 1730. ut patet in verb. *Eucharistia in instructione pro expositione SS. Sacramenti* §. 21.

Et non esse addendum *Alleluja* versibus Precum, etiam in Officio, prescribit Breviarii *Rubrica* 24. *de versibus num.* 4. ibi: *Versibus prædictis tempore Paschali semper additur Alleluja*; *Non autem versibus precum*, ut *ibidem* recte notat Gavantus sequutus a Merati, nam in his attenditur potius ratio humilitatis, & mœroris, quam lætitiæ.

111 Congregationes, Religiones, sive Ecclesiæ, vel nationes habentes Apostolicum indultum semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus celebrandi Officium de Sanctissimo Sacramento, vel de aliquibus Sanctis in diebus non impeditis aliquo festo duplici, vel semiduplici, non possunt hujusmodi Officia facere in diebus Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum, & Quatuor Temporum, etiamsi in Indulto de his diebus nul-
112 la sit facta specialis mentio. Nec in diebus, in quibus ponendum sit Officium de festo duplici, vel semiduplici translato, ut novissime declaravit sacra Rituum Congregatio, ut sequitur.

DECRETA GENERALIA

Circa Rubricas.

„ Cum sacrorum Rituum Congregationi demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare,

„ Primum, An cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit a Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadibus, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum v. g. de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis, in diebus non impeditis aliquo festo duplici, vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus sanctæ Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum, & quatuor Temporum, etiamsi de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

„ Secundum; An dies impeditus festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a sacra Congregatione; Quod scilicet festum duplex, vel semiduplex etiam translatum, necnon dies Octavæ, sit dies impeditus respectu talium Officiorum?

„ Tertium: An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, itemque recitare Officia, & Missas concessas aliis Religionibus?

„ Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendissimi Domini Cardinalis Colloredo respondit:

„ Ad primum negative, & hujusmodi Indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio sive absque jejunio, nec in feria secunda Rogationum nec in alia feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicæ.

„ Ad secundum affirmative.

„ Ad tertium negative in omnibus.

„ Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper ut declarationes, seu decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit, Die 20. Martii 1706.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sacr. Congr. Secret.

Habentes Indultum recitandi Officium de Sanctissimo Sacramento, debent illud recitare, uti recitatur in die ipsa Corporis Christi. *Sac. Congregat. Rit. in Aquen.* 18. *Junii* 1689. ubi inter alia quæsita adsunt sequentia cum dictæ sacræ Congregationis responsione. 113

„ Secundo, cum Regulares varii sint in assignando quolibet mense lectiones secundi, & „ ter-

„ tertii nocturni pro hujusmodi Officio, quæritur:
„ An constet de decreto ejusdem sacræ Congregationis Rituum, quo utuntur PP. Barnabitæ, quod nimirum lectiones secundi, & tertii nocturni semper recitari debeant, pro ut in die solemnitatis Corporis Christi?

„ Ad secundum affirmative ex decreto pro Ordine Minorum de Observantia emanato die 12. Julii 1664.

„ Tertio Quæritur: An quando recitatur Officium prædictum, Missa dici debeat, prout in solemnitate Corporis Christi, & cum sequentia Lauda Sion &c. vel ut Missa votiva de SS. Sacramento in fine Missalis, & an 2. & 3. oratio dici debeant, ut infra Octavam ejusdem solemnitatis, vel 2. A cunctis, & 3. ad libitum?

„ Ad tertium, Missa votiva celebranda est sine Sequentia, & cum orationibus tempori congruentibus ex eodem decreto; Et ita censuit, & servari mandavit sac. Rituum Congr. hac die 18. Junii 1689.

A. Card. Cibo.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casallus S. Rit. Cong. Secret.

Unde caute legenda est expositio dicti decreti *de die* 12. *Julii* 1664. facta in Rubricis Breviarii Franciscani *sub num.* 33. nempe recitandum esse supradictum Officium, ut in die, idest cum *Alleluja*, quia *in die dicitur Alleluja*; cum ex supradictis clare, & expresse constet diversam fuisse mentem, & concessionem dictæ sacræ Congregationis; Tum quia si contingat recitari dictum Officium inter Septuagesimam, & feriam 4. cinerum non potest congruere supradicta expositio, idest *cum Alleluja*, quia dicto tempore non dicitur *Alleluja*.

114 Ad horas omnes, quæ recitantur in Choro, debent ardere duæ saltem candelæ in Altari. *Sac. R. Congr.* 7. *August.* 1594. apud La Croix *lib.*6. *part.*2. *num.* 2055. *Decret.* 31.

115 Assignantur Officia Beatissimæ Virginis Mariæ in toto statu Ecclesiastico ex obligatione celebranda de mandato Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. sequenti decreto.

„ Sanctissimus Dominus Noster Benedict. XIII. benigne indulsit, atque concessit, ut in toto Ecclesiastico Statu ab omnibus utriusque sexus, tam sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sequentia Officia B. M. V. in ejus respective festivitatibus recitari, & Missæ celebrari debeant. Videlicet I. die 23. Januarii Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph. II. Feria 6. post Dominicam Passionis de septem Doloribus B. M. V. III. Die 16. Julii B. M. V. de monte Carmelo. IV. Dominica Secunda Novembris Patrocinii B. M. V. V. die 10. Decembris translationis sacræ domus Lauretanæ. VI. Et die 18. Decembris Expectationis partus B. V. Et ita declaravit, ac servari mandavit die 23. Augusti 1725.

F. Card. Paulutius Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Nicolaus Maria Tedeschi Archiepiscop. Apamen. S. R. C. Secret.

Adducuntur ad rem varia dubia proposita in sacra Rituum Congregatione a Capitulo cathedralis Collensis, & resoluta ut infra. 116

I. An recitatio Officii Beatissimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo possit (ut pluribus in locis fit) transferri in Dominicam sequentem diem decimam sextam Julii?

II. An cathedralis Collensis, quæ per triginta circiter annos recitavit Officium S. Artemiæ virginis, & martyris die secunda Junii, eo quod in ea asservetur corpus, possit talem recitationem continuare?

III. An occurrente in feria tertia Rogationum festo simplici, in Cathedrali, & Collegiata, sint cantandæ duæ Missæ?

IV. An in absolutionibus in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, sit dicenda tota conclusio in oratione.

V. An in expositione, & depositione SS. Sacramenti, etiam causa devotionis, sit addendum Alleluja ad versiculum, Panem de cœlo?

VI. An Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debeat de ambarum patrono, & titulari recitare Officia juxta Rubricas?

VII. An in anniversario occurrente in festo duplici secundæ classis possit cantari Missa de Requiem?

VIII. An in duplicibus primæ classis, præsente corpore, possit defunctorum Missa cantari? Et an dici possit una Missa privata deficientibus Clericis in choro?

IX. An infra octavas privilegiatas possit cantari Missa Defunctorum in anniversario, & Officio solemni?

X. An in die anniversarii, & depositionis possit cantari defunctorum Missa loco Conventualis, ut Rubrica innuere videtur?

XI. Quando in mense Novembris sunt eadem die ponenda plura initia prophetarum, an sit tantum dicenda unica lectio?

XII. An poni possint plura tribus initiis unica die.

XIII. An ubi sunt plura Officia habentia primas lectiones proprias, possint omitti aliqua ex dictis initiis.

XIV. An in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, in quibus fit de duplici primæ classis, sint cantandæ duæ Missæ?

XV. An quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Defunctorum, dici debeat, ut secunda die Novembris, omittendo psalmos post vesperas, & matutinum positos?

XVI. Si anniversarium anticipetur, aut postponatur per aliquot dies, an possit dici Missa, ut in anniversario?

XVII. An occurrente festo S. Marci infra octavam Paschatis in Missa Rogationum sit dicendum Credo?

XVIII. An deficiente Subdiacono pro Missa solemni possit per Superiores substitui constitutus in minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque Manipulo?

XIX. An Sacerdos Missam celebraturus, transiens ante altare, ubi fit populi communio, debeat

beat permanere genuflexus, donec & quousque terminetur communio?

XX. An Officium Defunctorum pro secunda die Novembris, possit recitari etiam præsente Episcopo, ante Completorium diei Festi omnium Sanctorum?

XXI. An in Cathedrali Collensi, quæ habet privilegium recitandi Officium Sanctæ Crucis qualibet sexta feria non impedita, possit cantari unica Missa cum commemoratione sanctæ Crucis, quando in dicta feria sexta occurrit feria, quæ habet Missam propriam?

XXII. An sit toleranda consuetudo, quod Hebdomadarius, aut alius Canonicus post processionem in festo S. Agathæ Virginis, & Martyris, stans ad altare majus benedicat populum, habens tantum superpelliceum, & Stolam, sicut in aliis Processionibus, in quibus circumferuntur aliquæ reliquiæ cum Alba, Stola, & Pluviali?

Dicta Sac. Rit. Congregatio in Collen. die 5. Julii 1698. Respondit:

Ad I. Negative.
Ad II. Doceant, an sit descripta in Martyrologio, & de ejus identitate.
Ad III. Negative.
Ad IV. Negative.
Ad V. Negative. Hæc resolutio non est intelligenda de tempore Paschali, nec de diebus infra octavam Corporis Christi; Merati *in* 2. *Indice decretorum n*. 20. ex Decreto *anni* 1705. 20. *Januarii & 1. Septembris* 1730.
Ad VI. Pro utroque Titulari affirmative, maxime si Ecclesiæ sint peræque unitæ.
Ad VII. Negative.
Ad VIII. Negative in omnibus.
Ad IX. Negative.
Ad X. Negative.
Ad XI. Affirmative.
Ad XII. Negative.
Ad XIII. Occurrente legitima causa, Affirmative.
Ad XIV. Negative.
Ad XV. Negative. Hæc resolutio confirmata fuit 23. Junii 1736. 3. Aug. 1737. & 8. Maji 1738.
Ad XVI. Affirmative.
Ad XVII. Negative.
Ad XVIII. Data necessitate, posse permitti.
Ad XIX. Negative.
Ad XX. Affirmative. Hæc resolutio spectat ad cathedrales Ecclesias tantum; Merati *in* 2. *Indice decretorum num*. 206. & 220. ex Decret. 1. *Septemb*. 1607. & 22. *Jan*. 1701.
Ad XXI. Negative.
Ad XXII. Posse permitti.

ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ concernunt ordinem, tempus, locum, situm, & habitum recitandi divinum Officium.

IN recitandis horis Canonicis servandus est ordo ex præscripto Ecclesiæ in Breviario signatus, ut videlicet recitetur primo matutinum ante alias horas; prima ante tertiam, tertia ante sextam, & hujusmodi, nec invertatur talis ordo, recitando v. gr. Primam ante matutinum, tertiam ante primam, sextam ante tertiam, & hujusmodi; *Communissima*. Ordo recitandi horas canonicas publice in choro servandus est sub mortali; Sic expresse post Marchant. Sporer *tom*. 3. *tract. Append. de Horis Canonicis cap*. 2. *sect*. 4. §. *ante nu*. 131. & alii. Extra chorum autem, & privatim solum sub veniali, secluso contemptu, vel scandalo. *Communis* contra Vasquez *de Beneficiis cap*. 4. §. 1. *art*. 1. ubi dicit peccare mortaliter, qui sæpe talem ordinem invertit; At certe, secluso contemptu, vel scandalo, etiamsi sine causa invertatur talis ordo, recitando v. g. vesperas ante primam, sextam ante Tertiam, & hujusmodi, est solum peccatum veniale, quia talis ordinis inversio nec gravem continet deformitatem, nec de substantia divini Officii quidquam imminuit. Sic Sporer *loc. cit. num*. 131. testans esse communissimam Doctorum sententiam. 1 2 3

4 Immo aliqua interveniente rationabili causa neque erit peccatum veniale integras horas transportare, & dictum ordinem invertere. *Communis*. Causa autem rationabilis, & justa, seu sufficiens invertendi ordinem est, si quis sero veniat ad chorum una hora jam integre finita, seu jam incæpta; iste enim licite, & laudabiliter pergit cum aliis in choro psallere, postea horam, seu partem horæ omissam recitaturus: laudabilius enim est, statim cum choro psallere, & se illi conformare, quam velle prius supplere, & interim chorum obsequio suæ vocis defraudare. Navarrus, Toletus, Sa, & alii cum Layman *lib*. 4. *tract*. 1. *cap*. 5. *n*. 7. Spor. *loc. cit. num*. 132. & *seq*. La Croix *lib*. 4. *n*. 1309. Item si quis non habeat lectiones ad manum, potest interim licite recitare psalmos Matutini, & Laudum, & etiam reliqua quæ habet, lectiones postea recitaturus. *Communis* cum supracitatis. Item si quis in itinere, vel alibi, ubi non potest commode expectare, non habeat Breviarium, sed solum diurnale, potest licite sine omni scrupulo interim recitare horas minores, postea matutinum recitaturus. *Communis*, cum supradictis. Item si quis ab amico, vel alio alicujus auctoritatis invitetur ad secum recitandas Horas minores, cum ipse nedum recitarit matutinum, tunc si hoc negare non possit absque sui periculo, seu aliqua nota saltem inurbanitatis, poterit licite cum ipso minores horas recitare, postea matutinum recitaturus. *Communis*, cum supracitatis. 5

6 Qui absque rationabili, & justa causa incipit Officium sequentis diei, nondum finito Officio præsentis diei, v. gr. nondum dictis vesperis, & com-

completorio, recitat matutinum diei sequentis, peccat venialiter, quia licet ex illis non fiat unum Officium, nec videantur inter se habere ordinem tamen voluntas Ecclesiæ est, ut prius persolvatur obligatio hujus diei, quam inchoetur alterius. *Communis*, cum Suarez *de Oratione lib. 5. cap. 24. n. 3.* Sporer *loc. cit. num.* 134. Si autem id fiat ex rationabili, & justa causa, non peccatur nequidem ve-
7 nialiter. *Communis*, cum supracitatis, & aliis. Hinc si quis timeat sibi lucem diei defuturam pro matutino, potest ipsum licite prius recitare, nondum persolutis horis præsentis diei, quas memoritér sine indigentia lucis potest recitare, dummodo non sibi suppetat modus habendi aliud lumen; Et universaliter omnis causa sufficiens ad inversionem inter horas unius diei est sufficiens etiam hic. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 666. La Croix *loc. cit. numer.* 1315. Sporer *loc. cit. numer.* 234. & alii passim.

8 An autem sit, & quod peccatum, matutinum, & laudes non recitare ante celebrationem Missæ? Vide verb. *Matutinum a n.* 19. *ad* 23.

9 Tempus pro absolvendo toto divino Officio a matutino ad completorium ex primæva institutione incipit a media nocte præcedenti usque ad mediam noctem sequentis diei.

10 At vero ex communi, & jam recepta apud omnes consuetudine potest nunc licite anticipari, & recitari matutinum cum laudibus vesperi pridie; sic docente praxi communi, & tenente Communissima Doctorum cum S. Thoma *Quodlibet.* 5. *cap.* 8. ubi hujus praxis, & introductæ consuetudinis congruam hanc reddit rationem: *Quia solemnitas diei sequentis a Vesperis incipit, ideo merito casus obtinuit, ut post publicum Officium, vesperas, & completorium a meridie ordinarie in Ecclesiis jam persolutum ante horam quartam, deinceps preces nocturnas inchoare liceat.*

(*) Sive ut ejus verbis in resp. ad 1. utar „ Quantum ad contractus, & alia hujusmodi dies incipit a media nocte; sed quantum ad Ecclesiasticum Officium, & solemnitatum celebritates incipit dies a vesperis. Unde si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat matutinas, jam hoc pertinet ad diem sequentem „.

11 Quanam autem hora vesperi pridie inchoari possit matutinum, habetur in tabella, quæ singulis annis in Kalendario, seu directorio dari solet, & ubi non detur, potest observari tabella, quæ anno 1706. prodiit Romæ typis Cameræ Apostolicæ, & traditur a La Croix *lib.* 4. *post num.* 1314. Per
12 unicam tamen recitationem matutini, & laudum non potest satisfieri obligationi pro hac die præsenti, & pro die sequenti, ut clare patet ex propositione 35. inter merito damnatas ab Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 1666. ibi: *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastina.*

13 Tempus statutum & habile pro implendo toto divino Officio unius diei terminat in media nocte
14 sequenti. *Communis*. Hinc, tali tempore elapso, cessat obligatio Officii recitandi illa die, & si nondum fuerit ei integraliter satisfactum, non potest amplius statim transacta dicta media nocte satisfieri: quia recitatio divini Officii est pensum cujuslibet diei, & ideo terminus diei est, & terminus Officii legendi pro illa die, alias non legeretur totum integrum Officium eadem die. *Communis* contra Leandrum docentem sufficere inchoare Officium paulo ante mediam noctem diei sequentis, & sine interruptione prosequi post mediam noctem, eo quod omnes horæ sequentes efficiant unum totum integrale cum matutino, jam tempore habili incæpto licet transacto.

Tempus proprium pro singulis horis persolven- 15
dis juxta suam primævam institutionem est illud, quod ipsis nominibus horarum præfertur, & in suis respective hymnis indicatur, videlicet matutinum circa mediam noctem, laudes sub auroram, prima ad ortum Solis, tertia tempore medio inter ortum Solis, & meridiem, sexta in ipso Meridie, nona tempore medio inter meridiem, & Solis occasum, vesperæ ad Solis occasum, completorium sub crepusculum nocturnum. *Communis*.

Cum autem hæc originaria distributio ob huma- 16
nam fragilitatem, & multiplices occupationes jam dudum abierit in desuetudinem fere apud omnes (paucis rigidioribus, & observantioribus Religiosis exceptis) jam receptissima facta est consuetudo, ut tempus proprium, & accuratum habeatur pro matutino, & laudibus a pridie vesperis usque ad horam post ortum mane Solem, pro prima a tempore auroræ usque ad II. pro tertia ab ortu Solis usque fere ad meridiem, pro sexta, & nona etiam fere usque ad meridiem. Pro vesperis extra Quadragesimam a meridie usque ad occasum Solis, in Quadragesima autem (exceptis tribus primis diebus, & Dominicis) ante meridiem, & prandium. Pro completorio a tertia hora post meridiem usque ad mediam noctem.

Vesperæ tamen possunt licite sine ullo peccato 17
privatim recitari post prandium etiam in Quadragesima, quia Rubrica, & c. *Solent* 49. *dist.* 1. *de consecratione*, si quod continet præceptum, obligat solum respectu Officii publice recitandi in choro. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *n.* 688. Burg. *Centur.* 3. *cas.* 83. Lohn. *part.* 4. §. 10. *n.* 4. La Croix *l.* 4. *n.* 1316. cum Gavant. Sanchez, & Stoz *ibi citatis*, Sporer *loc. c. n.* 144. cum Bonartio, & Escobar *ibi citatis*, Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 6. *dist.* 1. *q.* 6. *nu.* 73.
& alii. Immo congruentius est nunc secundum 18
multos vesperas privatim recitare etiam in Quadragesima post prandium, quia ideo primitus recitabantur ante prandium, seu cœnam, ne nimis diu differrentur, cum tunc solum vesperi cœnaretur, *c. Solent* 49. *dist.* 1. *de consecrat.* quæ ratio nunc amplius non militat, quia pia mater Ecclesia ob corporis, & naturæ semper magis declinantis infirmitatem, refectionem illam tamquam prandium sumi indulsit in meridie, retento nomine cœnæ, statuitque, ut in Quadragesima vesperæ dicantur ante ipsam refectionem meridianam, cœnam adhuc nuncupatam ob memoriam antiquitatis, & ordinavit, ut pro benedictione mensæ dicantur preces, ut in cœna: Unde cum ad conservandam dictam memoriam antiquitatis sufficiat publica recitatio Vesperarum in choro, congruum, & congruentius erit

erit privatim recitare vesperas suo congruo tempore, scilicet a meridie usque ad occasum Solis, uti recitantur extra Quadragesimam. Sic ex Bellarmin. Tamburin. *in Decalog. l. 4. c. 5. §. 4. n. 4.* La Croix *l. 4. n.* 1316. & alii, quibus etiam favent Gobat *loc. c. n. 688.* Sporer *l. c. n.* 144. Bonartius, & Escobar apud ipsos, & alii docentes nullam adesse obligationem recitandi vesperas privatim ante prandium, seu cœnam in Quadragesima.

19 Pro publica recitatione horarum in choro servanda sunt tempora consueta Ecclesiarum etiam sub mortali, nisi interdum adsit justa, & rationabilis causa differendi, seu anticipandi, Sporer
20 *l. c. n.* 144. & alii passim. Pro privata tamen recitatione non sunt servanda sub mortali tempora statuta singulis horis. Unde quamvis notabiliter etiam sine ulla causa anticipetur, vel posticipetur talis privata recitatio, secluso scandalo, & contemptu, non est peccatum mortale, sed solum veniale: dummodo totum Officium quacumque hora diei recitatum sit absolutum ante mediam noctem sequentem. *Communis.*

21 Immo, aliqua justa & rationabili interveniente causa, neque veniale erit non servare statuta tempora in recitatione privata. *Communis.* Causæ au-
22 tem justæ, & rationabiles, ob quas potest licite anticipari vel posticipari privata Horarum recitatio, sunt v. g. concio, vel lectio paranda, major commoditas studendi, major devotio, periculum impedimenti obventuri, iter obeundum, & hujusmodi. Sic Doctores passim cum Gobat *loc. c. num.* 681. Sporer *loc. c. num.* 146. La Croix *loc. cit. n.* 1313.

23 Recte tamen monent Doctores, quod aliqua justa & rationabili interveniente causa non recitandi privatim horas statis temporibus, melius & consultius esset anticipare, quam posticipare, seu postponere, nam, ut inquit Hugo a S. Victore apud Sporer *loc. cit. num.* 146. *Ante horam orare providentiæ est, post horam negligentiæ, in hora obedientiæ.* Pro majori vero securitate Patres undequaque præstantissimæ Societatis Jesu fruuntur privilegio Apostolico expresso his verbis apud Gobat *loc. cit. num.* 681. ibi; *Ratione itineris, aut alterius occupationis quando creditur, quod cum majori devotione dicetur divinum Officium, potest illud a nostris recitari mane totum usque ad completorium.* Uti concessum fuisse Fratribus Minoribus refert *in compendio privilegiorum Fratrum Minorum verb. Officium divinum tertio, Capuccini Annotatio litt. B.*, ibi: *Possunt etiam Fratres Minores, qui ad horas Canonicas tenentur, sine scrupulo ratione itineris, vel alterius honestæ occupationis, quando creditur, quod tunc majori devotione Officium recitabunt, dicere matutinum vespere ante Solis occasum, vel mane totum usque ad completorium inclusive. Ita concessum est per S. Pium V. Minoribus, ut refertur in compendio Societatis Jesu verb. Horæ Canonicæ §. 2. & in manuscript. privileg. Minorum fol. 79. pag. 2.*

24 Qui tamen non habent, nec participant simile privilegium, nec aliquam habent justam, & rationabilem causam horas anticipandi, vel posticipandi, debent pro viribus quaslibet horas etiam privatim statis temporibus recitare, semper præ mente habendo, quod referunt Joannes Andreas, & Abbas Panormitanus *in cap. 1. de celebratione Missarum*, & ex ipsis Gobat *loc. cit. sub n.* 681. ibi: *Angelus Dei sanctum quemdam Eremitam cibis deficientibus alebat, & tempore uvarum ipsi quandoque marcidas portabat. Interrogatus Angelus ab Eremita quæ sit tantæ diversitatis causa? Respondit Angelus, quod bonas portabat, quando dicebat Officium horis competentibus, agrestes vero, quando anticipabat horam dicendi Officium, marcidas, quando differebat ultra debitam horam, & hoc ideo, quia Eremita non occupatur aliis exterioribus.*

Insuper attentius reflectere debent, quod ex 25
Bzovio *ad annum Christi* 1062. refert Monacell. *tom. 2. tit. 16. formul. 1. num. 6.* de Beato Peregrino Archiepiscopo Coloniensi, qui post mortem cuidam Clerico illius Ecclesiæ apparens, dataque manu, tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ dissuerentur, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus... *Cur te pestilens vorago constringit?* Respondit... *Nil in me remanet ultione plectendum præter hoc tantum, quia dum in aula Regia constitutus, Imperialibus consiliis me vehementer applicavi, Canonicæ Synaxis Officia per distincta horarum spatia non persolvi; mane quippe omnia coacervans, simul tota die negotiis ingruentibus sæculari libertate vacabam, ob hanc itaque negligentiam, ardoris hujus fero supplicium* (hoc est in Purgatorio.) Hactenus Monacell. *ubi supra.*

Officium divinum in cathedralibus, Collegiatis, 26
& Ecclesiis Regularibus choro addictis recitandum est publice in Ecclesia, seu choro, *cap. 1. de celebration. Missarum, & Clement. 1. eod. tit.* Quosnam autem concernat obligatio recitandi in cho- 27
ro, seu Ecclesia? Vide *supra art. 1. n. 41. & 42.*

Canonici tenentur recitare Officium in choro, 28
nec ipsis potest Episcopus concedere, ut officient in sacristia. *Sac. Congr. Episcop. in Segnina 12. Januarii 1604.* Potest tamen aliquando ex causa, ve- 29
luti ob frigus, seu nimium calorem extra chorum arbitrio Episcopi recitari divinum Officium in diebus ferialibus, in diebus vero festivis omnino recitandum est in choro. *Sacra Rit. Cong. in Lunen. Sarzanen. 5. Mart.* 1633. Hinc tolerandum est, 30
quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus matutinum in sacristia. *Sacra Congreg. Episcop. in una S. Severini 13. Septembris* 1641. Apud Nicolium *in Flosculis verb. Officium num.* 19.

Privata horarum recitatio fieri potest in omni 31
loco honesto, juxta illud *Psalmi* 202. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino: Communissima.* Immo Sanchez *in consil. lib. 7. cap. 2. dub. 44.* Angles apud ipsum, Trullenchus, Cara- 32
muel, & alii apud Dianam *part. 20. tract. 11. resolut. 33.* Sporer *loc. cit. num.* 148. La Croix *lib. 4. num.* 1320. & alii contra Sotum, Navarr. Bonacin. Castropal. & alios excusant a peccato etiam veniali recitantes horas privatim etiam in locis sordidis, & immundis, etiam dum ventrem, (+) seu naturam

(+) E.R. Potuisset L. Ferraris ab hac exagitanda controversia abstinere.

ram exonerant, quia, dicunt ipsi, potest ibi mente orari, ergo & voce, nec de se est irreverentia: Deus enim ubique a se ipso, & Angelis laudatur, & oratio dirigitur ad Deum sine ullo speciali respectu ad locum. Ego autem non auderem a veniali excusare eum, qui potens horas Canonicas recitare in loco honesto, sine necessitate eas recitaret in dictis locis sordidis, & immundis. Unde Tamburinus *lib.*2. *Decalog. cap.*5. §. 6. *num.*2. refert ex Molfesio quemdam, qui in locis immundis orabat Officium, in iisdem post mortem luisse pœnas. Audi ipsum Tamburin. sic ibi loquentem: *Si locus ejusmodi sordidus sine delectu eligatur ad horas recitandas, aliasve preces, cum potest mundior eligi, aliquam irreverentiam committi probabile est; At si semel casu, vel ex aliqua occasione in loco immundo reperiaris, orato libenter, quia etiam in loco sordido orare est melius, quam otiosum esse. Molfesius refert quemdam, qui in locis immundis orabat Officium, in iisdem post mortem luisse pœnas; merito, is enim non ex amore non cessandi a Dei laudibus in quocumque loco, sed fortasse temere, & sine delectu, cum alibi facile potuisset, in locis sordidis sacrum pensum persolvebat.*

33 In choro, & publica recitatione divini Officii servandus est situs, & habitus corporis, stando, sedendo, genuflectendo præscriptus in Rubricis, & hoc sub veniali propter uniformitatem, quam non servare in publica recitatione divini Officii parit aliquale scandalum; Henno *tom.* 1. *tract. in Decalog. disput.* 1. *quæst.* 3. *art.* 6. *conclus.* 1. Navarr. *de Oratione cap.*4. Suarez *de Oratione lib.*4. *cap.*27. *num.*2. & alii, quibus consentire videtur La Croix *lib.*4. *num.* 1321. ubi ait, quod, quando Navarrus dicit peccari venialiter, si id non observetur, loquitur de oratione publica in choro, in quo peccatur venialiter potius ratione scandali, quam cæremoniæ prætermissæ; Unde ipse cum Tolet. Filliuc. Bonacin., Bass., Reginaldo, Castropalao, & aliis *ibi citatis* vult, quod sedere, cum standum, vel genuflectendum est, per se loquendo non sit peccatum, quia Rubrica solum consilium dat (*) ad majorem devotionem, & reverentiam habendam.

34 In privata horarum Canonicar. recitatione, quamvis optimum, & laudabilissimum sit se uniformare laudabilibus ritibus, & consuetudinibus observatis in publica recitatione chori pro diversis divini Officii partibus stando, genuflectendo, sedendo; tamen absque ullo peccato potest quilibet divinum Officium persolvere, sive ambulando, prout ei libuerit. *Commun.*

35 Canonici in choro, vel in Ecclesia divinis Officiis interessentes sine habitu canonicali, & superpelliceo, debent punctari; *Sacr. Rit. Congregatio in Lunen. Sarzan.* 3. *Mart.* 1633. apud Sellium *in Selectis Canonic. cap.* 3. *n.* 107. & Barbos. *in Summ. Apostolic. dec. verb. Canonici in Choro num.*15.

36 Qui recitat matutinum pro feria secunda sequenti ante Solis occasum diei Dominicæ, non debet genuflectere ad antiphonam finalem B.M.V. Gavant. *de fin. Officii cap.* 22. *num.* 18. debet tamen genuflectere si illud recitet post occasum Solis, quia ritus standi incipit a primis vesperis Dominicæ non a media nocte, adeoque desinit in occasu solis ejusdem Dominicæ more indulgentiarum. Idem *ibidem*.

Attendenda est decisio controversiæ inter Episcopum, & Capitulum cathedralis Papiensis edita a Benedicto XIII. 8. Julii 1726. Prætendente enim dicto Capitulo sine petitione necessariæ licentiæ Episcopi uti indulto sacræ Congregationis Concilii, quamvis remisso ad arbitrium Episcopi, recitandi certis anni temporibus matutinum post completorium, & contradicente Episcopo, nunc Archiepiscopo, tandem dicta controversia extincta & decisa fuit die, & anno quo supra a Benedicto XIII. per suum speciale Breve relatum a laudato Card. de Lambertinis, post felicis recordationis Summo Pontifice *loc. cit. Volumine* 5. *Notificatione* 19. §.4. *his verbis*: Quod igitur Dignitates, & Canonicos illos primum a beneficio ad mensem, deinde a divinis suspenderis, eo quod matutinum Officium te contradicente, ac vetante recitare ausi fuerint post vespertinas horas antecedentis diei obtentu interpositæ appellationis, & rescripti venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, laudamus consilium, zelumque fraternitatis tuæ &c. Propterea cum ex antedicta matutini Officii recitatione ansam repugnandi arripuerint Canonici, per præsentes etiam litteras declaramus, tuæ auctoritatis hactenus fuisse, semperque fore decernimus, potestatem iisdem Canonicis facere, sive licentiam impertiri, quoties, & quamdiu tibi opportunum videbitur, antevertendi, statutis recitationis temporibus. 37

Articulus V.

Quoad ea, quæ concernunt causas excusantes, vel non, a recitatione divini Officii.

A Recitatione divini Officii excusat in primis impotentia quæcumque physica, vel moralis. *Communis*, *arg. l. Impossibilium* 185. *ff. de Regul. juris*, *cap. Nemo potest* 6. *de Regul. juris. in* 6. 1

Hinc, qui inculpabiliter caret Breviario, vel quia ipsum in itinere perdidit, aut ei furto sublatum est, vel incendio, seu naufragio consumptum, excusatur a recitanda illa parte divini Officii, quam sine Breviario recitare non potest. *Communis*. Non excusatur tamen a recitanda illa parte, quam recitare potest ex Diurnali habito, vel memoriter tenet; Unde tenetur ad recitandos psalmos, & alia, quæ memoriter scit, licet ignoret, aut non habeat lectiones, & similia quia præceptum de recitandis horis Canonicis, cum sit virtualiter multiplex, 2 3

(*) Non consilium, sed præceptum illa Rubricarum sanctio continet: itaque peccat qui ipsam etiam secluso scandalo non servat.

tiplex, est divisibile, afficitque singulas partes. Henno *tom.* 1. *disp.* 1. *qu.* 3. *art.* 3. *concl.* 2. Sporer *loc. cit. num.* 152. La Croix *lib.* 4. *num.* 1220. Cardenas *ad prop.* 54. *ex damnatis ab Innoc. XI. cap.* 4. *n.* 39. Viva *ad eamdem proposit. n.* 13. & alii communius & probabilius, *arg. cit. propos.* 54. *ex damnatis ab Innoc. XI. die* 2. *Mart.* 1679. ibi: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* (*)

4 Sic cœcus excusatur a legenda, seu recitanda illa parte Officii, quam non potest, nec memoriter scit. *Communis*.
5 At vero non excusatur a recitanda illa parte, quam memoriter tenet. Sic *Communis & probabilior sententia*, cum supracitatis Doctoribus.

6 Qui ob cœcitatem, vel aliam causam non potest Officium recitare solus, tenetur ipsum recitare cum socio gratuito, vel sponte se offerente, sive antea solitus fuerit uti socio, sive non; Ita (contra Sanchez, & quosdam alios docentes nequidem teneri admittere socium se se ultro offerentem, & contra Lessium, & quosdam alios asserentes non obligari, nisi antea soleret uti socio) Henno *loc. cit. concl.* 2. Sporer *loc. cit. n.* 181. ubi testatur sic tenere omnes alios communiter, quia talis adhuc potest facile satisfacere suo Officio; adeoque tenetur.

Si autem sit beneficiatus, tenetur eo casu non 7
solum recitare cum socio se ultro offerente, sed insuper ipsum quærere, quia Beneficiatus ratione beneficii strictius obligatur ad recitationem Officii, quam alii, cum obligetur ex justitia, ut possit percipere fructus beneficii, adeoque strictius, quam alii obligatur adhibere media congrua, uti est socium quærere pro recitando Officio; Navarr. *De Oratione cap.* 11. *num.* 13. Henno *loc. cit.* Suarez, Vasquez, Azorius, Reginald. Layman, & plures alii cum Bonacin. *disp.* 1. *de Horis Canonicis qu.* 6. *prop.* 1. *n.* 8. & Sporer *loc. cit. num.* 182.

Immo beneficiatus, si habeat beneficium satis 8
pingue, tenetur eo casu, non solum quærere socium, sed etiam ipsum pretio conducere pro recitando Officio, quia, ex quo obligetur ex justitia ad dictum Officium, propter quod fructus pingues recipit, tenetur partem ipsorum expendere in conducendo socio pro adimplendo tali debito, cum sic commode possit habere medium ad suam obligationem adimplendam, a qua non excusatur, nisi ratione magni incommodi. Suarez, Molfesius, Castropal. citati, & secuti a Sporer *loc. cit. num.* 183. Bonacina *loc. cit.* cum pluribus aliis ibi adductis, Henno

Nota Romani Theologi.

(*) Si damnata ab Innocentio XI. est propositio, quæ asserit, non teneri ad recitandam partem, qui totum persolvere nequeat officium, non solum communior, & probabilior, sed omnino certa est sententia, quæ ait teneri virum Ecclesiasticum ad recitandam partem, quam possit, dum nequeat integrum recitare. Atque hanc adnotationem subnectendam duximus, quia secundum Luciana, & probabilistica principia licitum est sequi opinionem minus probabilem, ut ex *art. de Conscient.* liquet; ergo liceret etiam ea stabilita hypotesi opinionem illam sequi, quæ a recitanda officii parte hominem absolvit, non obstante Pontificia definitione; Vides ergo consecutiones, quæ ex probabilistarum principiis oriuntur.

Responsio Auctoris.

(*) Nequaquam ego trado ut communius & probabilius, quod est damnatum expresse ab Innocentio XI. *in propositione* 54. ex *damnatis ab ipso*; sed contra, assero quod sit communior, & probabilior opinio illorum, qui docent teneri ad recitationem minoris partis divini officii eum, qui non potest recitare majorem, contra eos qui adhuc post damnatam propositionem defendunt contrarium, sustinentes, suam assertionem non contineri neque virtualiter in dicta damnata propositione; nam dicunt ipsi, ut propositio maneat virtualiter damnata ex illatione, debet illatio esse evidens; ex hac autem sententia non infertur evidenter propositio damnata, quia Auctores hujus sententiæ assignant manifestum discrimen; nam præceptum Officii Canonici continet materiam dividuam, quæ dividitur in septem horas Canonicas, at vero præceptum, ut terminatur ad unam horam, v. gr. primam, quum terminatur ad primam, ut primam, præceptum illud continet materiam individuam, & quum una pars primæ minor medietate, non sit absolute prima, non censetur moraliter ea minor pars; adeoque &c. Tum quia, dicunt dicti Auctores, si v. g. ex prima Dominicæ essent lacerata duo folia, non esset obligatio illam exiguam partem recitandi; sic nec etiam si quis in matutino feriali haberet psalmos, sed non lectiones; Item nec si haberet omnes psalmos omnium horarum, non autem hymnos, capitula, antiphonas, & orationes; Item nec si memoriter sciret omnes psalmos, & carens Breviario & diurno nesciret hymnos, capitula, & orationes, teneretur ad recitandos illos psalmos, quia ut sic, psalmi illi non sunt matutinum, nec integra hora, cum hæc constet psalmis, antiphonis, versiculis, lectionibus, & responsoriis, quæ videntur indivisibiliter præcipi, ita ut præceptum respiciat omnia illa per modum unius, & sine illis non videtur esse forma, & substantia talis horæ a S. Pio V. præscripta; quas rationes, & alias etiam post damnatam propositionem ab Innocentio XI. non pauci Auctores, ut eruditis compertum, judicant adhuc probabiles. Ego vero assero, communius & probabilius esse contrarium *arg. cit. propos.* 54. ex damnatis ab Innocentio XI. non autem quod communius & probabilius sit id, quod certissime damnatum est ab illo Pontifice; ut injuria mihi atque falso appingitur.

Henno *loc. cit.* & alii contra Sanchez, Dianam,
Tamburinum, & Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 713.
volentes, beneficiatum non obligari socium pre-
tio conducere, eo quod hoc medium sit nimis
9 extraordinarium. Qui Breviarium voluntarie, &
sponte abjecit, vel combussit, vel alias culpabi-
liter caret, tamdiu remanet obnoxius peccato mor-
tali omissionis divini Officii, quamdiu de culpa
commissa non pœnitet, nec propositum satisfa-
10 ciendi suo Officio concipit. *Communis*. Post-
quam autem pœnituit, & propositum satisfacien-
di quamprimum poterit, concepit, tunc deinceps
omissio divini Officii non imputatur amplius ei
ad culpam, quamdiu aliud Breviarium habere
non potest; quia ex tunc omissio cessat esse vo-
luntaria, tam in se, quam in sua causa; & ipsi
pro tunc est impossibilis recitatio; Ad impossibi-
le autem nemo obligatur, *l. Impossibilium* 185. *ff.*
De Regul. juris, *& cap. Nemo potest* 6. *de Regul.*
juris in 6. Et sic tenet *Communis Doctorum*, te-
ste Sporer *loc. cit. num.* 152.
11 Infirmitas gravis, ob quam infirmus nequit
recitare divinum Officium sine læsione suæ vale-
tudinis, vel sine incommodo, vel incremento
morbi, excusat a recitatione totali, *Comm. arg.*
12 *cap. Clericus* 2. *dist.* 91. Non sic autem excu-
sat infirmitas levis. Vide verb. *Infirmus num.* 5.
13 Infirmitas impediens infirmum ad recitandum
v. g. solum Matutinum, non excusat ipsum a
recitatione aliarum horarum. Vide *ibid. num.* 6.
14 In dubio, an infirmitas sit gravis, vel levis,
& an infirmus, seu convalescens possit sine gra-
vi nocumento recitare totum Officium, vel par-
tem, standum est judicio Medici, vel superio-
ris, aut viri prudentis, & interdum etiam pro-
prio. Vide *ibid. num.* 7.
Si autem nec supradicti, nec infirmus ipse, 15
possint solvere dubium, sed adhuc illud perma-
neat, tunc non tenetur infirmus tale Officium re-
citare. Vide *ibid. num.* 8. *&* 9. (*)
Regulares infirmi, valetudinarii, senes, aut 16
alias invalidi, quando non possunt, nec sciunt
se determinare, an licite possint totum, vel par-
tem Officii divini omittere, satisfaciunt præcepto,
recitando psalmos, hymnos, Pater, & Ave, aut
alia sibi a suis Superioribus, aut Confessoribus
assignata. Vide *ibid. num.* 10.
Infirmi omnes, qui ex recitatione divini Offi- 17
cii verisimiliter credunt, aliquem dolorem capi-
tis, aut aliquam cruditatem stomachi, vel vi-
rium lassitudinem, aut etiam febrim tardius re-
missuram, excusantur a præcepto illud recitandi;
Vide *ibid. num.* 14.
Immo secundum multos, tales infirmi non te- 18
nentur adhuc ad recitationem Officii, quamvis bo-
nam diei partem confabulationibus expendant,
atque etiam libros recreationis causa legant. Vi-
de *ibid. num.* 15.
Item dum tales infirmi convalescunt, possunt 19
ad aliquos dies differre recitationem divini Officii,
& aliquando incipere prius celebrare, quam reci-
tare illud. Vide *ibid. num.* 16.
Qui ob infirmitatem non possunt horas reci- 20
tare debito tempore, possunt autem commode
sine nocumento valetudinis recitare alio tempore,
ante, vel post, non excusantur a præcepto; Vi- 21
de *ibid. num.* 17. Alii autem sentiunt contrarium;
Vide *ibid. num.* 18.

A reci-

Nota Romani Theologi.

(*) Scimus universim Theologos tradere, piam ac tenerrimam matrem Ecclesiam nolle filios suos notabili periculo exponere, ideoque obligare nolle ad Officium, vel Officii partem, si timeatur recitationem notabiliter nocituram, ne vero tam faciles sint homines ad omittendum officium infirmitatis prætextu, afferre hic placuit S. Caroli Borromæi verba, quæ in IV. Mediolanensi Concilio ab ipso celebrato, reperiuntur: *Meminerit*, inquit, *qui officio adstrictus est*, *si febri*, *morbove aliquo*, *vel adversa valetudine aliquando laboraret*, *non justam propterea excusationem habere*, *quamobrem illud intermittat*, *omittatve*. Ex quibus colligunt eruditi Theologi tamdiu infirmitatem, vel febrim non censeri dispensare ab officio, quamdiu non impedit, ne homo alia sua negocia gravia, atque molesta tractet. Expende itaque, num dispensari ab officio licite possit, qui magnam diei partem in confabulationibus, ac librorum lectione impendere soleat? Is enim facto probat suo, se non ita esse ab infirmitate oppressum, ut recitare officium nequeat sine notabili damno. Atque hinc habes etiam, quam improbabilis sit altera opinio, quam Ferraris tuetur, de convalescente, qui ita officii recitationem differre possit, ut prius valeat incipere sacrum facere, quam officium recitare. In eo enim, qui celebrare possit, non ea virium debilitas esse potest, quæ a recitando officio, præsertim dum in varias illud horas distribuat, ac in distinctis diei horis absolvat, dispensare illum possit. Sed ut hæc clarius intelligantur, placet regulas nonnullas præscribere, quas Tournely continuator exponit. Primo itaque notat, eum, qui totum non posset officium persolvere, teneri ad eam partem, quam recitare potest: hinc damnata fuit ab Innoc. XI. anno 1679. hæc propositio *num.* 54. *Qui non potest recitare Matutinum*, *&* *Laudes*, *potest autem reliquas horas*, *ad nihil tenetur*; *quia major pars trahit ad se minorem*. II. Eum, qui non potest horas legere ipsa accessus die, regulariter teneri ad recitationem aliis diebus, quibus febri non corripitur, quia tunc cessat, aut suspenditur causa non recitandi. III. Longe tutius esse, ut qui prævidet futurum, ut propter febrim, aut aliquod impedimentum, die sequenti recitare non possit, pridie recitet Matutinum, & Laudes: qui enim ad minus aliquod stricte obligatur, eo fungi debet cum potest; atque hanc præveniendi obligationem timoratorum omnium sensus, & usus satis ostendit. Ita auctor Ethicæ amoris *lib.* 10. *cap.* 27. pro se adducens Lessium, Sanchesium, immo & Dianam. IV. Eum, qui non potest solus recitare, teneri socium

22 A recitatione divini Officii excusat omnis superveniens, repentina & improvisa occupatio gravis, & necessaria, seu multum utilis, quæ absque scandalo, aut suo, vel aliorum gravi detrimento omitti non possit, cum qua tamen recitatio Officii in toto, vel parte consistere non potest. *Communis*.

23 Item a recitatione divini Officii excusat caritas, tum propria sui, tum etiam proximi, quando, nisi Officium totaliter, vel partialiter quis omittat, cogitur aliquod grave incommodum adire, vel magnum opus caritatis proximo negare; tunc enim ipse potest tuta conscientia omittere de Officio tantum, quantum erit necesse ad illam. *Communis*.

24 Unde ad hoc juvat hic expresse adducere ad litteram, quæ habet doctissimus Sanchez *lib. 7. Cons. moral. c. 2. dub.* 52. & etiam ad litteram adducunt Gobat *t. 1. tr. 5. n.* 727. & Sporer *loc. cit. n.* 161. ibi: *I. Quando supervenit aliqua occupatio, quæ non potuit præveniri, & nequit prætermitti sine scandalo, aut gravi pœna, aut aliorum jactura, & non compatitur horas recitare, excusat; ut si quis esset per totum diem occupatus in audienda confessione existentis in articulo necessitatis, vel in vitando magno scandalo, vel in componendis gravibus inimicitiis vel rixis ad arma currentium, ita ut tantum superesset temtus ad esum, & somnum. II. Sufficiens etiam causa est ad excusandum, si quis ita esset impeditus circa infirmos, vel aliter, ut nullatenus superesset tempus ad commode recitandum. III. Boni Confessarii, quando magna est pœnitentium copia, vel instat dies ultimus Jubilæi, vel præcepti Ecclesiæ, possunt licite omittere horas, si non possunt recitare, nisi omittendo confessiones quorumdam, qui non consequerentur Jubilæum, vel non adimplerent præceptum Ecclesiæ. IV. Excusatur etiam, vel lecturus lectionem oppositionum, in qua re plurimum interest vel sua, vel Reipublicæ doctum se præbere, si simul recitare non possit. Probantur hæ omnes conclusiones, quia non obligat magis hoc præceptum, quam præceptum audiendi Sacrum; sed hoc potest omitti propter prædictas causas; Item quod pro caritate institutum est, non debet contra caritatem militare*. Hactenus Sanchez probans singula variis auctoritatibus.

A recitatione divini Officii potest excusari concionator non satis paratus, qui debeat in Quadragesima quotidie conciones habere, cum crederet se non quotidie ad ipsas obligandum. Sporer *loc. cit. num.* 262. attestans hunc casum inter excusantes communiter afferri; Et expresse tenet Rossignolus *de ordinibus Ecclesiasticis part. 2. qu. 6. art. 28. num. 23. & sequentibus*. 25

At vero universaliter recitationem Officii esse fere semper incompossibilem cum onere concionandi quotidie, ac proinde communiter excusari tales concionatores, ut scripsit Leander *q.* 37. merito negant ipse Sporer *loc. cit.* & Gobat *loc. cit. num.* 627. *in fine*, asserentes nihil de hac incompossibilitate sciri in Germania, multosque alios operarios in vinea Domini per Europam, & maxime per Indias esse, ac fuisse distentos tantis laboribus ac curis quantis illi concionatores Quadragesimales, & tamen nec suo nec aliorum judicio fuisse exemptos a persolutione divini Officii; Unde justissime ab Alexandro VII. *die* 24. *Septemb.* 1665. fuit inter alias damnata sequens propositio 21. in ordine: *Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi si officium per alium recitet.* 26

In compendio privilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum mendicantium, & non mendicantium verb. *Officium divinum tertio Capuccini Annotatio litt. D.* refert ut sequitur: *Fratres Ordinis prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, & sacræ Theologiæ, ac sacrorum Canonum studiis insistentes ad suam, & animarum fidelium utilitatem, & qui occupantur infirmitate propria, aut infirmorum curatione, satisfaciunt pro horis Canonicis recitantes certum numerum psalmorum per Priorem eis assignandorum numero non minus septem, aut sex cum devotione, aut orationem Dominicam septies, & Symbolum Apostolorum bis; graviter autem ægrotantes orationem Dominicam septies in die recitando septem horis Canonicis similiter satisfaciunt. Ita concessum est* 27

cium sibi adsciscere, si commode possit. Quin & Suarez, Bonac. aliique, quibus adstipulamur, existimant, beneficiatum cœcum v. gr. teneri conducere socium, quo cum recitet, si sufficientes ad hoc fructus ex beneficio percipiat; quia fructus percipit, ut officium persolvat; & per illos sibi comparare potest medium persolvendi.

At, inquiunt, aliqui cum Caramuele, posse officium anticipare, vel officium legere cum socio, gratia est & privilegium; nemo autem privilegio uti tenetur. Sed quis non miretur futilibus hisce cavillis eludi graviora Ecclesiæ præcepta? Anticipatio itaque, & socii usus, sunt privilegia, & gratiæ; eo sensu quod qui aliter facere possunt, ad hæc non teneantur: non autem eo sensu, quod qui nisi anticipet, aut socio utatur, recitare non poterit, vel ab anticipatione, vel a comparando sibi socio, si commode potest, abstinere possit. Idem sentiunt Navarrus, Pontas verb. *Office cas.* 16. Cæterum qui socium habere non potest, eam debet partem recitare, quam memoriter tenet: quia præceptum, quod ex toto non potest, saltem ex parte impleri dedet. Sic qui tota Quadragesima jejunare non valet, aliquot saltem si potest diebus jejunare tenetur: qui ne una quidem die jejunare potest, a carnibus abstinere debet, vel ex toto, vel ex parte, prout sinunt vires. Ex hisce principiis colligunt aliqui, Canonicum surdum, & cœcum, adhuc teneri Choro interesse, ibique mentaliter orare; aut ea, quæ memoriter tenet, secum recitare: quia licet cum aliis canere nequeat, cum aliis Choro interesse potest, & magnum ædificationis exemplum præbere. Vide Navarr. *de Orat. cap.* 19. auctor. *theor. & prax. tom.* 3. *q.* 131. *qui ibid.* docet, eum, qui Breviario careret, nec sciret memoriter, debere id compensare oratione vocali, aut piis meditationibus: quisque enim, inquit, tenetur facere id, quod potest, ut Deo secundum Ecclesiæ intentionem servitium præstet.

est a Clemente VII. Societati Clericorum Sancti Silvestri, & S. Andreæ de Urbe alias Theatini nuncupatorum, & refertur in compendio privilegiorum Sancti Hieronymi Hispan. collecto a Patre Garzia anno 1591. *fol.* 108. §. 70.

28 A recitatione divini Officii excusat metus gravis, ut quando versantes inter hæreticos, vel infideles, seu per eorum loca transeuntes ex recitatione horarum prudenter timent grave malum, seu notabile damnum in propriis, vel alienis bonis, puta jacturam vitæ, vel fortunarum: Leges enim Ecclesiasticæ non obligant cum tanto periculo. *Communis.* (*a*)

29 A recitatione divini Officii excusat legitima dispensatio, seu privilegium. *Communis.*

30 Privilegium, & legitimam dispensationem non recitandi Officium concedere potest omnibus etiam Beneficiatis Summus Pontifex. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 729. Sporer *loc. c. num.* 166. La Croix *lib.* 5. *n.* 1233. & communis aliorum, *arg. cap. Proposuit* 4. *de concessione præbendæ.*

Episcopus, quamvis per se jure ordinario nequeat talem concedere dispensationem, cum inferior nequeat per se loquendo relaxare legem Superioris, *c. Inferior* 4. *dist.* 1. *cap. Cum inferior* 16. *de majorit. & obedient. & Clemen. Ne Romani, de election.* Tamen ex consuetudine jam ubique recepta potest Episcopus ob rationabilem causam valide, & licite suis subditis dictam dispensationem ad breve tempus concedere. Tamburin. *lib.* 2. *decalog. cap.* 5. §. 8. *num.* 24. Sporer *loc. cit. num.* 167. La Croix *loc. cit.* Gobat *loc. cit.* & alii passim. (*b*) 31 32

Quam

Notæ Romani Theologi.

(*a*) Non adeo facile probantur Censoribus, quæ circa finem *n.* 24. *n.* 26. 27. & 28. confidenter a Lucio nostro afferuntur. Neque enim sufficiens esse videtur excusandi ab officii recitatione titulus lectio oppositionum, dum plurimum intersit homini se doctum præbere. Cavendum enim hic est, ne susceptum aut privatæ utilitatis causa, aut captandæ apud homines gloriolæ studium, causa sufficiens habeatur quæ a recitationis onere homines eximat; plus enim interest hominem Ecclesiæ parere, obligationibus proprii status satisfacere, ac per ea, quæ Ecclesiæ judicio præscripta sint, ut apta media ad debitam proprii status perfectionem procurandam, ad hanc perfectionem tendere, quam se doctum ostendere; præsertim cum ostentatio hæc, aut vana gloria sit, aut inanis gloriolæ fomentum: quæ duæ res abesse omnino debent ab homine in Dei sortem vocato, Deoque consecrato. Ad concionatores quod adtinet; primum, non subsistit privilegium quod *n.* 27. decantatur: deinde etsi a Leandro, aliisque a Ferrario citatis, ii a recitatione excusentur, quibus felix saltem memoria concessa non sit; tamen novum hoc dispensationis genus, inquit Tournely continuator, nescierunt Apostolici viri, ut Franciscus Salesius, & Franciscus Xaverius, qui nunquam uti voluit licentia sibi per Romanum Pontificem facta recitandi Breviarium solito brevius; nesciunt etiam hodie qui Deum timent. Ex eo autem quod concionatorum quidam tardioris sint memoriæ, id unum sequitur eos ocyus, & diutius studium amplecti debere. Affertur tamen casus, in quo possit aliquis studium officio præponere, puta si cras concionem habere debeas in die admodum solemni, eamque sine notabili cum tui infamia, tum affluentis populi murmure, & scandalo omittere non possis, & ipsam ob gravia quibus obrutus es negotia memoriæ mandare non potueris, nec mandaturus sis, si officium recites. Et is quidem casus satis est metapysicus, cum vix concipi possit, quo pacto parum illud temporis, quod ad privatam officii lectionem sufficit, ita concionis studio sit necessarium, ut alioqui concio memoriæ committi nequeat. *Num.* 28. dum excusantur ob metum gravem inter hæreticos degentes, addendum est: modo occulte, vel memoriter nequeant recitare. Nam ita recitando cessat periculum; ex quo metus ille ortus statuitur.

(*b*) Falsum est ex consuetudine ubique recepta Episcopos ab officio persolvendo dispensare homines solere; ac multo magis falsum est, posse id vicarios generales, vel Regularium Superiores; satis enim nota nobis res est, pro hujusmodi dispensationibus ad solum Romanum Pontificem recurrendum esse, ac recurri solere; Romanum vero Pontificem Episcopi informationem exposcere, vel aliorum Superiorum, ut petitioni indulgeat. Nec Romani & Itali tantum Theologi ita sentiunt, sed etiam inter Gallos doctiores. Audiatur Cont. Tournely, qui laudat etiam Pontasium; Episcopi, inquit, ab officii recitatione dispensare non possunt; quia inferior in lege superioris non dispensat, nisi de ejusdem consensu: porro Ecclesia, Romanusve, Pontifex, nullibi leguntur hujusce dispensationis facultatem Episcopis concessisse.

Responsio Auctoris.

Falsum, hic pronunciat *R. Theologus*, ex consuetudine ubique recepta Episcopos ab Officio persolvendo dispensare homines solere; ac multo magis falsum, posse id vicarios generales, vel Regularium Superiores. Et tamen ultra citatos a me auctores, id asserit etiam eruditissimus P. Antoine *tract. de virt. Religion. cap.* 1. *n.* 4. ubi hoc habet: *Aliqui docent ex usu ubique recepto Episcopos & Superiores Ordinum posse dispensare cum suis subditis ad breve tempus, in dubio de morali impotentia recitandi*; quibus ipse assentitur subdens: *Et hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates & impediendum grave nocumentum.* At tanto auctori *Theologus* noster satis superque fidit; ipsiusque Theologiam moralem prout jacet cum dicta conclusione, tanquam suam jam bis Romæ typis tradidit.

33 Quam licentiam concedere posse etiam vicarium Episcopi tenent Gobat *loc. cit. n.* 714. *&* 729. La
34 Croix *loc. cit.* & alii. Rationabilis autem, & justa causa est, si dubitetur de morali impotentia recitandi. La Croix *loc. citato*; & alii passim.

35 Superiores Regulares etiam locales dispensare possunt valide, & licite ob justam, & rationabilem causam cum suis subditis. *Communis*. Sic enim habent ex variis Apostolicis Privilegiis, ut patet *in compendio privilegiorum Fratrum Minorum*, *verb. Officium divinum primo n.* 10. & verb. *Infirmi Fratres n.* 6. 8. *& seq.* & dictum est *supra nu.* 16. *&* 17. & habetur etiam *in compendiis privilegiorum aliarum Religionum*.

36 Disparitas autem est inter dispensationem concessam a Papa, & dispensationem concessam ab aliis, quod dispensatio concessa a Papa sine causa sit valida, licet illicita (*a*); dispensatio autem concessa ab aliis sine causa, nec sit valida, nec licita; Henno *tom.* 1. *tract.* 1. *in Decalog. disput.* 1. *quæst.* 3. *art.* 10. *concl.* 1. & alii communiter.

37 A recitatione Officii excusatur etiam Beneficiarius, qui sine sua culpa privatur ad tempus notabile fructibus sui beneficii; Dummodo nec sit Religiosus Professus, nec Sacris initiatus; *arg. cap. Quia* 15. *de Rescriptis in* 6. Cum enim ibi dicatur, quod propter Officium datur beneficium, sequitur, quod cessantibus, sine culpa Beneficiarii, fructibus beneficii, non teneatur Beneficiarius ad Officium, cum cessante causa cesset effectus; *cap. Cum cessante* 60. *de appellation.* Tum quia, si justum est, ut ille, qui altari inservit, de altari vivat, *ex cap. Cum secundum Apostolum* 16. *de præbendis*; ita etiam justum est, ut qui de altari non potest vivere, altari non teneatur inservire; Henno *loc. cit. conclus.* 5. & alii passim.

38 Impeditus recitare Officium statis horis, vel temporibus tenetur anticipare, vel postea supplere, quia præceptum de Officio persolvendo non urget solum suis correspondentibus horis, sed incipit a media nocte antecedenti, seu ex consuetudine a vesperis pridie, & substantialiter durat tota die usque ad mediam noctem sequentem, ut dictum est *supra num.* 9. *&* 10. Est enim unum præceptum totius diei, & accidentaliter tantum propter mysteria repræsentata una hora obligat pro hac parte diei, & alia pro alia parte, utique non ad finiendam, sed potius ad augendam obligationem, cum transacta illa hora, adhuc perseveret substantialis obligatio pro tota die usque ad mediam noctem sequentem; *Communis*.

39 Hinc qui mane prævidet, se ob aliquod impedimentum sibi superventurum non posse suo tempore recitare horas pomeridianas; tenetur anticipare, & etiam mane eas persolvere; Sic jam Communior, & sine dubio probabilior, & tutior sententia Doctorum cum Sporer *loc. cit. nu.* 171. Bonacina *de horis Canonicis quæst.* 6. *proposit.* 2. *n.* 2. & alii plurimi apud ipsum Gobat *loc. cit. nu.* 711. Less. Sanchez, Tamburin. Diana, Suarez, & Azor. & alii apud Sporer *loc. cit.* Item qui ob aliquod 40
impedimentum non potuit Officium recitare suis propriis horis, & temporibus, tenetur postea recitare intra eamdem diem; si enim, v. g. non potuit recitare ante meridiem matutinum; & laudes, ac horas minores, tenetur postea recitare quacumque hora potuerit ante mediam noctem; *Communis*.

Qui ob aliquod impedimentum non potest recitare totum Officium, potest autem partem, tenetur ad illam; *Communis*, *argum. cit. proposit.* 54. *ex damnatis ab Innocentio XI. adducta supra n.* 3. Vide *ibi*. 41

Qui per seipsum non potest ex justa causa recitare Officium divinum, non tenetur illud recitare per alium; *Communis*. Nullo enim Jure constat talis obligatio recitandi per alium; Tum quia obligatio recitandi Officium est personalis, cui proinde per alium satisfieri nequit. Unde jure merito Alexander VII. damnavit inter alias proposit. 21. adductam *supra numer.* 26. 42

Qui uno die sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisit recitare Officium, non tenetur alio sequenti die supplere, seu recompensare; *Communis*. Cum enim onus recitandi Officium qualibet die sit suæ culpæ diei alligatum, transeunte illa die, transit, & cessat etiam obligatio recitandi Officium illius diei, nec potest eidem altera die satisfieri. 43

De causis excusantibus a recitatione publica in choro; Vide *verb. Canonicus art.* 5. *a n.* 33. *ad* 40. & *verb. Distributiones*, *per tot.* ubi abunde assignatur, quibus absentibus a choro debeantur, vel non, distributiones. 44

Recitantes in fine horarum Canonicarum orationem *Sacrosanctæ* &c. consequuntur remissionem culparum in recitatione commissarum, ex concessione Leonis X. Vide verb. *Indulgentia art.* 6. *num.* 11. 45

Officii divini recitatio imposita est Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, expressa lege Ecclesiæ Occidentalis; Benedict. XIV. tom. 1. Constit. 129. incip. *Eo quamvis tempore* §. 43. Similis consuetu- 46
do obtinet in Ecclesia Orientali, eamque legis vim habere decretum est; Idem *ibid.* §. 44. 47

Officiorum divinorum ratio immutari non debet, ubi celebratio dierum festorum transfertur tantummodo pro commoditate populi; Idem Constitut. 138. incip. *Nuper* §. 3. Officia divina in pri- 48
mitiva Ecclesia de nocte celebrari consueverunt; 49
Idem Constitut. 137. incip. *Singularem* §. 6. Sed 50
ea disciplina deinde fuit utiliter immutata; Idem 51
ibid.

Nota Romani Theologi.

(*a*) Cum Summus Pontifex nolle sine causa dispensare sit præsumendus; hinc dispensatio a recitatione officii ab ipso sine causa obtenta, censenda est subreptitia; & per consequens nedum illicita, verum etiam invalida.

ibid. Officia hebdomadæ majoris de die sunt ce-
52 lebranda; Idem *ibid.* §. 1. Officia propria Sanctorum non conceduntur, nisi præcesserit saltem approbatio cultus. Item, si non habeantur gesta authentica; Idem tom. 2. Constitut. 29. incip. *Jampridem*.

53 In Officii divini recitatione pro aliqua morali difficultate dispensanda, commutare potest major Pœnitentiarius. Idem tom. 1. Constit. 95. incip. *Pastor bonus*, §. 30.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

1 Officium defunctorum non prima, sed secunda die Novembris celebrandum est juxta consuetudinem universalis Ecclesiæ; *Sacra Rit. Congregat. in Egitanien.* 23. *Maji* 1603. *in respons. ad dubium* 3.

2 Occurrente festo duplici minori, etiam translato in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Officium faciendum est de Sancto, Missæ vero celebrandæ sunt de Requiem; *Sacra Rit. Congregat.* 5. *Octobris* 1686. Officium enim defunctorum ea die etiam sub ritu duplici celebra-
3 tur. Sub eodemque ritu celebrabitur pariter Officium generalissimum præscriptum *in particularibus Rubricis nostri Breviarii Franciscani sub num.* 9. pro defunctis Fratribus, Sororibus, Patribus, & Matribus, ac Benefactoribus, & illis omnibus, qui in nostris Ecclesiis, seu Cæmeteriis sunt sepulti; Pro quo insimul non erit dies impedita ea, in qua occurrat duplex minus etiam translatum, quia Missæ pari ratione dici poterunt de Requiem ob commemorationem amplissimam, quæ ibi adest sancita; Sic *Rubric. particul. nostri Franciscani Breviarii num.* 32. *Sac. Rit. Congregat.* 5. *Maji* 1736. Vide *Decreta Sac. Congr. Rit.* in nostro tom. 8.

4 Officium, seu Matutinum defunctorum in festo omnium Sanctorum post Vesperas recitandum non est, sed ipsamet die Commemorationis omnium fidelium defunctorum mane recitari debet; *Sacr. Rit. Congregat. sub die* 1. *Septembris* 1607. & 22. *Januar.* 1701. At eadem Sac. Rit. Congregatio sub die 4. Septembris 1745. declaravit, privatam Officii defunctorum recitationem pro generali eorum commemoratione absolvi licite posse post Vesperas festi omnium Sanctorum, in Choro autem juxta Rubricas adimplendam esse mane die 2. Novembris, nisi, ut populi commodius & frequentius illis interesse possint, contraria jam faceret consuetudo. Decretum videsis tom. 8. inter Decreta *Sacræ Rit. Congregationis num.* 1201.

5 Officium defunctorum, & Missa potest cantari in die Dominico, vel festivo pro defunctis, quorum corpora sunt adhuc supra terram; secus, si jam sunt sepulta; *Sac. Rit. Congregat. in Egitanien.* 23. *Maji* 1603. *in respons. ad dub.* 4. & sæpe alibi.

6 Non potest autem Officium & Missa cantari etiam præsente Cadavere, in solemnitatibus primæ Classis, nempe Nativitatis D. N. J. C. Epiphaniæ, triduo ante, & biduo post Pascha, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Corporis Christi &c. Et in die S. Paschæ prohibentur etiam exequiæ, & quodcumque signum defunctionis, ex Decreto *Sac. Congregationis Rituum* 23. *Augusti* 1704. & 1714.

Anniversaria, & Missæ de Requiem relicta ex 7
dispositione testatorum (non autem ad placitum vivorum) cantari possunt, etiamsi occurrant in duplici majori; *Sac. Rit. Congregat.* 22. *Novemb.* 8
1664. Officium, & Missa defunctorum cantari potest cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus Religiosi ordinis, vel provinciæ, etiam in duplici majori; secus vero in festo de præcepto, quia tunc differri debet ad aliam diem simili festo non impeditam; *Sac. Rit. Congreg.* 4. *Maji* 1686. Vide *Rubr. particul. Breviarii Franciscani num.* 47.

Officium anniversarium, vel septenarium, seu 9
tricenarium defunctorum post obitum, si cadet in die Dominico, vel festivo, transfertur ad diem sequentem cum eadem solemnitate; *Sacra Rituum Congreg. in Egitanien.* 23. *Maji* 1603. *in respons. ad dub.* 5.

Officium defunctorum ad consequendas Indul- 10
gentias in Constitutione S. Pii V. concessas debet recitari prima die cujuslibet mensis non impedita festo novem Lectionum; *Sac. Rituum Congregatio in Egitanien.* 6. *Septembris* 1606.

Ad Officium defunctorum non tenentur etiam 11
in Choro illi, qui utuntur Breviario Romano; Talem enim obligationem ab eis abstulit S. Pius V. & eis concessit Indulgent. 100. dierum, si illud recitent; Sic in sua Constitutione incip. *Quod a Nobis* cujus summarium habes *supra verb. Officium Divinum art.* 1. *num.* 10. Tenentur autem ad ipsum 12
Officium defunctorum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quia pro tali die est pars Officii, adeoque cadit sub præcepto etiam privatim: *Communis*.

Non utentes Breviario Bomano, cum S. Pius V. 13
in dicta Constitutione ipsos reliquerit propriis consuetudinibus, & Constitutionibus, tenentur solum Officium defunctorum recitare ad præscriptum 14
earum. Unde in ordine Prædicatorum *dist.* 1. *de Officio Eccles. cap.* 1. *fol.* 14. *col.* 3. *in fine*, adest præceptum recitandi Officium defunctorum in choro semel in hebdomada, quo fit, ut omnes Religiosi Clerici teneantur illud sub mortali semel in septimana publice in choro recitare, vel privatim, si fuerint impediti choro interesse; Sic expresse habet doctissimus P. Donatus ejusdem præstantissimæ Religionis dignissimus filius *prax. rerum Regular. tom.* 4. *tract.* 18. *part.* 45. *num.* 2. Ad dictum autem defunctorum Officium non teneri sub mortali Moniales ejusdem præclarissimi Ordinis, ad longum, pluribus adductis, probat Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *a num.* 469. *ad* 487.

Addenda sunt sequentia decreta tradita, & sci- 15
te commentata ab eruditissimo Cavalieri in Agenda Defunctorum.

Officium defunctorum pro secunda die Novembris 16
potest etiam præsente Episcopo ante Completorium diei festi omnium Sanctorum recitari; *Sacr. Rit. Congreg.* 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

Matu-

17 Matutinum diei commemorationis omnium fidelium defunctorum non potest recitari in choro in die festivitatis omnium Sanctorum post Completorium, sed servandæ sunt Rubricæ; *Sac. Rit. Cong.* 22. *Januar.* 1701. *in una Camald. Montis Coronæ*.

18 Vesperæ defunctorum pro prima die mensis dicuntur post vesperas, etiam Dominicæ, vel festi de præcepto, si accidat; *Sac. Rit. Congregat.* 23. *Maji* 1603. *in Egitanien.*

19 Officium defunctorum non potest dici in semiduplicibus & Officiis novem lectionum, nisi ad effectum dumtaxat satisfaciendi menti Testatorum; *Sac. Rit. Congreg.* 12. *Julii* 1628. *in Januensi*.

20 Officium defunctorum dici potest in Choro separatim ab officio diei in diebus exceptis a Breviario pro adimplenda testatorum voluntate; *Sac. Rit. Congreg.* 12. *Augusti* 1682. *in Tridentina*.

21 Duplicatio antiphonarum præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, & diem depositionis defuncti, fiat in diebus 3. 7. 30. & anniversario; *Sac. Rit. Congreg.* 8. *Martii* 1738.

22 Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium defunctorum, non debet illud dici ut secunda die Novembris omittendo Psalmos post vesperas, & matutinum positos in officio defunctorum; *Sac. Rit. Congreg.* 1. *Julii* 1698. *in Collen.*

23 In Officio defunctorum in vesperis, & laudibus dicendi semper sunt psalmi appositi *De profundis*, *& Lauda anima mea Dominum*, & post vesperas, & laudes omittantur iidem psalmi tantum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depositionis defuncti; *Sac. Rit. Congr.* 23. *Junii* 1736. *in Einsilden.*

24 Psalmi *Lauda anima mea Dominum*, & *De profundis* omittantur in precibus post officium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die obitus, seu depositionis defuncti dumtaxat, cæteris autem diebus semper, & omnino dicantur; *Sac. Rit. Congreg.* 3. *Augusti* 1737. *in Nolana*.

25 Hujusmodi decreta *in Nolana*, *& in Einsilden.* confirmata fuerunt *a Sac. Rit. Congreg. die* 8. *Martii* 1738. & in una Eremitarum Ord. Camaldul. teste P. Merati *tom.* 2. *sect.* 9. *cap.* 2. *num.* 5. *in fine*, & in indice decretor. *num.* 339. Vide decreta *Sacræ Congregat.* in nostro tom. 8.

26 Commemoratio omnium fidelium defunctorum non est celebranda, nec facienda in die Dominico, sed transferri debet in feriam secundam sequentem; *Sac. Rit. Congreg.* 24. *Septemb.* 1605. *in Augustan.*

27 In commemoratione omnium fidelium defunctorum potest fieri Officium de festo duplici minori, sed Missæ sunt celebrandæ de Requiem; *Sac. Rit. Congregat.* 5. *Octob.* 1686. *in una Urbis*.

28 Occurrente duplici minori, seu translato in die commemorationis defunctorum, Officium faciendum est de Sancto, Missæ vero celebrandæ sunt de Requiem; *Sacra Rit. Congreg.* 19. *Junii* 1700. *in Curien.*

29 In die commemorationis omnium defunctorum in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava dedicationis Ecclesiæ, Missæ privatæ dicendæ sunt de Requiem, & cantandæ sunt duæ Missæ conventuales, una scilicet de die octava post tertiam, & altera de Requiem post nonam juxta Rubricas. Quando vero dies octavæ incidit in Dominicam omnes Missæ celebrandæ sunt de die octavæ, & commemoratio omnium fidelium defunctorum transferatur in diem sequentem; *Sac. Rit. Congreg.* 17. *Septemb.* 1696. *in una S. Germani Montis Cassini*.

Jam in omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini post festum omnium Sanctorum 14. Novembris celebratur solemnis commemoratio omnium defunctorum confratrum dicti Ordinis; quid si illa die 14. Novembris alicubi adsit festum duplex translatum, aut occurrens? Eritne ejusmodi duplex ulterius transferendum; vel duplex celebrandum, & tamen peragendum cum officio defunctorum, & dicendæ omnes Missæ pro defunctis confratribus præter unam de festo? Vel eritne Officium alia die dicendum? Et tunc non amplius in celebrando convenient monasteria nostri Ordinis. Sacra vero Rituum Congregatio die 1. Maji 1736. respondit: *Commemoratio omnium defunctorum non est transferenda, sed si die illa occurrat festum duplex minus, seu translatum, fiat Officium de festo duplici cum Missa solemni post tertiam; Officium vero defunctorum recitandum erit post laudes, & omnes Missæ privatæ dicentur pro defunctis in paramentis nigris*. 30

Quando anniversarium seu Officium solemne pro animabus omnium defunctorum Confratrum alicujus Congregationis fit in festo ritus duplicis minoris, potest cantari Missa de Requiem; secus, si occurrat in festo altioris ritus; *Sacra Rit. Cong.* 8. *Martii* 1738. 31

In absolutione in die commemorationis omnium fidelium defunctorum non est dicenda tota conclusio in oratione. *Sac. Rit. Congregat.* 5. *Julii* 1698. *in Collen.* 32

Ubi ex dispositione testatorum singulis diebus canendum est in Ecclesia responsorium pro defunctis, potest quotidie decantari, exceptis festis 1. & 2. classis, & octavis privilegiatis, nec non tota hebdomada majori; in prædictis autem festis 1. & 1. classis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia testatorum voluntas defraudetur, Responsorium prædictum recitetur privatim in choro, absolutis horis canonicis. *Sac. Rit. Congr.* 8. *Julii* 1741. 33

Alia ad rem, vide verb. *Matutinum* num. 14., & in tom. 8. decreta *Sac. Rit. Congregationis*, quæ consule ex eorum proprio Indice. 34

OMEN. Vide verb. *Superstitio num.* 30.

ONYROMANTIA. Vide *ibidem num.* 25.

OPINIO. Vide verb. *Conscientia a num.* 68. *ad num.* 114.

OPINIO PROBABILIS.

1 * AN opinio recentiorum, cæteris paribus, faciat majorem probabilitatem quam antiquorum opinio; 2 an minus communis opinio, dummodo sit probabilis, possit Episcopis legem prudenter, & rationabiliter agendi constituere; 3 & an unius opinio, dummodo sit optima ratione munita, possit communiori præferri; Vide *Leges prudentiæ Episcopalis a Josepho Maria Maraviglia Episcopo Novariensi indictas, atque Innocentio XI. dicatas*, Leg. 167. 312. 304.

4 Circa usum licitum opinionis probabilis Illustrissimus ac Reverendissimus D. D. Alphonsus de Ligorio, Episcopus S. Agathæ, peculiarem dissertationem lectu dignissimam *de usu moderato opinionis probabilis*, lib. 1. suæ Theologiæ Moralis *tract.* 1. *num.* 144. *& seqq.* inseruit. Alia deinde sub eodem titulo, nec minoris pretii dissertatio simul cum responsione Apologetica *circa usum opinionis æque probabilis* ab eodem auctore vulgata, extat in fine opusculi Venetiis editi *ann.* 1754. quod inscribitur: *Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna*.

5 Verum superioribus annis circa usum *Opinionis probabilis* tria edita sunt decreta: primum ab Episcopo Tridentino: alterum a sacros. Rom. & universal. Inquisitionis Congregatione: utrumque occasione quarumdam Thesium, quas publicæ, licet in ædibus Parochialibus, concertationi quidam Theologus exposuerat Avisii in Tridentina diœcesi. Tertium denique a Capitulo Generali Mantuano totius Ordinis FF. Minorum Sess. xv. habita die 6. Junii 1762. Ut votis aliquorum fieret satis visum est præfata decreta hic adducere: Sunt autem tenoris ut sequitur.

6 DECRETUM I.

„ Franciscus Felix, Dei gratia Episcopus, & S. „ R. I. Princeps Tridenti, Marchio Castellarii, „ Sacris Cæsareis Regiis Majestatibus a consiliis „ secretis, ex Comitibus de Albertis de Henno &c.

„ *Perillustribus, Nobilibus, admodum Reveren-* „ *dis, & venerabilibus respective Parochis, & Cu-* „ *ratis nostræ Tridentinæ diœcesis salutem in Domi-* „ *no sempiternam*.

„ Dolenti equidem animo percepimus, proxi- „ me elapso Mense Junio in loco Avisii Tridentinæ „ hujusce nostræ diœceseos quosdam articulos, „ quos infra notabimus, manuscriptos ad disce- „ ptandum privatim domi fuisse propositos, ac „ discussos, ubi nullæ sunt scholæ; quod quidem „ tunc dissimulandum duximus, minime nescii, „ privatam ejusmodi exercitationem probro dede- „ corique cessisse auctori, qui ab oppugnatoribus „ in arctum ita adductus est, ut causa illum pa- „ lam cecidisse adstantes omnes facile intellexe- „ rint. Cum vero novissime harum Thesium exem- „ plar extra hanc diœcesim typis editum in ma- „ nus nostras pervenerit, muneris nostri ratio fla- „ gitat, ut confestim gliscenti malo obviam ea- „ mus, ne populus nostræ curæ concreditus nimia „ opinandi licentia a recta salutis semita deduca- „ tur. Noveritis itaque, a nobis articulos, quos „ infra subjiciemus, acervatim sumptos omnino „ rejici, improbarique, prout harum litterarum te- „ nore rejicimus, atque improbamus, prohiben- „ tes, ne sub pœnis Canonicis, ac aliis arbitrio „ nostro iidem articuli acervatim sumpti in disce- „ ptationem, usumque deducantur. Officii porro „ vestri partes in eo esse debent, ut populum cum „ ex sacro suggestu, tum in Pœnitentiæ Tribuna- „ li dexterrime eo inducatis, ut ea sequatur dog- „ mata, quibus tum ratio solidior, tum gravior „ authoritas suffragatur, quod dum a vobis sancte „ observandum confidimus, Episcopalem vobis be- „ nedictionem impertimur.

„ Datum Tridenti ex Arce nostræ residentiæ hac „ die tertia Januarii 1761.

Franciscus Felix Episcopus.

„ Ad mandatum Celsissimi & Reverendissimi „ D. D. proprium Presb. Joseph Antonius Berti- „ nalli Cancellarius.

Hic recitantur Theses damnatæ, quæ legi poterunt in sequenti Decreto.

DECRETUM II. 7

„ S. Rom. & univers. Inquisitionis confirmatum „ a SS. D. N. Clemente Papa XIII. quo prohiben- „ tur Theses circa Probabilismum expositæ publi- „ cæ disputationi anno 1760. Avisii in diœcesi Tri- „ dentina.

Feria V. die 26. Februarii 1761.

„ Per suas litteras ad Congregationem S. Ro- „ manæ, & Universalis Inquisitionis, labente su- „ periori anno datas, dolenter nimium conquestus „ est Antonius Ceschi Tridentinæ Ecclesiæ Cano- „ nicus Decanus; Theses quasdam de Probabilis- „ mo a Parocho Avisiensi diœcesis Tridentinæ in „ ædibus canonicalibus jampridem propugnatas, „ postmodum, sine nota loci, & auctoris obscu- „ ro prælo fuisse cusas, & vulgatas non sine Re- „ ligionis detrimento, & bonorum offensione, „ præsertim Ecclesiasticorum, quorum pars suo est „ regimini, & vigilantiæ concredita. Postulante „ itaque eodem Decano congruum adhiberi reme- „ dium ingruenti malo, ne latius serpat, Theo- „ logiæ censuræ de more subjectæ fuerunt prædi- „ ctæ Theses unico contentæ folio impresso, cu- „ jus tenor ita se habet.

PROBABILISMUS. 8

„ *Publicæ disputationi Ven. Clero Avisiensi exer-* „ *citii gratia expositus contra Probabiliorismum stri-* „ *cte talem, utpote negotium perambulans in tene-* „ *bris*.

„ Pro die 10. Iunii 1760. in ædibus Canonica- „ libus Avisii.

„ Utinam

„ Utinam observaremus mandata Domini cer-
„ ta! Quid nobis tanta solicitudo de dubiis? *Ce-*
„ *leberrimus Pat. Constant. Roncaglia lib. 2. cap. 3.*

I.

„ Probabilismus noster versatur circa hæc tria.
„ Licet sequi probabiliorem pro libertate, re-
„ licta minus probabili pro lege.
„ Licet sequi æque probabilem pro libertate,
„ relicta æque probabili pro lege.
„ Licet sequi minus probabilem pro libertate,
„ relicta probabiliori pro lege.
„ *Ex iis deducuntur sequentia Paradoxa.*

II.

„ Usus Probabilismi maxime tutus. Usus Pro-
„ babiliorismi maxime periculosus.

III.

„ Usus genuini Probabilismi minime in laxita-
„ tem degenerare potest.
„ Usus Probabiliorismi stricte talis in Rigoris-
„ mum excurrere debet.

IV.

„ Probabilioristas qua tales, qui ex consilio pro-
„ babiliora sequuntur, laudabilissime operari af-
„ firmamus.

V.

„ Probabilioristis stricte talibus, qui ex præ-
„ cepto quod numquam clare probant, se ipsos,
„ & alios ad probabiliora impellunt, merito Ri-
„ goristarum nomen imponimus.

VI.

„ Qui nullatenus ad Christianam perfectionem
„ tendere possunt, nisi sequendo probabilissima.

VII.

„ Abusus Probabiliorismi stricte talis non so-
„ lum licentiæ frænum, sed licentiæ calcar est;
„ quod Gallorum testimonio comprobamus.

VIII.

„ Genuinus itaque noster Probabilismus, qui
„ nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede
„ umquam male fuit notatus, origine sua Tho-
„ misticus, progressu ætatis Jesuiticus, utpote a
„ quo arctatus, emendatus, & contra Jansenia-
„ nos furores propugnatus fuit.

IX.

„ Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi
„ Probabilismi, sub protectione plurimorum ex
„ omnibus orbis Christiani nationibus præstantis-
„ simorum Theologorum commorabitur securus.

Ex Historia Crtica.

X.

„ Hinc sine ulla laxismi nota Benignismum etiam
„ vocamus; sed legitimum, quem suadent utra-
„ que lex Cæsarea, & Pontificia; sed Domini-
„ canum, quem illustris Dominicanorum ordo jam
„ a primis temporibus est amplexus; sed Pium
„ qui Christianam pietatem fovet; sed Thomi-
„ sticum, quem S. Thomas in amoribus habuit,
„ qui ducentas, & plures opiniones libertati fa-
„ ventes in suis sententiarum libris docet; sed
„ Christianum, qui Christo Domino summe fa-
„ miliaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

„ Pro coronide. Probabilismus noster stans pro
„ libertate, est notabiliter probabilior ipso Proba-
„ biliorismo stante pro lege.

„ Cum vero Theses hujusmodi notæque Theo-
„ logicæ expensæ fuerint in Congregatione gene-
„ rali habita in palatio Apostolico Quirinali co-
„ ram Sanctissimo Domino Nostro Clemente Pa-
„ pa XIII. Sanctitas sua auditis Eminentissimorum
„ Dominorum S.R.E. Cardinalium in tota Repu-
„ blica Christiana contra hæreticam pravitatem ge-
„ neralium Inquisitorum a S.Sede Apostolica spe-
„ cialiter deputatorum suffragiis, folium prædi-
„ ctum, & Theses in illo expositas prohibendas,
„ ac damnandas esse censuit, prout præsenti de-
„ creto damnat, & prohibet tanquam continentia
„ propositiones, quarum aliquæ sunt respective
„ falsæ, temerariæ, & piarum aurium offensivæ.
„ Illam vero excerptam a numero X. nempe *Pro-*
„ *babilismum, qui Christo Domino summe familia-*
„ *ris fuit*, proscribendam ut erroneam, & hæresi
„ proximam. Præfatum itaque folium sive The-
„ ses ut supra exscriptas sic damnatas, & prohi-
„ bitas Sanctissimus Dominus noster vetat ne quis
„ cujusque status, & conditionis ullo modo sub
„ quocumque prætextu, quovis idiomate impri-
„ mere, ac imprimi facere, vel transcribere, aut
„ jam impressum, sive impressas apud se retine-
„ re & legere, sive publice propugnare audeat,
„ sed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel hæ-
„ reticæ pravitatis Inquisitoribus tradere & con-
„ signare teneatur sub pœnis in indice librorum
„ prohibitorum contentis.

Benedictus Veterani Assessor.

Hinc auctor quidam Pseudonymus infert, & 9
demonstrare conatur *omnem omnino usum opinionis probabilis* esse manifeste prohibitum. Sed laudatus Episcopus de Ligorio acriter ab auctore illo impetitus, modeste contrarium defendit, apologiamque consripsit, ex qua *paragraphum quartum*, utpote qui ad omnimodam rectamque intelligentiam decretorum allatorum valde conducit, operæ pretium est quo ad præcipua ejus capita hic transcribere.

„ Così appunto (*loquitur DD. de Ligorio*) ritro- 10
„ vo scritto il decreto (*nempe S. R. Inquisitionis*
„ *Congr.*) presso il Libro del P. Lettore (*scilicet*
„ *adversarii Pseudonymi.*) Quindi egli prende a
„ dirmi così: *Che vi sembra, Monsignore, di un*
„ *decreto della S. Congr. approvato e confermato*
„ *dal vicario di Gesù Cristo?* Seguita poi a dire,
„ che nel decreto è condannata espressamente,
„ almeno come *falsa e temeraria* la proposizione
„ da me difesa, cioè *che licet sequi æque probabi-*
„ *lem pro libertate, relicta æque probabili pro lege.*
„ Dice, che ora non posso io più allegare igno-
„ ranza, dopo ch'egli mi ha posto il decreto sot-
„ to gli occhi. Dice, che queste tesi, o propo-
„ sizioni sono state dannate nel modo stesso,
„ come furono dannate le proposizioni contenute
„ ne'decreti di Alessandro VII. e d'Innocenzo XI.
„ fatti anche dalla S.Inquisizione di Roma. Dice
„ final-

„ finalmente che sopra delle altre tesi è compresa nelle censure la prima, in cui si contiene intieramente il sistema Probabilistico, che nel decreto fu massimamente preso di mira. *Laonde* (conclude) *contenendo essa la medesima vostra sentenza, questa pure per necessità dovrà dirsi condannata; e voi non più potete difenderla, ma anzi tenuto siete a ritrattarla qual figlio ubbidiente a' decreti della Chiesa....* Sì Signore, io mi professo, e vanto d'esser figlio ubbidiente alla S. Chiesa Cattolica Romana, e son pronto, non solo a ritrattarmi d'ogni mio sentimento, ma anche a dar la vita per ubbidire ai decreti della Chiesa. E già mi sarei ritrattato della mia sentenza sin dal tempo, che uscì fuori, e mi capitò in mano il mentovato foglio del Parroco di Trento insieme col decreto della Sagra Inquisizione, se fosse vero, che con tal Decreto fosse stato condannato ogni uso del Probabile. Ma non posso, nè son tenuto a ritrattarmi per quel che scrive il P. Lettore. Si osservi, che il Foglio contiene più cose distinte, contiene diverse tesi, e contiene diverse proposizioni, o sieno membri, o parti delle tesi. Or quando si sparse il foglio, e le tesi condannate nel decreto così in confuso, e come si dice *in globo*, due erano le difficoltà, che si facevano sovra d'una tal condanna. La prima era, se fossero condannate singolarmente, non solo tutte le tesi del foglio, ma anche tutte le parti, o sieno proposizioni delle tesi. Ma in quanto a ciò si vide comunemente da' dotti, così probabilisti, come antiprobabilisti, che, quantunque si avesse per vero, che fossero state condannate tutte le tesi, certamente però non erano condannate tutte le proposizioni contenute in esse tesi, ma quelle sole proposizioni, che in se meritavano censura. Ed è chiaro, che affatto differisce (contra quel che suppone l'avversario) la condanna di queste tesi dalle condanne fatte di proposizioni da Alessandro VII. e da Innocenzo XI. poichè quelle proposizioni furono condannate ciascuna in singolare, e divisamente l'una dall'altra. Ecco il decreto d'Alessandro VII. come parla: *Sanctissimus decrevit, prædictas propositiones, & UNAMQUAMQUE ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, sicut eas damnat ac prohibet, ita ut quicumque illas aut CONJUNCTIM, AUT DIVISIM docuerit, & defenderit, publice aut privatim, incidet &c.* E dipoi si dice: *Insuper districte prohibet omnibus, ne prædictas opiniones, aut ALIQUAM ipsarum ad praxim deducant &c.* Lo stesso dicesi nel decreto d'Innocenzo XI. *Sanctissimus D.N. decrevit sequentes propositiones, & UNAMQUAMQUE ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas &c.* Ed indi: *Quicumque ... illas, vel illarum aliquam CONJUNCTIM, AUT DIVISIM defenderit &c.* Ed in fine: *Insuper prohibet omnibus, ne prædictas propositiones, aut ALIQUAM ipsarum ad praxim deducant &c.* E così anche sta nella condanna delle 31. proposizioni fatta da Alessandro VIII.

Ma nel decreto riferito dal P.Lettore dicesi così: „ Sanctitas sua (Clemens Papa XIII.) auditis &c. Folium prædictum, & theses in illo expositas, præsenti decreto damnat, & prohibet, *tanquam continentia propositiones, quarum aliquæ sunt respective falsæ, temerariæ, & piarum aurium offensivæ; illam vero excerptam a num. X. &c.* Sicchè non è dannato il foglio, e le tesi in quanto a tutte le loro parti, e proposizioni in quelle contenute, ma è dannato il foglio, e le tesi, *contenenti proposizioni, delle quali alcune sono &c.* Non tutte dunque son condannate le proposizioni delle tesi, ma solamente quelle che sono false, o temerarie ec. E che sia così, non si dice ivi: *Prohibet, ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, & defenderit &c.* come sta ne' decreti di Alessandro VII. e d' Innocenzo XI. ma si dice: *Præfatum itaque folium, sive theses, ut supra exscriptas SIC damnatas, & prohibitas Ss. Dominus N. vetat, ne quis imprimere, retinere, & legere &c. audeat.* La parola SIC dinota, che le tesi non erano intieramente dannate in se, ma *come contenenti proposizioni, delle quali alcune &c.* Dunque solo è proibito il difendere quelle tesi *conjunctim*, cioè in quanto a tutte le loro parti, o sieno proposizioni in esse tesi contenute, ma non già *divisim* in quanto a quelle proposizioni delle tesi, che non meritavano censura; altrimenti si sarebbe detto *conjunctim, aut divisim*, come si era detto ne' decreti de' Pontefici mentovati di sopra. Ed in fatti così appunto furono queste tesi condannate dal Vescovo di Trento nel suo decreto, ove si disse: *Noveritis ita a Nobis articulos, quos infra subjiciemus, ACERVATIM sumtos omnino rejici, prout rejicimus, prohibentes, ne iidem articuli, ACERVATIM sumti, in disceptationem, usumque deducantur.* E certamente dee credersi, che la S.Congregazione abbia fatta la sua condanna uniforme a quella del Vescovo di Trento, secondo la di lui richiesta.

„ Non è dunque, come pensa il P. Lettore, che ogni minima parte del foglio, e delle tesi sia dannata; ond'egli giunge a metter fra le proposizioni dannate anche quel passo del P.Roncaglia, citato dall'Autore del foglio, non già come tesi, o come parte di qualche tesi, ma solo per incidenza, e per introduzione alle sue tesi: *Utinam observaremus mandata Dei certa! Quid nobis tanta sollicitudo de dubiis?* Ma è dannato solamente il foglio, e le tesi, in quanto contengono proposizioni degne di censura. E parlando della prima tesi, non è già dannata la prima proposizione, o sia prima parte di quella, che dice esser lecito seguire la più probabile, lasciata la meno probabile per la legge; altrimenti sarebbe condannata anche la sentenza, che può dirsi essere stata comune tra gli Probabilioristi più antichi, di Gonet, di Silvestro, di Wigandt, di Cuniliati, e d'altri. Diciamo inoltre, che neppure vien condannata la seconda parte, che sia lecito servirsi dell'opinione egualmente probabile per la libertà, secondo la nostra

„ tra sentenza. Solamente restava in dubio, se „ fosse condannata almeno la terza parte, o sia „ membro di quella prima tesi, dove si dice es„ ser lecito seguire anche la meno probabile, e „ meno tuta; e perchè la proposizione è genera„ le, sì che comprende anche l'opinione certa„ mente meno probabile, perciò dubitavasi ch'ella „ fosse stata condannata. E così anche dubitava„ si, che fosse condannata l'ultima tesi che dice: „ *Probabilismus noster stans pro libertate est no*„ *tabiliter probabilior ipso Probabiliorismo stante* „ *pro lege*. Questa tesi (dico) anche dubitavasi „ essere stata condannata, per ragion che, aven„ do l'autore della tesi dichiarato, che il suo Pro„ babiliorismo concedeva esser lecito seguire indi„ stintamente la meno probabile, con quest'ulti„ ma sua proposizione veniva a difendere, che il „ sistema, il quale vuole esser lecito seguire „ qualunque opinione meno probabile, sia nota„ bilmente più probabile del sistema, che vuole „ doversi seguire la più probabile per la legge.

„ Posto ciò, restava dunque comunemente ap„ purato, che sebbene fossero condannate tutte „ le tesi, non erano però condannate tutte le pro„ posizioni, o sieno parti delle medesime. Resta„ va solamente a sciogliersi il dubbio, se essen„ do condannato così *in globo*, ed in confuso il „ foglio, e le tesi, fossero condannate tutte le tesi „ in particolare, o solamente alcune di esse; poi„ chè si considerava che nel decreto non diceva„ si, *omnes theses*: e le parole, *quarum aliquæ*, „ potea dubitarsi, se riferivansi alle tesi, o pure „ alle proposizioni contenute nelle tesi. Tanto „ più che alcuna tesi affatto non merita censura; „ e tanto più che, come si è detto di sopra, il „ Vescovo di Trento avea detto nel suo decreto: „ *Articulos, quos infra subjiciemus, improbamus,* „ *prohibentes ne iidem articuli acervatim sumti in* „ *disceptationem, usumque deducantur*. Ma sia co„ me si voglia, questo dubbio è stato già dichia„ rato appresso dalla stessa sagra Inquisizione di „ Roma, poichè, essendo stata inserita la con„ danna del detto foglio nell'indice de' libri proi„ biti per ordine della stessa s. Congregazione, non „ si è detto (come si vede scritto nell'appendice „ nuovamente aggiunta all'indice) che si condan„ navano, *folium, & theses in illo expositæ*; ma „ si è detto semplicemente: *Plagula undecim the*„ *sium, cui titulus*: *Probabilismus disputationi &c.* „ Sicchè al presente ha dichiarato la S. C. esser „ solamente condannata la detta *Plagula*, cioè „ la carta, o sia foglio delle undici tesi, e per „ conseguenza quelle sole tesi che meritano cen„ sura, ma non tutte le tesi. Ed in fatti, aven„ done io scritto ultimamene per chiarirmi del „ tutto a due Consultori (*) del S. Officio di Ro„ ma, cioè al Reverendiss. P. M. Fra Tommaso „ Agostino Ricchini Maestro del sagro Palazzo, „ ed al Reverendiss. P. Fra Pio Tommaso Schiara „ Segretario della S. C. dell'Indice, Soggetti di „ quella dottrina, ed intelligenza che il mondo sà „ mi han cortesemente risposto, e tolto di dub„ bio, e ne conservo le lettere. Il P. Maestro Ric„ chini mi risponde così:

„ *Per ubbidire a' venerati comandi di V. S. Illu*- 11
„ *striss. brevemente rispondo al dubbio proposto, che* „ *la condanna, e proibizione fatta dal S. Officio* „ *cade sopra il foglio intero delle proposizioni, non* „ *sovra cadauna di esse in singolare; in quella* „ *guisa che, quando vien proibito un libro conte*„ *nente proposizioni qualificabili di proibizione, la* „ *proibizione cade bensì in tutto il libro, ma non* „ *sovra tutte le proposizioni in esso contenute. E* „ *perciò si è posta così la proibizione nell' ultima* „ *appendice dell' Indice, che le rimetto qui acchiusa* „ *com'ella potrà osservare alla lettera P., verbo* Pla„ gula. *Da ciò ne siegue, che la prima proposizio*„ *ne non è altrimenti condannata; nè potea ripro*„ *varsi senza adottare il Tuziorismo, e condannare* „ *il comune de' Teologi, che la sostengono. Ciò cre*„ *do, che basterà a V. S. Illustrissima per acquie*„ *tare la sua, ed altrui coscienza; e potrà fare di* „ *questa mia notizia quell' uso, che stimerà più con*„ *venevole. Desidero altri motivi di mostrare la mia* „ *venerazione &c.* Quì il Reverendiss. P. Maestro „ fa solamente menzione della prima proposizio„ ne, perchè di quella fu da me specialmente in„ terrogato, cioè se mai dalla S. C. era stata con„ dannata anche la prima proposizione, che am„ metteva l'uso dell'opinione più probabile; an„ corchè fosse stata probabile l'opinione, che sta„ va per la legge.

„ La lettera del Reverendiss. P. Schiara è più „ lunga, e più espressiva. Egli mi scrive così:

„ *Per meglio ubbidire ai comandi di V. S. Illu*- 12
„ *striss. e più pienamente renderla informata intor*„ *no alla dimanda fattami, le mando copia del fo*„ *glio contenente le tesi, pubblicato in Trento ap*„ *presso alla sua condanna dal fu Mons. de Alber*„ *tis Vescovo di quella città, e dipoi proibito dal* „ *Papa nella Congregazione del s. Officio a' 26. di* „ *Febrajo 1761. Monsignor de Albertis, come ve*„ *drà dal suo decreto, proibì gli articoli* acervatim „ sumptos; *ed il Papa proibì il foglio*, tanquam „ continens propositiones, quarum aliquæ sunt „ respective falsæ, temerariæ &c. *Perciò nell' indi*„ *ce de' libri proibiti non si è posto, se non il ti*„ *tolo del foglio. Veda l' ultima appendice stam*„ *pata in Gennajo dell' anno scorso 1763. alla pa*„ *rola* Plagula, *dove sta inserito il foglio ne' suoi* „ *precisi termini così*; Probabilismus disputatio„ ni Ven. Clero Avisiensi exercitii gratia exhibitus „ contra Probabiliorismum stricte talem, utpote „ negotium perambulans in tenebris, pro die 10. „ Junii 1760. in ædibus Canonicalibus Avisii. *Dal* „ *solo titolo del Foglio condannato ognuno facilmen*„ *te conosce non essersi fatta condanna contro il Pro*„ *babilismo, e per conseguenza non essere stata* „ *condannata la proposizione*: Licet sequi proba„ biliorem pro libertate, relicta minus probabili „ pro

(*) Qui est a secretis Sacræ Congregationis Indicis, Consultor Congregationis sancti Officii non est.

„ pro lege, *la quale è sentenza comune de' Probabilicristi moderati. Ben è vero, che sebbene la condanna non favorisca il probabilismo, non però può dirsi da essa proibito il Probabilismo, nè dell' æque probabile, ne tampoco della meno probabile favorevole alla libertà. E questo è qui sentimento comune, e certo. Nè credo, che quì i Probabilisti lascino perciò di seguitare il loro sistema. Questo e quanto posso e debbo dire in risposta ec.* „

„ Questi due Reverendissimi Padri, essendo „ già Consultori del S. Officio, e bene intesi „ della mente della Congregazione, e del Papa, „ credo, che presso d' ognuno meritino tutta la „ fede.

„ Di più io per meglio assicurarmi della verità, ne ho scritto ancora all' Emo Signor Cardinal Galli, pregandolo istantemente a farne parola col nostro Regnante Pontefice Clemente XIII. per intendere la verità di questo punto propriamente dalla sua bocca; e specialmente io volea sapere, se era condannata la prima tesi del foglio, in cui si contenea l' uso del Probabile; e scrissi che Sua Santità, come dottore universale della Chiesa, trattandosi della condanna d' una dottrina sì controversa, e di tanta conseguenza, non potea negare la dichiarazione necessaria ad un Vescovo, che la chiedeva. E l' Emo Sig. Card. Penitenziere mi ha risposto in breve sì, ma in poche parole con molta saviezza ha compresa tutta la sostanza del punto, e l' ha posto in luce con termini così proprj e chiari, che in questo genere meglio non potea desiderarsi. Ecco come mi „ scrive:

13 „ *Più che a me, è noto alla profonda dottrina di V. S. Illustris. e Reverendis. che nelle condanne, o proibizioni de' libri non s' intendono mai condannate tutte le proposizioni, che in essi si contengono; essendovene molte delle verissime anche in Lutero, Calvino ec. Ma perchè altre ve ne s' incontrano cattive e perniciose, perciò colla condanna, o proibizione avvisa la Chiesa i suoi figli, che debbano astenersi dalla lettura de' medesimi, acciò insieme col vero non s' imbevano ancora del falso. Posso assicurare V. S. Illustriss. e Reverendiss. che nella condanna dell' accennato foglio, di cui mi scrive, non si è inteso di condannare veruna delle proposizioni, che si controvertono nelle Scuole Cattoliche, e da molti cattolicamente si difendono; ma si è avuto il motivo di proibirlo, per quelle proposizioni, ch' ella medesima riconosce meritevoli di censura. Ea in tanto offerendomi ec.* „

„ Posto tutto ciò, spero, che il P. Lettore ora mi conceda di potermi chiamare vero figlio della Chiesa, senza ritrattarmi a riguardo della mentovata condanna Pontificia, con tanta pompa, ed asseveranza da esso bandita, e publicata, come cosa indubitabile. Nel che ammiro poi lo spirito di questo buon Religioso in mettersi ad ammonire con tanto calore un Vescovo ad essere ubbidiente a' decreti della Chiesa, dopo che la Chiesa l' ha posto nel numero „ de' Vescovi, voglio dire nel numero di coloro, „ che son destinati ad esser Giudici della dottrina „. Sic laudatus Episcopus de Ligorio suam atque Probabilismi causam probe defendens.

Hucusque porro de duobus decretis, Tridentino, & Romano, deque exortis hinc inde eorum occasione controversiis: modo tandem tertium, quod sub initio *num.* 5. innuimus, decretum proferamus.

DECRETUM III. 14

In Capitulo Generali Mantuano totius Ordinis F. F. Minorum Sess. XV. habita die 6. Junii 1762. promulgatum.

„ Cupiens generale Capitulum ea scandala ab „ Ordine removere, quæ ex nimia opinandi licentia, in doctrinis præcipue ad mores pertinentibus oriri, & suscitari possent; renovat, & confirmat eas omnes Constitutiones, quæ in aliis præcedentibus generalibus Capitulis de doctrinis in nostris scholis, & a nostratibus seligendis decreta sunt. Et ad hunc effectum mandat, & præcipit sacræ Theologiæ Lectoribus, aliisque omnibus, quatenus doctrinas tutiores, & probabiliores semper doceant, & amplectantur.

Hoc autem decretum, datis ad suos subditos encyclicis litteris, evulgarunt & illius observantiam quanta pollebant auctoritate præceperunt Reverendissimus P. Petrus Joannetius de Molina Generalis totius ordinis F. F. Minorum S. Francisci, iterato Minister die 4. Octobris 1762. Romæ ex Ara Cœli, nec non Reverendissimus P. Pasqualis a Varisio Commissarius generalis Cismontanus ex Ara Cœli Romæ ad Mensem Martium proxime superioris anni 1763.

Porro quanti faciendum sit hujusmodi decretum, vel inde licet arguere, quod a gravissimis Patribus longe amplissimi Ordinis manarit, sitque oppido consentaneum aliis antiquioribus ejusdem Ordinis Constitutionibus; neque ullus illi ausus fuerit contraire, sed plenum, ut asserunt, deinceps in Franciscanorum scholis effectum habuerit; acta quoque prædicti Capituli a summo Regnante Pontifice ultimum obtinuere roboris firmamentum. * Cetera, quæ de *Opinione probabili* habet Auctor noster *P. Ferraris* vide verb. *Conscientia a num. 68. ad* 114. in Tomo secundo.

ORACULA VIVÆ VOCIS.

ORacula vivæ vocis sunt concessiones privilegiorum, seu gratiæ factæ a supremo Principe v. g. Summo Pontifice *sola voce*, seu oretenus sine scriptura. *Ita in re communis*. Oracula vivæ vocis alia sunt authentica, & alia non. Oracula *authentica* sunt illa, quæ ne memoria pereant, & ut etiam pro foro externo probari, & pra-

practicari possint, subinde in scripturam rediguntur, & testimonio authentico ab iis, quibus ex officio incumbit, fide digna redduntur. Oracula autem non authentica sunt illa, quæ vel neglectu impetrantium, vel alia de causa non sunt tali forma in scripturam redacta. *Communis*. Hinc Oracula vivæ vocis authentica, ut secernantur a non authenticis, solent in collectionibus privilegiorum, & Oraculorum vivæ vocis, distincto & diverso signo notari, ut patet *in compendio privilegiorum Fratrum Minorum*, ubi Oracula vivæ vocis authentica signantur *O magno*, & non authentica signantur *o parvo*, ut testatur auctor ipsius compendii *ad lectorem in declaratione abbreviatarum allegationum*.

3

4 Gratiæ, & privilegia *vivæ vocis oraculo* concessa quoad substantiam pro *foro interno*, sive sint authentica, sive non, dummodo non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. *Communis*, textu expresso *in cap. Institutionis 7. caus. 25. qu. 2.* Et sic expresse concessit nostro Ordini Leo X. ut habetur *in compendio privilegior. Fratrum Minorum verb. Oracula vivæ vocis num. 2.* ibi: *Idem Leo concessit, quod non sint minoris efficaciæ, & valoris vivæ vocis Oracula, quam si per Bullam, aut Breve ad perpetuam*
5 *rei memoriam essent concessa*. Ad essentiam enim, & substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam oretenus, seu *vivæ vocis oraculo* concessum subsistit. *Communis, arg. cap. Si quis cum Clerico 5. caus. 11. q. 1. & cit. cap. Institutionis 7. caus. 25. q. 2.* Clemen. *Dudum, de sepulturis*, & Extravag. *Etsi Dominici, de Pœnitent. & remission.* ibi: *Considerans, quod plerumque contingit suam Sanctitatem hujusmodi facultates etiam oraculo vivæ vocis concedere &c.*

6 Notanter autem supra *nu. 4.* dicitur *pro foro interno*, quia Oracula vivæ vocis, ut practicari possint etiam *pro foro externo*, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio, ut patet ex Constitutione Julii II. incip. *Romani Pontificis*, & ex *Regula 52. Cancellariæ*; Et ratio est, quia, si sine testimonio authentico valerent etiam *pro foro externo*, posset quilibet asserere se habere privilegium *vivæ vocis oraculo* concessum, & sic prætextu *oraculi vivæ vocis* posset cum maxima perturbatione boni communis eludere leges, & canones in *foro externo*, quod nemo sanæ mentis audebit admittere. *Communis*.

7 Omnia, & singula indulta, & privilegia quibuscumque *vivæ vocis oraculo* concessa a Summis Pontificibus ante Gregorium XV. (exceptis concessis ad supplicationem Regum, nec non illis manu Cardinalium firmatis) revocavit pro utroque foro, scilicet tam pro foro interno, quam pro externo dictus Gregorius XV. *die 2. Julii 1622.* Constit. incip. *Romanus Pontifex*, quæ ad uberiorem legentium notitiam hic ad litteram datur.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus, gratias, & indulta a se, & Prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. *Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam exterius spectantia: ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis Oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque, & quavis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Societatibus, etiam Societatis Jesu, ac Congregat. quibuslibet, sive eorum, & earum respective Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus, quocumque nomine nuncupatis, Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediate subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus: ac revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuo fore, & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cetero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus & declaramus.*

§. 2. *Firmis tamen, & in robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis Oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem propria Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium manu firmatis pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.*

§. 3. *Decernentes, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.*

§. 4. *Sicque per quoscumque judices ordinarios, & dele-*

delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.*

§. 6. *Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

§. 7. *Quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii MDCXXII. Pontificatus nostri anno secundo.

8 Postea autem Urbanus VIII. *die* 20. *Decembris* 1631. Constit. incip. *Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV.* revocavit etiam omnia, & singula indulta, & privilegia *vivæ vocis oraculo* concessa, etiam ad instantiam Imperatoris, & Regum, & manu quorumcumque Cardinalium firmata. Quæ Constitutio etiam hic pro omnium scitu ad litteram datur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. *Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor Noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet, Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ &c.* ut supra.

§. 2. *Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones, & gratias vivæ vocis Oraculo, etiam a San. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum exequutioni demandari: Idcirco quantum cum Domino possumus, his & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis Oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Provincialibus, ceterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive sæcularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut alias quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cetero revocata, cassata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.*

§. 3. *Præterea, ut præsentes litteræ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quanto citius innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, & Institutorum sub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, nec non vocis activæ, & passivæ, pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, ut infra tres menses proximos a die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Provinciales eorumdem suorum Ordinum Congregationum, societatum, etiam Societatis Jesu, & institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, & earumdem præsentium exemplaria illis transmittant: qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, & locorum Regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est, publicent.*

§. 4. *Decernentes præsentes litteras, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere pretendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci,*

reduci, sive adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. 5. *Sicque per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 6. *Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.*

§. 7. *Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticæ constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ hujusmodi similiter affixæ omnes, quos concernunt, perinde arctent, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.*

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1631. Pontificatus nostri anno nono.

9 Deinde idem Urbanus VIII. *die* 11. *Aprilis* 1635. Constitut. etiam incip. *Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV.* justis de causis declaravit, prædictam suam revocationem non comprehendere illos officiales, seu ministros, quibus ratione suorum officiorum, seu munerum de Summi Pontificis Oraculis fides haberi solet, & debet; Quæ Constitutio, utpote summe necessaria ad hujus notitiæ complementum, etiam hic ad litteram datur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

„ Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor Noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, „ & abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica vivæ vocis Oraculo sæpenumero concessis obviam iret; Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ, divina providentia constitutus, gratias, & indulta a se, & prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi pastoralibus officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis Oraculo, hactenus, quandocumque, & qualitercumque, ex quavis etiam necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Societatibus, etiam Societati Jesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respective Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus quocumque nomine nuncupatis, Superioribus, quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediate subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis: non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuo fore, & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cetero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus. Firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis Oraculo S. R. E. Cardinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel

„ obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu „ alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel in controversiam vocari, „ ad terminos juris reduci, aut adversus illas „ quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium „ impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere. „ Sicque per quoscumque judices ordinarios, & „ delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores; ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere „ Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi „ facultate, & auctoritate, judicari, & definiri „ debere, ac irritum, & inane, si secus super his „ a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel „ ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus „ præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & „ ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, „ indultis, & litteris Apostolicis Ordinibus, & „ Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis „ Superioribus prædictis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, „ & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, „ confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & „ singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, „ specialis, specifica, expressa, & individua, ac „ de verbo ad verbum, non autem per clausulas „ generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores „ hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, „ illis alias in suo robore permansuris, hac vice „ dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, „ ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus „ autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides „ adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus abhiberetur, si forent exhibitæ, vel „ ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, „ seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. „ Joannis Lareranensis, ac Principis Apostolorum „ de Urbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes „ ita arctent, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii „ MDCXXII. Pontificatus Nostri anno secundo.

„ Et subinde per nos accepto, quod experientia rerum magistra compertum erat, concessiones, & gratias vivæ vocis Oraculo, etiam a S. „ R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu „ firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus Canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ „ detrimentum executioni demandari, idcirco, „ quantum cum Domino potuimus, his, & aliis „ malis occurrere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, „ deque Apostolicæ potestatis plenitudine, de „ consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium „ hujusmodi mature discutiendum commisimus, „ omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices Prædecessores Nostros, ac per Nos vivæ „ vocis Oraculo, etiam S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque Generalibus, Provincialibus, ceterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & „ Societatis, sive sæcularibus, sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, „ aliisque personis prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, „ prætextu, vel colore, etiam intuitu, & contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, „ Regum, & Principum quorumcumque, aut alias „ quomodolibet concessæ, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes Apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus, sustulimus, abrogavimus, & annullavimus, ac de cetero „ revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, „ & fore, nulliquе deinceps suffragari posse, „ nec debere declaravimus, prout in aliis nostris desuper in simili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum „ autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, & Sedis Apostolicæ officialibus, seu ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione de gratiis, concessionibus, & dispositionibus quibuscumque per Nos faciendis, mandatisque, & jussionibus Nostris exequendis, „ aliisque rebus, & negotiis gerendis, Nobiscum „ diversa tractant per se, seu de eorum mandato „ facienda, gerenda, & exequutioni demandanda, vivæ vocis Oraculo commiserimus, & in „ dies circa ea quæ ad cujuslibet eorum officium, „ seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus: Nos firmiori gestorum de mandato nostro per officialium, seu ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, „ deque Apostolicæ potestatis plenitudine, officiales, seu ministros prædictos, quibus alias ante „ emanatas prædictas Constitutiones ex officiorum „ auctoritate, & prærogativa de oraculo per eos „ a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat, quoad ea, „ quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium, „ seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris prædictis super revocatione „ Oraculorum hujusmodi emanatis, minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi „ debere declaramus, & ad abundantiorem cautelam eosdem officiales, seu ministros adversus

„ eas-

„ easdem Constitutiones, quatenus opus sit, re- „ stituimus, & plenarie reintegramus in omni- „ bus, & per omnia, perinde ac si quoad illos „ prædictæ Constitutiones non emanassent; de- „ cernentes, præsentes litteras validas, firmas, & „ efficaces existere, & fore, ac irritum, & ina- „ ne, si quid secus super his a quoquam, quavis „ auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit „ attentari. Non obstantibus Gregorii prædeces- „ soris hujusmodi, nostrisque litteris præfatis, ac „ omnibus illis quæ in dictis litteris concessa sunt „ non obstare, ceterisque contrariis quibuscum- „ que.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo.

10 Unde, ut vides ex hac secunda Constitutione Urbani VIII. §. *Cum autem pro tempore existentibus*, clare patet, quod omnia illa indulta, & privilegia *vivæ vocis oraculo* a quocumque Pontifice concessa & testificata, seu authenticata per officiales, & ministros, quibus vi sui officii, de privilegiis, & gratiis per Pontifices oretenus concessis, vel concedendis, fides adhiberi solet, & debet, adhuc impræsentiarum valent pro utroque foro, scilicet tam interno, quam externo, valideque, & licite practicari possunt. *Communis ac certa*, teste Reiffenstuel *lib.5. Decretal. tit.33. num.155.*

11 Officiales autem, seu ministri prædicti sunt multi, & diversi ut patet *in Extravagant. commun. Ad regimen 13. de præbendis, & dignitatibus*, ibi: *Officialium dictæ Sedis, videlicet, Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, Auditorum, Litterarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, & Scriptorum Litterarum Apostolicarum, ac Pœnitentiarii præfatæ Sedis, ac Abbreviatorum, nec non Commensalium, & aliorum quorumlibet Capellanorum Sedis ejusdem. Et etiam quorumcumque Legatorum, sive Nunciorum, ac in Terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, & Thesaurariorum &c.*

12 Inter Officiales, seu ministros præfatos computantur, & revera sunt Cardinales illi, qui ad id a Papa deputantur, vel Protectores Ordinum existunt; quia quamvis *in d. cap. Ad regimen* non numerentur inter Officiales Papæ, & Sedis Apostolicæ; tamen in Religiones sibi commissas Iurisdictionem, curam, & vigilantiam exercent tamquam ministri Papæ, qui est omnium Religionum Generalissimus, & Administrator, & Gubernator, & Rector; Unde est ipsis omnino credendum in iis, quæ testantur de Religionibus, quas protegunt, ut recte *ex cit. Constitutione Urbani VIII. sub. n. 9. allata* colligunt, & docent Peyrinus *in Formul. Prælator. Regular. litt. Z. cap. 3. & Appendice 4. ad Urbanum VIII. num. 2. fol. 726.* Donatus *prax. rer. Regul. tom. 1. tract. 16. qu. 12. n. 1.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 157.* & alii passim.

13 Hinc plurima adhuc in præsentiarum valent privilegia *vivæ vocis Oraculo concessa*, utpote debite authenticata ab aliquo ex supradictis Officialibus, seu ministris, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, juxta dictam Constitutionem Urbani VIII. Et talia sunt omnia illa, quæ *in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum* a Hieronymo a Sorbo juxta decreta Concilii Tridentini, & alias Constitutiones Pontificias reformato, comprehenduntur, & signantur *O magno*; quia privilegia tali *O magno* signata, ut fuit dictum supra *sub n.3. sunt vivæ vocis Oracula vere authentica*, sicut sunt illa signata æquivalenti signo in libris privilegiorum aliorum Ordinum. Et *vivæ vocis Oracula* authenticata per supradictos Officiales, & Ministros Papæ, & Sedis Apostolicæ, non sunt revocata: ut expresse declarat Urbanus VIII. in *supra num. 9.* adducta sua secunda Constitutione, §. *Cum autem pro tempore existentibus*.

Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia *vivæ vocis Oraculo* concessa ante tempora, vel tempore Leonis X. quia dictus Leo X. concessit, quod *Fratres Minores Regularis Observantiæ secura conscientia possint uti omnibus a Sede Apostolica, sive per Bullas, sive per Brevia, sive vivæ vocis Oraculo concessis privilegiis, prout ea in libris Ordinis reperiuntur, ac si omnia specifice fuissent tunc expressa. Et quod hujusmodi vivæ vocis Oracula non sint minoris efficaciæ, ac valoris, quam si per Bullam, aut Breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa*: prout testatur Laurentius Presbyter Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum, & Protector dicti Ordinis Minorum, & habetur *in 1.tom.Collect. Bullar. Rodriq. in fine Bull. Leonis X. fol. 1317. & in supplement. ejusdem Ordinis concess. ibi fol. 58.* de quo idem Rodriq. *tom. 1. qq. Regul. q. 7. art. 5. & tom. 3. qu. 22. art. 1. & 2.* & habetur etiam *in compendio privilegior. Ordinis Minor. verb. Oracula vivæ vocis num. 1. & 2.* ubi *num. 1.* insuper additur, quod *pro majori conscientiarum securitate omnia de novo concessit vivæ vocis Oracula vere authentica*: atqui *vivæ vocis Oracula vere authentica*, (ut sunt ista, utpote testificata a supradicto Eminentissimo Cardinali Laurentio tunc Ordinis Protectore) non sunt revocata, ut expresse declarat Urbanus VIII: in dicta sua secunda Constitutione allata supra *sub n. 9.* ergo adhuc hodie vigent. 14

Item eadem ratione adhuc hodie valent pro foro conscientiæ privilegia *vivæ vocis Oraculo* concessa ante tempora, vel tempore S.Pii V. quia d.S.Pius V. *die 13. Martii 1566.* vivæ vocis Oraculo confirmavit privilegia Ordinis Minorum pro foro conscientiæ, etiam illa, quæ sunt contra Concilium Tridentinum, cujus copia authentica est in archivio Conventus S. Joannis Regum Ordinis Prædicatorum, prout *in compendio Societatis Jesu tit. de Concil. Trident. §. 3.* & Rodriq. *tom. 1. qq. Regular. q. 8. art. 8.* & habetur *in tom. 2. collect. Bull.* Rodriq. *in fine Oraculorum S. Pii V. fol. 428. num. 15.* & sub *anno 1567.* Const. incip. *Etsi mendicantium*; & alia incip. *Ad uberes*: multa expresse concessit suo præclarissimo Ordini Prædicatorum, quæ decretis Concilii Tridentini adversantur. 15

Nec obstat, quod Gregorius XIII. immediatus Successor S. Pii V. *anno 1572.* Const. incip. *In tanta rerum & negotiorum mole* revocaverit expresse omnia privilegia a d. S. Pio V. concessa contra Concilium Tridentinum, & ad terminos ejusdem *Concilii Tridentini* reduxerit, ibique statuerit, Regulares teneri stare decretis *Conc. Tridentini*, & Juri veteri,

ri, ac si dictæ Concessiones, & Constitutiones S. Pii V. nunquam emanassent: Non obstat, inquam, quia Gregorius XIII. in d. sua Constitutione non revocat privilegia concessa Regularibus pro *foro interno*; revocat enim ibi sola illa privilegia Regularibus concessa contra dispositionem *Concilii Tridentini*; ex quibus perturbatio inter Episcopos, & Mendicantes solet oriri; quandoquidem in procemio dictæ Constitutionis, ubi causa finalis exprimitur, sic præcise legitur: *Demum animadverso quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas, magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos Locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines non sine gravi divini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant.* Usus autem privilegiorum Mendicantium in *foro conscientiæ* exercitus, nec magnam, nec parvam litem inter prædictos poterit excitare; quod est mente valde tenendum, ut recte dicit Donatus infra citandus, quia causa finalis est illa, quæ stringit, & ampliat privilegia, cum ratio legis sit anima legis, *l. Cum ratio, ff. de bonis damnatorum*, & cessante ratione, & causa legis cessat ipsa lex; *l. Adigere 6. §. 2. ff. de jure patronat.* & cessante causa cesset effectus, *c. Cum cessante 60. de appellationibus*. Sic sapientissimus Donatus *prax. rerum Regular. tom. 1. tract. 11. q. 17. num. 19.* & alii plures; Tum quia in d. Constit. Greg. XIII. nullatenus nominantur oracula, unde ad ista non debet extendi, cum uti pœnalis non debeat extendi ad non expressa, quia, si voluisset, expressisset; quod enim voluit, expressit, *arg. c. Inter corporalia 2. de translation. Episcop. §. Sed neque istud, & cap. Quia circa 22. de privilegiis, & cap. ad Audientiam 12. de Decimis*; & uti odiosa debet restringi, ne minus lædat, juxta regulam *in cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* & *cap. Olim 16. de verbor. significat. & l. Beneficium 3. ff. De Constitutionibus principum*. Oracula enim favore animæ concessa, revocatis Privilegiis, non intelliguntur revocata, nisi in specie, & expresse revocentur, prout docent Innocent. *in cap. Constitutus n. 2. de rescriptis* Felin. *in consil. 6. n. 1.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 24. num. 8.* Donatus *loc. cit. num. 17.* & *tract. 16. qu. 6. num. 5.* cum Navarr. Rodriq. Faust. Peyrin. & Bordon. ibi citatis.

17 Item adhuc hodie valent pro foro conscientiæ privilegia vivæ vocis Oraculo concessa ante tempora, vel tempore Clementis VIII. dummodo non adversentur Concilio Tridentino, quia dictus Clemens VIII. *Die 20. Decembris 1595.* Constit. incip. *Ratio Pastoralis Officii* confirmavit, & innovavit *ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine* omnia, & singula privilegia Fratrum Minorum, etiam *vivæ vocis Oraculo concessa*, ut patet *ibi §. 3.* Unde cum ob Clausulam *ex certa scientia*, sub qua de novo concessit omnia Fratrum Minorum privilegia a quocumque Pontifice sive per *Bullam*, sive *vivæ vocis Oraculo* concessa, jam ipsa *vivæ vocis Oracula* acquirunt novam naturam, & novum esse, & ex *vivæ vocis Oraculis* evadunt *privilegia scripta, seu bullata*, eorumque naturam assumunt, ut recte observant Pellizar. *tract. 8. cap. 1. num. 132.* Reiffenstuel *lib. 5. Decretal. num. 161.* & alii, adeoque non sunt revocata saltem pro foro interno a Gregorio XV. & Urbano VIII. in supra adductis Constitutionibus *a n. 7. ad 9.*

Item valent adhuc hodie omnia *vivæ vocis Oracula* post Gregorium XV. & Urbanum VIII. concessa, quia cum par in parem non habeat imperium, *cap. Innotuit 20. de election. §. Quamvis & c. Exiit 3. de verbor. significat. in 6. §. Ceterum sanctæ memoriæ*, stat clarum, quod Gregorius XV. & Urbanus VIII. in dictis suis Constitutionibus non ligaverint manus Successorum Pontificum, adeoque *vivæ vocis Oracula* ab istis ex post concessa valent adhuc hodie pro *foro interno*, etiamsi de iis testimonium authenticum ab Officialibus, & ministris supradictis non habeatur, sed alii fide digni Superiores, Generales, Provinciales, Procuratores Generales, & hujusmodi, in quorum præsentia aliquis Papa Gregorii XV. & Urbani VIII. Successor privilegium oretenus concessit, testimonium ferant; supradicti enim duo Pontifices loquuntur præcise de oraculis antea concessis, & probatio per testimonium dictorum officialium Papæ, & Sedis Apostolicæ ab Urbano VIII. præscripta se extendit solum ad probanda oracula præcedentia, non autem ad oracula in futurum concedenda (*). 18

Ut autem *vivæ vocis Oracula* post Urbanum VIII. concessa valeant etiam pro *foro externo*, quamvis absolute non requiratur probatio concessionis per testificationem dictorum officialium propter dicta *numero antecedenti*; attamen requiritur tale fide dignum testimonium de eorum concessione, quale ad probandum *in foro externo* alias requiritur, & sufficit; *arg. toto titulo 19. de probationibus*. Sic Reiffenstuel *loc. cit. num. 164.* & alii passim. 19

Hic

(*) E. R. Multa profecto in hoc articulo occurrunt, quæ seria indigerent animadversione. Si stemus Auctori, nullius sunt roboris Constitutiones Greg. XV., & Urbani VIII. vivæ vocis Oracula in tam ampla forma revocantes, saltem quantum ad forum internum. Hic nihil aliud agam, nisi subnectere verba P. Remigii Maschat, quæ veluti regula inconcussa mihi sunt, postquam ejus Opus a Clar. Ubaldo Giraldi illustratum est. Is autem ita habet L. v. tit. XXXIII. R. 5. „ Privilegia vivæ vo„ cis Oraculo concessa hodie revocata sunt per Constit. Urbani VIII. incipien. *Alias*, & Greg. XV. „ incip. *Romanus*: quæ vero post dictas Bullas viva voce concessa sunt; probabilius valent pro foro „ interno, cum ob substantiam privilegii scriptura non requiratur: et in foro externo non prosunt, „ nisi fuerint authentizata per publicos officiales Papæ ad id constitutos, ut statuitur in cit. Constit. „ Urbani VIII. „ Confer, mi lector, æquam ac sobriam hanc doctrinam cum portentosa ostensione privilegiorum vivæ vocis oraculo concessorum, non obstantibus præfatis Constitutionibus. Videnda tamen est Constitutio Clementis XII. ut infra.

Hic juvat ad rem addere novissimam Constitutionem Clementis XII. revocatoriam diversarum facultatum, ut sequitur.

„ Clementis XII. revocatio diversarum facultatum „ a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis Oraculum, vel Rescripta, concessarum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ ROmanus Pontifex, Gregis Dominici curæ „ sibi divinitus commissæ, more seduli Pastoris jugiter advigilans, nonnulla, quæ „ a Prædecessoribus suis concessa noscuntur, justis interdum suadentibus causis, quibus præsertim Ecclesiasticæ disciplinæ conservationi, „ animarum Christifidelium saluti, ac recto rerum „ ordini consulitur, pro Apostolici muneris sui „ solicitudine moderatur, revocat, & immutat, sicuti omnibus debitæ considerationis trutina perpensis conspicit in Domino salubriter expedire.

„ Itaque de nonnullorum Venerabilium Fratrum „ nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac „ etiam motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula infrascripta indulta, facultates, & gratias, quæ tam „ ad supplicationem partium, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vivæ eorum vocis Oraculo, vel per Rescripta propria illorum, aut de eorum mandato cujusvis „ S. R. E. præfatæ Cardinalis, alteriusve ipsorum „ prædecessorum, vel Sedis Apostolicæ Officialis, „ & Ministri manu signata, quibuscumque utriusque sexus personis sæcularibus, vel Regularibus, cujuslibet status, gradus, conditionis, „ præeminentiæ, ac dignitatis, sive Ecclesiasticæ, „ sive temporalis existentibus, etiamsi de iis specialis, ac individua mentio, & expressio necessario facienda foret: Communitatibus quoque, „ Universitatibus, Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Conventibus, & Monasteriis cujusvis Ordinis, Congregationis, Militiæ, etiam „ S. Joannis Hierosolymitani, ac Instituti, & Societatis etiam Jesu, tam Mendicantium, quam „ non Mendicantium, Exemptorum, & non Exemptorum, ac quovis tandem Privilegio suffultorum nullis prorsus exceptis, quandocumque, & „ qualitercumque concessa fuerunt, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, & annullamus, viribusque, „ & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irrita, & „ annullata, viribusque, & effectu vacua esse, „ ac perpetuo rore, neque de cetero cuiquam suffragari posse, vel debere decernimus, & declaramus.

„ Indulta autem, facultates, & gratiæ hujusmodi sunt, quæ sequuntur, videlicet.

„ I. Excipiendi confessiones sive Sæcularium, „ sive Regularium, etiam Monialium, aut aliarum „ quarumvis personarum in Conventibus, Monasteriis, seu Conservatoriis degentium absque expressa Ordinariorum, ac Superiorum illorum, ad „ quos pertinet, facultate: nec non eligendi sibi „ Confessarium ab iis respective non approbatum.

„ II. Absolvendi quoscumque sive Sæculares, „ sive Regulares utriusque sexus a peccatis, pœnis, & censuris in litteris die Cœnæ Domini „ quotannis legi, & publicari consuetis, vel alias „ Sedi Apostolicæ, locorumve Ordinariis, aut Superioribus regularibus quoquo modo reservatis; „ prout quoque eligendi Confessarium, etiam ex legitime ad audiendas Confessiones approbatis, „ qui a peccatis, pœnis, ac censuris sic reservatis absolvat.

„ IV. Eximendi, seu absolvendi quemlibet ab „ obligatione denunciandi in casibus, quibus denunciatio juxta præscriptum Constitutionum Apostolicarum seu alias fieri debet.

„ IV. Utendi quibuscumque facultatibus etiam „ generaliter concessis quoad alitercumque dictæ „ Sedi, vel etiam ipsi Romano Pontifici reservata, „ sive per eos, majori, vel minoribus Pœnitentiariis attributis, durante Jubilæo, vel Missionum, „ Exercitiorum spiritualium, Quadragesimæ, Adventus, aut alio quovis anni tempore; sicuti „ etiam utendi facultatibus, quæ ab officio Pœnitentiariæ Apostolicæ aliquando impertiri solent.

„ V. Relaxandi juramenta quælibet, etiamsi de „ nullo cujusquam agatur damno, seu præjudicio.

VI. „ Dispensandi, sive commutandi vota quæcumque, licet simplicia dumtaxat, ac juramento minime confirmata.

„ VII. Dispensandi cum quibusvis personis Sæcularibus pariter, vel Regularibus super qualibet irregularitate, & inhabilitate quomodocumque ex delicto, vel defectu etiam prorsus occultis proveniente, tam pro exercendis susceptis, „ quam pro suscipiendis quibusvis ordinibus, ac „ retinendis, & assequendis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis.

„ VIII. Dispensandi super quocumque impedimento quantumvis occulto matrimonium dirimente, sive agatur de matrimonio contrahendo, „ sive de convalidando jam contracto.

„ IX. Convalidandi titulos beneficiorum Ecclesiasticorum Simoniace, vel ex alio quovis capite „ invalide obtentorum, ac condonandi fructus qualitercumque indebite perceptos, aut componendi super iisdem fructibus.

„ X. Celebrandi Missam itinere, aliave occasione in quocumque loco super altari portatili, sive extra tempus, ab Ecclesia definitum, vel non „ servandi omnia, & singula ab ipsa Ecclesia præcepta, & ordinata circa celebrationem Missæ, „ & administrationem sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.

„ XI. Officium divinum absque legitima causa „ non recitandi, illudve commutandi in alias „ preces, vel opera pia, sive recitandi unum Officium pro alio, aut extra tempus ab Ecclesia statutum, vel super præmissis cum aliis dispensandi.

„ XII. Indulta quæcumque a Regularibus utriusque

„ que itidem sexus obtenta, votum paupertatis „ quomodolibet lædentia, aut Regulari observantiæ, Apostolicis Constitutionibus, propriique „ Ordinis, seu Instituti statutis contraria, vel adversantia.

„ XIII. Facultas Regularibus alloquendi Moniales etiam consanguineas, aliasque personas „ intra clausuram degentes absque peculiari Superiorum, ad quos quomodocumque spectat, „ licentia.

„ XIV. Indulta, facultates, & gratias mox relata, eorumve aliqua in toto, vel in parte indefinite, vel ad tempus, & in casu particulari, seu „ alio quovis modo aliis communicandi.

„ Quæ quidem omnia, & singula, etiamsi sub „ quibuslibet aliis quantumvis amplis verborum „ formis, & tenoribus concessa, & impetrata fuerint quoad utrumque forum; ac generaliter, sive res sit de casu occulto, sive de publico, revocata, & abrogata esse, ac intelligi, & censeri „ debere statuimus.

„ Districte propterea prohibemus, ne quisquam „ deinceps indultis, facultatibus, & gratiis sic per „ Nos revocatis, & abrogatis ullatenus uti audeat, seu præsumat sub pœna excommunicationis, ac privationis Officiorum, dignitatum & „ quorumvis beneficiorum obtentorum, vocis activæ, & passivæ, nec non inhabilitatis ad audiendas confessiones, & ad officia, dignitates, & „ beneficia hujusmodi in futurum obtinenda ipso „ facto absque ulla alia declaratione per transgressores respective incurrenda, a qua nonnisi a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo constituti, absolutionis, dispensationis, seu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.

„ Noverint insuper pœnitentes, & alii fideles, „ absolutiones, dispensationes, relaxationes, commutationes, convalidationes, compositiones, „ & alia ejusmodi, si quæ in posterum contra „ hanc nostram prohibitionem obtinuerint, nulla „ fore, nulliusque roboris, ac momenti.

„ Ceterum per præsentes non intendimus revocare supradicta indulta, facultates, & gratias, „ quæ per quasvis litteras Apostolicas, etiam in „ simili forma Brevis expeditas, vel rescripta a „ S.R.E. præfatæ Cardinalium, aut Romanæ curiæ „ Prælatorum, aliisve almæ Urbis Congregationibus edita, & ab eisdem prædecessoribus approbata, nec non per dictum officium Pœnitentiariæ Apostolicæ quandocumque concessa fuerint, „ seu emanaverint, quæ salva, ac firma remanere „ volumus.

„ Decernentes, easdem præsentes litteras, & „ in eis contenta, etiam ex eo, quod prædicti, „ & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad „ ea vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in controversiam vocari, aut „ adversus illa quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium intentari, vel impetrari nullatenus „ posse, sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, efficaces existere, & fore suosque „ plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in „ præmissis per quoscumque judices ordinarios, „ & delegatos, etiam caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales „ etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoslibet, quavis præeminentia, „ & potestate fungentes, & functuros, sublata „ eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & „ definiri debere, ac irritum, & inane, si secus „ super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac quibusvis Constit. & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus „ sit quarumlibet Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Institutorum, Societatum etiam „ Jesu, Communitatum, Universitatum, Capitulorum, Collegiorum, Confraternitatum, Conventuum, & Monasteriorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis „ quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac „ cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis „ in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, „ & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium „ præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis.

„ Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque „ totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & „ individua, ac de verbo ad verbum, non autem „ per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, „ tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, „ nihil penitus omisso, & forma in illis tradita „ observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, „ & insertis habentes, illis alias in suo robore „ permansuris, ad præmissorum effectum hac vice „ dumtaxat specialiter & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

„ Ut autem eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, illas, „ seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, nec „ non Cancellariæ Apostolicæ, curiæque generalis „ in monte Citatorio, & acie campi Floræ de Urbe præfata, ut moris est, affigi, & publicari, „ sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos,

„ quos

„ quos illæ concernunt, perinde arctare, & affice-
„ re, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: Utque ipsarum litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Febr. MDCCXXXII. Pontificatus nostri anno secundo.

Additiones ex aliena manu.

21 Non inutile est, hic accuratius inquirere, quænam vivæ vocis oracula fuerint revocata.

Illud principio monendum est, sub generali revocatione oraculorum vivæ vocis non venire privilegia oretenus omnibus fidelibus, aut omnibus ecclesiasticis, vel aliis quam Regularibus concessa, quia in Bullis revocatoriis exprimuntur dumtaxat privilegia oretenus concessa Regularibus Ordinum, (*) tum Mendicantium, tum non Mendicantium; Grueber *de privileg. tract.* 1. *disput.* 4. *sect.* 5. *num.* 48. De privilegiis itaque concessis oretenus Regularibus erunt sequentes quæstiones.

22 An sub generali revocatione venerint oracula illa vivæ vocis, quibus declarantur privilegia Regularium, aut Constitutiones Pontificiæ &c.? Negat Grueber *de privileg. dict. tract.* 1. *disp.* 4. *sect.* 5. *num.* 48. At recte Amort *in addit. ad mox laudatum auctorem*: *Inter declarationes* (ait) *alias esse authenticas, dispositivas, ac novæ legis constitutivas, alias vero tantum doctrinales, ac magistrales, quæ non habent vim legis. Itaque si ex circumstantiis constet, declarationem in re indeterminata per legem, esse novæ legis constitutivam, aut a lege generali non per epikiam, sed ex gratia exceptivam, eadem ratio erit de his oraculis declarativis, quæ de aliis. Intentio enim Pontificis privilegia revocantis talis esse præsumenda est, qualis esse debet. Talis autem esse debet, qualem exigit urgens ratio.*

23 De indulgentiis quoque oretenus concessis quæritur, an eæ comprehendantur sub generali revocatione oraculorum vivæ vocis? Pariter negat Grueber *loc. cit.* Sed Amort *cum in addit. ad ipsum, tum in tract. de indulgent. quæst.* 56. *nota* 5. affirmativam sententiam tenent, & merito, quia etiam indulgentiæ sunt indulta, & gratiæ &c. quæ in Bulla Urbani VIII. revocantur, immo majus est confusionis, deceptionis, aut scandali ex hujusmodi incertis indulgentiis periculum, quam ex aliis privilegiis.

24 Gravior quæstio est, an privilegia vivæ vocis oraculo concessa, quæ ante revocationem Gregorii XV. sortita fuerunt effectum, qui tamen tractum habet successivum, dici debeant revocata? Fertur autem, P. Dominicum Molin. Procuratorem Generalem Ord. Prædicat. petiisse a S. Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita declarari, *an stante præfata revocatoria Gregorii XV. gratiæ, & privilegia vivæ vocis oraculo concessa Generalibus, Vicariis Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ac eorum Ordinibus, quæ sortita erant effectum ante revocatoriam, licet effectus tractum habeat successivum, vel alias respiceret personas particulares, ut sunt præsentaturæ, & magisteria, maneant in suo robore, & valida censeantur, ac si in dicta Constitutione revocatoria non essent comprehensa, an vero aliqua indigeant revalidatione, tam in temporalibus, quam in spiritualibus?* & mox dictam sacram Congregationem verbis hisce rescripsisse: *Sacr. Congr. &c. prædictas gratias, & privilegia in dicta revocatoria constitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere, proindeque validas fore, & esse, eisdemque secure uti posse censuit, prout alias fuit responsum.* Vide Castellin. *de elect. Canonic. cap.* 6. *num.* 37. Confer instrumentum editum Bullar. Ord. Prædic. *Tom. VI. pag.* 9. *seqq. not.* 1. in quo *pag.* 12. *col.* 1. descripta S. Congreg. Declaratio refertur.

Innixi autem huic rescripto complures negativam in hac quæstione opinionem tenent. Sed non conveniunt de intelligentia privilegii sortientis effectum, qui habeat tractum successivum. Confer Grueber *loc. cit. num.* 50. & 51. Non omittendum vero, quod Amort *in addit. ad num.* 60. *Hanc conclusionem* (inquit) *admittendam esse quoad privilegia personalia de quibus agit illa Molinæ interrogatio, & sac. Congregationis responsio. Non vero extendenda ultra personas actu gaudentes usu privilegii. Ratio est, quia intentio illius clausulæ exceptivæ Pontificiæ præsumenda est esse, qualis debuit esse juxta leges prudentiæ. Quum ergo prudentia solum suadeat excipi personas, non successores, solum inter exceptos censendi sunt tempore Gregorii XV. actu gaudentes usu privilegii.* At verba *ac eorum* 27
Ordinibus pandunt actum haud fuisse solummodo de privilegiis concessis Generalibus &c. Quod si actum dicendum sit de privilegiis solummodo concessis Generalibus, & vicariis Generalibus, nisi ea fuerint restricta ad eos, qui tunc munera illa obibant, non video cur ad successores non sint transitura.

Privilegia vivæ vocis oraculo concessa, de qui- 28
bus testati sunt Officiales Summi Pontificis, quibus vi officii de privilegiis Pontificiis oretenus concessis fides haberi solet, non esse revocata, communis sententia est innixa secundæ Bullæ Urbani VIII. incipienti *Alias felicis recordationis*. In- 29
tellige tamen modo non sint contraria *decretis Concilii Trident.*, *vel Pontificiarum Constitut.*, ut probe monet Amort *in addit. ad Grueber dict. loc. n.* 53.

At magna est dissensio, quinam veniant nomi- 30
ne Officialium, quorum facta attestatio de concessis viva voce privilegiis sufficit, ut non sint revocata. Adi Grueber *dicto opere n.* 54. & ibi Amort *in addit.*

Pariter in eam communiter eunt Doctores sen- 31
ten-

(*) In Brevi Clementis XII. §. *Itaque* generatim dicitur, *quibuscumq. utriusque sexus personis secularibus, vel Regularibus, cujuslibet status, gradus, conditionis, præeminentiæ, ac dignitatis, sive Ecclesiasticæ, sive temporalis existentibus... Communitatibus quoq; Universitatibus, capitulis, Collegiis, confraternitatibus, Conventibus, & Monasteriis cujusvis Ord. congr., Militiæ etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac Instituti, & Societatis etiam Jesu &c.*

tentiam, privilegia oretenus primitus concessa, ac postea per Constitutiones Pontificias, Motu proprio, & ex certa scientia confirmata, non comprehendi in Constitutionibus revocatoriis privilegiorum. Vide innumeros auctores relatos a Grueber *eodem loco num.*55. tum rationes ab eo numeris sequentibus adductas. Sed Amort *in addit.* hanc opinionem impugnat.

32 Impugnat quoque idem Amort *in addit. ad n.*56. opinionem illam, quod privilegium primum per Bullam concessum uni Religioni, deinde vero alteri communicatum per oraculum tantum vivæ vocis, non veniat sub generali revocatione oraculorum vivæ vocis.

33 Reliquum est, ut duo adnotemus. Alterum est, quod revocata tantummodo dici debent privilegia oretenus concessa ante Bullas revocatorias, non item post ipsas. Recte vere ait Amort *in addit. ad Grueber l.c.n.*63. *Non esse verisimile ullum Romanum Pontificem post ea tempora voluisse, aut velle integris Communitatibus, concedere privilegium notabile sine scriptura authentica. Solum enim privilegia personalia solent concedi aliquando sine forma*
34 *probante non publica*. Alterum est, quod si quæ post Bullas revocatorias concessa sunt privilegia, vel concedentur vivæ vocis oraculo, ea veniunt sub generali privilegiorum revocatione. Etenim si Papa, vel Concilium intendit revocare privilegia omnia etiam scripta, adeoque matura deliberatione edita; multo sane magis revocare intendit privilegia vivæ vocis oraculo concessa, ut contra Grueber *dict. loc. n.*45. firmat Amort *in addit.*

ORACULUM SUPERSTITIOSUM. Vide verb. *Superstitio num.*32.

ORATIO.

1 ORationis nomen sumitur tripliciter, scilicet *generalissime*, *generaliter*, *&* *specialiter*. Navarr. *in cap. Quando, seu Enchirid. de Oration.*3. *& Hor. Canonic. prælud.*5. *num.*8. *&* 9. Gobat *tom.*1. *tr.*5. *num.*733. & alii passim. Oratio *generalissime* sumpta significat quamlibet sanctam operationem. Oratio *generaliter* sumpta significat lau-
2 dem Dei, gratiarumque actionem. Oratio *specialiter* sumpta significat petitionem rei alicujus decentis a Deo: Gobat *loc. cit. n.*733. Navarr. *loc. cit.*
3 & alii passim. Et Oratio hoc tertio modo sumpta, scilicet *specialiter*, seu *proprie*, recte definitur a D. Thoma 2.2. *qu.*83. *art.*1. his verbis: *Est petitio rerum decentium impetrandarum a Deo, immediate vel mediate ad eum directa*. Et sic in re *alii communiter*.

Oratio recte dividitur in mentalem, & vocalem. Oratio *mentalis*, seu interna est illa, quæ non voce, sed sola mente formatur, exercendo videlicet interiores animæ potentias circa Deum cum interna, pia, & familiari ad eum directa collocutione, prout fit in meditatione, de qua S. Augustinus (sive Auctor libri *de spiritu & anima* olim S. Augustino adscripti, de quo vide Maurinos Editores in Admonit. ad ipsum librum in Append. ad T. VI. Opp. S. Augustini) *cap.*50. dicit: *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit Orationem*; Oratio autem vocalis est illa, quæ formatur voce externa exprimente pium nostrum internum desiderium ad Deum. Et additur notanter *exprimente pium nostrum internum desiderium*, quia Oratio vocalis ad hoc, ut habeat veram rationem Orationis, necessario debet habere adjunctam Orationem mentalem, seu internam, aliter sine interiori affectu, & attentione prolata non prodest, juxta illud vulgatum.

Si mens non erat, in vanum lingua laborat.

Et sic orantes tamquam hypocritæ merito reprehenduntur a Christo *Matthæi* 15. *num.* 7. *&* 8. his verbis: *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*.

Oratio vocalis dividitur in privatam, & publicam. Oratio *privata* est illa, quam proprio suo motu, & nomine homo privatim quocumque decenti modo, & loco effundit ad Deum pro se, vel pro aliis. Oratio *publica* est illa, quæ auctoritate publica, & nomine totius Ecclesiæ a ministris ad id deputatis Deo offertur, uti fit in Missa, & horis Canonicis. 6

Oratio adultis usum rationis habentibus est necessaria necessitate præcepti divini, positivi, & naturalis. *Communis*; Et quod sit necessaria necessitate præcepti divini positivi, habetur expresse ex pluribus sacræ Scripturæ locis, ut *Luc.*18. *Oportet semper orare*. Ad Colossens. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea*. 1. Ad Thessalonicens. cap. ultim. *sine intermissione orate*. Ad Ephes. 6. *Orantes omni tempore*, & sæpe alibi: Quod autem sit necessaria necessitate præcepti naturalis, clare de se patet, quia jus naturæ exigit, ut Deum quandoque per actus religionis honoremus, & colamus, & hoc naturale præceptum est adeo naturæ rationali insitum, ut omnes gentes etiam barbaræ, & infideles semper agnoverint, cum nunquam fuerit gens tam barbara, ac infidelis, quæ Deum aliquem, seu verum, seu falsum aliquo cultu non honoraret, & coleret, & signanter per Orationem, quæ naturæ obvia maxime indigentiam nostram a Deo primo omnium principio declarat. 7

Immo Oratio secundnm ordinarium Dei concursum salvandi adultos, est ipsis necessaria ad salutem etiam necessitate medii. Ita Suarez *tom.*2. *de Religion. lib.*1. *de Oratione cap.*28. Layman *lib.*4. *tract.*1. *de oratione num.*2. Sporer *tom.*1. *tract.*2. *in* 1. *Præcept. Decalog. c.*7. *num.*21. ubi dicit sic tenere omnes. Et hoc desumitur ex verbis Apostoli *ad Romanos* 10. ibi: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, & mox addit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* indicans non minus quam fidem, etiam invocationem divini nominis, seu Orationem esse medium necessarium ad salutem. Item ex verbis Christi *Luc.* 11. ibi: *Petite, & accipietis*, quasi dicat, nisi petieritis, non accipietis; adeoque petitionem, seu Orationem ordinarie esse medium necessarium ad salutem; Quamvis enim divinum auxilium ad vincendas tentationes, & servanda Dei præcepta necessarium quandoque detur non petentibus, ordinarie tamen non datur, nisi petentibus, ut patet ex illo Jacobi Apostoli *cap.* 4. *num.*2. *Non habetis, propter quod non postulatis*. 8

Quam-

9 Quamvis tempus, quo urget obligatio orandi, per se loquendo, & ex virtute religionis determinari non possit, necesssarium tamen est, ut non nimis diu ab Oratione desistamus, juxta illud Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*. 1. Ad Thessalonicens. cap. ult. *Sine intermissione orate*, & ad Ephes. 6. *Orantes omni tempore*. Unde Sanctus Joannes Chrysostom. *lib.* 2. *De orando Deum* sic dicit: *Si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris, ut enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio*. Et idipsum fortius inculcat Sanctus Bonaventura *de perfectione vitæ cap.*5. respectu Religiosorum: *Revera Religiosus non frequentans assidue Orationem, non solum est miser, & inutilis, quinimmo coram Deo fert animam mortuam in corpore vivo .... Non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter miserabiliter, qui studium Orationis non frequentat*.

10 Per accidens vero, & saltem ex lege caritatis tenetur quilibet homo orare in variis casibus. *Primo*, quando adest necessitas gratiam recuperandi. *Secundo*, quando adest periculum gratiam amittendi. *Tertio*, quando adest periculum grave propriæ mortis. *Quarto*, quando occurrit aliqua spiritualis necessitas proximi, cui aliter succurri non potest, nisi orando pro eo. *Quinto*, quando respublica, seu communitas adest in aliqua gravi necessitate, seu periculo, sive spirituali, sive temporali. In istis enim, & similibus casibus tenetur quis ex populo orare sub gravi, vel levi culpa omnino æstimanda prudenti judicio, juxta gravem, vel levem casus indigentiam, & urgentiam. *Communis*.

11 Respectu autem aliquarum particularium personarum potest insuper adesse obligatio orandi in quatuor specialibus casibus. *Primo*, quando adest specialis status, vel Ordinis sacri, vel beneficii, vel religionis professæ. *Secundo*, quando adest speciale votum. *Tertio*, quando adest speciale pactum. *Quarto*, quando adest speciale præceptum impositum a Superiore, vel in sacramento Pœnitentiæ. *Communis*.

12 Oratio fieri potest pro omnibus, qui necdum sunt in termino; adeoque non solum pro nobis, sed etiam pro quibuscumque aliis, etiam sceleratissimis peccatoribus, pro Paganis, Turcis, Judæis, Schismaticis, Hæreticis, & Excommunicatis. *Communissima*. Et patet tum ex praxi Ecclesiæ, signanter in feria sexta majoris hebdomadæ, tum ex verbis Apostoli 1. *Ad Timoth.* 2. ibi: *Obsecro vos primum omnium fieri obsecrationes, Orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*.

13 Dicitur notanter, *qui necdum sunt in termino*, quia non est orandum pro beatis in cœlo existentibus, cum ipsi Orationibus non indigeant, sed nos potius eorum Orationibus indigeamus, *cap. Cum Marthæ* 6. §. *Tertio loco, de celebratione Missarum*, ibi: *Respondemus, quod, cum sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod injuriam facit martyri, qui orat pro martyre, idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum, quia Orationibus nostris non indigent pro eo quod, cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, sed nos potius orationibus eorum indigemus*. Quamvis tamen varii doceant, posse illis peti novam gloriam accidentalem, ut videtur etiam concedi *in cit. cap. Cum Marthæ*, §. *Tertio loco*. Item nec orandum est pro 14
damnatis, cum ipsi nec dilectionis Dei, nec hominum, nec ullius Orationis effectus capaces sint. *Communis*.

Orandum est tamen pro animabus Purgatorii, 15
quia licet ipsæ sint in termino merendi, & demerendi, non tamen sunt in termino mansionis. *Certa de fide*, etiam in veteri Testamento, *Machabæor.*2. *cap.*12. & idem alibi: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Quo in loco S. Augustinus *lib. de cura pro mortuis habenda cap.* 11. addit; *Etsi id nunquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, tamen sufficere deberet universæ Ecclesiæ in hac consuetudine clara auctoritas*. Et de verbis Apostoli *cap.*32. ait: *Orationibus s. Ecclesiæ, & sacrificio salutari, eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt: Hoc enim a PP. traditum universa observat Ecclesia*.

Immo nedum est orandum pro animabus Pur- 16
gatorii, sed & ipsæ sunt probabilius orandæ, & invocandæ, ut orent pro nobis; quia licet non sint in statu merendi, id tamen ad orandum, & impetrandum non requiritur, ut testatur ipsemet S.Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 16. *ad* 2. Et de facto ex Scriptura sacra constat, animas Patrum veteris Testamenti, dum erant in Limbo, fuisse solitas orare pro populo, *Jeremiæ* 15. & 2. *Machabæor. cap. ultim.* ubi de Jeremia defuncto dicitur: *Hic est qui multum orat pro populo*. Sic tenent Bellarminus *lib.*2. *de Purgatorio cap.*15. Joannes Medina *cap. de Orat. quæst.*4. *verb. de animabus*, Gabriel *sect.* 85. *in canone Missæ prope finem*, Sporer *tom.* 1. *tract.* 2. *in* 1. *præcept. Decalog. cap.* 7. *num.* 1. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.*1. *n.*5. cum Valentia, Suarez, & Less. ibi citatis, & plurimi alii passim, quamvis S.Thomas, & alii senserint contrarium; Vide verb. *Anima*.

Animæ in Purgatorio orant etiam Deum pro se 17
ipsis, quia cum pœnam, & miseriam suam cognoscant, & intensissime desiderent, & sperent suam liberationem, nihil obstat, quo minus hoc suum desiderium, & spem, suamque indigentiam Deo humili petitione explicare possint, saltem ut excitet fideles viventes ad suffragia pro illis ferenda. Ita Alensis *in* 4. *part. quæst.* 91. *membr.*4. Valentia *tom.*2. *disp.*6. *qu.*2. *p.*6. Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*1. *de Orat. cap.*11. §. *Sed jam dicendum*, Lessius *lib.*2. *cap.*37. *dub.*5. Layman *loc. cit. num.*5. ubi dicit hoc certum esse debere, Sporer *tom.* 1. *tr.* 2. *in præcept. Decalog. cap.* 7. *n.* 17. ubi dicit hoc certum esse, & alii passim.

Angeli, & Sancti in cœlo, & orant pro nobis, 18
& a nobis recte, & salubriter invocantur tamquam intercessores apud Deum; Est de fide quoad utramque partem contra hæreticos. Et prima pars, scilicet, quod Angeli, & Sancti in cœlis orent pro nobis, clare patet ex sacra Scriptura, *Zachariæ cap.*11. ubi habetur, quod Angelus afflictionem po-

 puli

puli miseratus ita Dominum deprecatus sit: *Domine exercituum usquequo tu non misereberis Hierusalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Et Tobiæ* 12. ubi Angelus dixit ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis... ego obtuli Orationem tuam Domino; & Jeremiæ* ubi Deus ipse dixit: *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*, per quod clare demonstrat, quod Moyses, & Samuel jam defuncti poterant, & solebant orare pro populo Judæorum; alioquin si nunquam orassent, vel orare non potuissent, inepta fuisset talis Dei locutio. Et *Apocalyps. cap.*5. describuntur viginti quatuor seniores in cœlo procidisse coram Deo habentes *Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum*; Et *ibidem cap.* 8. dicitur, quod *Ascendit fumus incensorum de Orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*, & sæpe alibi in sacra Scriptura, tum veteris, tum novi Testamenti habentur consimiles textus probantes Angelos, & Sanctos in cœlis orare pro nobis.

19 Secunda etiam pars, scilicet quod Angeli, & Sancti a nobis recte, & salubriter invocentur tamquam intercessores apud Deum, clare etiam patet ex pluribus textibus sacræ Scripturæ. *Genes.* 48. legitur, quod Jacob Patriarcha Angeli opem imploravit, & Sanctos posse invocari monstravit, ibi: *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudinem super terram*; *Et Job* 5. ibi: *Voca ergo, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*. *Exodi* 32. ita Moyses orabat Dominum: *Recordare Abraham, Isaac, & Jacob servorum tuorum*; Et *Psal.* 113. ibi: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.... Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*: *Daniel.* 3. ibi: *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum*.

20 Tum quia de fide est, homines Sanctos, & justos a viventibus recte utiliterque orari, seu invocari ut patroni, vel intercessores nostri apud Deum ergo multo magis eosdem Sanctos nunc cum Christo regnantes in cœlis licebit orare, & invocare, ut Patronos, & intercessores nostros; antecedens clare habetur ex variis sacræ Scripturæ textibus; 1. *Reg.* 7.dicunt filii Israel ad Samuel: *Ne cesses clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum*. *Job ultimo*, dicitur. *Ite ad servum meum Job*; *Jeremiæ* 42. habetur: *Dixeruntque ad Jeremiam Prophetam: cadat Oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis Dominum Deum tuum*. *Baruch* 1. legitur: *Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus Deo nostro*. *Ad Romanos* 15. sic habet Apostolus: *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in Orationibus vestris pro me ad Deum*. Et *Iacob cap.* 5. dicitur: *Orate pro invicem, ut salvemini, multum etiam valet deprecatio justi assidua*.

Nec valet dicere cum hæreticis, quod invocatio Sanctorum cedit in injuriam Christi mediatoris, qui solus est mediator, & advocatus noster. 1. *Ad Timoth. cap.* 2. ibi: *Unus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus*. Non valet, inquam, quia, cum ibi Apostolus statim subjungat: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*, aperte demonstrat, quod non loquitur *de mediatore per intercessionem*; sed solum *de mediatore per redemptionem*, quem solum esse Christum Jesum unicum nostrum Redemptorem de fide nos ipsi indubitanter tenemus; quamvis plures mediatores per intercessionem (*) admittamus. 21

Oratio ex Christi promissione habet infallibilem impetrandi vim, dummodo adsint conditiones requisitæ. *Communis*: Habetur enim clare ex pluribus Evangeliorum textibus, *Matthæi* 7. dicitur: *Petite, & dabitur vobis*, & *ibidem cap.* 21. habetur: *Omnia quæcumque petieritis, in Oratione credentes, accipietis*, & *Marc.* 11. promittitur expresse: *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*. *Luc.* 11. absolute dicitur: *Omnis enim qui petit, accipit*, & *Joann.* 16. concludit suam infallibilem promissionem dicens: *Amen amen dico vobis, si quid petieretis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. 22

Prima conditio requisita ad efficaciam, & infallibilem effectum orationis est, quod petantur necessaria, & utilia ad salutem; Cum enim ad infallibiliter obtinendum juxta textum mox allatum *Joann.* 16. debeamus petere in nomine Salvatoris, clare indicat, quod petenda sint necessaria, & utilia ad salutem, quia, ut optime ad eum locum exponit S. Augustinus *tract.* 102. *in Joannem*: *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis*. 23

Secunda conditio est, quod Oratio sit pia, scilicet cum devotione, & maxime cum firma fide obtinendi id, quod petitur, quia supracitatæ promissiones Christi ad infallibilem effectum, seu impetrationem Orationis exigunt fidem orantis. Unde *Jacobi* 1. dicitur: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur, non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino*. 24

Tertia conditio est, quod Oratio fiat pro se ipso, & non pro aliis. Ut enim optime observat S. Augustinus *tract.* 102. *in Joannem*: *Exaudiuntur omnes pro seipsis, non autem pro omnibus*: *Unde non simpliciter dictum est, dabit, sed dabit vobis*. Quamvis enim ex caritate orare possimus, ac debeamus etiam pro aliis, juxta illud *Jacobi* 5. *Orate pro invicem, ut salvemini*, tamen multo difficilior censetur impetratio pro aliis, quam pro seipso, cum alii possint obicem ponere ratione propriæ indispositionis, quam indispositionem tollere, & dispositionem ponere pro aliis, non est in potestate orantis, sicuti est in sua potestate pro se 25

(*) E. R. Christus est etiam mediator per intercessionem, & diversimode a Sanctis. Vide *Expositionem doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ* magni Bossuetii, c. IV.

sē ipso: Dato autem, quod alii, pro quibus oratur, sint debite dispositi, etiam Oratio pro ipsis facta, & ceteris aliis conditionibus vestita, habebit suum infallibilem effectum, seu impetrationem, ut recte docent Layman *loco citato num.* 10. Reiffenstuel *tract.* 5. *dist.* 1. *quæst.* 5. *de Oratione n.* 53. & alii.

26 Quarta conditio Orationis infallibiliter, & certo impetrantis est, quod fiat perseveranter, idest, si prima vice non obtineamus, iterum iterumque instemus. Unde Christus Dominus *Luc.* 18. dicit: *Oportet semper orare, & non deficere*: Et ex professo late id ostendit *Lucæ* 11. de amico, & tribus panibus dicens: *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis: Etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis.*

27 Supradictis quatuor conditionibus concurrentibus, Oratio semper infallibiliter impetrat, & si non impetret, provenit ex defectu alicujus ex dictis conditionibus, ut omnes ipsas egregie complectens dicit S. Basilius *serm. de orando Deum*: ibi: *Ideo quando petis, & non accipis est, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti*; Et jam dixerat Jacobus Apost. *in sua Canonica cap.* 4. *Peti-*
28 *tis, & non accipitis eo quod male petatis*. Immo supradictis quatuor conditionibus concurrentibus exaudiuntur etiam ipsimet peccatores, ut docet Communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 16. Et expresse S. August. *tract.* 44. *in Joannem*, dicens: *Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terra demittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori*. Et S. Joann. Chrysostom. explicans illa verba Christi *Matthæi* 7. *Omnis, qui petit, accipit*, addit, *sive justus sit, sive peccator, dum rite oret*; Et ratio est, quia Orationis proprius effectus, seu impetratio non nititur justitia seu statu gratiæ, sicut meritum solum, sed tantum gratia, misericordia, & liberali promissione Dei, qui dives est, ac pius in omnes justos, ac impios, Judæos, & Græcos, qui invocant illum. *Non enim* (scribit Apostolus *ad Romanos* 10. *numer.* 12.) *est distinctio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*.

29 Nec valet objicere illud cæci nati *Joan.* 19. *Scimus quia Deus peccatores non audit*, non valet, inquam, quia, ut respondet S. Augustinus *loco citato*, illud est dictum nondum Spiritu sancto inuncti, seu perfecte illuminati, & ideo non est ratum, quamvis possit ratificari (ut dicit S. Thomas *loc. cit.*) si intelligatur de peccatore in quantum peccator est, utpote qui, vel cum actuali affectu peccati, vel pro ipso affectu peccati petat; Hunc enim Deus non exaudit ex mera misericordia, nisi quandoque ad vindictam, juxta illud S. Augustini *tract.* 73. *in Joann. Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus*; Tum quia proprius sensus illius cæci videtur esse, quod Deus peccatores non exaudiat ad patrationem miraculorum in confirmationem falsæ fidei, & consequenter Christum non potuisse tunc facere miraculum, nisi ejus vita, & doctrina esset justa, & a Deo. Sic ad litteram Sporer *loc. cit. num.* 15.

Oratio quotidiana fidelium, & præsertim *Pater* 30
noster &c. delet peccata venialia, & quotidiana, textu expresso *in cap. De quotidianis* 20. *dist.* 3. *de Pœnitentia*, ibi: *De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio fidelium satisfacit; Eorum est enim dicere Pater noster, qui es in Cœlis &c. delet omnino hæc Oratio minima, & quotidiana peccata*.

Advertendum est, quod in instructione pro ex- 31
positione SS. Sacramenti occasione Orationis 40. horarum italice tradita de mandato Clementis XI. & a nobis allata sub verb. *Eucharistia in fine*, non excipiuntur *sub* §. 10. pro facultate canendi Missam votivam de SS. Sacramento omnes dies, qui excipiuntur in posteriori, & novissima simili instructione italice pariter tradita de mandato Clementis XII. In hac enim sub dicto §. 10. post verba *Come anche eccettuata la feria quarta delle ceneri, e le ferie seconda, terza, e quarta della settimana santa*, excipiuntur etiam *li giorni dell' ottava di Pasqua, e di Pentecoste, le vigilie del S. Natale, e l'ottava dell'Epifania*, qui non erant excepti in dicta instructione Clementis XI. Hinc utpote posterior, attendenda est nunc instructio Clementis XII. quo ad exceptionem etiam supradictorum dierum. In reliquis autem est utraque eadem ad litteram: Unde sufficit cum dictorum exceptorum dierum additione, attendere jam allatam *loc. cit.* instructionem. Vide ibid.

Orationes, præter eas, quæ in Ecclesia receptæ 32
sunt, in sacris Ritibus non sunt admittendæ. Benedict. XIV. tom. 1. Constit. 86. incip. *Inter omnigenas*, §. 18.

Orationes, seu preces publicæ, earumque for- 34
mulæ ab Ecclesiastica auctoritate indicendæ sunt, & designandæ. Idem Constitut. 82. incip. *Quemadmodum preces*.

Oratio in communi suadetur & laudatur: Ora- 35
tionum vocalium recitatio laudatur, & confirmantur indulgentiæ eas recitantibus concessæ: Orationis mentalis exercitium docentibus, illamque peragentibus novæ indulgentiæ conceduntur: Orationem mentalem per mensem peragentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis indulgentia plenaria conceditur. Hæc omnia ex Constitutione 23. Bull. tom. 2. Benedicti XIV. quam hic per extensum adducimus.

Ven. Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, & Præsulibus locorum Ordinariis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUemadmodum nihil est hominibus a familiari Dei consortio, & consuetudine avulsis, & ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam, & ad Deum quasi ma-

manu facta coeundum magis opportunum, salutare, ac necessarium oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui sancto, & ad Deum locutio; ita ne desolatione desoletur universa terra ex eo, quod nullus recogitet corde, omnes, & singuli ubique, & semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare, & numquam deficere; ut in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas a nobis amoveat miserationes. Ea propter Prædecessores nostri Romani Pontifices divina institutione formati, ut Christi fideles ad orationis, sive vocalis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, & sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem tum cohortationibus inflammare, tum cœlestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur. Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecessorum nostrorum exemplis incensi, non solum omnes & singulas indulgentias, peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes per eosdem nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo nunquam revocatæ fuerint), aut quomodolibet orantibus quocumque modo, sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas Apostolica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo ac forma confirmamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus: Verum etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint ut infra, impertimur. Primum itaque omnibus, & singulis sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, & ubicumque locorum publice, & private quoscumque homines orandi, seu meditandi rudes quomodocumque orare, & meditari docuerint, sive qui pie orandi, & meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dommodo vere pœnitentes, ac sacra communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere pœnitentes, ac sacra Comunione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint semel in mense pro uniuscujusque commodo, & arbitrio plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem orationi mentali dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias apud Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christifidelium quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate, & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi preceptum oporteat, ut quisquis oraturus, ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, & clauso ostio oret cœlestem Patrem in abscondito: tamen cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; & Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet: esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & caritatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores, se simul complexas, validiores in cœlum evehi; optimum esset, ubi commode fieri posset, ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus, & singulis diœcesibus in more poneretur: nimirum, ut singulis diebus, dato certo campanarum signo, sive in Ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim collocatis, convenire facile possit, & nulla suboriatur confusio, & inordinatio, sive inpropria domo patresfamilias, eo, aut alio opportuniori tempore ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent. Ea propter Vos venerabiles Fratres rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus, & singulis ecclesiarum, piorumque locorum, in civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque præcipuarum ecclesiarum; in oppidis vero parochialium ecclesiarum superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut præmisso campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando, decernendoque omnes Christifideles uniuscujusque curæ commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire; sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accendere, necessitatem, utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauros, quos de benignitate apostolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant, & enitantur, atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apost. benedict. Vobis, ven. Fratres, peramanter impertimur.

Da-

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVI. Decembris. MDCCXLVI. Pontificatus nostri anno sexto.

Cajetanus Amatus.

* Anno antecedenti super eodem argumento emanaverat hoc aliud decretum.

CUM sacræ Congregationi indulgentiis, sacrisque reliquiis præpositæ humillime expositum fuerit, tribus diebus, scilicet feria V. in Cœna Domini, ac Parasceves, & Sabbati sancti, quibus incruenta sanctissimi Corporis, & Sanguinis D. N. Jesu Christi sacrificia ex ecclesiasticæ disciplinæ instituto offerri minime possunt, quoddam pium exercitium in Urbe, & in aliquibus Italiæ locis introductum inveniri sub hac lege, ut quisque spatio saltem unius horæ omnibus ac singulis præfatis diebus Orationi mentali, vel vocali in suffragium animarum in Purgatorii pœnis degentium vacare debeat, ut quo tempore ipsæ fidelium defunctorum animæ suffragiis ex Missarum celebratione provenientibus destituuntur, alia qua potest ratione, valeant adjuvari, eadem sacra Congregatio die 6. Aprilis 1745. re mature perpensa ad laudabile hujusmodi institutum confovendum, omnibus & singulis utriusque sexus in Urbe, ac in Italia Christifidelibus, qui saltem corde contriti diebus in Cœna Domini, ac Parasceves, & Sabbati Sancti orationi mentali, vel vocali in suffragium fidelium defunctorum unam saltem horam devote impenderint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum animabus fidelium defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 10. ejusdem mensis sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum sacræ Congregationis approbando benigne annuit.

C. Card. de Hieronymis Præf.
A. M. Erba Protonotarius Apostolicus Sec.

Eamdem indulgentiam confirmavit SS. D. Noster Papa Benedictus XIV. die 4. Martii 1750. anno Jubilæi. Vide verb. Jubilæum *artic.* 1. *numer.* 47. *

35 Ut quisque sciat modum concludendi orationes, seu Collectas, tum in Missa, tum in divino Officio, quidam sacer Poeta sequentibus versibus omnes, quotquot dari possunt, conclusiones univit, videlicet:

Per Dominum dicas, cum Patrem Presbyter oras,
Cum Christum memoras *per eumdem* dicere debes,
Cum Christo loqueris, *qui vivis* dicere quæras,
Qui tecum si sit Collectæ finis in illo,
Et si Spiritus almus, *ejusdem* dicere debes.

36 * Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis degunt, & se credunt contritos, quamvis non sint. Eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato, sed non ita ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecentur ea saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent. Sunt tandem, qui nec dolent de peccato, nec enituntur, ut e statu illo exeant; imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo, vel spirituale, vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez, *Institut. Eccles.* 62. §. 10. *

ORATORIUM.

ORatorium generice captum est locus aptus ad orandum, precesque Deo offerendas. 1
Barbosa *lib.* 2. *Juris Eccles. univers. cap.* 8. *nu.* 1. & alii communiter. Oratorium pro Missis ce- 2
lebrandis, aliud est publicum, & aliud est privatum. *Communis.* Oratorium publicum pro Missis celebrandis est illud, quod auctoritate Episcopi est erectum, & ad Dei cultum tantummodo perpetuo dicatum habens aditum, & liberum ingressum per viam publicam, & pariter egressum in viam communem; Colligitur *ex cap. Oratorium* 6. *& cap. in Oratorio* 7. *dist.* 42. *cap. Quidam* 10. *caus.* 18. *quest.* 2. *cap. Nemo* 7. *distinct.* 1. *de consecrat. & authent. Ut nullus fabricet Oratorium.* Et quod Oratorium publicum debeat habere portam continuo apertam correspondentem in publicum, declaravit *sac. Congregat. Episcop.* 22. *Septemb.* 1719. apud Ursayam *in Miscellan. sacro & profano* 1. *litt. O. num.* 69. *& sac. Congregat. Concilii in Savonen.* 28. *Julii*, *&* 9. *Septemb.* 1734. & sæpe alibi. Oratorium privatum pro Missis cele- 4
brandis est illud, quod intra domesticos parietes in angulis domus privatæ non habens ingressum, vel egressum in viam publicam, ex concessione Sedis Apostolicæ sub certis clausulis, & recognitione, & approbatione Ordinarii, est ad id ad tempus destinatum, ut colligitur *ex formula ordinaria indulti, & ex novissimo decreto Clementis XI. de celebratione in Oratoriis privatis edito die* 15. *Septemb.* 1703. quod decretum, & formula indulti, ut ab omnibus percipiantur, & plene observentur hic ad litteram dantur.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De celebratione in Oratoriis privatis.

QUoniam sancta sancte tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti sacrificii mysterium, quod omni religionis cultu, & veneratione peragendum est; propterea super observandis & evitandis, in celebratione Missarum, in sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Tridentino sub cap. unico sess. 22. *inter cetera statutum est, ut tantum sacrificium solummodo in Ecclesiis, aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordina-*

dinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam peragi paterentur. Ac subinde sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpe sæpius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit; modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino Nostro, quod nonnulli Episcopi sub prætextu privilegiorum capellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares, sub prætextu privilegiorum, quæ ipsis a Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilatationem, seu potius excessum, & abusum in nonnullis diœcesibus, præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimmo prohibita: Siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena diœcesi, & extra domum propriæ habitationis, *in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures ex suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolare; Regulares vero in quibusdam magnatum, seu aliorum nobilium personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas quam in ipsis celebrare sit indultum, vel* absque præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, *vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constit. diœcesanas, aut etiam per decreta sacr. Congreg. Conc. celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit: aut etiam altari portatili uti non verentur, in sanctarum Sanctionum contemptum, ac sancti Sacrificii irreverentiam.*

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam, idem Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi voto sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus, alias hac de re editis, expresse declarat, Episcopis, & his majoribus Prælatis etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juris, nec alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis *in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis; in reliquis vero diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; Atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem; demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus, personas quascumque dictas Missas audientes, nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere; quo vero ad altare portatile iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in* cap. In his, de privileg. *& per alios Summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis decreti tenore mandat, Episcopis aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ad pœnas præscriptas per idem sacrum Concilium in dicto decreto* sess. 22. *usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc decretum, ita procedendi perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, & servari mandat.*

Romæ hac die 14. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præf.

Joann. Dominicus Thomatus Episcopus Cyrenen. S. C. C. Secret.

Forma indulti, ut referunt Quarti *Commentar. in Rubricas Missalis part.* 3. *tit.* 10. *sect.* 2. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 347. Monacell, *tom.* 4. *supplement. ad* 2. *tom. num.* 470. & alii, solet esse tenoris sequentis. 6

Dilecte fili &c. spirituali consolationi tuæ, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes &c. supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Tibi, qui (ut asseris) nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuæ solitæ habitationis in diœcesi N. existentis Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam Missam pro uncquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, ac familiæ, & hospitum Nobilium tuorum præsentia celebrari facere libere, & licite possis & valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, non obstantibus &c. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes

res, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. Datum Romæ &c.

7 Pro infirmo autem etiam nobili solet poni sequens clausula: *Tibi, ut etiam diebus, ut præfertur, exceptis, si in illis ob infirmitatem domo egredi non poteris, in dicto Oratorio prædictam unicam Missam celebrari facere, ac illam cum una persona servitiis tuis necessaria dumtaxat audire libere, & licite valeas*, Vel: *In tua ac unius personæ servitiis tuis necessariæ dumtaxat præsentia, celebrari facere libere, & licite possis, & valeas. Volumus autem, quod alii præter supradictam personam Missæ hujusmodi ibidem interessentes ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur*. Sic refert Monacell. *t. 2. tit. 13. formul. 2. sub n. 32.*

8 Quadruplicis speciei solent Oratoria privata concedi. Primo pro civitate, & omnibus locis, sive ea sint oppida, sive villæ, sive dominia unius diœcesis; & indultum hujus Oratorii conceditur solum personis nobilibus exercentibus jurisdictionem temporalem altam, vel bassam in aliquo loco, qui specificari debet; Et tale indultum solet concedi cum clausulis contentis in formula adducta *sub num. 6.* Secundo pro rure tantum, sive pro locis, seu habitationibus extra urbem, vel oppidum sitis; Et indultum hujus Oratorii conceditur etiam iis personis, quæ non sunt nobiles, & nullam exercent jurisdictionem temporalem in aliquo dominio. Tertio pro infirmis nobilibus (sive jurisdictionem temporalem exerceant, sive non) quod convenit in omnibus cum Oratorio primi generis, præterquam quod valeat tantum pro eo tempore, pro quo orator ob infirmitatem domo ad audiendam Missam egredi nequit, & nulla anni festivitas etiam solemnissima excipiatur, & una sola persona suis servitiis necessaria, præcepto audiendi Missam satisfacere in illis possit, ut patet ex clausula adducta *supra num.* 7. Et hoc indultum potest etiam impetrari pro conjuge, patre, matre, filio, filia, fratre, & sorore infirmis, si simul habitent; tunc enim ad tenorem supplicationis in eodem Brevi exprimuntur. Quarto pro itinerantibus, & vocatur altare portatile, quod solet concedi cum sequentibus clausulis, 1. Ut persona sit nobilis, sive jurisdictionem temporalem exerceat, sive non. Ut valeat tantum v. gr. per Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, & hujusmodi. 3. Ut valeat tantum in actuali itinere, & quidem, ubi Missarum commoditas deest, ceterum ejusmodi Missæ interesse possunt valide omnes comites itineris. Taxa pro dictis indultis obtinendis solent esse 12. Scuta. Sic sapientissimus P. La Croix *lib. 6. part. 3. n. 921. §. De Oratoriis*, ubi dat etiam modum, & formam ipsa indulta petendi.

9 Hic ad uberiorem notitiam juvat expendere singulas clausulas supradictæ formulæ solitæ communiter dari in concessione Oratorii privati, & adductæ *sub num. 6.*

10 Prima clausula: *Qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis*; importat veram nobilitatem ab ascendentibus derivatam; & sufficit sola nobilitas patris, ut tenet *Communis Doctorum*. An autem sufficiat sola nobilitas matris, variant Docto- 11
res: Monac. enim *t. 4. suppl. ad t. 2. n. 476. & seq.* Quarti *loc. cit. dub. 2. §. Colligitur primo*; cum Sanchez, & Tamburino ibi citatis negant sufficere solam nobilitatem ex parte matris, ex eo quod nobilitas absoluta solummodo a patre derivatur. Pignat. tamen *tom. 1. consult. 98. nu. 44.* Amostaz *de causis piis lib. 5. c. 10. n. 37. cum seq.* Card. Petra *tom. 2. Commentar. ad Const. 8. Honorii III. n. 26. & seq.* verius probant ex multis sufficere solam nobilitatem Matris, dicentes, quod tunc solum exposcatur nobilitas absoluta, quando ipsa venit in stricta, & propria significatione, non autem dum est causa favorabilis quemadmodum in præsenti, ubi expresse dicitur: *Te specialibus favoribus prosequi volentes.*

Secunda clausula: *In privato domus tuæ solitæ habitationis in diœcesi N. existentis oratorio*, non 12
privat indultarium hoc privilegio, etiamsi mutet domicilium, & illud transferat, etiam in aliam diœcesim, quia, cum hoc privilegium sit personale, immediate concessum personæ ratione sui, debet sequi personam quocumque se transferat, & figat habitationem: Illa enim clausula *In diœcesi N. existentis*: non apponitur restrictive, seu taxative, sed solum demonstrative in hunc sensum *solitæ tuæ habitationis, quæ nunc existit in diœcesi tali*: eo vel maxime quod sæpe in indultis reperiatur dumtaxat scriptum *Tibi diœcesis N.* Ita Angelus, Silvester, Salas apud Bonacinam *de dispensation. punct. 10. §. 1.* Quintanadven. Pellizzarius, Barbosa, Aversa, Tamburin. & alii, quos citant, & sequuntur Diana *part. 9. tract. 1. resolut. 7.* La Croix *lib. 6. part. 2. num. 269.* Quarti *loc. cit. dub. 1. diffic. 2.* & ita tenet etiam Card. Petra *loc. c. n. 32. & seq.* cum Navarr. Amostaz, Pasqualig. & aliis ibi citatis, ubi advertit, quod, cum motivum concessionis hujus privilegii non sit locus, seu diœcesis, sed sola persona; locus, seu diœcesis in indulto non apponitur taxative, seu restrictive, sed solum demonstrative, & idem tenet Pignatell. *loc. cit. n. 51. & 59.* ubi insuper ex duabus decisionibus Rotæ addit, quod in casu dubio; An verba illa *civitatis N.* seu *diœcesis N.* stent demonstrative an vero taxative? Censentur stare demonstrative. In tali autem casu debet 13
approbari ab Ordinario illius civitatis, sive diœcesis, ad quam Oratorium transfertur, ut tenent omnes supracitati Doctores. Et probabilius, im- 14
mo absolute, debet iterum approbari, etiamsi transferatur solum de una in aliam domum intra eamdem civitatem, seu de uno loco ad alium intra eamdem domum, quia prima approbatio non extendebat se ad hunc locum: tum quia in hac mutatione irrepere potest aliquod indecens contra tenorem indulti; adeoque necessaria est nova approbatio. Pignatell. *loc. cit. num. 57. & 59.* Tamburin. Quarti, & La Croix *locis citatis*, & alii contra Quintanadv. Dianam, & alios aliquos volentes non esse opus nova approbatione, si fiat mutatio loci in eadem civitate, vel domo.

In casu vero, quo verba illa, *solitæ habitatio-* 15
nis in diœcesi N. existentis, seu civitatis N. vel diœcesis N., aut hujusmodi posita sint in indulto re-

restrictive, & taxative, quæ referant privilegium ad locum, ac proinde ipsum certe, & clare restringant ad locum, transferens habitationem ab una ad aliam diœcesim, non trahit secum privilegium Oratorii privati, quia quamvis privilegium sit personale, & sequatur personam, potest tamen a concedente restringi ad certum locum, & operari, ut persona censeatur privilegiata tantum in illo loco, ita ut sequatur personam, quotiescumque extiterit in tali loco, & tale esset privilegium Oratorii privati, si haberet restrictionem ad locum. Sic expresse Pignatell. *loc. cit. n.* 58. *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 931. §. *De Oratoriis*, & alii.

16 Privilegiatus potest probabiliter, tam in civitate, quam ruri, dum ibi commoratur, uti Oratorio privato, ita tamen ut interim non utatur eo, quod est in civitate, quia sicuti illa verba domus *tuæ solitæ habitationis* excludunt omnem aliam domum, quæ non sit solita habitatio privilegiati, ita etiam includit omnem domum, quæ sit solita habitatio, & proinde extendunt concessionem ad ipsam, Pignatell. *loc. cit. num.* 60. Pasqualigus *in q. q. Canonicis Cent.* 1. *qu.* 84. *num.* 3. & alii; Probabilius tamen docent oppositum, Quarti *loc. cit. dub.* 3. *difficult.* 1. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1269. Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 22. cum aliis ibi citatis, quia Summus Pontifex numquam per unum Breve concedit facultatem, ut possit celebrari Missa in pluribus Oratoriis privatis, sed in uno tantum, ut constat ex stylo curiæ; In modernioribus autem Brevibus solet apponi facultas utendi Oratorio privato, & in civitate, & ruri: Unde est semper attendendus tenor indulti.

17 Tertia clausula: *Decenter muro extructo, & ornato, ab omnibus domesticis usibus libero*, denotat, quod locus, in quo vult erigi Oratorium, debet esse decens, muro clausus saltem a tribus lateribus, ornatus, & instructus omnibus supellectilibus necessariis ad sacrum faciendum, & ab omnibus domesticis usibus liber, & se-
18 gregatus. Unde supra cubiculum Oratorii, seu supra capellam non debet retineri lectus ad dormiendum, aut alia res profana, ut monet S. Carolus *in quarto Concilio provinciali*, quod refert Gavant. *in Manual. verb. Ecclesiarum reverentia n.* 14. Et *sacra Congr. Immunit. in Tridentina* 30. *Sept.* 1636. apud Ric. *in Synops. verb. Capella n.* 7. & Monacell. *t.* 4. *supplem. ad* 2. *tom. n.* 481.

19 Potest tamen privilegiatus, si nolit amplius uti privilegio, pro suo libito convertere Oratorium in usus profanos, quia Oratorium privatum non est locus sacer, nec immutabiliter dicatus divino cultui, adeoque nec gaudet Immunitate ecclesiastica ut decrevit *S. C. Immunit. in Perusina* 9. *Dec.* 1631. apud Barbos. *in Summa Apostolic. dec. verb. Oratorium num.* 10. Et sic tenet Quarti *loc. cit. dub.* 4. *difficult.* 2. Tamburin. *Opuscul. de Sacrific. lib.* 1. *c.* 4.
20 *num.* 10. & alii passim. Si autem privilegiatus velit iterum tale Oratorium profanatum remittere ad usum celebrandi sacrum, indigebit nova approbatione Ordinarii; *Citati supra Doctores*, & alii passim.

21 Quarta clausula: *Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*, indicat non posse valide Oratorium constitui, nisi præcedat visitatio, & approbatio Ordinarii, ejusque licentia, quia hæc omnia requiruntur ut conditiones necessariæ ad hoc, ut valeat Papæ indultum. *Communis*. Sufficit tamen, si semel visitetur, & ap- 22
probetur, & licentia obtineatur ab Ordinario loci, idest ab Episcopo, vel ejus vicario, seu delegato, seu a vicario capitulari, Sede vacante. *Communis*.

Ordinarius adinveniens Oratorium præditum om- 23
nibus requisitis in indulto, tenetur approbationem, & licentiam concedere, quia non habet potestatem limitandi concessiones Summi Pontificis; Et si injuste deneget, vel semel concessam sine justa causa revocet, potest cogi ab Archiepiscopo, & aliis Superioribus, ut eam concedat. *Communis*. Ex justa tamen causa, ut si deficiant 24
requisita, potest eam non concedere, & concessam revocare, donec Oratorium sit decenter instructum omnibus in indulto requisitis. *Communis*.

Privata Oratoria post primam visitationem in 25
concessione, & approbatione, non possunt amplius de jure visitari ab Episcopo, nec ab eis potest exigi Procuratio, quia cum non sint loca sacra, aut religiosa, immo nec pia, ut censuit Abbas *in cap. ultimo, de censibus num.* 1. & Fagnan. *ibidem num.* 2. *&* 29. & *ibid. in Opusculo de Grangiis numer.* 2. 9. *&* 25. Card. Petra *loc. cit. num.* 58. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 93. *sub num.* 24. *circa medium*, jam non videtur ex quo capite Episcoporum visitationi subjaceant, ut notant Fagnan. *loc. cit.* Card Petra *loc. cit.* Ventriglia *in prax. tom.* 2. *annot.* 19. §. *unic. n.* 19. Pignatell. *loc. cit. num.* 24. *circa medium*, ubi expresse dicit; *Nam licet Oratorium privatum visitetur, quando primo conceditur licentia, non tamen continuat jurisdictio Episcopi ad illud visitandum, cum privatum sit; unde de facto non visitatur*: *cap. final. de censib. juncto cap.* 26. §. *Deinde, eodem tit. in* 6.

Tamen licet Episcopus non possit tamquam vi- 26
sitator ad dicta Oratoria privata accedere, permissum est ei nihilominus videre (saltem quando præcedit accusatio, vel denunciatio, aut fama publica, quod Oratorium indecenter teneatur, & in ipso non adsint, seu non serventur requisita in indulto), an revera indecenter teneatur, & non serventur dicta requisita? Tunc enim Episcopus potest procedere super crimine in judicio actu visitationis vel denunciationis aut inquisitionis secundum ea, quæ leguntur *in cap. Qualiter, & quando* 24. *de accusationibus*. Et sic potest accedere ad Oratoria privata, ut videat, an constet de corpore delicti, scilicet, an vere inibi deficiant requisita in indulto, & sine debita reverentia sacrificium Missæ celebretur? & sic providere, ut opus fuerit; Innocentius *in cit. cap. Ultim. de censibus post principium*, Abbas antiquus *ibidem num.* 2. & Abbas Siculus *ibidem in fine* ubi sic ait: *Et credo, quod licet Episcopus non possit visitare hujusmodi Oratoria, ut sic; tamen possit ad illa accedere, ut videat, quomodo se habeant, & si præter formam juris constructa sint, & an honeste tractentur?* Pignatell. *tom.* 1. *cit. consult.* 93.

num. 24. *circa medium*, ubi sic dicit: *Cui*, scilicet Episcopo, *non competit proprium jus visitandi Oratoria privata, licet possit ad illa accedere, ut videat, quomodo se habeant, & an bene tractentur?* ut pariter distinguit Fagnan. *in d. cap. Ult. n.* 25. *de censibus*. Thomas del Bene *tom.* 2. *cap.* 16. *sect.* 32. *dub.* 11. *n.* 6. Castropal. & alii apud ipsum. Et idem Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 98. *num.* 39. ubi sic habet: *Illudque visitare amplius potest ultra primam vicem, ut cognoscat, an manuteneatur in eo statu, in quo debet esse, ut in ipso possit celebrari*. Et sic concordat etiam Fagnan. *in cit. cap. ultim. de censibus disceptat. de Grangiis, & eorum Oratoriis num.* 25. Card. Petra *loc. c. num.* 60. Barbos. *de Jur. Eccles. univers. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 15. Ventriglia *in praxi tom.* 2. *annot.* 19. §. *Unic. n.* 19. & alii.

27 Episcopi non possunt concedere licentiam celebrandi in Oratoriis privatis: ibi enim Missæ non possunt celebrari, nisi de licentia summi Pontificis, ut *sac. Congregat. Concil. respondit Archiepiscopo Bononiensi die* 10. *Mart.* 1615. Et eadem sacra Congregat. Concilii de mandato SS. D. Pauli V. *die* 25. *Octobr.* 1615. irritavit licentias omnes celebrandi in Oratoriis privatis ab Episcopis concessas, & expresse prohibuit, ne hujusmodi licentias concedere auderent, & novissime in decreto Clementis XI. adducto *supra sub num.* 5. ubi prohibetur, quod, ne quidem ipsi Episcopi possint celebrare in Oratoriis privatis contra formam ibi præscriptam. (*)

28 Immo Episcopi neque possunt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur. Sic expresse Fagnan. *cap. In his* 30. *de privileg. num.* 13. ubi refert sic declarasse sacr. Congregationem Concilii respondendo Eminentissimo Cardinali Paleotto, & iterum respondendo Eminentissimo Cardinali Legato Portugalliæ; Et sic tenet Eminentissim. Cardinalis Petra *loc. cit. n.* 15. & alii.

29 Potest tamen Episcopus concedere licentiam erigendi oratorium in domo privata, & inibi per modum habitus semper celebrandi; dummodo tale Oratorium habeat publicum ingressum, & egressum, quia tunc posito ingressu publico, & egressu patente in publicam viam, illud Oratorium censetur publicum; adeoque propria auctoritate potest designari ab Episcopo ad divinum cultum, & ad celebrationem Sacrificii. Ita Aversa *de Sacrific. q.* 11. *sect.* 14. §. *Quinto poterant*, Naldus, Homobon. Pasqualig. & alii, quos citant, & sequuntur Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 21. Quarti *loc. cit. dub.* 5. *difficult.* 5. & alii passim.

30 Privilegium Oratorii durat, durante vita illius, cui facta est concessio, eoque mortuo, finitur, nec transit ad heredes, quia est privilegium personale, quod finitur morte personæ privilegiatæ; *l. In omnibus, ff. de Regul. juris; & cap. Privilegium, de Regul. juris in* 6. Unde mortuo privilegiato, nequidem familia ipsius agnatitia eo amplius uti potest, quia non conceditur personaliter familiæ, sed accessorie, quatenus trahit ad participandum in privilegio domini, & ideo cum cesset privilegium quoad dominum, cessabit etiam quoad familiam; *cap. Quælibet, de election., & l. Nihil dolo, ff. de Regul. jur.* Et sic tenent *Doctores communiter*, juxta praxim; ac stylum curiæ Romanæ non permittentis hujusmodi privilegia transire ad successores, non obstante dicta clausula, *ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura*. Nam ista clausula ponitur, non ad extendendam concessionem, sed ad illam modificandam, quatenus sit duratura ejus arbitrio, intelligendo de arbitrio prudentis, & boni viri, qui illam possit revocare ex justa causa, juxta dicta *supra n.* 24. Et docent Sanchez *lib.* 7. *consilior. cap.* 1. *dub.* 55. *num.* 7. Tamburin. *Opuscul. de Sacrific. lib.* 2. *cap.* 4. §. 4. *n.* 16. Quarti *loc. c. dub.* 5. *difficult.* 2. Card. Petra *loc. c. num.* 31. Pignatell. *cit. consult.* 98. *num.* 52. Amostaz *de causis piis lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 83. Pasqualig. *q.* 626. *num.* 2. & alii passim.

Mortuo Summo Pontifice, qui concessit, vel 31
Ordinario, qui Oratorium semel approbavit, non perit Oratorii concessio, quia est gratia facta, quæ non cessat mortuo, vel amoto ab officio, qui eam concessit; Unde mortuo Episcopo, non est opus alia licentia, & approbatione novi Ordinarii; Pignatell. *t.* 6. *consult.* 98. *num.* 53. Quarti *loc. c. dub.* 5. *difficult.* 3. & alii communiter. *arg. cap. si cui* 45. *de præbend. in* 6. ibi: *Hujusmodi concessio (quam cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis*. Immo indultum Oratorii non perit, 32
mortuo Pontifice concedente, etiamsi ante ipsius mortem nondum fuerit ab Ordinario approbatum, & executioni demandatum; Pignatell. *loc. c. n.* 54. & alii passim, *arg. cap. si super gratia* 9. *de Offic. delegat. in* 6. ibi: *Ipsa gratia, licet nondum sit in ejus executionem processum, morte non perimitur concedentis*, & *cit. cap. si cui* 36. *de præbend. in* 6. *Non expirat etiam re integra per obitum concedentis*.

Quinta clausula: *Unam Missam pro unoquoque* 33
die, clare demonstrat, non posse ibi celebrari, nisi unicam Missam pro quolibet die, ut novissime fuit etiam declaratum *in cit. decret. Clementis XI. adducto supra n.* 5. ubi prohibet omnibus sacerdotibus, & etiam Episcopis, ne ibi celebrent, postquam fuerit jam celebrata illa unica Missa, quæ in indulto conceditur, & obligat celebraturum diligenter inquirere, & se optime informare, an jam ibi celebrata fuerit dicta unica Missa, quæ in indulto conceditur. Unde tam celebrans, vel cele- 34
brare faciens in dicto Oratorio alteram Missam, & plures, peccat mortaliter; quia delinquit in re gravi contra expressam Summi Pontificis inhibitionem. Quarti *loc. c. dub.* 6. & ipso teste, alii communiter.

Sexta clausula: *Dummodo in eadem domo cele-* 35
lebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, aperte ostendit, quod in eadem domo nequeunt esse plura Oratoria, & quod idem Oratorium nequit suffragari quoad satisfaciendum præcepto audiendi Missam pluribus dominis distinctis, ad invicem non subordinatis, aut pluribus familiis, si forte plures sint in eadem domo. *Commu-*

(*) Confer tamen Decreti illius Declarationem quæ num. 70. affertur.

36 munis. Unde si in eadem domo sint duo domini cum suis distinctis familiis, & uterque impetraverit indultum Oratorii, is, qui posterior impetravit, non potest eo uti, durante indulto prius pro eadem domo impetrato, ut constat ex relatis verbis, & notant Tamburin. *Opuscul. de Sacrific. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 20. Quarti *loc. cit. dub.* 7. & alii
37 communiter. Cessante autem primo indulto incipit valere secundum impetratum pro eadem domo quia tunc tollitur impedimentum, quo ejus validitas impediebatur, & continuatur causa dans validitatem, nempe voluntas Pontificis ad totum tempus, pro quo datur privilegium, seu indultum, ita ut tunc incipiat privilegium, seu indultum, tamquam tunc, & non antea concessum, juxta *l. Si incertus* 1. §. 1. *ff. De Legatis* 3. ibi: *Quasi nunc datum*; & juxta tradita per Gloss. *in cap. Non firmatur, de Regul. juris in* 6. Calderin. *consil.* 2. *num.* 3. *de Constitut.* Pignatell. *tom.* 6. *cit. consult.* 98. *n.* 66. & alii.

38 Si autem plures familiæ habitent in domo divisa in plures partes, potest pro qualibet habere locum privilegium, seu indultum oratorii; dummodo partes tales sint, quæ habeant cubicula, & alia loca pro officinis, & aliis domesticis usibus sufficientia pro habitatione familiæ, ita ut in qualibet parte sint ea, quæ ordinarie requiruntur pro constituenda una domo, nihilque officiat, quod habeant ingressum communem, atrium commune, & aulam principalem communem; per textum *in l. Si quis duas* 6. §. 1. *ff. Communia Prædiorum*, ibi: *Quod & in ædibus potest dici, si dominus, pariete medio ædificato, unam domum in duas diviserit (ut plerique faciunt) nam & hic pro duabus domibus accipi debet*. Sic Pignatell. *cit. consult.* 98. *num.* 61. cum aliis ibi citatis.

39 Item si domus pluribus solariis constet, nempe superiori, & inferiori, & in ipsis constituantur diversæ habitationes, in quibus habitent diversæ familiæ, erunt diversæ domus juxta diversitatem solariorum, sive domus superioris, sive inferioris, vulgo *appartamento di sopra, e di sotto*, ut ponderant Castr. in *cit. l. Si quis duas* 6. §. 1. *in fine ff. Communia prædiorum*; Cavalcan. *decis.* 29. *num.* 52. 54. & 61. *p.* 2. Carpan. *Ad Stat. Mediolan. cap.* 434. *num.* 32. Pignatell. *loc. cit. num.* 62. & Rota *coram Merlino decis.* 411. *num.* 11. Et ratio est, quia inter has portiones domus adest sufficiens divisio, nec est communicatio in actu inhabitandi inter familias inhabitantes, quod sufficit, ut censeantur domus diversæ in ordine ad fruendum multiplici privilegio Oratorii privati.

40 Septima clausula: *Per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia Regularem*, indicat Sacerdotem ibi celebraturum debere habere a suo respective Superiore approbationem, saltem generalem, & licentiam saltem tacitam, seu non prohibitionem ibi celebrandi. *Communis*; ut enim notat Pignatell. *loc. cit. num.* 84. dicta clausula est apposita, ne privilegiati possint facere celebrare per quemcumque Sacerdotem exterum, & qui non habeat licentiam celebrandi in diœcesi ob vitanda ea inconvenientia, quæ sequerentur, si Sacerdotes exteri absque licentia diœcesani celebrare possent in diœcesi. Unde si quis ex rationabili causa positive 41
inhiberetur a suo respective Superiore, graviter peccaret ibi celebrando, quia tunc, cum non verificaretur conditio exacta a Summo Pontifice, nec pariter suffragaretur indultum concessum sub tali conditione, & sic perinde esset ac celebrare in loco inepto contra voluntatem Pontificis, & sui respective Superioris, quod est grave peccatum. Quarti *loc. cit. dub.* 8. & alii passim. Non requiri- 42
tur tamen pro ibi celebrando licentia Parochi, quia Parochus, nec est Ordinarius, nec habet jus prohibendi. Quarti *loc. cit. dub.* 8. Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 15. cum aliis ibi citatis.

Octava clausula: *sine jurium Parochialium præ-* 43
judicio, denotat, quod in his privatis Oratoriis non potest exerceri ullum munus parochiale sine licentia Ordinarii, aut Parochi. *Communis*. Hinc 44
non possunt ibi exigi decimæ, primitiæ, seu oblationes, quæ de jure debentur Parocho; Nec potest ministrari Sacramentum Eucharistiæ tempore Paschatis sine licentia Parochi, aut Ordinarii, Nec denunciari Matrimonia, aut benedici puerperæ, & alia hujusmodi ad Parochum spectantia, & qui similia ibi perageret sine licentia saltem tacita, graviter peccaret, nisi excusaretur ratione parvitatis materiæ. Tamburin. *Opuscul. de Sacrific. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *numer.* 24. & *seq.* Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 15. cum aliis ibi citatis. Quarti *loc. c. dub.* 9. cum Molfes. Pellizar. & Quintanadven. ibi citat.

In his privatis Oratoriis potest ministrari Sacra- 45
mentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, si id non sit per specialem aliquam Constitutionem expresse prohibitum. *Communis*. Immo Diana *part.* 4. *tract.* 46
4. Suarez *de Religion. tom.* 4. *lib.* 9. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 3. Pellizzar *part.* 3. *respons. moral. cap.* 39. Quintanadv. *in Theol. moral. tom.* 1. *tract.* 7. *singul.* 33. *n.* 8. & alii, tenent posse Regulares in Oratoriis privatis Eucharistiam extra festum Paschatis ministrare, etiam Episcopis contradicentibus, & prohibentibus; eo quia habent privilegium Pauli IV. de anno 1557. ad dandam Eucharistiam sæcularibus extra proprios Conventus. Recte ta- 47
men monent Diana *l. cit.* Lezana *in summa tom.* 3. *verb. Eucharistia num.* 11. & alii consultius esse, si Regulares, contradicentibus Episcopis, non ministrent, cum hoc etiam consulat Sixtus IV. quoad usum amplissimi privilegii concessi Ordini Prædicatorum ad administrandam Eucharistiam sæcularibus, ut patet in Bulla incip. *Sedis Apostolicæ*. * Sed hæc corrige ex iis quæ adducuntur infra sub *num.* 94. in novissima encyclica Benedicti XIV. præsertim a §. 20.

Sacerdotes autem Sæculares non possunt ibi mi- 48
nistrare Eucharistiam, nisi de licentia saltem præsumpta, & tacita Episcopi, vel Parochi, quæ licentia facile præsumi potest; præsertim cum Communio eorum, qui Missæ intersunt, pertineat ad idem Sacrificium, & cum eo connexionem habeat; unde olim, qui Missæ intererant, semper communicabant. Sic Tamburin. *Opuscul. de Sacrific. lib.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 34. & *sequentibus* cum aliis ibi citatis, Quarti *loc. cit. dub.* 9. & alii.

49 Nona

49 Nona clausula: *Exceptis diebus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini, nec non aliis sollemnioribus festis diebus*, excipit quædam solemniora festa, in quibus non licet in Oratoriis privatis Missam celebrare; Et talia festa ex decreto *Sacr. Congr. Rit.* 17. *Novemb.* 1607. sunt Nativitas D. N. Epiphania; Pascha, Pentecostes, Annunciatio, & Assumptio B. M. V. festum SS. Petri & Pauli; Et *ex decr. Sac. Congr. Concilii emanato in Dertonen.* 17. *Februarii* 1685. *lib.* 33. *fol.* 100. etiam festum S. Titularis Ecclesiæ loci. Sic apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 19. & 20. *tom.* 4. *supplemen. ad* 2. *tom. num.* 485.

50 Hinc, si quis in dictis festis exceptis celebret, vel celebrari faciat in Oratoriis privatis, graviter, & dupliciter peccat; Primo quia contra gravem prohibitionem Summi Pontificis celebrat, vel celebrari facit in loco pro talibus festis excepto; secundo quia non satisfacit præcepto audiendi Missam, ut expresse declaratur in citato Decreto Clementis XI. adducto *supra num.* 5. Sic Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 13. cum aliis ibi citatis, Quarti *loc. cit. dub.* 10. & alii passim.

51 Decima clausula: *In tua, & familiæ tuæ præsentia celebrari facere*, designat personas, quæ in indulto comprehenduntur, seu continentur, quæ sunt pater, mater, uxor privilegiati, filii, filiæ, nurus, gener, & nepotes, aliique agnati, & affines, dummodo habitent cum ipso indultario, seu privilegiato, & ipsius sint commensales. *Commu-*
52 *nis*. Non autem famuli, ac famulæ quia nomine *familiæ tuæ* veniunt solum agnati, ut dixit Rota *in Rom., seu Bononien., Protectoriarum* 20. *Aprilis* 1671. §. *Clarius*, & §. *His tamen*, *coram Albergato*; aut ad summum cognati; Card. de Luca *de jure patronatus discurs.* 25. *n.* 2. & 3. Tum quia famuli, & famulæ, qui sub nomine familiarium continentur, ex Barbosa *appellat.* 96. *n.* 1. & 4. expresse excluduntur, & exceptuantur a Papa in ipso indulto per clausulam separatam & distinctam, ibi, *Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur*, quæ alias frustranea, otiosa, & illusoria esset, & illico induceretur correctio, & contrarietas, quæ semper est vitanda, maxime quando verba sunt clara, ut hic, prout in terminis litterarum Papæ observat Rota coram Coccino *decis.* 2338. *num.* 5. & 6. Si enim ipsi familiares servitiis indultarii tempore dictæ Missæ actu non necessarii non liberantur ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto, stat clarum, quod non comprehendantur in indulto, & familiares actu necessarii suis servitiis tempore dictæ Missæ satisfaciant præcepto solum contemplatione ipsius indultarii. Sic expresse tenet, & solide probat ex multis Monacell. *tom.* 2. *formul.* 12. *tit.* 13. *num.* 32. & *sequentibus*, & *tom.* 4. *supplement. ad* 2. *tom. num.* 486. & *seq.* Matthæucc. *Officialis Curiæ cap.* 10. *num.* 75. & plures alii; Tum etiam quia in modernioribus Brevibus solet poni hæc clausula: *In vestra, ac natorum, consanguineorum, & affinium vestrorum præsentia*. Unde jam sic cessat difficultas, & stat clara responsio.

Unde sequendi non sunt Doctores contrarium 53
scribentes, & docentes, posse famulos, & famulas sibi celebrari facere Missam, eamque audire, & præcepto satisfacere in Oratorio privato sine præsentia personarum, quarum contemplatione concessum est indultum; oppositum enim expresse declaratur *in cit. decreto Clementis XI.* ibi: *Vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit*. Sic supracitati Doctores, La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 272. & alii passim, qui post dictum decretum scripserunt. Possunt tamen Missam celebrari sibi facere, eam- 54
que audire, & præcepto satisfacere in Oratorio privato sine præsentia domini omnes illi, qui sunt de familia agnatitia, & cognatitia indultarii, dummodo habitent cum ipso indultario, & ipsius sint commensales; Et ratio est, quia in indulto non explicatur præsentiam domini esse necessariam, & illa verba: *In tua, & familiæ tuæ præsentia* possunt reddere sensum disjunctivum vel *in tua*, vel *familiæ tuæ præsentia*, seu non *solum in tua præsentia*, sed *etiam familiæ tuæ*; Tum quia sicut dominus potest sibi celebrari facere sine familia, non obstante particula conjunctiva, *Et familiæ tuæ*, ita poterit familia sine domino. Et revera sic servat praxis communis, ut passim absente domino, qui sunt ex dicta ejus familia, audiant Missam in Oratoriis privatis. Sic tenent passim Doctores, & a fortiori tenere debent Pellizzarius, Aversa, Castropal. Quintanadv. Pignatell. Diana, Quarti, & alii dicentes id posse etiam famulos, & famulas sine præsentia domini. Nunc autem quoad supradicta attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV. in Constitution. incipient. *Cum duo*, ubi statuit, non licere celebrare Missam in absentia domini, ac præsente sola familia, etiamsi præsens sit aliquis sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus, decernens non posse vigore similis indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum intelligi debet iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis; quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur. Et de facto Oratorium privatum, in quo Missa celebrabatur absente domino, cui indultum principaliter fuerat concessum ab Episcopo, fuisse valide suspensum rescripsit *Sac. Congregat. Concil. in Marsicen. Oratorii die* 3. *Decemb.* 1740. *ad dub.* 2.

Pater, mater, filii, ac filiæ, fratres, & sorores 55
privilegiati, eorumque uxores, ac viri non gaudent tali privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant suis propriis expensis; quia nomine familiæ veniunt solum, qui sunt familiares; prædictæ autem personæ non sunt familiares, quia in ipsis deficit conditio necessaria ad constituendam familiaritatem, nempe commensalitas, juxta *cap. Sicut nobis, de verbor. significat. in* 6. sine qua destruitur familiaritas, quamvis habitent in eadem domo materiali; quia cum vivant propriis expensis, & habeant omnia servitia, & suos domesticos seorsim a familia privilegiati, non commu-

municant in habitatione cum ipso, sed constituunt familiam, & habitationem omnino distinctam a privilegiato; Pignatell. *cit. consult. 98. num.* 95. & alii communiter.

56 Undecima clausula: *Nec non hospitum tuorum nobilium præsentia*, denotat quod, duplex conditio debet concurrere, nempe quod sint hospites, & quod sint nobiles. *Communis*. Non requiritur tamen in istis nobilitas ex genere, quia indultum dicit tantum *Nobilium*, non autem *Ex nobili genere*, unde sufficit quæcumque nobilitas, sive ex genere, sive ex privilegio, sive ratione matris tantum, sive ratione dignitatis, seu gradus, sive quocumque alio modo conveniat hospiti ad verificandam qualitatem nobilitatis requisitam, cum sufficiat, ut appellari possit aliquo modo nobilis. Pignatell. *cit. consult.* 98. *num.* 100. Tamburin. *Opuscul. de Sacrificio Missæ lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 32. Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.* 2. *num.* 492. & alii passim.

58 Hospitum autem appellatione veniunt illi, qui domi commorantur tamquam extranei recepti a domino, qui quidem sunt commensales, sed ex occasione temporanea, & ad certum tempus. An autem hoc privilegium extendatur ad hospites, unius diei, & ejusdem civitatis, seu loci, qui ab indultario invitantur ad prandium, vel ad spectaculum, & similia? Variant Doctores. Affirmativam enim tenent Pignatell. *cit. consult. 98. num.* 101. Tamburin. *loc. cit. num.* 33. Pellizzarius *in Manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *qu.* 12. *num.* 150. & alii, quia, dicunt ipsi, revera hi quoque sunt hospites: Immo insuper addunt posse virum nobilem de industria invitari ad hunc finem, ut possit in dicto Oratorio audire Missam, quia uterque, tam invitans, quam invitatus utitur jure suo, nec fraudem committit: quia sic solum redditur habilis vir nobilis, ut gaudere possit privilegio; Negativam tamen sententiam docent Quarti *loc.cit.dub.* 2. Diana *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 6. & alii plures apud ipsum volentes, quod nomine hospitum non comprehendantur habitantes in eadem civitate, seu loco, sed aliunde advenientes, quia indultum Oratorii, cum disponat contra jus commune, stricte, & non ample

59 est interpretandum. Qui veri sunt hospites, si ex aliquo accidenti absit die festo indultarius, possunt sibi facere celebrari Missam, eamque audire, & præcepto satisfacere in dicto Oratorio absque præsentia domini, propter dicta *supra n.*54.(*) In modernioribus autem Brevibus solet poni hæc clausula *In hospitum tuorum Nobilium præsentia* solum pro Oratoriis ruri existentibus.

60 Duodecima clausula: *Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur*, aperte demonstrat, quod illi familiares, qui non sunt actu necessarii servitiis domini tempore dictæ Missæ, non satisfaciunt ibi præcepto, quamvis ejus expensis vivant, & commensales sint. Necessitas autem servitii in dictis familiaribus requisita non debet esse physica, & quoad Missam, quia certe privilegiatus tempore Missæ nullo indiget, nisi sit infirmus graviter, sed respectu domini, & quidem spectata necessitate morali considerando non solum decentiam, seu conditionem dominorum, & dominarum, ne soli, vel solæ remaneant domi, & debito comitatu priventur, sed etiam domus, ne remaneat derelicta a domesticis. Sic Card. Petra *tom.* 2. *Commentar. ad Constit.* 8. *Honorii III. num.*63. Pignatell. *cit. consult.* 98. *num.*107. *&* 108. & alii. 61

62 Advertendum tamen, quod cum *die* 30. *Julii* 1706. *in Auximana Oratorii privati* transcripta fuisset in folio dicta clausula Brevis nempe *Volumus autem, quod familiares servitiis tuis &c.* & propositum fuisset in sacra Congregatione Concilii sequens dubium, *An in vim dicti Brevis satisfaciant præcepto Missæ in diebus festis omnes famuli commensales, vel quinam in casu?* Rescriptum fuit: *Dilata juxta mentem*, & mens fuit, quod *Orator peteret declarationem a Papa*. Sicque patet, sacram Congregationem Concilii noluisse apponere manum propter satis claram mentem Papæ in dicta clausula expressam. Sic apud Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad* 2. *t. num.* 487.

63 An Capellanus, seu Sacerdos electus ad celebrandum in Oratorio privato, & minister inserviens satisfaciant præcepto audiendi sacrum diebus festis ibi celebrando, & respective ministrando? Variant Doctores; Pignatellus enim *tom.* 6. *cit. consult.* 98. *n.* 97. sic præcise habet: *Quod autem ad Capellanum, quando contingit in Oratorio celebrare, non potest satisfacere præcepto audiendi Missam in Oratorio illius, cujus est Capellanus, si salarium tantum recipiat pro celebrando, absque eo quod in celebratione inserviat domino, sed habet tantum onus celebrandi; Potest autem, si sit addictus servitio Domini, ita ut celebret, & dominus, aut familia habeat commoditatem audiendi Missam: Tunc enim est in servitio domini, & cum recipiat salarium vivit expensis ipsius, ac proinde concurrunt conditiones necessariæ, ut sit vere familiaris*: Rosignolus *autem de Eucharistia q.*8. *art.*12. *num.*16. absolute supponit quemlibet Sacerdotem electum ad ibi celebrandum satisfacere præcepto, & utitur hoc fundamento ad probandum satisfacere etiam ministrum ei inservientem, quamvis talis minister non esset ex privilegiatis per diploma, & existerent alii privilegiati, qui possent, & vellent sacro ministrare; Quia, dicit ipse, sicuti Sacerdos electus ad ibi celebrandum satifacit, non est cur non satisfaciat minister electus ad ministrandum; & sicuti potest eligi hic, vel ille Sacerdos ad Missam celebrandam, ita potest hic, vel ille minister eligi ad inserviendum; Tum quia minister inserviens sacro sortitur privilegium, & conditionem celebrantis. Sic ille citans pro se Dianam *lib.*9. *tract.*1. *resolut.*17.

Ast tamen, quamvis sit verum, quod satisfaciat 64

(*) Emendanda tamen ex illis, quæ eodem num. ex Benedicti XIV. Constitutione tradita sunt.

ciat Sacerdos celebrans, & minister inserviens, quando non adest inter privilegiatos, qui possit, & velit ministrare sacro, cum concesso principali intelligatur concessum & accessorium, quod ex dispositione Juris, vel ex natura sua necessarium est ad ipsum principale consequendum, uti verificatur de Sacerdote electo a privilegiato ad ibi celebrandum, & de ministro in casu quo non adsit privilegiatus, qui possit, & velit ministrare sacro; Non sic autem de ministro non privilegiato in casu, quo adsit inter privilegiatos qui possit, & velit ministrare sacro, quia ipse non est accessorius ad consequendum ipsum principale concessum, cum sine ipso possit æque bene ministrari sacro per alium privilegiatum, qui potest, & vult in nostra suppositione sacro ministrare; Tum quia, cum de Jure communi *in cap.* 1. *cap. Sicut & cap. Unicuique dist.* 1. *de consecratione*, & juxta mandatum Concilii Tridentini *sess.*22. *decret. de evitand. in celebratione Missæ*, Missa sit celebranda, & audienda in Ecclesia, indultum Oratorii privati tamquam odiosum, & præjudiciale cultui divino, est stricte, & non late interpretandum. Fagnan. *in cap. Non licet n.*13. *&* 14. *de præbend. arg. cap. Odia* 15. *de Regul. juris in* 6. adeoque nequit extendi ad non Privilegiatos, & ad ministros non necessarios.

65 In Oratorio privato, in quo ex justa causa ab Apostolica Sede conceditur facultas celebrandi Missam in die Nativitatis Domini, tres Missæ, non autem una dumtaxat, ab eodem Sacerdote celebrari possunt. *Sacr. Cong. Conc. in dubio Oratorii privati* 20. *Jan.* 1725.

66 Habens Bullam Cruciatæ non satisfacit præcepto audiendo missam in privato Oratorio; per Bullam enim Cruciatæ non conceditur facultas habendi tale Oratorium privatum, neque commissarius Bullæ potest eam licentiam concedere, sed solus Papa; *Communis*. Privilegium enim Bullæ Cruciatæ circa Oratoria privata fuit sublatum per Concilium Tridentinum *sess.*22. *cap.*8. *in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, & per decretum Congregationis jussu Pauli V. editum *die* 25. *Octobr.* 1615. Atque in hac specie declaravit *sacr. Congreg. Concilii die* 14. *Novembr.* 1648. ad preces Archiepiscopi Calaritani per hæc verba: *An privilegium Bullæ Cruciatæ pro hujusmodi Oratoriis, Altaribus, ac Missarum celebratione in dicta diœcesi possit suffragari; Item an quatenus dictæ Capellæ sub decreto sacri Concilii, nec non dicto decreto Pauli V. & litterarum prohibitione comprehendantur, & Bulla Cruciatæ non suffragetur, liceat Archiepiscopo contra Sacerdotes tam seculares, quam regulares in iisdem Capellis celebrare volentes post edictum Archiepiscopi publicatum, seu intimatum procedere, & quibus pœnis illos punire?* Sac. Congregatio respondit: *Privilegium Bullæ Cruciatæ non suffragari. Item licere Archiepiscopo contra Sacerdotes tam seculares, quam regulares in iisdem Capellis celebrare volentes post edictum Archiepiscopi publicatum procedere etiam ad pœnas censurarum.* Sic refert ex Fagnan. Pignatell. *tom.*6. *cit.consult.*98. *num.* 17.

67 Oratoria, quæ sunt in aulis publici Palatii civitatis, ubi Senatores conveniunt, sunt privata, adeoque opus est indulto Summi Pontificis, ut ibi celebrari possit. Sic declarasse sacram Congregationem Concilii refert Diana *par.*9.*tract.*1.*resol.*35. & ex ipso Quarti *loc.cit. dub.*3.*difficult.*3. Non comprehenduntur autem in decreto tollente Oratoria privata Capellæ carcerum publicorum. Unde potest in ipsis quolibet die celebrari, & ab omnibus ibi Missam audientibus satisfieri præcepto audiendi Missam diebus festis, cum ipsæ Capellæ censeantur Oratoria publica, Diana *loc.cit.* Quarti *loc.cit.* La Croix *lib.*6.*par.*2.*n.*164. & alii. In decreto enim Concilii Tridentini *cit. sess.* 22. *cap.* 8. tollente Oratoria privata comprehenduntur dumtaxat Oratoria in particularibus domibus existentia. Sic declarasse *sacram Congregationem in Florentina* 1.*Septembr.*1615.*& in Conimbricen.* 1.*Julii* 1615. *refert* Barbosa *in cit. cap.* 8. *sess.* 22. *Concilii Tridentini num.* 21. *& in Summa Apostolic. decis. verb. Oratorium n.*2. & Sellius *in Selectis Canonic.cap.*18. *num.* 25. 68

69 Item non comprehenduntur in decreto tollente Oratoria privata, Capellæ, & Oratoria existentia in propriis palatiis, & domibus propriæ habitationis Episcoporum, sive sint in diœcesi, sive extra, & inibi Missam audientes satisfaciunt præcepto de audienda Missa diebus festivis, ut respondit *sacra Congreg. Concil.* 22. *Septemb.* 1640. *in Nullius lib.*6. *decret. pag.*421. & præcedenter 17.*Augusti* 1630. *lib.*14. *Decret. pag.*147. Etiamsi sint Episcopi Titulares; *ead. Sac. Congreg. Concil. in Valentina* 1616. apud Monacell. *tom.*2. *tit.*13.*formul.*1. *in adnotat. ad decretum Communionis quotidianæ n.* 1. *& ibid. eod. tit.*13. *formul.*2. *num.*31. *in princip.* ubi dicit, quod hoc privilegio eis concesso *in cap. final. de privilegiis in* 6. & non revocato ut supra, nequeunt uti extra domum propriæ habitationis ex decreto Clem. XI. adducto *supra num.*5. Quod tamen debet intelligi juxta novissimam declarationem Innoc. XII. Constitut. incip. *Apostolici ministerii* §.22. ibi: *Declaramus tamen, quod cum in prædicto decreto statuatur non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis, his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum prædictæ celebrationis non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.* Quæ Innoc. XIII. Constitutio confirmata est quoad omnia a Benedicto XIII. Constit. incip. *In Supremo*. 70

71 Item non comprehenduntur in decreto tollente Oratoria privata Capellæ, & Oratoria Cardinalium, qui satim ac sunt promoti ad hanc sublimem, & eminentem dignitatem absque alia expeditione indulti, non per viam extensionis, sed comprehensionis includuntur in dispositione *cap. final. de privilegiis in* 6. ut ad longum probat Fagnan.

gnan. *in cap. Quod nonnullis a num. 6. usque in finem, de privilegiis*; Cardinales enim sunt dignitate, & Officio majores Episcopis, ut expresse declaravit Eugenius IV. Constit. incip. *Non mediocri*, & Leo X. Constitut. incip. *Supernæ*, & patet experientia, ac per consequens æquali, ac majori titulo gaudent privilegio habendi Oratorium privatum, sicut Episcopi, & inibi Missam audientes diebus festis satisfaciunt præcepto. *Communis*.

72 Item non comprehenduntur in decreto tollente Oratoria privata, Capellæ, & Oratoria privata regularium: Possunt enim adhuc hodie Generales, & Provinciales regularium in suis conventibus, & collegiis erigere privata Oratoria: dummodo ad divinum cultum tantum sint deputata, & in ipsis absque alia Episcopi, vel Summi Pontificis facultate possunt legi eodem die plures Missæ, nedum a regularibus, sed etiam a Presbyteris sæcularibus, cum hoc privilegium non sit personale tantum, sed etiam locale, quo frui possunt omnes alii Sacerdotes. Sic Aversa, Hieronymus Garcias, Lezana, Suarez, Lugo, Bassæus, Azorius, Fagundes, Marchinus, Reginaldus, Miranda, Tamburinus, Peyrinus, & alii innumeri citati, & secuti a doctissimo Patre Rosignolo *de Eucharistia q.* 8. *art.* 14. *num.* 1. Et sic tenent etiam Diana *par.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 32. *&* 34. Quarti *par.* 4. *tract.* 10. *dub.* 9. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 27. & alii passim.

73 Nec quoad hæc Oratoria fuerunt revocata Privilegia regularium a Concilio Tridentino *sess.* 22. *in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, quia ibi Concilium revocavit solum privilegia celebrandi Missam in *privatis domibus*; Unde in ipso decreto comprehenduntur dumtaxat Oratoria in particularium domibus existentia, ut sæpius declaravit sacra Congr. per decreta allata

74 *supra num.* 68. Et dato etiam, quod per Concilium fuissent revocata privilegia concessa antecedenter regularibus habendi in suis conventibus, & collegiis Oratoria privata, & ibi celebrandi, fuerunt tamen innovata per posteriorem concessionem factam post ipsum Concilium Societati Jesu & in virtute communicationis privilegiorum etiam aliis regularibus a Gregorio XIII. die 3. Maii 1575. per Breve incip. *Decet Romanum Pontificem*, in quo sic expresse habetur: *Volumus, ut in Oratoriis, & Capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se in domibus, collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Missæ, & alia divina Officia, alterius licentia minime requisita, cele-*

75 *brari possint*. Nec etiam quoad hæc Oratoria privata sunt revocata privilegia regularium in novissimo decreto Clementis XI. de celebratione in Oratoriis privatis adducto *supra num.* 5. quia decretum, ut illud legenti patet, loquitur solum de altari portatili, ibi: *Quo vero ad altare portatile... Utendi dicto altari portatili*.

76 In supradictis privatis regularium Oratoriis, seu Capellis possunt omnes fideles Missam audire, & satisfacere præcepto audiendi sacrum diebus festis: quia ista Oratoria gaudent privilegio Oratorii publici, cum sint per modum habitus deputata dumtaxat ad divinum cultum, & tale privilegium non sit personale tantum, sed etiam locale, quo frui possunt etiam omnes alii Christifideles. Sic Tamburin. *Opuscul. de Sacrific. lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. *num.* 6. citans Azorium, Suarez, & Dianam, Quarti *loc. cit. part.* 3. *tit.* 10. *dub.* 9. §. *Colligitur* 3. Rosignolus *loc. cit. num.* 7. *verb. Secunda*, ubi expresse dicit, quod in dictis Oratoriis *omnes indifferenter, & libere audiunt Sacrum, nec ullus est, qui dubitet, quin præcepto satisfaciant*.

Cardinalis Petra tamen *tom.* 2. *Commentar. ad Constit.* 8. *Honorii III. num.* 48. *&* 49. sic præcise habet: *Illud autem, an Sæculares ibi Missam audientes satisfaciant præcepto? certum est regulariter non satisfacere, nisi speciale sit Privilegium, quod debet in fonte revideri; prout an in illis Oratoriis possint celebrare Sacerdotes sæculares*, ut animadvertit Passerin. *de statib. homin. tit.* 3. *q.* 186. *art.* 10. *num.* 982. 77

An autem regulares possint habere Oratoria privata etiam extra conventus in grangiis, & domibus ruralibus utilitatis, & recreationis causa acquisitis? Variant Doctores. Affirmativam enim tenent Lezana, Rodriquez, Peyrin. de la Crux, Henriquez, Leo, Quintanadven. Garcias, Pellizzarius, Diana, Aloysius de S. Joanne, & Miranda citati, & secuti a sapientissimo Patre Rosignolo *loc. cit. n.* 4. *& seq.*, ubi id late probat, & ostendit, non posse regulares in hoc impediri ab Episcopis, concluditque, omnes audientes Missam in dictis Oratoriis sitis in eorum grangiis, & domibus ruralibus satisfacere præcepto audiendi sacrum in diebus festis: Vide ipsum *loc. cit.* & Quarti *loc. cit. dub.* 9. *per totum*. Negativam autem docent Card. Petra *loc. cit. n.* 53. Matthæuc. *Officialis Curiæ cap.* 10. *nu.* 83. ubi dicunt post Concilium Tridentinum esse prohibitum; nam *Sacra Cong. Concilii die* 1. *Martii* 1687. ad dubium Oratorii: *An Sacerdos regularis absque peculiari Sedis Apostolicæ indulto possit in domo rurali monasterii celebrare*; Respondit *negative*; Unde recte monet dict. Card. Petra in hac materia respicienda esse attente verba privilegiorum an etiam se extendant ad parvas domos recreationis (*). 78

Ut regularium Oratoria privata legitime erigantur, & deputentur ex verbis allegati privilegii Gregorii XIII. requiritur, ut Provinciales per se ipsos locum observent, & designent: privilegium enim sic habet expresse: Ut *in Oratoriis, & Capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint*. Et per hoc Card. de Lugo *in responsis moralibus l.* 1. *dub.* 14. solide defendit non posse Superiores locales hujusmodi Oratoria per se designare, & approbare, sed solum posse ex commissione Provincialis judicare, de decentia, & idoneitate loci, & postea ipsum informare, ut jux- 79

ta

(*) Vide Benedicti XIV. Litteras in forma Brevis relatas Verb. *Capella ad num.* 78.

ta ipsam informationem Provincialis per se approbet, & deputet locum in Oratorium, quamvis sit absens, cum non magis requiratur hic præsentia approbantis, quam in absolutione a censura, quæ per omnes omnino ab absente dari potest; Quarti tamen *loc. cit. dub.* 8. *in fine*, & Diana *loc. cit.* censent, posse Superiores locales designare, & approbare locum saltem ex ratihabitione, aut commissione præsumpta Provincialis.

80 Hinc pro complemento juvat afferre sequentem resolutionem sacræ Congregationis Concilii relatam ab Eminentissimo Petra *tom.* 3. *Commentar. ad Constitut.* 2. *Alexandri IV. n.* 33. ibi: *Sacra Congr. Conc. in Messanen. Privilegii* 20. *Septemb.* 1698. *lib.* 48. *decret. pag.* 471. propositis dubiis:

I. An Regularis Theatinus potuerit licite erigere altare portatile, sacrum peragere, & sanctissimum Viaticum ministrare alteri regulari infirmo in domo privata illius consanguineorum absque licentia Ordinarii, aut Parochi?

II. An possit Ordinarius in hoc, & similibus casibus procedere contra regulares etiam ad Censuras? Respondit, *ad I. Negative; ad II. Affirmative, sed in præsenti non molestandum.*

81 Non permittitur a sacra Congregatione Oratorium cum beneficio in domo privata: Immo sacr. Congreg. Immunit. ad tollenda inconvenientia *in Neritonensi* 18. *Januar.* 1628. *censuit, Capellam cum beneficio esse removendam a domo privati*, apud Card. Petra *tom.* 3. *Commentar. ad constitut.* 2. *Paschal. II. num* 80.

82 Quo autem ad hæc Oratoria privata attendenda nunc est novissima dispositio sac. Cong. Concil. & Benedicti XIV. in sequenti decreto, quod hic ad litteram datur.

Decretum jussu Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. editum circa celebrationem Missæ in Oratoriis privatis. Die septima Januar. MDCCXLI.

CUM duo nobiles conjuges diœcesis Marsicen. obtinuissent a Sede Apostolica Indultum pro celebratione Missæ in privato suæ domus Oratorio sic conceptum: *Dilecte fili, & dilecta in Christo filia salutem, & Apostolicam benedictionem. Spirituali vestræ consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, vosque favoribus spiritualibus, & gratiis prosequi volentes, & vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis, super hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, qui (ut asseritis) loco Gallichii, & Messanelli Marsicen. seu alterius diœcesis, jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercendo, Baro, & Baronissa respective existitis, ut in privatis domorum vestræ habitionis in civitate, & diœcesi Marsicen. existentib. Oratoriis ad hoc decenter muro exstructis, & ornatis, seu extruendis, & ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarium loci prius visitandis, & approbandis, ac ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis in vestra, & natorum, consanguineorum, & affinium in eadem domo, vobiscum insimul habitan. familiæque, & quoad Oratoria ruri existentia, etiam in hospitum nobilium vestrorum præsentia celebrari facere libere, & licite possitis, & valeatis, ac vestrum quilibet possit, & valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod familiares servitiis vestris, tempore dictæ Missæ, actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. *Februar.* 1739.

Cum exorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi indulti liceret Missam celebrari in privato Oratorio, etiam sine præsentia alterutrius ex dictis conjugibus, in quos indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa respective sententia inter se certantium, sacr. congregatio Concilii, ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit, die tertia Decembris 1750. censuit: Non licere; Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria Doctorum sententia, prædictam sacræ Congregationis resolutionem nedum approbavit, verum præsenti decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri; non posse vigore similis indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est; Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis personis, minime liceat Missæ Sacrificium peragi; etiamsi præsens sit aliquis, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per hujusmodi Breve conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicujus ex personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, & proscripta qua-

quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus facta, Sanctitas sua ita declaravit, & servari omnino mandavit, districte præcipiens, ut omnes Episcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apostolica delegati executioni, & observantiæ hujus decreti diligenter incumbant per canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

A. Card. Gentili Præfectus.

C. A. Archiepiscopus Philippen. Secr.

83 Oratorium publicum obtenta prius a sacra Congregatione Concilii translatione onerum, potest, clausa janua viæ publicæ reduci ad Oratorium privatum. *Sacra Congreg. Immunit. in Lucana* 19. *August.* 1740. *lib.* 1. *decret. Valleman. pag.* 604. Capella erecta in privatis domibus cum dote, & titulo non cadit sub decreto prohibitionis de celebratione Missarum in privatis Oratoriis; *Sacr. Congr. Conc. in Polignanen.* 23. *August.* 1653. *lib.* 19. *decret. pag.* 688. apud Ursayam *Instit. Crimin. lib.* 1. *tit.* 10. §. 2. *num.* 85.

84 In Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur facultas celebrandi Missam in die Nativitatis Domini, tres Missæ, non autem una dumtaxat, ab eodem Sacerdote celebrari possunt. *Sacra Congr. Concil. in dubio Oratorii privati* 20. *Januarii* 1725. apud *Thesaurum resolutionum sacræ Congregat. Conc. tom.* 3.

85 Oratoria privata non solent facile concedi in domibus mulierum in communi viventium, ut notant Doctores passim, & præsertim Nicolius *in Flosculis verb. clausura num.* 38. *in fine*, Ursaya *tom.* 8. *part.* 2. *disc.* 6. *num.* 8. *& sequent.* Monacell. *tom.* 2. *tit.* 6. *formul.* 19. *num.* 19. *&* 20. & patet ex pluribus sacrarum Congregationum decretis, & signanter in una *Panormitana* 14. *Februar.* 1699. in qua *Sacr. Congr. Conc.* non obstante favorabili voto Reverendissimi Archiepiscopi, similem instantiam congregationis mulierum rejecit, quam refert, & sequitur Monacell. *loc. cit. num.* 20. & ibidem *num.* 19. referendo aliam resolutionem *sacræ Congregat. Episcop. & Regul. in Imolen.* 20. *Februar.* 1694. advertit sacras Congregationes non solum non esse faciles ad concedendas similes gratias, sed nec etiam approbare similia mulierum collegia, illa simpliciter tolerando ad custodiendam honestatem, & libere relinquendo sub Ordinariorum cura & jurisdictione; Et quidem merito denegantur similia indulta, quia hujusmodi Congregationes mulierum sine clausura viventium sunt contra expressam dispositionem, & prohibitionem Pii V. Constitutione incipiente *Circa pastoralis officii* relat. a nobis sub verb. *Tertiariæ n.* 15. ubi quod tales mulieres possunt hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictæ Pianæ Constitutionis, ut de facto Urbanus VIII. Constit. incip. *Pastoralis Romani Pontificis*, suppressit, & annullavit quamdam hujusmodi mulierum congregationem; Unde similes congregationes mulierum, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione Ordinariorum, ut pluries respondit sacra Congregatio, cum Episcop. & Regul. tum sacri Concil. Vide ibi *a num.* 15. 16. *&* 17.

Oratorium esse publicum per multa ostendit, 86
& probat erudite de more D. Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 23. Et signanter ab altari fixo, & stabili, *ib. num.* 95. ab admissione plurium personarum ad audiendas Missas *ib. num.* 95. a campana, & campanili ibi existentibus *ib. num.* 91. *&* 99. a celebratione multarum Missarum in illo sequuta, *ibidem num.* 94. a celebratione Missarum per spatium decennii, *ib. num.* 96. a celebratione festivitatis illius Sancti, cui est dicatum, *ib. num.* 97. a porta correspondente viæ publicæ, *ib. num.* 92. Nec cessat esse publicum, etiamsi habeat januam in interiori atrio, seu cortili palatii, *ib. num.* 29. ex decret. *Sac. Congregat. Episcop. & Regul. in Ostunen.* 20. *Mart.* 1698. *& Sacræ Congregat. Concil. in Compsana* 31. *Maii* 1704. *&* 8. *August.* 1705. ibique *num.* 30. affert exempla Urbis, & idem asserit *sub num.* 60. adducens ad litteram cit. decret. *in Ostunen.* confirmat. 9. *Mart.* 1702. Nec publicitati Oratorii detrahit, quod aditus ipsi detur per scalas, seu porticum per viculum, aut ædes privatorum, *ib. num.* 27. adducens ad id etiam decisionem sacræ Rotæ. Et a fortiori non desinit Oratorium esse publicum, quando patronus cedit juri, quod habebat in situ ante illius portam, *ib. num.* 25. *&* 26. referens per extensum magistralem decisionem *sacræ Congregat. Episcop. & Regul. in Placentina* 14. *Novemb.* 1626. ac dicens, quod talis resolutio vim legis habeat, & tamquam talis servanda sit; & ibi per tot. dictam disceptationem 23. *Pisauren. Oratorii*, sit docte, & erudite scripsit, quod plurimis juribus, & decretis, ac innumeris Doctoribus ad rem adductis, victoriam reportavit contra curiam Episcopalem Pisauri in sacra Congregatione Episcopor. & Regul. quæ Ponente Eminentissimo Cardinali Rubino *die* 2. *Jun.* 1706. rescripsit: *Attenta refectione Pratorii Vicarius Apostolicus permittat celebrationem missarum, & festi Nativitatis B. V. M. circumscripto processu in curia Episcopali fabricato super prætensa falsitate testium.*

Et Oratorium esse publicum, declaravit *Sacr.* 87
Congregat. Concil. in Savonen. in qua propositis binis hisce dubiis: *I. An ædes sacra S. Mariæ de Areneto sit Ecclesia publica, vel Oratorium privatum in casu. II. An constet de nullitate, & injustitia interdicti, & respective suspensionis a divinis in casu &c. Die* 28. *Jul.* 1724. prodiit rescriptum: *Dilata, & fiat planta judicialis, & addatur dubium juxta mentem.* Et reproposita causa sub dubio: *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c. Die* 9. *Septembr.* 1724. responsum fuit: *Prævio recessu a decisis; Ecclesiam esse publicam, facta tamen per Senatorem imperialem in publico instrumento declaratione, se nullum jus habere in area sita ante Ecclesiam, necnon quod claves tam Ecclesiæ, quam areæ prædictæ retineantur a Capella-*

pellano, & ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro declaratione: quod area non gaudeat immunitate. Et quo ad secundum affirmative, & amplius. Sic apud Thesaurum *Resolutionum sacr. Congreg. Conc. tom.* 3. Et in *Ruben. die* 29. *Jul.* 1731. ad dubia: *I. An licita sit celebratio Missarum in Oratorio, de quo agitur; Et quatenus negative;* Et *II. An, & quomodò sit providendum in casu &c.* Ead. sac. Congreg. Concil. Respondit: *Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Provisum in primo* apud *d. Thesaurum tom.* 5.

88 Et in *Nitrien. die* 2. *Februar.* 1735. ad dubia: *I. An constet de valida consecratione Oratorii, de quo agitur in casu &c. II. An idem Oratorium sit publicum, seu potius privatum in casu &c. Ead. sacr. Congregat. Conc.* Respondit: *Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative quoad primam partem, at negative quoad secundam; Imposita tamen obligatione Comiti Josepho retinendi apertas fores atrii de die, & constituendi Capellam congrue dotatam;* apud *d. Thesaurum tom.* 7. ubi ab Eminentissimo Cardinali Cavalchini, tunc sacræ Congregat. Secretario in sua eruditissima causæ expositione adducuntur ad rem sequentia decreta.

89 In *Nullius die* 13. *Januar.* 1626. eadem sacra Congregatio censuit, *committendum esse Ordinario, ut ubi Orator publico instrumento se obligaverit, semitam, qua itur ad Capellam, cuicumque liberam in perpetuum servare, atque illius situs dominio, ac juri efficaciter renunciaverit, declaret, Capellam ipsam non comprehendi in decreto a Congregatione edito de privatis Oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat; ubi tamen prius dictam Capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam, ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc præjudicium inferatur juribus Parochialis Ecclesiæ*, ut in *lib.* 19. *decret. pag.* 316. In *Vercellen.* ubi Episcopus prohibuerat, ne diebus solemnioribus Missa celebraretur in Oratorio intra mœnia castri Catallengi existente; & Comitibus de Catallengo exponentibus, idem Oratorium esse sacra supellectili instructum, ab immemorabili tempore in eo, nocte Nativitatis Domini pluries celebratam fuisse Missam solemnem, Episcopos antecessores illud visitasse, in eo administratum fuisse Sacramentum Confirmationis, & tandem publicum, & liberum ad illud haberi aditum, cum nocturno tantum tempore clauderetur janua prædicti castri; *Sacr. Congreg. die* 3. *Augusti* 1675. respondit, Oratorium esse publicum, adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus, *ut in lib.* 29. *decret. pag.* 124.

90 *In Compsana*, cum Oratorium in aula palatii Baronis Castri Novi situm, Ecclesiastico interdicto fuisset suppositum, necnon prohibitum sacrosanctum Missæ Sacrificium ibi celebrari, nisi doceretur de legitima facultate Apostolica, eo sub fundamento quod ad ipsum publicus non patebat accessus, ac intra septa palatii existebat, ita ut privatum, & non publicum dici deberet, memoratus Baro, & Scipio ejus filius postulantes ab hac sacra Congregatione prædictum Oratorium publicum declarari, ostendere sategerunt, idem Oratorium habere fixum altare marmoreum, & campanile cum campana pro convocatione populi ad audiendum sacrum, dicatum esse S. Joanni Baptistæ, festum ejusdem Sancti Titularis solemniter celebrari cum totius Cleri assistentia, ibique erectum reperiri beneficium sub eodem titulo S. Joannis Baptistæ de jurepatronatus Baronum dicti castri, necnon procurationem Episcopo dictum Oratorium visitanti persolutam fuisse, proposito inter cetera dubio, *An interdictum emanatum per Visitatorem sub fundamento, quod Oratorium, sive Capella, de qua agitur, sit privata, & non publica, sustineatur in casu &c. die* 31. *Maii* 1704. responsum fuit *Negative*, ut in *lib.* 54. *decret. pag.* 216.

Immo reproposita causa ad instantiam Episcopi Compsani existimantis, non convenire, nec licere, quod atrium palatii Baronis pro libito claudi posset, quodque per palatium ad Capellam haberetur aditus, discussa fuerunt duo hæc dubia: *I. An aperiendum sit ostium Capellæ in via publica, vel potius removendæ sint valvæ impedientes ingressum in atrium? II. An liceat Baroni per palatium ad ecclesiam descendere in casu &c.* Et eadem Sac. Congreg. Concil. *die* 8. *Augusti* 1705. respondit: *Ad I. Negative. Ad II. Affirmative, in casu, de quo agitur, ut in lib.* 55. *decret. pag.* 292. Sic ad litteram dict. Eminentissimus Cavalchinus in citat. *Nitrien.* ubi refert etiam supradictas resolutiones *in Savonen. sub die* 28. *Julii, &* 9. *Septembris* 1724. 91

Quamvis supra Oratorium, seu Capellam, aut Ecclesiam nequeant esse cameræ, vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum, aut ad alium usum profanum ex dictis, & decretis allatis *supra num.* 18. & sub verb. *Ecclesia art.* 5. *n.* 5. Subtus tamen ipsa possunt adesse horrea, cellæ vinariæ, aut apothecæ, ut plura adducens exempla Urbis de Oratoriis, ac etiam de ipsismet Ecclesiis Parochialibus, ac pluribus ad id allegatis Doctoribus defendit D. Ursaya *tom.* 8. *part.* 1. *discept.* 40. *a n.* 136. *ad* 138. ubi insuper refert, quod ita in terminis respondit *sacra Congr. Episcop. & Regul. in Reatina* 6. *Jul.* 1706. *& sacra Congreg. Concil. in Pisauren. Oratorii* 23. *Februar.* 1710. 92

Oratorii erectioni locum esse in Collegio, ut in eo valeant Missæ quolibet die, & etiam festis solemnibus celebrari, & Sacramenta administrari convictoribus, discipulis, atque domesticis in Collegio actu degentibus, & illi inservientibus excepta Communione Paschali, respondit *sac. Congregat. Conc. in Sutrina Oratorii* 11. *Jun.* 1718. apud *d. Thesaurum tom.* 1. 93

Sed præ omnibus attendenda est sequens novissima Constitutio Benedicti XIV. juxta quam sunt nunc moderanda varia ex supra traditis, quamque idcirco veluti normam, & regulam hac in re servandam, ad litteram subnectimus. 94

BENEDICTUS XIV.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Magno cum animi nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in diœcesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter Oratoria privata, insurrexisse, quibus præcidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem, & notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certæ vobis regulæ indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati Oratorii privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut cum Ordinationes vestræ Pontificia auctoritate nostra munitæ fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris, atque æstimationis pondus accedat. Licet autem vestræ hujuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea Sanctæ Sedis decreta vel dissimulant, vel ignorant, quæ assertionibus eorum omnino opponuntur; Nihilominus, cum nos Venerabiles personas Vestras præcipuo ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem Decessorum Nostrorum, tum nostram hac super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, præter obedientiam, quæ eisdem debetur ratione auctoritatis, a qua velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiæ ipsius nomine, quæ eorum objectum est, quæque in quæstione versatur, cum omnis hujusmodi res ab Apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem præcipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet, adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quæ in encyclica hac epistola nostra continentur, ordinabitur, & statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum præscriptis præstitum esse dicendum sit; cujus rei gratia Apostolicorum delegatorum qualitatem, & auctoritatem Fraternitatibus vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, nos ipsarum præsentium litterarum tenore Vobis ad hujusmodi effectum concedimus, & impartimur.

§. 1. Nihil sane expositum nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quæ in Episcopalibus palatiis vestris habetis, pro Missa, vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra functione, quæ officii ac dignitatis vestræ propria sit, obeunda, de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito nostro alienum foret: quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quæ Episcopi in proprio Episcopio a publicis Ecclesiis distincta, ac separata habebant, in quibus Sanctum Missæ Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est Sancti Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in Homilia 37. super Evangelia narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in Oratorio Episcopii sui Missas fecit*, tam ut propriæ, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Johannis Eleemosynarii Ep. Alexandrini, qui sicut in actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui Missa nondum peracta discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam Ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio*. Prædictum exemplum legere est apud Thomassinum *de veteri ac nova Ecclesiæ disciplina p. 1. lib. 2. cap. 93. n. 5.* Alia exempla in opere *de Oratoriis privatis* inscripto cap. 6. collecta reperiuntur (quod opus novissime a Johanne Baptista Gattico Canonico Lateranensi Romæ in lucem editum est) per quæ Episcoporum jus circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

§. 2. Huic quidem juri sacrum Trident. Concil. nulla ratione derogavit; quippe quod *tantummodo sess. 22. de observandis & evitandis in celebratione Missæ*, propter multa, quæ parum decenter fieri identidem contingebat, Episcopis præcepit, ne Sæcularibus, ac Regularibus Missam celebrare permitterent *privatis in domibus*, & extra Ecclesias, aut Oratoria publica, quæ divino cultui destinata essent; quod nullam cum Capellis, quæ in Episcopalibus palatiis sunt, rationem habet, quum hæc sub privatarum domorum nomine numquam censeri possint. Id pluries a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, in aliquot ejusdem Resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in nostro *de Sacrificio Missæ* Tractatu retulimus *Sect. 2. §. 45. & seq. Latinæ Edit. Patavinæ*. Nos enim, tunc etiam cum *in minoribus* constituti opus aliquod scriberemus, illud præcipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanæ curiæ tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit.

§. 3. Illud tantummodo de hujusmodi Episcoporum privilegio dici poterat, quod cum idem ad Sacella, quæ in Episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent, adeo ut cum vel Missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere, vel ipsis eamdem celebrare, in illa habitatione in qua forte diversarentur.

§. 4. Ve-

§. 4. Verum recol. mem. Prædecessor Noster Bonifacius Papa VIII. in decretali sua: *Quoniam Episcopi, de privilegiis in sexto*, male factum reputans, Episcopos sine rationabili caussa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam diœcesim altari portatili, seu viatico uterentur: *Præsenti Constitutione indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, aut facere celebrari, ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina*. Dignum animadversione verbum, est *Ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quæ extra diœcesim sita sunt, comprehendit.

§. 5. Præcipuam etiam animadversionem dictæ Congregationis Concilii Resolutiones merentur, cum ad quæsitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam diœcesim est, ad utendum privilegio altaris viatici, petere ejus rei veniam ab Episcopo locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. privilegium fuisset; quoniam illius Pontificis ætate antiquum Jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum quæsitum propositum fuisset: num privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concesso, vel Tridentinum Concilium, vel Pontificis Pauli V. decretum, de quo pariter mox dicetur, præjudicium ullum attulissent, nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit: cum tam in Concilio, quam in citato decreto, sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanserint, quæ proprias personas respiciunt, quæque eorumdem dignitatis, atque characteris propria sunt. Prædictæ Resolutiones a Nobis referuntur in nostro Tractatu *de Sacrificio Missæ* latine editionis Patavinæ Sect. 2. §. 42. nec non in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas *tom. 4. Super Constitutione 2. Urbani V. num. 15. & seq.*, & a Gattico in recenti ejusdem Tractatu *de Oratoriis domesticis, in tit. de usu altaris portatilis cap. 12. n. 1. & seq.*

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus præjudicium privilegiis afferre, quam abusum eorumdem, quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus privilegii altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, & quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum decretum illæsum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra diœcesim, ad laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missæ, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium privilegium ostentarent, vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non prætermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subjectis contigisset. In codicibus actorum, seu Regestis Congregationis prædictæ lib. 48. *Decretorum* fol. 471. Resolutiones ipsæ referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Prædecessore Nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703. sequens decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: *Episcopi etiam in aliena diœcesi extra domum propriæ habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut per plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolant*; ad remedium gradus fit: *ad abusus eliminandos &c. Sanctiss. Dominus Noster &c. expresse declarat, Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juris, neque alio quocumq. titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum Sacrificium celebrare, sive celebrari facere*.

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur; numquam autem, ut recto privilegii usui quidquam detraheretur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla & effrænata, cuiquam præbere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti privilegio altaris portatilis tum cum vel diœcesim visitant, vel iter faciunt, aut alia justa de causa extra residentiam sunt, atque in laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in Congregationibus, quæ sub Innocentio XIII., immediato Clementis ejusdem Successore, habitæ fuerunt, quarum Nos tunc *in minoribus* existentes, a secretis fuimus, opportunum factu judicatum est, ut ea, quam mox subjicimus, declaratio fieret, quæ postea inserta fuit in ejusmodi litteris Innocentii incipientibus: *Apostolici ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono Ecclesiasticæ disciplinæ regimine condidit, quasque etiam ejusdem Successor Benedictus XIII. *in forma specifica* confirmavit, & ut in omnibus locis pro regula ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter ejusdem Concilii decreta retulit Tit. XV. Cap. III., in quo quidem Concilio Nos quoque ad sacrorum Canonum interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus, quod*, cum in prædicto decreto, (de Clementis XI. decreto sermo est,) *statuatur non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi*

in

in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes a domo propria ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.

§. 8. Optimum factu judicavimus in encyclica hac epistola nostra exponere vobis hæc, quæ ad Fraternitates vestras præcipue pertinent, nimirum quantum Vobis concessum est, quoad Sacella, seu Capellas, quæ in Episcopalibus palatiis vestris sunt; quantum item Vobis in alienis domibus, & extra vestram diœcesim facere permissum est; causas etiam concessionum, ac privilegiorum indicavimus, nec non eorumdem abusus, atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut Vos discrimen agnoscatis, quod intercedit inter Capellas Episcopalium ædium vestrarum, in quibus aliquando vobis, pro præcipuo fine hujusmodi commodi, & consolationis vestræ, privilegio altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet, tum vero etiam ne forte, cum vos contra abusus privatorum Oratoriorum in domibus laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestræ domi, atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quæ in domibus laicorum sunt, gradum facientes, aliqua præmittemus.

§. 9. Primum quidem est, privatorum Oratoriorum in dictis domibus, usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos sacra mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus *in suis notis ad Canones Trullanos* apposite animadvertit. Alterum autem, privata Oratoria in domibus laicorum subsequentibus etiam sæculis fuisse, cum persecutiones jam cessassent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius *tom.* 1. *Musæi Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quæ recitanda erat in Missa, quæ celebrabatur *in domo cujuslibet*; nec ad hujusmodi quidem assumptum aliæ deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu nostro *de Sacrificio Missæ* sect. 1. §. 10. cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis hujusmodi Oratoriis privatis in domibus laicorum, seu potius facultatibus Missas in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Justiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis Oratoriis celebraretur, interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil præterea de Novellis 4. & 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, asserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missæ celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quæ proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quæ in dicto Tractatu de Sacrificio Missæ loco superius citato a nobis allata fuerunt.

§. 10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum domibus privatorum Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit: Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis*, vel *ubi ipse permiserit celebranda censemus*. Verba sunt *Can. Missarum*, de *Consecrat. dist.* 1. Hæc autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali ob id potissimum, quod in Ecclesiis Græcorum non nisi unicum altare erat, & postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon in *Comment. ad Canon. Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo censebatur Sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis laicorum Oratoriis, quoties super mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera Cardinalis Osii, & Nuntii Commendonii, in magno Conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta *lib.* 24. *c.* 13. videre est) in *sess.* 22. in decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, sequenti modo statutum, & ordinatum fuerit: *Neve patiantur*, de Episcopis sermo est, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus quibuscumque peragi*, cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni, & consuetudini, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque; ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quæ ab ipsis daretur, celebrandi Missam in Oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum præcepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde prædictum Jus ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiæ temporum, & Oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper fuit Conciliaris textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa ejusdem interpres; quæque etiam a fel. record. Prædecessore nostro Paulo Papa V. in epistola encyclica anno 1615. ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quæ quidem Epistola tum apud varios Auctores, tum etiam in *citato Tractatu nostro de Sacrificio Missæ Sect.* 2. §. 42. impressa reperitur. Et in ea quidem alia quæcumque verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missæ Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda

cedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti præbebat. Deinde in eadem ita concluditur: *Facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam*.

§. 12. Postquam jus concedendi Oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apostolicæ reservatum fuit, dici vix potest quantum curæ, ac diligentiæ adhibitum sit pro recto ejusdem moderamine. Qua de re in Archivio Congregationis Concilii, cujus olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad majores dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta repeririuntur. Hæc tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma Brevis, quæ conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius, vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, & apte compositum sit, & num aliquid eorum, quæ necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, & quod licentia hujusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur a Sacerdote vel Sæculari vel Regulari, dummodo Sæcularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, & aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Titularis Ecclesiæ loci: Exprimuntur personæ, quarum præsentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; aliæ item, quæ, dum supradictis præsentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, & Ecclesiastico præcepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine parochialium jurium præjudicio fieri debere.

§. 13. Atque hæc sunt, quæ in consuetis privatorum Oratoriorum Brevibus continentur: quædam vero alia expediri contingit Brevia, quæ extraordinaria sunt; ut quum, ex. gr., justis cuipiam de caussis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem, aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis præfixus; vel etiam in diebus exceptis, & alia hujuscemodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum Oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiæ exortæ sint, Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non prætermisit.

§. 14. In ordinariis Brevibus, ut plurimum, duobus Conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem præsentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Numquam exorta difficultas est, an, cum aut vir aut uxor Missæ intersunt, si consanguinei, & affines, qui in eadem domo habitant, præsentes pariter adsint, Ecclesiastico præcepto diebus festis satisfaciant, id tamquam tutum, ac Brevis litteræ cohærens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut, dispiceretur, num, cum neuter conjugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari; & num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, & affines, eamdem audientes festo die Ecclesiastico præcepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisæ de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii *die* 3. *Decembr.* 1740. in causa, cujus inscriptio erat *Marsicen. Oratorii*, propositum, ac discussum esset, decisum fuit, non posse in Oratorio privato Missam celebrari, nisi indultariorum præsentia ibidem haberetur; quod idem est, ac si dicatur, viri, vel uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum in *tom.* 9. Resolutionum sacræ Congregationis Concilii *anni* 1740. ad pag. 89. & sequent. videre est.

§. 15. Cum autem decreti hujusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos *sub die* 7. *Januar.* 1741. confirmatum fuit; ac præterea demandatum, ut in hujusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato Oratorio Missam celebrari facere possint, quæ Missa pro filiis, consanguineis, affinibus valeat; majoris claritatis gratia, subjecta clausula adjungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, & affines prædicti unicam dictam Missam, vobis quidem præsentibus, audire tantummodo, numquam vero celebrari facere audeant*. Ut autem quæ indultariæ personæ sint, facile agnosci posset, sine quarum præsentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, præcepto satisfacit; adjunximus, ut pro indultariis personis illæ haberentur, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominatæ forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

§. 16. Nos ab hujusmodi norma minime recedimus: verum quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua præsente, conceditur ut Missa celebrari possit, & quod alii affines, consanguinei, vel familiares eamdem audientes, præcepto satisfaciant, etiamsi prædicta persona in fronte Brevis minime nominetur; hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex indultariis personis adsistit, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum præsens adsit, quæ in fronte seu inscriptione Brevis nominantur, dummodo illa præsens sit, cui in Brevis corpore nominatim, & expresse facultas tribuitur, ut possit in privato Oratorio tum, cum ipsa adsistat, facere, ut Missa celebretur.

§. 17.

§. 17. Atque, ut res exemplo magis pateat, datur viro, & uxori facultas faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem vir superstitem habet matrem; hæc vero in fronte, seu Inscriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque mater eamdem Missam celebrari facere possit, & valeat; id sufficiens est, ut sola matris præsentia adhibita, Missa in Oratorio celebrari possit, etiamsi mater in fronte, seu inscriptione Brevis nominata non sit. Quæ hactenus dicta sunt in hujusmodi generis Brevibus indicantur: verum curæ Nobis erit, ut in posterum felicius etiam, & sine ulla confusione exprimantur.

§. 18. In consuetis, sive ordinariis Brevibus solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet Sacerdote Missæ celebrantur. Interdum illi, qui privati Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit; orta difficultas fuit; num possint die Natalitio a Sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missæ celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii ejusdem a secretis eramus, peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, sub die 13. Januarii anni 1725. resolutum a Congregatione fuit, quod a Sacerdote tres Missæ celebrari possent, quemadmodum tom. 3. thesauri resolutionum pag. 109. & seq., & pag. 116. videre est.

§. 19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quæ in iis Oratoriis fieri possunt, quæ in domibus privatorum sunt, & in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis sacramentum attinet, jam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, præterquam in ecclesiis, in quibus sacri hujus lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de regum, vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica de Baptismo, & ejus effectu videre est.

§. 20. Quod autem sacramentum Pœnitentiæ respicit, jam in Rituali Romano sub titulo de *sacramento Pœnitentiæ*, cum de Sacerdote sermo fit, qui confessiones audit, statutum fuit: *In ecclesia, non autem in privatis ædibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare.* Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum fuit. Et magnus ecclesiasticæ disciplinæ instaurator sanctus Carolus Borromæus tum in instructione sacramenti Pœnitentiæ, tum in monitis ad Confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non prætermisit, quemadmodum in actis ecclesiæ Mediolanensis, editionis civitatis ejusdem *par.* 1. *pag.* 11., *part.* 4. *pag.* 520., *eadem par.* 4. *pag.* 761. & *pag.* 773. videre est; *Pag. autem* 775. Superioribus regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a prædictis Confessariis regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontif. Clement. X. Bulla: *Superna*, nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontif. declaravit, *nullam facultatem* (in prædicta Constitutione sua) *fuisse tributam regularibus audiendi confessiones sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem regularibus cujusvis Ordinis &c. sacramentum Pœnitentiæ administrare in domibus privatis extra casus a jure permissos.* Quod decretum cum præsulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est, ut in appendice ad synodum Fulginatensem, quæ a bon. mem. Josaphat Baptistelli civitatis ejusdem Episcopo anno 1722. celebrata fuit.

§. 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quæ ab unoquoque catholico Paschatis tempore recipienda est, ex præscripto tum decreti concilii Lateranensis *in cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus*, tum concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 8. *can.* 10., nemo est, qui ignoret, præceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii Episcopi, vel Parochi licentia, secundum varias diœcesum consuetudines: Porro fel. record. prædecessor Noster Paulus Papa IV. Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctæ memoriæ altero predecessore Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

§. 22. Verum quia, secundum præcedentem Eugenii IV. Constitutionem, Paschale tempus, intra quod Communionis præceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret intra præscriptum eorumdem dierum terminum sacram Eucharistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere; resolutum fuit, die Paschatis nemini distribui posse ne illis quidem qui intra sanctiorem hebdomadam Paschali præcepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere, hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a præcepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria parochiali ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii decreta sunt quibusdam in causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi, & Mechliniensi, quæ a nobis in nostro de Synodo diœcesana tractatu *libr.* 7. *cap.* 42. *numer.* 3. relata sunt.

§. 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in sacro Tridentino Concilio *sess.* 22. *cap.* 6. *de Sacrificio Missæ*, quæ subjicimus, verba legantur: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singu-*

singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret, non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe & clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missæ præsentes adsunt; neque ad hoc præstandum ullo particulari indulto opus sit. Super hujusmodi quæstionis capite Nos *in nostra Institut.* 34. §. 3. disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiæ resideremus, ecclesiæ illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum Italico sermone edidissemus, postea Romæ latine redditæ, atque impressæ sunt, ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus: verum aliam esse subjunximus, quæ Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missæ in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini tum Romanæ etiam consuetudini, sive praxi cohærens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato Oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missæ intersunt, quam vel Sæcularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel nostram, vel generalis Vicarii nostri licentiam obtinuissent.

§. 24. Neque etiam in præsens voluntas nobis, aut ratio est, cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia super communione illis distribuenda, qui Missæ præsentes cum sint, eamdem petunt, quæ aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter sanctæ Missæ celebrationem communionem recipiunt; ecclesiasticos quoque Pastores excitavissemus, ne ecclesiastico cibo illos fraudarent, qui ejusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, ejusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missæ interfuit, minime distribui; eo magis quod, juxta præsentis temporis disciplinam, libera eidem facultas patet, ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit, ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris præcepto obedientia præstari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium præbuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad altaris Sacramentum recipiendum; quemadmodum in litteris nostris, quarum initium est: *Certiores effecti*, & quæ Bullario nostro *tom.* 1. *num.* 64. leguntur, videre est.

§. 25. Atque hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæcumque in encyclica hac epistola nostra Vobis exponere opportunum existimavimus; a quo quidem satis intelligetis, quod, legendis & considerandis Apostolicis litteris concessionum Oratorii, decessorum nostrorum decretis, harum Congregationum resolutionibus, quæ a Nobis etiam in præsentia confirmata sunt, nullus amplius litibus, & controversiis locus reliquus sit. Verum quia vos illud fortasse Nobis responsuros arbitramur, optime quidem hæc omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quæcumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione, & consideratione, aut ex ignoratione decretorum, ac Pontificiarum resolutionum originem habet, Nos quidem in hac numquam culpandi erims; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet ætate nostra, & multis, ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in encyclicam hanc epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

§. 26. Quod si Vos etiam id præstare curabitis ut in diœcesanis synodis vestris, in vestris item edictis, quæ a Vobis pro bono diœcesis vestræ regimine publicantur, Pontificiorum decretorum, ac resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis; duplex inde bonum extabit, ut, & vivam in Vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis; atque ab aliis, aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem, ac formam tenuerunt, atque in præsentia tenent nostri Italiæ Episcopi, qui aut Pontificiorum decretorum, quæ super privatis Oratoriis condita sunt, summam in synodis suis inseruerunt, aut in appendice ad ipsas synodos eadem decreta *per extensum* adjunxerunt; quemadmodum in synodo *anno* 1724. a bon. mem. Cardinali de Via Arimini habita, in altera *anno* 1736. celebrata a bon. mem. Cardinali Pignatelli Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quæ *anno* 1736. habita fuit a Ven. Fratre nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea præsentibus diebus contingere scandala, quæ numquam præteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus ea, quæ hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacræ leges ad privata Oratoria pertinentes a Sacerdotibus violantur, propter præsidium, quo nituntur, magnatum seculi, apud quos Capellani munere inserviunt; idem nono etiam sæculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis de eadem re queratur in suo tractatu *de Privilegio, & jure Sacerdotii cap.* 11. Non tamen idcirco vobis Sacerdotalis constantia, atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum natio est; &, si quando aliquis abusus in privatis ejusdem Oratoriis contingat, cum id magnati, cujus in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, & ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur; sperare est, ipsum omne suum inobedienti Capellano præsidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur; præsto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra Capellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratio-

ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit; pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum, est quorum causa ad encyclicam hanc epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

§. 28. At enim inconvenientia a privilegiatis, & exemptis proficisci vos fortasse dicturos prævidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in prædicto recursu ad hanc sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quæ impedire possint, quominus abusus exterminentur.

§. 29. Habebant sine dubio Regulares privilegium altaris viatici, & ut super eodem altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in decretali Honorii III. *in cap. In his, de privilegiis*, videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam possent celebrare etiam in domibus laicorum sive super altari viatico, sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium Oratorii privati minime haberet; propter eam rationem, quod privilegium celebrationis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum sacrum Tridentinum Concilium in citata *Sess. 22. in decreto jam citato de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, Episcopis præcepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missæ celebrentur *a Sæcularibus, aut a Regularibus quibuscumque*, eisdemque dedisset facultatem procedendi, tamquam Apostolicæ Sedis delegati, contra refractarios: *Ut delegatis Sedis Apostolicæ*; atque omnibus privilegiis, exemptionibus, & consuetudinibus contrariis, cujuscumque generis essent, derogasset: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque*: hinc necessario consequitur, sacrum Concilium Tridentinum tam præcedentibus altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati Missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium, vel exemptionem, quæ obstet, quæque impediat, quo minus abusus tollantur.

§. 30. Nihil autem valet ea, quæ a quibusdam promovetur, assertio, videlicet, Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore Juris* inclusum sit; etenim sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quæ *in corpore Juris* inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adjecta ad contraria privilegia derogatione, quemadmodum celebris Præsul Fagnanus in cap. *Nonnulli n. 42. & seq. sub tit. de Rescriptis* ample demonstrat.

§. 31. Quod si forte quis hoc unquam objiceret, concessum sæpe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, altaris viatici usum concedi; Fraternitatibus vestris notum esse debet, hujusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi ecclesiæ non sunt, aut si sunt, talis hæreticorum potentia est, ut in easdem catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint. Uno verbo præcise necessitati providetur: quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu plane diversum est.

§. 32. Gregorii XIII. decessoris nostri privilegium legite, quod *anno* 1580. Fratribus Ordinis Prædicatorum provinciæ Poloniæ concessit, quod Bullario Religiosæ illius familiæ *tom. 7. pag.* 192. insertum est: *In quibusdam civitatibus, oppidis, & locis provinciæ Poloniæ tanta hæreticorum potentia, & impietas existit, ut catholicos impune opprimant, nec iisdem catholicis Missas in ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Prædicatorum provinciæ Poloniæ Priori Provinciali, ut licentiam, & facultatem dictis Professoribus altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, & honore, super quibus in domibus nobilium civium, & incolarum civitatum, oppidorum, & locorum dictæ provinciæ, in quibus, vel ecclesiæ desunt, vel tanta est hæreticorum potentia, & impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, & honestis, per se ipsos Missas in præsentia personarum catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.*

§. 33. Legite item jam superius citatum Clementis XI. decretum, quod majoris etiam commoditatis vestræ gratia, hic adnexum vobis transmittimus; etiamsi, tum cum illud conditum fuit, præter publicationem ejusdem Romæ factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem absque eo quod nostris rationibus, & animadversionibus Nos idem roborandum suscipiamus, (quod quidem facere nobis in proclivi esset, cum præstantiorum, inter Pontificii Juris peritos, Auctorum assertiones ubique in promptu sint,) manifeste cognoscere poteritis, subsistant, nec ne, amplius portatilis altaris privilegia, quæ Regularibus concessa fuerunt, & num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis; num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuipiam concesso Missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi Missa peculiare indultum adest. Cognoscetis, num in prædictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit, vel ante auroram, vel post meridiem, Missam celebrare; num celebrate eamdem possint diebus iis, qui in indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in præsentia decretum confirmamus, ac Fraternitatum vestrarum curæ committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurre-

currere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quæ ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

§. 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet sine licentia vestra Regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in synodis vestris, aut in vestris edictis decretum fuerit, ne ullus Sacerdos, vel Sæcularis, vel Regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena ecclesia, sive intra, sive extra cœnobium, quin prius a vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod præstari debet, quodque ab Episcopis præstari solet, quemadmodum apud Clericatum *de Sacramento Ordinis decis.* 19. *num.* 42.; ubi Episcopales synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam a vobis, tam in hac materia, quam in alia Oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, præstitum fuerit, vestra nihilominus præcepta violabuntur, ac pœnæ a vobis impositæ, & inflictæ negligentur; nequaquam certe Nos officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus, cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Episcoporum, qui fratres Nostri sunt, jura sarta tecta serventur. Interim tam Fraternitatibus vestris, quam populis curæ vestræ commissis Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum ex Arce Gandulphi die 2. Junii 1751.
Pontificatus nostri Anno Undecimo.

95 Oratorium domesticum conceditur advocatis consistorialibus. Bened. XIV. tom. 1. Constit. 106. incip. *Inter conspicuos* §. 34. Item conceditur officialibus
96 & militibus §. Januarii. Idem Constit. 24. incip. *Romanæ Ecclesiæ.*

97 Advertenda sunt ea, quæ recte tradit Benedictus XIV. *Instit. Eccles.* 34. §. 4. *num.* 11. *&* 12. (de qua ipse mentionem ingerit in mox allata encyclyca §. 23.) ubi postquam scripsit, non posse vigore indulti administrari in Oratoriis privatis sacramentum Pœnitentiæ, ex quo Rituale Romanum tit. *de sacramento Pœnitentiæ*, sic præcisæ habeat: *In ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.* Et dubium movit de sacramento Eucharistiæ, ex quo Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 6. *de sacrificio Missæ*, sic se præcise exprimat: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret.* Adducens inibi sententiam affirmativam Clericati *de sacramento Eucharistiæ decis.* 8. *ad mensem Februarii casu primo a numer.* 34. *usque ad finem*, ubi fuse probat posse in ipsis Oratoriis Eucharistiam ministrari; & alios Doctores inter quos Quarti, Dianam, & Giribald. credentes ad id opportunam facultatem Ordinarii, tam pro Sacerdotibus regularibus, quam sæcularibus ibi celebrantibus, cui opinioni asserens esse conformem Romæ praxim, testatur insuper, quod cum de Ordine sacræ Congregationis Concilii, cujus erat Secretarius, allocutus fuisset Summum Pontificem Innocent. XIII. pro facultate recipiendi Eucharistiam in suo privato Oratorio a quadam nobilissima femina, quæ propter suas habituales indispositiones nequibat mane se ad ecclesiam conferre, noluit eam dictus Pontifex concedere, nisi limitatam ad tempus infirmitatis, visis prius & ponderatis juratis Medicorum attestationibus; Quamobrem cum ipse esset Archiepiscopus Bononiensis statuit, quod nullus Sacerdos sive sæcularis, sive regularis sine sua, aut sui Vicarii generalis speciali facultate posset ullo modo in dictis privatis Oratoriis Eucharistiam ministrare.

* Nullum jus assistit Parocho, ne in Oratoriis 98
publicis intra suam parochiam, Missa celebretur ante absolutam Missam parochialem, ex decretis S. Congregationis. *Institut. Eccles.* 44. §. 11. Potest tamen id vetare Ordinarius, *dummodo tamen Missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur.* Quæ verba sunt sac. Congregationis. *Ibid.* §. 12. 99

In Archiepiscopatu tamen Bononiensi, si Oratorium publicum distet a parochiali unum milliare, permittitur hæc anticipatio; onere tamen injuncto Capellano annunciandi festa de præcepto, Evangelium explicandi, sicut & catechismum, ac doctrinam Christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII. in encyclica ad Episcopos Italiæ data an. 1735. *Ibid.* §. 15. * 100

Additiones ex aliena manu.

Potissima differentia Oratorium publicum inter & Oratorium privatum in eo posita est, quod illud habere debet januam apertam in via omnium usui patenti, & a privatorum hominum dominio exempta, tantæque amplitudinis, quanta communiter ab interpretibus juris ad viæ publicæ denominationem desideratur: In hoc vero alius non patet aditus, nisi per locum privatum; *Gattic. de Orator. domestic. c.* 3. *n.* 2. *& plur. sequent.* 101

Cæterum si pateat aditus ad Oratorium per domus atrium, per prædium, aream, campumque de alicujus dominio, sed ab immemorabili tempore transitus ille liber fuerit, perinde ac si fuisset per viam publicam, ita ut nulla domino sit facultas transitum illum impediendi, non desinit Oratorium illud esse publicum. Idem dic, si in nova constructione Oratorii, dominus se obligaverit, viam, quæ ducit ad ipsum, cuique liberam in perpetuum servare; *Fagnan. in cap. In his n.* 18. *de privileg. Gattic. de Orator. domestic. cap.* 3. *n.* 3. ubi *numer.* 6. agit de Oratoriis, quæ intra domos erecta sunt, & tamen tamquam publica habentur. 102 103

In Oratorio publico necessariam esse campanam vulgo traditur. At Oratorium non desinere esse publicum, tametsi campana ipsum careat, firmat *Gattico de Orator. domestic. cap.* 3. *num.* 13. *Quot* (in- 104

(inquit) *in villis præcipue, & oppidis reperiuntur Oratoria, in quibus publice sacrificium offertur, nec in illis suspensa reperitur ulla, vel minima campanula, quin propterea ab Episcopis interdicantur? At vero hujusmodi defectum nequaquam Episcopi tolerarent, si ex communi jure campana ad constituendum publicum Oratorium requireretur. Mihi certe hæc multorum Episcoporum tolerantia æquipollens invicto testimonio apparet, quum ex illa evidenter comprobetur, inter necessaria Oratorii publici campanam non reputari. Quocirca non jam Oratorium propter campanam publicum constituitur, sed ideo campana appenditur, quia jam supponit locum publicum, quo perfecto, signum illud collocatur. Signa etenim rerum, prius in se ipsis res constitutas supponunt, quas nisi perfectas præsupponerent, fallaciter demonstrarent. Si autem dicatur, male a quibusdam Episcopis tolerari Oratoria publica absque campana, statim reponere poterimus, non uniformem ubique regulam posse observari ob diversas circumstantias in diversitate locorum occurrentes. Addam pariter, nullam, quam sciam, ab Apostolica Sede legem latam esse præcipientem, in Oratoriis publicis appendi campanam ac proinde uniuscujusque Episcopi prudentiæ relinqui pro opportunitate hanc, vel exigere vel non concedere; ac abunde ad discrimen uberius inter Ecclesias, & Oratoria conservandum, sufficere si, quod olim jusserat Joannes XXII. in Extrav. 2. de offic. Custodis, renovaretur, quemadmodum expresse illud renovavit S. Carolus in Concilio provinciali Mediolanensi IV. part. 1. tit. de campanis, videlicet unam tantum campanam in Oratoriis, plures solum in Ecclesiarum campanariis turribus appendi.*

105 Qua posita opinione, non per hoc quod Oratorium non habeat campanam, concludi potest, quod non sit publicum, si januam habeat in via publica. Recte vero asseri potest, publicum esse Oratorium si campanam habeat, quia campana non appenditur, nisi Oratorium sit publicum.

106 De eo non levis est controversia, num Oratorium publicum præter ostium principale in via publica apertum, habere possit aliam minorem januam, quæ privatam domum, vel privatæ domus atrium respiciens, ingressum non omnibus liberum præbeat, sed solis domesticis, in quorum
107 unice gratiam aperitur? Tum etiam quæritur, num in Oratorio publico fenestræ in parietibus effingi queant, ut e privatis cubiculis domestici in Oratoria respicere, atque ita a reliquis omnibus separati, Missæ ac orationi assistere, & vaca-
108 re possint? Negativam in utraque quæstione opinionem tenent Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 8. *num.* 21. *de Reform.* Amostaz *de causis piis lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 15. *& seq.* At pro affirmativa sententia, in una itemque altera quæstione est, concurrente, vel lege fundationis, vel privilegio Apostolico, vel usu immemorabili, Gattic. *de Orator. domest. cap.* 3. *n.* 8. *&* 9. ubi inter alia in confirmationem hujus suæ affirmativæ sententiæ, affert *synodum Beneventanam anni* 1567. *tit.* 5. *cap.* 2. in quo habetur: *Ædificationem & usum Oratoriorum ita Episcopi, quum id illis justa de causa concedendum visum fuerit, concedant, ut præter fores per quas a privatis domibus ad ea itur, alias item habeant, quibus a via publica, omnibus etiam aditus pateat.*

De Oratoriis privatis consule, ubi res postulat 109
pluries laudatum Gatticum, qui hoc argumentum illustravit. Illud vero hic prætereundum haud est, 110
quod S. M. Benedictus XIV. in epistola data 2. Junii 1751. ad Primatem &c. Poloniæ a §. 20. ad §. 26. declaravit, in hisce privatis Oratoriis administrari haud posse sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ etiam extra tempus Paschale, comprehensis etiam regularibus exemptis. Quocirca amplecti amplius nequit opinio, quam Auctor *n.* 45. tenet, quod scilicet possint in iis dicta sacramenta administrari.

ORDO, ORDINARE.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt Ordinis in genere, & in specie essentiam, numerum, institutionem, materiam, & formam.

ORdo sumitur dupliciter. Primo velut *active* 1
sumitur Ordo pro ipsa actuali Ordinatione, seu actione, qua alicui confertur Ordo, seu potestas aliqua spiritualis in Ecclesia circa Eucharistiam, & hoc modo acceptus Ordo est unum ex sacramentis novæ Legis. Secundo, quasi *passive* sumitur Ordo pro statu, seu gradu potestatis, & ministerii sacri circa Eucharistiam, & hoc modo acceptus Ordo non est sacramentum, sed est effectus, & res sacramenti, seu sacræ ordinationis. Sic v. g. Presbyteratus sumitur, vel pro ipsa actuali ordinatione alicujus in Presbyterum, & sic est sacramentum; vel pro gradu, seu potestate Sacerdotali, quam quis acquisivit vi ordinationis suæ in Præsbyterum, & ratione cujus potest valide consecrare, & absolvere, & hoc modo Presbyteratus non est sacramentum, sed potius effectus, seu quid consequens ad sacramentum Ordinis Presbyteratus jam peractum, & sibi collatum; Unde, ut vides, gradus, status, seu potestas Sacerdotalis est res permanens: Sacramentum vero Ordinis Presbyteratus, seu ipsa actualis Ordinatio in Presbyterum est res transiens; & sic salva proportione dic de aliis Ordinibus.

Ordo, seu sacra ordinatio est *Sacramentum novæ legis initerabile, quo subjecto capaci cum impressione characteris spiritualis potestas confertur ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut circa illud ministrandum.* Est *in re Communis.* Et convenit cum illa longiore definitione, quam tradit Scotus in 4. *dist.* 24. *qu. unic.* §. *De tertio* dicens: *Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminenti, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta a ministro idoneo certa verba proferente, & simul cum intentione debita ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione divina efficaciter signans* 2

gnans gratiam præeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exequatur.

3 Ordines secundum Theologos magis communiter sunt septem, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, seu Sacerdotium. Ita Magister sententiarum *in d. dist.* 24. & alii passim. (1)

4 Et quamvis omnes dicti septem Ordines sint aliquid sacrum deputatumque ad cultum divinum; tamen quatuor primi nuncupantur minores, & non sacri, & tres ultimi dumtaxat dicuntur majores, & sacri, ut habetur *in cap. A multis 9. de ætat. & qualitat.* Primi quatuor dicuntur *minores* ob minus, & remotius Officium ad quod circa Eucharistiam exercendum deputantur; *& non sacri*, non per hoc, quod quasi nihil sacrum sint, aut contineant, sunt enim & ipsi verum sacramentum, prout colligitur ex Concilio Florentino *in decreto unionis*, & Tridentino *sess.* 23. *cap.* 2. *& Canon.* 2. & tenent omnes, sed dicuntur *non sacri* ad differentiam Ordinum majorum, qui per excellentiam ob rationes mox afferendas appellantur *sacri*; & ipsis Ordinibus minoribus tales rationes non competunt. Tres autem ultimi dicuntur *majores*, & *sacri*. Primo ex eo, quod per eos ordinati ad majus, & proximius officium circa sacram Eucharistiam exercendum deputentur; Sacerdos scilicet ad sacram Eucharistiam conficiendam, Diaconus ad eam dispensandam, & tractandam in vasis, & Subdiaconus ad ejus materiam subministrandam. Scotus in 4. *dist.* 24. *art.* 2. *lit. D.* ut ex ipso notat Mastrius *Theol. moral. disp.* 19. *n.* 5. & alii passim. Et secundo ex eo, quod in Ecclesia Latina dicti tres Ordines sacri habent adnexum votum perpetuæ castitatis, & obligationem recitandi divinum Officium, quibus homines specialiter Deo consecrantur. *Sic Doctores Communiter.*

5 Fatendum tamen est, quod Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non fuerit connumeratus inter Ordines sacros, ut expresse habetur in *cap. Nullus in Episcopum* 4. *dist.* 60. ubi dicit Urbanus I. (2) *Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia*, & refertur in *cap. A multis 9. De ætat. & qualitat.* ibi: *Siquidem Urbanus Papa primus decrevit, ut nullus in Episcopum, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens inventus fuerit, eligatur; Sacros* (inquit) *Ordines Diaconatum dicimus, & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse*: Et revera Subdiaconis licuit habere uxores usque ad tempora Gregorii primi, (3) ut patet in *cap. Ante triennium* 1. *dist.* 31. ubi cum olim promoverentur Subdiaconi, non promissa continentia, & licite uterentur uxoribus, & beneficiis; & Pelagius Papa postea edidisset Constitutionem, in qua præcise prohibuit, ne Subdiaconi suis uxoribus commiscerentur; Gregorius illius successor revocavit illam Constitutionem tamquam duram, & incompetentem, statuitque, ut Subdiaconi, qui tunc erant, inviti non cogerentur; at in futurum nemo ad Subdiaconatum promoveretur, nisi continentiam voveret, ut notat Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Nuper* 4. *de bigamis non ordinandis n.* 33. Hinc ex tunc Subdiaconatus pro sacro Ordine usque nunc fuit ab omnibus semper habitus, ut expresse habetur in *cap. Miramur* 7. *de servis non ordinandis*, ibi: *Nam licet sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva; tamen a Constitutione Gregorii, atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus minime dubitatur.* Et hoc etiam decisum habetur in *cit. cap. A multis 9. de ætat. & qualit.*

Secundum autem Canonistas magis communiter 6
Ordines sunt novem, videlicet septem mox assignati, & *Prima Tonsura*, ac *Episcopatus*, de quibus omnibus fit mentio *in cap. Cleros* 1. *dist.* 21. sequentibus verbis: *Quorum* (Clericorum gradus, & nomina sunt hæc) *Ostiarius, Psalmista*, (per hunc intelligendo cum Glossa ibidem initiatum prima Tonsura) *Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus*. Et hoc
non sine mysterio, sed ad formam cœlestis hierarchiæ, & juxta novem ordines, seu choros Angelorum. (4) 7

Quod prima Tonsura non sit Ordo proprie dictus, 8

(1) Animadverte hic primum, in Ecclesia Græca quinque tantum ordines in usu esse, nempe Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, seu Subdiaconorum, & Lectorum. Audiatur S. Joannes Damascenus qui *Dial. adv. Manich. Principium*, inquit, *de ordine quoque dicitur, in quo prima dignitas Lector est, deinde Subdiaconus, post Diaconus, post Presbyter, atque ita demum Episcopus*. Neque alios ordines percenset Constantinopolitanum IV. Concilium, seu OEcumenicum VIII. a. 869, celebratum *Can.* 5. Equidem Innocentius IV. Ep. ad Othonem Tusculanum Episcopum, præcepit, *ut Episcopi Græci, secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferrent*. Verum illud Innocentii præceptum nonnisi spectabat ad Græcos in Cypro tunc Venetis subdita, ubi Otho ejus Legatione fungebatur, degentes. Cæterum neque in Concilio Florentino hac de re lis mota est, neque Clemens VIII. in sua super ritibus Græcorum instructione quidquam innovari jussit.

(2) Error facti est in hac Innocentii III. decretali; neque enim caput illud *Nullus* Urbani I. est, sed II. in Concilio Beneventano a. 1091.

(3) Varia in occidente etiam ante M. Gregorii tempora super Subdiaconorum cœlibatu disciplina fuit. Confer Francisci Antonii Zaccaria historiam Polemicam Cœlibatus Romæ 1774. editam *pag.* 254. *sequent.*

(4) Si *Psalmista* inter ordines numeratur, quidni & Catechistæ, Fossores, Parabolani, idque genus alii veluti ordinum gradus in veterum scriptis indicati ordinibus adscribantur? Dicendum igitur ea fuisse officiorum nomina, non ordinum, ne admittere cogamur in antiqua Ecclesia ordines fere innumeros; *quod*, inquit Benedictus XIV. *de Syn. diœces L. VIII. c. 9., nemo facile creaet.*

ctus, neque sacramentum, tenent expresse Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, & Scotus *in* 4. *dist.* 24. *quæst. unic. in fine*; & Theologi fere communiter, & ex Canonistis tenet Archidiaconus *in cap. Cleros* 1. *dist.* 21. *num.* 16. Bellamera *ibidem num.* 4. Vincentius *cap. Cum contingat XI. de ætat. & qualit. præficiend.* Pirhing *lib.* 1. *decretal. tit. XI. num.* 1. Sanig. *ib. cap.* 1. *num.* 9. Card. de Luca *tom.* 2. *disc.* 60. *de Regularibus n.* 12. Aloysius Riccius *in praxi fori ecclesiast. part.* 3. *resolut.* 234. *num.* 7. & 235. *n.* 2. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 66. *num.* 11. & *tom.* 8. *consult.* 146. *num.* 7. cum aliis ibi citatis.

9 Et pro fundamento adducitur satis validus textus *in cap. Illud* 1. *dist.* 77. ubi Cajus Papa sic expresse habet: *Ad Ordines ecclesiasticos sic ascendant in ecclesia, qui ordinari merentur; idest, si quis episcopus esse meretur, sit primum Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum vero Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter, & exinde, si meretur, Episcopus.* Unde si, ut vides, Ostiariatus ponitur pro primo Ordine, clarum stat, quod nullus alius Ordo antecedit, *arg. cap. Joseph* 5. *de verbor. significat.* & *l. Proximus* 62. *ff. eodem*; adeoque prima Tonsura, quæ antecedit Ostiariatum, & est minor illo, non est Ordo proprie dictus, nec sacramentum. Et concordat *cap. A Subdiacono* 5. *dist.* 93. ubi distincte enumerantur singuli Ordines, & gradus ecclesiæ, & tamen nulla fit mentio primæ Tonsuræ, seu Psalmistatus, quod fieri non potuisset, si esset proprie Ordo.

10 Et omissis, brevitatis gratia, variis aliis sacris canonibus, qui videri possunt apud Fagnanum in *cap. Cum contingat XI. de ætat. & qualit. a n.* 13. *ad* 35. colligitur clare ex variis textibus Concilii Tridentini, & signanter in *cap.* 2. *sess.* 23. *de sacramento Ordinis*, ubi enumerat singillatim omnes Ordines, nec tamen inter eos reponit primam Tonsuram; Immo non solum non reponit inter Ordines ipsam primam Tonsuram, sed insuper hanc aperte ab Ordinibus secernit, separatim ipsam uti quid diversum ab illis, & tanquam quid prævium ad eos referendo, ibi: *Ita distributi, ut qui jam clerici Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Et similiter primam Tonsuram tamquam quid diversum ab Ordinibus secernit expressis verbis *cap.* 2. *sect.* 14. *de reformat.* ibi: *Ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promovere* &c. & in *cap.* 6. *sess.* 23. *de reform.* ibi: *Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus.* Ubi, ut vides, Concilium utitur dictione alternativa *aut*, quæ ponitur inter diversa. Et quod talis fuerit mens ipsius Concilii, scilicet primam Tonsuram inter Ordines non connumerari, pluries declaravit sacra Congregatio dicti Concilii interpres, ut refert Fagnanus in *cit. cap. Cum contingat num.* 37. & 38. *de ætat. & qualitate præficiend.*

11 Oppositam tamen sententiam, scilicet quod prima Tonsura sit Ordo proprie dictus, tenet expresse Glossa in *cit. cap. Cleros* 1. *dist.* 21. *verb. Psalmista*, & *in cit. cap. Cum contingat XI. de ætat. & qualitate, verb. Abbati*; & Abbas *ibid. num.* 1. Joann. Andreas *num.* 12. Hostiens. *num.* 2. Butrius *num.* 6. & latissime Fagnanus *num.* 45. & *sequentibus*, dicens hanc esse communem Canonistarum; Et ex Theologis eidem adstipulari Majorem in 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *col.* 2. Joannem Echium in *Homilia de Ordinibus*, Angelum in *verb. Ordo primo num.* 1. clericalem Tonsuram vocare Ordinem Alcuinum *lib. de divinis Officiis cap.* 33. *in* 3. *tom. Bibliothecæ sacræ*. Quam etiam (inquit Fagnanus ibidem) secuta est Rota multoties, & præsertim *dec.* 731. *n.* 5. & 6. *part.* 1. *divers.* & *decis.* 50. *part.* 5. *recent. num.* 5.

Et pro fundamento hujus sententiæ adducuntur plurimi sacri Canones, variæque non spernendæ rationes, quarum universim viginti duas affert Fagnanus *loc. cit. a num.* 46. *ad* 118. & deinde *a n.* 119. *ad* 135. respondens ad fundamenta adversariorum. Præcipuum autem, & satis validum fundamentum desumitur *ex cit. cap. Cum contingat XI. de ætat. & qualitat. præficiend.* ubi expresse legitur definitum, quod *per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, clericalis Ordo confertur*, adeoque cum clara habeatur decisio Juris pro sententia canonistarum, standum est litteræ canonis, & non expositioni, & interpretationi Theologorum dicentium, quod ibi, & alibi sumatur Ordo solum large, & improprie, nam verba, cum possunt, debent intelligi secundum suam propriam significationem; *l. Non aliter* 69. *ff. De legatis* 3. Tum quia Papa Innocentius III. fuit specialiter ibi interrogatus a Rhotomagensi Archiepiscopo: *An clericatus Ordo in Tonsura hujusmodi* (idest per Abbates Benedictinos suis Regularibus collata) *conferatur?* & ad hanc interrogationem ipse Pontifex respondit sine alia limitatione affirmative, nempe quod *per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam a talibus clericalis Ordo confertur*. Atqui hæc responsio simul, & decisio Apostolica fuisset inepta, si nomine *clericalis Ordinis* voluisset intelligi duntaxat *Ordinem* large, & improprie dictum, cum responsio debeat correspondere interrogationi; *l. Stipulatio* 1. §. 1. & 2. *ff. De verborum obligationibus, leg. Is, qui* 12. §. 10. *ff. Quod vi, aut clam*; *cap. Inter dilectos*, juncta Glossa *verb. Petitionis, de fide instrument.* 12

Canonistarum sententiæ videtur clare adhæsisse Sixtum V. in Constit. 91. incip. *Sanctum & salutare*; ubi primam Tonsuram appellat clericalem characterem, ibi: *Ad suscipiendum clericalem characterem, aliosque Ordines*; Si enim per primam Tonsuram insignitur quis clericali charactere, stat clarum, quod prima Tonsura est Ordo sacramentalis, ut aperte indicat illa dictio *aliosque*, cum ex propria vocabuli significatione dictio *alius* stet implicative; & sic repetitiva similium; *Clement.* 2. *de celebrat. Missar.* & Glossa in *. Hinc etenim verb. Aliarum* 49. *dist.* Idipsum etiam videtur innuere Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *de sacramento Ordinis* illis verbis: *Qui jam clericali Tonsura insigniti essent*, ubi per ly *insigniti*, designatur impressio characteris in anima recipientis Tonsuram, ut suadent similia verba Apostoli impressionem characteris denotantia; 2. *ad Corinth.* 13

rinth. 1. ibi: *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos*. Et *ad Ephes*. 1. ibi: *In quo signati estis Spiritu promissionis sancto*. Unde etiam prima Tonsura ad instar ceterorum Ordinum est initerabilis, ut censuit sacra Congr. Conc. apud Fagnan. *loc. cit. num*. 118. & tenent etiam Theologi; Tum quia nullum sacramentum prærequirit de necessitate præcepti characterem Confirmationis, nisi sacramentum Ordinis. S. Thomas in 4. *dist*.34. *q*.1. *art*. 2. *q*. 8. & alii; Sed prima Tonsura requirit characterem Confirmationis, ut statuit Tridentinum *sess*. 23. *cap*. 4. *de reformat*. Ergo Tonsura est ordo sacramentalis.

14 Et hanc Canonistarum sententiam probavit etiam sacr. Congr. Episcopor. & Regul. nam, ut refert Fagnanus *loc. cit. num*. 117. cum ei relatum fuisset Episcopum Cavensem declarasse quemdam Clericum primæ Tonsuræ fori privilegio privatum, eo quod Tonsura non imprimeret characterem, sacra Congregatio binis litteris videlicet 12. *Maii* 1620. & 16. *Novemb*. 1621. eidem Episcopo injunxit, ut decretum illud revocaret, & obliteraret, si in eo contineretur declaratio, quod prima Tonsura characterem non imprimeret, & in posterum a similibus declarationibus abstineret.

15 Eamdem sententiam apertius probavit sacra Congreg. Concilii. Siquidem consulta: An Abbas habens jurisdictionem quasi Episcopalem, si aliis, quam Regularibus sibi subditis, primam Tonsuram conferret, censeretur saltem impressisse characterem; adeo ut taliter tonsuratus, non iterum tonsurari deberet? Respondit impressum esse characterem, & ita tonsuratum, tonsurari itèrum non debere. Hactenus Fagnan. *loc. cit. n*. 117. & 118. qui postea *sub num*. 132. subjungit, quod cum sacra Congreg. dixit, Tonsuram a Concilio non haberi pro Ordine, seu Concilium primam Tonsuram non connumerare inter Ordines juxta notata *supra num*.8. *in fine*, voluit dicere Concilium non definivisse Tonsuram esse Ordinem, & ideo illam non comprehendisse explicite minorum Ordinum appellatione, & certe si Concilium hoc definivisset, Congregatio ejusdem Concilii interpres non declarasset in clericali Tonsura imprimi characterem, prout declaravit apud ipsum Fagnanum *loc. cit. num*. 118. & patet ex adductis hic in principio *hujus num*. 13.

16 Quod Episcopatus non sit Ordo proprie dictus simpliciter, & adæquate distinctus ab Ordine Præsbyterali, docent omnes illi Theologi, qui tenent Ordines esse tantum septem; Et fundamentum præcipuum, & ratio hujus sententiæ est, quia per omnem Ordinem confertur potestas in corpus Christi verum, & Ordines distinguuntur per diversas potestates, & ministeria in ordine ad Sacramentum, & sacrificium corporis & sanguinis Christi; atqui per Episcopatum non confertur ulla specialis & distincta potestas in corpus Christi verum, cum Episcopus nullam habeat potestatem in corpus, & sanguinem Christi, quam non habeat quilibet Presbyter, seu Sacerdos: ergo Episcopatus non est Ordo proprie dictus simpliciter, & adæquate distinctus ab Ordine Presbyterali.

At vero Episcopatus probabilius est Ordo Sacramentalis ab Ordine Presbyterali realiter, & adæquate distinctus. Sic Hostiens. in *cit. cap. Cum contingat num. 6. de ætate & qualitate*; quem ibi sequuntur Joann. Andr. Butrius, Card. Ancharanus, Abbas, & ceteri omnes Canonistæ, Gloss. in *procem. sexti Decretal. verb. Episcopus*, Gloss. unic. in *cap. Sollicitudo*, & ibi etiam Præposit. *num*. 4. *dist*. 12. Gloss. in *Clementin. In plerisque verb. Aliquid*, *de election*. Præpositus in *cap. Cleros* 1. *dist*. 21. *num*. 9. Fagnan. in *cap. Requisivit* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, & ibi Canonistæ communiter, teste Card. *ibid. num*. 1. Barbos. *de Offic. & potest. Episcop. part*. 2. *allegat*. 1. *n*. 18. ubi pro hac sententia citat plusquam 18. etiam ex Theologis, quos sequuntur alii moderniores cum La Croix *lib*. 6. *part*. 2. *num*. 2209. Sporer *tom*. 3. *part*. 1. *cap*. 5. *sect*. 2. *num*. 27. Henno *tom*. 2. *tract*. 7. *de Sacramento Ordinis qu*. 3. *conclus*. 2. Aversa *q*. 2. *sect*. 7. Ilsung *num*. 18. aliique plures contra torrentem aliorum Theologorum, vide *verb. Episcopatus a num*. 1. *ad* 5. ubi late probatur hæc sententia. (*) 17

Ad rationem autem adversariorum, quando dicunt, quod per Episcopatum non confertur ulla specialis, & distincta potestas in corpus Christi verum, cum Episcopus nullam habeat potestatem in corpus, & sanguinem Christi, quam non habeat quilibet Presbyter, seu Sacerdos; Respondetur negando totum id absolute, quia Episcopatus mediate saltem dicit specialem, & distinctam potestatem in corpus Christi verum, quatenus constituit legitimos Eucharistiæ ministros ipsos Presbyteros, seu Sacerdotes; Si enim Diaconatus est Ordo, quia continet potestatem serviendi Sacerdoti, quare non erit Ordo Episcopatus, qui continet potestatem ordinandi Sacerdotem? Tum quia Episcopatus continet specialem, & distinctam eminentiorem potestatem ad exercendas actiones sacramentales, quas simplex Sacerdos exercere non potest, nimirum conferendi sacramenta Confirmationis, & Ordinis. 18

Ordines, & singuli veri Ordines sunt verum, ac proprie dictum sacramentum. *Communis* inter catholicos. Et quidem quod Presbyteratus sit verum sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, est de fide in Concil. Trident. *sess*. 23. *Canon*. 3. ibi: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, & proprie sacramentum a Christo Domino institutum . . . anathema sit*. Quod autem ceteri alii veri Ordines sint vere, & proprie sacramenta novæ legis, colligitur ex *Concilio Florentino in decreto unionis*, ubi postquam dixit, Ordinem in genere esse sacramentum, ponit sub Ordine, tamquam speciem sub genere, Diaconatum, Subdiaconatum, & reliquos; 19

Quod

(*) E. R. Quinimo nullus fere hodie inter Theologos reperitur, qui Episcopatum, verum esse ordinem, eumque a Presbyteratu distinctum, inficietur.

Quod autem convenit generi, convenit & speciei, adeoque si ratio sacramenti competit Ordini ut sic, competit etiam Diaconatui, Subdiaconatui, & reliquis veris Ordinibus. Quod & clarius desumitur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 23. *Canon.* 3. ubi, ut patet ex propriis verbis supra adductis, tradit indefinite Ordinem esse verum sacramentum, ibi: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere, & proprie sacramentum &c.* adeoque omnis verus Ordo est sacramentum; dicendo enim *Ordo est sacramentum*, censetur dicere: *Omnis Ordo est sacramentum*, cum propositio indefinita æquivaleat universali: Tum quia singuli Ordines habent suam propriam materiam, & formam, imprimuntque suum specialem ac diversum characterem ab aliis, ac sunt omnes irreiterabiles, quod aperte demonstrat, omnes, & singulos esse vere, & proprie sacramenta.

20 Per hoc tamen, quod singuli Ordines sint sacramenta, non valet inferri, quod sacramenta sint plura quam septem per illam vulgarem argumentationem, quod si singuli Ordines sunt sacramenta, ergo universim sunt plura sacramenta quam septem, nempe tredecim in sensu Theologorum admittentium septem Ordines, & quindecim in sensu Canonistarum admittentium novem Ordines. Non valet, inquam, sic inferre, quia quando dicitur *ergo universim sunt plura sacramenta, quam septem*, distinguitur consequens: sunt plura, quam septem quoad speciem infimam, conceditur consequentia, & negatur absurditas; sunt plura quam septem quoad speciem subalternam, seu genus proximum, negatur consequentia, quia omnes Ordines constituunt unam solam speciem subalternam sacramenti in genere, & in ordinaria sacramentorum divisione, & numero, omnes, & singuli Ordines continentur sub unico membro, seu sub unica ratione sacramenti Ordinis ut sic, tamquam in sua specie subalterna sacramenti in genere continente sub se species infimas, sic inter se ordinatas, ut omnes reliqui Ordines referantur, seu ordinentur ad unum Presbyteratum tamquam complementum, & ad SS. Eucharistiam velut finem principalem, & sic omnes, & singuli Ordines constituunt unum dumtaxat sacramentum Ordinis ut sic, unitate ordinationis, & finis, in quantum omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, & SS. Eucharistiam.

21 Et hac eadem ipsissima ratione characteres particulares singulorum Ordinum insimul constituunt unum dumtaxat characterem totalem, & completum Ordinis ut sic. Ita Doctores communiter.

22 Prima Tonsura, quæ secundum Theologos non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, definitur, *quod sit signum distinctivum ministrorum Ecclesiæ a plebe communi*. Sic in re Communis Theologo-
23 rum. Secundum Canonistas autem, qui tenent primam Tonsuram esse Ordinem, definitur, quod sit *potestas, per quam Tonsuratus potest Officium canere in Ecclesia Dei, & redditur capax beneficii ecclesiastici, & privilegiorum clericalium*. Sic in re Communis Canonistarum, *arg. c. Psalmista* 20. *dist.* 23. & Pontifical. Roman. *tit. de degradatione*, ubi cavetur, quod Episcopus dicat Clerico degradando: *Quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere complevisti, ideo Officium cantandi in Ecclesia Dei a te amovemus.*

Materia remota primæ Tonsuræ secundum Ca- 24
nonistas est Superpelliceum; proxima autem est traditio, & acceptatio ipsius Superpellicei. *Forma sunt illa verba prolata ab Ordinante: Induat te Deus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Sic Fagnanus *lib.* 1. *Decretal. in cap. Cum contingat XI. de ætat. & qualitat. num.* 87. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit. XI. num.* 20. & alii passim. Seu secundum Abbatem, & Hostiensem *in cit. cap. Cum contingat*, sunt illa verba desumpta *ex cit. cap. Psalmista*, ibi: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credideris, operibus compleas.* Dicitur 25
autem secundum Canonistas, quia secundum Theologos, cum prima Tonsura non sit Ordo, non constat materia, & forma proprie dicta, & secundum ipsos abscissio capillorum stat loco materiæ, & loco formæ stant verba illa a Prælato tonsurante, & a tonsurando simul prolata: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Prima Tonsura secundum Canonistas est ex in- 26
stitutione Christi tradente Apostolo Petro in Ecclesia derivata. Colligitur ex Concilio Triburiensi *cap.* 2. *tom.* 7. *Concil. pag.* 151. *col.* 2. *in impressione Parsien.* ubi sic legitur: *Si quis irreverens timorem Domini postponens in servos ejus sævire præsumpserit, quos ipse præ cæteris sibi segregavit, & coronæ suæ similitudinem tradente Apostolorum Principe gestare fecit, sortemque illorum se constituit, sicut de iis scriptum est: Ego hereditas eorum, & Dominus hereditas mea est.* Cujus rei etiam fit mentio in Epistola Aniceti Papæ relata *in cap. Prohibete* 21. *dist.* 23. Et S. Isidorus *lib.* 2. *de Offic. Ecclesiæ cap.* 4. scribit, hunc usum Tonsuræ in Ecclesiam Evangelicam, & personas Ecclesiasticas fuisse derivatum ex tonsura Nazaræorum, qui in lege veteri radebantur in signum cujusdam devotionis, & hoc ritu fuisse tonsos Ezechielem, ut dicitur *c.* 5. *suæ Prophetiæ*, & Priscillam, Aquilam, & Paulum *in actibus Apostolorum cap.* 18. ut quemadmodum Nazaræi in veteri lege divino cultui mancipati crine præciso innovabantur, sic etiam clerici eorum ritu suam innovationem denotent; Unde ex hujusmodi antiquitate colligunt Canonistæ, primam Tonsuram non ex institutione Ecclesiæ, sed divina traditione ad nos pervenisse; ac proinde sacramentum esse. Fagnan. *loc. cit. nu.* 84. & alii Canonistæ passim.

Secundum Theologos autem prima Tonsura est 27
ex institutione Ecclesiæ, & occasionem hujus institutionis refert S. Germanus *in Theorica rer. Eccl.* prout habetur *in tom.* 4. *Bibliothecæ antiquorum P.P.* quod cum divus Petrus Antiochiæ Christum Crucifixum maximo cum ardore prædicaret, quidam perversi hostes nominis Christiani in ignominiam ejusdem caput illi abraserunt, ut in signum opprobrii abradi solebant rei publici criminis; Unde postea factum est, ut illud, quod fuit factum in oppro-

opprobrium, verteretur in gloriam, juxta illud
S. Leonis Papæ *sermone in Natali S. Laurentii*,
ibi: *In honorem transierunt triumphi etiam instru-
menta supplicii*. Et ideo Ecclesia tantam cœpit ha-
bere venerationem huic mysteriosæ Tonsuræ, ut,
quamvis non desint aliæ piæ considerationes, ip-
sam receperit tamquam insigne proprium Clerica-
tus. Sic Petrus Patriarcha Antiochenus in Episto-
la ad Cerularium, quam refert Baronius *anno* 1053.
n. 41. & Berninus *tom.* 1. *Histor. omnium hæresum
fol.* 24. his verbis: *Nos coronam in capite gestamus
pro veneratione Principis Apostolorum Petri, super
quem Dei Ecclesia est superædificata. Quod enim
impii illi ad contumeliam illius Sancti excogitave-
runt, hoc nos pie ad gloriam, & honorem ipsius
facimus*.

28 Ostiariatus est *potestas, per quam ordinatus in
Ostiarium, potest recipere dignos, & excludere in-
dignos ab Ecclesia, & eam custodire. Sic in re
29 Communis*. Materia remota sunt claves Ecclesiæ,
materia proxima est traditio, & acceptatio dicta-
rum clavium. Forma sunt verba prolata ab Epi-
scopo: *Sic age quasi rationem Deo redditurus pro
his rebus, quæ his clavibus recluduntur. Commu-
30 nis*. Ostiariatus fuit institutus a Christo inchoati-
ve, & denotative, quando ementes, & vendentes
ejecit de templo, & completive, quando in una
cœna dedit discipulis suis primam potestatem Sa-
cerdotii.

31 Lectoratus est *potestas, per quam ordinatus in
Lectorem potest legere lectiones, & prophetias. Est
32 in re Communis*. Materia remota est liber sacras
lectiones, & prophetias continens. Materia pro-
xima est ejusdem libri traditio, & acceptatio.
Forma sunt verba illa ab Episcopo prolata: *Ac-
cipe potestatem, & esto verbi Dei relator &c. Com-
33 munis*. Lectoratus fuit institutus a Christo inchoa-
tive, & denotative, quando in medio seniorum
librum Isaiæ Prophetæ aperuit, & completa le-
ctione prophetiæ clausit, & dedit ministro, &
completive in ultima cœna, quando dedit Aposto-
lis suis primam potestatem Sacerdotii.

34 Exorcistatus *est potestas, per quam ordinatus in
Exorcistam potest expellere Diabolum, ne impediat
aliquem a sumptione Eucharistiæ. Est in re Com-
35 munis*. Materia remota est liber Exorcismorum,
materia proxima est ejusdem libri traditio, & ac-
ceptatio. Forma sunt verba illa ab Episcopo pro-
lata: *Accipe & commenda memoriæ, & habe pote-
statem imponendi manus super energumenos, sive
36 baptizatos sive catechumenos*. Exorcistatus fuit in-
stitutus a Christo inchoative, & denotative, quan-
do tetigit aures surdi & muti dicens: *Ephpheta,
quod est, adaperire*, & quando ejecit septem Dæ-
monia de Maria Magdalena, & completive in d.
ultima cœna.

37 Acolythatus est *potestas, per quam ordinatus in
Acolythum potest accendere lumina, & portare ur-
ceolos cum vino, & aqua. Sic in re Communis*.
38 Materia remota est duplex partialis una est can-
delabrum cum cereo extincto, alia sunt urceoli
39 vacui. Materia proxima est horum traditio, & ac-
ceptatio. Forma etiam est duplex partialis, una
sunt illa verba prolata ab Episcopo: *Accipe cero-
ferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ec-
clesiæ lumina mancipatum in nomine Domini*, alia
partialis forma sunt illa verba: *Accipe urceolos ad
suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam san-
guinis Christi in nomine Domini*. Acolythatus fuit
institutus a Christo inchoative, & denotative,
quando dixit: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me,
non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*,
& completive in d. ultima cœna.

Subdiaconatus est *potestas, per quam ordinatus* 40
*in Subdiaconum potest portare calicem cum vino ad
altare, præparare necessaria ad Eucharistiam, &
legere Epistolam. Est in re Communis*. Materia 41
remota est duplex partialis, una est calix vacuus
sine vino, & patena vacua sine hostia, alia est
liber Epistolarum. Materia proxima est horum
traditio, & acceptatio. Forma etiam est duplex
partialis, una sunt illa prima verba prolata ab E-
piscopo: *Vide cujus ministerium tibi traditur; ideo
te admoneo, ut ita te exhibeas, quod Deo placere
possis*; alia sunt hæc secunda verba: *Accipe librum
Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in
Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro de-
functis in nomine Domini*. Subdiaconatus fuit in- 42
stitutus a Christo, quando in ultima cœna dedit
Apostolis primo potestatem Sacerdotii, & com-
pletive, quando post cœnam linteo se præcin-
xit, & missa aqua in pelvim pedes discipulorum
lavit.

Diaconatus est *potestas, per quam ordinatus in* 43
*Diaconum potest proxime Sacerdoti in ministerio
altaris assistere, & Evangelium legere. Sic in
re Communis*. Materia remota est duplex partia- 44
lis; una est manus dextera Episcopi imponenda
super caput Ordinandi, alia est liber Evangelio-
rum. Proxima autem est duplex partialis, una
est impositio ipsius manus dexteræ facta ab Epi-
scopo supra caput Ordinandi, alia est traditio,
& acceptatio libri Evangeliorum. Forma autem est
duplex partialis; una sunt prima illa verba prolata
ab Episcopo: *Accipe Spiritum sanctum ad robur,
& ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in
nomine Domini*, alia sunt hæc secunda verba: *Ac-
cipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei,
tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domi-
ni*. Diaconatus fuit institutus a Christo, quando 45
in ultima cœna corpus, & sanguinem suum dis-
pensavit discipulis, & completive, quando post
cœnam suos Apostolos dormientes excitavit di-
cens: *Vigilate, & orate*.

Hic occurrendum venit vulgari objectioni, quæ 46
solet afferri contra assignatam materiam pro Sub-
diaconatu, & Diaconatu; solet enim objici, quod
liber Epistolarum, & liber Evangeliorum non
erant in primordio Ecclesiæ, & tamen ordinaban-
tur Subdiaconi, & Diaconi, ergo nec liber Epi-
stolarum est materia necessaria Subdiaconatus,
nec liber Evangeliorum materia necessaria Diaco-
natus, quia, si talis materia esset nunc necessa-
ria, & essentialis pro dictis Ordinibus, fuisset
etiam necessaria, & essentialis tunc, cum mate-
ria necessaria, & essentialis pro Sacramento Or-
dinis fuerit a Christo instituta, adeoque sit quoad
substantiam invariabilis ab Ecclesia.

 Ast

47 Ast respondetur, quod licet in primordio Ecclesiæ libri Epistolarum, & Evangeliorum non essent materia necessaria, & essentialis dictorum Ordinum, cum tunc necdum extarent, tamen ex post fuerunt ab Ecclesia determinati pro materia necessaria. Nec in hoc potest dici Ecclesiam mutasse, & variasse materiam a Christo institutam, sed solum determinasse in specie materiam a Christo in genere dumtaxat designatam; Christus enim instituit solum materiam in genere, idest positionem, seu traditionem alicujus rei sensibilis aptæ ad exprimendum Ordinem, qui confertur; at specialem ejus rei, seu signi sensibilis determinationem reliquit Ecclesiæ, quæ ad impositionem manuum, seu aliam materiam, qua utebantur Apostoli in primordio Ecclesiæ, potuit addere, & decernere librum Epistolarum pro materia Subdiaconatus, & librum Evangeliorum pro materia Diaconatus, utpote magis apte, & clare exprimentes potestatem, & officium dictorum respective Ordinum. Sic Bellarminus *de Ordine cap. 9. in fine*, Comitolus *lib. 1. respons. moral. qu.* 52. Card. de Lugo *disp.* 2. *de Sacrament. sect.* 5. Gobat *tom.* 1. *tract.* 7. *num.* 51. Sporer *loc. cit. num.* 18. Petr. Marchantius *in Tribunal. tom.* 1. *tract.* 9. *tit.* 5. *q.* 2. Diana *par.* 10. *tract.* 11. *resolut.* 65. cum S. Bonaventura, & aliis triginta ibi citatis, & sic plurimi alii.

48 Presbyteratus est *potestas, per quam ordinatus in Presbyterum potest consecrare corpus, & sanguinem Christi, & remittere peccata fidelibus. Est in*
49 *re Communis*. Materia remota est duplex partialis, una est calix cum vino, & patena cum hostia; alia sunt manus Episcopi imponendæ supra caput Sacerdotis. Proxima etiam est duplex partialis, una est traditio, & acceptatio ipsius calicis cum vino, & patenæ cum hostia; alia est ipsa ultima impositio manuum facta ab Episcopo super caput Sacerdotis. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa prima verba prolata ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*; Alia sunt verba hæc: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, reten-*
50 *ta sunt*. Presbyteratus in ordine ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi fuit institutus a Christo, quando in ultima cœna panem, & vinum convertit in suum corpus, & sanguinem dicens Apostolis. *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem.* In ordine vero ad absolvendum fideles a peccatis, quando post resurrectionem dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*

51 Episcopatus, qui ex dictis *supra n.* 15. probabilius est Ordo sacramentalis ab Ordine Presbyterali realiter, & adæquate distinctus secundum communem Canonistarum, & plurimorum Theologorum: *Est potestas, per quam ordinatus in Episcopum potest conferre sacramenta Confirmationis, & Ordinis*; idest potest conficere sacramentum, Chrisma, & Oleum sanctum &c. & ordinare Sacerdotes, & Episcopos. *Est in re communis*. Ma- 52
teria remota est duplex partialis, una est liber Evangeliorum imponendus super cervicem & scapulas consecrandi, alia sunt manus consecratoris, & duorum assistentium Episcoporum imponendæ super caput consecrandi. Proxima etiam est duplex partialis, una est ipsa libri Evangeliorum impositio super cervicem, & scapulas consecrandi, alia est ipsa impositio manuum consecratoris, & duorum Episcoporum assistentium super caput consecrandi. Forma sunt illa verba, quæ dum ipsum electum Episcopum consecrant, proferunt consecrator, & duo Episcopi assistentes, videlicet: *Accipe Spiritum &c.* Fagnan. *l.* 1. *Decretal. in cap. Requisivit* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, n.* 59. & alii. Episcopatus 53
probabilius institutus fuit a Christo, quando *Joann. c.* 21. *n.* 18. dixit Petro: *Pasce oves meas*. Fuit enim Petrus primus Episcopus a Domino institutus, & quidem Episcopus universalis Ecclesiæ per dicta verba: *Pasce oves meas*, ut scribit Fagnanus *loc. cit. n.* 85. adducens *cap. Considerandum* 53. *& cap. Fidelior fructus* 54. *dist.* 50. *cap. Significasti* 4. *de election.* & Glossam *in cap. in novo testamento* 2. *dist.* 21. Aversa tamen *quæst.* 2. *sect.* 10. probabiliter dicit institutum fuisse cum Sacerdotio; Vide La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 2207. ubi concludit, quod dicendum videtur, Ordines alios, utpote tendentes ad Sacerdotium, esse institutos, quando data est prima potestas Sacerdotii.

Contactum realem, & physicum materiæ remo- 54
tæ cujusque respective Ordinis esse necessarium necessitate præcepti Ecclesiastici, adeo ut sine dubio peccaret mortaliter qui advertenter, & deliberate illum omitteret, est certissima, & communissima omnium Doctorum tam Canonistarum, quam Theologorum sententia, quia graviter delinqueret contra præceptum, ac morem universalis Ecclesiæ, & rubricas Pontificalis id præscribentes, & redderet, ac susciperet sacramentum dubium.

An autem contactus realis, & physicus sit etiam 55
necessarius ad valorem, & essentiam Ordinis, adeo ut sine ipso sit invalida ordinatio, & non recipiatur sacramentum? variant Doctores. Negativam sententiam tuentur Albertus Magnus *n.* 4. *dist.* 24. *art.* 34. *ad* 2. Vasq. *disp.* 248. *n.* 6. *cap.* 2. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 11. Victoria, Armilla, Zambran. & alii citati, & sequuti a Layman *lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 5. *n.* 4. Reiffenstuel *Theolog. moral. dist.* 12. *tr.* 14. *q.* 5. *n.* 68. Sporer *tom.* 3. *par.* 1. *cap.* 5. *sect.* 3. *n.* 35. Filliucius, Reginaldus, Dicastillus, & alii ab ipso allegati *sub nu.* 34. Diana *par.* 3. *tract.* 3. *resolut.* 185. cum aliis ibi citatis, Molfesius *tract.* 2. *cap.*

(*) E. R. Ea, quæ de ordinum hierarchicorum materia & forma edisserit noster Auctor, jam pene antiquata habentur a nostri temporis Theologis. Plures viri eruditi ostenderunt eam in manuum impositione esse sitam, ut Morinus, Juvenin, Tournely, ceterique recentiores, qui hac de re scripsere. Confer inter ceteros Hallier. *de Sacris electionibus, & ordinationibus Part.* II. *sect.* II. *cap.* 2. Etsi ad praxim quod attinet, nihil immutandum sit ex iis, quæ a proprio uniuscujusque Ecclesiæ ritu præscribuntur.

2. *cap.* 1. *n.* 42. & alii. Immo aliqui ex ipsis, & signanter Vasquez, Layman, Gobat, & Sporer *locis citatis* volunt, nullum nequidem moralem contactum requiri ad essentiam, & valorem Ordinis.

56 At vero affirmativam, quam nos sequimur, sententiam, nempe contactum physicum, & realem, saltem mediatum requiri ad essentiam, & valorem Ordinis, & neque sufficere contactum moralem, defendunt S. Thomas *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 1. *qu.* 5. *ad* 3. expresse dicens: *Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc, vel illud*, Pontas *t.* 2. *verb. Ordines*, *cas.* 13. 14. *&* 15. Paludanus *qu.* 1. *art.* 1. *in fine*, Silvester *verb. Ordo* 2. *qu.* 5. Angelus *ibid.* 1. §. 7. Cajetanus *tom.* 1. *Opuscul. tract.* 26. Viguerus *in instit. Theol. cap.* 16. §. 16. Mastrius *Theolog. moral. disp.* 19. *n.* 26. cum aliis ibi citatis, Felix Potestas *tom.* 3. *par.* 1. *nu.* 136. Matthæuc. *Cautela Confessarii lib.* 4. *c.* 4. *n.* 13. Coninch. *disp.* 20. *dub.* 7. *n.* 7. Valentia *tom.* 4. *disp.* 9. *q.* 1. *punct.* 5. Busembaum *lib.* 6. *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. La Criox *ibid. nu.* 2148. cum aliis ibi citatis, Henno *t.* 2. *tract.* 7. *disp. unic. de Sacrament. Ordinis quæst.* 4. *art.* 5. *concl.* 1. Bonacina *de Sacramento Ordinis disp.* 8. *qu. unic. part.* 3. *num.* 11. testans de communi contra supra citatos: Et ratio est, quia juxta communem, & usitatam significationem verborum formæ *Accipe &c.* requiritur, ut is, qui dicitur accipere ad minimum tangat rem oblatam; Tum quia Pontificale Romanum *in Rubric. de Episcop. consecrante* sic expresse habet: *Moneat Ordinandos, ut instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant*, ut advertit Fagnanus *lib.* 1. *Decretal. in cap. Cum venisset* 1. *de Sacra Unction. num.* 34. quod ex perpetua Ecclesiæ praxi ab omnibus Episcopis observatur sollicite requirendo, ut ab omnibus Ordinandis, vere, physice, & realiter tangatur materia tradita, quæ praxis per traditionem ex Christi institutione profecta esse videtur: Tum etiam quia in quolibet sacramento habente materiam, necesse est, ut suscipiens contingat illam, sicuti patet in Baptismo, Confirmatione, & aliis, adeoque &c.

57 Fuit dictum notanter requiri contactum physicum *saltem mediatum*, quia certum est, non exigi contactum immediatum cujusque materiæ ad essentiam sacramenti requisitæ; Presbyterandi enim nunquam tangunt immediate vinum contentum in calice, quod tamen spectat ad materiam essentialem sacramenti. Hinc si quis claves, urceolos, librum Epistolarum, & Evangeliorum, calicem &c. tangeret manu obvoluta chirotheca, strophiolo, superpelliceo &c. non ideo esset irritus Ordo, quia communissime, & rectissime dicitur tangere, vel palpare hominem qui eum apprehendit manu ut supra obvoluta. Sic Doctores communiter tradentes, insuper non esse necesse ad valorem sacramenti, quod materia tangatur utraque manu, vel sufficere, si tangatur una tantum manu, vel uno tantum digito, quia sic adhuc verificatur tactus, & quælibet res sufficienter est & dicitur tacta. Immo etiam si solis manus unguibus, quia ipsi pars digiti censentur, ut tradunt in terminis Card. de Lugo *Resolut. moral. tit.* 1. *dub.* 1. *n.* 8. Spor. *loc. cit. n.* 38. Gobat *loc. cit. n.* 62. La Croix *loc. cit. n.* 2155. & alii, quia si solis unguibus quis laceret vultum alterius, vere dicitur eum tetigisse: Nulla enim lex exigit ut utraque manu tangatur materia. Unde non debemus dicere, quod id requiratur ad valorem sacramenti, cum sine ipso utriusque manus contactu salvetur forma sacramenti; & auctoritas Scripturæ, vel Ecclesiæ nos non cogat ad ipsum requirendum; In praxi tamen tenendum est, quod materia tangenda sit nuda altera saltem manu. Insuper advertunt, & tradunt Filliucius *tract.* 9. *num.* 29. Busembaum *loc. cit. n.* 2. La Croix *loc. cit. num.* 2155. & alii contactum faciendum esse utraque manu ex præcepto ad scrupulum vitandum.

Etiam notanter fuit dictum, non sufficere *contactum moralem*, videlicet si quis manum extendat, & appropinquet materiæ, & non tangat illam, seu inclinatione capitis, vel aliquo æquivalenti signo significet se materiam oblatam ab Episcopo acceptare, quia cum sententia nostra requirens ad valorem sacramenti contactum physicum saltem mediatum, sit tutior sententia contraria docente sufficere contactum moralem, non videtur posse tute illam sequi post damnatam ab Innocentio XI. propositionem primam, quæ dicebat, licitum esse in conferendis sacramentis sequi sententiam probabilem, relicta tutiori, etiam quando agitur de valore sacramenti. Unde ut refert Mastrius *dis.* 19. *Theolog. mor. n.* 26. Clemens VIII. aliquos sic ordinatos ab Episcopo Sagiensi sub conditione reordinari præcipit. Quod & docet Pontas *verb. Ordines cas.* 13. 14. 15. per text. *in c. Pastoralis* 1. *de Sacrament. non iterand.* ubi Innocentius III. statuit, quod *caute supplendum* (*est*) *quod incaute fuerat prætermissum*, *& in cap. Præsbyter* 3. *eod. tit.* ubi Gregorius IX. decrevit, quod *statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos caute supplendum* (*est*) *quod per errorem extitit prætermissum*. 58

Nec valet objicere, quod ex dictis duabus Decretalibus colligitur potius, quod contactus physicus non sit de essentia sacramenti, quia licet in ordinatione Subdiaconi fuerit omissa impositio manus, ut dicitur *in cit. cap. Pastoralis*, & etiam ut dicitur in *in citat. cap. Presbyter*, fuerit omissa in ordinatione Presbyteri, & Diaconi dicta manus impositio, quæ, ut ibi, fit tactu corporali, idest physico, adhuc in utroque loco statuitur, quod non sit Sacramentum iterandum, sed solum esse supplendum, quod incaute extitit prætermissum, quod clare indicat contactum physicum non requiri ad essentiam Sacramenti, aliter si ita requireretur, fuisset iterandum sacramentum sine ipso collatum, utpote irritum, & invalidum. Non valet, inquam, quia ibi Pontifex accepit verbum *itero* in propria sua significatione, quatenus idem sonat, ac iterum conferre idem specie sacramentum jam semel rite collatum. Non autem iterum confertur, quod numquam rite fuit collatum, juxta illud *cap. Veniens* 3. *de Presbytero non baptizato*: ibi: *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum*, & illud *cap. Solemnitates* 16. *de consecrat. dist.* 5. ibi: *Non monstratur esse iteratum, quod nesci-* 59

T 2

nescitur esse factum, & illud *cap. Si nulla* 113. *de consecrat dist.* 4. ibi: *Quod non ostenditur gestum, ratio nom sinit, ut videatur iteratum*. Et non dicitur actum, cum aliquid superest ad agendum, ut dicit expresse Glossa *in cit. cap. Pastoralis*, *verb. Permitti* per text. *L. Penult. Cod. ad Syllanianum*, *cap. Illud* 15. *& cap. Nihil* 16. *caus.* 7. *quæst.* 1., etiamsi id quod superest ad agendum, seu supplendum, dubitetur esse de substantia, quia generaliter quotiescumque dubitatur, an aliquid, quod omissum fuerit, sit de substantia Ordinis nec ne, & tamen expressum est in jure, ut fieri debeat, æstimari debet de substantia, & tota ordinatio est repetenda saltem sub conditione; *cap. Presbyteri* 2. *cap. Chorepiscopi* 5. *dist.* 68. *cap. Nihil* 16. *caus.* 17. *qu.* 1. *cap. Unic. de Clerico per saltum promoto, & cap. De quibus* 2. *de Baptismo*, cum similibus. Sic expresse Fagnan. in *cap. Cum venisset* 1. *de S. unction. n.* 54. cum Innocent. Raymund. Goffred. Hostiens. Friburg. Archidiacon. Sanct. Antonin. Turrecremat. Angelo, Armilla, Pisanella, Joan. Andrea, Butrio, Cardinal. ibidem ab ipso allegatis, & ipso teste omnes alii in *d. cap. Cum venisset*. Unde dicendum est, Pontifices in dictis decretalibus *cap. Pastoralis, & c. Presbyter*, solum velle nihil esse iterandum quoad ritus, & cæremonias, sed caute, idest secrete, & sine solemnitate ad vitandum scandalum, supplendum esse quod defuit, nempe essentiale sacramenti, quod non dicitur iterari, per jura supra adducta, ut etiam explicat Juenin *dissert.* 9. *quæst.* 3. *cap.* 2. *in respons. ad* 4. *objectionem*, dicens, laudatos Pontifices ideo statuere ordinationem in proposito casu non debere iterari, quod supponat peractam non fuisse: Non enim dicitur iterari, quod ne semel quidem peractum est.

60 Neque valet instare, quod Pontifex in *cit. cap. Pastoralis* pariformiter loquitur de manus impositione in ordinatione Subdiaconi omissa, & de supplendo defectu balsami in Confirmatione non adhibiti, adeoque cum balsamum non sit de essentia materiæ Confirmationis, neque manuum impositio, & contactus physicus cujusvis respective materiæ erit de essentia ordinationis. Non valet, inquam, instantia. Respondetur enim primo, quod secundum nonnullos classicos Doctores, quos sequitur Barbosa *in cit. cap. Pastoralis num.* 1. Engel *ibid. num.* 7. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 16. *num.* 6. dictus textus incuria librariorum sit corruptus, & vera littera ibi habeat *Diaconatus* pro ly *Subdiaconatus*, ut advertit Innocentius, prout etiam duobus vetustioribus exemplaribus legi notat Glossa marginalis *ibid.* Unde nec Papa, quando ordinat Subdiaconum, manum imponit, ut testatur Abbas in *cit. cap. Pastoralis*, nec Pontificale Romanum auctoritate Gregorii XIII. editum ullam in ordinatione Subdiaconi manuum impositionem præscribit, & expresse dicitur in *cap. Subdiaconus* 15. *dist.* 23. quod Subdiaconus, cum ordinatur, non recipit manus impositionem, sed dumtaxat Diaconus, ut habetur in *cap. Diaconus* 11. *ead. dist.* 23. Hinc tenendo per supra dicta, quod ibi legi debeat *Diaconatus* pro verbo *Subdiaconatus*, ne superflua videatur dispositio Pontificis, quod caute sit supplenda manuum impositio omissa in ordinatione Subdiaconi, ubi nullimode requiritur, respondetur, quod æque, & juste loquitur Pontifex pariformiter de supplenda impositione manus in ordinatione Diaconi omissa, & de supplendo defectu balsami in Confirmatione non adhibiti, quia & impositio manus dexteræ Episcopi cum illa verborum forma: *Accipe Spiritum sanctum & robur &c.* est materia partialis Ordinis Diaconatus, sicuti & impositio manuum Episcopi sub illa verborum forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* est materia partialis Ordinis Presbyteratus caute supplenda procul dubio statutis temporibus, si fuerit prætermissa, ut disponitur in *cit. cap. Presbyter*, & admixtio balsami est pars materiæ ad valorem Confirmationis essentialiter requisitæ, caute etiam supplenda, si fuerit omissa.

Quod enim impositio manuum sit de essentia 61
Diaconatus, & Presbyteratus, colligitur etiam ex textu *dicti cap. Presbyter* in quo supponitur, hos Ordines omissa manuum impositione non fuisse revera collatos, sed postea primum fuisse conferendos, ut patet ex illis verbis: *statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos caute supplendum*, ut recte notant Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 16. *num.* 5. §. *Notandum tertio in fine* Reiffenstuel *ibid. num.* 11. *& seq.* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 2. *dub.* 3. *n.* 65. & alii: Et quod admixtio balsami sit de essentia Cofirmationis, fuit probatum in *verb. Confirmatio art.* 1. *n.* 8. *&* 10. per jura, Concilia, decreta, & classicos Doctores ibi allegatos. Quibus adde Mastrium *Theol. mor. disp.* 17. *num.* 69. testantem ex declaratione Pauli III. & Pii IV. sufficere ad majorem commoditatem quodcumque balsamum etiam Indicum, ubi nascitur in magna copia. Layman *lib.* 5. *Theol. moral. cap.* 2. *num.* 1. Henno *tom.* 2. *tract. de Confirmat. disp. unica quæst.* 3. *concl.* 2. Herincx *disp.* 9. *de Sacram. Confirm. quæst.* 2. *num.* 1. Frassen *ibid. num.* 9. Pisigianum *disp.* 7. *num.* 21. *art.* 3. Felic. Potest. *tom.* 1. *part.* 4. *quæst. p.* 3. *num.* 315. Bonac. *de Confirmat. disp.* 3. *quæst. unic. punct.* 3. *num.* 2. Rossign. *de Confirm. q.* 2. *art.* 2. *concl.* 3. cum multis ibi allegatis, Bosco *de Confirmatione num.* 58. aliosque innumeros communiter explicantes text. *in cit. cap. Pastoralis*, nempe *quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum*, respectu Confirmationis collatæ cum simplici oleo sine admixtione balsami, modo supra explicato respectu ordinationis factæ sine impositione manuum, idest quod non debeat tunc iterari sacramentum, eo quod supponatur sine parte suæ materiæ essentialis non fuisse collatum, & non dicatur iterari, quod nec semel quidem peractum est; sed caute esse supplendum defectum privatim adhibendo Chrisma, eoque confirmandum in fronte rursus inungendo, cum debita verborum forma, & intentione: Ita tamen ut aliæ cæremoniæ accidentales, puta nova adhibitio patrini, alapæ, & hujusmodi semel solemniter adhibitæ, postmodum omittantur: sicque salvatur dispositio Innocentii III. in *cit. cap. Pastoralis*, & praxis universalis Ecclesiæ Sacramentum Confirmationis per Chrismatis un-

unctionem in fronte factam solitæ conferre, & damnatio primæ propositionis ab Innocent. XI. facta, & mens Concilii Florentini, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, Alensis, ac aliorum, non aliter pro necessitate sacramenti Confirmationis loquentium de balsamo, ac de oleo, teste Mastrio in 4. *Sentent. disp.* 2. *q.* 8. *n.* 223. ubi *n.* 225. advertit, quod ipsemet Innocentius III. jam dixerat in *cap. Veniens*, *unic. de Sac. Unctione*, Chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo, esse hujus Sacramenti materiam.

62 Quotiescumque autem rationabile dubium emergat de valore sacramenti, idest an illud hic & nunc valide collatum fuerit, est reiterandum sub conditione, si fuerit invalidum, ut expresse statuitur in *cap. De quibus* 2. *de Baptismo*, ibi: *De quibus dubium est*, *an Baptizati fuerint*, *baptizantur his verbis præmissis*: *Si baptizatus es*, *non te baptizo*, *sed si nondum baptizatus es*, *Ego te baptizo &c.* Ex appositione enim talis conditionis, & præcavetur omni injuriæ sacramenti, & omne præjudicium sacrilegæ reiterationis evitatur. Ad nostrum propositum attendendæ sunt tres aureæ illæ regulæ, quas universaliter in omnibus dubiis circa materiam & formam sacramentorum observandas esse tradit Scotus in 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. §. *Tertio de forma*. Prima est: *Si possibilitas adest*, *via tutissima est eligenda*. Secunda: *Si non adest possibilitas*, *via tutissimæ proxima est tenenda*. Tertia: *Cessante impossibilitate caute est supplendum*, *quod impossibilitas prohibebat*.

63 Respondetur secundo ad instantiam, quod, retinendo textum, prout jacet in *cit. cap. Pastoralis*, ne videatur privata auctoritate variari textus ibi litteralis sub verb. *Subdiaconatus* per tot sæcula ab ipsis summis Pontificibus toleratus, adhuc stat inconcussa nostra conclusio, dicendo quod textus ibi non loquitur de impositione manuum consecratoria, quæ non datur Subdiacono ex *cit cap. Subdiaconus*, sed dumtaxat Diacono ex *cit. cap. Diaconus*; sed loquitur solum de quadam manuum impositione deprecatoria, quæ est quædam benedictio, juxta Glossam in *c. Pastoralis*, *verb. Impositione*, & constat ex *c. Manus* 74. *caus.* 1. *q.* 1. quæ fit etiam in minoribus Ordinibus constitutis, ut habetur in *cap. Quoniam* 1. *dist.* 69. prout docent Abbas in *cit. cap. Pastoralis* §. *Opponitur*, Pirhing *cit. tit.* 16. *n.* 2. Reiffenstuel *ib. num.* 7. Layman *loc. cit. num.* 1. & plures alii. Sicque in utroque casu salvatur dispositio Innocentii III. in *d. cap. Pastoralis*, quod sit *caute supplendum*, *quod incaute fuerat prætermissum*, nempe in casu ordinationis Subdiaconi supplendam esse dictam manuum impositionem deprecatoriam, seu benedictoriam omissam, & in casu collationis Confirmationis supplendam esse admixtionem balsami cum oleo prætermissam cum debita verborum forma, & intentione modo supradicto. Unde quia in casu ordinationis Subdiaconi tantum defuerat quid accidentale, tantum accidentale supplendum erat, & quia in casu collationis confirmationis defuerat substantiale, ideo supplendum erat, & in neutro casu ob id iteratur Sacramentum. Non in casu Subdiaconi, quia ibi suppletur tantum quid accidentale non ingrediens essentiam ordinationis. Nec in casu dictæ Confirmationis, quia cum ibi defuerit pars essentialis, non fuit tunc valide Sacramentum collatum, adeoque non dicitur postea iterari, sed primo conferri, cum non dicatur iterari, quod ne semel quidem peractum est, per jura adducta *supra num.* 57.

Non esse necesse ad valorem sacramenti Ordinis, ut contactus materiæ fiat simul physice cum prolatione formæ, sed sufficere, si fiat simul moraliter, idest paulo ante, vel paulo post, defendunt Bonacina *loc. cit. num.* 12. Valentia, Emmanuel Sa, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, & alii ab ipso ibi allegati, Layman *loc. cit. num.* 3. *in fine* cum Victoria, & aliis ibi citatis, Card. de Lugo *respons. moral. lib.* 1. *dub.* 33. *num.* 1. Palaus *tract.* 27. *part.* 4. *num.* 20. Sporer *loc. cit. n.* 37. Felix Potest. *loc. cit. num.* 136. Rosignolus *de Sacramentis in genere par.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. *num.* 5. *& seq.* & alii, id probantes etiam ex praxi nonnullorum Episcoporum, qui teste Marchino *de Ordine tract.* 1. *par.* 1. *cap.* 16. *num.* 13. quando plures sunt initiandi Ordine Sacerdotali, prolata semel forma in plurali *Accipite potestatem &c.* præbent materiam pluribus successive tangendam, non repetita forma; atque validam esse talem ordinationem fuisse decisum Romæ in quadam Congregatione, testatur Martinus Fornarius *de Ordinatione cap.* 2. *num.* 5. apud Bonacinam *loc. cit. num.* 5. tunc enim habetur simultas moralis, nec tollitur proprie significatum illorum verborum *Accipite potestatem &c.* quamvis in prolatione eorumdem non coexistat physice contactus, sed tantum moraliter, idest paulo post. 64

Navarrus vero *in Manual. cap.* 22. *num.* 17. Cajetan. *in Opuscul. tract.* 26. Paludan. apud & cum Silvestro verb. *Unctio* §. 7. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2148. cum Cajetan. Richard. Navarr. Granado, & aliis ibi citatis, Matthæuc. *Cautela Confessarii lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 14. & alii plures sustinent, ad valorem sacramenti traditionem materiæ, & prolationem formæ debere esse simul non tantum simultate morali, sed etiam physica, saltem in aliqua parte, adeo ut si totaliter ponatur prolatio formæ ante, vel post contactum materiæ, nullo modo subsistat Sacramentum. Hinc quia hæc sententia est tutior prima, adeo ut Gobat *tract.* 7. *cas.* 4. *num.* 114. licet primam defendat, non audet eam vocare moraliter certam, ut advertit etiam Sporer *loc. cit. num.* 37. quamvis ipsa non careat sua probabilitate, cum tamen agatur de valore sacramenti, ubi sequenda est tutior, ut ex propositione 1. inter damnatas ab Innocentio XI. *die* 2. *Martii* 1679. non est in praxi ab hac posreriori recedendum, nisi aliter constet esse vere a Sancta Sede decisum. Tum quia Scotus *in* 4. *d.* 6. *qu.* 3. Cajetan. Nav. & alii gravissimi Doctores teste Sporer *loc. cit cap.* 1. *num.* 83. negant valere Baptismum, si tota forma pronuncietur ante cœptam, vel finitam ablutionem. Et Felix Potestas *loc. cit. n.* 137. expresse dicit: Tutius autem est, ut saltem priusquam materiæ traditio finiatur, formæ prolatio incipiat, aut e converso, ut communiter Doctores docent de Baptismo, Unde recte contra alios infert 65

fert Gobat *tract.* 1. *num.* 61. *&* *tract.* 2. *num.* 20. omnino repetendum esse Baptismum taliter collatum, addens: Idem omnino sentio de Ordine Presbyteratus, & Episcopatus, quicque ex quorum irrita collatione oriri possunt innumera mala. Sicque in praxi est omnino sequenda nostra sententia, quia quamvis juxta sententiam adversariorum esset valida talis Ordinatio, adhuc etiam secundum ipsos adversarios esset graviter illicita, ita ut peccaretur mortaliter, si sine gravi necessitate id fieret, ut cum aliis advertit Sporer *citat. num.* 37. & *cit. cap.* 1. *n.* 64. concludens in genere quoad praxim consultissimum esse, ut minister Sacramenti curet majorem quam potest facere simultatem materiæ, & formæ v. g. in Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione, ordinatione, dum abluit, inungit, instrumentum Ordinis tradit, simul proferat formam.

66 Episcopus ordinans, qui profert formam, debet etiam per se ipsum porrigere materiam tangendam ab ordinandis. Sic Suarez *tom.* 5. *disp.*42. *sect.* 3. *num.* 12. Martinus Fornarius *de Ordinatione cap.* 2. *num.* 4. Bonacina *loc.cit. num.* 16. cum aliis ibi allegatis, La Croix *loc.cit. num.* 16. & alii passim, & Mastrius *Theol. moral. disp.* 10. *num.* 26. & expresse decrevit *Sacra Congregatio S. Officii die* 1. *Augusti* 1697. apud Pascuc. *in compend.* Pignat. de Ordine, & ordinatione, qua re mature perpensa statuit ordinatos ab Episcopo, qui per alium fecerat porrigere materiam, esse reordinandos sub conditione ad formam Pontificalis Romani, non servatis tamen interstitiis, & extra tempora habilitando, & dispensando forsan inhabiles ad quæcumque beneficia, & dignitates, etiam curata, & absolvi mandavit eosdem ab irregularitate, & exercitio Ordinum forsan contracta. Et sic ordinatos ab Episcopo Sagiensi, qui non tradiderat per seipsum instrumenta ordinandis, reordinari, saltem sub conditione, mandavit Clemens VIII. teste Mastrio *citat. disp.* 19. *num.* 26.

67 Hinc recte universim concludit doctissimus P. La Croix *loc. cit. num.* 2148. quod practice improbabiles sunt sequentes sententiæ. 1. Quod ad validam consecrationem Episcopi sufficiat sola manuum impositio, & non requiratur traditio, nec baculi pastoralis, nec annuli, nec libri Evangeliorum: possuntque Dicast. a *num.* 110. & Illsung *num.* 25. de hoc videri. 2. Quod ad valorem Diaconatus sufficiat vel sola impositio manuum; vel sola traditio libri Evangeliorum, & non requiratur utrumque simul; de quo videri possunt Avers. *quæst.* 2. §. 6. & Dicast. *a num.* 164. 3. Quod sufficat prius post formam attingere vasa, ordinationem enim tunc esse invalidam docent Caj. Rich. Nav. Granado, & alii. 4. Quod ad valorem Ordinum majorum non requiratur, ut ordinans ipse tradat materias. 5. Quod ad valorem Ordinum non requiratur contactus physicus saltem mediatus vasorum seu instrumentorum &c. Ratio horum omnium est, quia sententiæ negantes talia requiri ad valorem, non sunt moraliter certæ, sed tantum probabiles; oppositæ autem sunt tutiores, ergo non licet his relictis sequi illa: Carden. & alii, potestque videri etiam Aversa *s.* 2. afferens Auctores, & rationes in utramque partem. Hactenus ille.

Ordines quinam suppleri debeant a Clericis Græcis, qui ritu latino ad superiores Ordines sint promovendi, declarat Benedictus XIV. tom. 1. Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 7. Ubi etiam quibus legibus & ritibus fieri debeant ordinationes Græcorum, præscribitur. Vide tom. 3. verbi *Græci*. 68

Ordinationes Græco Ruthenorum ad Ecclesiam catholicam redeuntium Episcopo Auxerensi delegantur. Idem Constitut. 63. incip. *E sublimi*. 69

* Ordinem verum esse novæ legis sacramentum ex consensu Theologorom omnium, & Concilii Tridentini definitione *Sess.* 23. *cap.* 3. certum est, ut supra traditum. Id vero sacerdotio convenire una est omnium Theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de Episcopatu, quamvis diversum non esse Ordinem a Sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem complementum teneretur. De Diaconatu quamquam certum non sit de fide ex sensu quorumdam Theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur. 70

De cæteris singularibus Ordinibus disceptant Theologi, quamvis de Subiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat Episcopis, ne sacrilegii crimine in suis synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra Missarum solemnia, in quibus recens initiati sacra Eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. *De Synod. diœc. lib.* 7. *cap.* 24. *per totum*. 71

De materia hujus sacramenti dubietas intercedit (de Episcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu res est) num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat. Quin & de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit, ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso sac. Congregationis censet Pontifex, ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. *Ibidem cap.*25. 72

Sacri vero Ordines intra Missarum solemnia nec ab alio, quam ab Episcopo ordinante celebranda, conferendi sunt, & reum se gravis culpæ Episcopus constitueret, qui alio Sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret. Valeret tamen ordinatio. *Ibid. cap.* 26. §. 5. *&* 6. (1). 73

Addi-

(1) Ut aliqua de ritibus ordinum conferendorum addamus, quæ ad Græcarum ordinationum ritus spectant,

Additiones ex aliena manu.

74 Concilium Tridentinum *sess. 22. canon. 2. & 3. de Sacrament. Ordin.* definiit dari in Ecclesia præter Sacerdotium alios Ordines majores, & minores, & Ordinem esse verum sacramentum.

75 Quod attinet ad majores Ordines, semper in Ecclesia, tum latina, tum græca, Diaconatus fuit major Ordo. At Subdiaconatus major utique Ordo erat tempore Concilii Tridentini, sed in ipsa Ecclesia latina non nisi exeunte sæculo decimo inter Ordines majores adnumeratus est; Rousseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Canonica verbo Ordo num. 1. & seq.*

76 Quod vero concernit minores Ordines, dum Concilium Tridentinum fuit conditum, erant in Ecclesia latina quatuor minores Ordines, at antea in ipsa Ecclesia latina alicubi erant pauciores; Rousseaud de la Combe *in sua Jurisprud. Canon. verb. Ordo d. num. 2.* Morin. *Exercit. 15. cap. 1.* ubi & de numero Ordinum minorum in Ecclesia græca.

77 Patet ex his, minores Ordines non esse a Christo, neque ab Apostolis immediate institutos, sed ab Ecclesia crescente fidelium multitudine pro locorum, & temporum necessitate, & opportunitate.
78 Monet vero Morin. *ubi supra*, dici & eos posse juris divini, & institutionis Apostolicæ, in quantum ipsi *eminenter*, *& formaliter* in Diaconatu continebantur, atque Ecclesiam postmodum crescente fidelium, ac ministrorum numero de diaconatu eduxisse. At locutio hæc Scholasticis utique non item Morino castigatioris eruditionis viro convenit.

79 Recte vero *idem* Morin. concludit, minores Ordines utpote nec a Christo, nec ab Apostolis institutos rationem sacramenti haud habere. Neque id est contrarium *canon. 3.* mox citati Concilii Tridentini. Subsistit enim veritas hujus canonis licet solus Præsbyteratus sit sacramentum. Consule etiam Vanespen. *Jur. Eccles. Univ. part. 2. tit. 9. cap. 1. §. 6.*

80 De materia, & forma sacramenti Ordinis nil *Concilium Tridentinum* definit. At Eugenius IV. in decreto pro Armenis de hoc sacramento disserens: *Cujus* (inquit) *materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui, cum patena vacua superposita traditionem. Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotalis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*

Non male autem Morinus, & Vanesp. *l. c.* tradunt, 81 quod mens Eugenii IV. in hoc decreto, seu instructione haud fuit, essentiales, & a Christo institutas materias, & formas sacramentorum assignare, sed ad summum usitatas tunc in Ecclesia latina materias, & formas, ut hoc decreto redderentur Armeni de ritu Ecclesiæ instructi.

Cæterum quæ hodie pro forma, & materia præ- 82 scribuntur, exacte observari debent: Confer hic etiam Rousseaud de la Combe *in sua Jurisprud. Canon. verb. Ordo num. 3.* ubi quod unctio in ordinatione est tantum cæremonialis, nec semper fuit adhibita.

Articulus II.

Quoad ea, quæ conernunt tempora faciendarum ordinationum, & qualitates ordinandorum.

Prima Tonsura conferri potest quocumque 1 die, & hora, & loco. Ita expresse Pontificale Romanum *in Rubric. de Ordin. conferend.* ibi: *Clericatus, seu prima Tonsura quocumque die, & hora, & loco conferri potest.* Et sic tenet *Communis Doctorum*; Non enim alicubi in Jure reperitur quid aliud de ea constitutum.

Ordines minores conferri possunt, non solum 2 in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festivis diebus, etiam extra Missam: Sic Pontificale Romanum *Tit. de minoribus Ordinibus*, & habetur *ex cap. De eo 3. de temporibus ordinationum*, ibi: *Licitum est Episcopis Dominicis, aut aliis festivis diebus unum, aut duos ad Minores Ordines promovere.* Immo non solum 3 unum, aut duos possunt Episcopi promovere ad Ordines minores dictis diebus, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. Glossa *ibid. verb. Aut duos*, Silve-

spectant, ex Goarii Euchologio, & Haberti Pontificali petenda sunt. Id generatim dico, Græcis nullum in ordinatione usum esse sive instrumentorum traditionis, sive etiam unctionis. An autem unctione antiquitus saltem usi fuerint, controvertitur. Atque id quidem nonnuli putant colligi posse ex veterum testimoniis, præsertim Gregorii Nazianzeni *Orat. 5.*, & Auctoris vitæ Chrysostomi apud Metaphrastem, apud quos sacri Antistites dicuntur *chrismate deliniti*. Aliis tamen non videtur id sufficiens fundamentum. Nempe in laudatis locis *Chrismatis unctionem* mystico dumtaxat sensu accipiendam esse contendunt Græcorum rituum periti, ut Arcudius *lib. VI. de sacram. cap. 1.*, & Morinus in Commentario *de Ord. P. III. Exercit. VI.* Nobis id insinuasse satis esto.

Latinorum in sacris ordinibus ritus habes in Concilio Carthaginiensi IV. anni 398. præsertim vero in Pontificali Romano, ad cujus illustrationem multa conferent Menardus ad S. Gregorii M. Sacramentarium Martenius *de antiquis Ecclesiæ ritibus* laudatus Morinus, & Catalanus in suo ad Pontificale commentario.

Silvester *verb. Ordo 2. q. 6.* Gobat *tom. 1. tract. 8.*
num. 453. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *lib. 1.*
decr. tit. 1. num. 31. Rosignol. *de Ordinibus Eccle-*
siasticis par. 1. de Ordinibus in communi quæst. 2.
art. 7. num. 4. ubi recte dicit, quod *in citato textu*
cap. De eo, ly *unum*, *aut duos* non positum sit
restrictive, *sed exemplificative*, & sic tenent alii
passim, & servat praxis.
4 Dicti dies festivi, quibus Ordines minores con-
ferri possunt, sunt dies festi, qui a populo co-
luntur, & servantur. Sic expresse declaravit *sa-*
cra Congreg. Conc. apud Fagnan. *in cit. cap. De eo*
5 *3. de temporibus ordination. n.* 24. Ordines mino-
res olim non solum dictis diebus festivis, sed
etiam alio quocumque die, & loco beneviso Epi-
scopis poterant conferri, ut patet *ex cap. Quando*
6. dist. 75. ibi: *Quando, & ubi libitum fuerit usque*
6 *ad Subdiaconatus officium Clerici ordinentur*. Ho-
die per generalem ordinationem non conferuntur,
nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato sancto,
vel Sabbato ante Dominicam Passionis, & per
specialem, & privatam paucorum ordinationem in
Dominicis & aliis festivis diebus, juxta *d. cap. de*
eo 3. de temporibus ordinationum, ut notat Fagnan.
7 *ibid. num.* 30. Ex consuetudine tamen plurium Ec-
clesiarum Ordines minores conferuntur, non in
Sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor
temporum, quæ consuetudo, ut dicit Layman. in
cit. cap. De eo 3. de temporibus ordination. reprehen-
di non potest; Et quidem quod Ordines minores
conferantur pluribus in locis vespere illius feriæ 6.
testantur passim Doctores, & signanter Gobat
tom. 1. tract. 8. num. 52. Escobar in *Theolog. moral.*
l. 23. *cap.* 18. *num.* 430. Rosignol. *loc. c. num.* 6. Quin-
tanadven. *Singular. tract. 6. singular. 7. num.* 1.
Henriq. in *Summa lib.* 10. *cap.* 12. §. 2. Reiffen-
stuel *loc. cit. num.* 32., & alii plurimi. Immo
hoc concedere consuetudinem ubique receptam te-
statur Fagnan. in *cit. cap. Ex eo num.* 14. post Hen-
riquez *loc. cit.* quamvis subjungat præstare, ut ta-
lis consuetudo tollatur, & ad rem facit dubium
propositum in sacra Cong. Concil. ab Episcopo Por-
talegrensi: *An supposita consuetudine immemorabili*
licitum sit conferre primam Tonsuram, & minores
ordines feria sexta post prandium ante diem Sab-
bati? Ad quod præfata *sac. Congreg. Concil. die*
13. *April.* 1720. respondit: *Affirmative quoad pri-*
mam Tonsuram, & quoad Minores Ordines consue-
tudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedi-
re, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano
tit. de minoribus Ordinibus. Sic refert Card. Petra
tom. 5. Comment. ad Constitut. 7. Pii II. sub n. 48.
in fine.
8 Hinc non est necesse, quod conferens, & re-
cipiens Ordines minores sint jejuni. Reiffenstuel
loc. cit. num. 32. Layman *in d. cap. De eo 3. de tem-*
poribus Ordination. cum aliis ibi citatis, & alii
passim; cum enim possint conferri, & sæpe con-
ferantur post prandium, stat clarum, quod nec
in conferente, nec in recipiente requiritur jeju-
nium.
9 Ordines majores de Jure conferri possunt solum-
modo in Sabbatis omnium quatuor temporum,
in Sabbato ante Dominicam Passionis, & in Sab-
bato sancto tempore Missæ, *cap. De eo 3. de tem-*
poribus Ordinationum, & *cap. Ordinatione 7. dist.* 75.
cum similibus, in quibus licet dicatur *in quatuor*
temporibus, & hujusmodi, non debet intelligi,
quod Ordines majores possint de jure conferri,
die Mercurii, & Veneris, sed solum die Sabbati
earumdem hebdomadarum, *Cap. Ordinationes 3.*
cap. Quod a Patribus 4. dist. 75. cap. Litteras 13.
de Temporibus Ordinat. Sic expresse Fagnan. *lib. 1.*
decret. in cit. cap. De eo 3. de temporib. Ordinat.
num. 17. & 18. cum multis ibi citatis, Barbosa
de Offic. & potest. Episcop. part. 2. alleg. 17. num. 1.
& 3. cum pluribus ibi citatis, ubi reddit ratio-
nem, quare potius diebus Sabbati Ecclesia con-
stituerit sacros Ordines esse conferendos, quia
nempe Sabbatum significat requiem; Legitur enim
Genes. 2. quod requievit Deus die septimo ab om-
ni opere, quod patrarat. Qui autem ad sacros Or-
dines assumuntur, a sæculi laboribus ad requiem
Domini, seu Ecclesiasticam transeunt. Glossa in
cit. cap. Litteras verb. Pertinere, de tempor. ordinat.
cum illis non amplius negotiari permittatur, *cap.*
Fornicari 10. *dist.* 88. quem transitum non faciunt
Ordinati in minoribus, cum ad sæculum redire
valeant, *c. Si qui 2. dist. 32. cap. Joannes 7. de*
Cleric. conjungat. Card. Petra *tom. 5. Comment. ad*
Constit. 7. Pii II. num. 7. & seq. & alii passim.
Nec potest induci consuetudo conferendi dictos 10
Ordines majores in aliis temporibus; textu expres-
so in *cap. Sane 2. de temp. ordinat.* Barbosa *citat.*
alleg. 17. *num.* 4. cum aliis ibi citatis.
Dicitur autem notanter *de Jure*, quia ex privi- 11
legio summi Pontificis possunt valide, & licite con-
ferri Ordines majores extra dicta tempora; Papa
enim secundum plenitudinem potestatis de Jure
potest supra Jus dispensare, textu expresso in
cap. Proposuit 4. de concession. præbend. Et de fa-
cto sæpe sæpius dispensat cum pluribus.
Et ad hoc validum & stabile privilegium ha- 12
bent Regulares omnes, ut novissime declaravit
Benedict. XIII. in *Conc. Romano celebrato an.* 1725.
tit. 5. de temporibus Ordinationum cap. 2. ibi: *Quo*
vero ad Regulares privilegia a summis Pontificibus
habentes, sive expresse, sive per viam communica-
tionis concessa, sacros videlicet Ordines extra tem-
pora suscipiendi; cum privilegia ipsa in suo robore
persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decer-
nimus proinde Regulares eosdem absque novo Indul-
to Apostolico tuto posse extra tempora ordinari.
Immo Regulares habent Apostolicum privilegium 13
recipiendi Ordines sacros etiam tribus diebus fe-
stivis continuis, ut expresse concessit Societati
Jesu cum prohibitione communicationis Grego-
rius XIII. Constitut. incip. *Pium & utile*, & abso-
lute sine prohibitione communicationis concessit
Congregationi reformatæ Sancti Bernardi Grego-
rius XIV. Constitut. *Romanus Pontifex*, & Cle-
mens VIII. *die* 13. *Novembr.* 1596. concessit Con-
gregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut
possint ordinari extra tempora, & per quemcum-
que Episcopum communionem Ecclesiæ catholicæ
habentem tribus Dominicis, vel festivis diebus con-
tinuis, vel interpolatis, etiam non servatis inter-
stitiis: Quod privilegium se se vidisse testatur
Portell.

Portell. *In dub. Regular. verb. Ordo num.* 4. & ex ipso testantur Reiffenstuel *loc. cit. num.* 51. Sporer *tom.* 3. *part.* 1. *cap.* 5. *sect.* 4. *num.* 121. Rosignol. *de Ordinibus in communi part.* 1. *qu.* 2. *art.* 8. *n.* 3. & alii: Unde ex vi dictarum concessionum non solum noster Ordo, seu Religio Minorum, sed etiam omnes aliæ Religiones participant privilegia dictarum Congregationum; Tum quia post Gregorium XIII. per alios Pontifices successores fuerunt concessa variis aliis Religionibus privilegia Societatis Jesu absque ulla penitus restrictione, ac si eisdem concessa noviter essent, & primo; Quibus stantibus in dies cernimus a doctissimis, & gravissimis Episcopis Regulares (ut de suis testatur sapientimus P. Rosignolus *loc. c. n.* 4.) extra tempora tribus diebus Festivis immediate subsequentibus sacris ordinibus initiari.

14 Episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio Apostolorum, nisi summus Pontifex aliud specialiter indulserit, *cap. Ordinationes Episcoporum* 1. *& c. Quod Dominico* 5. *dist.* 75. & Pontif. Roman. *tit. de consecrat. Electi in Episcopum*.

15 Supradicta tempora a Jure statuta ad conferendos Ordines non sunt de substantia collationis illorum, unde si illis non servatis conferantur, imprimitur nihilominus character. Glossa in *cap. Ordinationes* 1. *dist.* 75. & alia Glossa in *cap. Vel non est compos* 14. *de temporibus ordination. verb. Ætatem*, Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 17. *n.* 8. Ugolin. *de potest. Episcop. cap.* 26. §. 25. *num.* 1. *in princip.* Fagnan. in *cit. cap. De eo* 3. *de temporibus ordinat. n.* 20. *& in cap. Vel non est compos* 14. *eod. tit. n.* 7. & alii passim.

16 Duo Ordines sacri nequeunt conferri eodem die, *cap. Litteras* 13. *& cap. Dilectus* 15. *de tempor. ordinat.* & expresse Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. *de reformat.* ibi: *Duo sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque.*

17 Immo eodem die neque conferri debent Ordines Minores, & Subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quæ est probanda per Episcopum, ut decrevit *Sacra Congreg. Conc. in Calaguritana Ordinis* 24. *April.* 1694. teste Cardin. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Const.* 7. *Pii II. num.* 46. qui insuper *sub n.*46. subdit, quod ad dubium in *sacra Congregatione Conc. propositum in una Bovensi*: *An ordinatus eodem die ad Minores, & Subdiaconatum, ille nec non Episcopus ordinans in pœnas, & quas inciderint? Sacra Congreg. die* 7. *Maii* 1707. resolvit: *Quoad ordinatos dandam esse absolutionem, imposita pœnitentia salutari arbitrio Episcopi vicinioris* (quia Episcopus fuerat particeps actionis prohibitæ) *quo vero ad ordinantem, ad mentem*, ut scilicet non solum acriter admoneatur, sed per litteras moneatur, quod licet gravior pœna ipsi esset infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo his tribus Clericis minores cum Subdiaconatu eodem die: attamen ex benignitate Congregationis, omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino abstineat. Atque hic attendenda est causa die 21. Februarii 1728. relata a D. Cardin. de Lambertinis *Vol.* 5. *Notification.* 18. ut sequitur.

CALARITANA.

In Diœcesi Calaritana, & aliis Regni Sardiniæ Episcopatibus, magnus est numerus Clericorum conjugatorum, & ex his plerique aut facinora committunt, aut viles artes exercent, non tam in dedecus Ordinis Clericalis, quam in perturbationem jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut eorum immunitatem tueatur.

Plerique ex Episcopis regni Sardiniæ usum alias habuerunt conferendi una eademque die Ordines minores, & Subdiaconatum eisdem personis. Cumque Calaritanus Archiepiscopus putet, methodum hanc esse aptam natam ad evellendos expositos abusus, ex quo videlicet, si statim ac eodem contextu, quo ordinandi primam Tonsuram, & minores Ordines recipiunt, recipiant etiam Subdiaconatum, non amplius ordinatis modus supererit reassumendi habitum laicalem, & se convertendi ad exercendas artes Clericali charactere indignas; supplicat pro facultate conferendi primam Tonsuram, minores Ordines, & Subdiaconatum iisdem personis una die, hoc est in quatuor temporibus, in Sabbato Sitientes, & in Sabbato Sancto.

Secretarius ad calcem folii nonnulla adnotavit: quocirca onus erit EE. VV. decernere:

Primo, an sit indulgendum petitioni in casu? & quatenus negative:

Secundo, quid sit in casu statuendum pro abusibus supradictis eradicandis?

Et dicta sacra Congregat. respondit: *Ad primum negative. Ad secundum, Archiepiscopus utatur Juris remediis, & signanter statutis in cap.* 6. *sess.* 23. *de Ref. & aliis indicatis in Constit.* 17. *impressa post synodum Romanam incip.* Apostolici Ministerii, *edita ab Innocentio XIII. & confirmata a Benedicto XIII. Const. incip.* In supremo.

Potest tamen Episcopus Ordines minores ex 18
consuetudine privatim aliquibus conferre die Veneris quatuor temporum, si sit dies festus, & in Sabbato ad Subdiaconatum eos promovere ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, ut decrevit *sacra Congreg. conc. ad quartum dubium* ex eis propositis apud Fagnanum in *cit. cap. de eo* 3. *de tempor. ordinat. num.* 42. quæ hac occasione hic ad litteram dantur.

Præsupposito, quod minores Ordines possunt 19
conferri diebus Dominicis, aut aliis festivis, dubitatur, an appellatione diei festi comprehendatur festum, quod a populo colitur?

Secundo, idem est dubium quoad promovendos vigore dispositionum de promovendo extra tempora diebus festis.

Tertio, an ex consuetudine possit Episcopus uno, & eodem die ad minores Ordines aliquos promovere?

Quarto, an ubi consueverit ordinatus ad quatuor minores Ordines die Veneris, & in die Sabbati sequentis ad Ordinem Subdiaconatus promoveri, id sit licitum propter consuetudinem?

Ad primum sacra Congr. Conc. censuit, comprehendi dies festos, qui a populo servantur *toto tit. de fer. de consecr. dist.* 3. *cap.* 12. *sess.* 25. *de regul.*

Ad secundum idem respondit.

Ad tertium præsupposita consuetudine posse.

Ad quartum licere Episcopo, si dies Veneris sit dies festus, & si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, id exposcat, juxta decretum Concil. *c.* 11. *sess.* 23. non tamen in publicis ordinationibus, sed privatim, & aliquibus prædictos minores Ordines conferre.

20 Immo plurimi volunt absolute, quod, dispensante Episcopo, possint Ordines minores die immediate præcedente Sabbatum quatuor temporum conferri, & die Sabbati Subdiaconatus, & id usum obtinuisse in Hispaniis assesunt Henriquez *lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 12. Villalobos in *Summa tom.* 1. *tractat.* 11. *dub.* 13. *n.*4. Sayrus *lib.*7. *de Censuris c.* 10. *num.* 26. Vasquez *tom.* 3. *in tertia part. disp.* 246. *cap.* 5. *num.* 48. & alii, & hoc etiam practicari in Italia referunt Molfesius in *Summa tract.* 2. *c.* 14. *n.* 13. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 26. Diana *tom.* 1. *tract.* 16. *resol.* 28. & alii. Vide Rosignolum *loc. cit. num.* 18. ubi ad id multa adducit.

21 Quo ad interstitia temporum ad ordinationem requisita; Vide verb. *Interstitia*; ubi late de omnibus.

22 Ordinum sacrorum collationes publice in Cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, celebrari debent. Sic expresse Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 8. *de reform.* ibi: *Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a Jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur; Si autem in alio diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur*, & sic decisum fuisse refert ex multis Barbosa in *d. Concil. loc. c. num.* 12. & novissime statuit Benedictus XIII. Constit. incip.
23 *In supremo* §. 15. Ordines autem minores potest Episcopus conferre in ejus domo Episcopali, Barbosa *ibidem num.* 13. cum pluribus ibi citatis; Immo in ejus domo, seu Capella Episcopali videntur passim conferri etiam Ordines sacri, ut jam usus invaluit in pluribus diæcesibus. Vide infra *num.* 121.

24 Qualitates ordinandorum ad valide recipiendos Ordines sunt, quod ordinandi sint masculi. *Com-*
25 *munissima omnium Catholicorum*. Feminæ enim sunt omnino incapaces recipiendi Ordines, ut desumitur *ex cap. Mulieres* 19. *dist.* 32. & *ex cap. Nova* 10. *de Pœnit. & remiss.* & tenent communissime omnes Doctores catholici docentes, hoc esse de Jure divino, & ordinatione Christi, cum ipse nullam feminam, immo ne propriam quidem Matrem ordinaverit, quamvis fuerit dignior, & excellentior universis Apostolis. Unde Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 14. *num.*34. sic præcipit: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*, & 1. *ad Timoth. cap.* 2. *num.* 11. sic habet: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio*, adeoque cum feminis ex sacra Scriptura nequeat competere munus docendi in Ecclesia, quod ex *Malachiæ cap.* 2. *num.* 7. est munus proprium Sacerdotis, ibi: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus*, nec eisdem potest competere Ordo Sacerdotalis.

Nec officit, quod in jure fiat mentio Diaconis- 26
sæ, Presbyterissæ, & Episcopissæ, ut in *capit. Diaconissam* 23. *caus.* 27. *quæst.* 1. & *cap. Mulieres* 19. *dist.* 32. & sæpe alibi. Non officit, inquam, quia, ut recte notant Baronius *ad annum Christi* 34. *num.* 280. Campanil. in *divers. Juris canon. rubr.* 11. *cap.* 2. Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 245. *cap.* 3. Rosignol. *de Ordinib. in communi part.* 1. *qu.* 3. *art.* 1. *n.* 7. & alii, ipsæ feminæ tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia viri earum erant assumpti ad Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum, & ideo uxores Diaconorum Diaconissæ, Presbyterorum Presbyterissæ, & Episcoporum Episcopissæ dicebantur denominatione desumpta ab earum maritis. Et si instetur dicendo, quod *in cit. cap. Diaconissam* sic expresse habetur: *Diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari statuimus*, sicque videtur sequi, quod post tale tempus possit ordinari; Respondetur cum Glossa *ibid. verb. Ordinari*, Barbosa *ibidem num.* 3. & *seq.* & Doctore subtili *in* 4. *dist.* 25. *quæst.*2. §. *Ad secundum principale*, Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit. XI. num.* 58. & aliis, id esse intelligendum non de vera ordinatione, sed quia super talem feminam fiebat aliqua benedictio, ex qua consequebatur aliquod officium speciale, ut puta, quia ex ordinatione Abbatissæ, vel collegii, tunc competebat ei legere homilias, aut Evangelia in matutino, quod non licebat aliis, sed ille non erat actus alicujus Ordinis. Vide *verb. Femina num.* 1. (*)

An autem hermaphrodita sit capax recipiendi 27
Ordines; Vide *verb. Hermaphroditus a num.* 11.

Item ad valide recipiendos Ordines requiritur 28
quod ordinandi sint baptizati: Baptismus enim est fundamentum, & janua omnium sacramentorum novæ legis; *cap. Cum itaque* 112. §. *final. de consecrat. dist.*4. & *cap. Veniens* 3. *de Præsbytero non baptizato*. ibi: *Cum Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum*; adeoque sine Baptismo non

E. R. Diaconissarum munus non erat legere Homilias, aut Evangelia in Matutino. Ad eas enim pertinebat adsistere Episcopis in Baptismo ministrando fæminis, eas in Fidei rudimentis instruere, eleemosynas distribuere, curam gerere Viduarum, aliisque pietatis operibus sese exercere. Diaconissarum munus citius per Occidentem obsolevit, quam in Oriente. Concilium Epaonense in Galliis sæcul. VI. vetavit imposterum Diaconissas promovere. Sæcul. XIII. adhuc Constantinopoli Diaconissæ vigebant. Confer Macri *Hierolexicon*, necnon Doctiss. Goarium in Notis ad Euchologium Græcorum, in Ordinatione Diaconissæ *pag.* 219. & *sequen.*

non potest valide recipi sacramentum Ordinis: *cap. Si quis per ignorantiam* 59. *caus.* 1. *quæst.* 1. Unde *in cap. Si quis Presbyter* 1. *de Presbytero non baptizato*, expresse statuitur; *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*, & concordat *cit. cap. Veniens* 3. *eodem titulo*. Et casus hic nostro sæculo accidit in Calabria, ubi scelestus quidam Parochus, cum aliter non posset hostili animo, quem habebat erga quemdam principem, satisfacere, ejus infantes, quos aqua baptismali abluebat, in peccato originali relinquebat; siquidem animum positivum habebat illos minime baptizandi, ut animæ illorum a gloria excluderentur, & hoc ad vindictam inimicitiæ, quam contra eorum patrem gerebat. Sub finem vitæ Parochus pœnitentia ductus, crimen confessus est, unde filii principis superstites (nam nonnulli sine sacramento Baptismi decesserant) iterum baptizati sunt, inter quos unus erat ex Ordine nostro Sacerdos, concionator, & qui prælaturas plures locales, ac provinciales administraverat; & hic ad præscriptum dictorum sacrorum Canonum *cap. Si quis Presbyter* 1. *& cap. Veniens* 3. *de Presbytero non baptizato*, post Baptismum iterum omnes sacros Ordines suscepit. Sic ad litteram refert Amenus *de delict. & pœnis tit.* 8. §. 1. *verb. Abusus in Baptismo num.* 3. & sequitur Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *disceptat.* 2. *num.* 159.

29 Item ad valide recipiendos Ordines requiritur, quod ordinandi adulti habeant debitam intentionem virtualem saltem externam, & voluntatem ipsos recipiendi, unde invalide suscipiunt Ordines omnes adulti inviti, vel non voluntarii, utpote vel animo repugnante, vel ficte, & simulate tantum ipsos recipientes. *Communis*. * Quod si quis coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos Ordines, ut malum illud vitet, tunc utique Ordinatio valet. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, idest nec voluntatem suscipiendi, & non suscipiendi ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur decretum sac. Congregationis; *De Sacrific. Missæ lib.* 7. *cap.* 10. §. 20. * Vide; verb. *Intentio*.

30 Qualitates autem ordinandorum ad licite recipiendos Ordines sunt multæ. Primo igitur requiritur, quod sint in statu gratiæ; status enim gratiæ requiritur ad licitam, & dignam receptionem cujusvis sacramenti novæ legis; Unde si qui scienter existentes in peccato mortali reciperent aliquem Ordinem, peccarent mortaliter. *Communis*.

31 Secundo requiritur, quod sint confirmati. *Communis*, & habetur aperte ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. *de reformat.* ubi dicit, quod confirmati debent esse etiam, qui volunt accipere primam Tonsuram, ibi: *Prima Tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint*. Unde si qui non confirmati scienter ad ordinationem accederent, peccarent saltem venialiter, ut tenent communius Doctores, vel etiam mortaliter, ut tenent Toletus, Bonacina, Nugnus, Tannerus, Castropalaus, & alii.

Tertio requiritur, quod ordinate, & gradatim 32
& non per saltum Ordines suscipiant. *Communis* per textum in *cap. unico de Clerico per saltum promoto*, & in *Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 2. *de sacramento Ordinis*. Unde si qui scienter per saltum ordinarentur recipiendo v. g. Præsbyteratum, nondum suscepto Diaconatu, graviter peccarent, quia agerent contra præceptum Ecclesiæ in re gravi. Et si quis sic ordinatus etiam ex bona fide & ignorantia invincibili in susceptis Ordinibus ministraret, indigeret absolutione, & respective dispensatione saltem ad cautelam: Sicque quidam Clericus Joseph Cajetanus Ghinettus per saltum ad Exorcistarum, & Acolythorum Ordines promotus, quique ex bona fide vel ex ignorantia invincibili in susceptis Ordinibus ministraverat, absolutus, & respective dispensatus fuit ad cautelam, tum ad Ordines omissos, tum ad alios arbitrio Archiepiscopi, ut mandavit *Sacra Congregatio Concil. in Florentina Ordinum* 5. *Decembris* 1744. apud Thesaurum Resolutionum tract. 13.

Quarto requiritur, quod non sint irregulares; 33
Communis. Irregularitas enim est inhabilitas canonica ad Ordines suscipiendos, & in susceptis ministrandum. Unde durante irregularitate nemo licite ordinari potest, nec in suscepto jam Ordine ministrare, *cap. Sæpe contingit* 1. *de temporibus ordinationum in* 6. Quot autem, & quales sint irregularitates, & a quibus dispensari possint? Vid. verb. *Irregularitas* per tot.

Hic adde, quod si furiosus, aut infans, vel dor- 34
miens hominem mutilet, seu occidat, non fit irregularis. *Communis* per textum expressum in *Clementina Si furiosus unic. de homicid.* ibi: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc Irregularitatem incurrit*.

An autem si infans (idest minor septennio, ex 35
l. Si infanti 18. *Cod. de jure deliberandi*, ibi: *Si infanti, idest minori septem annis*; ex *cap. Si infantes unic. de desponsat. impuber. in* 6. & Glossa *in d. Clementin. Si furiosus verb. Infans*) ante septennium completum, plenum usum rationis habeat, ac sit doli capax, & occidat hominem, fiat irregularis? Negant Barbosa in *citat. Clement. Si furiosus num.* 6. Sayrus *de Censura lib.* 6. *c.* 17. *num.* 30. Avila in *similib. tract. part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 13. *concl.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 4. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 7. Pirhing *l.* 5. *Decretal. tit.* 11. *p.* 72. Et eorum ratio est, quia in *d. Clementina Si furiosus*, generaliter, & absque ulla distinctione, seu exceptione dicitur, infantem, si mutilet, aut occidat hominem, non fieri irregularem. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *L. Non distinguemus* 32. *ff. de recept. arbitr. L. Præses* 3. *ff. de Offic. Præsid. cap. quia circa* 22. *de privileg.* Præsertim cum irregularitas sit odiosa, adeoque potius sit restringenda, quam amplianda, ex *cap. Odia* 15. *& cap. In pœnis* 49. *de Reg. jur. in* 6. *cap. Pœnæ* 18. *de Pœnitentia dist.* 1. *cap. Statutum* 22. *de elect. in* 6. *L. Factum* 155. §. 2. *ff. de Reg. jur. L. Cum quidem* 19. *de liberis, & posthum.* cum similibus. Tum quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure

expressis, *cap. Is qui* 18. *de sentent. excommunicat. in* 6. Nullibi autem in jure expressum invenitur, quod infans ante septennium, etsi doli capax sit, ac plenum usum rationis habeat, si occidat hominem, fiat irregularis, adeoque pro tali non est habendus; quæ utique negativa sententia est valde probabilis.

36 At vero probabilior est sententia affirmativa, quam tuentur Abbas in *cap. Pueris* 1. *de delictis puer or.* Hostiensis *ibidem*, Covarruvias *part.* 3. *Clemen. num.* 5. §. *de infante*, Emman. Rodriq. *par.* 1. *Summæ de irregularit. cap.* 176. *conclus.* 1. Pontas verb. *Irregularitas casu* 46. & alii plures tenentes, infantem etiam ante septennium incurrere Irregularitatem ob homicidium, si plenum usum rationis habeat, & doli sit capax, itaut, ejus malitia supplente ætatem, mortaliter peccare possit. Et ratio est, quia motivum, ob quod infans occisor excusatur ab incursu Irregularitatis in *cit. Clement. Si furiosus*, secundum Glossam *ibid. verb. Furiosus*, & *verb. Infans*; est, quia occisio in ipso ob defectum pleni usus rationis non est voluntaria, cum nondum supponatur doli capax, & quid agat, ignoret. *cap. Aliquos* 5. *causa* 15. *quæst.* 1. *L. Quoniam* 1. *Codic. de falsa moneta*, *L. Sed etsi infans*, *ff. ad Leg. Aquil. L. Infans* 12. *ff. ad Leg. Cornel. de sicar.* ubi dicitur, quod si infans hominem occiderit, lege Cornelia non tenetur; quia ipsum innocentia consilii tuetur, ergo si ante septennium jam ipsum innocentia consilii non tuetur, ex quo jam plenum rationis usum sit consequutus, & ita doli sit capax, ut mortaliter peccare possit, jam ipsi ut culpabile imputabitur homicidium, ut ob ipsum evadat irregularis; cum cessante causa, cesset effectus; *cap. Cum cessante* 60. *de appellat. L. Cum ancillam* 6. *ff. de condition. ob causam*, & Glossa final. *ibidem*, & cessante ratione & causa Legis, cesset ipsa Lex, *L. Adigere* 6. §. 2. *ff. de jurepatronat.* Tum quia per ipsosmet adversarios, etiamsi sit major septennio, si necdum plenum usum rationis quis habeat, non fit ob commissum homicidium irregularis, quia cum excusetur a culpa, ob defectum sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, excusari etiam debet a pœna irregularitatis: ergo a sensu contrario non excusabitur ab incursu irregularitatis ob commissum homicidium, si ante septennium sit jam doli capax, & habeat plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, cum contrariorum, & correlativorum eadem sit ratio, & disciplina, *L. de jure personarum* 1. *ff. De his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ne ad imparia judicentur, *arg. Leg. Non debet* 41. *ff. de Regul. juris in* 6. cum concordantibus apud Rotam *part.* 19. *t.* 1. *recent. dec.* 2. *n.* 11. Ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio; *L. ideo* 27. *ff. de leg.* 1. *Illud* 32. *ff. ad Leg. Aquil. & cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* Cum ratio legis, sit anima legis, *l. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum*.

37 Nec valet dicere, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis ex *cit. cap. Is qui* 18. *de sentent. excommun. in* 6. & cum nullibi reperiatur in jure quod infans ante septennium etsi doli capax, & plenum usum rationis habeat, ob commissum homicidium fiat irregularis, pro tali non sit habendus. Non valet, inquam, quia licet id non reperiatur in jure explicite, reperitur tamen implicite *in cit. Clement. Si furiosus*, ubi cum excipiatur infans, & furiosus ab incursu irregularitatis, ex quo secundum Glossam *ib.* & jura adducta *num. antecedenti*, occisio non sit in ipsis voluntaria ex defectu sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, videtur in ipsis firmari incursus irregularitatis, si jam ante septennium sint doli capaces, & habeant plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in non exceptis; *L. In his, quæ* 15. *ff. de legib. L. Quæsitum* 12. §. 43. *ff. de Instructo, & instrumento legato*, *cap. Dominus* 6. *caus.* 32. *quæst.* 7. *cap. Quoniam* 2. *de conjugio lepros.* cum similibus. Taciti autem, & expressi idem est judicium; *cap. Ex parte* 2. *de rescript. L. Cum quid* 3. *ff. de rebus credit.* & frustra exprimitur quod jam intelligitur; *L. Cornelius* 69. *ff. de hæredibus instituend. L. Hæc verba* 3. *ff. de Legatis* 1. *L. Fideicommissa* 11. §. *Si Filio*, *ff. de Legatis* 3. Tum quia in *d. Clementina* videtur potius quam defectus ætatis, considerari defectus sufficientis usus rationis; Nam, ut supra dicebatur, etiam per ipsos adversarios si major septennio necdum plenum usum rationis habeat, & hominem occidat, non fit irregularis, non obstante excessu ætatis supra septennium, ergo ex ipsa *Clementina* colligitur, quod minor septennio, si jam plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter habeat, fiat irregularis ob homicidium, non obstante defectu ætatis infra septennium; In infantibus enim seu pueris magis quo ad hoc est attendenda doli capacitas, quam ætatis quantitas, *arg. cap. Pueris* 1. *de delictis puer or.*

Si autem legitime dubitetur, an infans, seu puer, cum homicidium commisit, fuerit doli capax nec ne, & habuerit usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, probabilius censendus est irregularis; *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, ut ad rem statuit Clemens III. in *cap. Ad audientiam* 12. *de homicidio*, ac Innocentius III. in *cap. Significasti* 18. *eod.* ibi: In *dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, & si forte homicida non sit, a Sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius; quam temere celebrare*. Et concordat *cap. Ad aures* 7. *de ætat. & qualitat. ordinandor.* cum similibus, Pontas verb. *Irregularitas casu* 46. *num.* 3. & alii plures citati, & sequuti a Pirhing *loc. cit. n.* 59. in dubio juris & a Barbosa in *cit. cap. Ad audientiam* 12. *de homicid. n.* 2. ubi habet quod quando certum est irregularitatem esse jure inductam, & dubium est an hic in eum casum homicidii inciderit, in utroque foro censendus est quis irregularis, cum secus, in dubio juris. 38

Et id certius tenendum est de puero ætatis decem, vel circiter annorum, si non adhibuit debitam diligentiam ad evitandum homicidium, quamvis reputetur casuale. Puer enim decem circiter annorum merito præsumendus est doli capax, & sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, 39

per

per text. *cap. Pueris grandiusculis* 1. *de delictis puer.* ubi Gregorius IX. sic expresse habet: *Pueris grandiusculis peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis* 12. *cum pubescere cœperint: Quod merito crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, & perjuria non esse peccata? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus, punienda videantur*: Ubi Glossa verb. *Grandiusculis*, sic exponit: *Grandiusculis, idest doli capacibus, videlicet septem annorum. Tales enim & mentiri, & verum dicere, & confiteri, & negare possunt, ut dicit Augustinus in epistola ad Renatum Episcopum, ut habetur in* Glossa *Augustini super cap. de consecrat. dist.* 14. *Parvuli*. Et de puero decem annorum, qui alium puerum casu fortuito sagitta percussit, atque occidit, Glossa *in cap. Referente* 2. *de delictis puer. verb. Indultum*, expresse dicit: *Irregularis tamen fuit effectus, & pœna spirituali debet puniri, sive canonica*, quamvis de mandato summi Pontificis fuerit absolutus a pœna pecuniaria sibi ob id ab Abbate S. Remigii suo Ordinario Superiore imposita; Licet enim homicidium reputetur, & sit casuale, si non fuit adhibita debita diligentia ad ipsum evitandum, adhuc sufficiens est ad inducendam irregularitatem; per text. *in cap. Continebatur* 8. *de homicid.* ubi ab Alexandro III. declaratur irregularis quidam Diaconus, qui in lusu præter opinionem alium occiderat; Et concordant *cap. Presbyterum* 7. & *cap. Ad audientiam* 12. *de homic. cap. Clerico jaciente* 37. & *cap. Eos vero dist.* 10. cum similibus, ubi statuitur, quod irregularitas incurritur etiam ob casuale homicidium, si homicida non satis, ut debuerat, præcavit periculum tertii, adhibendo debitam diligentiam ad ipsum homicidium evitandum, ut passim interpretantur celebriores Canonistæ; & Theologi, & habetur in summario *cit. cap. Presbyterum* 7. *de homicid.* ubi expresse dicitur: *Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam quam debuit*; quod idem habetur etiam in summario *citat. capit. Continebatur* 8. *eod.*

40 Nec obstat, quod varii alii habeantur sacri Canones, uti *cap. Lator* 9. *c. Dilectus* 13. *c. Ex litteris* 14. *c. Ex litteris* 15. *cap. Significasti* 16. *c. Exhibita* 22. *c. Joannes* 23. & *cap. Quidam* 24. *de homicid.* ubi in variis hujusmodi casibus ob homicidium casuale declaratur nullam contractam fuisse irregularitatem. Non obstat, inquam, quia cum jura juribus, quantum fieri potest, sint concordanda, textu expresso *in c. Cum expediat concordare jura juribus*, & concordent textus *in l. Non est novum* 26. & *sequent. ff. de legibus*, & *L. Unic. de inofficiosis dotib.* cum similibus; ad illos canones responderetur, quod sic ibi declaratum fuit, quia nulla ibi intervenerat culpa neque juridica, ex quo ibi debita fuerit adhibita diligentia, ne homicidium sequeretur, ut notat Glossa *in cit. cap. Continebatur* 8. *de homicid. verb. Romani Pontificis*; & eruditissime advertit sapientissimus Pirhing *lib.* 5. *decretal. tit.* 12. *num.* 57. assignando disparitatem inter casum relatum *in cap. Continebatur* 8. & casum relatum in *c. Lator de homicid.* ubi cum Covarruvia, Silvestro, & Molina dicit secundum Glossam, quod ideo Diaconus *in cap. Continebatur*, declaratus fuit irregularis, quia in culpa fuit, ex quo debitam diligentiam ad impediendum homicidium non adhibuerit. At vero Clericus *in cap. Lator* in nulla culpa fuit, cum passus tantum fuerit, & nihil alteri fecerit, nec potuerit prævidere quod alter illum in terra projecturus esset: Unde cum nullam prævidere potuerit adhibendam diligentiam ad evitandum homicidium, cujus nullum, quantum in se erat, debuerat timeri periculum, ideo declaratum fuit nullam ipsum incurrisse irregularitatem.

Unde generaliter dicendum est, quod ob homicidium casuale incurritur irregularitas a dante operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit debitam diligentiam, ne homicidium sequeretur. Sic Glossa in *cap. Tua nos* 19. *de homicid. verb. Congruebat*, ex *l. Culpa est* 36. *ff. de Regul. jur.* ubi dicitur, *culpa est immisceri se rei ad se non pertinenti*; S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 64. *art.* 8. *in corpor.* ubi sic expresse concludit: *Et ideo secundum jura, si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opera mors hominis consequatur.* Et idem *in* 4. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. sic habet: *Et ideo qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ; vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo effecit voluntarium, nec est propter hoc quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas.* Scotus in 4. *dist.* 25. *q.* 1. *lit. E.* Innocentius in *cap. Tua nos, de homicid.* Fagnan. in *cap. Ad audientiam* 12. *n.* 19. *de homicid.* Navarr. in *Manual. cap.* 27. *n.* 220. & *sequent.* Layman *lib.* 3. *part.* 3. *n.* 4. Faber, Blondus, Mastrius, Pontas, verb. *Irregularitas casu* 47. cum Toleto, & aliis ibi citatis: & plures alii, præsertim antiquiores Canonistæ absolute, & universaliter volentes hominem illum, ex cujus opere illicito sequitur casuale homicidium, esse irregularem, quamvis ad illud evitandum omnem cautelam, & diligentiam adhibuerit, per textum in *cap. Presbyterum* 7. *cap. Continebatur* 8. *cap. Ad audientiam* 12. *cap. Dilectus* 3. *cap. Tua nos* 19. *c. Joannes* 23. *c. Petitio* 24. & *cap. Quidam* 25. *de homicid. cap. sententiam* 9. *Ne Clerici vel Monachi*, *c. De his Clericis* 36. *dist.* 50. cum similibus. Pirhing tamen *loc. c. n.* 65. & Reiffenstuel *loc. c. num.* 195. & *sequent.* cum Covarruvia, Navarro, Avila, Palao, Suarez, & Sanchez ibi allegatis volunt, quod probabilius irregularitas non incurratur ob homicidium casuale dando operam rei illicitæ, & adhibita debita diligentia, nisi actio illicita ex se, & natura sua inducat propinquum periculum homicidii. Vide verb. *Irregularitas art.* 1. *n.* 11. §. *Decimo vers. Dantes.* 41

Hinc Clericus qui se se exercens cum sclopeto, hominem, quem non videbat, occidit; seu venando telum in feram misit; & hominem occidit, irre- 42

irregularis est, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, juxta terminos *l. Perspiciendum* 11. §. 2. *ff. de pœnis*. Fagnanus *lib.* 5. *Decret. in cap. Ad audientiam* 12. *de homicid. num.* 20. Silvester *verb. Homicidium* 2. *n.* 7. *vers. Sexto*, Pontas verb. *Irregularitas casu* 47. ubi adductis ad id variis sacris canonibus, adducit etiam hæc præcisa verba Toleti: *Clericus venationi, in qua sagittæ, aut sclopeta emitti solent, incumbens, & casu occidens quantumcumque omnem prius diligentiam adhibuerit, irregularis est, quia operam dabat rei illicitæ, & talibus personis prohibitæ, ex cap. Episcopum* 1. *& cap. Omnibus* 2. *de Clerico venatore; cap. Episcopum* 2. *& cap. Omnibus* 3. *dist.* 34. Concil. Agathen. *Canon.* 55. Concil. Matisconen. *Canon.* 13. Concilium Vermarien. *Canon.* 6. Concil. Turonen. III. *Canon.* 8. Concil. Parisien. *part.* 2. *cap.* 13. Concil. Nanneten. *Canon.* 3. Concil. Ravennaten. IV. *Rubrica* 17. Concil. Senonen. *art.* 26. Concil. Rhemen. *tit. de Clericis in genere num.* 6. Concil. Lateranen. IV. *Canon.* 15. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. Tum quia Clerici sine justa, & necessaria causa arma deferre non possunt, *cap. Nimirum* 1. *cap. Cum a Iudæis* 2. *cap. Non pila* 3. *cap. Clerici qui* 5. *cap. Quicumque ex Clero caus.* 23. *q.* 8. *cap. Clerici arma* 2. *de vita, & honestat. Clericor. c. In audientia* 25. *de sentent. excommunic. Clementin.* 1. *de vita & honestat. Clericor. in fine* cum similibus. Arma enim Clericorum debent esse orationes, & lacrymæ, *cap. Non pila* 3. *& cap. Convenior* 21. *caus.* 23. *q.* 8. *cap. Si quis* 3. *dist.* 36. *cap. Porro* 14. *caus.* 16. *q.* 3. cum similibus. Vide verb. *Arma per tot.* & verb. *Clericus art.* 6. *per tot.* Covarruvias tamen, Castropal. & alii citati & sequuti a Reiffenstuel. *loc. c. n.* 201. volunt, Clericum vacantem venationi, ex qua sequitur homicidium casuale, non esse irregularem, si pro eo vitando debitam adhibuit diligentiam, quia licet venatio sit prohibita, & illicita Clericis ex citatis juribus, quia tamen apud peritos ex se non est periculosa, & mortis inductiva, homicidium ex ea fortuito sequutum irregularitatem non inducit.

43 Item irregularis evadit ex homicidio casuali, qui non adhibuit diligentiam, quam debuit ad ipsum evitandum, licet daret operam rei licitæ: Sic expresse S. Thomas *loc. cit. supra num.* 41. Fagnan. in *cit. cap. Ad audientiam num.* 35. *& sequent.* cum aliis ibi allegatis; Silvester verb. *Homicidium* 2. *num.* 2. *vers. Secundo qui dat operam rei licitæ*. *Pontas cit. cas.* 47. & alii plurimi per text. *in cap. Qui arborem* 49. *dist.* 50. *cap. Presbyterum* 7. *cap. Continebatur* 8. *& cap. Ad audientiam* 12. *de homicid. cap. Quæsitum* 7. *de pœnitent. & remissionib.* cum similibus. Et ratio est, quia, ut dicit Glossa in *cit. c. Quæsitum verb. Negligentibus*, dissoluta negligentia prope dolum est, *l. Si fidejussor* 29. *ff. Mandati, cap. Sæpe contingit* 50. & habetur pro conscientia, *l. Cum sex* 55. *de ædilitio edicto*; Et quamvis hoc homicidium non sit voluntarium directe, quia in illud voluntas non fertur; dicitur tamen voluntarium indirecte, quia voluntas potest illud prohibere, & non prohibet, ut declarat S. Thomas in 1. 2. *q.* 77. *art.* 7. Unde tenetur etiam de casu fortuito, licet daret operam rei licitæ, uti habetur in summario *d. c. Presbyterum* 7. *de homicid.* sic expresse dicente: *Homicidium casuale imputatur ei, qui dat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit*, quod idem habetur in summario *cit. cap. Continebatur* 8. *de homicid.* Hinc Abbas, Covarruvias, & alii apud Pirhing *loc. c. num.* 62. volunt, quod incurratur irregularitas etiam ob culpam levem, & levissimam, si talis culpa non sit in omittendo, seu non impediendo homicidium, sed sit in committendo, dum non adhibetur debita diligentia in evitando periculo homicidii proveniente ex propria positiva actione; quod & cum aliis tenet Fagnanus in *c. Quidam* 25. *de homic. n.* 9. *&* 10. dicens, quod etiam contrariæ opinionis auctores concedunt culpam levissimam in committendo inducere irregularitatem: juxta *cap. Consuluisti* 20. *caus.* 2. *q.* 5. propterea quod ea transit in culpam levem, juxta Gloss. 2. in *Lege Cornelia* 25. *ff. de Senatus consulto Silaniano*. Vide verb. *Irregul. art.* 1. *n.* 11. §. *Decimo vers. Assignantur*.

Non evadit tamen irregularis ex homicidio casuali qui dat operam rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam ad ipsum evitandum. *Communis* per text. in *cap. Dilectus* 13. *cap. Significasti* 16. *cap. Exhibita* 22. *& cap. Quidam* 25. *de homicid. cap. Qui arborem* 49. *c. Sæpe contingit* 50. *& c. Si duo fratres* 51. *dist.* 50. cum similibus. Vide verb. *Irregularitas loc. cit. vers. Assignantur*. 44

Neque evadit irregularis furiosus, si durante furore, occidat hominem. *Communis*, textu expresso *in cit. Clementin. Si furiosus, unic. de homicid.* quia cum tunc usum rationis non habeat, immunis est a culpa, & consequenter ab omni pœna; *l. Sed etsi* 5. §. 2. *ff. ad leg. Aquil.* cum similibus. Evadit autem irregularis, si dilucida intervalla habeat, & hominem occidat, dum sanæ mentis est; quia & in foro civili tunc ponitur, *l. Divus Marcus* 14. §. *Si vere ff. de officio præsidis*, Covarruvias *in cit. Clementin. Si furiosus, part.* 3. *n.* 1. *&* 2. Pirhing *loc. cit. n.* 71. & communis aliorum. Non est autem irregularis, quamvis gravi culpa sua in furorem, vel amentiam inciderit. Pirhing *loc. cit. n.* 71. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *nu.* 230. Avila *de Censuris disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 12. & alii passim. Et ratio est, quia licet prius peccaverit, superveniente tamen furore, amplius peccare non potest; & consequenter neque fieri ob homicidium irregularis, per text. *in cit. Clementin. Si furiosus*. 45 46 47

Item non evadit irregularis dormiens, propter homicidium a se commissum in somnis, textu expresso in d. Clementin. *Si furiosus*. Et ratio est, quia & is usu rationis, & libero arbitrio caret, ac furioso comparatur, ut in d. Clementin. *Si furiosus, & in cap. Majores* 3. §. *Item quæritur, de Baptismo*. Et sic communis Doctorum teste Covarruvia in d. *Clementin. part.* 3. *num.* 6. & Fagnan. *in cit. cap. Ad audientiam* 12. *de homicid. num.* 37. Esset tamen irregularis ob commissum casuale homicidium, si sciebat se solitum esse noctu dormiendo e lecto surgere, arma arripere, & obvios percutere, & similia facere, & nihilominus 48 49

nus non adhibuit debitam diligentiam ad hujusmodi periculum præcavendum, claudendo ostium, vel removendo arma, aut alias arbitrio boni viri providendo, quia tunc tale homicidium sic prævisum, & non impeditum esset indirecte volitum & intentum in causa, adeoque sufficienter culpabile ad inducendam irregularitatem; & hunc esse puniendum pœna extraordinaria, tradit Bartolus in *l. Pœna parricidii 9. ff. ad Leg. Pompej. de parricidio*; & est communis opinio teste Covarruvia *loc. cit.* & Claro *in §. final. q. 6. nu.* 13. *vers. Quæro etiam*, ac Fagnan. *loc. cit. n.* 37. ubi refert, quod Guglielmus ponebat exemplum de quodam socio suo Anglico, qui dormiendo Pisis in Ecclesia S. Bened. prope Arnum fluvium, accessit ad filiam cujusdam alibi existentem, & ibi puerum interfecit, & dormiens ad lectum redivit, ut refert Marianus Socinus *in cap. Ad audientiam num.* 51. subdens se habuisse Bononiæ vicinam puellam, quæ in somnis surrexit, & panem fecit.

50 Sic pariter est dicendum de ebrio, qui dedit operam, ut inebriaretur, & sciebat se consuevisse in ebrietate arma sumere, & homines ferire; hic enim procul dubio, hominem occidendo, evadit irregularis, si non adhibuit debitam deligentiam ad pericula illa cavenda, quia in tali casu homicidium saltem indirecte, & in causa est voluntarium; & consequenter sufficiens ad inducendam irregularitatem. Sic Covarruvias *in cit. Clementin. Si furiosus par.* 3. *num.* 4. Barbosa *ibid. num.* 10. Fagnan. *loc. cit. n.* 26. Pirhing *loc. cit. num.* 75. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 207. & ipso

51 teste communis aliorum. Non esset tamen irregularis ebrius usu rationis privatus, ob homicidium in ebrietate commissum, si ebrietas ex vino, vel alio potu, plusquam æstimabatur, forti, & generoso, vel alias inopinato, & ex improviso absque culpa bibentis accidit. *Sic communis* cum citatis Doctoribus, *arg. cit. Clementin. Si furiosus*, quia sicuti ibi declaratur, quod ob homicidium non incurrat irregularitatem furiosus, aut infans, vel dormiens ob defectum usus rationis, ita etiam ob talem defectum eam non incurret dictus ebrius, quia ubi eadem est ratio, eadem debet esse juris dispositio, *l. Ideo 27. ff. de Legibus, l. Illud 32. ff. ad Leg. Aquil. cap. Inter corporalia 2. de translat. Episcop.* Immo Pirhing *loc. cit. n.* 74. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 205. *& seq.* cum Covarruvia, Barbosa, Navarro, Azorio, & aliis ibi allegatis volunt, quod ebrius non incurrat irregularitatem, etiamsi voluntarie, & gravi cum culpa, se inebriet, dummodo homicidium prius non intendat, nec prævideat, nec rationabiliter prævidere possit, *arg. cap. Inebriaverunt 9. & sequent. caus.* 15. *q.* 1. ubi Lot ob ebrietatem ex nimio vino sibi obvenientem culpabilis quidem, ob incestum tamen cum filiabus in ea commissum, a culpa immunis declaratur.

52 Irregularitas ob homicidium casuale saltem indirecte voluntarium in casibus supra expressis, & consimilibus incurritur ab homicida, quamvis ob id non fuerit a tribunali laicali condemnatus, sed innocens declaratus: quia licet tale homicidium non reputetur sufficienter culpabile ad effectum condemnandi homicidam in pœnis juris, est tamen sufficiens ad effectum incurrendi irregularitatem, quæ incurritur etiam sine culpa, immo etiam ex facto meritorio, ut patet de pugnantibus contra infideles, & hæreticos ob defensionem fidei, & patriæ, de deferentibus ligna pro comburendis hæreticis, ut acquirant indulgentias; de judicibus juste condemnantibus reos ad mortem, & hujusmodi propter jura, & decreta adducta, ac dicta sub verb. *Bellum art.* 5. *a nu.* 5. *usque in finem*, & sub verb. *Irregularitas art.* 1. *sub numer.* 11. ad longum de variis consimilibus merito ibi videndis.

Tum quia, ut supra dictum fuit *num.* 39. Glossa communiter recepta *cap. Referente 2. de delictis pueror. verb. Indultum, in fine*, expresse dicit, quod puer decem annorum, qui alium puerum casu fortuito sagitta occiderat, *effectus fuit irregularis, & pœna spirituali debet puniri, sive canonica*, quamvis de mandato summi Pontificis fuerit omnimode absolutus a pœna pecuniaria a suo judice ordinario sibi imposita; Et concordat *tit. cap. Pueris 1. de delictis puer.* & cit. *Clementin. Si furiosus, de homicidio*, ex qua Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 10. num. 7. de Legibus*, colligit, quod irregularitatem incurrit impubes, qui septennii ætatem consequutus, & doli capax voluntarium homicidium committit, prout docent etiam Silvester *verb. Homicidium* 3. 2. *dist.* 3. Sanchez *l.* 1. *moral. c.* 12. *n.* 8. Avila *par. 7. de Censur. d. 6. sect. 1. dub.* 13. Pontas verb *Irregularitas casu* 46. Pirhing *lib. 5. decret. tit. 12. n.* 72. Reiffenstuel *ibid. nu.* 181. *& seq.* testans de communi; *arg. cap. Presbyterum 7. c. Continebatur 8. & cap. Ad audientiam 12. de homicid. & cap. Is qui 3. de homicid. in 6.* cum similibus. 53

Et etiam dato quod adesset aliqua contrarietas inter judicia prolata secundum jura civilia, & prolata secundum jura canonica, adhuc esset standum horum dispositioni, alia illorum relicta per text. *in c. Bene quidem 1. c. Denique 5. cap. Cum ad verum 6. cap. Satis 7. & cap. In scripturis 9. dist. 69. cap. Ecclesia 10. de Constitutionibus, c. Decernimus 2. de judiciis, & c. relatum 11. de testamentis*, ubi expresse statuitur: *Mandamus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis*, & sic in pluribus consimilibus; & tenent Canonistæ communiter. 54

Pro dispensatione autem hujusmodi irregularitatis adeunda est Apostolica Sedes, cum ad id non se extendat Episcopalis auctoritas, ex *cap. Continebantur 8. de homicid.* ubi Alexander III. mandat, ut Diaconus, qui homicidium, licet casuale, commiserat, non possit sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum ascendere, & ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare*; & expresse *Sacra Congr. Conc. in Zagabrien. 16. Novemb.* 1686. *in responsion. ad* 3. apud Cardin. Petra *tom. 2. Commentar. ad Constit. unic. Gregorii VIII.* 55

sect. 1.

sect. 1. *n.* 17. ubi refert etiam decisionem *ejusd. S.*
56 *Congr. in Salisburgensi* 14. *Maii* 1689. Et tanto magis id currit, si agatur de dispensatione pro promovendo, quæ difficilius conceditur, quam pro jam promoto, *ex c. Si quis* 13. *caus.* 13. *q.* 1. & Glossa in *l. ambiguis* 85. §. *Non est novum*, *ff. de Reg. jur.* & tenent Surdus *consil.* 174. *num.* 12. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 19. *num.* 4. Fagnan. *lib.* 1. *decretal. in cap. Henricus* 1. *de Clericis pugnantibus in duello n.* 25. ubi adducit insuper quod proposito in *S. Congregat. Conc.* 2. *Septemb.* 1613. coram summo Pontifice dubio, *an decretum Conc. Trid. c.* 7. *sess.* 14. *de reform. excludens voluntarium homicidam a spe dispensationis, vindicet sibi locum in eo, qui ante homicidium ad sacros jam erat Ordines promotus*: Et Eminentissimis Cardinalibus in diversa abeuntibus S. D. N. idest Paulus V. probavit hanc opinionem, *ut Concilium promotum non includat*. Unde Panimoll. *decis.* 89. *adnotat.* 6. *n.* 62. Corrad. *in praxi dispensat. Apostolicar. l.* 5. *cap.* 1. *n.* 11. Majolus *de Irregular. lib.* 4. *cap.* 48. & alii plures recte concludunt, quod quamvis homicidium sit casuale, adhuc tamen petenda sit dispensatio a Summo Pontifice, non obstante quod homicidium absque culpa sit perpetratum; Et de homicidiis commissis in bello, aliisque etiam commissis ex facto meritorio ob defensionem fidei, & hujusmodi, colligitur ex *cap. Petitio* 24. *de homicid.* & variis sacræ Congregationis Concil. decretis relatis sub verb. *Irregularitas art.* 1. *sub num.* 12. & supra *num.* 55. & a Fagnan. *in cit. cap. Petitio*, & a Card. Petra *loc. cit.* ubi in fine concludit, quod etiam in militibus Hierosolymitanis (vulgo Cavalieri di Malta) aliisque approbatis a S. Sede Apostolica ad pugnandum contra infideles, est necessaria, vel præventiva, vel subsequens dispensatio Apostolica.

57 Potest tamen Episcopus dispensare super irregularitate orta ex homicidio casuali occulto. Sic Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 29. *num.* 48. Navarr. *in Manual. c.* 27. *num.* 218. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 12. *n.* 2. Guttierez *Canon. qq. l.* 1. *can.* 56. *n.* 13. Nicolaus Garcias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 11. *n.* 27. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 2. *q.* 8. *art.* 13. *conclus.* 2. & 3. Marchin. *de Sacrament. Ordin. tr.* 1. *par.* 9. *diffic.* 3. *n.* 9. Alzed. *de præemin. Episcop. Dignitat. par.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Avila *de censur. par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 2. *concl.* 2. Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 12. *nu.* 223. Pirhing *ibid. num.* 127. Rosignol. *de Ordin. in communi par.* 1. *qu.* 3. *art.* 7. *num.* 44. & alii plures contra Molinam, Azorium, & alios. Et ratio est, quia a Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. conceditur Episcopis facultas dispensandi super omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, pro quo non venit homicidium mere casuale, adeoque ibi non excipitur; cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in non exceptis, per jura adducta *supra num.* 37. præsertim cum irregularitas sit odiosa, adeoque potius sit restringenda, quam amplianda, nec extendenda de casu ad casum, per jura adducta *supra n.* 35.

58 Sicque dispensare potest Episcopus cum eo, qui hominem occidit, non intendens occidere, & cum eo, qui mandavit servo, ut alterum baculo percuteret, sed caveret, ne occideret, quia homicidium inde sequens non est proprie voluntarium respectu mandantis, sed est casuale culpabile. Sic Barbosa *in Concil. Trid. cit. sess.* 24. *cap.* 6. *nu.* 34. & *seq. de Offic. & potest. Episcop. cit. allegat.* 39. *n.* 50. & *seq.* cum pluribus aliis ibi citatis, ubi ad id affert expressam decisionem sacræ Congregationis in responsione ad dubium his verbis; *An is, qui mandavit aliquem baculo vulnerari, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, & occiderit, intelligatur incidisse in decretum Concilii sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. *ut in omni ordinatione a beneficio, & Officio, absque spe dispensationis perpetuo carere debeat; Congregatio censuit negative, cum Concilium requirat homicidium per industriam, per insidias, & ex proposito*. Sic referunt Garcias, Riccius, & alii ibi citati a dicto Barbosa *num.* 52. ubi insuper refert ex Campanil. & Aloysio Riccio fuisse etiam decisum, quod mandans homicidium in persona alterius, non incurrit irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario.

Episcopus dispensare potest super irregularitate 59
proveniente ex homicidio occulto causa defensionis facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ; Navarr. *in Manual. c.* 27. *nu.* 239. Layman *loc. cit. num.* 2. Avila *de Censuris disp.* 6. *sect.* 5. *conclus.* 1. Molina *de justit. & jur. disp.* 79. *nu.* 8. & 11. Guttierez *loc. cit. lib.* 6. *cap.* 65. *numer.* 13. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 221. Pirhing *loc. cit. num.* 118. Barbosa *in Concil. Tridentin. sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. *n.* 32. & *cit. allegat.* 39. *numer.* 53. cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia hujusmodi homicidium, quamvis ob excessum moderaminis inculpatæ tutelæ sit illicitum, & injustum, non comprehenditur sub homicidio voluntario excepto a Concilio Tridentino *cit. cap.* 6. Immo potius licet non sit mere necessarium, necessarii vim habet, quatenus non sponte, sed coacte vitandæ mortis causa fit, & nonnisi quoad modum illicitum, & injustum est.

Quando autem homicidium causa defensionis 60
commissum, vel aliud casuale est notorium, & publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, super irregularitate inde orta dispensare nequit Episcopus. Colligitur ex Tridentino *sess.* 14. *de reformat. cap.* 7. ubi loquens de facultate dispensandi super irregularitate orta ex homicidio causa defensionis vel casualiter commisso, intelligitur de homicidio publico, vel deducto ad forum contentiosum, ut patet ex his subjunctis verbis: *Qui nonnisi causa cognita & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit*; & in tali casu declarat, dictam dispensandi facultatem non competere de jure, nec esse commissam Episcopo, sed primum per Papam esse ei committendam. Sic Pirhing *loc. cit. num.* 128. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 225. Guttierez *Canonic. qq. lib.* 1. *cap.* 3. *ad finem*, Bonacina *de Censur. disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 2. *nu.* 2. Sanchez *de Matrimon. lib.* 2. *disp.* 37. *num.* 12. Barbosa in *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *num.* 37. cum pluribus aliis ibi allegatis.

Neque

61 Neque potest Episcopus dispensare super irregularitate absque delicto orta ex defectu perfectæ lenitatis, ut ex homicidio auctoritate publica in malefactores juste & recte facto a Judicibus, accusatoribus, testibus, ministris, & aliis ad mortem propinque concurrentibus, & a militibus in bello etiam juste pugnantibus. Sic Navarr. *in Manual. c.17. n.217. & l.5. consilior. consil. 39. de homic.* Laym. *loc. cit. n. 5.* Suarez *de Irregular. disp.47. sect. 6. in fine*, Avila de *Cens. disp.6. sect. 5. dub. 1. concl. 1.* Guttierez *loc. cit. lib. 2. c. 6. nu.* 170. Garcias de *Benefic. par.7. c. 11. n.* 40. Castropal. *de Censur. disp. 6. punct.* 14. §. 7. *n. 6.* Pirhing *loc. c. n.* 129. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 220. cum communiori aliorum. Et ratio est, quia Concilium *cit. sess.* 24. *c. 6.* concedit Episcopis facultatem dispensandi solummodo super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, irregularitas autem prædicta oritur ex defectu perfectæ lenitatis, & non ex delicto, cum tale homicidium sit juste, & licite factum. Tum quia nullus Episcopus solet cum similibus irregularibus dispensare, sed illi ad curiam Romanam ab omnibus dirigi solent, ut teste Reiffenstuel *loc. cit.* docet communis praxis, & consuetudo, quæ est optima legum interpres; *cap. Cum dilectus* 8. *de consuet. & L. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*, prout etiam servat stylus curiæ, qui pro lege habetur, *c. Ex litteris* 11. *de Constit. c. Quam gravi 6. de crimine falsi*.

62 Potest tamen Episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex mutilatione quacumque etiam injusta, & voluntaria, ac directe intenta, dummodo tamen sit occulta. Sic Barbosa *in Concil. Trid. loc. c. n.* 36. cum pluribus ibi allegatis, Suarez *de Censur. disp.* 44. *sect.* 1. *n.* 5. Navarr. *in Manual. c.* 23. *n.* 249. Layman *loc. cit. num.* 2. Reiff.
63 *loc. cit. n.* 228. & alii communiter. Et sic respondit expresse *sacr. Congr. Conc. ab Episcopo Cremonensi consulta* teste Fagnano *l.* 1. *Decretal. in cap. Dilectus* 15. *de temporib. ordinat. n.* 29. Et ratio est quia Concilium *cit. sess.* 24. *c.* 6. excipit solam irregularitatem ex homicidio voluntario provenientem, exceptio autem firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, per jura adducta *supra n.* 37. & dicta *supra n.* 35. *&* 37. *in fine*.

64 Quamvis Episcopus nequeat dispensare ad Ordines minores, sive recipiendos, sive exercendos neque ad beneficium simplex, super irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, etiam occulto, cum id sit expresse prohibitum a Conc. Triden. *sess.* 14. *c.* 7. ibi: *Omni Ordine ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo careat*, & tenent communiter doctores: Tamen potest Episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex homicidio casuali, sive indirecte tantum voluntario, quamvis notorio, ad Ordines minores, & Beneficium simplex. Sic expresse Barbosa *in cap. Ad audientiam* 2. *de homic. num.* 8. *& cit. alleg.* 39. *n.* 62. cum Henriquez, Covarruv., Campanil. Miranda, Gerola, Bonacina, & Homobon. ibi allegatis, Layman *loc. cit. n.* 3. cum Silvestro, Navar. Sayro, Avila, & aliis ibi citatis, ac plures alii *ex cap. Ad audientiam* 12. *de homicid.* ibi: *Poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus*, & ex *cap. Henricus* 2. *de Clericis pugnant. in duello*, ubi de simili homicida statuitur, quod non debeat in sacris Ordinibus ministrare, sed ad habendum beneficium misericorditer dispensetur; quæ jura per *Concil. Trid.* non sunt mutata circa homicidium indirecte tantum voluntarium, cum ipsum Concilium *cit. c. 6.* prohibeat tantum ne Episcopi dispensent cum homicida voluntario, adeoque ejus prohibitio non extenditur ad homicidas casuales; non enim facienda est extensio de casu ad casum præsertim in odiosis per toties repetita jura allata *supra n.* 35. *&* 37.

Hinc juvat ad eruditionem referre quæ ex aliis 65
refert Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 19. *sub n.* 1. §. *Refert*, ibi: Refert Paris. de Put. *de Syndicat. fol.* 32. quem allegat Felin. *in c. Si quando, de Rescrip. col.* 2. casum, qui evenit Romæ Joanni Papæ XIII. Jussit Pontifex quemdam Romanum capite plecti; at ille cum adeo clamasset, quod ob id Papa esset irregularis, ut populus de irregularitate Pontificis scandalizaretur, fuit jussu Papæ liberatus. Simile contigit Hostiensi, qui cum esset Legatus Bononiæ, quidam reus pœna capitali condemnatus petiit, ut prius sibi permitteretur alloqui Legatum de re ardua; Quod cum obtinuisset, & nihil arduum dixisset, turbatus Legatus dixit, suspendio necetur; Illo autem clamante; Vultis esse irregularis? Respondit Legatus: maledictus qui te docuit; eumque remissum ad carcerem postea liberavit, ut tradit Felinus ubi supra post Joann. de Lignano *in cap. Sententiam in fin. Ne clerici, vel Monac.* dicentem id se audivisse a domino Paulo, dum legebat fundamentum *ex cap. Ex litteris, de excessib. Prælator.* ubi dicitur, quod Prælati non debent imponere proprio ore sententiam sanguinis; dicitque Baldus post Innocent. *in cap.* 2. *de majorit. & obed.* quod licet Papa possit statuendo imponere pœnam mortis, non tamen potest exequendo: Ex quo infert, quod si Papa propriis manibus occideret aliquem, statim esset irregularis. Quod dictum posset sustineri sequendo opinionem illorum, qui volunt, quod irregularitas ex homidio voluntario est de jure divino, ut tenent multi *in cap. Ad audientiam, de homicid.* sed sequendo illos, qui dicunt, quod est de jure positivo, dictum Baldi non careret dubio, juxta Felin. *in cap.* 2. *de major. & obed.* cum Papa sit supra jus positivum, *cap. Proposuit, de concession. præbend.* ubi concludit inveniri in locis per ipsum allegatis, quod quamvis irregularitas ex homicidio habeat in se rationem, ac mentem juris divini, per text. *in* §. 1. *de Consecrat. d.* 1. tamen super ea potest Papa ex causa dispensare; quod etiam voluit Hostiens. *in cap. Sicut dignum, de homicid. in d. cap. Ad audientiam eod. tit.* ac Panormitan. *in cap. Ego N. in fine de jure jur.* Hactenus ad litteram Pignatell. *loc. cit.* Cui adde, quod Papa revera non potest canonicam irregularitatem incurrere, cum ipse sit supra ome jus canonicum, *cap. Proposuit* 4. *de concessione præbendæ*, Fagnan. *l.* 5. *Decret. in cap. De cetero* 11. *de homicid. n.* 22. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 91. Pirhing *loc. cit. num.* 96. Majolus *de Irregularit. lib.* 2. *cap.* 4. Suarez *disp.* 40. *lib.* 7. *num.* 7. La Croix *lib.* 7. *num.* 477. Castropal. *de*

de irregularit. d. 6. pag. 2. num. 4. cum pluribus aliis ibi citatis. Immo est adeo incapax irregularitatis ut statim ac evehitur ad Papatum, fiat liber etiam ab irregularitate prius contracta, cum statim desinat esse subjectus juri canonico quoad vim coactivam, & pœnas; ut recte *ex cap. Licet, de vitanda 6. de election. & cap. Ubi periculum 3. eod. in 6.* deducunt Reiffenstuel, Majolus, La Croix, Castropal. & alii *locis citatis*, & jam diximus verb. *Irregularitas artic.* 1. *sub numer.* 11. §. *undecimo*.

66 Potest Episcopus dispensare super irregularitate contracta ab eo, qui duos sacros Ordines, vel Acolythatum cum Subdiaconatu eodem die suscepit, si delictum sit occultum. Item super irregularitate, quam quis contraxit exercendo Ordines, quos non habebat. Item super suspensione, & irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines suscepit. Item in suspensione contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines suscepit. Item in suspensione contracta ab eo, qui Ordines suscepit dum vinculo censuræ obstrictus esset. Item in suspensione contracta a conjugato suscipiente Ordinem sacrum. Item in suspensione contracta ab eo, qui furtive ordines suscepit. Item in suspensione occulta, quam quis contraxit recipiendo Ordines, sine litteris dimissoriis. Item dispensare potest cum eo, qui per saltum promotus ad Ordines celebravit. Item cum eo, qui Ordines minores suscepit ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui; Item cum Simoniaco occulto. Item dispensare potest super irregularitate contracta ab excommunicato celebrante, quando excommunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta. Sic quoad omnes supradictos casus cum pluribus aliis Barbosa *in Concil. Trident. sess.* 24. *de reformat. cap. 6. a n.* 11. *ad* 22. *& num.* 29. dummodo in omnibus delictum sit occultum, ut etiam alii passim tenent Doctores.

67 Occultum autem quantum ad hoc dicitur, quod probari non potest, unde ubi delictum probari potest per duos testes, occultum non est, nec absolutus, & dispensatus est tutus in conscientia; ut declaravit *sacra Congreg. Conc.* quæ ad dubium; *An absolutus, & dispensatus a proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, esset tutus in conscientia*; Respondit, *Non esse tutum, quia Concilium utitur termino* occulto, *quod proprie loquendo est illud, quod probari non potest.* Sic refert Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Requisivit* 1. *de ordinatis ab Episcop. num.* 38. & verba Concilii debent accipi secundum proprietatem; quod repetit *lib.* 3. *Decretal. in c. Vestra 7. n.* 127. *de cohabit. Clericor. & mulier.*

68 In casibus quomodocumque occultis post Conc. Trident. ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis nequeunt Episcopi dispensare, & absolvere, ut expresse declaravit *S. Congr. Conc.* teste Fagnano *lib.* 1. *Decretal. in c. Dilectus* 15. *de temporib. Or-*
69 *dinat. n.* 30. ubi *n.* 37. insuper refert, eamdem sacram Congregationem approbante Pontifice declarasse quod dicta facultate dispensandi, & absolvendi in casibus occultis tributa Episcopis a Concilio non possunt uti Cardinales in suis titulis; quia licet habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ibi tamen vere, & proprie Episcopi non sunt: Sicuti neque Abbates, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, & Sedi Apostolicæ immediate subjecti.

Quinto requiritur, quod nulla censura sint li- 70
gati. *Communis*; qui enim sunt aliqua censura irretiti, ipsa durante, nequeunt licite ullum Ordinem suscipere, *cap. illorum* 22. *de sent. excomm. c. Sæpe contingit* 1. *de temporib. Ordinat. in* 6. Quotuplex autem sit censura, & quid sit quælibet in specie? Vide verb. *censura, excommunicatio, interdictum, & suspensio*.

Sexto requiritur, quod sint in ætate Canonica 71
constituti. *Communis, arg. cap. Nullus* 4. *de temporibus Ordin. in* 6. ubi Bonifacius VIII. sub pœna suspensionis per annum ipso facto incurrenda prohibet, ne quis infanti Clericalem præsumat conferre Tonsuram. Infantes tamen quamvis illicite, valide 72
tamen ordinantur ad quemcumque Ordinem, etiam Presbyteratus. *Communis* cum S. Thoma, S. Bonaventura, & Scoto *in* 4. *dist.* 25. & desumitur *ex c. unico, de Clerico per saltum promoto*; ubi de Clerico, qui ante annos discretionis inferiores Ordines susceperat, postea falso, & temere credens, se etiam suscepisse Diaconatum, absque Diaconatu Sacerdos ordinatus fuerat, rescribit, & statuit Innocentius III. ut post injunctam, impletamque pœnitentiam, Diaconatus solum suppleatur, ubi clare supponit Pontifex posse quem infra annos discretionis ordinari: Nec lex divina reddit infantem incapacem sacramenti. Immo infantes 73
ordinantur valide etiam ad Episcopatum, ut communius tenent Doctores, & signanter Dominicus Sotus, Vasquez, Castropal. Filliuc. Dicastill. & alii apud Tamburin. *de Sacrament. lib.* 7. *cap.* 6. §. 1. *num.* 12. Sporer *loc. cit nu.* 65. cum Gobat, & Diana ibi citatis, & alii passim, & constat experientia fuisse Hugonem filium Heriberti Comitis Aquitaniæ in ætate puerili quinque annorum promotum ad Archiepiscopatum Rhemensem, ut ex aliis refert Berninus *tom.* 2. *Histor. omnium hæresum sæculo decimo, capitul. unico fol.* 585. ubi adducit S. Bernardum *Epistol.* 42. sic scribentem: *Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris, lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principari, nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum imperium.* Et insuper variis aliis omissis in infantili ætate ad Episcopatum promotis ex historiis habetur, quod adolescentes, & juvenes fuerunt interdum ad Pontificatum assumpti, ut Joannes XII. vix natus annos duodeviginti, ut testatur Graveson *Historia Ecclesiastica tom.* 4. *fol.* 71. *primæ impressionis Romanæ*, & Baronius *ad annum* 955. *num.* 3. *&* 4. & & Joannes XI. fuit summus Pontifex constitutus, cum ætatis suæ annum vigesimum quintum vix attigisset, ut testatur idem Graveson, ubi *supra fol.* 67. Vide verb. Papa *art.* 1. *n.* 54.

Ætas igitur canonica pro prima Tonsura, Ostia- 74
riatu,

riatu, Lectoratu, & Exorcistatu sunt anni septem
75 completi, *cap. In singulis* 2. *dist.* 77. Pro Acolytha-
tu sunt anni duodecim completi, *cit. cap. In sin-*
gulis 2. *dist.* 77. Et colligitur ex textu, & Glossa
in c. de iis 5. *dist.* 28. *&* *c. Cum nullus* 4. *de tem-*
76 *poribus Ordinandorum in* 6. Pro subdiaconatu sunt
anni 21. Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 12. *de refor-*
77 *mat. infra adducend.* Pro Diaconatu sunt anni 23.
78 Concil.Trid. *loc. cit.* Pro Presbyteratu sunt anni 25.
Concil. Trid. *cit. sess.* 22. *cap.* 12. *de reformat.* ibi:
Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem an-
te vigesimum secundum ad Diaconatum ante vigesi-
mum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum
79 *quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Qui anni
requisiti a Tridentino pro his tribus sacris Ordini-
bus sufficiunt incæpti, ut tenet communis Docto-
rum cum Barbosa *in cit. sess.* 23. *c.* 12. *num.* 2. &
80 in praxi receptum est apud omnes. Pro Episco-
patu requiruntur anni 30. completi, *cap.* 1. 2. *&*
4. *dist.* 78. & Concil. Trident. *sess.* 7. *cap.* 1. *de re-*
format. & cap. Cum in cunctis, de elect. & Gre-
gor. XIV. Constitut. incip. *Onus Apostolicæ, &*
Communis Doctorum cum Barbosa *in cit. sess.* 7.
cap. 1. *num.* 4.

81 Septimo requiritur, quod sint scientia sufficien-
ti instructi pro quolibet Ordine suscipiendo; *c.* 1.
dist. 39. ubi Gelasius Papa expresse habet: *Illitera-*
tos nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promo-
vere, quia litteris carens sacris non potest esse ap-
tus Officiis. Unde Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 4.
de reformat. statuit, quod *prima Tonsura non ini-*
tientur, qui .... fidei rudimenta edocti non fue-
rint, quique legere, & scribere nesciant. Et *ibidem*
cap. 11. pro ordinibus minoribus requirit, *ut sal-*
tem latinam linguam intelligant, & sciant quæ ad
Officium suum spectant. Et *ibidem cap.* 17. Pro Sub-
diaconatu, & Diaconatu requirit, *ut sint litteris,*
& iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, in-
structi. Et *ibidem cap.* 14. pro Presbyteratu requi-
rit, quod *ad populum edocendum ea, quæ scire om-*
nibus necessarium est ad salutem, ac ministrandi
sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei com-
probentur.

82 Octavo requiritur, quod ordinentur a suis pro-
priis respective Episcopis, vel ab aliis de eorum
licentia, & cum suis dimissoriis. Sic expresse Con-
cil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* ibi: *Unus-*
quisque a proprio Episcopo ordinetur; quod si quis
ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cu-
jusvis generalis, aut specialis rescripti vel privile-
gii prætextu permittatur, nisi ejus probitas, ac
mores ejusdem Ordinarii testimonio commendentur:
si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per an-
num, & ordinatus a susceptorum Ordinum execu-
tione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedi-
re, sit suspensus; Et novissime Innocentius XII.
83 Constitut. incip. *Speculatores domus Israel.* Nono
requiritur, quod ordinandi in sacris habeant legi-
timum titulum sustentationis, scilicet aut benefi-
cii ecclesiastici pacifice possessi, aut patrimonii
sufficientis ad honestam sustentationem, aut pau-
pertatis religiosæ, ejus scilicet, quam solemniter
vovent Religiosi. Sic Pontificale Romanum *tit.*
de ordinatione Subdiaconi, & communis Doctorum.
Et ratio hujus dispositionis est, ut Clerici ordi-
nati in sacris habeant unde honeste ali possint,
ne cogantur, ut dicit Concilium Tridentinum
sess. 21. *cap.* 2. *de reformat. cum Ordinis dedecore*
mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exer-
cere.

Ad titulun autem beneficii, ut quis licite ordi- 84
netur requiritur, quod sit beneficium proprie di-
ctum, quod definitur: *Jus perpetuum percipiendi*
fructus ex bonis Ecclesiasticis ratione spiritualis
officii personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ con-
stitutum. Vide verb. *Beneficium art.* 1. *a n.* 6. Et
quod tale beneficium sit sufficiens ad honestam 85
ipsius sustentationem, & pacifice possessum. Sic
expresse Tridentinum *cit. sess.* 21. *c.* 2. ibi: *Nisi*
prius legitimo constet eum beneficium Ecclesiasticum,
quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice pos-
sidere. Unde qui non habet beneficium suffi- 86
ciens, non debet ordinari cum supplemento patri-
monii, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ id exi-
gat. *Sac. Congregat. Concil. in Signina* 18. *Septemb.*
1685. *& in Civitatis Plebis* 10. *Junii* 1684. Et si
beneficium, ad cujus titulum ordinatur ab Epis- 87
copo non suo non esset sufficiens juxta taxam
sui Ordinarii, esset suspensus quoad exercitium
Ordinum. *Sacra Congreg. Concil. in Arimin.* 10.
Januarii 1705. Immo nedum ipse ordinatus es- 88
set suspensus ab exercitio Ordinum, quandiu
proprio Ordinario videbitur expedire, sed etiam
Episcopus ordinans esset suspensus per annum
a collatione Ordinum, & uterque subjaceret gra-
vioribus pœnis pro modo culpæ arbitrio summi
Pontificis infligendis. Sic expresse statuit Innocenti-
us XII. 6. *Novembris* 1694. Constitut. incip *Specu-*
latores domus Israel. Et tale beneficium non po-
test ordinatus postmodum resignare, nisi facta 89
mentione, quod ad illius beneficii titulum sit
promotus, neque ea resignatio potest admitti, ni-
si constito, quod aliunde vivere commode possit,
aliter autem facta resignatio nulla est. Sic expres-
se Trident. *cit. sess.* 21. *c.* 2. ibi: *Id vero beneficium*
resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad
illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resi-
gnatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vi-
vere commode possit, & aliter facta resignatio nul-
la sit.

Ad titulum patrimonii, vel pensionis, ut quis 90
licite ordinari possit, requiritur, quod Episcopus
judicet talem pro necessitate, vel commoditate
suarum Ecclesiarum esse assumendum, illudque
patrimonium, vel pensionem, & ad vitam su-
stentandam sufficiens esse, & vere ab ipso obti-
neri. Sic expresse Trident. *cit. sess.* 21. *c.* 2. ibi: *Pa-*
trimonium vero, vel Pensionem obtinentes ordinari
posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judi-
caverit assumendos pro necessitate, vel commodita-
te Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto,
patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis ob-
tineri, taliaque esse, quæ ei ad vitam sustentandam
satis sint.

Unde Clericus suscipiens Ordines sacros cum 91
Patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto beneficio,
suspensionem incurrit, *cap. Neminem* 1. *& cap.*
Sanctorum 2. *dist.* 70. quo ad hoc a Concilio Tri-

 denti-

dentino *cit. sess.* 21. *c.* 2. innovatam, ibi: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*. Et sic pluries declarasse sacram *Congr. Episcopor. & Regularium*, & *sacram Congreg. Concilii* refert Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 77. *num.* 15. & 16. ubi & de stylo curiæ, & praxi Pœnitentiariæ testatur, & plurimos affert Doctores. Sic etiam Monacel. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 3. *num.* 4. & *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 1. *n.* 1. ubi ex Nicolio testatur sic plenis votis declarasse *Sacram Congr. Concil.* 27. *Novembr.* 1610. quoad eum, qui per fraudem, & culpam decepit Episcopum ordinantem fingendo se habere titulum, quæ declaratio relata reperitur *in Synodo Farsensi in tit. de Sacrament. Ordin. num.* 5. & *tom.* 5. *supplement. ad tom.* 2. *num.* 437. ubi monet ordinandos, quod caveant a contraria sententia, quia laxa est, erronea, & pluries decretis sacrarum Congregationum reprobata, quæ referuntur a Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 77. *nu.* 15. & 16. & ab aliis Doctoribus a se allegatis *t.* 2. & *tom.* 3. *loc. citatis*; Et sic etiam tenent Nicolaus Garcias *part.* 2. *de Beneficiis cap.* 5. *num.* 20. Barbosa *de Officio & potestate Episcoporum allegat.* 20. *num.* 27. & 33. Pirhing *in Jus Canonic. lib.* 1. *tit.* XI. *num.* 112. Reiffenstuel *ibidem num.* 197. ubi refert supradictam declarationem *Sacr. Congregat. Concilii* 27. *Novembris* 1610. quam refert, & tenet etiam Fagnanus *in cap. Cum secundum* 26. *de præbend. nu.* 69. *in fine*; & sic tenent alii passim per Constitutionem 35. Urbani VIII. incip. *Secretis*; ubi sic expresse habetur: *Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis, scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis* (scilicet inter alias pænas suspensionis perpetuæ absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ) *verum etiam maioribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis subjectos esse volumus*.

92 Non esset tamen suspensus ipse Ordinatus, si bona fide, & sine ulla sua fraude, & dolo absque legitimo titulo ordinaretur, ut tenent supracitati Doctores, & alii passim, *arg. cap. Cum secundum* 36. *de præbend.* ubi suspensio ordinati per Jura antiqua inducta, fuit sublata ex parte bona fide, & sine ulla sua fraude ordinati, & solus Episcopus ordinans per impositionem oneris ordinatum sustentandi, fuit punitus, & cit. Constitut. Urbani VIII. incip. *Secretis*, ubi declarantur suspensi solum, qui *scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint*.

93 Et tale patrimonium, vel pensio posthac sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus potest, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sufficiens statui suo sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint. Sic expresse Trident. *cit. sess.* 21. *c.* 2. ibi: *Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint*.

94 Unde patrimonii titulus non extinguitur etiamsi ordinatus acquirat alia bona, donec ab Episcopo loco patrimonii subrogetur. Licet enim quis habeat patrimonium sibi constitutum sub hac conditione: *Donec, & quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico, aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat, quo casu eveniente, patrimonium redeat ad constituentem absque alia declaratione*; non dicitur spoliatus tali patrimonio, quamvis beneficium, vel bona acquirat, sed viget patrimonium, ut prius, obstante dicta conditione, donec ab Episcopo non fiat subrogatio. Sic declaravit *Sac. Cong. Concil.* 12. *Julii* 1687. confirmando decreta olim emanata *in Terracinen.* 8. *August.* 1602. & 20. *Julii* 1691. & idem censuit novissime *in Senogallien.* 20. *Jun.* 1705. *in respons. ad* 4.

Neque ordinatus potest absque expressa licentia 95
Episcopi donare patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. *Sacr. Congr. Concil.* 10. *Octob.* 1676. Neque potest absque dicta 96
licentia Episcopi illud in Emphyteusim concedere, reservato desuper annuo Canone fructibus correspondente. *Sacr. Cong. Conc. in Parmen.* 20. *Jul.* 1641. in qua licet concessor esset beneficiatus, adhuc quia ordinatus fuerat ad titulum patrimonii in Emphyteusim concessi, declaravit, concessionem non sustineri, & idem probavit *in alia Aquilana* 24. *Februar.* 1652. Neque patrimonium 97
potest sine licentia Episcopi alienari, etiamsi ordinatus consequatur beneficium, *Sacra Congr. Conc.* 16. *April.* 1622. *lib.* 4. *Decret. pag.* 231. & faciunt Decreta relata *supra n.* 93.

Prohibitio Concilii Tridentini alienandi patrimo- 98
nium extenditur ad fidejussionem ordinati, adeo ut fidejussio, & obligatio respectu dicti patrimonii non sustineatur, si facta sit ab ordinato sine consensu Episcopi. S. Cong. Conc. quæ ad dubium sibi propositum sub *die* 11. *Mart.* 1642. respondit *extendi etiam ad fidejussionem*, & jussit dari declarationem sequentem: *Die* 5. *Februar.* 1604. *S. Cong. &c. censuit neque in hujusmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum necessariis executioni locum esse posse, licere autem capere in causam judicati eam fructuum portionem, quæ quotannis superest, ultra ea, quæ ad ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo judicis ecclesiastici arbitrio fuerint necessaria: Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad Creditorem uti res hereditaria pertinebit*.

Patrimonium constitui potest etiam in censi- 99
bus, dummodo constituentes tale patrimonium in forma juris valida se obligent, quod in casu redemptionis pro sufficienti ordinati victu providebunt, donec iterum investiantur. *Sacra Congr. Conc. in Nullius* 21. *Jul.* 1629. *lib.* 14. *Decret. pag.* 109. Ordinibus sacris initiari non potest, qui bo- 100
nis cessit. *Sacr. Cong. Concil. in Atrien.* 22. *Jun.* 1725. apud Ursayam *in Miscell.* 1. *Sacro & profano litt. O. n.* 82.

Ad titulum paupertatis, seu professionis religio- 101
sæ ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod sit vere professus; Pontifical. Roman. *tit. de Ordinatione Subdiaconi*, & Communis Doctorum. Un- 102
de novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii, aut pen-

pensionis nequeunt promoveri ad sacros Ordines, *arg.* Concil. Trid. *cit. sess.* 22. *cap.* 2. & expresse S. Pius V. Constit. 75. incip. *Romanus Pontifex*. Vi-
103 de verb. *Novitius num.* 89. Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis; Vide d. verb. *Novitius*
104 *n.* 90. Patres autem Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ in Societate emiserunt, de licentia Præpositi Generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo etiam ante solemnem professionem. Vide *ibidem num.*91.
105 Patribus Societatis Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta Societate, si contingat eos ante solemnem professionem a Præposito Generali a dicta Societate dimitti; Vide *ibidem num.* 92.
106 Pro hujus articuli complemento addendum est, quod in calculandis redditibus beneficii pro titulo ordinandi non sunt detrahenda onera Missarum eidem beneficio adjecta, maxime si ordinandus, donec ascendat ad Sacerdotium pro rata Missarum aliunde habeat unde vivere possit. Sic tenent Ursaya *tom.* 5. *part.* 1. *disceptat.* 4. *per tot.* Card. de Luca *in tract. de donationibus disc.* 11. Lamperez in *veter. Ecclesiæ disciplina n.* 366. *fol.* 209. P. Ludovic. Nogueira *quæst. singul. disput.* 1. *tit. de Sacrament. q.* 26. *n.* 3. *fol.* 35. Joannes Morinus in *Commentar. ad Constit.* 44. *Innoc. XII.* incip. *Speculatores* Monacell. *tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 13. *num.* 2. *& in Appendic. adnotat. ad dictam Constitutionem Innocent. XII. num.* 1. & alii. Quamvis enim in *d. Constitutione Speculatores* §. *Licet vero* requiratur, quod *beneficium sit talis redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat*, tamen illa verba *detractis oneribus*, non sunt referenda ad onera Missarum, sed ad alia onera etiam post emanatam dictam Innocentii XIII. Constit. ut declaravit *Sacr. Cong. Conc.* in *Signina Ordinationis* 14. *April.* 1669. *& in Neapolitana, seu Scalen.* 18. *Febr.* 1701. apud Monacell. *t.* 1. *tit.* 3. *formul.* 12. *num.* 2. *& in Appendic. adnotat. ad d. Constitutionem Innoc. XII. incip. Speculatores num.* 11. & in *Firmana Capellaniæ* 14. *Januar.* 1708. apud Ursayam *tom.* 5. *part.* 1. *disceptat.* 4. *num.* 49. qui *eod. tom.* 5. *in additionibus* §. 4. refert, quod proposita causa in *Sac. Cong. Conc. die* 17. *Julii* 1723. sub dubio: *An a beneficio, seu capellania, ad cujus titulum quis intendit ad sacros Ordines promoveri, detrahenda sint onera Missarum eidem adjecta, quando beneficiatus non tenetur eas per se ipsum celebrare. Vel potius oneribus Missarum non detractis, sive illæ celebrandæ sint per se ipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a synodali Constitutione, vel regionis more requisita pro sacris Ordinibus suscipiendis?* Responsum fuit: *Esse relinquenda arbitrio, & conscientiæ Ordinariorum.*
107 Onera, ad quæ referri debent verba illa *detractis oneribus*, & detrahi debent a fructibus beneficii, sunt contributio pro fabrica Ecclesiæ, & refectione domus beneficialis, census, sive tributa super possessionibus beneficii imposita, pensiones a beneficiato solvendæ pro paramentis, hostiis, cereis, pro visitatione, cathedratico, seminario, salario ministrorum Ecclesiæ, & hujusmodi. Sic Card. de Luca *de Beneficiis disc.* 90. *n.* 80. Monacell. *tom.* 1. *in Appendice loc. cit.* Ursaya *cit. disceptat.* 4. *n.* 40. & alii.

Non autem, ut dictum fuit, sunt onera Missa- 108
rum, sive per se ipsum, sive per alium a beneficiato celebrandarum, nisi numerus Missarum esset ita excessivus, quod superaret Missam quotidianam, nec possent omnes Missæ per capellanum, seu beneficiatum intra annum celebrari, vel essent beneficio adjectæ multæ Missæ in cantu majori eleemosyna per alios ab ipso beneficiato quotannis celebrari faciendæ, quia in tali casu detractis his stipendiis, fructus beneficii taxam Synodalem, vel regionis morem non exæquarent, adeoque tale beneficium non esset sufficiens titulus, ut beneficiatus promoveri posset.

Alias autem non, quia licet obligationes Missa- 109
rum beneficio adnexæ vocentur quoque onera, quia tamen stipendium earum percipitur, seu percipi potest ab eodem beneficiato, cedit in congruam sustentationem ipsius, & sic non debent detrahi a supputatione, cum per ipsas ordinatus diminutionem non patiatur in redditibus, sicuti illam non patitur ordinatus ad titulum capellaniæ perpetuæ cum obligatione per se, vel per alium quotidie celebrandi, ut recte advertunt Lamperez *loc. cit.* Ursaya *loc. cit. num.* 20. & alii. Tum quia hæc videmus practicari in dies in Ecclesiis receptitiis, in quibus Sacerdotes ordinantur ad titulum aggremiationis, vel adscriptionis dictis Ecclesiis, cum obligatione celebrandi tot determinatas Missas, vel ad ratam redditum: dummodo isti sufficiant ad congruam ordinatorum sustentationem, & tamen nullum aliud obtinent emolumentum, nisi ratione Missarum, quæ celebrari debent juxta præcisa verba Card. de Luca *de donationibus disc.* 11. *num.* 8. loquentis ad præcisum effectum nostri casus; & *in adnotat. ad Concil. Trid. disc.* 14. *nu.* 39. expresse dicit: *Assumunt Sacerdotium, quod sufficientem provisionem ad victum præbere solet cum eleemosyna celebrationis Missæ diurnæ*; quem sequitur Ursaya *d. disceptat.* 3. *a num.* 57. *ad* 60. pluribus ad id allegatis, & etiam individuali Oraculo Sixti V. ibi adducto.

Nec officit, quod ordinandus possit ratione ab- 110
sentiæ, irregularitatis, seu censuræ incursæ, morbi incurabilis, vel delicti, se impotentem reddere ad celebrandas per se ipsum Missas beneficio adnexas, & cum in tali casu Missarum celebrationi per alium teneretur satisfacere, non amplius remaneret ei rata pro congrua sustentatione, & dispositio Concilii Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* & d. Constitutionis Innocentii XII. non observaretur. Non officit, inquam, quia etiam beneficium, seu sacrum patrimonium constitutum super domibus, prædiis, censibus, locis montium, & hujusmodi, licet ab omni onere exemptum, subjacet multis periculis, ac majoribus infortuniis sterilitatis, siccitatis, incursionibus hostilibus, cessationis seu diminutionis locorum montium, & hujusmodi; & sic in totum, vel in parte reddi potest infructiferum, & inutile, tamen ex communi omnium curiarum ecclesiastica-

sticarum praxi hæc pericula, & infortunia non attenduntur, sed solum exquiritur, & attenditur rigorosa recognitio facienda a peritis circa beneficii, seu sacri patrimonii redditus facienda tempore constitutionis ipsorum: Leges enim adaptantur ad ea, quæ ut plurimum contingunt, non autem ad illa, quæ raro accidunt, & ab accidentalibus casibus dependent, ad text. in *Authent. Ut sine prohibitione matres*, ibi: *Quod raro fit &c. non observant Legislatores, sed quod plerumque, & respiciunt, & & medentur, & in l. Ex iis, ff. De Legibus*, ibi: *Ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur, & in l. Nam ad ea, ff. eod.* ibi: *Ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter, & facile quam quæ perraro eveniunt*. Unde in nostro casu, cum ordinandus regulariter per se ipsum Missas beneficio adnexas celebrare possit, & sic percipere integros fructus beneficii, verificatur, quod habeat validum, & sufficientem titulum, ut ordinari possit, juxta decreta sacræ Congregationis Concilii, allegata *supra n.* 70. ut recte docet Monacell. *cit. tom.* 2. *titul.* 3. *form.* 13. *num.* 3. & cum aliis Ursaya *cit. disceptat.* 4. *per tot.* ubi *num.* 34. *concludit expresse*: *Onus Missarum nunquam detrahendum esse ab illo beneficio, seu capellania, ad cujus titulum quis ordinari cupit, sive Missæ præcise celebrandæ sint per beneficiatum, sive celebrari possint a quocumque alio Sacerdote, sed esse faciendum cumulum omnium fructuum beneficii, seu capellaniæ, ad constituendam summam a synodali constitutione, & in illius defectum, a solito regionis pro sacro patrimonio requisitum*.

111 Tum quia potest quis promoveri ad sacros Ordines ad titulum beneficii residentialis, cujus fructus una cum distributionibus quotidianis sufficiunt ad congruam & honestam beneficiati sustentationem, quamvis multis de causis possit contingere, quod beneficiatus nequeat ipsas distributiones quotidianas lucrari, ut expresse declaravit *sacr. Cong. Conc. in Veronen.* registrata *in lib.* 15. *Decret. fol.* 433. ibi: *Posse Clericum ceteris requisitis necessariis concurrentibus ad Sacros Ordines promoveri ad titulum Capellaniæ, cujus fructus una cum distributionibus quotidianis ad victum honeste sufficiunt*, sic apud Ursayam *cit. tom.* 5. *par.* 1. *disceptat.* 5. *num.* 30.

112 Ad complementum hujus articuli advertendum est: quod circa preces, vel Missas, quæ in ordinatione injunguntur ab Episcopo, secundum Pontificale Romanum, ipse Episcopus sic dicit: *Singuli ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines promoti dicite semel septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, versiculis, & orationibus. Ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, nocturnum talis diei. Ad Presbyteratum vero ordinati post primam vestram Missam tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria semper virgine, tertiam de fidelibus defunctis dicite, & omnipotentem Deum etiam pro me orate*. Quod illi devote suscipiunt, & respondent, sic facturos. Unde Suarez, Azorius, Lessius, Layman, & alii cum Aversa *qu.* 2. *sect.* 13. volunt, ista persolvenda esse sub mortali; quam sententiam Stephanus *tract.* 5. *disp.* 4. *num.* 72. dicit esse probabiliorem; Quia Episcopus potest, & quando aliud non declarat, censeri debet graviter imperare; cum hæc materia sit gravis. E contra Diana, Sotus, Valentia, Castropal. Pellizar. Lohner, Gobat in *Experient. tract.* 3. *n.* 713. & *tract.* 8. *num.* 771. defendunt esse tantum obligationem decentiæ, non autem sub peccato præsertim mortali; Quia licet sub mortali possint id Episcopi imperare, tamen id hactenus non declaraverunt; Unde videtur tenenda benignior sententia, quod non peccetur mortaliter, sed solum venialiter, si id negligatur. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1319. *argum. cap. Statutum* 22. *de election. in* 6. *cap. In pœnis* 49. *de regul. Juris in* 6. *L. Cum quidam* 19. *ff. de liberis, & posthumis, L. Factum* 155. §. 2. *ff. de regulis juris*.

Nocturnum autem, quod præscribitur Subdiaconis, & Diaconis, non necessario est illud ipsius diei, quo fit Ordinatio, sed cujuscumque, quem Episcopus designat. Gobat *loc. cit. tract.* 8. *n.* 772. La Croix *loc. cit. num.* 2320. & alii. Si vero Episcopus nullum determinatum diem designat, probabilius debet recitari nocturnum talis diei ordinationis, uti colligitur ex verbis Romani Pontificalis ab Episcopo post ordinationem prolatis, nempe, *Ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, Nocturnum talis diei*, ut patet *num. antecedenti*. Sic Gobat *loc. cit. num.* 772. & alii. Missæ tamen Presbyteris injunctæ non debent necessario celebrari primis diebus post ordinationem impeditis post ipsam Missam; sed primis diebus non impeditis, idest quibus licebunt post primam Missam Missæ votivæ, & de requiem. Ita Sennyei *de Missa num.* 152. La Croix *loc. cit. num.* 2310. & alii. Et has tres Missas possunt Neo-presbyteri offerre pro quibuscumque voluerint, stipendium accipiendo. Et sufficit quod pro Episcopo ordinante orent, ut patet ex verbis solitis ab Episcopis post ordinationem proferri, relatis *numero antecedenti*, ibi: *Et omnipotentem Deum etiam pro me orate*. 113

Item possunt Neomystæ primam Missam cum Episcopo ordinante lectam, seu celebratam, offerre pro altero, non aliter ac si soli illam legerent; reipsa enim consecrant, & substantialiter ponunt Sacrificium: At vero videtur, quod pro tali Missa non possunt stipendium accipere, quia petens, & offerens eleemosynam pro una Missa censetur velle aliam cum omnibus ordinariis cæremoniis, actionibus solitis ad altare peragendam; Tum quia dubium est, an consecrent, cum dubium sit quod forte verba consecrationis non absolvant cum Episcopo, sed post, jam ab ipso peracta consecratione. 114

Hinc monendi sunt Neomystæ, quod omni diligentia curent verba consecrationis incipere, & absolvere una cum Episcopo, non ante, nec post; Sicque consultum est, ut consimilem forment intentionem: *Si verba consecrationis incepero, & absolvero cum Episcopo, volo consecrare; alias non*; quia si aliquis Neo-Presbyter absolute volens consecrare, verba consecrationis absolveret ante Episcopum, Episcopus nihil consecraret, cum jam esset tota materia consecrata; quod videtur inconveniens; Et e contra si dicta verba absolveret post Episcopum, ipse Neomysta nihil posset consecrare, 115

re, quia nihil superesset consecrabile, adeoque frustra ptoferret formam volens consecrare, ut recte notat Gobat *tract.* 3. *num.* 141. Suarez, Averrsa, citati, & sequuti a La Croix *loc. cit. n.*2322. ubi subdit, quod ad tollendum omnem scrupulum, sufficit, quod Neo-Presbyter conetur verba absolvere cum Episcopo, & velit solum facere, quod ibi vult fieri Ecclesia, aut sicut meliori modo fieri potest: Uti cum aliis monet etiam Gobat *loc. cit. tract.* 8. *num.* 131. Quamvis tamen nullam (præter consuetudinem & præscriptum Pontificalis) extare legem positivam obligantem sub gravi Neomystas proferre illa verba consecrationis, seu tunc consecrare una simul cum Episcopo, tradat cum aliis Gobat *loc. cit. n.* 133. ipsumque etiam citet La Croix *loc. cit. num.* 2322. recte concludens nihilominus esse standum consuetudini Ecclesiæ & præscripto Pontificalis.

116 Ordinationes Ministrorum Ecclesiæ cum magno delectu fieri jubentur. Benedict. XIV. Constit. incip. *Ubi primum*.

117 Ordinandi examinari debent in doctrina Christiana. Idem Constit. 42. incip. *Etsi minime*, §.10. & docere debent, se operam dedisse instruendis fidelibus in doctrina Christiana. *ibidem* §. 6.

118 Ætas in Ecclesia Occidentali requisita ad recipiendos Ordines assignatur ab eodem Pontifice Constit. 128. tom. 1. incip. *Eo quamvis tempore*, §. 19. Vide verb. *Ætas*. Pro recipiendis Ordinibus quoad Græcos, eadem, quæ pro Latinis, requiritur. Idem Const. 56. tom. 1. incip. *Etsi*, §. 7. *n.* 19.

119 Hinc ordinatio infantis est illicita, sed valida, & ordinatus in infantili ætate non tenetur ad onera Ordini sacro adnexa, nisi ordinationem ratam habuerit, sive expresse, sive tacite; nec ministrare potest in Ordine suscepto ante complementum ætatis legitimæ. Idem cit. Constitut. *Eo quamvis tempore* §. 20. 21. 22. 23. & 26.

120 Quare pro ordinatis apud Cophtos ad Diaconatum in infantili ætate, præscribitur exploratio voluntatis, quæ fiat ad normam Concilii Toletani secundi post expletum annum decimum sextum. *Ibid.* §. 27. 28. Si quis sæcularia vota elegerit, suspensus erit ab exercitio Ordinis sacri. *Ibid.*§.22. Nec tenebitur ad recitationem horarum canonicarum. *Ibid.* §. 28. Et nuptias etiam iterato contrahere poterit. *Ibid.* §. 28. & 29. Eligentibus autem perseverare in ministerio Ecclesiæ, prohibentur secundæ nuptiæ, & omnis bigamia sub pœna depositionis. *Ibid.* §. 30. 31. 32.

121 Ordinationes ad Ordines majores in cathedrali, vel insigniori diœcesis ecclesia haberi debent. Idem Constitut. incip. *Ad audientiam* §. 17. ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de Ref.* Id tamen intelligendum est de Ordinationibus generalibus. *Ibidem* §. 18. Ex mitiori tamen interpretatione apud omnes recepta, non prohibetur Episcopus, quin justa aliqua suadente causa, possit aliquos privatim in Episcopii sacello majoribus Ordinibus initiare. *Ibidem*. An autem, quod de capella Episcopi, idipsum dicendum sit hac in re de capella Cardinalis Episcopi suburbicarii in Urbis palatio sita? Vide dicta verb. *Cardinales*, *Art.* 3. *a num.*30,

Ordinari a quo debeant subditi Episcopis suburbicariis, & a quo exteri in Urbe commorantes? Vide *loc. cit.* & verb. *Vicarius Urbis*. 122

Ordinari a Pontifice possunt Clerici de quacumque ecclesia, sive diœcesi, non solum ut eorum opera utatur; sed etiam honoris causa. Idem Constitut. incip. *In postremo* §. 16. Ordinatus a Papa, etiam honoris causa, sine licentia Papæ non potest ab inferiori ad superiores Ordines promoveri. *Ibidem* §. 3. & 7. Ordinatus a Papa non est propterea a jurisdictione sui Episcopi exemptus. *Ibidem* §. 18. 123

Episcopus potest ob crimen occultum, etiam extrajudicialiter cognitum Clericis interdicere ascensum ad Ordines superiores, & susceptorum ministerium seu exercitium; *De synodo diœces. lib.* 7. *cap.* 71. *num.* 3. *ad* 5. ubi scite adducuntur Concil. Trident. *sess.*14.*cap.* 1. *de Reform.* & decreta sacræ Congregationis ejusd. Concilii interp. in *Aleriensi die* 24. *Novemb.* 1657. *in Capritanen.* 19. *Decemb.* 1730. & *in Oritana seu Tarentina* 20. *Aug.* 1735. *ut in Thesauro Resolutionum tom.* 5. & 7. Et adeo verum est, posse Episcopum; virtute prædicti decreti Concilii Tridentini ex causa sibi nota Clericum interdicere tam sacrorum exercitio, quam ascensu ad altiores Ordines, ut neque teneatur *causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit*, quod præcisis verbis respondit s. Congregat. Concil. Episcopo Vercellensi *die* 21. *Mart.* 1643. *lib.* 7. *decret. pag.* 170. & *seq.* 124 125

Et universim loquendo, Episcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandam causam, cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, nullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, declaravit ead. sac. Congregatio *in Remensi die* 21. *April.* 1668. Ibidem *num.* 14. Et *num* 15. additur, quod si sic suspensus ab Episcopo, nihilominus appellationem interponere ejusque obtentu, in altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem, uti quidquid in contrarium senserint nonnulli Doctores, expresse definivit ead. sac. Congregat. Concilii *in Sagonen.* 21. *Junii* 1626. *lib.* 24. *Positionum pag.* 1. ibi: *Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa decreto Concil. cap.* 1. *Sess.* 14. *ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio curæ; sed ille appellavit, & præcepto Episcopi contempto, celebravit, & curam exercuit. Quæritur, an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium curæ effectus fuerit irregularis? S. Congreg. Conc. censuit, ab hujusmodi suspensione non dari appellationem; & Parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse*. Hæc Benedict. XIV, *loc. cit.* qui subjungit, *id tamen ab Episcopo non debere in Synodo statui, & declarari*. Vide tom. 7. verb. *Suspensio art.* 7. per tot. & signanter n. 12. 126 127

* Beneficium, ad cujus titulum Ordines conferuntur, debet tantum ex redditibus ferre, quantum sufficit ad Clerici honestam sustentationem, juxta 128

juxta taxam ab Episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen Missarum, saltem nisi aliter Episcopus statuerit. Si vero Clericus ordinetur in loco domicilii, & beneficium obtineat in alia diœcesi, tunc si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam synodalem loci, ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat, juxta ac statuit Innocentius XIII. in sua Constitut. incip. *Apostolici ministerii*. Hæc *De synod. diœc. lib.* 7. *cap.* 72. §. 2.

129 Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici; nec nisi in subsidium pro necessitate vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab Episcopo ad titulum pensionis, vel patrimonii, ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* Nec nisi concurrat necessitas vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit sacra Congregatio Concilii in encyclica *die* 13. *Maii* 1679. jussu Innocentii XI. exarata; *Instit. Eccles.* 26. §. 1.

130 Ad Ordines conferendos censet Pontifex *ex Conc. Trid. sess.* 23. *de Reform. cap.* 2. non esse positum in arbitrio Episcopi, ut Ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam Concilium exigit, ut saltem linguam latinam intelligant; & arbitrium Episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam latinæ linguæ. *Instit. Eccles.* 42. §. 2.

131 Quoniam vero ad sacros Ordines requirit Tridentinum *ibid. can.* 14. scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, ac ad ministranda sacramenta; ideo Subdiaconatui convenit ut præcedat annus integer studii, sive Theologiæ moralis, sive Scholasticæ, sive Juris canonici. Biennium vero ad Diaconum ordinandum: triennium ad Sacerdotem. Nec impletur mens Tridentini, si quis in Theologia morali tantum studuerit de contractibus, cambiis &c. Concilium enim exigit, ut possit eridiri populus quo ad necessaria ad salutem. *Ibid.* §. 3.

132 Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam quoad regulares, non quidem ad eorum præsules, sed ad Episcopum ordinantem spectat, ut ex responso sac. Congregationis, *Institut. Eccles.* 58. §. 1. Quamquam ab Episcopo deferendum sit judicio Superiorum regularium, ut ex aliis decretis sac. Congregationis. *Ibidem.*

133 Quoad clericum sæcularem Episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem, aut necessitatem ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt; cum ordinandus sit provectioris ætatis, & simul etiam maxime provectus in studiis; seu tandem cum agitur de parœcia, seu alio beneficio exigente intra annum Ordinem sacrum, ut ex DD. *Ibidem.*

134 Cæterum si quis obtinuerit, ad dispensationem interstitiorum indultum Sedis Apostolicæ, permissa est ista dispensatio arbitrio Episcopi, ut Innocentius XII. in sua resolutione die 4. Decembris 1693. *Ibid.*

Si quis obtinuerit privilegium a Sede Apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest Ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. Licet enim in Brevi dicatur *festivis diebus*, attamen festivum stylo Sedis Apostolicæ indicat diem festum de præcepto. Accedit decretum sac. Congregationis Concil. definiens dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto. *Institut. Eccles.* 106. §. 6. 135 136

Si Clericus sacris initiandus sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo vero ita sincera exhibeat resipiscendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem pœnitens ille confessario suadenti ut differat susceptionem sacri Ordinis acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem & doctum virum consulat, a quo remedia petat, & consilium. *De synod. Diœc. lib.* 11. *cap.* 2. §. 17. 18. *nov. edit.* * 137

Additiones ex aliena manu.

Privilegium recipiendi Ordines extra tempora illis dumtaxat regularibus suffragatur, quibus post Concilium Tridentinum nominatim atque recta concessum, fuerit in forma non communi, sed specifica postmodum confirmatum. Per communicationem igitur privilegium hoc haud acquiritur, ut ex Constitutione S. M. Benedicti XIV. incipiente *Impositi* probe monet clarissimus Giraldi *in addit. ad Mascat. lib.* 1. *Tit. de tempor. ordinat. sub n.* 15. Quocirca locum amplius non habet, quod Auctor *num.* 11. *innixus Concilio Romano Tit.* 5. *cap.* 2. ait, acquiri scilicet posse mox dictum privilegium per communicationem, tum suffragari ante Concilium concessum. 138 139 140

Recteque monet idem Pater Giraldi consentanee ad mox allegatam Constitutionem S. M. Benedicti XIV. privilegium hoc recipiendi Ordines extra tempora regularibus concessum non arctare Episcopos diœcesanos ad eos extra tempora ordinandos, vel dimittendos ad ordinationem alibi suscipiendam. 141

Vide & alia pertinentia ad ordinationem Regularium in eadem Constit. Benedicti XIV. &c. 142

Illud vero hic non est prætereundum; male Auctorem *num.* 105. *& plur. seq.* generaliter asserere, non esse detrahenda onera Missarum a beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur (*). Fuit enim olim hæc gravissima quæstio, in qua non una erat Docto- 143 144

Responsio Auctoris.

(*) Circa privilegia recipiendi Ordines extra tempora &c. plura hic adduntur, quæ jam fuerant a me allata & tradita in *Supplementis* ad verb. *Ordo*, ubi inter alia datur Summarium dict. Constitut. Benedicti XIV. incip. *Impositi*.

An

Doctorum sententia. Tenebant nonnulli detrahi debere onera Missarum, si possit Beneficiarius ea, vel per se, vel per alium implere, nequaquam vero si per se ipsum illis satisfacere teneatur. Contra vero alii sustinebant, onera Missarum neutro in casu esse detrahenda.

144 *In hac opinionum varietate* (ut refert S. M. Benedictus XIV. *de synod. diœces. lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 7. *& seq.*) *satius duxerunt aliquot Episcopi sacræ Congregationis Concilii sententiam efflagitare, & nos, qui eidem eramus a secretis, ut Patres unico intuitu omnia inspicerent, quæ ad materiam pertinerent &c. diligentem exaravimus dissertationem &c. ubi cujuslibet ex diversis quas retulimus auctorum sententiis præcipua expenaimus rationum momenta. Actum fuit de hac quæstione die* 8. *Augusti* 1722. *iterumque die* 24. *Aprilis* 1723. *ac tandem die* 17. *Julii ejusdem anni decisum, rem esse relinquendam conscientiæ & arbitrio Ordinariorum, qui spectatis locorum, & personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuant, vel etiam in synodo per modum legis decernant, an onera Missarum sint, aut non sint detrahenda e redditibus beneficii e quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percepturus.*

145 *Quamobrem* (rectissime concludit mox laudatus summus Pontifex ubi supra) *absque periculo obviandi juri communi, & sacro Concilio Tridentino tuto poterit Episcopus in sua synodo non solum præfinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes ad alimoniam subministrandam Clerico suam incolenti diœcesim, sed etiam statuere, & determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stipes respondens numero Missarum, ad quas celebrandas Clericus, sive per se, sive per alium adigitur lege sibi indicta a fundatore beneficii, quod possidet.* Confer eumdem summum Pontificem *Institut. Eccles.* 26. *num.* 6.

146 De eo etiam hic necessario agendum, an ubi quis ordinatur ad titulum beneficii in aliena diœcesi obtenti, *sufficientia* præfinienda sit ad normam taxæ synodalis vigentis in diœcesi domicilii, an in diœcesi, in qua beneficium est situm? Hæc autem recepta est distinctio, ut si beneficium continuam, & perpetuam exposcat residentiam, *sufficientia* desumi debeat a taxa synodali præfinita in diœcesi, in qua beneficiarius possidet beneficium; sin autem beneficium oneri hujus continuæ, & perpetuæ residentiæ non sit obnoxium, desumenda *sufficientia* sit a taxa synodali præfinita in loco, ubi beneficiarius habet domicilium, ut respondit sacra Congregatio Concilii interpres *in Alatrina* 9. *Julii* 1702. *in Arimin. Ordinationis* 10. *Januar.* 1708. *in Romana seu S. Agathæ Gothorum* 20. *Maii* 1715. & statuit *Innocentius XII.* in Constitutione incipiente *Apostolici ministerii*. Confer & Bened. XIV. *de synod. diœces. d. lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 6.

Articulus III.

Quoad ea, quæ concernunt facultatem Prælatorum ordinandi suos, vel alienos subditos, & concedendi litteras dimissorias.

Suos subditos possunt ordinare Episcopi quoad omnes Ordines. *Communissima* per clarissimos textus *in cap. Illud* 1. *cap. De aliena* 2. *cap. Si quis* 3. *cap. Clericus* 5. *cap. Primatus* 6. *cap. Extraneo* 7. *& cap. Hortamur* 8. *dist.* 71. *& in cap. Clericum alienum* 2. *dist.* 72. *& cap. Eos qui* 3. *& cap. Nullus Episcopus* 4. *de temporibus ordin. in* 6. & Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *&* 3. *de reformat. & sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* ubi sub gravibus pœnis prohibetur, ne quis alienum subditum, seu extraneum audeat ordinare absque proprii Superioris licentia. 1

Abbates possunt de jure conferre Ordines minores suis subditis, licet non sint benedicti; *cap. Quoniam* 1. *dist.* 69. *cap. Cum contingat XI. de ætat. & qualit. cap. Abbates* 3. *de privileg. in* 6. cum similibus & sic fuisse decisum a sacra Congr. Concilii *die* 16. *Februar.* 1619. testantur Barbosa in *Summa Apostolic. decis. verb. Abbas n.* 19. *& in Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat. n.* 7. Sellius in *Select. Canonic. cap.* 19. *nu.* 9. Navarr. *verb. Ordo num.* 4. 2

Abba-

An autem, quod subjungitur *n.* 142. nempe, male Auctorem *n.* 105. *& plur. seq.* generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur; potuerit urbane dici, judicet prudens lector. Non enim male asseritur, quod Ego Auctor tradidi a *cit. num.* 105. *ad* 110. tot suffultus solidis fundamentis, una cum celeberrimis Doctoribus & signanter Card. de Luca, Lamperez, Ludovico Nogueir, Morin. Monacello, & Ursaya clarissimo Romano Advocato, maxime, si ut fert conclusio, ordinandus, donec ascendat ad Sacerdotium, pro rata Missarum aliunde habeat, unde vivere possit. Et Rec. memor. Benedictus XIV. *de synodo diœcesana lib.* 12. *cap.* 9. relinquit arbitrio, & conscientiæ Episcopi id decernere, afferens ad id inter alia *decretum sac. Cong. Conc.* 17. *Jul.* 1723. jam allatum ad litteram a me *loc. c. n.* 105. Videatur etiam doctissimus Ubaldus Giraldi unus ex dignissimis revisoribus, *Instit. Canonic. part.* 1. §. 18. ubi sic expresse tradit: Post publicationem Constit. *Speculatores* usque a *die* 14. *April.* 1696. vivente adhuc ipso Innocent. XII. legislatore, pluries exorta est controversia: An ab eadem Constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum Missarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, adnexorum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ; sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium. Libratisque in Congreg. Conc. rationum momentis hinc inde militantium, respondit, id utroque casu relinquendum esse arbitrio Ordinariorum, ut videre est in thesauro resolutionum ejusdem Congr. sub die 8. Augusti 1722. & 17. Julii 1723. cui responso adhæret etiam Bened. XIV. *lib.* 12. *de synod. diœces. cap.* 9. *num.* 6. *&* 7. Sic ille ad litteram.

3 Abbates, quamvis de jure communi possent olim Ordines minores conferre sibi subditis, non solum monachis, verum etiam & laicis, in quos ordinariam ecclesiasticam habebant jurisdictionem ut probat textus in *cap. Abbates 3. de privileg. in 6.* & cum aliis advertit Barbosa in *cit. sess. 23. cap. 10. n. 2.* Hodie tamen ipsi Abbates, & alii quicumque intra fines alicujus diœcesis existentes, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, non possunt amplius cuiquam, qui regularis subditus non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre. Sic expresse Concil. Trident. *cit. sess. 23. de reformat. cap. 10.* & pluries decrevit sacra Congreg. Concilii, & signanter *26. Jun. 1709. & 16. Decembr. 1713.* Barbosa in Trid. *loc. cit. n. 2.* Card. Petra *tom. 5. Commentar. ad Const. 4. Callisti III. num. 68.* & alii communiter.

4 Nec etiamsi alii regulares non subditi, & Clerici sæculares afferant dimissorias suorum respective Superiorum. Vide verb. *Abbas n. 22.*

5 Immo talis ordinatio Abbatum conferentium Ordines minores sibi non subditis licet cum dimissoriis sui Superioris, esset irrita, & invalida. Vide verb. *Abbas n. 23.*

6 Abbates regulares non possunt promovere ad Ordines minores neque suos novitios. Vide verb. *Novitius n. 93.*

7 Novitii respectu minorum Ordinum ordinandi sunt a proprio Episcopo; Vide dict. verb. *Novitius n. 94.*

8 Episcopus autem proprius est Episcopus loci monasterii, in quo novitii agunt novitiatum. Vide d. verb. *Novitius n. 95.*

9 Cardinales Presbyteri etiamsi Episcopi non sint, possunt in suis Titulis conferre primam Tonsuram, & omnes Ordines minores suis subditis, & familiaribus. Barbosa *p. 2. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 3. n. 15. & lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. c. 4. n. 40.* cum plurimis ibi citatis; Rosignol. *de Ordinib. in communi part. 1. q. 2. art. 1. num. 12.* & alii passim.

10 Subditus Episcopi quoad Ordines licite ab ipso recipiendos potest quis fieri quatuor modis; scilicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, & ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatis cum Episcopo. *Communis* per textum in *cap. cum nullus 3. de temporib. ordinat. in 6.* ubi comprehenduntur primi tres modi his præcisis verbis: *Superior intelligitur in hoc casu*, scilicet quantum ad dandam licentiam recipiendi Ordines ab alieno Episcopo, & a fortiori ipsos conferendi, *Episcopus de cujus diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus; Seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum: Seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Et per textum *in Concil. Trid. sess. 23. de Reformat. cap. 9.* ubi additur quartus modus, triennalis videlicet familiaritatis, seu commensalitatis cum Episcopo his præcisis verbis: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante.*

Et quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus Episcopi quo ad Ordines licite ab ipso recipiendos adest novissima Constitutio Innocentii XIII. edita 4. *Novembr. 1694.* quæ cum debeat inservire pro quotidiana regula, hic ad litteram datur. 11

Constitutio, qua plura declarantur ac præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus circa ordinationes alienorum subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

„ Speculatores domus Israel, quæ est sancta „ Dei Ecclesia, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum „ ab ipsis Pontificatus nostri primordiis pastoralis „ vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus ut, qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui digne „ possint Dominica sacramenta tractare, ac ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum „ disciplina.

„ §. 1. Sane hoc inito consilio, non alios quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, per „ ordinatissimos Ecclesiasticæ Militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie, & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad „ Sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis a jure „ temporibus, orationi, & jejunio consecratis, „ haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros Ordines „ extra tempora hujusmodi, & interstitiis ad id „ designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec „ unquam heri profani, hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, „ discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; „ Sed ii tantum juxta constitutas a majoribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum „ administrationum sublimitatem promoveantur, „ qui post mutatum habitum sæcularem diuturna „ conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

„ §. 2. Cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus causis concedere „ decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam „ sacri generalis Tridentini Concilii decreta de non „ ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illis, quos „ Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quinimmo nec unquam ad indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed „ illo-

„ illorum executionem arbitrio semper eorumdem „ Episcoporum, quorum conscientias hac in re „ strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus: Sperantes in Domino eos, „ qui juxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse, probe norunt, sibi, & „ universo gregi attendentes, in quos eos posuit „ Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, & reverenda ipsis spiritibus angelicis ministeria ab „ hominibus sine consideratione apprehendi unquam permissuros, nec temere percipi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promerentur.

„ §. 3. Omnes insuper, & singulos cujuscumque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex hujus sanctæ Sedis gratia sacros „ Ordines præfatos extra eadem tempora conferre „ valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, „ cum divinos Ordines largiri districti semper „ esse judicii oporteat, serio monitos voluimus, „ ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eas „ cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu „ ullatenus transgrediantur.

„ §. 4. Verum quo impensius Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi nostri dolore „ ex quamplurium venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad Nos „ querelis accepimus, & graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores Clericales Ordines sibi „ forsan a propriis Præsulibus denegatos, seu quos „ aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quæ Jesu Christi, sed eas, quæ „ ad ipsos non pertinent, oves, in animarum „ suarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ „ plebis hominem latas perhorrescentibus absque „ suorum Prælatorum commeatu, hoc est dimissoriis, commendatitiisve eorum litteris destituti, „ quinimmo eis insciis, & sæpe etiam invitis, „ sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis, ac „ continuæ ordinantium Episcoporum commensalitatis quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitime suscipiunt, „ atque ita non intrantes per ostium, & nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia „ sibi consciscunt, Deoque minime placentes, & „ tamen placere velle præsumentes, non modo eum „ non placant, sed magis irritant, dum videntur „ in cordibus suis dicere: non requiret.

„ §. 5. Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus, & omnino e medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII. contra male ordinantes, & male ordinatos, quæ „ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac etiam „ Conciliaribus hac in re editis constitutionibus, „ & ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea, „ quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus „ sit, innovantes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii „ Tridentini interpretum, qui quæcumque antehac super præmissis ab ipsorum Cardinalium „ Congregatione in particularibus casibus edita „ decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex „ certa scientia, & matura deliberatione nostris, „ deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani populi ædificationem, hac generali nostra, „ & perpetuo valitura Constitutione decernimus, „ & declaramus.

„ §. 6. Nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, „ licere externum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum ad „ Clericalem Tonsuram promovere, cujusvis beneficii ecclesiastici, ei statim ac Tonsusa hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad „ quod is a patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post „ Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.

„ §. 7. Præterea Clericum, qui legitime jam a „ proprio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius „ diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis „ quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque „ Episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit.

„ §. 8. Licet vero Clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur „ jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi „ beneficium hujusmodi situm est, eam tamen „ de cetero hac in re inconcusse servari volumus „ regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad „ effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis „ ad sacros Ordines, detractis oneribus per se „ sufficiat; illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi „ quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum „ adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse

„ ordi-

„ ordinandus in eadem, seu alia quavis diœcesi „ obtineret; ac Episcopus sic ordinans, tam de „ prædictis testimonialibus litteris, quam de red„ ditu beneficii hujusmodi expressam in consueta „ collatorum Ordinum attestatione mentionem fa„ cere debebit.

„ §. 9. Cæterum subditus ratione originis is tan„ tum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter or„ tus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines pro„ moveri desiderat; dummodo tamen ibi natus „ non fuerit ex accidenti, occasione nimirum iti„ neris, officii, legationis, mercaturæ, vel cu„ jusvis alterius temporalis moræ, seu superma„ nentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nul„ latenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera „ tantum, & naturalis patris origo erit attenden„ da. Quod si quis tanto temporis spatio in eo „ loco, in quo ex accidenti, sicuti præmittitur, „ natus est, moram traxerit, ut potuerit ibid. ca„ nonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam „ ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, „ ut supra obtinere, illasque Episcopo ordinan„ ti per eum in collatorum Ordinum testimonio „ similiter recensendas præsentare teneatur.

§. 10. At si pater in alieno loco, ubi ejus fi„ lius natus est, tamdiu, ac eo animo perman„ serit, ut inibi vere domicilium de jure con„ traxerit, tunc non origo patris, sed domici„ lium per patrem, legitime, ut præfertur, con„ tractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi „ debeat.

„ §. 11. Subditus autem ratione domicilii ad „ effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat cen„ seatur, qui licet alibi natus fuerit, illud ta„ men adeo stabiliter constituerit in alio loco, „ ut vel per decennium saltem in eo habitando, „ vel majorem rerum, ac bonorum suorum par„ tem cum instructis ædibus in locum hujusmodi „ transferendo, ibique insuper per aliquod con„ siderabile tempus commorando, satis superque „ suum perpetuo ibidem permanendi animum de„ monstraverit, & nihilominus ulterius utroque „ casu se vere, & realiter animum hujusmodi ha„ bere jurejurando affirmet.

„ §. 12. Si quis tamen a propriæ originis loco „ in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui ca„ nonico impedimento obnoxius effici, etiam Or„ dinarii suæ originis testimoniales litteras, ut „ supra afferre debebit, ac de illis expressa simi„ liter mentio in susceptorum Ordinum litteris „ facienda erit.

„ §. 13. Ad hæc nullus Episcopus alienæ diœ„ cesis subditum familiarem suum ad aliquos sa„ cros, seu minores Ordines, vel etiam primam „ Tonsuram promovere, seu ordinare præsumat „ absque ejus proprii originis scilicet, seu do„ micilii Prælati testimonialibus litteris, ut supra, „ & nisi ad præscriptum Conc. Trid. præfati *sess.* „ 23. *c.* 9. *de reform.* familiarem prædictum per in„ tegrum, & completum triennium in suo actuali „ servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus „ aluerit, beneficium insuper quod ei ad vitam „ sustentandam, juxta modum superius præfini„ tum, sufficiat, quacumque fraude cessante, sta„ tim, hoc est, saltem intra terminum unius „ mensis a die factæ ordinationis, re ipsa illi con„ ferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio „ expressam itidem familiaritatis, ac litterarum „ prædictarum mentionem facere teneatur.

„ §. 14. Porro, ut quibuscumque fraudibus a„ ditus omnino præcludatur, volumus, & Apo„ stolica auctoritate statuimus, atque decernimus „ ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive „ domicilii subditos Clericos quoscumque ab alie„ nis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis „ commendatitiis litteris promotos, nedum ad „ formam Concilii Trid, supradicti *sess.* 14. *c.* 3. „ *de reform.* quoad scientiam examinare valeat, „ verum etiam Ordinum eis collatorum testimo„ niales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac „ diligenter perquirere, an quoad illos præsentis „ Constitutionis forma, & dispositio adimpleta „ fuerit, assignato sic promotis termino compe„ tenti ei magis beneviso ad docendum de ejus„ modi adimplemento, itaut quos eo termino e„ lapso id minime præstitisse compererit, a susce„ ptorum Ordinum exercitio, & si ita, & „ quandiu ei expedire videbitur, suspendere, „ illisque, ne in altari, aut in aliquo Ordine mi„ nistrent, interdicere possit.

„ §. 15. Ita vero præmissa omnia, & singula „ perpetuo, ac inviolabiliter observari, atque a„ dimpleri volumus, ut si quid in iisdem præ„ missis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans „ quidem a collatione Ordinum per annum, or„ dinatus vero a susceptorum Ordinum executio„ ne, quandiu proprio Ordinario videbitur expe„ dire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper „ gravioribus pœnis pro modo culpæ nostro, & „ pro tempore existentis Romani Pontificis arbi„ trio infligendis uterque subjaceat.

„ §. 16. Decernentes pariter easdem præsentes „ litteras semper firmas, validas, & efficaces e„ xistere, & fore, suosque plenarios, & integros „ effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos „ spectat, & pro tempore quandocumque spe„ ctabit in omnibus, & per omnia plenissime, „ & inviolabiter observari; Sicque, & non aliter „ per quoscumque judices ordinarios, & delega„ tos, etiam caussarum Palatii Apostolici Audi„ tores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam „ de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, „ aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & „ potestate fungentes, & functuros; sublata eis, „ & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & „ interpretadi facultate, & auctoritate, ubique ju„ dicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, „ si secus super his a quoquam quavis aucto„ ritate scienter, vel ignoranter contigerit at„ tentari.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac Constitu„ tionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon „ quibusvis, etiam juramento, confirmatione A„ postolica, ac quavis firmitate alia roboratis sta„ tutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, „ indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscum„ que verborum tenoribus, & formis, ac cum „ quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, „ alii-

„ aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis,
„ irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu,
„ scientia, & potestatis plenitudine paribus, in
„ genere, vel in specie, seu alias quomodolibet
„ in contrarium præmissorum concessis, confir-
„ matis, & innovatis. Quibus omnibus, & sin-
„ gulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatio-
„ ne de illis, eorumque totis tenoribus specialis
„ specifica, expressa, & individua, ac de verbo
„ ad verbum, non autem per clausulas generales
„ idem importantes mentio, seu quævis alia ex-
„ pressio habenda, aut aliqua alia exquisita for-
„ ma ad hoc servanda foret, illorum omnium,
„ & singulorum tenores, ac si de verbo ad ver-
„ bum exprimerentur, & insererentur, nihil pe-
„ nitus omisso, & forma in illis tradita observa-
„ ta, eisdem præsentibus pro expressis, & inser-
„ tis habentes, illis alias in suo robore permansu-
„ ris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat
„ specialiter, & expresse derogamus, ceterisque
„ contrariis quibuscumque.

„ §. 18. Volumus autem, ut præsentes Litteræ
„ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Prin-
„ cipis Apostolorum, necnon Cancellariæ Aposto-
„ licæ, ac in acie campi Floræ de Urbe, ut mo-
„ ris est, publicentur, & affigantur, sicque pu-
„ blicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos il-
„ læ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac
„ si unicuique eorum nominatim, & personaliter
„ intimatæ fuissent.

„ §. 19. Quodque earumdem præsentium tran-
„ sumptis, seu exemplis, etiam impressis manu
„ alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo
„ alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica con-
„ stitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in
„ judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur,
„ quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent
„ exhibitæ, vel ostensæ.

„ §. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam nostrorum decretorum, declaratio-
„ nis, voluntatis, statuti, & derogationis infrin-
„ gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis
„ autem hoc attentare præsumpserit, indigna-
„ tionem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri
„ & Pauli Apostolorum ejus se noverit incur-
„ surum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-
„ rem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo
„ sexcentesimo nonagesimo quarto, pridie No-
„ nas Novembris, Pontificatus nostri anno
„ quarto.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

12 Ut quis ordinari possit ab alieno Episcopo ratione beneficii in ejus diœcesi obtenti; requiritur, quod beneficium sit ibi revera obtentum, & pacifice ab ordinando possessum. Sic expresse statutum est in d. Constitutione *Speculatores* §. 8.
13 Item requiritur, quod tale beneficium, detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam Clerici sustentationem, adeo ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjectionem patrimonii *cit.* §. 8. Item requiritur, quod ordinandus ante 14
ordinationem obtineat testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita, & eas exhibeat Episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas. *Ibid.* §. 7. Insuper requiritur, quod 15
Episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris, quam redditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem faciat. *Ibid.* §. 8. *in fine*.

Ut quis fiat subditus Episcopi, & ab ipso ordina- 16
ri possit ratione originis, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat; Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda. *Ibid.* §. 9. Si 17
quis autem tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, ut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere debet, & illas præsentare Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio recensendas. *Ibidem* §. 9. *in fine*. Si vero pater in alieno 18
loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit; tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. *Ibidem* §. 10.

Origo matris quoad receptionem Ordinum non 19
attenditur, quia filius sequitur solummodo originem patris, & non matris; *l. Filios* 3. *Cod. de Municipibus, & Originariis*. Si autem filius sit il- 20
legitimus, tunc si super defectum natalium dispensetur ad Ordines recipiendos, debet attendi origo matris, & non patris, quia filii illegitimi sequuntur matrem, ejusque originem; *l. cum legitimæ* 19. *ff. de statu hominum*, *l. Municipem*, 1. §. *final. ff. Ad Municipalem*, & *l. Ejus qui* 19. *ff. eodem*. Expositus tamen, cujus parentes igno- 21
rantur, potest ordinari in diœcesi, in qua, ut supra, naturaliter ortus est. Vel si de hoc constare nequeat, potest ordinari in diœcesi loci, ubi expositus est. Stephanus Gratian. *discept. forens. cap.* 75. *num.* 12. Mandos. *de ætate minori c.* 1. *a n.* 22. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *alleg.* 4. *n.* 17. cum aliis ibi citatis, Reiff. *lib.* 1. *Decretal. tit. XI. n.* 93. & alii passim.

Ut quis fiat subditus Episcopi, & ab ipso ordi- 22
nari possit ratione domicilii, requiritur, quod illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; Et nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter

liter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, cit. Const. *Speculatores* §. 11.

23 Verum enim domicilium, non nuda voluntate, & assertione, sed animo, & facto simul constituitur, textu expresso *in l. Domicilium* 20. *ff. Ad municipalem*, ibi: *Domicilium re, & facto transfertur, & non nuda contestatione*. Ubi Glossa inquit: *Facto subintellige, & animo; nam hæc duo*
24 *sunt necessaria*. Unde domicilium contrahitur *animo* permanendi, videlicet perpetuo in tali loco, alioquin enim non contrahitur domicilium, ut *l. Postliminii* 5. *ff. de captivis*, *l. Ejus, qui manumi-*
25 *sit*, §. *Celsus*, *ff. Ad municipalem*. Hinc si quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahet ibi domicilium, quamvis mille annis ibidem habitet. Menochius *l. 2. de Arbitrariis Judic. cas.* 86. *n.* 7. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 4. *n.* 25. Marchin. *de Sacrament. Ordinis tract.* 1. *par.* 5. *cap.* 7. *n.* 1. & alii passim.

26 Exacto tamen alicubi decennio, si de opposito non constet, præsumptione juris censetur ibidem contractum domicilium; *l. Nec ipsi* 2. *Cod. de Incolis.*

27 Sufficit autem animus perpetuo manendi in tali loco perpetuitate saltem propositi, licet postea progressu temporis hujusmodi propositum, sicuti & domicilium mutari ob supervenientem causam possit, *ut cap. Ultim. de Parochiis, & cit. l. Ejus, qui manumisit* §. *Celsus*, *ff. Ad municipalem*; dummodo quoad Ordines se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, ut cit. Constit. *Speculatores* §. 11.

28 Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quia potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici; etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit, cit. Constit. *Speculatores* §. 12.

29 Ut quis fiat subditus Episcopi, & ab ipso ordinari possit ratione familiaritatis, seu commensalitatis, requiritur, quod sit vere familiaris Episcopi, idest dominicæ potestati Episcopi vere subjiciatur, ejusque expensis tamquam domesticus commensalis continue alatur, *ut c. Ultimo, de verbor. significat. in* 6. juncto Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de reformat.* ibi: *Etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ*, & concordat cit. Const. *Speculatores* §. 13. ibi: *In suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit*.

30 Item requiritur, quod ipsum secum retinuerit per integrum, & completum triennium. Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 9. *de reformat.* ibi: *Nisi per triennium secum fuerit commoratus*, & cit. Constit. *Speculatores* §. 13. ibi: *Familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali*
31 *servitio secum retinuerit*. Item requiritur, quod is ante receptionem Ordinum obtineat testimoniales litteras proprii, originis scilicet, aut domicilii, Episcopi super suis natalibus, ætate, moribus, & vita, & eas Episcopo ordinanti consignet in actis illius curiæ conservandas. Sic expres-
32 se cit. Constit. *Speculatores* §. 13. Item requiritur, quod Episcopus ordinans suum familiarem statim, idest saltem intra terminum unius mensis a die ordinationis, quacumque fraude cessante, reipsa conferat illi beneficium sufficiens ad ejus congruam sustentationem, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem faciat. Concil, Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 9. *de reform.* & expresse quo ad omnia cit. Const. *Speculatores* §. 13.

Tali autem facultate ordinandi suos triennales 33
familiares non gaudent Episcopi titulares, adeoque nequeunt ipsos ordinare absque sui proprii Prælati expresso consensu, & dimissoriis. Sic expresse Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *de reform.* Immo ordinati ab Episcopo titulari sine expresso 34
consensu proprii Episcopi, ipso jure suspensi sunt, donec suo proprio Episcopo visum fuerit. Sic expresse Concil. Trid. *loc. c.* Et ipse Episco- 35
pus titularis ordines conferens, seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii diœcesani, est suspensus per annum ab usu Pontificalium. Sic expresse Concil. Trid. *loc. cit.*

Litteras dimissorias pro Ordinibus ab alieno E- 36
piscopo recipiendis, ultra Romanum Pontificem, qui eas concedere potest pro omnibus ordinandis totius orbis, potest quilibet Episcopus concedere suis subditis, sive is sit Episcopus originis, sive domicilii, sive beneficii, textu expresso *in c. Cum nullus* 3. *de temporibus Ordinat. in* 6. Qui enim potest ordinare, potest etiam dimissorias ad Ordines dare. Glossa *ibi verb. Ordinandi*; *arg. cap. Potest* 67. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*. Et eadem 37
ratione potest etiam Episcopus dimissorias concedere suo familiari triennali, sicuti etiam posse ipsas dimissorias concedere Cardinales suis familiaribus triennalibus, declaravit *Sac. Congreg. Conc.* 22. *Jan.* 1602. ut testantur Sellius *in Selectis Canonicis*, *c.* 19. *n.* 3. & Barbosa *in Trid. sess.* 23. *c.* 9. *n.* 3. In supradictis omnibus tamen semper est 38
servanda dispositio Innocentii XII. in cit. Const. incip. *Speculatores supra adducta n.* 11.

Vicarius generalis Episcopi non potest dimisso- 39
rias concedere, nisi Episcopo absente, seu si præsente, id ei concedente, alioquin enim ad hoc se non extendit ejus Officium; *c. Cum nullus* 3. §. *Inferiores*, *de temp. Ord. in* 6. ubi late Glossa *in expositione casus*, Aloysius Riccius *in Praxi aurea par.* 3. *res.* 232. *n.* 1. *& seq.* Reiff. *loc. cit. n.* 125. Barb. *de Offic. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 7. *num.* 9. cum communi aliorum.

Vicarius capitularis, sede vacante non potest in- 40
fra annum a die vacationis computandum dimissorias concedere, præterquam illi, qui alicujus beneficii recepti, vel recipiendi ratione arctatus fuerit; alias Vicarius capitularis contraveniens, Ecclesiastico subjacet interdicto; Et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint; nullo privilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudent. In majoribus vero ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, sunt ipso jure suspensi. Sic expresse Conc. Trid. *sess.* 7. *c.* 10. *de ref.* Quamvis enim Concilium ibi nominet solum 41
Capitulum contraveniens, tamen quia Capitulum infra octo dies post mortem Episcopi tenetur constituere Vicarium, juxta præscriptum ejusdem Concil.

cil. *sess.* 24. *de ref. c.* 16. non potest amplius, electo Vicario, ejusmodi dimissorias concedere per se ipsum, sed solum per suum Vicarium capitularem: Unde *Sac. Cong. Episc. & Regular. in Neapolitana* 12. *Jan.* 1604. declaravit, dimissorias concedere tam arctatis intra annum, quam non arctatis post annum a die vacationis sedis, non ad Capitulum, sed ad Vicarium capitularem omnino
42 spectare. Vicarius enim capitularis privative, & non cumulative quoad Capitulum jurisdictionem obtinet, ut declaravit *ead. s. Cong. Episcop. & Regul. in Neriton.* 17. *Septemb.* 1655. *& in Hydrunti-*
43 *na* 1. *Octobris ejusdem anni* 1655. Et hoc etiamsi Capitulum illum constituisset, & elegisset cum tali, aut alia restrictione, & limitatione facultatis, cum Capitulum non possit in electione Vicarii aliquid sibi reservare, nec potestatem electi coarctare, ut sæpe sæpius respondit *S. Cong. Episc. & Reg.* & signanter *in Cajetana* 20. *Octob.* 1567. *in Regiensi* 26. *Julii* 1593. *in Brundusina* 8. *Maii* 1606. *in Salernitana* 16. *Junii* 1628. *in Tudertina* 11. *Decemb.* 1654. apud Nicolium *in Flosculis verb. Vicarius Capitularis a num.* 54. *ad* 59. & *in Venusina* 14. *Novemb.* 1698. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 1. *formul.* 2. *num.* 16. Vide verb. *Capitulum art.* 3. *num.* 62. *&* 63. Hic tamen addendæ & attendendæ sunt duæ sequentes epistolæ, ut sequitur.

44 EPISTOLA,

Qua Nuncio Apostolico in regno Neapolitano jussu summi Pontificis mandatur; ut omnibus Vicariis capitularibus ejusdem regni Pontificio nomine inhibeat, ne litteras dimissorias pro prima Clericali Tonsura, aliisve Ordinibus cuicumque concedant, tametsi annus a die vacationis Ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate sacræ Congregationis.

La Santità di Nostro Signore ha ordinato d'ingiungere a V. S. affinchè con lettera circolare proibisca in nome della Santità Sua a tutti li Vicarj Capitolari di cotesto regno il concedere le lettere dimissoriali per la prima Tonsura, ed altri Ordini, quantunque sia passato l'anno della vacanza delle Chiese, senza speciale licenza di questa sagra Congregazione sopra li negozj de' Vescovi, e Regolari; Obbedisco al supremo comando di Sua Beatitudine; E le prego ec.

Roma 9. *Settembre* 1701.

G. Card. di Carpegna Prefetto.

G. D. Paracciani Prosegretario.

EPISTOLA, 45

Qua præcedens mandatum Nuncio Apostolico in regno Neapolitano injunctum instauratur, & ad Vicarios capitulares, & Apostolicos Ecclesiarum, quarum vacatio post illud contigerat, extenditur.

Con lettera delli 9. Settembre prossimo passato per comandamento espresso della Santità di N. Signore fu ingionto a Monsignor Arcivescovo di Cesarea Antecessore di V. S. di proibire in nome della Santità sua a tutti li Vicarj Capitolari di cotesto Regno di conceder le lettere dimissoriali per la prima Tonsura, ed altri Ordini, quantunque fosse trascorso l' anno della vacanza delle Chiese, senza speciale licenza di questa sacra Congregazione sopra i negozj de' Vescovi, e Regolari: essendo pertanto vacate altre Chiese in detto regno dopo l'ordine accennato, sua Beatitudine mi ha ordinato di rinovarlo a lei, affinchè faccia la medesima proibizione agli altri Vicarj capitolari, ed Apostolici delle Chiese, che dopo il primo ordine restano vacanti, ed il Signore Iddio la prosperi.

Roma 5. *Maggio* 1702.

G. Card. di Carpegna Prefetto.

N. Grimaldi Segretario.

Arctatus ratione *beneficii recepti* ad finem obtinendi a Vicario capitulari etiam infra annum a die vacationis Sedis dimissorias ad Ordines dicitur omnis ille, qui obtinet aliquod beneficium requirens servitium personale, & ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto ecclesiæ intra annum tenetur se ordinari facere, ut qui assumitur ad Parochiam, cum is teneatur intra annum se promoveri facere ad Sacerdotium; *c.* 14. *de elect. in* 6. Et qui obtinet dignitatem, seu canonicatum, seu capellaniam habens sibi adnexum Ordinem, cum is teneatur intra annum ad talem Ordinem se promoveri facere. Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. *de reformat. & sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* 46

Arctatus autem ratione *Beneficii recipiendi* dicitur omnis ille, qui habet jus, seu vocatus est ad aliquod beneficium vacans requirens actu certum ordinem, quo ille caret. Huic enim potest Vicarius capitularis concedere infra annum dimissoriam pro tali Ordine recipiendo, juxta Tridentinum *cit. sess.* 7. *cap.* 10. *de reform.* Immo si quis 47
nondum Tonsuratus vocetur ad aliquod beneficium, potest Vicarius capitularis infra annum concedere ei dimissoriam pro recipienda Tonsura. Card. de Luca *de beneficiis decis.* 71. *num.* 7. Garcias *par.* 5. *de beneficiis cap.* 7. *num.* 102. ubi pro hac sententia refert declarationem sacræ Congregationis, & rursus *par.* 7. *cap.* 1. *num.* 30. ubi aliam refert ejusdem sacræ Cong. super *cap.* 10. *sess.* 7. *Concil. Trid.* quæ ait: *Vicarius capituli, Sede vacante, infra annum potest concedere dimissorias ad primam Tonsuram ei, qui est præsentatus a Patronis Laicis ad beneficium Ecclesiasticum jurispatronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat.* 48

Vica-

49 Vicarius capitularis Sede vacante, concedens intra annum dimissorias non arctato incidit in pœnam supradicti decreti Tridentin. *sess.* 7. *cap.* 10. quamvis is, cui concessit, usus non fuerit, nam actus fuit perfectus quo ad concedentem, per quem non stetit. Sic decisum fuisse refert ex Garcia, & Marchino Barbosa *in cit. sess.* 7. *c.* 10. *n.* 10.

50 Qui *ibidem num.* 18. *antecedenti* dicit, quod Vicarius capitularis, sede vacante, concedens dimissorias intra annum non arctatis non incurrit pœnam suspensionis per annum, juxta *cap.* 10. *sess.* 23. sed tantum pœnam interdicti juxta d. *cap.* 10. *sess.* 5. & citat Franciscum Leonem, Molinam, & Rotam *in Burg. Canonicatus* 19. *Octob.* & 28. *Novembr.* 1589. *coram Gipsio.*

51 Nota. Circa dimissorias a Vicario capitulari concedendas, vel non, in dominiis Regis Sardiniæ nunc attendenda & exacte est observanda instructio Benedicti XIV. dependenter a concordatis Benedicti XIII. in qua sub §. XV. sic expresse habetur: „ I Vicarj capitolari non potranno d'orinnanzi senza il voto del primo capitolo da darsi „ nel luogo solito capitolare, per maggioranza di „ voti segreti da calcorarsi secondo il costume di „ ciascun capitolo, e da registrarsi negli atti ca- „ pitolari, concedere le lettere dimissoriali a lai- „ ci benchè siano realmente artati per cagion di „ beneficio, o di capellania, che sia veramente „ Ecclesiastica, nel modo spiegato di sopra, op- „ pure a coloro, che avendo già la prima Tonsu- „ ra, sono presentati a qualche benefizio, o cap- „ pellania, che *actu requirat Ordinem*, e coll'es- „ pressa condizione, che così nell'uno, che nell' „ altro caso, colui, che chiede esser promosso „ non sia stato altre volte rigettato dal Vescovo „ antecessore: Ma ove si tratti di persone, che „ non sono veramente artate nel senso di sopra „ accennato, non potranno concedere le lettere „ dimissoriali neppure *post annum luctus Ecclesiæ*, „ senza una espressa licenza della sagra Congre- „ gazione del Conc. ". Vide ibi, ubi insuper statuuntur pœnæ contra transgressores, & multa alia ad rem sanciuntur merito observanda, & exequenda. Et dicta dispositio militat etiam pro aliis dominiis gaudentibus similibus concordatis.

52 Abbates, aliique exempti licet in parochos, & parochianos jurisdictionem habeant quasi Episcopalem privative ad Episcopum, nequeunt suis subditis sæcularibus litteras dimissorias ad Ordines suscipiendos concedere. Vide verb. *Abbas num.* 24. ubi adducitur ad id textus Concilii Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 10. & *decret. sacr. Congr.* quibus adde ultra alia varia decreta antiqua relata ab Eminentissimo Petra *tom.* 5. *Comment. ad Constit.* 4. *Callisti III. sect.* 2. *a num.* 67. *alia* novissima edita *die* 26. *Junii* 1709. & *die* 16. *Decembris* 1713. apud eumdem Petram *ibidem num.* 68. & *die* 30. *Januarii* 1717. apud eumdem *ibid. sect.* 3. *num.* 16.

53 Neque ipse Episcopus tamquam Abbas nec alius Prælatus loci potest subditis sæcularibus nullius diœcesis concedere litteras dimissorias, sed has debet concedere Episcopus vicinior. Vide verb. *Abbas num.* 26. ubi ad id adducuntur varia decreta, quibus adde novissimum decretum sacræ Cong. Conc. editum *die* 30. *Januarii* 1717. *in respons.* ad 6. ubi cum quæreretur: *An Eminentissimo Abbati competat jus concedendi dimissoriales pro ordinandis, tam super vita, & moribus, quam patrimonio, vel titulo beneficii; sacra Congreg.* respondit, *Ad sextum Negative.* Sic refert Card. Petra *d. tom.* 5. *Commentar. ad Const.* 4. *Callisti III. sect.* 3. *num.* 19.

Dimissoriæ ab Episcopis, aliisque Ordinariis dirigi non possunt Abbatibus regularibus sub pœna suspensionis a collatione Ordinum præter alias pœnas arbitrio sacræ Congregationis reservatas, tam contra concedentes, quam contra ordinantes; Vide verb. *Abbas num.* 22. ubi adducitur Decretum per extensum. 54

Prælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus litteras dimissorias ad Ordines. *Communis*; & habetur *ex cap. Abbas* 3. *de privileg. in* 6. Ex Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 10. & expresse ex decreto sacræ Cong. Concilii de mandato Clementis VIII. edito 15. *Maii* 1596. Sed secluso 55
speciali privilegio non possunt ipsas dimissorias concedere suis regularibus subditis, nisi ad Episcopum diœcesanum, idest ad Episcopum, intra cujus diœcesim situm est monasterium ordinandi; Dummodo ipse Episcopus diœcesanus ordinationes habuerit; alioquin si diœcesanus ordinationes non sit habiturus, possunt Prælati regulares, servatis servandis, concedere suis subditis regularibus dimissorias ad quemcumque alium Episcopum. Sic expresse cit. decret. de mandato Clement. VIII. editum, quod hic ad litteram datur. 56

„ Decretum sacræ Congregationis Concilii Tri- „ dentini emanatum auctoritate fel. rec. Clemen- „ tis VIII. super ordinatione regularium.

De mandato S. D. N. Clementis divina Providentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quorumcumque regularium Superioribus, ut de cetero observari faciant, quæ in decreto sacræ Congreg. Concilii Trid. continentur, cujus tenor est talis.

Congregatio Concilii censuit, Superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissoriales concedere, ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit: & si diœcesanus absfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo qui Ordines contulerit, examinetur quo ad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus, vel absfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a Superioribus, Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, ab eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. *mensis Martii* 1595. 57

Decre-

58 Decretum Clementis VIII. quoad ordinationes regularium fuit novissime confirmatum per Innocentium XIII. pro regnis Hispaniæ Constit. incip. *Apostolici ministerii*, confirmata per Benedictum XIII. Const. Incip. *In supremo* die 23. *Septembris* 1724. ibi: *Quoties vero Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concil. Trid. interpretum a piæ memoriæ Clemente Papa VIII. Prædecessore etiam nostro confirmatum die* 15. *Martii* 1595. *quo sancitur, non ad alium, quam ad Episcopum diœcesanum litteras dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo diœcesanus a diœcesi abesset, vel ordinationes nan esset habiturus; quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta Episcopi diœcesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen quoad prædicta Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus. Noverint autem Episcopi se debere per semetipsos, secluso ægrotationis casu, Ordines conferre, & sacrorum Ordinum collationem, statutis a Jure temporibus, in cathedrali Ecclesia vocatis, & adstantibus canonicis, publice habendam, vel si in alio diœcesis loco, semper tamen in Ecclesia, quantum fieri poterit, digniori, & præsente Clero ejusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis varia diœcesis loca inhabitantibus, per mensem ante singulis vicibus publico edicto ab iisdem Episcopis denuntietur se ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denunciatio hujusmodi, facta non fuerit, inde satis intelligant regulares Episcopum diœcesanum ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum Ordines ab alio Episcopo suscipere cum litteris dimissoriis suorum Superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa.*

59 Unde ad hoc, ut regulares possint ab alio Episcopo ordinari, sufficit, quod in litteris dimissoriis Prælatus Religionis, sive conventus testetur de absentia diœcesani, vel quod nolit habere ordinationes, ut clare patet ex verbis dicti decreti, & adductæ constitutionis; nec est necessarium habere de hac re ex curia Episcopali instrumentum, vel fidem authenticam. Sic Piasec. *in praxi nova Episcop. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. Ugolin. *de potest. Episcopi cap.* 23. §. 20. *num.* 8. Campanil. *in Diversorio juris Canonici Rubric.* 12. *cap.* 13. *num.* 37. Madius *de Sacris Ordinibus cap.* 10. *num.* 8. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 1. *q.* 28. *art.* 2. Molfesius *in Summa Theologiæ moralis tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 23. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 7. *n.* 18. & alii passim.

60 Insuper cum Eminentissimus Card. Petra *in indice tomi quinti suorum commentariorum ad Constitutiones Apostolicas verb. Ordines*, expresse dicat, quod *decretum Clementis VIII. quoad ordinationes regularium fuit confirmatum per Innocentium XIII. pro regnis Hispaniæ, & generaliter per Benedictum XIII.* stante hac asserta generali confirmatione, & innovatione Benedicti XIII. sufficeret, ut regulares cum dimissoriis suorum Superiorum possent ab alio Episcopo ordinari, quod proprius eorum diœcesanus, per mensem ante singulis vicibus publico edicto non denuntiaverit, se ordinationes esse habiturum, ut ex dispositione dictæ novissimæ Constitutionis tenentur facere Episcopi, ut patet ex ipsius præcisis verbis *supra adductis num.* 55. Ubi enim eadem ratio est, eadem est legis dispositio, *l. Ideo* 27. *ff. de Legibus*; *l. Illud* 32. *ff. Ad Leg. Aquiliam*, *cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episc.* Cum ratio legis sit anima legis; *l. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnator.*

Si regulares ordinandi morentur in monasterio nullius diœcesis, dimissoriæ concedendæ sunt ad Episcopum viciniorem. Sic expresse cit. Decret. Clement. VIII. adduct. *supra num.* 53. confirmat. & innovat. ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. ut patet ex verbis adductis *supra num.* 55. In casu, quo proprius Episcopus ordinationes non teneat, possunt dimissoriæ regularium dirigi ad quemcumque alium Episcopum, etiam ultra montes; dummodo sit catholicus Episcopus. Sic expresse Passerinus *de statu homin. l.* 3. *q.* 189. *n.* 814. Card. Petra *t.* 1. *Commentar. ad Const. unic. Urban. II. sect.* 2. *nu.* 41. Marchinus *tract.* 1. *de sacrament. Ord. in communi par.* 5. *cap.* 11. *n.* 17. & alii: Decretum enim Clementis VIII. & Constitutio Innocentii XIII. confirmata a Benedicto XIII. dicit absque ulla distinctione, & restrictione: *Ad quemcumque alium Episcopum*: Et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *c. Quia circa* 22. *de privileg. & l. De pretio, ff. de Publiciana in rem actione.* Nec regulares comprehenduntur in decreto generali mandante, ut Ultramontanis absque Sanctitatis suæ, vel sacr. Congreg. Episcop. & Regul. licentia Ordines non conferantur; prout declaravit *eadem sacr. Cong. Episcop. & Regular. in Neapolitan.* 30. *Decembr.* 1617. quia in decreto generali non comprehenduntur regulares, nisi de iis fiat expressa mentio; Sic referunt, & tenent Sellius *in Selectis Canonic. c.* 18. *n.* 30. Barbosa *in Concil. Trid. sess.* 23. *c.* 8. *de reformat. num.* 34. Card. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Constit.* 8. *Pii II. num.* 76. & alii.

Expedit tamen, ut dimissoriæ in similibus casibus dirigantur a regularibus Superioribus ad aliquem Episcopum viciniorem, tum ad tollendas religiosorum divagationes, tum ad evitanda multa absurda, & inconvenientia, tum ad se conformandum Constitutioni Urbani VIII. incip. *Secretis* edit. *die* 11. *Decembr.* 1624. in qua statuitur, ut Ultramontani non ordinentur ab Episcopis Italiæ, neque ad Ordines minores, aut clericalem Tonsuram, nisi dimissoriæ requisitæ propriorum Ordinariorum per Nuncios Apostolicos, seu collectores earum regionum, ac per Vicarium Urbis approbatæ fuerint.

Superiores regulares, si ex industria, & per fraudem transferant subditos de una diœcesi ad aliam, ut facilius ad examen admittantur, ac sta-

tim ordinati redeant ad primam diœcesim, peccant, & sunt punibiles in foro externo, ut contraventores præcepti summi Pontificis, ut ex multis probat Card. Petra *tom.* 1. *Comment. ad Constit. unic. Urbani II. sect.* 2. *num.* 34. ubi *sub num.* 37.
66 subjungit, quod ad rem proposito dubio in sacra Congr. Concil. *in una Neapolitana die* 8. *Augusti* 1692. *Secundo: per quantum tempus regulares ordinandi commorari debeant in conventu diœcesis Episcopi ordinantis ad hoc, ut dici possint de familia ipsius Conventus?* Sacra Congregatio respondit: *Providebitur in casibus particulariter proponendis*. Et ita ad aliud dubium: *An regulares sint licite ordinati in eadem Neapolitana, in qua Cardinalis Archiepiscopus conquestus fuerat, regulares per quatuor dies remotos fuisse a conventibus Neapolis ante ordinationes, & fuisse ordinatos ab aliis Episcopis, ubi morabantur?* Respondit: *Providebitur in casibus particularibus*.
67 Regulares si fuerint ab Episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis Superioribus mitti ad alios Episcopos pro Ordinibus suscipiendis, & si hoc faciant, ultra pœnas in cit. decreto Clementis VIII. quas incurrunt Superiores regulares, Episcopus non diœcesanus sic eos ordinans, a collatione Ordinum per annum erit suspensus, & ordinati a susceptorum Ordinum executione suspensi erunt, quamdiu Episcopo diœcesano expedire videbitur manere suspensos, *ut sacra Congr. Concil. respondit Archiepiscopo novi regni Granatæ* 14. *Maii* 1620. *lib.* 56. *Decret. pag.* 610. Sed si rejiciantur, debent recurrere per viam appellationis ad legitimum Superiorem. *Ead. Sacr. Congreg.* 23. *Aprilis* 1604. *lib. decret.* 55. *pag.* 859. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 4. *num.* 29.
68 Superiores regulares nequeunt concedere suis novitiis dimissorias ad Ordines recipiendos, sed hoc spectat ad Episcopum loci monasterii, in quo novitius agit novitiatum. Marchinus *tract.* 1. *de Sacrament. Ord. in communi par.* 6. *cap.* 4. *num.* 15. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 7. *num.* 32. & 33. cum multis ibi citatis, & omnes Doctores citati, *verb. Novitius num.* 93. 94. 95. Vide ibi dicta ad rem.
69 Notanter autem *supra sub num.* 56. fuit dictum quod *secluso speciali privilegio non possunt ipsas dimissorias concedere suis regularibus subditis, nisi ad Episcopum diœcesanum*, quia qui speciale privilegium ad id post Concilium Tridentinum a Sede Apostolica obtinuerunt, possunt adhuc a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere, & consequenter eorum Superiores ad quemlibet catholicum Antistitem dimissorias concedere. Habetur expresse ex citata novissima Constitutione Innocent. XIII. Const. incip. *Apostolici ministerii* confirmata a Ben. XIII. Const. inc. *In supremo*, ut patet ex propriis verbis adductis *supra num.* 55. ibi: *Exceptis tamen quoad prædicta regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus.*
70 Tali speciali privilegio gaudent Patres Societatis Jesu, ut eis concessit Gregorius XIII. Constitut. 77. incip. *Pium, & utile*, confirmata a Paulo V. post Clementem VIII. & nunc vigere ex oraculo Innocentii XII. testatur Eminentissimus Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Constit.* 7. *Pii II. n.* 87. & refert Monacell. *t.* 2. *tit.* 13. *formul.* 4. *num.* 31. quod dictus Pontifex Innocentius XII. instante Patre Thyrso Gonzalez Generali, & referente Eminentissimo Card. Sperello tunc Vicesgerente sub *die* 17. *Augusti* 1695. declaravit, predictum decretum non comprehendere Clericos Societatis, sed in illorum ordinatione servandam esse constitutionem Gregorii XIII. & jam antea proposito in sac. Congreg. Concil. ab Archiepiscopo Mechliniensi duplici dubio, nempe, ut refert Monacell. *loc. cit. num.* 32.

I. An Clerici Societatis Jesu sacros Ordines ab Archiepiscopo Mechliniensi suscepturi debeant se subjicere examini prout ceteri regulares?

II. An Clerici Societatis Jesu habitantes in diœcesi Mechliniensi, Archiepiscopo ordinationem habente, possint extra diœcesim Mechliniensem ordinari ab alio Episcopo in propria diœcesi?

Sacra Congregatio Concilii die 5. *Julii* 1681. *respondit*.

Ad I. negative, nisi adsit consuetudo in contrarium.

Ad II. affirmative.

Dicto speciali privilegio gaudent Frattres minores de observantia in partibus Indiarum Occidentalium existentes, ex concessione post Concilium Tridentinum & Clementem VIII. eis facta ab Urbano VIII. Constitut. incip. *Cum sicut*, ibi: *Nos ejusdem &c. supplicationibus* & infra: *Nobis humiliter porrectis inclinati omnibus, & singulis ejusdem Ordinis S. Francisci in partibus Indiarum Occidentalium hujusmodi tantum existentibus expresse professis, ut de Superiorum suorum licentia a quocumque, quem maluerint, catholico Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente in propria diœcesi residente, vel in aliena de diœcesani loci consensu Pontificalia exercente, per eos eligendo, ad omnes, & etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, etiam temporibus ad id a jure statutis, ac interstitiis a sacr. Conc. Trid. designatis, minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis S. Ordinibus suceptis, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint; dummodo tamen ad id idonei reperiantur, & promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant; Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac facultatem impartimur. Non obstantibus &c.* 71

An autem tali speciali privilegio gaudeant omnes alii regulares, quamvis multi id negent, plurimi tamen id affirmant ex concessione facta a Clemente VIII. *die* 23. *Nov.* 1596. Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quibus indulsit, ut a quocumque Antistite communionem Ecclesiæ habente cum Prælatorum suorum licentia, seu dimissoriis ordinari valeant. Unde quod ejusmodi religiosi non sint adstricti ad eam formam concedendi dimissorias suis subditis, quæ in sæpius citato decreto Clementis VIII. adducta *supra n.* 54. præ- 72

præscribitur, notant Piasecius *part.* 1. *praxis Episcopalis c.* 1. *art.* 2. *n.* 5. Barbosa *par.* 2. *de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 4. *num.* 60. Pirhing *lib.* 1. *Decret. tit. XI. num.* 61. *vers. Porro etsi*, Reiffenstuel *ibidem n.* 136. Sporer *tom.* 3. *par.* 1. *c.* 5. *n.* 123. cum multis aliis; Nec immerito, quia allegata concessio Clementis VIII. est posterior dicto suo Decreto, uti patet ex data, cum decretum datum sit 15. *Martii* 1596. & concessio data sit *die* 23. *Novemb. ejusdem anni*. Tum quia privilegium a Papa concessum debet aliquid speciale operari, *c. Abbate* 25. *de verbor. significat.* Si autem dicti religiosi non possent dimissorias concedere ad alios Episcopos, nisi in casu, quo proprius diœcesanus abesset, vel nullas ordinationes haberet, nihil speciale operaretur, cum jam id fuerit ipsis, sicuti & omnibus aliis regularibus concessum ab ipsomet Clemente VIII. in priori decreto edito 15. *Martii* 1596. Cum dictis autem religiosis communicant in privilegiis alii regulares. Vide *supra art.* 2. *num.* 13. ubi varia ad rem.

73 Patres Congregationis Oratorii Urbis, & Neapolis habent indultum, quod promoveri facere possint ad quoscumque Ordines suos alumnos a locorum Ordinariis, in quorum diœcesi habent domicilium absque litteris dimissoriis Episcoporum originis. Sic declarasse *sacram Congregationem Concilii anno* 1604. *lib.* 55. *Decret. pag.* 575. refert Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 4. *n.* 41. & Card. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Constit.* 7. *Pii II. num.* 84. ubi subjungunt non videri derogatum tali indulto per Constitut. Innoc. XII. incip. *Speculatores*, quia lex generalis nunquam censetur comprehendere casum privilegiatum, & specialem, per textum in *c. Cum Ordinem* 6. & *c. Abbatem* 40. ubi glossa verb. *Per litteras, de Rescriptis*, Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 9. §. 2. *num.* 9. Rota coram *Peutinger. decis.* 354. *n.* 10. cum ibi allegatis.

74 Verum quoad hæc, de quibus hucusque, ordinationes scilicet regularium, nunc attendenda est omnino & observanda novissima Constitutio Benedicti XIV. incip. *Impositi Nobis* desuper edita die 27. Februarii 1747.

In qua, relata veteri controversia de ordinatione regularium inter ipsos, & Episcopos, ac sanctione sub Gregorio XIII. Sixto V. & Clemente VIII. quod nempe Superiores regulares possint suis subditis regularibus pro eorumdem ordinatione litteras dimissorias dumtaxat concedere ad Episcopum diœcesanum, & solum, si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, prædictam sanctionem confirmat, Superiores regulares decreti Clementis VIII. transgressores omnibus pœnis in ipso contentis subjicit, ac regulares contra dicti decreti præscriptum promotos, & Episcopos eos sic promoventes, pœnas omnes, atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici, & haberi nequit, nec non adversus Episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in Jure canonico, & in Constitutionibus Apostolicis statutæ habentur, incurrere ipso facto absque alia declaratione decernit; clementer respective absolutis, dispensatis, ac rehabilitatis iis omnibus, qui in prædictis deliquissent, & ob hoc sententias, censuras, ac pœnas Ecclesiasticas antehac incurrissent.

Præterea statuit, ut Superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium Antistitem directæ fuerint eo quod Episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint valoris, & momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio Vacarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii ejusdem Episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Quod si aliquis Antistes regularem virum in sua diœcesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius Superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probante, ad Ordines promovere præsumpserit, decernit & declarat, hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint. Declarat tamen, regulares volentes se promovere ad Ordines, non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed sufficere, ut observent formam præscriptam in decreto Clementis VIII. ut censuit etiam sacra Congregatio Concil. 28. Februarii 1654. & amplissime confirmavit 7. Martii 1674. 75

Privilegia autem suscipiendi Ordines a quocumque catholico Antistite decernit illis solis regularibus suffragari, quibus post Tridentinum Concilium nominatim, atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint, ut jam in quadam Congregatione particulari ab Innocentio XIII. deputata fuit declaratum, & ipsemet Innocentius XIII. statuit Constitutione incipien. *Apostolici Ministerii*, confirmata a Benedicto XIII. Constitut. incip. *In supremo*. Dicta vero privilegia declarat nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel quatenus antea concessa & posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum, & exercitium, vult monendos esse illos, qui vere ipsis, ut supra concessis, gaudent, ut non sine justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur; minime vero ad ostendendam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse cognovit, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo diœcesano Clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius Episcopi diœcesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt: idque se facere ajunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica privilegia, non nisi cum aperto Episcopi diœcesani contemtu suam vim & robur habitura forent. Sic ipse expresse in citat. Constit. incip. *Impositi Nobis*, ubi etiam ad rem 76

multa sapientissime tradit, ac Episcopos, & regulares omnes, maximo quo potest Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus, & sinceræ dilectionis concordiam servare, hortatur &c.

77 Nuncii Apostolici possunt Ordines conferre illis, qui habent dimissorias proprii Episcopi cum clausula, quod possint a quocumque Antistite ordinari; Supplicante enim Nuncio Apostolico Taurinensi pro resolutione dubii: *An ispi Nuncio competeret facultas absque licentia Episcopi diœcesani Ordines in propria capella conferendi habentibus litteras dimissoriales a propriis Episcopis cum clausula, quod possint a quocumque Antistite ordinari? Sacra Congreg. Concilii sub die* 23. *Aug.* 1653. *respondit, posse; lib.* 19. *Decr. pag.* 271.

78 Græci, & Albanenses Græco ritu viventes, & commorantes in Italia, sine litteris dimissoriis proprii Ordinarii loci Latini, & diœcesani nequeunt promoveri ad Ordines sub pœna suspensionis, & si suspensi in suis Ordinibus ministraverint, irregularitatem incurrunt. Et si ordinentur ab Episcopo Latino illi, qui a Presbyteris Græcis sunt confirmati, debent ante ordinationem iterum confirmari sub conditione videlicet: *N. Si es confirmatus, Ego te non confirmo, sed si non es Confirmatus, ego signo te signo Crucis ✠ confirmo te Chrismate salutis ✠ In nomine Patris, &c.* Clemens VIII. Const. 34. incip. *Sanctissimus*.

79 Ultramontani non possunt ordinari ab Episcopis Italiæ, nisi illorum dimissoriæ fuerint recognitæ & approbatæ per Nuncios Apostolicos earum regionum, ac per Vicarium Urbis. Urban. VIII. Const.
80 33. inc. *Secretis*. Et hoc quamvis ordinandi permanerent in collegiis Italiæ. *Sacra Congreg. Concil. in Bononien.* 15. *Martii* 1692. apud Monacell. *t.* 1.
81 *tit.* 3. *formul.* 19. *num.* 3. Hoc tamen non procedit in Ultramontanis regularibus, ut jam dictum est *supra num.* 60. ex declaratione sacræ Congregationis; Vide ibi.

82 Commorantes in Urbe per quatuor menses non possunt ordinari extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii Ordinarii, sed debent se præsentare Eminentissimo Cardinali Vicario, a quo debent Ordines recipere vigore edicti tempore Clementis VIII. *de anno* 1603. *emanati*, ac Alexandri VII. *anno* 1664. *die* 15. *Maii*, & declarationis Congregationis deputatæ ab eodem Pontifice approbatæ; alias contraveniendo incurrunt suspensionem Papæ reservatam.

83 Ordines subditis sex Episcopatuum Cardinalitiorum prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, si proprius Cardinalis Episcopus non accedat ipse ad suam diœcesim, & ibi ordinationes habeat, debent conferri per Cardinalem Vicarium Urbis cum dimissoriis sui Ordinarii, nec dictæ dimissoriæ possunt dirigi aliis Episcopis sub pœna suspensionis. Alexander VII. Constit. 129. incip. *Apostolica Solicitudo*.

84 Metropolitani, Patriarchæ, & Nuncii, seu Legati, nequeunt subditis Ordinariorum conferre Ordines, seu dimissorias ad alios Episcopos concedere, Sic declaravit *sacra Congregatio in una Burgensi* 16. *Novemb.* 1621. & refert Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 1. *n.* 5. *& per tot. in Compend. verb. Nuncius*, & Card. Petra *tom.* 1. *commentar. ad Constit. unicam Urban. II. sect.* 1. *num.* 44. ubi refert, S. M. Innocentium X. prohibuisse Legato Bononiæ se ingerere in materia Ordinum, prævio voto *sacr. Congreg. Episcopor. & Regular.* 30. *Septemb.* 1650. Et de Archiepiscopo *sacra Congreg. Concil. in Calaguritana die* 17. *Januar.* 1693. censuit, dandas esse litteras monitoriales Metropolitano Burgen. ut abstineret a conferendo Ordines iis, qui fuerunt ab Ordinario rejecti, & Episcopus uteretur jure suo in ordinationibus, non obstante jussu Metropolitani in contrarium, & in casibus hujusmodi certioret sac. Congregationem. Et propositis pluribus dubiis in Congregatione die 16. Aprilis anni 1695. & dilata resolutione die 16. Julii 1695. iterum propositis inter alia; *IX. An Metropolitanus possit cogere suffraganeum ad conferendum Ordines, & an possit admittere appellationes ab Ordinum denegatione? X. An & in quibus casibus teneatur Episcopus exprimere causas denegationis Ordinum, & an ad id compelli possit per Metropolitanum?* Sac. Congreg. cum alia octo dubia fuissent proposita circa gravamina prætensa per Episcopum contra Archiepiscopum quoad appellationes, respondit; Ad primum usque ad nonum, *Dentur decreta alias a sacra Congreg. Episcopor. edita*, apud Quarantam *in summa bullarii verb. Archiepiscopi Auctoritas, impressa*. Ad decimum censuit pariter dandum esse decretum *in Rhemen.* 21. *Aprilis* 1668. tenoris sequentis: *Propositis in sac. Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum dubitationibus, circa quas Eminentia vestra pro sua egregia pastorali solicitudine Apostolicam Sedem consuluit, Eminentissimi P. P. illius zelum charismata meliora æmulantem, peculiari laude prosequuti sunt: Ceterum eas dubitationes, quæ primis quinque capitibus, seu numeris digestæ, & exscriptæ sunt, unico responso ex declarationibus alias editis definiri posse censuerunt. Etenim cum nullus ordinari debeat, quem suus Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut nenessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam per Gregorium XIII. fel. rec. approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. Itaque si quis ex Diœcesanis Episcoporum Emin. vestræ provincialium Sedem Apostolicam adiverit, juxta prænarratam formulam eorum querimoniis consulatur, cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expedire Eminentiss. P. P. videlicet ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus, antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter instent. Ad XI. censuit discutiendos esse casus particulares*.

Papa potest ordinare quoscumque sine dimisso- 85
riis

riis suorum Ordinariorum. *Communissima*, *cap. Nunc vero* 20. *cap. Per principalem* 21. *caus.* 9. *q.* 3. *& arg. cap. Proposuit* 4. *de concessione præbendæ*, ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra jus dispensare*; & expresse Pius II. Constitut. 7. incip. *Cum ex sacrorum*, ubi excipit ordinatos a summo Pontifice, ibi: *Præterquam si per Sedem Apostolicam juxta ejus stylum ordinati*
86 *fuerint*. Ordinatos autem a Papa nullus ad superiores Ordines promovere potest sine ipsius licentia, *cap. Filium* 122. *caus.* 1. *qu.* 1. *& cap. Cum in distribuendis* 12. *de temporibus ordinat.* Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 2. *n.* 82. *& c.* 33. *num.* 59. *& de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 50. *n.* 22. cum aliis ibi citatis, & Benedictus XIV. Constitut. incip. *In postremo*.

87 Quamvis ex dictis supra *nu.* 14. ratione allatæ Constitutionis *Speculatores*, litteræ testimoniales proprii Episcopi originis, & domicilii de necesse requirantur, ut Clericus legitime ad primam Tonsuram, seu etiam ad minores Ordines a proprio Episcopo promotus possit ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri; Non videtur tamen necessario requiri, ut talis Clericus possit in alia diœcesi beneficium obtinere, & in illo institui; Cum circa hoc nihil dicta Constitutio decernat; Immo ex ipsa videtur posse contrarium colligi, cum §. 7. expresse dicat, talem Clericum *non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras &c.* quæ verba *ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti*, clare denotant, beneficium jam fuisse legitime sine dictis testimonialibus in illius diœcesi obtentum; Alias si ad illud obtinendum fuissent necessariæ, sicuti Constitutio statuit non posse Clericum in tali diœcesi beneficiatum, sine dictis testimonialibus ad ulteriores Ordines promoveri, statuisset etiam non posse sine ipsis aliquod beneficium in aliena diœcesi obtinere; Quod enim voluit, expressit; Unde si etiam id voluisset, expressisset; *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcopor.* §. *Sed neque istud*, *cap. Ad audientiam* 12. *de decimis*, *& cap. Quia circa* 22. *de privilegiis*, cum similibus.

88 Tum quia hoc colligitur etiam ex resolutione *sacræ Congreg. Concil. in Pientina, seu Ilcinen. Ordinationis*, in qua cum Episcopus Pientinus conquestus fuisset apud ipsam sacram Congregationem, quod Clericum Laurentium Medicheschium sibi originis, & domicilii jure subditum, & jam ab ipso ad Ordines minores promotum, sine suis litteris, aut dimissoriis, aut testimonialibus ad omnes sacros Ordines evexerit Episcopus Ilcinensis, ratione, ac titulo cujusdam beneficii in ejus diœcesi obtenti, propositis quatuor sequentibus dubiis:

I. An Clericus Laurentius Medicheschius fuerit licite ordinatus ad titulum beneficii, de quo agitur?

II. An prædictus Laurentius licite fuerit ad sacros Ordines promotus ab Episcopo Ilcinen. in cujus diœcesi Beneficium illud existit, sine litteris dimissoriis Episcopi Pientini?

III. An litteræ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab Episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem?

IV. An, & qui Ordines contulit, & qui eos suscepit, inciderint in pœnas statutas a sacro Concilio Tridentino, & a Bulla Speculatores *in casu &c.*

Dicta sacr. Conc. Congreg. die 18. *Julii* 1733. Respondit:

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative in casu, de quo agitur. Ad IV. Negative.

Sic apud Thesaurum resolutionum sacræ Congregationis Concil. *tom.* 6. *pag.* 111. *ad* 116. ubi multa ad rem merito ibi legenda.

Ubi, ut vides, ne minimum quidem dubium 89
excitatum fuit super facultate conferendi ipsi Clerico beneficium, in eoque ipsum instituendi. Quod si aliqua adfuisset ratio, etiam minima, excitandi tale dubium, & solum, ut ita dicam, ad id canonicum fundamentum somniasset Episcopus Pientinus, certe excitare, & omnem movere lapidem non omisisset, utpote sibi persuasus, graviter se offensum ab Episcopo Ilcinensi; Sed tota controversia restricta fuit, ut supra patet in propositis, & decisis in sacra Congregatione Concilii dubiis, ad dicti Clerici promotionem ad ulteriores sacros Ordines, juxta sancita ab Innocentio XII. in allata Constitut. incip. *Speculatores*. Unde nullus videtur adesse ambigendi locus super facultate conferendi in nostro casu alicui Clerico sic jam a suo Episcopo originis, & domicilii ad primam Tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promoto, beneficium in sua diœcesi, in eoque ipsum instituendi ab alio Episcopo, dummodo non procedat ratione ipsius Beneficii in sua diœcesi obtenti ad conferendos ei ulteriores Ordines, sine testimonialibus proprii Episcopi originis, & domicilii, juxta disposita in d. Constit. *Speculatores*.

Tum quia experientia constat, non paucos adesse 90
se Clericos, qui nolentes ad ulteriores, & sacros ascendere Ordines, & aliunde digni, nulla habentes impedimenta canonica, in alienis diœcesibus sine dictis testimonialibus obtinent in dies beneficia simplicia, nullam personalem residentiam, & celebrationem per se Missarum requirentia: Quamvis tamen non desint Episcopi, qui ad mutuam inter se venerationem, & reverentiam conservandam, ac magis fovendam, ut valde decet, & summe præstat pro conferendis solis dignis, atque dignioribus beneficiis, dictas testimoniales exquirere consueverint.

Nota tamen atque adverte, quod a præfata re- 91
solutione *sacræ Congregationis Conc. in Pientina, seu Ilcinen.* hic adducta *num.* 88. ead. sacra Congregatio *die* 8. *August. ejusdem anni* 1733. recessit quoad tertium, & quartum dubium; Reproposita enim causa ex noviter deductis sub dub. *An quoad III. & IV. dubium sit standum vel recedendum a decisis die* 18. *Jul. proxime præteriti in casu?* Eadem sacra Congregatio dicta die 8. Augusti 1733. respondit: *Quoad tertium recedendum a decisis, ad quartum vero consulant conscientiæ suæ*; Sic apud The-

Thesaurum resolutionum *Sacræ Congregat. Conc. tom. 6. in dict. Pientina, seu Ilcinen. Ordinationis sub die* 8. *Augusti* 1733. in cujus expositione clar. mem. Eminentissimus Cardinalis de Lanfredinis, tunc ejusd. sacræ Congregationis secretarius plura eruditissime tradit ad rem. Et signanter quod testimoniales litteras impetrari oportet ab Episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali ætate, in qua nullum canonicum impedimentum contrahere potuerit (ac proinde in casu quo de natalibus solum, ac de ætate testari queat Episcopus originis,) ut deducitur ex resolutione edita *in Laquedonien. seu Bituntina Ordinationis* 16. *Novembris* 1709. *ut in lib.* 19. *Decret. pag.* 365.

92 Et scite advertit, quod magna intercedit differentia inter litteras dimissorias, & litteras testimoniales. Nam litteræ dimissoriæ exprimunt traditam facultatem ut aliter Episcopus possit Clericum illum ad Ordines promovere; litteræ autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia supponitur facienda ordinatio ab alio Episcopo non indigente traditione hujus facultatis, sed ea potituro jure suo; solumque continent testimonium, quod Clericus promovendus sit dignus, cui tales Ordines conferantur, quemadmodum hæc diversitas clare deducitur ex litteris utriusque generis, quarum formulam tradit Monacell. *tom.* 1. *tit.* 4. *formul.*3. *& form.* 5. 93 Et insuper etiam differunt litteræ testimoniales, quæ dantur eo fine, ut ad præscriptum Bullæ Innocentianæ exhibeantur alteri Episcopo Ordines collaturo ei, qui Beneficium in sua diœcesi fuerit assecutus, a litteris testimonialibus, quæ concedi solent ad commendandum Clericum e diœcesi proficiscentem, ut illarum quoque formula habetur apud eumdem Monacell. *dict. tit.* 4. *formul.* 6. Sed si istiusmodi litteræ nullum exprimentes respectum promotionis ad Ordines, approbarentur tamquam idoneæ, & Bullæ Innocentianæ satisfacientes ad suscipiendos ab alio Episcopo Ordines, facilis sterneretur via fraudibus cum non mediocri Ecclesiasticæ disciplinæ discrimine, quemadmodum conquestus fuit Episcopus Pientinus sic scribens: *Si de testimonialibus agatur, non inficior, quod a mea curia concessæ fuerint Clerico Laurentio Medicheschio paulo ante ejus discessum, prout Clericis omnibus illas postulantibus, & præsertim discessuris conceduntur, sed limitate ad mores, & absque ullo prorsus respectu ad Ordines suscipiendos, de quibus nec per umbram fuit cogitatum.* Et infra: *Prius audivi dictum Medicheschium celebrasse Missam in hac mea diœcesi, quam fuisse ordinatum.*

94 Litteræ autem testimoniales concessæ ab Episcopo Pientino Clerico Medicheschio sunt istæ: *Testamur, Clericum Laurentium Medicheschi nostræ diœcesis in minoribus Ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cujusvis alterius Canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis & honestis moribus præditum, ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet.*

95 Quibus omnibus, aliisque diligenter ponderatis, *eadem sacra Congregatio die* 8. *Augusti* 1733. prudentissime recessit a decisis *sub die* 18. *Julii ejusdem anni* 1733. quoad tertium dubium propositum sub his verbis: *Tertio, An litteræ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab Episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem?* & resolutum; *Ad tertium Affirmative in casu, de quo agitur.* Et quo ad quartum dubium propositum sub his verbis: *Quarto; an & qui Ordines contulit, & qui eos suscepit, inciderint in pœnas statutas a sacro Concilio Tridentino, & a Bulla Speculatores in casu &c.* ac resolutum, *Ad quartum, negative.* Quibus postea repropositis die, qua supra his verbis: *An quo ad tertium & quartum dubium sit standum, vel recedendum a decisis die* 18. *Julii proxime præteriti, in casu &c.* Respondit: *Quo ad tertium, recedendum a decisis; ad quartum vero, consulant conscientiæ suæ.* Hæc apud laudatum Eminentissimum de Lanfredinis *loc. cit.* Vide ibi, ubi plura alia ad rem erudite congesta.

Coadjutor canonicus cum futura successione, & 96
assignata congrua, alias exterus, eo ipso debet dici subditus capitulo Elborensi, seu respective alteri, ad effectum suscipiendi Ordines absque alia dimissoria Episcopi suæ originis. Propositis enim in sacra Congregatione Concil. sequentibus dubiis.

I. An Coadjutor cujusdam Canonicatus cum futura successione, & assignata congrua, alias exterus, eo ipso dici possit subjectus capitulo Elboren. ad effectum suscipiendi Ordines, absque alia dimissoria Episcopi suæ originis?

II. An supradicta Coadjutoria sufficiat saltem, ut talis Coadjutor dicatur habere domicilium requisitum a Constitutione san. memor. Innocentii XII. incip. Speculatores *ad effectum suscipiendi Ordines, ex eo quod ex possessione talis coadjutoriæ perpetuæ, videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi?*

III. An idem Episcopus auxiliaris teneatur inquirere, utrum circa illos, qui sibi ab Ordinario, seu capitulo propununtur, seu dimittuntur ordinandi, satisfactum sit supradictæ Constitutioni Speculatores, *non obstante quod ipsi non competat habilitare, & expedire ordinandos, sed provisori capituli, a quo non in genere, sed expresse personæ habiles, & expeditæ proponuntur?*

Ead. sacr. Congr. Concil. die 23. Augusti 1721. Respondit.

Ad I. Affirmative. Ad II. Satis provisum in primo. Ad III. Non teneri requirere, sed posse, & debere justa subsistente causa se abstinere ab ordinatione.

Regulares ad Ordines promovendi præter litte- 97
ras obedientiales sui Superioris, non tenentur exhibere Ordinario fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima ætate, dummodo in litteris obedientialibus exprimatur ætas. Sic expresse *sacra Congreg. Concil. die* 12. *Decembr.* 1733. *in Brixinen. in respons. ad* 2. *dub.* apud Thesaurum resolution. sacr. Congr. Concil. *tom.* 6. impressionis Venetæ.

An pro Ordinibus suscipiendis possit fieri va- 98
riatio de uno Episcopo ad alium, attendendæ sunt sequentes resolutiones sacr. Congregationis Concilii. Cum enim *in Fundana Ordinum* 27. *Febr.* 1666. pro-

proposita fuissent hæc dubia: *I. An in suscipiendis minoribus Ordinibus sit permissa variatio, itaut qui ab Episcopo originis, seu domicilii Tonsura, aut altero ex minoribus Ordinibus initiatus fuerit, possit ad alium Ordinem minorem ab Episcopo beneficii promoveri? II. An sit permissa variatio in ascensu ab Acolythatu ad Subdiaconatum? III. An sit permissum Subdiacono in promotione ad Diaconatum, vel Diacono in promotione ad Sacerdotium variare?* Sacra Congregat. Concil. respondit. *Variationem in unoquoque ex prænarratis casibus (dummodo non in fraudem fiat) licitam esse, ut in lib. 25. decret. pag. 26.* Sicque conciliari possunt dissidentes Doctorum opiniones, ut scilicet variatio bona fide facta liceat, secus vero in fraudem, ut observat Eminentissimus Petra *tom. 1. ad Constitut. unic. Urbanii II. sect. 1. num. 64.* Et ad hoc facit alia ejusdem sacr. Congregationis resolutio, quæ in *Mutinen. 26. Januar. 1658. ad dubium: An Laico, cui a proprio Episcopo fuit denegata prima Tonsura, possit ipsa prima Tonsura conferri, vel concedi litteræ dimissoriales ab Ordinario alterius diœcesis, coram quo ipse laicus præsentatus fuerit ad beneficium Ecclesiasticum.* Respondit: *Non posse: ut in lib. 21. decret. pag. 166. Et in Aversana, seu Casertana Ordinationis....* Cum quidam laicus prima Tonsura initiari petiisset ab Episcopo originis, & domicilii, & ab eo repulsam passus, deinde fuisset Clericali militiæ adscriptus ab alio Episcopo, in cujus diœcesi fuerat præsentatus ad tenue beneficium, discusso dubio: *An ordinans, & ordinatus inciderint in pœnas statutas in cap. 8. sess. 23. de Reformat.* Eadem sacra Congregatio respondit: *Affirmative, ut in lib. 43. decr. pag. 128. & 491.* Sic referuntur *tom. 5. Thesauri resolut. sac. Congregationis Concil. in Pisana, seu Clusina, ad dubium Ordinationis*, in qua cum quidam Petrus Christophorus fraudulenter extortis litteris testimonialibus, Episcopum pro suscipiendis Ordinibus variasset, proposito dubio: *An Petrus Christophorus fuerit licite ad sacros Ordines promotus cum litteris dimissoriis Episcopi Clusini, & sine litteris dimissoriis Archiepiscopi Pisani? Ead. s. Congregat. 27. Januar. 1732.* Respondit, *Affirmative, sed Petrum Christophorum esse suspendendum ab exercitio Ordinum ad tempus arbitrio sac. Cong.* Et id etiam comprobant resoluta dubia in supradicta *Pientina, seu Ilcinen. Ordinationis* de Clerico Laurentio Medicheschio prius ad Ordines minores promoto ab Episcopo Pientino, & deinde ad omnes majores, seu sacros ab Episcopo Ilcinensi evecto.

99 Ordinatio ad titulum religiosæ paupertatis an ratificare censenda sit professionem initio nullam, adhuc disputatur, donec a Sanctissimo ut in præmissis, cum aliis similibus quæstionibus explanetur & decidatur. Benedict. XIV. tom. 2. Constit. 47. incip. *Si datam.*

100 * Ordines minores collati ab Abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur, neque valent. Si vero conferantur ab Abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, & quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis decretis Sacræ Congregationis, *De Synodo diœces. lib. 2. cap. 10. §. 13.*

Cum regularibus faciliorem se præbere potest Episcopus in ordine ad examen, ut ex Salmantic. *Theol. Moral. Tract. 8. cap. 5. dub. 2. punct. 2. num. 47.* Facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se judicio Superioris regularis testantis de sufficientia causæ. *Institut. Eccles. 23. §. 1.* 101

Episcopus alienos subditos ordinaturus per dimissorias ad se directas, non tenetur quidem ordinandum novo examini subjicere, cum id a proprio Episcopo sit præstandum, ut ex communi Doctorum sententia; at si velit novæ discussioni illum subjicere, potest, ut sæpius a s. Congregatione Concilii definitum est. At Episcopus suffraganeus ad supplendas diœcesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem Congregatione decisum est in causa *Elboren. dubior.* die 22. Augusti 1721. cui tamen fas est ab ordinatione illius abstinere, si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. *De synodo diœces. lib. 12. cap. 8. §. 7. nov. edit.* * 102

Additiones ex aliena manu.

Opinio *Auctoris n. 2.* quod Abbas possit conferre subditis suis Ordines minores, tametsi non sit benedictus, haud potest indistincte recipi. Ea tribus tantum casibus admitti potest. I. Si Abbas 103
hoc a s. Sede privilegio donatus sit, ut nondum benedictus Ordines minores suis subditis conferre valeat. II. Si munitus sit diurna consuetudine. III. demum si Episcopus fuerit in mora illum benedicendi. Extra autem tres hosce casus amplecti nequit. Confer Sanchez *consil. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 19. num. 7. & seq.* & qui alios allegat Thesaur. *de Pœn. verb. Ordo cap. 23. versic. Verum est.* Mora autem Episcopi dicitur adesse, si ter 104
Abbas petierit benedictionem, eamque ipse Episcopus haud fuerit impertitus, attenta Constitutione S. M. Benedicti XIII. quæ incipit: *Commissi.* 105

Quinimo juxta eamdem Constitutionem non aliter Abbas non benedictus ex privilegio potest conferre subditis suis minores Ordines, quam si privilegium recta, & nominatim ipsi sit concessum. Cæterum si agatur de Abbate, qui privilegium illud allegare queat per communicationem, nequit is spectata dicta Constitutione conferre amplius minores Ordines suis subditis non benedictus. 106

De facultate Cardinalium Presbyterorum circa collationem primæ Tonsuræ, & minorum Ordinum in suis titulis, familiaribus & subditis, de qua disserit *Auctor num. 9.* consulenda est Constitutio S. M. Innocentii XII. cui initium est, *Romanus Pontifex.* 107

Recte notavit *Auctor num. 77.* quod Vicarius Urbis conferre debet Ordines subditis sex Episcopatuum suburbicariorum, in quibus non sunt Episcopi suffraganei, si proprius Cardinalis Episcopus non accedat ad suam diœcesim, ibique habeat ordinationem. Nuper vero *Auctor quidam* affirmare non dubitavit, quod Cardinalis Episcopus in Urbe residens, possit in ea ordinare subditos suos absque licentia Vicarii Urbis, ex ineptissima illa ratio- 108 109

ratione, quod scilicet Capella Palatii ejusdem Cardinalis in Urbe existentis, censeatur per fictionem juris adhærere ipsius Episcopatui. At novam hanc opinionem uti contrariam Concilio Tridentino, Constitutioni Alexandri VII. incipient. *Apostolica*, tum inconcussæ praxi improbavit S. M. Benedictus XIV. ut ex ejus epistola typis data, quæ incip. *Nell'ultima udienza*, asservaturque in Secretaria Cardinalis Vicarii, & quidem de mandato ejusdem summi Pontificis Bened. XIV.

110 De Bulla *Speculatores*, quam refert *Auctor sub num.* 11. vide Lamperez, & Moreno, licet caute legendos, ob nonnullos errores, in quos inciderunt, eosque notatos a Monacello, Riganti, aliisque.

Articulus IV.

Quoad ea, quæ concernunt culpam, & pœnam male Ordinantium, & Ordinatorum.

1 ORdines absque speciali dispensatione, seu privilegio illicite, sed valide conferuntur, & suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis.

2 *Communis*, quoad utramque partem. Et quidem quoad primam partem, nempe quod *illicite* conferantur, & suscipiantur, est evidentissima, cum id sit contra gravem, & expressam prohibitionem Ecclesiæ, ut patet *tot. tit. de temporibus ordinationum. Et eodem in 6. & cap. Illud.* 1. *c. De aliena* 2. *cap. Si quis ausus* 3. *cap. Clericos* 4. *cap. Primatus* 6. *& cap. Extraneo* 7. *dist.* 71. *cap. Quoniam* 1. *c. Ordinationes* 3. *c. Quod a Patribus* 4. *& c. Ordinationes* 7. *dist.* 75. cum plurimis similibus. Concil. Trid. *sess.* 14. *can.* 2. *de reformat. sess.* 23. *cap.*8. *& c.* 13. *de reformat.* & sæpe alibi; Pii II. Constit. incip. *Cum ex sacrorum*; Urban. VIII. Constit. incip. *Secretis*; Innocent. XII. Constit. incip. *Speculatores*, & in aliis Constitutionibus variorum

3 aliorum Pontificum; Quo ad secundam partem, nempe quod *valide* adhuc conferantur, & suscipiantur, clare constat ex variis sacris Canonibus, & signanter ex *c. Consultationi* 16. *de temporibus ordinationum*, ubi expresse definitur, quod ordinati ad sacros ordines extra tempora a jure statuta sine ullo dubio characterem recipiant, *ex c. Cum quidam* 8. *cap. Quod translationem* 11. *c. Vel non est compos* 14. *de temporibus ordination. c. Sæpe contingit* 1. *& c. Eos qui* 2. *eod. in* 6. ubi sic ordinantes, & ordinati suspenduntur quidem a collatione, & respective ab executione Ordinum, at non declarantur invalidæ ordinationes. Et hoc quamvis in aliquibus canonibus præfata prohibentibus dicatur irrita aliter facta ordinatio, ut *in c. Si quis ausus* 3. *dist.* 71. *c. Nullus* 1. *caus.* 9. *quæst.* 2. & aliis, quia dictum verbum *irritum* intelligendum non est quod ordinatio sit nulla, & invalida in se ipsa, itaut non recipiatur character, quia vere eum recipit, ut expresse cavetur *in cit. c. Consultationi* 16. *de temporib. ordinat.* sed intelligendum est, quod sit sine usu licito talis ordinatio. Turrecremata *in cit. Canon.* Sanchez *opuscul. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 20. *num.* 14. Campanil. *in Diversorio Juris rubr.* 6. *c.* 3. *num.* 18. Cardinal. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Const.* 7. *Pii II. sect. unica num.* 1. & alii passim docentes, quod neque defectus ætatis, neque defectus dimissoriarum, aut statutorum, atque hujusmodi non servata præcepta Ecclesiæ infringant validitatem Ordinum collatorum, & receptorum.

Si autem Episcopus ante ordinationem protestaretur se vere, & absolute non habere intentionem ordinandi eos, qui non habent legitimam ætatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset ordinatio illorum, qui ordinati essent contra dictam absolutam, & veram non retractatam intentionem Episcopi eos non ordinandi; deficeret enim in tali casu intentio ministri, quæ necessario requiritur ad validitatem sacramenti. Hinc *sac. Congr. Conc. die* 31. *Januar.* 1688. declaravit: *Nullam fuisse ordinationem quondam Simonis Tarcii, qui confectis sibi falsis dimissoriis accessit ad Episcopum N. qui agnoscens, vel saltem dubitans dimissorias esse subreptitias, protestatus fuit in ipsa Ordinum celebratione Ordines exposcenti conferre, quoties ipse sufficientem haberet ætatem, ac dimissoriæ veræ, & non adulteratæ essent.* Sic apud Monac. *t.* 2. *tit.* 13. *form.* 3. *n.* 43. & Card. Petram *loc. cit. num.* 5. *in fine*. 4

Nec valet objicere, quod *sac. Cong. Conc. in una Portalegren.* 5. *April.* 1704. declaravit quemdam Clericum, qui falsis dimissoriis ordinatus fuerat, fuisse valide ordinatum, non obstante, quod Episcopus ordinans fuisset protestatus se non habere intentionem. Non valet, inquam, quia ideo sac. Cong. declaravit validam talem ordinationem, quia talis protestatio fuerat generaliter emissa a Secretario, & non ab Episcopo, & insuper ipse Episcopus interrogatus respondit se habuisse intentionem faciendi in ordinandis eis etsi requisitis carentibus, quod facit, & mandat Ecclesia, & sic non constabat de vera, & absoluta intentione negativa ipsius Episcopi ante ordinationem per ipsiusmet protestationem, & quatenus adfuisset, constabat de retractatione dictæ negativæ intentionis in actu ordinationis per supradictam suam confessionem, seu responsionem: Sic Card. Petra *loc. c. num.* 5. Monacell. *loc. c. num.* 42. & tenent plures alii apud ipsos, aliique passim. Si vero dubium esset de vera, & absoluta intentione habita in tali protestatione; vel de mutatione intentionis prius expressæ, tunc ordinatio saltem sub conditione reiteranda juxta stylum Pœnitentiariæ, de quo testatur Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 140. *n.* 7. Monacell. *loc. c. num.* 44. Card. Petra *loc. c. num.* 6. & alii. Et sic pluries respondit *Sacra Cong. Conc.* & signanter *in Aprutina Ordinum* 11. *Januar.* 1710. *in Perusina Ordinationis* 19. *Jul.* 1732. *& in Ugentina* 3. *Augusti* 1743. apud Thesaurum resolutionum S. Congregationis Concilii dictorum annorum. 5 6

Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium Ordinum. *Communis*, textu expresso in *c. Vel non est compos* 14. *de temporib. Ordinat.* ibi: *Prædictum Episcopum* (qui puerum 13. annorum in Diaconum ordinavit) *a collatione Ordinum suspendentes*. Non est tamen ipso Iure suspensus, sed solum 7

8 solum per sententiam suspendendus: Colligitur *ex cit. cap. Vel non est compos*, ubi Papa mandat prædictum Episcopum per sententiam suspendi, ibi, *Mandamus, quatenus si rem inveneritis ita esse, prædictum Episcopum a collatione Ordinum suspendentes &c.* Et nullibi in jure reperitur statuta suspensio latæ sententiæ contra Episcopum sic delinquentem: Immo ex *cap. Sane 2. de temporibus Ordinat. cit. cap. Vel non est compos*, & aliis juribus est tantum suspendendus, Glossa *penultima, & Interlinear. in Clementin. final. de ætat. & qualitat.* Nec cit. Const. Pii II. incip. *Cum ex Sacrorum*, suspensionem ipso jure imponentis, loquitur de Episcopis male ordinantibus, sed solum de Clericis male ordinatis, ut ipsam legenti patet. Et Bulla Sixti V. incip. *Sanctum & salutare* infligens suspensionem, aliasque pœnas etiam contra Episcopos male ordinantes, moderata est a Clemente VIII. Const. incip. *Romanum Pontificem*; & redacta ad dispositionem sacrorum canonum, & Concilii Tridentini, nec non citatæ Constitutionis Pii II. Et sic tenent Card. Petra *loc. cit. num.* 32. cum Riccio, Ventriglia, & Thesauro ibi citatis, Reiffenstuel *lib. 1. Decretal. tit.* 11. *num.* 184. & 176. Fagnan. *in cit. c. Vel non est compos num.* 4. & alii passim.

9 Episcopus sic suspensus a collatione Ordinum, non est suspensus ab alio actu Ordinum; Unde, si talis Episcopus, durante illa suspensione, Missam celebret, non efficitur irregularis. Abbas *in cap. Cum dilectus num.* 20. *vers. Si ergo suspensio, de consuetudine*. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Clericis ad sacros Ordines male promotis gloss.* 2. *num.* 7. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 175. Fagnan. *in cit. cap. Vel non est compos n.* 45. & alii plures.

10 Ordinati scienter Ordinibus majoribus, ante legitimam ætatem, sunt ipso jure suspensi, *Communis hodie ac certa* ex Constit. Pii II. incip. *Cum ex sacrorum*, ubi expresse declarat, quod *qui ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri a*

11 *suorum executione ipso jure suspensi sint*. Et si, durante tali suspensione, in eisdem ordinibus ministraverint, eo ipse irregularitatem incurrunt, & ultra pœnas, possunt etiam privari beneficiis Ecclesiasticis. Sic expresse cit. Const. Pii II. *Cum ex Sacrorum*, ibi: *Et si hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a Jure inflictas, beneficiis Ecclesiasticis possint Jure privari.*

12 Talis suspensio est perpetua, & tamdiu durat, quamdiu sic ordinati absolutionem non obtinuerint, quia cum sit simplex, & indeterminata, non stat in nobis eam limitare ad certum tempus; Jura enim, ubi volunt suspensionem esse temporalem, id solent exprimere, ut *in cap. Eos qui 2. de tempor. Ordinat. in 6.* cum aliis allegatis per Glossam *in Clement. final. in verb. Suspensi, de pœnis*. Unde & Pius II. si voluisset suam suspensionem durare solummodo usque ad ætatem legitimam, hoc expressisset, sicuti expressit Honorius III. *in cap. Vel non est compos* 14. *de tempor. ordinat. arg. cap. Inter corporalia 2. de translation. Episcop. §. Sed neque istud; c. Qui 22. de privileg. & c. Ad audientiam 12. de Decimis*. Sic Fagnanus *in cap. Vel non est compos num.* 13. Gonzalez *ibid. n.* 7. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 179. Card. Petra *loc. cit. num.* 13. & alii apud ipsos. Sic suspensi ob 13
dolose receptos sacros Ordines, & facti irregulares ob ministrationem in ipsis factam, durante suspensione, solent recurrere ad sacram Pœnitentiariam, cum delictum est occultum, & sacra Pœnitentiaria solet concedere facultatem confessario eos absolvendi a suspensione, & dispensandi ab irregularitate; cum clausula, *Dummodo de præsenti habeant ætatem*, & solet injungere dicto confessario exequenti, ut tales Pœnitentes per aliquod tempus sibi benevisum suspensos detineat ab Ordinibus. Marcus Leo *in praxi sacræ Pœnitentiariæ pag.* 3. *in formul. a mala promotione ante ætatem pag.* 290. *& seq.* Card. Petra *loc. cit. num.* 23. Quamvis tamen possint absolvi, & respective dispensari a proprio Episcopo vigore Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. Vide verb. *Irregularitas art.* 3. *n.* 7. Si autem delictum evadat publicum, 14
causa devolvitur ad sac. Congreg. Episcop. & Regul. ut de simili casu testatur Card. Petra *loc. cit. num.* 24.

Episcopus scienter ordinans aliquem extra tem- 15
pora a jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam, & privandus potestate conferendi Ordines, quos illicite contulit. *Communis* per textum *in cap. Sane & c. Cum quidem* 8. *& cap. Litteras* 13. *de temporibus Ordinat.* Episcopus autem sic suspensus a collatione Ordinum censetur solum suspensus a collatione illius Ordinis, quem male contulit, & aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. Card. Petra *loc. cit. num.* 34. Abbas *in cit. cap. Vel non est compos num.* 5. Fagnan. *ibidem num.* 16. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 182. & alii passim, *arg. cap. Qualis hinc 4. dist.* 25. ibi: *Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, de quibusdam conceditur*, juncto *cap. Odia* 15. *& cap. In pœnis* 49. *de Regul. Juris in* 6.

Ordinati scienter in sacris extra tempora sine 16
legitima dispensatione, seu privilegio sunt de facto ipso jure suspensi. Sic expressa citata Constitutio Pii II. incip. *Cum ex Sacrorum*. Unde non sunt amplius attendenda Jura antiqua *in cap. Sane 2. & cap. Quidam 8. de tempor. Ordinat.* ubi censebantur suspendendi per sententiam, & non suspensi ipso jure.

Sic suspensi, & consequenter ob ministrationem 17
facti irregulares, si talis suspensio, & irregularitas sit occulta, possunt absolvi, & respective dispensari ab Episcopo virtute Concilii Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 17. *n.* 14. Bonacin. *de censuris disp.* 3. *qu.* 6. *punct.* 5. *num.* 5. *vers. Tertio*, & alii passim. Si autem sit publica, Barbosa *loc. cit. n.* 14. docet non posse absolvi, & respective dispensari, nisi per summum Pontificem, & testatur sic tenere Communem Doctorum, & nuncupatim de suspensione agentes adducit Rebuffum, Guttierez, & Bonacinam: Oppositam tamen sententiam, scilicet proprium Episcopum posse ab hac suspensione,

ne, & irregularitate absolvere, & respective dispensare probabiliter docent Suarez *de Censuris disp.* 7. *sect.* 1. *n.* 18. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* XI. *num.* 107. Reiffenstuel *ibid. num.* 184. Armill. verb. *Suspensio num.* 22. Silvester *eod. verb. num.* 8. *vers. Tertium*; *Clement.* §. *penult. verb.* *Excommunicationis*, *de Hæreticis*. Papa enim Pius II. in cit. Const. non reservavit sibi talem absolutionem, & dispensationem, adeoque hoc ipso concessisse videtur facultatem absolvendi, & dispensandi Episcopo, ut in simili dicitur *cap. Nuper* 29. §. *In secundo*, *de sentent. excomm.* cum citatis a Guttier. *Canonic. l.* 2. *cap.* 5. *a princip.* Concessum enim dicitur, quod expresse prohibitum non reperitur; *l. Nec non*, *ff. Ex quibus causis*.

20 Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii Superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione Ordinum. *Communis*, textu expresso *in cap. Eos qui* 2. *de temporib. ordinat. in* 6. & Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* & in cit.
21 Const. Innocent. XII. incip. *Speculatores*. Episcopus autem sic suspensus censetur solum suspensus a collatione illius Ordinis, quem male contulit, & aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius *supra num.* 16.

22 Ordinati scienter ab alieno Episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii Ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab executione susceptorum Ordinum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. *Communis*, textu expresso in Concil. Trid. *cit. sess.* 23. *c.* 8. *de reform.* & in cit. Const. Innocent. XII. incip. *Speculatores*.

23 Ultra alias pœnas arbitrio summi Pontificis infligendas in sic ordinatos ab alieno Episcopo sine dimissoriis, seu consensu proprii diœcesani, & in alienum Episcopum sic ordinantem, possunt insuper sic ordinati puniri privatione beneficii Ecclesiastici, ut expresse statuit Pius II. in cit. Constit. incip. *Cum ex Sacrorum*; et Episcopi sic ordinantes puniri insuper possunt in hoc, quod postquam eorum suspensio fuerit manifesta, possint sui subditi absque ipsorum licentia interim a vicinis Episcopis ordinari, ut est expresse statutum *in cap. Eos qui* 2. *de temporib. Ordinat. in* 6. ut sic puniantur in eo, in quo deliquerunt, nempe quod sui subditi absque eorum licentia ordinentur ab illis Episcopis, sicuti ipsi alienos subditos sine propriorum, seu diœcesanorum facultate ausi sunt ordinare.

24 Suspensio sancita contra ordinatos sine dimissoriis, licet non sit reservata Sedi Apostolicæ in cit. Constit. Pii II. incip. *Cum ex Sacrorum*, fuit tamen reservata propriis Episcopis a Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* & a Constit. In-
25 nocentii XII. incip. *Speculatores*. Suspensio tamen sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata summo Pontifici, ut expresse statuit Ur-
26 banus VIII. Constitut. incip. *Secretis*. Item summo Pontifici est reservata suspensio lata contra eos, qui postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciunt se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii Ordinarii, ut expresse fuit statutum per publicum edictum tempore Clementis VIII. & Alexandri VII. Vide *supra art.* 3. *num.* 79. Item reservata est summo Ponti- 27
fici suspensio lata contra ordinatos ex sex Episcopatibus Cardinalitiis prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio, quam Cardinali Vicario. Sic expresse statuit Alexander VII. Constit. incip. *Apostolica Solicitudo*.

Ab irregularitate incursa propter administratio- 28
nem in Ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus summus Pontifex. Campanil. *in diversorio Jur. Rub.* 7. *cap.* 5. *n.* 2. Card. Petra *loc. cit. num.* 28. & alii passim; Si autem esset occulta, tunc posset dispensare Episcopus vigore Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 6. ubi statuit quod Episcopi possint dispensare in irregularitatibus occultis, exceptis iis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario. Barbosa *ad cit. cap.* 6. *sess.* 24. *de reform. num.* 12. *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 36. *num.* 41. Campanil. *loc. cit.* Card. Petra *loc. cit.* & alii passim.

Episcopus scienter ordinans aliquem ad Sacros 29
Ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi, tenetur idem sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium Ecclesiasticum consequatur. *Communis*, textu expresso *in cap. Episcopus* 4. *& c. Cum secundum* 16. *de præbendis*. Et ipso 30
Episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante, & deinde novus Episcopus, textu expresso *in cit. cap. Cum secundum* 16. *de præbend.* ibi: *Tamdiu per ordinatores, vel Successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur*. Immo si Clericus 31
sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus Episcopis, domicilii videlicet, & originis, recipiendo v. gr. ab Episcopo originis Diaconatum, & ab Episcopo domicilii Presbyteratum, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. Fagnan. in *cit. cap. Cum secundum* 16. *de præbend. num.* 24. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 192. & alii passim.

Quinimmo nedum Episcopus sic scienter ordi- 32
nans, sed etiam Episcopus sic scienter dans licentiam alteri Episcopo promovendi, vel certis, & determinatis promovendis ad Sacros Ordines sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare, textu expresso in *cap. Si Episcopus* 37. *de præbend. in* 6. ubi assignatur justa ratio, quia nempe Episcopus, antequam det talem licentiam pro determinatis personis ab alienis Episcopis ordinandis, prævidere debet, an habeant titulum, & repertis sine titulo, nequit talem facultatem concedere. Si vero Episcopus alienus ex generali commissio- 33
ne, & licentia Episcopi diœcesani ordinationes habeat, & scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc non tenetur proprius Episcopus, utpote sine culpa, sed alienus Episcopus, utpote, qui in culpa fuit, alimenta præstare sic ordinato, textu expresso in *cit. c. Si Episcopus* 37. *de præbend. in* 6.

Talis autem obligatio providendi de necessariis 34
alimentis sic ordinatis scienter sine titulo, incumbit Episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde

aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem, puta ex sua, vel paterna hæreditate. Sic enim expresse limitatur in *cit. cap. Episcopus* 4. *de præbendis*, ibi: *Nisi talis ordinatus de sua paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere*.

35 Item talis obligatio incumbit Episcopis solum quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt aliis determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, & sic ordinati bona fide, & absque dolo, & fraude propria tales Ordines susceperunt. Non autm quando sic ordinati fuerunt ipsi soli in culpa decipiendo Episcopos, ac fingendo per fraudem titulum, quem non habebant: tunc enim Episcopi non tenentur alimenta præstare sic ordinatis, cum ipsi Episcopi, ut supponitur, sint quoad hoc sine culpa, & rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, ut expresse dicitur in *cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*, & ipsi soli sic ordinati sint in culpa, dolo, & fraude, quæ patrocinari non debent, *cap. Sedes* 15. *cap. Ex tenore* 16. *de rescriptis*, *cap. Ex litteris* 2. *de dolo*, & *contumac. c. Tuæ* 12. *de Cleric. non resident. l. In fundo*, *ff. de rei vindic. l. Cum hi*, *ff. de transactionib. l. Si legatarius*, *Cod. de legatis* cum similibus; Ne videantur de sua malitia commodum reportare; *cap. Intelleximus* 7. *De judiciis*, *l. Non ex suo delicto*, *ff. De regul. jur.* Et sic tenet Fagn. *in cit. cap. Cum secundum* 16. *de præbend. num.* 6. Hugolin. *de Offic. & potest. Episcop. cap.* 26. §. 15. *vers. Tertio non tenentur*, Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 21. *n.* 111. Reiffenstuel *ibid. num.* 193. & 198. & alii passim.

36 Si Episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto, & promissione, quod ordinatus non possit expost ab ipso petere alimenta; tunc Episcopus ordinans suspenditur a collatione Ordinum per triennium, & sic ordinatus est perpetuo suspensus ab Ordine recepto, donec a summo Pontifice dispensetur; textu expresso *in cap. Si quis ordinaverit* 45. *de Simonia*.

37 Si Episcopus religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus, ordinet ad Sacros Ordines sub prætextu religionis, & absque titulo beneficii, vel patrimonii, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium Ordinum, & religiosus sic ordinatus est suspensus ab executione Ordinum, donec beneficium Ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit. Et si interim in ipsis Ordinibus ministraverit, efficitur irregularis. Sic expresse statuit S. Pius V. Constit. incip. *Romanus Pontifex*.

38 Excipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ in Societate emiserunt, quia isti de licentia Præpositi generalis possunt promoveri ad sacros Ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. Vide *supra art.* 2. *n.* 68. & 69.

39 Promoti ad sacros Ordines cum falsis, & fictis titulis sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, & subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio summi Pontificis infligendis. Sic expresse statuit Urbanus VIII. Constit. incip. *Secretis*.

40 Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros Ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque Ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem, & dispensationem impetraverit. Sic Reiffenstuel *loc. citat. n.* 205. Barbosa *in cap. Litteras* 13. *de temporib. Ordinat.* cum aliis ibi citatis, *arg. cit. cap. Litteras* 13. §. *final.* & *cap. Dilectus* 15. *De temporib. Ordinat.* Secundum autem plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus. Pirhing *in Jus Canonic. tit.* 10. *de temporibus Ordinat. n.* 108. Layman *de sacris ordinat. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 10. Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *nu.* 41. Pignatell. *com.* 4. *consult.* 228. *n.* 5. Card. Petra *loc. cit. num.* 49. Thesaur. *de pœnis part.* 2. *cap.* 15. §. 4. *vers. Episcopus conferens*; ubi testatur de communi; Suspensio enim de qua *in cit. cap. Litteras*, & *cap. Dilectus*, *de temporib. Ordinat.* non est latæ sententiæ respectu ordinantis, sed solum sententiæ ferendæ: Hinc *sacra Congreg. Concilii in Bovensi* 7. *Maii* 1707. respondit: *Quoad Ordinatos dandam esse absolutionem, imposita pœnitentia salutari arbitrio Episcopi vicinioris* (quia Episcopus fuerat particeps actionis prohibitæ): *Quo vero ad ordinantem, ad mentem*, ut scilicet non solum acriter coarguatur, sed etiam acriter moneatur, quod licet ipsi gravior esset pœna infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo dictos Ordines sacros eodem die; attamen ex benignitate sacræ Congregationis omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino abstineat. Sic Card. Petra *loc. cit. num.* 49. qui tamen *supra in Comment. ad eamdem Constit.* 7. *Pii II. n.* 44. refert, quod casus *in d. Bovensi* propositus erat: *An ordinatus eodem die ad minores, & Subdiaconatum, ille, necnon Episcopus ordinans, in pœnas, & quas, inciderint?* & postea *sub n.* 48. refert, dictam resolutionem sacræ Congr. Concilii emanatam esse respectu Clericorum, qui scienter receperunt, & respectu Episcopi, qui scienter contulit minores cum Subdiaconatu eodem die.

41 Ordinatus eodem die ad duos Ordines sacros, secundum aliquos est suspensus solum ab executione ultimi Ordinis sacri illo die sibi collati. Sic Barbosa *in c. Litteras* 13. *de tempor. Ord. n.* 5. & *p.* 2. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 14. *num.* 11. citans alios; Reiffenstuel *l. c. n.* 306. Layman *loc. cit. cap.* 10. *nu.* 10. & alii; *arg. cap. cit. Litteras* 13. *de temporib. Ordinat.* & *cap.* 2. *De eo, qui furtive*. Alii autem dicunt, ordinatum ad duos sacros Ordines eodem die esse suspensum quoad omnes Ordines receptos, Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 241. & alii, quos refert Thesaur. *de pœnis par.* 2. *cap.* 15. §. *Recipiens duos Sacros*. Sed quidquid sit circa intelligentiam *cit. cap. Litteras*, *aliorumque textuum* id prohibentium, tollitur difficultas ex cit. Const. Pii II. incip. *Cum ex sacrorum* contra male promotos, ut suspensi maneant indefinite loquendo. Scortia *ad dictam Bullam Theorem.* 108. Pirhing *in Jus canon. tit.* 11. *de temporib. ordinat.* §. 11. Unde sacr. Congr. Concilii indiscriminatim hujusmodi ordinatos supponit incursos in suspensionem, & concedit absolutionem quæ reservata est Sedi Apostolicæ tantum, sed etiam dispensationem ab irregularitate ob administrationem Ordinum in fortioribus ter-

terminis ordinatorum eodem die in Ordinibus minoribus, & Subdiaconatu, ut *in d. Bovensi* 7. *Maii* 1707. *in Neapolitana* 6. *Aug.* 1711. *& in Melevitana* 12. *Maii* 1714. Sic præcise apud Card. Petram *l. c. n.* 48.

42 Episcopus conferens Ordines sacros absque celebratione Missæ graviter peccat, sicuti & graviter peccant ipsos sacros Ordines extra Missam recipientes, & tam ordinans, quam ordinati possunt gravi pœna puniri, quia agunt contra ordinationem Ecclesiæ, & contra illud, quod ipsa Ecclesia servat; Sic Glossa *in cap. Quod sicut* 28. *de election. verb. Dividatur*, Card. Petra *loc. cit. num.* 50. & alii passim observantes, quod semper fuerunt sacri Ordines collati cum celebratione Missæ ordinantis, & quod sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* voluit, collationes sacrorum Ordinum in Cathedrali Ecclesia inter Missarum solemnia publice celebrari.

43 Ipsa Missa debet celebrari ab eodem ordinante, nec sufficit, ut celebretur ab alio Sacerdote coram illo, quia debet esse unicus actus concelebrationis, ut in simili, nempe de consecratione Episcopi, recte notant Glossa *in cit. c. Quod sicut* 28. *de election. verb. Dividatur*, Hallier *de Sac. Ord. p.* 2. *c.* 5. *art.* 2. Card. Petra *loc. cit. n.* 39. & ipso teste alii communiter.

44 Missæ tamen celebratio non est de substantia, & essentia ordinationis; Unde quamvis collatio, & receptio sacrorum Ordinum sine celebratione Missæ sit illicita, est tamen valida. Sic expresse Glossa *in cit. cap. Quod. sicut verb. Dividatur*, Barbosa *part.* 2. *de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 14. *n.* 16. *& ad Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 8. *num.* 14. Giribald. *tract.* 9. *de Ordine cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 35. Sanchez *in Opuscul. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 6. Campanil. *in Diversorio jur. canon. rubr.* 2. *num.* 36. *& rubr.* 5. *cap.* 3. *num.* 21. Card. Petra *loc. cit. num.* 41. ubi testatur de communi Theologorum, & Canonistarum.

45 Hinc non est reiteranda tota ordinatio, sed solum supplenda est Missa ipsius ordinantis, & donec suppleatur dicta Missa, remanent suspensi ordinati. Glossa *loc. cit.* Hallier *loc. cit. cap.* 5. *art.* 2. Sanchez *loc. cit. dub.* 13. qui ait, omnem suppletionem debere fieri ab eodem, qui ordinavit, si est possibile; quod si fieri nequeat, ab alio, nec non in tempore, quo ordinationes possunt celebrari. Gampanil. *cit. rubr.* 2. *num.* 36. ubi advertit, quod Missa debet suppleri cum omnimoda cautela, ne ceteris innotescat error, ac propterea consulit, ut patiens defectum accedat quasi minister Episcopi.

46 Ordinans, & ordinatus, non expectatis temporum interstitiis, graviter peccant, quia uterque est voluntarius, culpabilisque transgressor sacrorum Canonum in materia gravi. Et quamvis in jure nulla reperiatur expressa pœna contra ipsos, potest Superior eos punire pœna arbitraria. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Ordo* §. *Ad quintum*; Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit. XI. n.* 213. *&* 204. Barbosa *part.* 2. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 18. *n.* 14. cum plurimis ibi citatis.

47 Alia ad rem. Vide verb. *Interstitia*.

Ordinati per saltum, vel alias male promoti dispensationem obtinere possunt in casibus occultis a Pœnitentiaria Apostolica, Ben. XIV. Constit. 95. incip. *Pastor bonus* §. 18. Ordinati a schismaticis, exercitium Ordinis non recipiunt; sed absolutionem recipere tenentur, & dispensationem ab irregularitate; & schisma, erroresque abjurare. Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 7. 84 49

Non ordinati ad sacrum Presbyteratus Ordinem, qui Missam celebrasse, aut confessiones sacramentales audisse reperti fuerint, curiæ sæculari puniendi tradi debent. Idem Constit. 57. incip. *Sacerdos.* Ordinationis probatio in tali casu a reo facienda est, nec incumbit fisco onus eam excludendi, ubi ex relatione Ordinarii constat eum non promotum fuisse. Idem *ibidem* §. 5. 50 51

Pro Ordinum collatione nihil a collatoribus, aut eorum ministris, etiamsi sponte oblatum, est accipiendum. Sic expresse Concil. Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. *de reformat.* ibi: *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.* Benedict. XIV. *de sinodo diœcesana lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 1. Vide tamen *tom.* 7. *verb. Taxa n.* 1. 52

Sacerdotio initiandum, qui licet omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset ad Episcopum tamen, solita patena cum hostia, & calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus non accessit, iterum sub conditione esse ordinandum, respondit *sacra Congreg. Concil.* teste eod. Benedicto XIV. *loc. cit. lib.* 7. *cap.* 25. *n.* 1. *&* 13. qui *ib. n.* 2. ex Isamberto *de Sacrament. Ordinis disp.* 3. *artic.* 6. dicit, sane ridiculam, & plane absurdam esse opinionem illorum, qui tenent, ante impressionem Evangeliorum in ordinatione Diaconorum fuisse eis traditam loco libri Evangeliorum, chartam, in qua fidei nostræ mysteria erant conscripta. 53

Episcopus Ordines collaturus laudabiliter sub censuris præcipit, ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio, vel beneficio ad sacros Ordines accedat; sed improbatur Episcopi protestatio, se non habere intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, beneficio, vel litteris dimissorialibus sui Ordinarii carentes, cum ex ipsa variæ oriantur animi anxietates, & etiam prudens dubitatio excitetur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enunciatis impedimentis esset obstrictus. Idem *loc. cit. cap.* 26. *n.* 1. Si quis aliquo ex iis impedimentis ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit Episcopi intentio, erit iterum absolute ordinandus. Si dubia sit Episcopi intentio, ordinatio sub conditione erit iteranda. Idem *ibid. n.* 2. Vide supra *n.* 4. *&* 5. ubi ad id varia afferuntur decreta sacræ Congregationis Concilii. Quare ad evitandas omnes dubietates, & securius procedendum expedit, ut Episcopus se abstineat a simili pro- 54

protestatione, & prius diligenter inquirat de ordinandorum omnimoda idoneitate, & postea in actu collationis Ordinum, absolutam habeat intentionem omnes ordinandi quotquot ad ordinationem accesserint. *De synod. diœc. lib.* 7. *c.* 25. *num.* 2.

59 Ab Ordinibus suspensus, ad Superiorem Ordinem ascendens, licet grave committat sacrilegium, non incurrit tamen irregularitatem, nam sic non exercet Ordines, a quibus est suspensus, ad incurrendam irregularitatem indictam *in cap. Apostolica 9. de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante, cap.* 1. *de sentent. excommunicat. in 6. & cap.* 1. *de sentent. & re judicata, pariter in 6.* Idem *ibid. lib.* 7. *cap.* 67. *num.* 7. ubi refert, sic censuisse *sacr. Congreg. Concil. in Carinolen. seu Neapolitana Ordinationis die* 31. *Januar.* 1688. & multos ad id adducit etiam Doctores contra alios oppositum sentientes.

60 * In sacra Congregatione die 31. Martii 1685. agitatum est, num Clericus, qui falsaverat testimoniales Ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi Ordinem Subdiaconatus, qui tunc sibi ab Episcopo conferebatur, reipsa ordinatus esset? Respondit vero die 24. Augusti ejusd. anni, esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur Clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi Ordinem non habuerit. *De sacrific. Missæ lib.* 7. *cap.* 10. §. 13.

Additiones ex aliena manu.

66 In Can, *Neminem dist.* 79. pœna suspensionis statuitur, si quis Ordines accipiat absque sufficienti patrimonio. *Decrevit sancta Synod. vacuam haberi manus impositionem*. In alio Canone *Sanctorum* id ipsum verbis hisce decernitur: *Decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur*. Innocentius III. in *c. Cum secundum, de præbend.*
62 *& dignitat.* severitatem hanc veterum canonum mitigavit, & obstringit eum, qui haud ignarus fraudis, atque imparis patrimonii contulerit Ordines, ut subministret ordinato necessaria ad vitam agendam: *Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes; Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiast. beneficia consequantur*. Conc. Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de* 62
Reform. iterum præscripsit veterum canonum pœnas illis, qui titulo imparis beneficii, sive pertinentis ad alium quempiam, aut patrimonii fictitii ordinantur: *Antiquorum canonum pœnas super ipsos innovando*. Sixtus V. in sua *Constitutione* 91. rursus confirmat suspensionis pœnam a priscis sanctionibus inflictam & Clem. VIII. in sua *Const.* 40. iis terminis concludit Sixtinam, qui decernuntur a Conc. Tridentino.

Patet ex his, quod, ut recte judicetur, an ordinatus titulo imparis beneficii, vel ad alium 64
quempiam pertinentis, aut patrimonii fictitii, incurrat suspensionem; investigandum sit, an Concilium Trident., dum veterum Canonum decreta renovavit, pœnam suspensionis promulgaverit, vel solum edixerit, ut qui fraudis conscius Ordines administraverit, alimenta præstare debeat ordinato, donec honestam vitæ sustentationem alio pacto consequatur?

Sacra autem Congregatio Concilii interpres, cui 65
hac in re standum omnino est, pœnam superius expositam solummodo in eum, qui Ordines contulerit, renovatam asseruit, non item suspensionem, nisi forte ordinatus fuerit ante conscius doli, & ordinatorem ipsum in fraudem adduxerit.
Tunc enim eadem suspensionis pœna liberari ne- 66
quit, uti die 27. *Novemb. anno* 1610. constitutum fuit: *Sacra Congregatio Concilii, proposito suprascripto dubio, omnium sententiis censuit hoc casu pœnam suspensionis ante Concilium non esse correctam, & hodie a Tridentino Concilio esse innovatam, & propterea hujusmodi Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque Ordinum executione*. Confer Fagnanum *in cap. Cum secundum num.* 63. *usque ad finem, de præbend.*

ORDO, PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII. Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta art.* 2. *a n.* 1. *ad* 7.

ORGANA. Vide verb. *Musica num.* 20. & verb. *Paramenta num.* 37. & verb. *Sacerdos n.* 53.

OSTIARIATUS. Vide verb. *Ordo, Ordinare art.* 1. *n.* 3. 4. 28. *ad* 30.

PABU-

P A B U L A T I O.

Vide verb. *Bellum art.* 3. *num.* 27. 28. 29. & verbum *Pascua per totum*; in primo namque loco breviter expenditur pabulationis usus respectu militum tempore belli in terra hostili, & in terra amica; in secundo autem loco Pascua declarantur quoad nomen, & esse, ac ad quos spectent, nec non quinque traduntur modi, quibus pascendi jus acquiri potest, & per totum exponitur, quod hac de re scitu dignum est.

P A C T U M.

Articulus I.

Quod ad ea, quæ concernunt naturam, divisionem, & effectus Pactorum.

1 Pactum est sic dictum a pactione, textu expresso *in leg. Hujus Edicti* 1. *ff. de pactis* §. 1. ibi: *Pactum autem a pactione dicitur*, vel quasi ex pace factum, quia per pacta fieri solet pax, *cap. Pactum* 11. *de verbor. significat.* ibi: *Pactum quasi ex pace factum*, & concordat *cit. l. Hujus Edicti* §. 1. ibi: *Inde etiam pacis nomen appellatum est*.

2 *Pactum* (*a*) *est duorum, pluriumve in idem placitum consensus*. Sic præcisis verbis definitur *in cit. l. Hujus Edicti* §. 2. seu ut definitur *in l. Pactum* 3. *ff. de Pollicitationibus*: *Pactum est duorum consensus, atque conventio*, & concordat definitio, quæ refertur *in cap. Pactum* 11. *de verbor. significat.* ibi: *Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura legibus, & moribus comprobata*. Ly enim *scriptura*, non denotat, quod pactum sine scriptura fieri non possit, sed solum demonstrat, quod solet in pactis interponi scriptura ad faciliorem, & clariorem pactorum probationem, ut recte explicat Glossa *ibidem*.

3 Pactum (omissis aliis minus scitu necessariis divisionibus) præcipue dividitur in pactum nudum, & vestitum, seu legitimum. Abbas *in cap. Antigonus* 1. *de pactis numer.* 4. & alii communi-
4 ter. Pactum nudum est illud, quod in sola conventione paciscentium consistit; & dicitur *nudum*, quia stat in puris, simplicibus, & nudis finibus conventionis, sicut ille dicitur nudus, qui est sicuti de utero processit, ut declarant Bartolus *in leg. Juris gentium* §. *Igitur n.* 1. *ff. de pactis*, Abbas *in cit. cap. Antigonus* 1. *de pactis num.* 4. Fagn. *ibidem num.* 18. & alii passim. Non enim intercedit aliquod extrinsecum, quo vestiatur, videlicet, nec stipulatio, nec solemnitas scripturæ, aut hujusmodi.
Pactum vestitum, seu legitimum est illud, quod 5
præter conventionem partium aliquod aliud juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo oritur, *leg. Legitima conventio, ff. De pactis*, ibi: *Legitima conventio est, quæ lege aliqua confirmatur, & ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel Senatus consulto adjuvatur*, & concordat textus *in leg. Juris gentium* §. 1. *seq. ff. eodem*.

(*) Rectius mutuanda est pactorum divisio ex ipso textu in *l.* 5. §. 1. *ff. de pactis*. *Conventionum autem tres sunt species*: *Aut enim ex publica causa fiunt, aut ex privata; privata aut legitima, aut juris gentium*. *Publica conventio est quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur*, dummodo tamen duces mandatum habeant ex ipso principe, vel princeps ipse paciscatur. In *lege* autem 6. *ff. eodem* definitur, quod privata, & *legitima conventio ea est, quæ lege aliqua confirmatur*. *Et ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel Senatus consulto adjuvatur*. Hæ legitimæ conventiones, vel stricte dicuntur legitimæ, quum specialiter aliqua lege civili confirmantur, vel Prætoriæ sunt cum nulla quidem Civili lege, sed jure prætorio specialiter confirmantur, ut conventio de hypotheca. Privata conventio juris gentium illa est, quæ nec ulla lege civili nec prætoria confirmata est, sed unice pendet ex privatorum arbitrio. Conventionum etiam celeberrima divisio est in contractus tam nominatos, quam innominatos, & in pacta stricte dicta. Enim vero, ut ait textus in *dicta l.* 1. §. 4. *ff. eod.* *Conventiones pleræque in aliud nomen transeunt, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in stipulationem*. Hæ conventiones dicuntur contractus nominati, quæ scilicet inter innumeras conventionum species selectæ a primis juris auctoribus, ut actionem certam parerent sub certo, ac speciali nomine. Omnes aliæ conventiones nomen quidem non habent, sed si habeant causam, id est, si in his intervenerit aliquod factum, aut alicujus rei datio, per quod factum

(*a*) In allegato textu non *pactum* legitur, sed *pactio*. Nonnulli quidem doctorum aliquod, alio vero nullum inter pactionem, & pactum constituunt discrimen. Cujacius quippe censet *pacti* seu pactionis appellatione numquam contineri contractum, sed tantum nomine conventionis definitionem pactionis, quæ hic affertur, non convenire contractui, qui contractus præter duorum consensum adhuc aliquid habet, scilicet aut nomen aut causam. Contra Gerardus Noodt, *pactum*, & *pactionem* largo sensu idem sonare, ac conventionem, ut tam contractus, quam pacta simpliciter dicta complectatur, & eo sensu *pactionem* hic definiri.

ctum dationemve conventio impleri ex una parte cœpta sit, fiunt contractus, & hi dicuntur contractus innominati. Denique conventiones, quæ nec nomen, nec causam habent, sunt conventiones simpliciter dictæ seu pacta stricte dicta. Hæc pacta stricte dicta sunt vel legitima, vel prætoria, vel adjecta alicui contractui, vel nuda de quibus in decursu agemus.

Est et alia pactorum divisio, quod *pactorum quædam in rem sunt, quædam in personam l.* 7. §. 8. *ff. hoc tit.* In rem sunt, cum nulla fit limitatio personarum, quibus prodesse pactum debeat. In personam sunt, cum hoc agitur, ut pacti utilitas ultra certam personam non porrigatur, puta ultra personam paciscentis. V. G. Pacta *in rem sunt quoties generaliter paciscor, ne petam; in personam quoties ne a persona petam, id est ne a Lucio Titio petam.* Hinc patet discriminis ratio inter utramque pacti speciem: nimirum pactum in rem omnibus prodest, quibus pactum prodesse posse videbimus. Contra vero in personali pacto, ut *Si quis paciscatur: ne a se petatur, sed ut ab hærede petatur, hæredi exceptio non proderit l.* 17. §. 3. *ff. hoc tit.* Multo minus proderit fidejussoribus, & similibus personis. Nam generaliter *personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem Labeo ait l.* 25. §. 1. *ff. hoc tit.*

Vidimus quæ pacta dicantur in rem, quæ in personam, & in quo differant. *Utrum autem in rem, an in personam pactum factum sit, non minus ex verbis, quam ex mente convenientium æstimandum est. Plerumque enim, ut et Pedius ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur cum quo pactum factum est.* Ita docet Ulpianus *in l.* 7. §. 8. *ff. hoc tit. vers. utrum.* Cum in limitando ad certas personas pacti effectu mens convenientium magis, quam verba attendi debeant, hinc sequitur, quod Papinianus definit in specie sequenti. *Pater qui dotem promisit, pactus est, ut post mortem suam in matrimonio sine liberis defuncta filia portio dotis apud hæredem suum fratrem remaneret. Ea conventio liberis e socero postea susceptis, et hæredibus testamento relictis per exceptionem doli proderit, cum inter contrahentes id pactum sit, ut hæredibus consulatur, & illo tempore quo pater alios filios non habuit, in fratrem suum judicium supremum contulisse videatur l.* 40. §. 3. *ff. hoc tit.* Nam etsi liberi paciscentis verbis pacti non contineantur, quam ob causam non competit illis exceptio pacti, nihilominus continentur sententia pacti. Etenim pater, qui fratri suo, quem sibi hæredem fore putabat, dotis portionem reddi pactus est, multo magis voluisset eam liberis suis reddi, si liberos se suscepturum scivisset. Et inde manifeste eruitur hæc voluntas, quod liberos illos testamento hæredes reliquerit, cum antea fratrem hæredem instituisset, eique quasi hæredi pactus esset. Illud etiam patet, quod *tale pactum* PROFITEOR, TE NON TENERI, non in personam dirigitur, sed cum generale sit, locum inter hæredes quoque litigantes habebit, ut pariter docet Papinianus in dicta *l.* 40. *ff. hoc tit.* Divisionem pactorum in rem, et in personam fecimus ex parte ejus, cui quid promittitur. Similis divisio fieri potest ex parte alterius paciscentis, qui promittit. Possunt autem pacta sic esse in rem ex una parte, & in personam ex alia. Et quidem *si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit; veluti, ne ego petam, vel ne a te petatur; hæres meus ab omnibus vobis petitionem habebit, & ab hærede tuo omnes petere poterimus l.* 57. §. 1. *ff. hoc tit.*

Quemadmodum hactenus recensitæ sunt divisiones conventionum simpliciter dictarum, ita inopportunum non erit enumerare divisiones contractuum, qui ab hujusmodi conventionibus procedunt. Contractus quippe dividuntur ratione originis in Civiles, & juris gentium: Ratione obligationis, quam pariunt, *unilaterales*, qui scilicet unum tantum in contrahentibus obligant, & *bilaterales* seu synallagmaticos, qui obligant utrimque. Ratione eorum effectus circa judicia dividuntur in contractus stricti juris, & bonæ fidei; ita dicti quia in actionibus, quæ ex his descendebant, libera facultas judici permittebatur judicandi quod æquum ac bonum sibi videretur: Contra erat adstrictus formulæ, quæ ex contractibus stricti juris dabatur. (*)

6 Pactum pluribus modis vestitur, seu Jure Civili confirmatur, & hos præcipuos modos enumerat Glossa magna *in cit. l. Juris gentium §. Sed cum nulla, verb. Quinimmo, ff. de pactis*, Bartolus *ib.* Pirhing *lib.* 1. *Decret. tit.* 35. *a n.* 4. Reiffenstuel *ib. a n.* 20. & alii passim.

7 Primo igitur vestitur, si pactum simplex transeat in contractum specificum, seu nominatum, seu in genere perfectum, v. g. in Emptionem, Venditionem, Locationem, Commodatum, Depositum, & hujusmodi: Generatim enim omnes contractus nominati sunt vestiti, & pariunt actionem, quando in suo genere sunt perfecti; *citat. l. Juris gentium* §. 1. *ff. de pactis.*

8 Secundo pactum nudum, seu simplex vestitur, seu confirmatur Legis assistentia, seu Juris auxilio, ita ut ex eo oriatur actio Civilis ex Juris privilegio, ut colligitur *ex l. Legitima 6. de pactis*, & notat Glossa *ib.* Sic quippe ex simplici donatione, posteaquam acceptata est ante traditionem rei, Jure novo Codicis oritur actio Civilis ad rei ita promissæ traditionem; *l. Si quis* 55. §. *Sed si quidem, Cod. de Donation.* Item ex nudo pacto Dotis præstandæ, seu ex simplici promissione Dotis acceptata in favorem Matrimonii, oritur actio Civilis; *l. Unica, Cod. de rei uxor. action. leg. Ad exactionem* 7. *Cod. de Dotis promissione.*

9 Tertio vestitur, & confirmatur pactum nudum, seu simplex, cohærentia cum contractu nominato, vel alio pacto vestito, videlicet si pactum incontinenti, & non ex intervallo adjiciatur alteri contractui nominato, vel pacto vestito, sive pactum nudum præcedat contractum nominatum, vel pactum vestitum, sive confestim subsequatur: *cit. leg. Juris gentium* 7. *ff. de pactis §. Quinimmo, & seq.* Sic quando quis locat alteri domum, adjecto simul pacto, ut agrum suum adjacentem colat, tale pactum non dicitur amplius nudum, quia cum cohæreat cum illo primo pacto vestito, seu contractu locationis, hoc adimpleto ex parte locantis,

cantis domum, firmatur etiam illud pactum nudum, & simplex, ita ut pariat actionem Civilem, sicut primum pactum vestitum, seu contractus locationis domus.

10 Quarto vestitur, & confirmatur pactum nudum, seu simplex, per traditionem rei, seu impletionem promissi; *cit. l. Juris gentium* 7. §. 2. *ff. De pactis*. Sic quando quis dat alteri aliquid, ut aliud ipsi, vel pro se faciat, tale pactum non est amplius nudum, sed ex parte ejus, qui dedit, seu promissum implevit, dicitur vestitum, & parit actionem civilem, cum ipse petere possit, ut etiam alter adimpleat contractum, & præstet id, quod conventum est, vel ut sibi restituat quod dedit, vel quantum sua interest; *leg. Naturalis* 5. *ff. De præscriptis verbis*, *l. Si ob rem* 1. *leg. Dedi* 3. §. *Sed si tibi*; *l. Si pecuniam* 5. *in princip. De conditione causa data, causa non secuta*.

11 Quinto vestitur, & confirmatur pactum nudum, seu simplex adjectione juramenti, ita ut exinde etiam de Jure civili concedatur actio; *arg. l. Ut juris jurandi*, *ff. de operibus libertor.* & tenent Covarruv. *in cap. Quamvis part.* 2. §. 4. *num.* 27. *de pactis in* 6. Pirhing. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 35. *n.* 5. Reiffenstuel *ibid. n.* 25. Engel. *ibid. n.* 8. cum aliis ibi citatis. Omne enim juramentum, quod sine salutis æternæ dispendio servari potest, in utroque foro servandum est; *cap. Cum contineat* 38. *de Jurejurando*.

12 Sexto vestitur, & confirmatur pactum nudum, seu simplex vestimento verborum, sive per stipulationem, quæ stipulatio valet sub quacumque verborum forma sit concepta; §. 1. *In hac re*, *Instit. de verbor. obligationibus*, *leg. Omnes stipulationes* 10. *Cod. de contrahenda stipulatione*.

13 Septimo vestitur, & confirmatur pactum nudum, seu simplex litteris, sive per proprium Chirographum; ut quando quis sub suo Chirographo aliquid paciscitur, sive alteri promittit; *arg.* §. *unico*, *Olim Scriptura*, *Institut. de Litterarum obligationibus*.

14 Primarius, ac principalis effectus pactorum est obligatio naturalis; *c. Antigonus* 1. *de pactis*, ibi: *Inita pacta suam obtineant firmitatem . . . . pacta custodiantur*; & in ejus Summario expresse dicitur: *Pacta, quantumcumque nuda servanda sunt*, & *c. Qualiter* 3. *eod.* ibi: *Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*: Et concordat *l. Hujus Edicti* 1. *ff. de pactis in principio*, ubi expresse dicitur: *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos pla-*
15 *cuerunt, servare*? Et propterea Princeps, licet sit solutus Legibus, *leg. Princeps*, *ff. de Legibus*; nihilominus obligatur ex nudo pacto etiam inito cum propriis subditis; *arg. c. Ex Epistolæ verbis* 1. *de probationibus*, adeout ab eo recedere non possit etiam de plenitudine potestatis. Bald. *in cap.* 1. §. *Ad hæc col.* 5. *ff. de pact. juram. firmand.* Paul. de Castr. *in l. Digna vox*, *Cod. de Legibus*; Card. Zabarell. *consil.* 147. *Dominus noster Papa*, Socin. *consil.* 86. *n.* 14. *lib.* 4. Fagnan. *in cit. c. Ex Epistolæ verbis* 1. *de probationibus n.* 23. cum aliis ibi citatis, & *in cap. Antigonus* 1. *de pactis n.* 7.
Reiffen. *l.* 1. *Decret. tit.* 35. *n.* 28. Et hoc non alia 16
ratione, nisi quia princeps ex pacto obligatur Jure naturali, & Divino, cui etiam Papa, & Imperator subjiciuntur. Clementin. *Pastoralis*, *de re judicat.* Card. Zabarella *citat. consil.* 147. *num.* 7. Abbas *in cap.* 1. *de Constitutionibus*, Fagnan. *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. cit.* & alii.

Hinc quicumque non servat pacta etiam nuda, 17
dummodo deliberata, & serio facta, peccat mortaliter; *arg. c. Prædicandum* 22. *q.* 1. *l. Antigonus* 1. & *c. qualiter* 3. *de pactis*; & *l. Hoc Edicto* 1. *de pecunia constituta*, ibi: *Hoc edicto Prætor favet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit; quoniam grave est fidem fallere*. Et probatur efficaciter *ex cit. c. Antigonus* 1. *de pactis*, ubi recedens a pacto potest excommunicari. Excommunicatio autem non infligitur, nisi pro mortali, ut est textus *in c. Nemo Episcoporum* 11. *qu.* 1. adeoque &c. Et sic tenent Glossa, Hostiensis, Joann. Andreas, Bellarm. Cardin. Butrius, Imola, Archidiaconus, & alii communiter, teste Fagnano *in cit. c. Antigonus* 1. *de pactis n.* 5.

Pacta quæcumque ratione naturalis obligationis 18
pariunt quosdam alios notabiles effectus etiam pro foro externo. Molina *tom.* 2. *de just.*, & *jure tract.* 2. *disp.* 257. *n.* 1. Lessius *lib.* 2. *de justit.*, & *jure c.* 17. *n.* 23. Layman. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 9. *n.* 9. Pirhing *lib.* 1. *Decret. tit.* 35. Reiffenstuel *ibid. num.* 29.

Primo igitur quælibet pacta etiam nuda, ac pro 19
foro externo pariunt exceptionem; *l. Juris gentium* 7. §. *Sed cum nulla*, *ff. de pactis*; ita ut licet promissarius non possit instituta actione petere quod sibi promissum est ex simplici, & nuda promissione, potest tamen pacto illo tamquam exceptione uti, ut se defendat ab actoris petitione, eumque repellat. Hinc si Petrus v. g. simpliciter promisit se centum aureos mutuo daturum Paulo, isque vicissim Petro debeat centum ex venditione, in tali casu Paulus Petrum petentem centum aureos sibi debitos potest repellere exceptione promissi mutui (*).

Secundo pacta omnia impediunt debiti soluti 20
repetitionem, unde quod semel ex tali pacto solutum est, potest retineri, non solum in foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo, ita ut non debeat neque in judicio restitui; *arg. cit. l. Juris*

(*) Non quælibet pacta prout auctor firmat exceptionem pariunt, sed ea tantum, quæ de non petenda pecunia aliisque similibus interponuntur. Si enim pactus sim tecum, ut fundum quem possides, Titio tradas Proculus *lib.* 5. epistolarum respondit, vindicantem me eum fundum a te, non aliter me conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam ante tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, & per te non staret quominus jam traderes. *Leg. Si cum fundum* 37. *ff. hoc tit.* Quamvis autem ex nudo pacto non detur actio, si tamen pacto adjecta sit pœna, hæc solvenda est, ut alibi notavimus.

Juris gentium 7. §. *Sed cum nulla*, *ff. de pactis*, & §. *Præterea*, *Instit. de exceptionibus*.

21 Tertio pacta omnia etiam nuda tribuunt Jus compensandi; Unde Debitor potest facere compensationem in eo, quod sibi ex pacto nudo Creditor debebat, neque in Foro etiam externo compelli potest ad plus solvendum, quam excessum; *arg. cit. l. Juris gentium* 7. §. *Sed cum nulla*, *ff. de pactis*, & §. *Præterea*, *Instit. de exceptionibus*.

22 Quarto quibuslibet pactis etiam nudis potest accedere Fidejussor, & hic efficaciter obligari, ita ut contra eum detur actio; *arg. l. Fidejussoribus*, *ff. de fidejussoribus*.

23 Quinto pacta omnia etiam nuda pariunt facultatem retinendi pignus; Unde potest retineri pignus datum, donec solvatur id, quod ex nudo pacto est debitum: Molina *tom.* 2. *de justitia*, & *jur. tract.* 1. *disp.* 25. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *de justit. cap.* 17. *num.* 23. Pirhing *loc. cit. num.* 35. *argum. cit. l. Juris gentium* 7. §. *Sed cum nulla*, *ff. de pactis*, & §. *Præterea*, *Instit. de exceptionibus*.

(*) VI. Nudo pacto dominium rei in alium transferri non potest: & ideo si quis vendat pacto adjecto, ut emptor statim ejus rei dominus fiat, illud pactum nullius efficaciæ est quantum ad dominii translationem. *Duaren. Oper. tom.* 1. *pag.* 73. *in tit. de pact. n.* 4. (*)

24 De jure Canonico ex pacto nudo datur actio, idest Jus exigendi in judicio illud, de quo inter paciscentes conventum fuit; sic colligitur aperte *ex cap. Antigonus* 1. & *c. Qualiter* 3. *de pactis*, & tenet Glossa *in cit. cap. Antigonus*; Abbas *ibid. n.* 3. Bald. *n.* 11. Felin. *n.* 4. Fagnan. *n.* 24. & Canonistæ communiter, ut testantur Fagnan. *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. cit. Decret. tit.* 36. *n.* 31. & *seq.*

25 De rigore Juris Civilis non datur actio ex pacto nudo, sed solum exceptio. *Communis*, textu expresso *in l. Juris gentium* 7. §. *Sed cum nulla*, *ff. de pactis*, ibi: *Igitur nuda pactio obligationem non parit*, *sed parit exceptionem*, ubi per ly *Obligationem* Glossa *ibid.* dicit, quod intelligitur obligatio efficax, idest talis, qua quis actione instituta possit petere in judicio, quod sibi ex nudo pacto promissum fuit. Et concordat *l. Ex placito* 3. *Cod. de rer. permutat.*

26 Dicitur autem notanter *De rigore Juris Civilis*, quia secundum hodiernos mores, etiam in Foro Civili datur actio ex pacto nudo, prout tradunt uno ore Interpretes, testibus Christ. Clingensperger *l.* 3. *Institut.* 14. *q.* 10. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 35. *num.* 37. Pirhing *ibid. num.* 37. Card. de Lugo *disp.* 22. *de contractibus*, *sect.* 5. *n.* 56. Et hoc merito, ne forum internum discordet ab externo, & ut delictis janua non aperiatur.

Additiones ex aliena manu.

27 De vi pactorum, attento jure naturæ, attento jure civili Romanorum, attento jure canonico, tum attentis hodiernis moribus gentium, vide quæ diximus *in addit. ad verb. Contract.*

28 Illud hic denuo inculcandum est, haud confundenda esse pacta cum tractatibus; Illa negotium in se perfectum, hi perficiendum continent, &

29 ita actum imperfectum continent. *Imperfectum* autem dicitur, juxta *legem penultim. in fin. C. de His quib. ut indign. Ad quod perficiendum seu agendum aliquid superest*, adeoque etsi plura jam acta sint inter Partes, ita ut prope res peracta sit, nihil tamen actum intelligitur, quandiu totum negotium non plene est absolutum; Confer *Coccej. dissert. de Jur. circa act. imperfect. sect.* 2. §. 4. *in fine*.

In sponsalibus, quæ pacto perficiuntur, observatio hæc insignem præbet usum. Ea non sunt perfecta, nisi Paciscentes consensum categoricum adeo ad futurum matrimonium ediderint, ut nihil determinandum supersit. Si adhuc quædam determinanda reservata sunt, imperfecta sunt ex doctrina jam proposita. 30

Quid sentiendum sit de pactis præparatoriis contractuum, facile ex dictis dijudicari potest. Meo judicio meris tractatibus referri debent pacta præparatoria contractuum. Hinc etiam si quis indefinite promiserit se rem alteri venditurum, locaturum, seu societatem cum altero initurum esse, hæc promissa sunt indefinita, & respiciunt negotium futurum adhuc determinandum, adeoque imperfecta dicenda: Et ita quamdiu nondum apparet eo usque partes consensisse, ut jam subsistere, nihilque amplius isti rei addere, sed ei quod jam placuit acquiescere valeat, imperfectus est actus; *Coccej. cit. dissert. sect.* 3. §. 3. 31 32

Contra vero si pactum, quod contractum præcedit, in se sit determinatum, definitumque, ut contractu accedente nihil amplius sit determinandum, hic actus non nudum tractatum, sed pactum absolutum continet. 33

Huc referri debent sponsalia, quæ sunt negotium præparatorium futuri matrimonii contrahendi, in quibus omnia determinantur, quæ inservire possunt futuro matrimonio contrahendo. Huc quoque referendum pactum de mutuanda certa ac determinata pecuniæ quantitate ad certum tempus. Et propterea apud illas Gentes, apud quas ex pacto actio oritur, actio ad interesse ei, cui promissio facta est, denegari nequit. 34 35

Articulus II.

Quo ad illos, qui possunt, vel non, pacisci quo ad res, de quibus licet, vel non, pacisci, & quo ad pacta quædam illicita, & a jure reprobata.

Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere: Pactum enim non differt a contractu, nisi sicut genus a specie. *Communis*, & patet *ex l. Hujus Edicti* 1. *ff. de pactis*, ubi dicitur, quod *Conventionis*, seu *Pacti* nomen generale est, quamvis postmodum *Conventionum pleræque in aliud nomen transeant*, *veluti in emptionem*, *in locationem*, *in pignus*, & hujusmodi; respectu quarum proinde Conventio, seu Pactum ut sic obtinet rationem generis; Qui autem possint, vel non, contrahere? Vide verb. *Contractus*. 1 2

(*) Quamvis tamen omnes qui contrahere possunt, possint etiam pacisci, nihilominus nequit pro omnibus pactum iniri. Etenim *quæcumque gerimus*

rimus, cum ex nostro contractu originem trahunt nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem nostrum actum efficiunt: Et ideo neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus. l. 11. ff. de oblig. & act. Quare *nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest per text. in l. 73. §. fin. ff. de reg. jur.* Hoc adeo verum est, ut nec convalescat conventio, licet is, cui quis pactus est, paciscentis hæres postea extiterit: puta. *Si pactus sim, ne a me, neve a Titio petatur, non proderit Titio etiamsi hæres extiterit: quia ex postfacto id confirmari non potest. Hoc Julianus scribit in patre, qui pactus erat ne a se, neve a filia peteretur, cum filia patri hæres extitisset, l. 17. §. 4. ff. hoc tit.*

Hæc regula suas patitur limitationes. Nam quis utiliter paciscitur nec videtur alteri pacisci, qui sibi & hæredi suo paciscitur; nec solum omnibus, sed uni ex hæredibus meis paciscor utiliter, ne ab ipsis petatur. Hæc docet Celsus in *l. 33. ff. hoc tit. Avus neptis nomine, quam ex filio habebat dotem promisit, & pactus est, ne a se, neve a filio suo dos peteretur. Si a cohærede filii dos petatur, ipse quidem exceptione conventionis tuendus non erit, filius vero exceptione conventionis recte utetur. Quippe hæredi consuli concessum est: nec quidquam obstat uni tantum ex hæredibus provideri, si hæres factus sit, cæteris autem non consuli.* In eamdem Celsi sententiam descendit etiam Pomponius, & iisdem fere utitur verbis in *l. 10. ff. de pact. dotal.* Utiliter etiam quis paciscitur ei, in cujus potestate est, cum ille jure potestatis per ipsum acquirere possit. Hinc *filius servusve si paciscantur ne a patre dominove petatur*, ut ex *l. 17. §. fin. ff. hoc tit.*, *sive de eo paciscantur, quod cum patre dominove contractum est, l. 18. ff. eod. acquirent actionem. Idem est, & in his, qui bona fide serviunt, l. 19. ff. eod.* Enim vero *per quos stipulatione acquiri nobis potest, per eosdem etiam pactis conventis meliorem nostram conditionem fieri posse placet, l. 59. ff. eod.*

Notandum insuper quod dum extraneo paciscor licet per se inutilis conventio sit, nihilominus si id, quod ei paciscor, mea intersit, utiliter paciscor, nec videor alteri pacisci. Hinc Paulus: *Si sine persona sua reus pepigerit ne a fidejussore petatur, nihil id prodesse fidejussori quidam putant, quam id rei intersit, quia ea demum competere ei debet exceptio quæ & reo.* Atqui hoc pactum non potest parere exceptionem reo, cum non sibi pactus sit sed reo, ergo nec fidejussori. At prosequitur Paulus *Ego didici prodesse fidejussori exceptionem, non sic enim illi per liberam personam adquiri, quam ipsi qui pactus sit, consuli videtur, quo jure utimur, l. 29. §. 1. vers. quod si sine, ff. hoc tit.*

Observandum etiam, quod pactum, quo paciscimur extraneo cum nostra non intersit, quamvis secundum juris regulas inutile, interdum tamen prodest per exceptionem doli. Exemplum affert Papinianus *l. 26. §. 4. ff. de pact. dotal. Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solvatur, pacto filiæ nulla matri quæritur actio. Si tamen hæres puellæ matri pecuniam dotis solverit, viro contra placita petenti dotem obstabit exceptio.* Non pacti exceptio, cum pactum inutile sit sed exceptio doli, quia contra bonam fidem maritus facit, cum desiderat, ut hæres uxoris, qui ex ipsius viri voluntate, & secundum id quod ipsi viro placuit, dotem matri uxoris solvit, eam ipsi iterum solvat. Quod si hæres uxoris non jam solvisset eam matri, teneretur eam viro petenti ex promissione dotis solvere, nec ullam ex illo pacto, quod inutile est, exceptionem posset ei opponere, eo magis, quod ejus non intersit viro, an matri solvat.

Una superest quæstio, nimirum si quis sibi & extraneo paciscatur, an ex ea conventione jus in solidum paciscenti adquiratur? Ita obtinere debere definit Javolenus *in l. 64. ff. de contrahend. Empt. Fundus ille est mihi & Titio emptus. Quæro utrum in partem, an in totum venditio consistat, an nihil actum sit. Respondit: personam Titii supervacuo accipiendam puto, ideoque totius fundi emptionem ad me pertinere.* Non tamen hoc obtinet in omnibus conventionibus. In stipulationibus enim cum stricti juris sint, si quis sibi & extraneo stipuletur, stipulatio in partem tantummodo valet per *text. in l. 110. ff. de verb. oblig.* Quemadmodum nemo alteri pacisci potest, pariter nemo paciscendo promittere potest nisi de se non vero de alterius persona, ut infra fuse pertractabimus, ubi sermo erit de verborum obligationibus. (*)

Pacisci solum potest de iis rebus, quæ sunt pa- 3
ciscentium propriæ; §. *Idem Juris 2. Instit. de inutilibus stipulationibus*, ibi: *Quæ enim natura sua dominio nostro exempta sunt, in oligationem deduci nullo modo possunt.* Hinc pacisci non potest de re- 4
bus sacris, & religiosis, quæ cum sint Juris divini, in nullius bonis sunt, §. *Nullius 6. Instit. de rerum divisione*, ibi: *Nullius autem sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ; quod enim Divini Juris est, id nullius in bonis est*, & concordat *cit. §. Idem juris 2. Instit. De inutilibus stipulationibus*, ibi: *Idem juris est*, (idest inutilis erit stipulatio) *si rem sacram, aut religiosam, quam humani iuris esse credebat &c.* Item pacisci non po- 5
test de rebus, quæ sunt publicæ, & communes, ut sunt flumina, littora, forum, theatra, stadia, & similia; quæ enim communibus, & publicis usibus populi perpetuo exposita sunt, sub pactis privatorum cadere non possunt; §. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. *Instit. de rer. div. & cit. §. Idem Juris 2. de inutilibus stipulationibus.*

(*) Rursus in quamcumque conventionem sive sit simplex conventio, sive sit contractus, deduci non potest, nisi quod intersit ejus cui promittitur. Hinc Proculus respondit in *l. 36. ff. eod. Si cum fundum meum possideres, convenisset mihi tecum; ut ejus possessionem Attio traderes, vindicantem eum fundum a te, non aliter te conventionis exceptione excludi debere, quam sicut, an tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, & per te non staret, quominus traderes.* Dicitur *tradidisses*. Cum enim desieris possidere, utpote ex voluntate mea rem Attio tradendo non es obnoxius vindicatio-

ni

ni, quæ nonnisi adversus possessorem competit. Dicitur *tua causa*. Nam si non tua causa, id est si nihil tua intersit, rem Attio tradi, conventio inutilis esr, nec de ea excipere potes: nec enim in conventionem deduci potest nisi quod paciscentis intersit. Quamvis tamen hujusmodi pacta inutilia sint, quoties paciscentis non intersunt, possunt nihilominus confirmari adjecta stipulatione pœnali, qua stipulabitur aliquid, si id pactum non fuerit, sibi dari per textum *in l. 11. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Si locus monumenti hac lege venierit, ne in eum inferrentur, quos *jus est inferri*. *Pactum quidem illud non sufficit* ad pariendam actionem quamvis contractui bonæ fidei adjectum, quia non potest quis agere, ne fiat aliquid quod ipsius non interest fieri necne; *sed stipulatione id caveri potest*, pœnali scilicet, quia si adversus conventionem factum fuerit, quasi existente conventione poterit stipulator petere pœnam, & recte aget, cum ipsius intersit, ei dari id, quod pœnæ nomine promissum est.

6 Pacisci solum potest de rebus possibilibus, Pactum enim rei impossibilis, sive de Jure, sive de facto nullam obligationem inducit, textu expresso *in cap. Pactionis* 8. *de pactis* verbis mox in numero sequenti adducendis. Impossibilium enim nulla est obligatio, *l. Impossibilium* 185. *ff. de Regul. Juris*. Et nemo potest ad impossibile obligari, *c. Nemo potest 6. de Reg. Juris* (*). Et de jure illud tantum possibile, & dari posse censetur, quod licite fieri potest, *cap. Fraternitatis* 16. *caus.* 22. *q.* 2. juncta Glossa verb. *Quod potest*. Unde pacisci solum potest de rebus licitis & honestis; pacta enim de rebus illicitis, & inhonestis, quæ sunt contra leges vel contra bonos mores, nullam vim habent, & nullius penitus sunt momenti textu expresso *in l. Pacta 6. Cod. de pactis*, ibi: *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est; & in cit. c. Pactiones* 8. *de pactis*, ibi: *Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit.*

(+) Inhonesta, & contra bonos mores ea reputantur pacta, quibus quis peccandi licentiam videretur concedere. Hinc exempli gratia *in commodato hæc pactio ne dolus ptæstetur rata non est l. 17. ff. commodati*. Iniquum enim est & contra leges dolum non præstari. Præterea *pacta quæ turpem causam continent non sunt observanda: veluti si paciscar ne furti agam, vel injuriarum, si feceris. Expedit enim timere furti, vel injuriarum pœnam. Sed post admissa hæc pacisci possumus l. 27. §. 4. ff. hoc. tit. Nam et de furto pacisci lex permittit l. 7. §. 14. in fin. ff. hoc tit.* Quare de dolo admittendo non de eo qui jam admissus est, accipiendus Pauli locus *in l. 27. §. 3. ff. hoc tit. Illud nulla pactione effici potest ne dolus prestetur. Quamvis si quis paciscatur ne depositi agat vi ipsa id pactus videatur ne de dolo agat, quod pactum proderit.* Quia frequens in jure est regula: *expressa nocent, non expressa non nocent*. Enim vero *sed et si quis paciscatur ne depositi agat secundum Pomponium valet pactum* ut testatur Ulpianus *in l. 7. §. 15. ff. hoc tit.*

Pactis quibus peccandi licentiam quis pacisci videtur, proxima sunt ea, quibus quis pretio magis quam virtutis amore a flagitio abstinere videretur. Hinc *si ob maleficium ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione*. Ut idem Ulpianus in citata *l. 7. §. 3. ff. hoc tit.* Sed licet hæc inhonesta reputetur, conventio honesta tamen illa reputatur, qua quid ab eo stipulamur si peccaverit. Id mirifice declaratur exemplo Papiniani in *l. 121. ff. de verb. Oblig.* §. 1. Mulier ab eo in cujus matrimonium conveniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinæ, tempore matrimonii consuetudinem repetiisset. Nihil causæ esse respondit cur ex stipulata, quæ ex bonis moribus concepta fuerat, mulier impleta conditione pecuniam adsequi non possit.

Bonis moribus civitatis adversari videtur si quis ita de sua hæreditate paciscatur, ut indirecte sibi testandi licentiam auferat, quæ facultas in tanto fuit pretio apud Romanos. Hinc Imperatores Valerianus, et Gallienus rescripserunt, in *l. 15. Cod. de pactis*. *Pactum quod dotali instrumento comprehensum est, ut si pater vita fungeretur, ex æqua portione ea quæ nubebat cum fratre, hæres patri suo esset, neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferri.*

Adversus bonos mores censentur etiam ea pacta, quæ mortis alicujus votum quoddam continere videntur, aut saltem huic voto causam aliquam præstare. Ea de causa pacta de hæreditate personæ viventis inter eas personas facta, quæ ad hanc hæreditatem sperant vocari, Justinianus voluit esse irrita, nisi is de cujus hæreditate agitur pactis voluntatem suam accommodaverit, et in ea voluntate usque ad mortem perseveraverit *l. fin. Cod. de hoc tit.* Simili ratione reprobatur pactum mutuæ successionis, quod tamen inter milites sustineri jure ultimæ voluntatis statuerunt Diocletianus, & Maximianus *in l. 19. Cod. eod.* Neque solum

(*) Inter impossibilia videtur posse etiam recenseri, quod ab alterius pendet facto & arbitrio, atque ideo id pacisci non posset, nihilominus sunt quidam casus, in quibus quis tenetur servare pactum tertiam respiciens personam. Ita quippe Ulpianus in *l. 50. ff. hoc tit. Non impossibile puto in contractibus depositi, commodati, locati, & cœteris similibus hoc pactum: Ne facias furem servum meum; hoc est ne sollicites, ut fur fiat, vel fugitivus fiat, nec ita negligas servum, ut fur efficiatur, sicuti enim servi corrupti actio locum habet, ita potest etiam hæc pactio locum habere, quæ ad corrumpendos servos pertinet.* Notandum tamen quod in conventionem interdum deduci potest, quod in alicujus tertiæ personæ aut etiam alterius ex contrahentibus tamquam in arbitrium boni viri committatur, modo sit liber homo, qui arbitretur. Nam *illa verba arbitrio Lucii Titii fieri, jus significant, & in servum non cadunt*, *l. 68. ff. de Verb. signif.* De his plura in titulo *de verb. obligat.*

lum duo de hæreditate tertii viventis, aut de mutua invicem successione pacisci possunt, sed nec olim de hæreditate defuncti quam quis post mortem suam restituere mihi ex fidei commisso tenebatur, pacisci mihi aliquid cum eo licebat, quamvis mutua esset inter nos substitutio. Ita enim Paulus testatur *recept. sent. lib. 4. tit. 1. §. 13. Rogati invicem sibi si sine liberis decesserint, hæreditatem restituere; altero decedente sine liberis, hæreditas ad eum pervenit, qui supervixit, nec de eo pacisci contra voluntatem testatoris possunt*, quia de jure necesse est, ut integra perveniat. Verum hoc pactum ab Imperatoribus inde permissum est, ut constat ex *l.1.& l.16.Cod.hoc tit.& l.11.Cod. de transact.*

Contra bonos mores videtur etiam pactum quo medicus ab ægroto aliquid pro salute ipsius paciscitur. Hinc Valentinianus, & Valens rescripserunt in *l. 9. Cod. de Profess. & Medic. Archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt*. Pariter contra bonos mores videtur pactum quo Procurator de parte litis paciscitur, de quo infra agendum erit in titulo de Procuratoribus. At quærit Ulpianus an bonis moribus adversetur: *Si quis crediderit pecuniam, & pactus sit, ut quatenus facere possit debitor eatenus agat*, nempe juxta vires debitoris, *an pactum valeat? Et magis est pactum valere. Nec enim improbandum est si quis eatenus desideret conveniri quatenus facultates ejus patiuntur l. 49. ff. hoc tit.*

Circa pacta, quæ sunt contra bonos mores, & turpitudinem continent, observandum superest, propter turpitudinem ejus, qui sibi pactus est, irritum esse pactum, non vero propter ejus dumtaxat qui promisit. Hinc Diocletianus, & Maximianus in *l. 26. Cod. de transact.* Si majores viginti quinque annis cum patruo sive avunculo vestro transegistis, vel ei debita donationis causa, sive aliqua conditione remisistis: non idcirco, quod hoc ejus hæreditatis captandæ causa, id est spe futuræ successionis vos fecisse proponatis, aliis ei succedentibus instaurari finita debent.

His pactis affinia sunt quæ fiunt contra leges, & constitutiones principum. Id autem fit vel ratione personæ, quæ paciscitur, vel ratione rei, quæ in pactum deducitur. Ratione personæ, ut si pupillus sine tutoris auctoritate paciscatur ne a debitore suo petatur, licet pupillus etiam sine tutoris auctoritate possit licite pacisci, ne, quod debet, a se petatur *l. 28. ff. de pact.* Ratione vero rei, ut si quis promittat, quod legibus prohibitum est. *Nam jus publicum privatorum pactis mutari non potest l. 38. ff. hoc. tit. l. 45. §. 1. ff. de reg. jur.* Item si id promittatur quod repugnat publicæ utilitati, uti *pactum ne experiar interdicto: unde vi: quatenus publicam causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa si pactum conventum a re privata remotum sit, non est servandum l. 27. §. 4. vers. Item ne experiar ff. hoc tit.* quod idem statuit etiam Ulpianus in *l. 7. §. 16. ff. eod.* Super his tamen legibus videndus est Cujacius *Observat. lib.1.cap.24.* qui putat a *re publica* legendum non *a re privata*, ut in vulgato textu legimus, quæ nihilominus lectio retineri potest hoc sensu, ut nempe improbandum sit pactum, quod privatam rem non respiciat. Ceterum adversus illud jus, quod non publicam sed privatam paciscentis utilitatem respicit, nihil vetat pacisci, ut videre est in *l. 7. §. 13. 14. 15. ff. hoc tit. in l. 31. l. 43. & l. 46. ff. eod. & in l. 27. & l. 156. §. fin. ff. de Reg. jur.*

Prætermittendum denique non est ea omnia irrita esse pacta, quibus error causam dedit, ut constat ex *l. 51. in princip. & §. 1. ff. hoc tit.*

Omne etiam pactum pro obtinenda re spirituali 8
est penitus irritum, ac nullius momenti, textu expresso *in cit. c. Pactiones 8. de pactis*, ibi: *Pactiones factæ a vobis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti*, & concordat *cap. Quæsitum 5. de rerum permutat.* ubi additur, quod *Pactio circa spiritualia vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simoniæ.*

Sic omne pactum circa spiritualia est illicitum, 9
& continet simoniam saltem Ecclesiasticam, quando illud intervenit in Beneficiis Ecclesiasticis, aut aliis Jure Ecclesiastico prohibitis, tamquam continentibus labem simoniæ, ut si fiat permutatio Præbendarum propria auctoritate, & sine interventu Superioris, scilicet Episcopi, *cap. Quæsitum 4. de rerum permut.* aut si quis resignet Præbendam cum pacto, ut sibi solvatur certa pensio absque auctoritate Papæ, *cap. Super eo 7. de transactionibus*; vel si eligendus, v. g. in Episcopum, in Provincialem, in Generalem, & hujusmodi, promittat alteri Beneficium Ecclesiasticum, dignitatem, personatum, suum votum, & hujusmodi, ut det sibi votum in Electione, *cap. Quam pio 2. caus. 11. q. 2. c. Plerique 7. & cap. Pactiones 8. de pactis, cap. Quæsitum 5. de rer. permutat. cap. Præterea 9. de transactionibus, cap. De hoc 11. & cap. Tua nos 34. de Simonia*, cum similibus.

Pactum, vi cujus Beneficium Ecclesiasticum de- 10
bet pecunia resignari, nullum est, atque simoniacum, *c. Cum pridem 4. de pactis, c. Consulere 38. de Simonia*, cum similibus. Et hoc etiam proce- 11
dit de pacto illo, quo una pars litigantium, privata conventione, & sine auctoritate Superioris cedit liti, & juri super Beneficio litigioso, si quod in eo habeat, & altera pars vicissim dat aliquid temporale, v. g. expensas factas restituit. In spiritualibus enim omnis pactio cessare debet, *c. Pactiones 8. de pactis, c. Quæsitum 5. de rerum permutat.* cum similibus. Et sic tenet Abbas *in cit. cap. Cum pridem 4. de pactis n. 1. & 2.* Barbos. *ib. n. 15.* & communis aliorum.

Dicitur autem notanter *privata conventione, ac* 12
sine auctoritate Superioris, quia interveniente auctoritate Superioris, scilicet Papæ, vel Episcopi ex gravi causa id concedentis, pars cedens liti super Beneficio exortæ licite potest recipere aliquid temporale, non quidem in compensationem sui Iuris, si quod in Beneficio habeat, cum hoc sit Simoniacum; sed vel propter bonum pacis, *arg. cap. Nisi essent 21. de præbend.* vel ob aliam hujusmodi justam causam, Fagnan. *in cit. cap.* Nisi

Nisi essent num. 3. & 28. Barbosa *ibid. num.* 8. Reiffenstuel *l.* 1. *Decretal. t.* 25. *n.* 70. Layman *l.* 4. *tract.* 10. *cap. ult. n.* 56. & alii.

13 Pactum, quo quis promittit novam pensionem, vel augumentum antiquæ, ut in Beneficio instituatur, est illicitum, & Simoniacum & qui illud, mediante tali pacto, obtinuit, non solum est eo spoliandus, sed etiam aliis pœnis Canonicis est puniendus; *c. Cum Clerici 6. de pactis*, *cap. Matt.* 23. *de Simonia*, *& Extravagant. Cum detestabilis, de Simonia*, *inter communes*, cum similibus.

14 Pactum, de succedendo in Ecclesiasticis Beneficiis, ita videlicet, ut ista Clericis concedantur sub hac conditione, quod post eorum mortem alii nominatim succedant, est nullum; *cap. Accepimus* 5. *de pactis*, *& Com. Doct.*

15 Non valet pactum factum in præjudicium Juris Parochialis, ut si Clerici Sæculares, vel Regulares res suæ Ecclesiæ locent, vel in Feudum concedant cum pacto quod Conductores, vel Feudatarii Decimas eis persolvant, aut apud ipsos sepulturam eligant. Cum enim hujusmodi pactum præjudicet Juribus Parochialibus, nullius est roboris, & sic paciscentes tenentur reddere quidquid ratione similis pacti receperunt, & servare indemnem Ecclesiam illam parochialem, quæ exinde læsa fuit; textu expresso *in cap. Plerique* 7. *de pactis.*

16 Pactum, quod filia Dote contenta Patri ab intestato non succedat, a Jure improbatur, & non valet, textu expresso *in l. Pactum dotali instrumento* 3. *Cod. de Collationibus*, ibi; *Pactum dotali instrumento comprehensum, ut contenta Dote, qua in Matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet, Juris auctoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia ea ratione prohibetur*, & refertur etiam *in c. Quamvis* 2. *de pactis in* 6. per verba mox adducenda in numero sequenti. Valet tamen tale pactum, si fuerit juramento firmatum, & non vi, nec dolo ab eadem præstitum fuerit, textu expresso *in cit. c. Quamvis*, ibi: *Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet Lex Civilis: Si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servare debebit, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.*

17 Pactum talis filiæ juramento firmatum valet etiam in Foro Civili: cum enim hic agatur de evitando peccato, ac perjurio, dicta Pontificia dispositio *in cit. cap. Quamvis*, valet etiam in Foro Civili, & per Judicem Sæcularem est servanda. Sic pluribus Juristis, & Juribus adductis, Glossa *in cit. cap. Quamvis*, *verb. Servari*, Alexander *consil.* 29. *lib.* 3. Zoesius *tit. de pactis num.* 37. Covarruvias *part.* 3. *in cap. Quamvis pactum*, §. 4. *num.* 18. *de pactis in* 6. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 35. *num.* 82. ubi testatur de communi. Et colligitur *ex cap. Novit* 13. §. *Licet autem*, *de judiciis*, ubi dicitur, quod *Pontifex procedere valeat super quolibet criminali peccato*, *ut peccatorem revocet a vitio ad virtutem*, *ab errore ad veritatem*. Et additur, quod *de juramenti religione cognoscere*, *ad*
18 *Judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere*. Et hoc etiam habetur ex præscripto Legum Civilium. Nam *Authentic. Ut Clerici apud proprios Episcopos* §. *Si vero Ecclesiasticum*, *collat.* 6. Imperator expresse hoc sancivit his verbis: *Cum oporteat talia Ecclesiastice examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam secundum Sacras, & Divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur Leges*. Unde *in c. Intelleximus* 1. *de novi operis nunciatione* dicitur, quod *Leges non dedignantur Sacros Canones imitari*.

Ad hoc, ut talis filiæ pactum juramento firma- 19
tum valeat, & servandum sit, requiritur, quod juramentum non sit nec vi, nec dolo extortum, ut expresse cavet Pontifex *in cit. cap. Quamvis* 2. *de pactis in* 6. ibi: *Juramento non vi, nec dolo præstito*. Si vero fuerit extortum *vi*, idest si filia 20
juravit se renunciare paternæ hæreditati, gravi metu majoris mali adducta, puta quia alias Dotem a patre obtinere non posset; seu fuerit extortum *dolo*, idest, si parentes scienter, & dolose persuaserint filiæ minores esse facultates suas, quam revera essent, sicque ipsa seducta, & modica dote contenta reliquæ hereditati sub juramento renunciaverit; tunc juramentum sic vi, aut dolo extortum, vel nullatenus est obligatorium, ex quo talis vis, seu dolus valuerit auferre consensum, ut dicunt Abbas *in cap. Cum contingat n.* 2. *de jurejurando*; Joann. Andreas *in cap. Unic. de Commodat.* Pirhing *lib.* 1. *decretal. tit.* 35. *num.* 32. Reiffenstuel *ibid. num.* 83. Molina, *tom.* 2. *de justitia*, *& Jure tract.* 2. *dis.* 579. *num.* 28. & alii; vel saltem non est efficaciter obligatorium, cum possit peti, & obtineri ejus relaxatio, & dispensatio, quæ per Ecclesiam solet in similibus casibus passim concedi, *cap. Virum* 25. *de jurejurando*; Immo & Magistratus sæcularis potest cogere eum, qui vim, aut metum intulit, ut juramentum remittat; Pirhing *loc. cit. num.* 32. Reiffenstuel *l. c. num.* 83. & alii passim.

Hinc talis filia (idem dic de filio, vel quovis 21
alio necessario hærede) quæ, dote accepta, cum juramento renunciavit paternæ hæreditati, atque enormiter, seu ultra dimidium inde læsa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, potest petere rescissionem dictæ suæ renunciationis, atque hæc a Judice est concedenda ob ejusmodi enormem læsionem rite probatam; Juramentum enim junctum enormi læsioni, nempe ultra dimidium, censetur dolo extortum; nam tunc *ipsa res in se dolum habet*, ut dicit *l. Si quis cum aliter* 36. *ff. de verbor. obligationibus*; Covarruvias *part.* 3. *in cap. Quamvis pactum* 2. *de pactis in* 6. §. 4. *num.* 11. Gailus *lib.* 2. *Practic. Observ.* 147. *n.* 8. *&* 9. Layman *in cit. cap. Quamvis* 2. *de pactis in* 6. *num.* 2. Menoch. *de arbitrar. Jud. caus.* 149. *n.* 17. *&* 18. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 84. Fachineus *lib.* 8. *Controvers. Juris Canon.* 69. citans alios, & solvens contraria.

Pactum addictionis in diem quid, & quid Juris 22
de eo? Vide verb. *Contract. Emption. art.* 5. *a num.* 46. *ad* 55.

Pactum Legis Commissoriæ quid, & quid Juris 23
de eo? Vide d. verb. *Contr. Empt. a n.* 40. *ad* 45. & verb. *Hypotheca num.* 34. *&* 35.

Pactum

24 Pactum Antichryseos quid, & quid Juris de eo? Vide *d. verb. Hypotheca num. 32. & 33.*

25 Pacta Hypothecæ, seu Pignori adjecta quænam, & quo modo valeant? Vide *verb. Hypotheca a num. 36. ad 40.*

26 Pacta retrovendendi, seu redimendi quando, & quomodo liceant, vel non, & quid Juris de ipsis? Vid. *dict. verb. Contr. Empt. art. 3. n. 54. ad 56.*

27 Pacta, & Conventiones, seu compositiones, quas Superiores locales Regularium sine licentia Generalium, seu Provincialium ineunt cum Prælatis, seu Rectoribus Parochialium Ecclesiarum super Juribus Parochialibus, & aliis articulis, de Jure communi sunt valida, & observanda, textu expresso *in cap. Quia eo 3. de pactis in 6.* in cujus Summario sic expresse habetur: *Pacta inita per Fratres Prædicatores, vel Minores, vel alios Mendicantes cum Rectoribus Parochialium Ecclesiarum super Parochialibus Juribus, si facta sunt per Priores, vel Guardianos de Conventuum ipsorum locorum consensu, licet auctoritas Sedis Apostolicæ non intervenerit, vel licentia Prioris, vel Ministri Generalis, aut Magistri, vel Provincialis Ministri, vel Capituli Provincialis, servanda sunt, dummodo sint licita, & honesta*; & concordat *cap. pactum 1. eodem in 6.* in cujus Summario sic præcise habetur: *Monachi habentes liberam a Sede Apostolica sepulturam, si paciscuntur de non recipiendis aliquibus, vel certis Parochianis Ecclesiæ alicujus, servare compelluntur pactum, nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri, cum per pactum Privilegio renunciaverint.*

28 Verum prædictas Decretales Bonifacii VIII. iterum sublatas esse per Sixtum IV. & privilegia Mendicantibus prius concessa iterum restituta esse, & confirmata per ipsum Sixtum IV. variosque alios Summos Pontifices, testatur Emmanuel Rodericus *tom. 1. q. 27. art. 3.* addens ita servari in nostra Religione. Et ita etiam docent Layman *in cit. cap. Quia ex eo 2. de pactis in 6.* Pirhing *lib. 1. Decretal. tit. 35. n. 14.* Reiffenstuel *ibid. num. 7.* & alii. Et ratio ipsorum est, quia sicuti Rector Ecclesiæ Collegiatæ inferioris non potest Jura, & bona immobilia Ecclesiæ alienare, nisi ultra consensum Capituli cum licentia Episcopi, ut colligitur *ex cap. De cetero 5. & cap. Veniens 8. de transactionibus*; ita etiam Rector, seu Prior Ecclesiæ Conventualis, seu Regularis non potest alienare sine consensu Generalis sui Ordinis, qui quasi Episcopalem jurisdictionem in suos subditos habet, vel saltem Provincialis in illis Religionibus, in quibus habet facultatem præbendi similem consensum. Sic prædicti Doctores, qui tamen recte monent in hac re attendendas esse consuetudines, statuta, & privilegia Apostolica, cuique Religioni post dictas Decretales Bonifacii VIII. facta, & concessa.

29 Pacta abolendarum pensionum contemporanea resignationi Beneficiorum, & earumdem pensionum resignantibus, damnantur, & annullantur; Bened. XIV. tom. 1. Constit. 30. incip. *In sublimi*

30 §. 3. Pacta pœnalia de non appellando a sententia super nullitate Matrimonii damnantur, & annullantur. Idem Constit. 85. incip. *Nimiam* §. 4. & 7. Earumque observantia prohibetur sub pœna excommunicationis. Idem ibid. §. 7.

Additiones ex aliena manu.

Plura sunt pacta, quæ tum jure Civili, tum 31
jure Canonico speciatim improbantur. De omnibus agere haud patiuntur angusti limites additionum. Agemus de uno a jure civili, tum de uno a jure Canonico improbato.

Jure civili improbatum est pactum de Hereditate 32
Tertii, si Tertius ille certus sit, nec aliter subsistit, nisi Tertio illo consentiente, & in eodem consensu subsistente usque ad mortem. Improbatum autem fuit pactum hoc tanquam ple- 33
num tristissimi eventus, & votum captandæ mortis continens, *leg. 15. & fin. C. de Pact. Rota in Monopolitana Immissionis 3. Martii 1749. §. 9. & sequent. coram Eminent. Bussio.*

Pactum hoc non sustinetur, etiamsi tendat in 34
favorem certi ac determinati matrimonii, quod alias sequutum non fuisset. Immo etiamsi juramento munitum sit; Rot. *coram Rat. dec. 142.*
num. 2. & 3. Nec si inter Nobiles conventum sit 36
cum juramento; Idem supremum Tribunal *in Lucana Immissionis 16. Febr. 1731. cor. Calcagnin.* Nec 37
a statuto, vel a consuetudine vim accipere potest. Confer *Treutler. vol. 1. disp. 6. thes. 8. cap. final.*

Debet autem esse hoc pactum vel de tota hæ- 38
reditate, vel de ejus parte, ut prohibitionem incurrat. Occurrit vero non semel dubitatio, utrum 39
pactum hoc sit de quota aliqua hæreditaria, an de rebus particularibus. Vide, ubi res postulat, Rotam *cor. Ratt. dict. decis. 142. num. 4. ad plur. seq.*

Consentiente Tertio illo, ut dictum est, susti- 40
netur. De Tertio vero quæritur, an is, si juramen- 41
to consenserit, possit non obstante juramento discedere a consensu, & testamentum condere? Variant Doctores: Meo judicio separari debet casus. Si dixerit: *Juro me in hoc pactum consentire*, resilire adhuc valebit, quippe quia juramentum actus naturam sequitur. Aliud si dixerit: *Juro me consentire, nec me unquam consensum hunc revocaturum esse; Hoc casu* (recte ait *Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. §. 17.*) *pœnitere non posset, ut facultatem testandi amitteret; testamentum enim ut faciat nulla Lege obstringitur.*

Jure Canonico improbatur pactum, quo Præsen- 42
tatus pensioni vel favore Patroni; vel favore Tertii consentit, *cap. 6. de Pact.* Cæterum interest scire, utrum pactum hoc sit conceptum per *viam conditionis*, an per *viam modi*. Priori enim casu 42
ipsa quoque præsentatio irrita est, idque quia conditio, vel jure impossibilis, addita actui inter vivos vitiat; *Fagn. de Jurepatron. part. 2. can. 12. & 13. cas. 5. num. 6. & plur. sequent. Gagliard. eodem tractat. cap. 16. numer. 10. Rot. coram Emer. jun. decis. 100. numer. 3. coram Crisp. decis. 335. numer. 14.* Posteriori vero casu firma manet præsen- 45
tatio, ipsumque pactum habetur pro non apposito; *Cardinal. de Luc. de Jurepatron. discurs. 48. fer. per tot. & Cardin. Lanfredin. Respons. Eccles. 2.* *pari-*

pariter. fere per tot. qui una tradit, quando mox dictum pactum appositum dici queat per viam conditionis, & quando per viam modi, confutatque in hoc *Cardinalem de Luca*; Et quidem non immerito.

46 Quid si reservatum fuerit Beneplacitum Apostolicum? Interest pariter scire, utrum fuerit pactum adjectum per *viam conditionis*, an per *viam mo-*
47 *di*. Nam priori casu Beneplacitum accedere debet
48 intra quadrimestre, ut sustineatur præsentatio; posteriori vero potest supervenire elapso ipso quadrimestri; *Lanfredin. ubi supra*, *Piton. de Controvers. Patron. allegat.* 56. *num.* 5. *Rot. cor. Crisp. dec.* 335. *num.* 14. *& seq. in Faventina Beneficiorum* 5. *Martii* 1736. §. *Et quod attinet*, *cor. bon. memor. de Vais*.

49 Quod si ex aliquo impedimento, puta sequutæ interim vacationis Sedis Pontificiæ, impetrari nequit Beneplacitum, an subduci debeat tempus impedimenti, magna quæstio est? Rota nec assumere voluit hunc articulum *in Regien. Benef.* 4. *Jun.* 1759. *cor. R. P. D. Ratto* Proposita vero denuo fuit hæc causa *die* 2. *Jun. hujus anni* 1760. *a R. P. D. Cornelio*. Sed an in hac altera propositione deciderit articulum, videbitur edita decisione.

50 Coronidis loco ea hic examinanda est quæstio, an hodiernis moribus alter alteri pacisci possit hoc effectu, ut illi inde competat actio. Negat post alios *Carpzov. Jurispr. Forens. par.* 2. *constitut.* 33. *defin.* 25. *& sequent.* qui retinendam autumat & hodie definitionem juris civilis. At affirmant *Bruneman. ad l.* 25. *in fin. ff. de Pact. Mev. par.* 4. *dec.* 112. *n.* 2. *Christin. vol.* 3. *dec.* 35. *num.* 12. Adde *Groenvveg. & plures ab eo citatos ad* §. 18. *Instit. de Inutil. stipulat.*

(*) DE PACTORUM INTERPRETATIONE.

Articulus III.

1 In quolibet legis articulo nihil tam necessarium est, quam recta interpretatio. Idem profecto contingit in pactis, quæ si recte non interpretentur, plerumque contra paciscentium voluntatem judicium fertur. Quare non abs re duximus adjungere saltem brevem de interpretandis pactis tractatum, sive potius decem proponere regulas, ex quibus aliæ etiam poterunt proponi.

2 Primam regulam habemus ex Paulo in l. 22. ff. de reb. dub. *Ubi est verborum ambiguitas valet quod acti est*: (veluti ea interpretatio sumenda est, quæ quod actum gestumque est, conservet. Conservatur autem, seu ut mox ait Jurisconsultus *in tuto est res* de qua actum est, quando idipsum, quod voluerunt contrahentes efficitur; hoc ergo in primis quærendum est. Et si id non possit aperte percipi, aliquis saltem debet esse pacti effectus, quem verisimile sit contrahentes voluisse (*veluti quum Stichum stipuler*, *& sint plures Stichi vel hominem vel Carthaginem, cum sint duæ Carthagines, semper in dubiis agendum est, ut quam tutissimo loco res sit bona fide contracta, nisi cum aperte contra leges scriptum est.* Idem statuit Ulpianus *in l.* 80. *ff. de verb. obligat. Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, qua de agitur, in tuto sit.*

Secunda Regula. *In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit l.* 219. *ff. de verbor. signif.* Hæc tamen regula ita ibidem declaratur. *Cum igitur ea lege fundum vectigalem municipes locaverint ut ad hæredem ejus, qui suscepit pertineret, jus hæredum ad legatarium quoque transferri potuit.* Licet enim hoc casu conventionis verba hæredem tantum contineant, voluntas tamen contrahentium cum debeat prævalere verbis, evidens est, conductorem posse quovis titulo ad quem libuerit jus suum transferre. 3

Tertia Regula. Hæc ex prioribus aperte consequitur. *Quoties idem sermo duas sententias exprimit ea potissimum accipiatur, quæ rei gerendæ aptior est. l.* 67. *ff. de Reg. Jur.* Hujus regulæ exemplum habes in l. 7. de contrahen. empt. In allato textu legitur *rei gerendæ aptior*. Nam plusquam probabile est contrahentes aliquid quod ad effectum perduci posset, non vero vanum aliquod voluisse. 4

Quarta Regula. *In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet l.* 114. *ff. de reg. jur.* 5

Quinta Regula. *Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est aut si non appareat quod actum est, erit consequens ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, reddenda summa est. l.* 34. *ff. de reg. jur.* 6

Sexta Regula. *Cum quæritur in stipulatione quid acti sit, ambiguitas contra stipulatorem est. l.* 27. *ff. de reb. dub.* quod confirmatur etiam iisdem fere verbis in *l.* 38. §. 18. *ff. de verb. oblig.* Hæc eadem regula, quæ obtinet in stipulationibus, locum etiam habet in reliquis contractibus. *Hinc in contrahenda emptione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. l.* 172. *ff. de reg. jur.* Obiter nota: *Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. d. l.* 172. §. 1. In hoc textu opponuntur judicia conventionibus. In Conventionibus fit interpretatio contra eum, qui sibi pactus est: in judiciis vero ambigua intentio pro auctore recipit interpretationem, ut in ambiguo non videatur petiisse quam quod jus petendi haberet ne causa cadat. Allatam regulam confirmant Paulus, & Papinianus *in l.* 21. *ff. de contrahen. empt. & l.* 39. *ff. hoc tit.* Hujus sextæ regulæ si quæris exempla quamplura reperies in corpore juris præsertim *in l.* 30. *ff. de servit. præd. rust. l.* 33. *ff. de contrahen. empt. l.* 17. §. 3. *&* 4. *ff. de servit. Urb. præd. & in l.* 39. *ff. de contrahen. empt.* 7

Septima Regula. Cum verba conventionis aperte favent ei, qui sibi pactus est, non oportet ab eis recedere. Hinc est, quod *si stipulatus fuero de te, vestem tuam quæcumque mulieris dare spondes? magis* 8

magis ad mentem stipulantis, quam ad mentem promittentis id referri debet, ut quid in re sit, æstimari debeat non quid senserit promissor. Itaque si solitus fuerat promissor muliebri quadam veste uti nihilominus debebitur. l. 110. ff. de verb. oblig. Cum enim re ipsa sit muliebris, non ideo minus censebitur esse muliebris, & in stipulatione contenta, quod vir ea uteretur. Super hac & præcedenti regula omnino omittenda non est lectio *l. 99. ff. eod.* quæ utramque complectitur, & declarat regulam.

8 Octava Regula. Quamvis aperta sint verba, quæ ex priori conventionis parte leguntur, ad alium, quam præ se ferunt, sensum detorquebuntur per ea, quæ in posteriori parte scripta sunt. *l. 126. ff. de verb. sign. &* passim Rota.

9 Nona Regula. *Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur jus commune non lædunt. l. 81. ff. de reg. jur.*

10 Decima Regula. In orationibus quæ conventiones exprimunt eadem forma loquendi pro subjecta materia varie accipitur. Et quidem primo. *Hæc verba ille aut ille non solum disjunctivæ, sed etiam subjunctivæ orationis sunt. Disjunctivum est: veluti cum dicimus: aut dies, aut nox est, quorum posito altero necesse est tolli alterum, item sublato altero, poni alterum. Ita simili figuratione verbum potest esse subjunctivum. Subjunctivi autem duo sunt genera. Unum cum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut posset neutrum esse, veluti cum dicimus, aut sedet aut ambulat. Nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, ut possit utrumque esse: veluti cum dicimus: omne animal aut facit, aut patitur. Nullum est enim quod nec faciat, nec patiatur, at potest simul facere, & pati.* l. 124. ff. de verb. signific. Secundo: *Oratio quæ neque conjunctionem neque disjunctionem habet, ex mente pronunciantis vel disjuncta, vel conjuncta accipitur. l. 28. ff. eod. Conjunctionem enim numquam pro disjunctione accipi Labeo ait, ut in illa stipulatione mihi hæredique meo: te hæredemque meum. l. 29. ff. eod.* Tertio *In usu juris frequenter uti nos Cascellius ait singulari appellatione, cum plura generis ejusdem significare vellemus. Nam & multum hominem venisse Romam, & piscem vilem esse dicimus. Item in stipulando satis habemus* (nempe curamus) *de hærede cavere: si ea res secundum me hæredemque meum judicata erit, & rursus quod ob eam rem te hæredemve tuum. Nempe æque si plures hæredes sint continentur stipulatione.* Enimvero *hæredis appellatione omnes significari successores credendum est, etsi verbis non sint expressi. l. 158. & l. 170. ff. de verb. sign.* Item in conventionibus, *cum generaliter adjicimus: eive, ad quem res pertinebit, & adrogati, & eorum, qui jure nobis succedunt, personas comprehendimus. l. 53. §. ff. de obligat. & act.* Pronomina & adverbia comparationis non semper accipiuntur in sensu comparativo. Sic si stipulatus sum quantominus a debitore meo mihi solutum erit: *minus solutum intelligitur, etiamsi nihil esset solutum. l. 32. ff.* de verb. sig. Alia habes exempla in stipulatione legis Falcidiæ, in stipulatione *de rato*. (*)

PAGANA PROPOSITIO. Vide verb. *Propositiones damnatæ* num. 28.

PALATIUM. Vide verb. *Immunitas ar. 2. a n. 71. ad 88.* ubi late de Immunitate, qua gaudere possunt Palatia Cardinalium, Legatorum, Principum, Regum, Nunciorum, & Episcoporum.

PALLIUM.

INstantiæ pro Pallii concessione ab advocatis Consistorialibus proponi debent. Benedict. XIV. Constit. 106. incip. *Inter conspicuos* §. 18. 1
Pallium conceditur, & transmittitur Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum. Idem const. 2
92. incip *Dum nobiscum*. Pallium rransmittitur Patriarchæ Maronitarium. Idem Constit. 101. incip. *Litteras*.

Pallia Patriarchis, & Archiepiscopis ab Apostolica Sede concedi, & mitti consueverunt a primis 3
usque Ecclesiæ sæculis. Idem tom. 2. Constit. 60.
incip. *Rerum Ecclesiasticarum*. Eadem antea so- 4
lemni ritu benedicta fuisse non dubitatur. Idem
ibid. Palliorum benedictio in Ecclesia S. Petri, 5
præviis Cleri Vigiliis, aliisque Sacris Cæremoniis fieri solebat. Idem *ib.* Ritus hujusmodi nonnul-
las subierunt mutationes, quæ assignantur. Idem 6
ibid.

Palliorum Benedictionem in posterum a Summo 7
Pontifice fieri statuitur in pervigilio Apostolorum post Vesperas in Vaticana Basilica celebratas.
Idem *ibid.* Vel absente Pontifice ab eo Cardinale, 8
qui Pontificalia peregerit. Idem *ibidem*. Hujusmo- 9
di Benedictionis ritus, & formula statuitur. Idem *ibidem*, & est sequens.

Post vesperas, Pontifex, seu Cardinalis, qui 10
illius vice in Pontificalibus Officio adstiterit, ipsa Pallia ter aspergit aqua Benedicta, dicendo Antiphonam; *Asperges me &c.* ac ter incenso adolet, deinde dicit.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus Pastor æterne Animarum, qui eas ovium nomine designatas, per Jesum Christum Filium tuum, Beato Petro Apostolo, ejusque Successoribus, boni Pastoris typo regendas commisisti, atque ipsis Sacrarum Vestium symbolis Pastoralis curæ documenta significari voluisti; effunde per Ministerium nostrum super hæc Pallia de Beatorum Apostolorum Principum Altari sumpta copiosam Benedictionis ✠ & Sanctificatio-

tionis ✠ tuæ gratiam, ut quam mystice repræsentat Pastoralis Officii plenitudinem, atque excellentiam, pleno quoque operentur effectu. Humilitatis nostræ preces benignus excipe, atque eorumdem Apostolorum meritis, & suffragiis concede, ut quicumque ea, te largiente, gestaverit, intelligat se Ovium tuarum Pastorem, atque in opere exhibeat, quod signatur in nomine. Sit boni, magnique illius imitator Pastoris, qui errantem Ovem humeris suis impositam cæteris adunavit, pro quibus animam posuit. Sit ejus exemplo in custodia Gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, ne qua Ovis in morsus incidat, fraudesque Luporum. Sit disciplinæ zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue, & forte custodiens. Videat humeris suis impositam Crucem, quam Filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus Mundus, & ipse Mundo. Tollat injectum collo suo Evangelicum jugum, sitque ei ita leve, ac suave, ut in via mandatorum tuorum cæteris exemplo, & observatione præcurrat. Sit ei hoc Symbolum unitatis, & cum Apostolica Sede communionis perfectæ tessera, sit caritatis vinculum, sit Divinæ hæreditatis funiculus, sit æternæ securitatis pignus, ut in die adventus, & revelationis Magni Dei, Pastorumque Principis Jesu Christi, cum Ovibus sibi creditis, stola potiatur immortalitatis, & gloriæ. *Per eumdem Dominum nostrum &c.*

12 Pallium suscipientes absentium Antistitum nomine, præstare debent juramentum in manibus Cardinalis S. R. E. Diaconorum Prioris pro tempore existentis, dum Pallium ipsis ferendum, seu transmittendum suscipiunt, ut sequitur.

13 Ego N. Procurator, & procuratorio nomine, & pro parte Reverendissimi in Christo Patris, & Domini N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissime peto mihi tradi, & assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, & promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem Reverendissimo Patri Domino N. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

14 Pallia Archiepiscopalia in Vaticana Basilica prope Corpus S. Petri semper asservari jubentur in capsula argentea auro obducta, quam Pontifex dono dedit. Idem *ib.* Ejus arculæ custodia ad Altaristam Canonicum spectat; idem *ibid.*

(*) *Additamentum.*

Pauca addam de Pallio Græcorum, quod *ωμοφοριον* appellant. Ingens inter Latinorum, & Græcorum Pallium intercedere discrimen scite monuit Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *c.* 24. *num.* 16., idque sive formam spectes sive etiam usum. Nimirum Latinum solis Archiepiscopis, aut ex singulari privilegio paucis aliis Episcopis tribuitur; Græcum omnibus Episcopis commune est, qui quum Evangelium legendum est, illud deponunt, & paulo ante communionem reassumunt; ut docet Simeon Thessalonicensis *lib. de Templo, & Missa.*

Quod commune omnibus eorum Episcopis sit, privilegium fecit malis artibus a Joanne XI. extortum in gratiam Constantinopolitani Patriarchæ, ut tum Theophylaetus tunc Patriarcha, tum ejus successores absque Romani Pontificis auctoritate pallio uti possent. *Ex quo turpi commercio* inquit Luitprandus æqualis illorum temporum in *Legatione* 1I. *Constantinopolitana*, *vituperandus mos inolevit*, *ut non solum Patriarchæ*, *sed etiam Episcopi totius Græciæ pallio utantur*.

Ut huic abusui aliquid remedii adhiberetur, statutum a Concilio Lateranensi fuit, ut Orientales Patriarchæ postquam pallium ipsi a Romano Pontifice suscepissent, illud suis quoque suffraganeis tribuerent, accepto antea ab illis fidelitatis, & obedientiæ Jurejurando. Confer Goardum *Euchol. Græcor. p.* 258.

Alia de Pallio, vide Tom. I. V. *Archiepiscopus art.* 3. *per totum*.

PANTHEISMUS.

Articulus novus ex aliena manu.

DE Pantheismo quoque in hac Bibliotheca disputandum constitui, ut ea in nova hac 1
editione titulo ab Auctore præfixo, quoad fieri possit, respondeat. Cum enim etiam dogmaticam Theologiam tractandam Auctur proposuerit, facile patet, Pantheismi errorem & impietatem exponi in eadem, ac refutari oportere. Est enim error hujusmodi omnium pessimum, ac Theologiam a fundamentis evertit; In eo enim situs est Pantheismus, ut Deum Mundi Auctorem, Conservatorem, atque rectorem, de medio tollat; ad declinandam vero Atheismi infamiam Deum profiteri fingit. At si roges, quinam sit hujusmodi Deus, respondere cogitur, esse Mundum ipsum, ac ipsam rerum Universitatem. Pantheismus ergo error est, qui totum Mundum, sive rerum Universitatem pro prima causa ac pro Deo rerum omnium auctore habet. Quamobrem Pantheistæ re quidem, etsi non nomine, Athei sunt.

Athei dicuntur, qui Deum esse negant; nam 2
qui nunquam norint, nonnisi improprie, vel negative Athei nuncupantur. Ii vero vel practici sunt, vel theoretici. Athei practici appellantur, qui ita passionibus, & cupiditatibus indulgent, ut certa indicia præbeant, ita se vivere, quia Deum non credunt. Theoreticorum vero duplex est ordo; alter eorum, qui Dei naturam aperte sustulerunt, cujusmodi fuere Diagoras, Protagoras, Theodorus, aliique pauci; eorum alter, qui Deum aperte non negarunt, sed eas statuere, ac probavere Philosophiæ hypotheses, ex quibus id per legitimam consecutionem sequeretur: hujusmodi fuere Epi-

re Epicurei, Anaximandri, & Stratonis sectatores, atque ex recentioribus Hobbesius, Tollandus, ac Benedictus Spinosa. Addi quoque possunt Sceptici, qui de omnibus dubitantes Dei quoque existentiam in dubium revocant.

3 Athei secundi ordinis Pantheistæ appellari solent: quia sublata superna mente, quæ res condiderit & regat, primam causam, ac primum principium rerum, mutationumque omnium, Materiam habent, ex qua omnia constant, cujusque res singulæ partes sunt, & mutationes, actionesque, formæ, modi, aut affectiones. Hinc totum ipsum, Deum: ipsius vero partes, Dei partes, vel attributa, & actiones, mutationesque, Dei operationes, & affectiones, aut modos vocant.

4 Sunt autem quædam, in quibus Pantheistæ omnes conveniunt, & quædam, in quibus invicem dissident. Inter omnes convenit materiam esse ens necessarium, increatum, æternum, secundum totum immutabile, ac mutabile secundum partes, & motum quemdam, aut conatum ad motum habere, ac ex hac materia, ejusque naturali virtute Universum, sive res omnes, quæ in Universo sunt, atque mutationes singulas oriri. Dissidium vero est circa materiæ naturam, atque proprietates, per quas res omnes, ac functiones singulas efficiat. Epicurei, atque Stratonici materiam in particulas, sive minutas moleculas, vel atomos divisam natura sua adstruunt. Illi atomis diversa figura præditis motum quemdam inditum esse ajunt, ac Epicurus in nonnullis atomis motum quoque declinationis confinxit, quo combinari facilius possent: Stratonici vero addidere particulis illis vitam quamdam, & plasticam virtutem per omnia diffusam, quæ initia in se habeat motus, sensus, rationis, atque consilii, licet ipsa sensus, rationisque sit expers. Epicurei itaque fingunt, ex fortuito illo motu atomorum in immenso spatio, post innumeras per infinitum tempus combinationes, tandem ea omnia prodiisse, quibus Universum constat, & conservatur, mentem quoque hominis, ejusque libertatem, quam per declinationem atomorum explicare conantur. Stratonici per illam plasticam virtutem res omnes necessarie productas fingunt, ac pro materiæ dispositione varios effectus fieri, hoc est, vegetationem in plantis, sensum in brutis, & in homine rationem etiam, atque consilium.

5 Anaximander, & Spinosa materiam, unam, immensam, infinitam, & secundum se totam immutabilem, mutabilem vero secundum partes confingunt. Anaximander vero ait, materiam per motum, & naturales qualitates frigoris, caloris, humiditatis, & siccitatis producere reales formas magnitudine, figura, motu, & quiete distinctas inter quas formas vitam quoque animalem, sensum, & rationem constituebat, & hac ratione infinitos antea genitos Mundos, atque infinitos gignendos imaginabatur, qui corrupti in naturæ infinitatem redirent, cujus deinde virtute novi successive, non secus, ac Epicurus, de fortuito atomorum concursu philosophatus est.

6 Benedictus autem Spinosa gente, ac religione Judæus, qui natus Amstelodami die 14. Nov. 1632. obiit Hagæ Comitum 21. Febr. 1677. in impia sua Ethica Atheismum mathematica demonstrare methodo conatus est, absurda quadam conficta hypothesi, in qua materiæ infinitæ, & immensæ, infinitam quoque cogitationem asseruit. Hypothesis autem hæc est: Fingit, substantiam unam tantum esse posse, eamque æternam, necessariam, infinitam, immensam; substantiæ vero præcipuas proprietates esse extensionem immensam, & cogitationem infinitam: Modos autem, & affectiones, quibus substantia illa, quatenus extensa est, particularia corpora constituit, & quatenus cogitans belluas hominesque efficit, substantias, sive Dei attributa, & affectiones vocat, quæ determinato quodam modo Dei essentiam exprimunt. Hinc lapis E. G. non est nisi substantia, sive Deus, quatenus extensus, qui particulari modo per illud attributum exprimitur: bellua quoque Deus est, qui per illius organa & animam, extensionem & sensum, finito, ac determinato modo exprimit: hominis denique mens eadem substantia est, quatenus cogitans, non ut infinita, sed *quatenus humanæ mentis essentiam constituens, hanc vel illam habeat ideam, & sibi conscia hoc vel illo particulari modo delectabiliter operatur*, licet semper necessarie. Vide, inquit doctissimus Salignac, Spinosisticum Deum? duo homines, quorum unus negat, alter ait, unus fallitur, alter verum assequitur, unus adorat, blasphemat alter Deum, nil sunt nisi unum indivisibile ens, una substantia, sive Deus, qui in uno ait, negat in altero, fallitur in uno, non vero in alio, colit in illo Deum, in hoc blasphemat. En Spinosæ Numen! Quis vero finget in indivisibili infinita substantia tot diversos modos, in perfecta unitate tantam rerum varietatem, & multitudinem, in invariabili, & infinito mutationes, & limites? Hæc sunt profanorum ætatis nostræ hominum deliria. Hæc portentosa eorum sapientiæ inventa sunt, qui, ut supra cæteros se se extollant, *spiritus fortes* appellari solent.

Hactenus Pantheistarum hypotheses exposuimus. 7
Quoniam vero in describenda Pantheismi historia, & in Pantheistis recensendis impii quidam Angli, ac Bailius, Buddeus, & etiam Antonius Genuensis turpiter erraverunt non sine maxima injuria etiam sanctorum hominum, & cum aliquo Religionis detrimento, animadvertere hic operæ pretium duximus, satis non esse ad insimulandum hominem Pantheismi, ut vel vocabula quædam adhibuerit a veris Pantheistis usurpata, vel hypotheses usurpaverit ad naturæ phænomena explicanda, quæ aliqua in parte supra recensitis sint similes: sed necessarium præterea esse, ut Deum non agnoscant Universi Auctorem Rectoremque. Ii ergo, qui Deum adstruunt a rerum universitate distinctum, atque diversum, qui Mundum condiderit, conservet, & regat, nonnisi per summam injuriam Pantheismi accusantur. Ac multo major injuria est, si ii Deum etiam materiæ creatorem esse fateantur. Hæc adeo clara sunt, ut demonstratione non egeant, & ut pro explorata regula haberi possint in texenda Pantheismi historia.

Quæ

8 Quæ cum ita sint, quis non rideat impios illos Anglos, qui Mosem, Sanctum Paulum, aliosque probatissimos viros veriti non sunt inter Pantheistas recensere? Quid enim clarius in Mosis libris, atque in Paulinis Epistolis, quam quod Deus creaverit Cœlum & Terram, quodque omnia virtute sua conservet, & regat? Scio hos fingere, Mosem nomine Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, vim quamdam in natura activam, & genitricem, aut plasticam virtutem designasse. At quid hoc cum Pantheismo commune habet? Nam vis illa, quæcumque fuerit, ex Deo est, qui Mundum condidit atque regit. Ait quoque Paulus: In Deo vivimus, movemur, & sumus; sed cum eumdem Deum opificem summum, rectoremque adstruat Universi, qua ratione verba illa in Spinosisticum sensum trahi poterunt, cum satis perspicue exprimant, Deum Mundi Auctorem immensitate sua nobis præsentem esse, ac actione sua ita nos conservare & fovere, ut in ipso simus, ac per ipsum moveamur, atque vivamus? Sed mittamus hæc, atque ad alia veniamus.

9 Primo itaque constat, perperam inter Pantheistas recenseri antiquos Philosophos, qui hypotheses adhibuere iis etiam similes, quas exposuimus ad explicandam Mundi genesim, rerumque propagationem, & effectus, dum constat, hos non negasse, sed præsupposuisse Dei existentiam, & providentiam; cum enim id nobis constet, palam fit illas hypotheses excogitasse ad modum explicandum, quo causæ secundæ juxta leges a prima causa præscriptas, Mundi genesim effectusque reliquos efficiant. Ita sane egisse Philosophos omnes, qui ante Anaxagoram physicam rerum causam investigarunt, ac etiam eos, qui ex minimis moleculis ante Democritum cuncta fieri autumarunt, observatum a pluribus est, ut optime advertunt Gerdil, Ansaldus, Cudvvortius, Jo. Albertus Fabricius, aliique.

10 Secundo, nec inter Pantheistas haberi posse Stoicos, aliosque antiquos, qui Deum Mundi Auctorem, rectoremque asseruere, quod Deum quandoque dixerint animam Mundi. Nam exploratum est, hos animæ nomen nonnisi improprie usurpare, & longe alio diverso sensu, ac mens anima hominis nuncupatur; Cum hæc corporis, hominisque Auctor non sit, sed pars sit hominis, humanarumque functionum principium. At multo minus Pantheismi suspecti sunt, qui Deum continuata actione creaturas conservare, cum ipsis concurrere, aut etiam præmovere eas asserunt. Nam ii Deum cum rerum Universitate neutiquam confundunt, sed supremi illius dominii exercitium explicant in res, earumque functiones: quod notatum iis velim, qui Genuensis metaphysicam legunt.

11 Tertio, nec jure Pantheismi suspecti habentur Morus, Clarkius, Cudwortius, Rapsonius, aliique, qui spatium pro Dei immensitate habent: Nam ii existentiam & providentiam Dei asserunt probant, & explicant, atque ab hac fieri regique omnia tuentur. Ubi ergo Pantheismus est? Numquid ex eo quod, penetrato a rerum Universitate spatio, hoc una cum illa rem indivisam constituit? At id Genuensis cerebrum fingit, sed numquam probabit; cum spiritum corpus penetrare, quin eadem cum illo substantia fiat, norint fere omnes; cumque mutuam corporis penetrationem contingere per miraculum posse, nostri Theologi omnes propugnent, ac Philosophorum plerique, quin jactata ab illo inde sequatur identitas. Ii ergo reprehendi ea unice de causa possunt, quod immensitatem Dei rite non explicant, sed Pantheismi accusari non possunt.

Quarto, neque ii Pantheistæ existimari possunt, 12
qui licet Mundum æternum putaverint, Deum tamen illius Auctorem, Rectoremque norunt, atque probarunt, ut Aristoteles, & recentiores Platonici; sed dici dumtaxat potest, Aristotelem beneficam Dei libertatem negasse. Excusari autem nequeunt illi, qui naturas homine præstantiores adstruebant, sed ortas illas fingebant cum tota rerum Universitate, *ex Chao, & Oceano* in ipso rerum exordio. Nam naturas illas, ex materia prodiisse, ajunt, atque partes esse Universi, sive conficti ab Pantheistis Dei.

Quinto denique, injuria Bailium, & alios Sco- 13
tistas ob assertas naturas a parte rei metaphysice universales, & univocationem entis, Pantheismi, & Spinosismi insimulare. Nam præterquam quod longe diverso a Spinosæ sensu entis unitatem, quæ sola abstractione mentis continetur, agnoscunt, perspicuum est, eos admittere Deum etiam materiæ Creatorem, ac Moderatorem rerum omnium. Eadem ratione constat, nonnisi per summam imprudentiam suspectos prædicari Pantheismi Peripateticos ob admissas reales formas iis similes, quas Anaximander confixerat. Nam ii recte de Deo, ejusque providentia sentiebant.

Præter hæc, ad cognoscendum, quam levia & 14
suspecta sint indicia, quibus profani homines moventur, ad augendum atheorum numerum, atque ad conciliandum per aliorum auctoritatem, quamdam impietati verisimilitudinem, observare etiam necesse est, homines plerumque Atheos, aut sine religione dictos a nonnullis fuisse, vel quod receptam apud suos religionem non servarent, vel quod falsa numina colerent, vel quod datam fidem facile infringerent, vel denique quod efferatis moribus ostenderent parum apud eos potuisse minarum supremi Numinis metum, atque terrorem. Hæc omnia exemplis probantur. Anaxagoras, Socrates, & Evehemerus ab antiquis nonnullis Athei appellati fuere, licet Deum Mundi auctorem, rectoremque agnoscerent, atque docerent, quia primus Solem a Deorum numero expunxit; alter Deos gentium recusavit; tertius vero, quia Deorum Græciæ popularium ortum, & sepulcra demonstraverat, ut Clemens Alexandrinus ostendit; Accedit etiam, Judæos & Christianos Atheos a Gentibus passim appellatos fuisse, quod Idola, ut ipsi, non colerent, ut ex Justino, Athenagora, Tertulliano, aliisque Christianæ Religionis Apologistis, novimus. Item Atlantes, ut refert Mela, atque Æthyopes, qui ad torridam zonam habitant, teste Strabone, Athei appellati fuere, quod Solem execrarentur, veluti

ipsis noxium, licet aliunde constet, religionem servasse. Sanctus Nilus Atheos vocavit Arabes, quos adorasse matutinam stellam recenset. Ob efferatos mores a Macrobio, Gigantes, a Porphyrio Thoes, & a Dionysio Periegete Nasamones Athei vocati fuere, de quorum sane Religione aliunde constat. Denique, ut alia mittam, Galli, quos maxime religioni deditos Cæsar exhibuit in suis de bello gallico commentariis, a Cicerone Or. pro Fontejo sine Religione dicuntur, ea fortasse de causa, quod fidem datam facile infringerent. Atque hæc satis quoad historiam.

15 Ad errorem quod spectat, qui sola explicatione refellitur, satis duximus argumenta per summa capita indicare, quibus confutatur, ac celebriores, qui hanc oppugnaverunt, Auctores recensere. Primum itaque consensus omnium cujusque ætatis gentium in asserendo Mundum statuto tempore a Supremo Numine conditum esse, ejusque providentia gubernari, invictum argumentum depromptum est ex traditione a primis hominibus ad posteros ubique locorum diffusos transmissa, quo ostenditur, Deum esse Supremum Mundi opificem, conservatorem, atque rectorem. Inter plures, qui de hoc argumento scripserunt, videri poterunt opera Patris Moneliæ, ac Patris Vincentii Patuzzi, celebrium e Dominicana familia Theologorum, quorum primus adversus Fatalistas, & Materialistas, alter vero de vitæ futuræ statu nuperrime scripsit: videri quoque poterit Auctor Principiorum Religionis naturalis & revelatæ, qui circa operis initium hujusmodi argumentum accurate tractat, & Joannes Albertus Fabricius *in delectu argumentorum, & Syllabo Scriptorum*, qui veritatem Religionis Christianæ adversus Atheos, Epicureos &c. asseruerunt: Is sane *cap.* 8. argumentum a consensu generis humani erudite prosequitur, & nullas umquam esse vel fuisse Gentes Atheas ostendit, ac *n.* 5. plures Auctores recenset, qui ex professo de hoc argumento tractarunt.

16 Argumenta reliqua ex rerum natura, motu, & finibus petita, ab omnibus fere Philosophis, & Theologis nostris recensentur, dum Dei existentiam, & providentiam adversus Atheos, & Epicureos, demonstrant. Inter hæc vero plurimum ad Pantheismum refutandum valet argumentum ex rerum contingentia desumptum, de qua fuse disputat laudatus Pater Monelia in suo opere contra Materialistas, ubi luculenter demonstrat, non solum rerum individua, atque species & aspectabilem Mundum, sed etiam materiam ipsam contingentem esse, ideoque esse non potuisse, ac sola libera Supremi opificis actione creatam esse atque conservari. Et sane ens contingens est, quod ita existit, ut possit non existere. Materia vero ita se habet. Etenim in notione materiæ idea existentiæ non relucet; cum æque bene concipere possimus nullam materiam existere, ac concipiamus posse non existere materiam de qua Urbs nostra constat, vel ex qua formatus est Sol, Luna &c. Nil enim prohibet quominus fingamus materiam hujusmodi non existere. Concipere ergo possumus nullam existere materiam. Ergo materia universa per notionem, quam ingerit, nobis veluti ens contingens exhibetur. Si contingens est, in se sufficientem rationem existentiæ suæ non habet, sed in causa aliqua libera, cujus libera actione sit, & conservetur. Atque hæc causa Deus est, Auctor, Conservator, & Rector Universi. Vide etiam Auctores, qui contra Pantheistas, & Spinosam ex professo scripserunt, scilicet Antonium Genuensem in sua Metaphysica, Franciscum Lamy Benedictinum Congregationis S. Mauri, Henricum Morum, Isaacum Jaquelotum, Samuelem Clarck, aliosque bene multos, quos recenset Jo. Albertus Fabricius in opere supra citato. Vide infra verb. *Religio*.

PAPA.

Articulus I.

Quo ad ea, quæ concernunt Papæ Electionem consecrationem, & coronationem.

Papa non potest sibi successorem eligere, & si eligeret, irrita esset electio. Sic Glossa *in c. Apostolica* §. *His omnibus verb. Beatus* 8. *q.* 1. quam sequuntur omnes, teste Felino *in cap.* 2. *sub num.* 23. *col.* 5. *vers. Fallit quarto de Const.* Item Glossa *in c. Si transitus verb. Non possit dist.* 79. & ibi etiam Archidiaconus, Bellamer. Geminian. & Præpositus, Abbas *in c. Accepimus* 5. *de pactis n.* 2. ubi testatur hanc esse communem conclusionem. Doctores passim *in c. Licet de vitanda, de electione*, & ibi in specie Joann. Andreas *num.* 15. Butrius *num.* 3. & 21. Card. *n.* 9. *in* 6. *q.* Abbas *n.* 2. Decius *n.* 7. & 8. S. Joann. de Capistrano *de potestate Papæ num.* 2. *inter tract. Com. t.* 13. *fol.* 32. Cardinal. Zabarella *in c. Licet num.* 9. *de elect. & in Clement. Ne Romani in* 5. *q. num.* 5. *de elect.* Card. Jacobatius *de Concil. l.* 10. *art.* 7. *in solutione undecimi argumenti fol.* 34. Card. Turrecremata *in Summa de Eccl. l.* 1. *c.* 13. *& lib.* 2. *c.* 51. Card. Cajetan. *t.* 1. *Opuscul. tr.* 3. *de potestate Papæ, & Concil. Apol.* 2. *c.* 22. Card. Alban. *de Cardinalibus qu.* 32. Card. Baronius *ad annum Christi* 11. *& ad* 571. August. Triumph. *de potest. Ecclesiæ qu.* 2. *art.* 3. *in corpore*, Fagn. *lib.* 1. *Decretal. in c. cap. Accepimus* 5. *de pactis num.* 29. *& seq.* cum plurimis aliis ibi citatis, Barbosa *Juris Ecclesiast. univers. l.* 1. *c.* 1. *num.* 40. cum aliis pluribus ibi adductis. Et plures alii citati a Card. Petra *tom.* 4. *Comment. ad Const.* 5. *Clementis VI. num.* 9. contra Victorium, Bonacina, Suarez, Vasquez, Turrianum, Ledesmam, & alios. 1

Papa prohibetur eligere sibi successorem non solum de jure Ecclesiastico, ut habetur ex *c. Episcopo* 3. *c. Plerique* 5. *cap. Moyses* 6. *caus.* 8. *quæst.* 1. cum similibus, & tenent communiter Doctores, sed etiam de Jure Divino, & naturali, Fagnan. *loc. cit. a num.* 38. *usque in finem*; ubi plurimis adductis id suo more solide probat; & omnia solvit argumenta contraria, Barbosa *loc. c. a n.* 44. *ad* 47. 2

ad 47. ubi ex multis id clare ostendit, & sic plures alii citati a Card. Petra *loc. c. a n.* 7. *ad* 9.

3 Nec valet objicere exemplum Christi, qui sibi Successorem elegit S. Petrum Apostolum; adeoque idipsum licebit Romanis Pontificibus, qui vices Christi gerunt; *c. Ad Apostolicæ* 2. §. *Nos itaque*, *de sentent. & re judicata in* 6. quia omnis Christi actio, nostra est instructio, *c. Significasti* 5. *de*
4 *election.* (*) Non valet, inquam, quia Christus uti Supremus Dominus potuit de re sua, idest, de sua Ecclesia absolute disponere, & eam suo arbitrio fundare; Non sic autem alii Pontifices, qui non Domini, sed dispensatores existunt; Tum quia, ut recte dicit Augustinus Triumph. *de potest. Eccl. q.* 2. *art.* 2. *in corpore*: *Christus fuit Deus, & homo, ideo in suo judicio non potuit falli, neque fallere; sed quia judicium humanum est fallibile, quia purus homo potest falli, & fallere, ideo conveniens fuit post Christi ascensionem, & post mortem illius, qui immediate a Christo electus fuit, ut promotio cujuslibet alterius Summi Pontificis fieret per electionem, ut ex collatione, & concordia plurium talis electio careret errore, & mereretur suscipere Divinam inspirationem*: Quinimmo, ut notat Fagnan. *l. c. n.* 54. ipse quoque S. Petrus ministerialiter etiam ab Apostolis electus fuit post Domini in Cœlum ascensum, ut patet *in cap. In novo dist.* 21. ibi: *Ceteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt*. Et *cap. Sacrosancta* 2. *dist.* 22. ibi: *Petro tamen a Domino concessum est (& ipsi inter se voluerunt idipsum) ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, & principem teneret Apostolatus, qui etiam eamdem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt*. Ad id autem, quod dicitur, quod omnis Christi actio nostra est instructio, conceditur de omni actione, quam fecit ut homo, non autem quam fecit ut Deus, nam ipse ambulavit super aquas, & jejunavit absque omni cibo, & potu quadraginta diebus, & ad hæc nos non adstringimur, quia talia miraculose fecit ut Deus. Et sic quod Christus Petrum sibi constituerit successorem, eique contulerit potestatem ligandi, & solvendi, non est trahendum ad exemplum, cum non ut homo, sed

Nota Romani Theologi.

(*) Christus constituit Petrum suum Vicarium in terris, non successorem; ipse enim est Sacerdos in æternum. Quare argumentum corruit. Deinde post Christi Domini ascensionem ab Apostolis Petrus non electus, ut ait *Auctor*, sed recognitus fuit eorum Princeps.

Responsio Auctoris.

Advertendum erat, quod allata *ibi* a me objectio, est objectio adversariorum, & non mea conclusio. Dico enim: Nec valet objicere &c. Et prius in Summario sic: *adducitur & solvitur* instantia &c. prout iisdem terminis adducitur, & solvitur plurimis adductis a Celeberrimo Fagnano *lib.* 1. *decretal. in cap. Accepimus* 5. de pactis num. 18. 54. & seq. Videat ipsum *ibi* Theologus, & certe recedet ab indebite facta nota, & fatebitur, quod non corruit, sed subsistit argumentum. Ultraquamquod non desunt magni nominis Doctores, qui id expresse tradunt; ut inter alios Barbosa *Juris Ecclesiastici l.* 1. *cap.* 1. *de summo Pontifice*, *num.* 16. ubi in Summario sic expresse habet: *Petrus Vicarius & successor Christi multis ostenditur*, & in corpore sic: *Quod autem Christus voluerit Petrum sibi Vicarium, & successorem existere, ipsemet ostendit, dum dicit* &c. Vide *ibi* ad longum. Et Card. Petra *tom.* 4. *Commentar. in Constitut. V. Clementis VI. in summario num.* 3. sic præcise: *Christus, qua forma divum Petrum sibi Successorem elegerit*. Et in corpore n. 6. sic præcise: *Qui primam sententiam tuentur, potissime adducuntur*. Cum *Christus dominus sibi successorem instituerit Petrum*. Pro eodem enim quantum ad hoc, salva in reliquis debita differentia, & proportione, videtur hic accipere Vicarium, & Successorem. Sicuti pro eodem sumit sanctissime Regnans Summus Pontifex Clemens XIII. in Apostolicis litteris, quibus facultatem concedit Ordinariis eam poscentibus, impertiendi cum Indulgentia plenaria Apostolicam Benedictionem suis diœcesanis vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra communione refectis in duabus cujuscumque anni solemnitatibus, videlicet die Paschatis, & alio die Festo eorum arbitrio, & voluntate eligendo; ibi: *Exemploque suo edocuit, quid eos, quos in gubernanda Catholica Ecclesia Successores, ac Vicarios suos in terris relinquebat, in Domino facere oporteret*. Et ad id, quod subjungit *Theologus* dicens: deinde post Christi Domini Ascensionem ab Apostolis Petrus non electus, ut ait *Auctor*, sed recognitus fuit eorum Princeps, jam patet responsio ex traditis a Fagnano *loc. cit. num.* 54. merito a me *loc. cit. num.* 4. *secut.* per ipsissima sua verba, *ibi*: quinimmo, ut notat Fagnanus *loc. cit. num.* 54. ipse quoque S. Petrus ministerialiter ab Apostolis electus fuit post Domini in Cœlum Ascensum: *in cap. In novo* 2. *dist.* 21. ibi: *Cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt*. Nonne Fagnani, & meam conclusionem satis aperte demonstrant illa verba: *ipsum quoque Principem* eorum *esse voluerunt &c.* Et in cap. *Sacrosancta* 2. *dist.* 22. *ibi*: *Petro tamen a Domino concessum est (& ipsi inter se voluerunt idipsum) ut reliquis omnibus præesset Apostolis &c.* Ponderentur illa verba: *& ipsi inter se voluerunt idipsum*, & satis patebit, per ipsa denotari saltem ministerialis Electio Petri in eorum caput & Principem facta a cæteris Apostolis, ut tradit clariss. Canonista Fagnanus, in intelligentia & expositione Sacrorum Canonum nemini certe secundus.

sed ut Deus operatus sit; *c. Ita Dominus 7. dist. 19. cap. Omnes 1. dist. 22. & cap. Solitæ §. Potuisses, de majorit. & obed.*

5 Nec valet instare *ex cap. Si Petrus 1. caus. 8. quæst.* 1. quod Sanctus Petrus Apostolus sibi elegit successorem Sanctum Clementem, quod ipsemet Clemens attestatur in Epistola prima ad Jacobum Fratrem Domini dicens: *Simon Petrus in ipsis diebus, quibus vitæ finem sibi præsensit, apprehensa manu mea repente consurgens in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Clementem hunc Episcopum verbis ordino, cui soli meæ prædicationis, & Doctrinæ Cathedram trado*. Sic præcise refertur *in cap. Unde 2. cit. caus. 8. & quæst.* 1. & latius in eadem Epistola, quæ habetur integra *tom. 1. Concilior. par. 1. fol. 27. col.* 1. Hoc autem Sanctus Petrus non fecisset, si Jure Divino, & naturali prohibitum fuisset; *Dist. 5. in Summario §. Naturale Jus, cap. Sunt quidam 6. caus. 25.*

6 *quæst.* 1. Non valet, inquam, quia in primis illa Epistola videtur falso inscripta ejusdem Clementis nomine, ut insinuat Card. Baronius *Annal. Eccles. tom. 1. anno Christi 60. pag.* 680. quia longe ante mortem Petri objerat Jacobus Alphæi Frater Domini, dictus justus, & minor, quia constitutus fuerat a Petro Episcopus Hierosolymitanus, & ex Templi vertice fuit præcipitatus *anno Domini* 63. Petri vero 19. Neronis 7. ex tabula Chronographica Jacobi Gault. *primo sæculo fol.* 8. & ex Breviario Chronologico Fr. Francisc. a Coriolano *fol.* 15. ex Card. Baronio *d. tom. 1. anno Christi 69. pag. 628. &* 680. & ex Barbosa *loc. cit. num.* 45. Et non debet confundi iste Jacobus cum altero Jacobo Filio Zebedæi, qui primus Apostolorum cæsus obiit anno Domini 44. sub Herode Agrippa. Unde cum d. Epistola scripta sit post obitum S. Petri, & sic post annum Neronis decimum tertium scribi non potuit ad Jacobum Alphæi, qui jam obierat anno 7. ejusdem Neronis, nec ad Jacobum Zebedæi, qui primus Apostolorum jam obierat anno Domini 44. sub Herode Agrippa, & sic multo prius ante mortem S. Petri. Et propterea Card. Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiast. in S. Clemente*, dicit dictam Epistolam non carere scrupulo, & multis rationibus hoc ipsum ostendit Jul. Lavorius *variar. lucubrat. tom. 1. tit. 4. cap. 3. num.* 51. Et de ipsa dubitant Fagnan. *loc. cit. num.* 59. Barbosa *l. c. n.* 45. aliique multi Canonistæ, & Theologi apud Card. Petram *loc. c. n.* 8. Possevin. *in Appar. Sac. in verb. Clemens Romanus*, Mendoz. *q. 4. Schol. §. 11. vers. Quarto*. Nec 7
parva est controversia inter Doctores, an Clemens fuerit secundus, vel quartus Summus Pontifex? Unde Glossa *in cit. cap. Si Petrus 1. caus. 8. qu. 1. verb. Aut ligandi*, habet sequentem versum.

Disputat hic mundus, quartus, fueritve secundus.

Sed dato etiam, quod S. Petrus eum sibi Successorem nominaverit, ut communius sentiunt Doctores, respondetur cum Barbosa *loc. cit. num.* 47. quod melius dici potest, Petrum ex omnibus Presbyteris, & Diaconis Romanæ Urbis XXIV. elegisse, cum quibus omnia ardua negotia Ecclesiæ resolveret, eosque sibi Coadjutores, & Consiliarios, & Summi Pontificis Electores instituit ordinavitque; ut ex Sacro hoc XXIV. Senatorum Collegio, quos postea Silvester I. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales nuncupavit, Pontifices eligerentur, ut colligitur *ex cap. Oportebat 3. dist.* 79. In præsentia igitur horum Electorum Petrus in ultimis vitæ suæ diebus consurgens Clementem in Pontificem nominavit, quod tamen ita factum creditur, si a Sacro illo Romanæ Ecclesiæ Senatu admitteretur: Cognoscentes vero hujusmodi nominis formam graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, non Clementem, sed Linum elegerunt, & illum post Petrum Pontificatui Romano præesse voluerunt, quamvis deinde Clemens, decedentibus Lino, & Cleto, ab ipso Senatu in Pontificem fuerit electus. Colliguntur hæc ex Cæremoniali Romano *lib. 1. sect. 1. cap.* 3. Unde apparet, Sanctum Petrum non sibi Clementem necessario Successorem elegisse sed tantum nominasse, ut a Sacro illo Collegio iuxta formam sibi traditam eligeretur; & ita intelligendus est textus *in d. cap. Si Petrus 1. cum seq. caus. 8. quæst.* 1. Hactenus Barbosa (*). 8

Nec

Ejusdem Rom. Theol. Nota.

(*) Quæ ex Barbosa Auctor recenset, haud facile eruditus Lector probabit. Quamobrem Romani Censores addendum hic voluere, quod Antonius Sandinius in sua historia Apostolica hac de re scripsit. Irenæus, inquit ipse, memoriæ prodit, *Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ* a Petro traditum, Tertullianus Clementi datum; *Hoc enim modo*, ait, *Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem: Perinde utique, & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici Seminarii traduces habeant*. Itaque sicut Polycarpus ab Joanne inauguratus est, ut esset Antistes Ecclesiæ Smyrnæorum; ita Clemens a Petro ordinatus dici debet, ut esset Pontifex Romanorum: alioquin non recte Tertullianus duas illas Ecclesias inter se se comparasset. Ex Scriptoribus tam antiquis, quam recentibus, alii Irenæum sequuntur, alii Tertullianum. Baronius, cujus præ cæteris sententiam probant Natalis Alexander, Cotelerius, Bollandus, Tillemontius, secutus conjecturam Epiphanii, utrosque ita componit. Scribit enim, S. Clementem accepisse quidem a D. Petro Episcopatum, modestiæ tamen causa de suo cedentem jure collatam sibi dignitatem recusasse, donec Linus, & Cletus Petri ipsius in Episcopali munere Administri alius post alium, opera, crediderim, ejusdem Clementis a Clero electi, Romanam Ecclesiam gubernarent. At vide Eminent. Orsium *tom. 1. suæ Hist. Ecclesiast.*

9 Nec valet, inquam, instare, quod Bonifacius II. in Concilio Romano I. Vigilium Diaconum sibi Successorem elegerit anno Christi 531. ut refert Anastasius Bibliothecarius in vita ipsius Bonifacii, & habetur *tom.* 1. *Concil. par.* 1. *fol.* 463. *col.* 2. *& fol.* 646. *col.* 3. in hæc verba: Hic, scilicet Bonifacius II. *congregavit Synodum in Basilica Beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi Successorem ordinaret. Quo constituto, cum Chirographis Sacerdotum; & jurejurando ante Confessionem B. Apostoli Petri in Successorem Pontificem Diaconum Vigilium constituit*. Nec desunt alia exempla his similia. Nam Gregorius VII. anno 1085. elegit Victorem III. Victor III. anno 1086. elegit Urbanum II. Urbanus II. anno 1099. elegit Paschalem II. ut videre est apud Baronium *ad annum Christi* 1085. *fol.* 188. & *ad annum* 1087. & apud Fagnan. *loc. cit. num.* 22. Et ad hoc facit textus *in cap. Si transitus* 10. *dist.* 70. ibi: *Si transitus Papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione Successoris non possit ante decernere &c.* per quæ verba innuitur, posse Papam ante transitum suum de Successore decernere, & deliberare.

10 Non valet, inquam, quia factum illud Bonifacii II. in Concilio iterum congregato, ab omnibus fuit reprobatum, ut testatur idem Anastasius Bibliothecarius *in dicta vita ejusdem Bonifacii*, dicens: *Eodem tempore, facta iterum Synodo, hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctæ, & quia contra Canones fuerat hoc factum, & quia culpa eum respiciebat, ut Successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis, quod Diaconum Vigilium sua subscriptione Chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio consumpsit*, & etiam refertur *tom.* 2. *Concilior. par.* 1. *fol.* 643. *col.* 2. *litt. C.* Unde merito S. Silverius Papa in Epistola ad eumdem Vigilium Diaconum Pseudo-Pontificem exprobravit: *Quia contra Jura Canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ, & ipso vivente designari conabaris, nisi tibi amplissimus Senatus obviasset, justa tunc Providentia, Pastorali, ac Pontificali auctoritate tua execranda jam debuerant auspicia detruncari; sed dum parvum vulnus in te est neglectum, insanabile tunc crevit apostema*. Alia vero exempla in contrarium adducta, si accurate considerentur, nullam vim faciunt, nam illæ non fuerunt electiones, & substitutiones Successorum; sed potius designationes, & commendationes personarum, quæ sibi ad tantum munus subeundum præstantiores viderentur. Pontifices enim a Cardinalibus rogati indicarunt, quem dignum putarent Cathedra Petri, salvis tamen Cardinalium suffragiis: ideoque nullus ex designatis post obitum Pontificis designantis gessit se pro Papa, nisi post subsecutam Cardinalium electionem, & ad hoc facit *c. Petisti* 17. *caus.* 7. *q.* 1. ibi *Si eum aptum... cognoveris, tibi Successorem designa, ut huc veniat ordinandus*. Ad textum autem *in citat. cap. Transitus*, respondetur cum Glossa, *ibidem*, quod aliud est de sui Successoris electione cum Fratribus, seu Cardinalibus deliberare, quod ibi permittitur, & potest fieri, & aliud est ex testamento, quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur, ut *cap. Episcopo* 3. *c. Episcopo* 4. *c. Plerique* 5. *cap. Moyses* 6. *caus.* 8. *quæst.* 1. cum similibus. Sic respondet ad litteram Gratianus *in c. Apostolica §. His omnibus* 7. *caus.* 8. *q.* 1. & Glossa *in cit. c. Transitus*: & *ibi* Archidiaconus, Bellamer. Turrecrem. & reliqui omnes, teste Fagnano *loc. cit. num.* 62.

Hinc plures Pontifices, etiam ex non primævis, licet rogati, & persuasi ad sibi Successorem eligendum, id facere omnino recusarunt. Sic Cœlestinus III. cum gravi morbo laborans, renunciare vellet Papatui, & Cardinalis Joann. de S. Paulo titul. S. Priscæ in ipsius locum subrogari, & assumi summopere cuperet, tamquam inauditum in Ecclesia Dei id minime fecit. Paulus III. persuasus a Cardinali Francisco Pisano Veneto, Episcopo Patavino, ut sibi Successorem eligeret, omnino respuit. Pius IV. in Consistorio Cardinales alloquens, ipsisque suam senectam exponens adjecit se utique scire, quæri a Jurisconsultis: An Romanus Pontifex sibi Successorem deligere queat? Et sub Paulo IV. agitatam fuisse quæstionem: An idem Pontifex adjutorem cum futura Successione adsciscere possit? Et quamvis nonnulli id affirment, eam tamen sententiam Pius uti falsam rejiciendam censuit, volebatque declarare, Pontificem Cardinalibus etiam assentientibus id facere non posse; Major pars Cardinalium Decretum faciendum judicavit, sed Cardinalis Gambara dixit, declaratum olim a Pontifice in Consistorio, & Decreto firmatum hoc a Pontifice. Sic ex aliis refert Card. Petra *tom.* 4. *Commentar. ad Constit.* 5. *Clementis VI. num.* 9. 11

Unde a Papa nequit valide fieri Constitutio etiam de 12

Responsio Auctoris.

Quæ ex Barbosa *loco cit.* ego recenseo, nedum facile, sed facillime probant eruditissimi & magni nominis viri, ut videre est in Card. Petra *n.* 4. *comment. in Constit. V. Clem. VI. a num.* 5. *ad* 17. ubi post multa ipse concludit: *Verumtamen probabilissimum etiam est, quod a Clero Rom. fuerit Linus in Cathedra Petri locatus. Pro comperto enim est, quod a primordiis Ecclesiæ summi Pontificis electio apud Presbyteros & Diaconos urbis Romæ erat, qui a Petro in loco absentium Apostolorum per regiones urbis constituti erant*. Fagnan. *lib.* 1. *decretal. in cap. Accepimus, de pactis num.* 58. *&* 59. Matthæucci *in opere dogmatico controvers.* 6. *num.* 15. & alii plures, ut eruditis liquet, sed dato etiam, quod omnino non consistant, quæ tradit Barbosa, gravis alioquin Auctor, quid inde contra me? qui tantummodo ad eruditionem ea recenseo ex mente Barbosæ, ut clare demonstro cit. n. 8. sic concludendo: hactenus Barbosa.

de consensu Cardinalium, quod Summus Pontifex possit sibi Successorem substituere: Cardinal. Zabarell. *in Clement. Ne Romani in* 5. *quæst. num.* 5. *de election.* Card. Turrecrem. *In summa de Eccles. lib.* 1. *cap.* 13. *& lib.* 2. *cap.* 15. *& in cap. Si transitus* 10. *num.* 1. *dist.* 79. Augustin. Triumph. *de potest. Eccles. q.* 3. *artic.* 3. *in corpor.* Martin. Lauden. *de Cardinal. quæst.* 39. *inter tract. commun. tom.* 4. *fol.* 63. Hieronym. Manfred. *de Cardinalib. decis.* 15. *tom.* 13. *tract. par.* 2. *fol.* 86. Cardinal. Cajetan. *Opuscul. tom.* 1. *tract.* 2. *de potest. Papæ & Concil. Apolog.* 2. *cap.* 12. Petrus de Palud. *de potest. Eccles. lib.* 4. Silvester *in verb. Excommunicatio* 9. *num.* 3. Gregorius de Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *de statu Episcop. punct.* 3. §. *Quarta assertio*; Card. Baron. *ad annum Christi* 11. *fol.* 188. & passim Moderni, teste Fagnano *loc. cit. num.* 31. qui *numeris sequentibus* quinque præcipuis solidis fundamentis hanc conclusionem propugnat.

13 Summus ergo Pontifex assumi debet per electionem; quæ primo post S. Petrum fuit apud Ecclesiæ Romanæ Senatum ex XXIV. Presbyteris, & Diaconis Romanæ Urbis, quos ipse S. Petrus tamquam Senatores Romanæ Ecclesiæ in locum absentium Apostolorum instituit ad instar XXIV. Seniorum, quos *in Apocalypsi cap.* 4. Joannes super Throno in conspectu Dei sedere conspexit, & ipsos Romani Pontificis Consiliarios, Coadjutores, & Electores pro tunc esse voluit, inter quos præcipui erant Linus, Cletus, & Clemens, ut *in cap. Si Petrus caus.* 8. *qu.* 1. qui postea singuli successive Romanam Sedem tenuerunt.

14 Deinde vero post tempora S. Silvestri, a quo cœpit Ecclesia bonis temporalibus, ac terrena potestate perfrui, orientibus scandalis, & scissuris inter hujusmodi Ecclesiæ Senatores reliquus Clerus Romanus, ac populus ad præsentiam, & corroborationem exhibendam adjunctus est electioni Pontificis, ut colligi videtur *ex c. Factus* 5. *caus.* 7. *q.* 1. Et hoc tribus potissimum rationibus; primo ad removendas seditiones Clericorum; secundo ut omnibus in eligendo esset dicendi facultas, & liceret vitia, vel virtutes eligendi proferre, & sic electioni suo consensu testimonium perhibere; *cap. Reliqui* 1. *dist.* 67. Tertio ne populus invitus, & non optatum Prælatum acciperet; *cap. Nullus invitis* 13. *dist.* 61. *cap. Si forte* 36. *distin.* 63. Hactenus Barbosa *loc. cit. num.* 49. & 50.

15 Progressu autem temporis ad sedandas adhuc contentiones, & tumultus, qui in hujusmodi electione nihilominus oriebantur, Imperatores suas manus huic electioni interponere cœperunt, non quidem auctoritate electiva, seu vere confirmativa, sed solum opitulativa, seu auxiliativa, & executiva, quatenus nempe in publicæ pacis officium electionem promovebant, & jam factam sua auctoritate ipsi favebant, & defendebant ne schisma oriretur, & si quod ortum esset, comprimebant, tumultusque sedabant; sub his enim restrictionibus eis concessum erat ut electioni intervenirent, ac electioni eorumdem auctoritas inserviret, nunquam tamen quod electioni præessent, vel in ea suffragium ferrent, aut eamdem factam confirmarent, vel infirmarent.

Nec valet dicere, quod Imperatores habuerint 16 Jus eligendi Romanos Pontifices, ut concessum fuisse Carolo Magno ab Adriano I. habetur *in cap. Adrianus* 22. *dist.* 63. & Othoni I. a Leone VIII. ut habetur *in cap. In Synodo* 23. *eodem dist.* 63. 17 Non valet, inquam, quia Canones illos esse apocryphos, commentitios, & fictitios scribunt Cardinal. Bellarminus *de Summo Pontific. l.* 2. *cap.* 22. *& de Clericis cap.* 9. *& in Apolog. pro responsione sua ad lib. Regis Angl. cap.* 7. *tom.* 6. *suorum operum*, Cardinal. Baron. *annal. Eccl. ad annum* 526. *&* 555. *& præsertim ad ann.* 774. *a num.* 10. *& ad annum* 964. *a num.* 22. Suarez *de Defensione Fidei Cathol. contra Anglicanæ sectæ errores lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 7. Azorius *Institution. moral. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 3. Jacobus Gretser. *in Apologia Baron. cap.* 1. *&* 2. Seraphin. de Freitas *de justo imperio Lusitan. Asiatico cap.* 6. *num.* 100. *&* 101. Solorzan. *de Jure Indiarum l.* 2. *cap.* 22. *num.* 39. *tom.* 1. Bonacina *de election. Pontificis quæst.* 1. *punct.* 1. *proposit. unic. num.* 9. Fagnan. *in cap. Accepimus, de pactis num.* 64. & alii plures apud Cardin. Petram *loc. cit. num.* 26. dicentes fabellam, & imposturam esse a Sigiberto Monaco Gemblacensi Schismatico Historico, atque Imperatoris Henrici partes adversus Romanos Pontifices propugnante, in fine suæ Chronographiæ adjectam. Hic enim in gratiam Schismatici Imperatoris Henrici vindicantis sibi Ecclesiarum investituras, eosdem Canones primus contexuit, cum nullus plane alius, qui ante eum scripserit, res Francorum, de recensitis in illis vel levem mentionem fecerit, ut notarunt Coriolanus *in Breviario ad annum* 774. Spondanus *ad eumdem annum num.* 3. Gonzalez *in primo tit.* 6. *cap.* 5. *num.* 12. plures allegans: Qui omnes nimiæ credulitatis, prout in aliis fuit, & levitatis virum appellant Gratianum, eo quod illud Concilii Decretum suæ Canonum collectioni improvide nimis consarcinaverit. Unde Cabassut. *Notit. Ecclesiastic. ad ann.* 1274. *dissertat.* 2. *ad Concil. Lugdunens. II. numer.* 4. dicit, Canones allegatos cum eo, qui præcedit, merito deberi ex collectione expungi, & obliterari.

Sed quatenus prædictis Canonibus aliqua esset 18 adhibenda fides, tamen confirmatio electionis, quam ex asserto Indulto Apostolicæ Sedis tunc temporis concedebant Imperatores, non conferebat Papæ auctoritatem Papatus, alioquin Papatus esset ab Imperatore, quod est Hæreticum, cum sit a Deo tantum; *cap. Omnes* 1. *& cap. Sacrosancta* 2. *dist.* 22. cum similibus, sed solum dabat robur facto, ut Schismatici, & Hæretici non auderent contravenire, ut optime probant Cardinal. Turrecremata *in dict. cap. Adrianus num.* 1. Fagnan. *loc. cit. num.* 65. & alii plures: Tum quia 19 Papa non potest alteri impertiri facultatem eligendi Summum Pontificem, quia Regula Juris est quod nemo possit per alium facere, quod per se ipsum facere non potest; *cap. Nemo* 79. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*; Nemo enim dat, quod non habet; *cap. Dalbertum* 24. *caus.* 1. *qu.* 7. *cap. Quomodo, de consecrat. dist.* 4. *cap. Quod autem* 5. *de Jurepatronat.* Papa autem ne-

nequit sibi eligere Successorem, ut supra probatum est *a num.* 2. & neque de consensu Cardinalium potest facere Constitutionem, quod Summus Pontifex possit sibi Successorem substituere, *ut supra num.* 12. Unde tanto minus potest concedere Imperatoribus Jus eligendi, & confirmandi Summum Pontificem. Sic optime probant Card. Alban. *in tract. de Cardinalibus qu.* 32. Fagnan. *loc. cit. n.* 66. & alii passim.

20 Immo cum post Decretum Nicolai II. relatum *in cap. In Nomine Domini* 1. *dist.* 23. in quo notat Cardin. Petra *tom.* 4. *Commentar. ad Constitut.* 5. *Clementis VI. num.* 33. ad sedandas seditiones, tumultus, & rixas, quæ in electione Summi Pontificis oriebantur, sancitum fuerat, ut electio Papæ a Cardinalibus Episcopis perageretur, ac deinde reliqui Cardinales, Clerus, ac populus Romanus ad eam comprobandam accederent, salvo tamen honore, & reverentia Henrici Imperatoris.

21 Cum adhuc quandoque ex violentia Imperatorum in electione Papæ schismata orirentur, Alexander III. qui & illa suo tempore non semel expertus fuerat, statuit in Generali Concilio, ut ille demum Canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus partibus omnium Cardinalium consensissent, prout refertur *in cap. Licet 6. de electione*, & sic excluso Cleri, & populi, & Imperatoris consensu, qui requirebatur, attento Nicolai II. decreto *in cit. cap. In nomine Domini* 1. *distinct.* 22. postea tota Pontificis electio ad solum Cardinalium Collegium redacta fuit per dictum Alexandrum III. *in cit. cap. Licet 6. de elect.* quod deinde fuit confirmatum, & plenius statutum a Gregor. X. in Concilio Generali Lugdunensi relato *in cap. Ubi periculum 3. de electione in 6.* & a Clemente V. in Concilio Viennensi relat. *in Clem. Ne Romani 2. de electione*. Vide Barb. *loc. cit. n.* 55. & 56. Card. Petram *loc. cit. a n.* 35. *ad* 38.

22 Insuper, ne diuturnæ vacationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neque Cardinales possent ambientium studiis corrumpi, Gregorius X. *in dicto cap. Ubi periculum 3. de elect. in 6.* Clemens V. *in cit. Clementina Ne Romani 2. de elect.* Clemens VI. *in Constitut. incip. Licet*, Clem. VII. Constit. incip. *Cum charissimus*, Paulus IV. Constitut. incip. *Cum secundum*; Pius IV. Constitut. incip. *In eligendis*; Gregorius XV. Constitut. incip. *Æterni*, & alia ejusdem Gregor. incip. *Decet Romanum Pontif.* Urbanus VIII. Constit. incip. *Ad Romani*, & novissime Clemens XII. Constit. incip. *Apostolatus Officium*, plura circa electionem Papæ statuerunt, quorum aliqua magis notabilia ex Barbosa *loc. cit. a num.* 60. & Card. de Luca *in par.* 2. *relat. Romanæ Curiæ disc.* 3. referre placet.

23 Primo igitur ante Papæ electionem, statim priore defuncto, Cardinales absentes sunt monendi, ac per decem dies a die mortis Pontificis computandos, expectandi, *cit. cap. Ubi periculum 3. de electione in 6.* & cit. Constit. Pii IV. in *cap. In*

24 *eligendis*. Si tamen ante dictos decem dies elapsos, ex aliqua justa causa præveniendi, fiat Papæ electio a communi Cardinalium præsentium, vel duarum partium eorum, consensu, non expectatis Cardinalibus absentibus, talis electio erit valida, cum expectatio dicti temporis non pertineat ad substantiam electionis; Lavorius *variarum lucubrat. tom.* 1. *titul.* 4. *cap.* 7. *n.* 4. Diana *par.* 5. *tractat.* 2. *resolut.* 75. Azorius *Institut. moral. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *qu.* 5. Bonacina *de election. Pontific. disput.* 1. *qu.* 3. *in princip. a n.* 1. Barbosa *loc. cit. a n.* 61. & alii passim.

Cardinales absentes non sunt solemni convoca- 25
tione vocandi, seu citandi eo modo, quo de jure in aliis electionibus, & actibus Capitularibus alii Electores sunt vocandi; Glossa *in cit. c. Ubi periculum, verb. decem dierum*, & *ibi* Archidiaconus *verb. Expectare*; Cardin. de Luca *par.* 2. *relat. Romanæ Curiæ disc.* 3. *n.* 27. Lavor. *loc. cit. tit.* 4. *cap.* 7. Mendoza *in Regul.* 32. *Cancellar. qu.* 8.
n. 8. Barbosa *loc. cit. n.* 62. & alii. Cardinales præ- 26
sentes solent certiorare Cardinales absentes de obitu Pontificis per litteras a Secretario Sacri Collegii subscriptas. Barbosa *loc. cit. n.* 63. Lavorius *in fine dicti tit.* 4. *pag.* 554. ubi dat formulam ipsarum Litterarum.

Cardinales absentes, licet desint ex publica 27
causa, & de licentia Romani Pontificis, ad electionem Successoris expectandi non sunt ultra decem dies. Pius IV. in d. Const. incip. *In eligen-*
dis, §. *Declarandis*. Cardinales præsentes per no- 28
vem dies debent celebrare exequias defuncti Pontificis; *cit. c. Ubi periculum 3. de electione in 6.* §. *Quia vero*.

Secundo, dum exequiæ per dictos novem dies 29
a Cardinalibus celebrantur, singulis diebus Cardinales non impediti in Basilica Vaticana conveniunt, & ante dictarum exequiarum celebrationem congregari solent in ejusdem Basilicæ Sacristia, ut Principum Oratores, ac etiam Officiales, & Magistratus audiant, aliasque congruas præbeant provisiones pro utriusque Principatus regimine, ac etiam pro Conclavis ordinatione, quod intra id temporis fabricari debet in Pontificio Palatio, nullo intermedio pariete, & ibi commanere debent Cardinales, donec per ipsos Summus Pontifex fuerit electus, *cit. c. Ubi periculum*, §. *Hoc Sacro*.

Decima vero die, celebrata prius in eadem Ba- 30
silica Missa de Spiritu Sancto, Cardinales in Urbe existentes, & legitime non impediti processionaliter Conclave ingrediuntur; Legitime autem impediti solent sero privatim ingredi, Cardinalibus jam existentibus in propriis Cellis, quæ per sortem absque aliqua personarum acceptione distribuuntur; per totam illam diem liber patet aditus Principum Oratoribus, ac Magnatibus, & Prælatis, aliisque omnibus, tam nobilibus, quam popularibus Conclave peragrandi, atque benevolos Cardinales in Cellis visitandi, & præsertim Principum, & Rerumpublicarum Oratores, & Magnates totum Collegium visitant, eisque obsequia præstant, atque felices faciunt adulatorias augurationes, ut refert Card. de Luca *par.* 2. *Relat. Romanæ Curiæ disc.* 3. *n.* 13.

Omnibus autem de sero exclusis, præter eos, 31
qui in Conclavi cum Cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosæ clausuræ undique redactum clauditur per ejusdem Conclavis Custodes,

qui duo sunt fixi, ac principales, ille scilicet Prælatus, qui ab eodem Collegio ante ingressum electus fuerit, qui Conclavis Gubernator dicitur, & alter Sæcularis, qui Conclavis Marescallus nuncupatur; alii vero Custodes sunt Prælati, ac etiam respective Conservatores populi custodientes rotas, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur, ad formam Clausuræ Monasteriorum Monialium, dictique Custodes per turnum deputari soliti singulis diebus invigilant, ne Apostolicis Constitutionibus contraveniatur circa allocutiones, vel Litterarum transmissionem: *cit. cap. Ubi periculum*, §. *Hoc Sacro*; & cit. Constit. Pii IV. incip. *in eligendis*.

32 In Conclavi sub Clausura, ultra Cardinales, remanent regulariter duo cujuslibet Cardinalis familiares, qui vulgo Conclavistæ nuncupantur, pro eorum servitio, solumque Cardinalibus senibus, vel infirmis, ac etiam iis, qui de Principum genere sint, indulgetur tertius familiaris, seu Conclavista, ratione majoris servitii quo indigere dignoscantur judicio ejusdem Collegii, a quo pendet concessio tertii familiaris, seu Conclavistæ, & tales familiares, seu Conclavistæ non debent esse Mercatores, Ministri Principum, Domini temporales, & jurisdictionem habentes, neque Fratres, aut Nepotes Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, sed debent esse ipsorum Cardinalium vere servientes, familiares, domestici, & continui commensales cujusque respective saltem ab anno ante, & adhuc pro tunc tales existere, cit. Const. Pii IV. incip. *In eligendis* §. *Qui servientes*.

33 Ultra prædictos familiares cuilibet Cardinali specialiter necessarios, remanent in Conclavi alii quoque Officiales, vel Ministri pro servitio Cardinalium in communi; scilicet unus Sacrista cum Clerico coadjutore, duo Magistri Cæremoniarum, qui Celebranti ministrent, unus Religiosus pro Confessionibus audiendis, unus Collegii Secretarius cum uno tantum famulo; duo medici, unus chirurgus cum uno, aut duobus servitoribus; duo barbitonsores, unus faber lignarius; unus cæmentarius; item octo, aut decem servientes bajuli publicæ utilitati, & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, & pro aliis hujusmodi ministeriis, qui omnes a Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis, eligi debent per secreta suffragia, ita tamen, ut is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis salaria de publico persolvantur, cit. Const. Pii IV. incip. *In eligendis*, §. *Sacrista*.

Circa cibum, & potum intra Conclave Cardi-
34 nalibus portandum Greg. X. *in cit. c. Ubi periculum*, §. *Hoc sacro* statuit, quod si intra tres dies post ingressum Conclavis non fuerit electus Papa, per spatium quinque dierum immediate sequentium singulis diebus, tam in prandio, quam in cœna uno ferculo solo sint contenti, quibus, provisione non facta, decursis, tunc tantummodo panis, vinum, & aqua ministrentur. At Clemens VI. in Const. incip. *Licet*, præter panem, vinum & aquam in prandio, & cœna unum dumtaxat ferculum seu missum carnium utriusque speciei tantummodo; aut piscium seu ovorum cum uno potagio de carnibus, vel piscibus specialiter non confectis, & decentibus salsamentis habere permittit, ultra carnes solitas, erbas crudas, caseum, & fructus, seu electuaria, quibus tamen nullum specialiter ferculum vult confici, nisi ad condimentum fieret, vel saporem, & prohibet, ut nullus de alterius ferculo vesci possit; Pius vero IV. cit. Const. incip. *In eligendis* §. 22. *vers. Cardinales autem*, statuit, ut primo ipso die, quo Conclave ingressi fuerint, tam in prandio, quam in cœna uno ferculo unius speciei tantum, atque moderato, alias juxta Constitutionem Clem. VI. qualificato contenti esse debeant, & ut quispiam in alterius Cella, vel de alterius ferculo vesci non possit.

Tertio ad hujus rigoris observantiam consti-
tuuntur Executores ex præcipuis Magistratibus Ci- 35
vitatis, ubi electio celebratur, qui præstito juramento curare debent, ut prædictus ordo, rigorque servetur, *d. c. Ubi periculum* §. *Præterea*. Romæ autem sunt Prælati diversorum graduum, qui bis in die singulis diebus, mane scilicet, & vesperi mutantur, intimanturque a Cursoribus, servato ordine eorum omnium, qui in Romana Curia reperiuntur, incipiendo a Patriarchis, sequentibus Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Prælatis, juxta ordinem eorum promotionis, semperque assistit Gubernator Burgi, & duo Cursores pro occurrentibus necessitatibus, tam Collegii, quam prædictorum Gubernatorum; qui quidem Prælati sub perjurii pœna, ac Suspensionis a Divinis, maxima, & exquisita diligentia uti debent in inspiciendis, & perscrutandis epulis, quæ prandii, & cœnæ tempore afferuntur, ac aliis rebus, & personis Conclave intrantibus, & de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litteræ, aut notæ, vel signa aliqua transmittantur: si qui vero reperiantur, qui contra prædicta aliquid commiserint, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis Officiorum, & Beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta, & obtinenda incurrunt, & ulterius per Gubernatorem carceribus mancipandi erunt, & inde nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate Cardinalibus, in favorem quorumcumque, qui in præmissis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta, prout latius continetur *in sæpe cit. Constit. Pii IV.* §. *Prælati*, *&* §. *Quia vero*.

Electio autem Summi Pontificis est celebranda 36
ab ipsis tantummodo Cardinalibus. Sic in primis statuit Nicolaus II. *anno* 1059. *in Conc. Rom. c.*2. cum hoc tamen, quod facta a Cardinalibus Episcopis Summi Pontificis electione, deinde reliqui Cardinales, Clerus, ac populus ad eam comprobandam accederet, prout expresse habetur *in c. In nomine Domini* 1. *distin.* 23. & notat Cardin. Petra *tom.* 4. *Comm. ad Const. V. Clem. VI. n.* 33. Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alex. III. optime meriti de hac mea patria Alexandrina Civitate, utpote qui eam Sede Episcopali condecoravit, & suo nomine appellandam pro sibi præstita fidelitate, obedientia, & ope constituit.

tuit. Unde quia pro simili electione, & approbatione constituta a Nicolao II. adhuc quandoque schismata oriebantur, hic providissimus Pontifex Alex. III. in Generali Lateranensi Concilio statuit, ut ille demum Canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus Collegii Cardinalium partes consensissent, & sic excluso cleri, & populi consensu requisito, ex supra laudato Decreto Nicolai II. *in cit. c. In nomine Domini* tota Pontificis electio ad solum Cardinalium Collegium redacta est per ipsum Alexandrum III. ut expresse patet *in c. Licet 6. de election.* Unde, ut dicit Onuphrius in annotatione ad vitam d. Alexandri III., in electione Lucii III. sui immediati Successoris ea tunc primum redacta fuit ad solos Cardinales, clero omnino, & populo a Summi Pontificis electione exclusis, & lex salutaris a dicto Alex. III. in Concilio Generali Lateranensi anno 1179. celebrato lata de duobus tertiis suffragiorum Cardinalium ad evitanda in posterum schismata, executioni mandata fuit, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis diplomate apud se asservato. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis Cardinalibus demandata, fuit confirmata, & plenius statuta a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi 1274. celebrato, ut habetur *c. Ubi periculum 3. de election. in 6.* & a Clemente V. in Concilio Viennensi 1310. prout refertur *in Clementina, Ne Romani 2. de electione*, & ex post fuit semper in ipsis inviolabiliter conservata. Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiastici univers. c. 1. n. 55. & seq.* cum pluribus aliis ibi citatis, & alii passim.

37 Unde Cardinales omnes, etiam nuper creati, & publicati vocem habent in electione Pontificis, etiamsi nondum insignia Cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit, S. Pius V. *sub die 26. Jan.* 1571. Const. quam refert Jul. Lavorius *variar. lucubrat. tom. 1. act. 4. cap. 6. n. 21.* & citat Fagnan. *in cap. Licet 6. de electione n. 19.* Barbosa *loc. citat. n. 62.* Bonacina *de electione Pontific. qu. 1. punct. 1. proposit. unica n. 4.* Diana *par. 5. tract. 1. resol. 74.* & alii. Et idem quoque statuit Gregorius XV. Constit. incip. *Decet Romanum Pon-*
38 *tificem, in Cæremoniali §. Porro*. Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, quamvis excommunicati, suspensi, aut interdicti; *Clement. Ne Romani 2. de electione*; Pius IV. Constitut. incip. *In eligendis, §. Et ne dissensiones*; Gregorius XV. Constitut. incip. *Æterni, vers. Volumus etiam*.

39 Cardinales vero nondum ordinati ad Diaconatum in electione Pontificis vocem non habent ex Constitutione Pii IV. incip. *in eligendis, §. Statuimus*. Idem quoque statuerunt Sixt. V. Const. incip. *Postquam, §. Neque posthac*, & Greg. XV. *in Cæremoniali ipsius jussu composito, & confirmato ab ipso* Constit. incip. *Decet Romanum Pontificem*; & ab Urbano VIII. Constitut. incip. *Ad Romani*; Quibus tamen Constitutionibus, & Cæremoniali quoad hoc hactenus derogare solent Summi Pontifices, quando Cardinales nondum Diaconos creant, & de hoc expedire jubent Breve particulare, ut testantur Lavorius *loc. cit. cap. 9. n. 22.* Barbosa *loc. citat. numer. 72.* Cardinalis de Luca *par. 2. relat. Romanæ Curiæ, disc. 3. num. 10.* & alii.

Si ante factam electionem plurimi Cardinales 40
decedant, & recedant, & nolint electioni intervenire; electio pertinet ad solos superstites electioni interessentes, quamvis duo tantum remaneant, quia unus potest eligere alium. Anan. *in c. final. de appellat.* Lavorius *loc. cit. c. 6. numer. 25.* Silvester verb. *Excommunicatio 9. num. 2.* Barbosa *loc. cit. num. 74.* & alii passim. Immo quamvis unus 41
solus remanserit, ad ipsum spectabit electio. Glossa *in cit. Clementin. Ne Romani 2. de election. verb. Omnes*, Alban. *de Cardinalibus quæst. 23. & 25.* Laudens. *de Cardinalib. quæst. 15.* Panvin. *de offic. & potest. Capituli, Sede vacante, præl͏ud. 5. n. 8.* Manfred. *de Cardinalib. dec. 268. 289. & 291.* Villadieg. *de orig. & potest. Card. qu. 5. num. 26.* Bonacina *de Legibus disp. 1. qu. 1. punct. 3. Et de elect. Pontific. qu. 1. punct. 1. §. 4. n. 2. disp. 1.* Barbosa *loc. cit. n. 74.* & alii passim; Jus enim, & nomen Universitatis propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una sola persona; *L. sicut 7. §. 2. ff. Quod cujuscumque Universitatis nomine, & ibi* Bartol. Glossa *in l. Neratius, ff. de verbor. signif.* Card. de Luca *par. 2. relat. Romanæ curiæ disc. 3. num. 9.* Albanus *de Cardinalibus qu. 23.* Barbosa *loc. cit. num. 74.* & alii; Vide verb. *Electio art. 2. num. 5. & art. 4. n. 23. & 24.*

Non posset tamen ille eligere se ipsum; *arg.* 42
c. In scripturis 9. caus. 8. q. 1. cap. Ad nostram 7. de instit. cap. Per nostras 26. de Jurepatron. & Glossa communiter recepta *in cap. Cum in Jure 33. de election. verb. Ex se, vel aliis*. Vide *verb. Electio art. 3. n. 28. art. 2. n. 6.* Abbas autem *in cap. Licet* 43
in fine, de election. dat remedium, quo possit talis Cardinalis se ipsum eligere, ut scilicet is totius Sacri Collegii nomine alteri eligendi potestatem demandet, qui veluti Compromissarius ipsum eligat. Albanus vero *de Cardinalibus qu. 14.* dicit talem opinionem Abbatis procedere, quando ille solus remansisset, ceteris exeuntibus, vel absentibus, non autem mortuis; Vide Barbos. *cit. lib. 1. Juris Ecclesiast. univ. cap. 1. n. 74.*

Si omnes Cardinales (quod Deus avertat) mo- 44
rerentur ante factam electionem Pontificis, & nullus extaret, non conveniunt Doctores ad quem spectaret Pontificis electio. Multi enim dicunt, quod in hoc casu electio spectaret ad Canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est propria Sedes Pontificis super omnes Orbis, & Urbis, & hanc sententiam aliis probabiliorem, & tutiorem dicunt Abbas, Hostiens. Ludovicus Roman. *in c. Licet 6. de election.* Imola *in Clementin. Ne Romani 2. de electìon.* Barbosa *ibid. n. 23. & de Jur. Eccles. univers. lib. 1. n. 75.* Divus Antonin. *part. 3. Summæ tit. 22. §. 2. num. 5.* Lavorius *variar. resol. tom. 1. tit. 4. cap. 6. num. 27.* Azorius *par. 2. lib. 4. n. 2. quæsit. 11.* Dionysius *de vera quatuor Patriarcar. Sedium erection. cap. 16. num. 13.* Card. Petra *tom. 4. Comment. ad Const. V. Clementis VI. num. 20. & ad Constitut. 1. Gregorii XI. n. 14.* Alii vero affirmant, quod in tali casu electio Pontificis spectaret ad Concilium Generale, quia Pontifex non solum Urbis Romæ

sed totius Ecclesiæ universalis est Pastor. Sic Decius *in cit. c. Licet 6. de elect.* Aug. de Ancona *in Summa q. 5. art. 3.* & alii. Nonnulli tamen dicunt tunc temporis electionem Pontificis pertinere ad Patriarchas. Sic Baldus *in l. Ubi absunt, ff. de Tutor. & Curator.* Conrad. *in templo omnium Judic. lib. 1. §. 2. n. 6.*

45 Sede vacante tempore Concilii Generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad Cardinales, & non ad Concilium. Diana *par. 5. tract. 2. resolut. 73.* Bonacina *de electione Pontif. quæst. 1. puncto 1. §. 4.* Barbosa *cit. c. 1. num. 76.* & alii plures. Unde in Concilio Pisano, in quo tamquam dubii Pontifices Gregorius dictus XII. & Benedictus dictus XIII. de Sede depositi fuerunt, non quidem deponendo veros Pontifices in ratione auctoritativa, sed in ratione declarativa, aperiendo scilicet, quod neuter eorum bene, & legitime occuparet Sedem Papalem, eamque pro vacua, seu vacante habendam; Cardinales Conclave ingressi, & non Concilium, elegerunt in Summum Pontificem Petrum Philargi (vel Philareto) ex meo Minorum Ordine Archiepiscopum Mediolanensem, virum magnæ Sanctitatis, & eximiæ Doctrinæ, qui appellari voluit Alexander V. Item in Concilio Constantiensi, in quo tamquam dubii Pontifices Gregorius dictus XII. Joannes dictus XXIII. & Benedictus dictus XIII. eodem modo, quo supra, de Sede depositi fuerunt, & declarata Sede vacante Cardinales, & non Concilium, elegerunt in Summum Pontificem Odonem, seu Othonem Columnam virum, tum claritate sanguinis, tum nobilitate virtutum undequaque insignem, postea Martinum V. appellatum. Vide Historiam Ecclesiasticam eruditissimi Patris Ignatii Hiacynthi Amat de Graveson *t. 6. fol.* 500. postremæ impressionis Venetæ, ubi de electione Alex. V. sic præcise habet: *Cardinales numero viginti quatuor, concordibus suffragiis die 14. Jun. 1409. in Summum Pontificem elegerunt Petrum Philargum, vulgo de Candia nuncupatum, Ordinis Fratrum Minorum Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem, qui Alexandri V. nomen sibi sumpsit*: & eodem *tom. 6. fol.* 110. *de electione Martini V.* sic præcise habet: *Concordibus suffragiis die XI. Nov. 1416. Odo de Columna, patria Romanus, ex Illustrissima Columnensium prosapia oriundus, Cardinalis Tituli S. Georgii in Velabro, seu ad velum aureum, Pontifex Romanus electus est, dictusque Martinus quintus, qui tamen juxta Ordinem Romanorum Pontificum, qui eo Martini nomine nuncupati fuerunt, dicendus esset Martinus III.* Et eodem *tom. 6. a fol.* 248. iterum commemorat electionem Alexandri V. & *a fol.* 270. electionem Martini V. Vide *ibi*.

46 Licet ex quibusdam Canonibus antiquis videretur non posse eligi in Summum Pontificem nisi qui esset Cardinalis, ut innuunt *cap. Oportebat 3. & c. Nullus 4. dist. 79.* Tamen nunc potest eligi etiam

47 non Cardinalis. Cardinal. de Luca *Relat. Romanæ Curiæ disc. 3. n. 22. & sequent.* & alii infra citandi. Colligitur *ex cap. In nomine Domini 1. dist. 23. vers. Eligatur, & cap. Licet 6. de electione*, ubi Alexander III. statuit, quod *ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus* (scilicet Cardinalium) *concordantibus electus fuerit, & receptus*. Et post hanc Alexandri III. Constitutionem sex numerantur non Cardinales, qui ad Apostolatus apicem electi sunt; videlicet Urbanus IV. Gregorius X. Cœlestinus V. Clemens V. Urbanus V. & Urbanus VI. ut recte observat Fagnanus *lib. 1. Decret. in cit. cap. Licet 6. de electione n. 15.* Vide tamen Const. 50. Sixti V. incip. *Postquam* §. 2.

Immo etiam Laicus potest valide eligi in Pontificem maxime ob eximia vitæ merita, & Clericorum inopiam. Cœlestinus enim V. ex eremo vocatus, cum nec esset in Sacris, Pontifex est creatus; colligitur ex Cœremoniali Romanæ Ecclesiæ, ubi datur forma ordinandi eum, qui ex Laico fuerit assumptus. Sic tenent Glossa *in c. Si quis pecunia 9. distinct. 79. verb. Non Apostolicus*, Decius *in cit. c. Licet 5. de electione num. 9.* Lavorius *variar. resolut. tom. 1. tit. 4. cap. 12. n. 10.* Barb. *lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. c. 1. num. 58.* cum pluribis ibi citatis, & *num.* 78. Boet. Epo. *lib. 1. de Regul. n. 208. pag.* 137. ubi dicit, quod Laicus interim Pontifex Mitra nihilominus ornatus Clericatum suscipit, ac ad Ordines omnes Ecclesiasticos promovetur. 48

Nec electionis validitati obstabit, si Uxoratus in Pontificem eligatur, quia si Uxore consentiente hoc contingat, videtur eam cogi posse, ut convertatur, prout *arg. c. Qui Uxorem 10. caus. 33. q. 5.* resolvit Archidiaconus *in cit. c. Si quis pecunia 9. dist 79.* & tenent Fagnan. *l. c. num. 15.* cum duplici Glossa ibi citata. Machado En su perfetto Confessor. *tom. 2. lib. 4. par. 7. tract. 4. docum. 2. num. 3.* Bonacina *de election. Pontif. disp. 1. q. 2. in princip. n. 4.* Barbosa *loc. cit. num. 79.* & alii. Si autem vir absque licentia Uxoris ad Summum promoveretur Pontificatum, posset ab ipsa revocari, & ei debitum reddere teneretur; quia cum hoc sit debitum Justitiæ, non potest lædi per Pontificatum, quamvis bona fide assumatur, eo quod Uxor mortua credatur. Ita Abbas *in c. Constitutus n. ult. de Convers. Conjug. & in cap. Uxoratus n. 1. eod. tit.* Silvester *in Summa verb. Matrimon. 8. q. 12. dist. 2.* Majol. *de irregul. lib. 1. c. 34. n. 3.* Perez *l. 1. gloss. 3. versic. In tantum tit. 1. lib. 5. Ord. p. 23.* Flamin. Paris. *de resign. Benefic. lib. 3. q. 18. n. 126. cum seq.* Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 38. n. 12.* Azor. *Inst. moral. par. 1. lib. 23. c. 14. q. 13. in fine*. Trot *de vero, & perfecto Clerico lib. 2. c. 8. num. 3.* Barbosa *loc. cit. num.* 80. & alii. 49 50

Femina Papa esse non potest, *Communissima arg. c. Nova 10. de Pœnitent. & remissionibus*. Hinc fabulosissimum est illud, quod aliqui scribunt feminam quandam sub nomine Joannæ fuisse electam Romæ in Summum Pontificem. Quomodo enim potest rationabiliter dici, quod Christus Dominus voluerit permittere Pontificatum, & Claves Ecclesiæ committi uni feminæ peccatrici, cum nec suæ sanctissimæ Matri Virgini Mariæ commiserit; *cit. c. Nova, de Pœnitent. & remissionibus*, ibi: *Quia licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen* 51

men illi, sed istis Dominus Claves Regni Cœlorum commisit. Unde merito rejicitur communiter hæc fabula de Joanna Papissa, ut videre est apud Panvin. *in annot. ad Platinam*; Cardin. Bellarmin. *tom.* 2. *controvers.* 3. *c.* 24. Cardin. Baron. *in annalib. Ecclesiast. anno Christi* 853. Spondan. *eodem anno num.* 6. *vers. hoc ipso anno*. Bonac. *de legitima Summi Pontificis election. quæst.* 3. *in princip. a num.* 2. Barbosa *loc. cit. num.* 82. Graveson. *Histor. Eccles. tom.* 3. *fol.* 307. *ad* 312. *postremæ impress. Venetæ*; & innumeros alios (1).

52 Eligendus in Summum Pontificem congruit, ut sit maturæ ætatis: Sanctus enim Hieronymus contra Jovinianum *p.* 1. *Epistol. lib.* 5. *cap.* 24. dum causam perquirens, quare Christus potius Petrum elegerit, quam Joannem, quem summo prosequebatur amore, dicit postposuisse Joannem juniorem Petro seniori, illique propterea commisisse Ecclesiæ regimen. Unde ex hac, & aliis rationibus, & juribus Joannes de Selva *de benefic. par.* 3. *quæst.* 5. *num.* 14. Bonacina *cit. qu.* 2. *in princip. num.* 6. Barbosa *loc. cit. num.* 83. & alii plures tenent non posse eligi in Summum Pon-
53 tificem minorem triginta annis. Cum enim Papa comprehendatur sub nomine Episcopi, & de facto ipse se Episcopum nominet, debet saltem esse constitutus in illa ætate, quæ requiritur pro Episcopis, pro quibus *sub verb. Ordo art.*2.*n.* 44. ex variis juribus ibi adductis, diximus requiri ætatem triginta annorum completorum. Si tamen eligeretur in Summum Pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata, & habita electio Jo: XII. vix nati annos duodeviginti, ut testatur Graveson *Histor. Eccles. tom.* 4. *fol.* 71. *supr. impressionis Venetæ*, Baronius *ad annum* 955. *n.* 3. *&* 44. & alii; & electio Benedicti IX. decem annorum pueri, ut testantur Graveson *loc.cit.fol.*89. Vincentius Fuga in *Comp. Notitiæ Orbis Sacri, & profani fol.* 187. Baronius *ad ann.* 1003. *num.*6. ubi dicit fuisse electum puerum annorum circiter duodecim, uti ex aliis refert etiam Berninus *in Hist. omnium Hæresum tom.* 3. *c.* 3. *fol.* 24. & alii
54 Cum enim supradicta ætas solum de congruentia requiratur in Summo Pontifice, si minor eligatur, dummodo usum rationis habeat, ejus electio non erit invalida. Sic Cardin. Jacobat. *in tract. de Conc. l.* 3. *art.* 2. *vers. Et idem de infante*, Majol. *de Irregul. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 23. Campanil. *In diversor. Juris Canon. rub.* 5. *cap.* 9. *num.* 5. Lavorius *loc. cit. tit.* 4. *cap.* 22. *num.* 5. *&* 6. Didac. Narbona *de ætate ad omnes actus humanos requisita, anno* 30. *qu.* 3. Perez de Lata *in Compend. vitæ hominis cap.* 29. *num.* 22. Machado *cit. tom.* 2. *lib.* 4. *document.* 2. *num.* 4. Roderic. a Cunha *in c. Episcopus* 7. *dist.*77. *num.* 27. Barbosa *loc. cit. n.* 83. & alii passim. Vide verb. *Ætas n.* 8. *&* 9.

55 Modus seu forma pro eligendo Summo Pontifice habetur in Const. Greg. XV. incip. *Æterni Patris Filius*; & in alia ejusdem Greg. incip. *Decet Romanum Pontificem*: ubi traditur ad id Cæremoniale observandum, & in Const. Urbani VIII. incip. *Ad Romani Pontificis Providentiam*; ubi tam dicta Constit. Gregorii XV. de electione, quam hujusmodi Cæremoniale approbatur, & confirmatur.

Triplici tantum forma, seu modo potest fieri 56
Papæ electio, scilicet per scrutinium, per compromissum, & per quasi inspirationem; Greger. XV. in d. Constit. incip. *Æterni Patris Filius* §. 1. & in dicto Cæremoniali approbato, & confirmato ab eodem *in cit. Constit.* incip. *Decet Romanum Pontificem*; & ab Urbano VIII. in cit. Constit. incip. *Ad Romani Pontificis*.

Triplex hic modus eligendi Pontificem traditur 57
in dicta Const. incip. *Æterni Patris Filius*, & diffusius in d. Cæremoniali incluso in cit. Const. *Decet Romanum Pontificem*; ubi cum omnibus aliis ibi dispositis potest videri apud Bullarium *tom.* 3. *in Const.* 29. *Greg. XV.*

Electio Papæ debet celebrari in Conclavi clau- 58
so, & uno ex dictis tribus modis, alias nulla est, & invalida eo ipso absque ulla declaratione, & tam electus, quam eligentes ejusque fautores, & complices incurrunt Excommunicationem, aliasque Censuras, & pœnas Summo Pontifici reservatas. Sic expresse Gregorius XV. in cit. Constit. incip. *Æterni Patris Filius*. Vide *ibi per tot.*

In dicta Constitutione §. 24. Gregorius XV. ex- 59
presse quoad hoc derogat Decretali Alexandri III. incip. *Licet* 3. *de electione*, & omnibus aliis Pontificiis Constitutionibus etiam in Conciliis generalibus promulgatis, & in corpore Juris clausis. Et quamvis ibi Greg. XV. dicat *Pro hac vice* 60
dumtaxat, ad tollendam omnem difficultatem, quæ propter dicta verba oriri posset, Urbanus VIII. eamdem Constitutionem confirmavit, atque perpetuo in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus observari præcepit, cit. sua Const. incip. *Ad Romani Pontificis providentiam*.

Papa statim ac est Canonice electus, est verus 61
Papa quoad omnes effectus, & plenam, absolutamque habet jurisdictionem exercibilem supra totum Orbem; Glossa verb. *Et dispensandi in cap.*1. *distinct.* 37. ubi Archidiaconus *num.* 29. Bellamer. *sub num.* 22. *&* 23. Geminian. *sub num.* 26. *&* 27. Turrecremata *num.* 20. 21. *&* 22. Glossa final. *in cap. Licet de vitanda* 7. *de election.* Barbosa *libr.*1. *Juris Ecclesiastic. univers. num.* 113. Cardin. Petra *tom.* 1. *Commentar. ad Constitut. Apostol.* §.3. *Proœmial. num.* 46. *& ad Constit. unic. Divi Gelasii* 1. *num.* 9. *& tom.* 4. *ad Constitut.* 5. *Clem. VI. num.*25. Corrad. *in praxi dispensat. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 20. & Communis aliorum. Unde Papæ electio non in- 62
diget confirmatione, uti aliæ inferiores electiones, quia confirmatio electionis per Superiorem fieri debet. Papa autem, nullum in terris habet Superiorem, adeoque &c. *Communis* cum supracitatis.

Hinc

(1) Non omittendi tamen fuerant, qui Joannæ Papissæ fabulam pœnitus convellerunt, Philippus Labbeus in *Joannæ Papissæ cenotaphio everso*, & Eminentissimus Garampius in celeberrima *de Nummo argenteo Benedicti III.* dissertatione, Romæ 1749. 4.

63 Hinc mere Cæremonialia sunt, quod Papa non nisi post Coronationem Lateranensis Ecclesiæ possessionem nanciscatur, & quod ante consecrationem, & coronationem nec Pontificatus annum scribat in Litteris, nec simpliciter Episcopum se nominet, sed dumtaxat se subscribat *Data suscepti a Nobis Apostolatus Officii anno &c. N. electus Episcopus*. Sic Cardinal. Petra *locis citatis* & aliis
64 passim. Immo si quis ad Jus ea reducere præsumpserit, Apostolicas Litteras impugnando ex hujusmodi prætextibus, quod scilicet Summus Pontifex ante suæ coronationis insignia, providere, reservare, dispensare non possit, nec se in Litteris Episcopum simpliciter, sed tantum electum Episcopum scribere, nec etiam uti integra Bulla, in qua ipsius nomen exprimatur; incurrit excommunicationem latam a Clemente V. *in Extravagan. Quia nonnulli, de sent. Excommun. inter Communes.*
65 Et de facto quando protrahitur coronatio, Papa expedit etiam Bullas sub plumbo cum intitulatione Episcopi, & cum data Pontificatus, etsi ante Coronationem, ut inter alios fecit Urbanus VIII. qui cum fuerit electus *die 6. August.* 1623. & coronatus *die 29. Sept. ejusdem anni*, tres Bullas expedivit cum intitulatione Episcopi, & data Pontificatus ante dictam diem 29. Septembris, ut patet in Bullario, & observat Cardin. Petra *tom.1.Comment. ad Constit. unic. Divi Gelasii* 1. *num.* 9.

66 Papa postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit adinstar Principis Apostolorum Petri, qui antea Simon vocabatur, *Matth.* 16. *Beatus es Simon Bar-Jona &c. & ego*
67 *dico tibi, tu es Petrus*. Ratio autem hujus mutationis varia assignatur, sed verior est, ad ostendendam novam regenerationem. Quapropter sicut in Baptismate imponitur nomen, ita ingressuris Religionem, cujus professio, quasi alter Baptismus novo nomine Novitium regenerat, idque a Summis Pontificibus, uti novis hominibus, seu potius Vicediis, usurpatur non sine Mysterio veteris hominis exuendi, Christumque prorsus induendi, juxta illud Samuelis ad Saul, *Regum* 10. ibi: *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.... Et mutaberis in virum alium*. Sic Card. Pallavicin. *in Historia Concilii Tridentini lingua Italica par.* 2. *lib.* 13. *cap.* 1. *num.* 2. Card. Petra *tom.* 2. *Commentar. ad Const.* 1. *Cœlestini III. n.* 4. & alii.

68 Quis autem fuerit primus, qui e Romanis Pontificibus cœpit nomen mutare, non satis constat inter Historiographos. Nam Platina Martinum Polonum sequutus, & post eum Duard. *in Comment. ad Bullam in Cœna Domini lib.* 1. *c.* 4. *q.* 5. dicunt fuisse Sergium Secundum, qui ante *Os porci* vocabatur, nomine videlicet indigno Pontificia dignitate, & Majestate. Idem referunt Petrus Messia *in Silva variar. lect. lib.* 1. *cap.* 2. Illescas *in historia Pontif. lib.* 4. *cap.* 33. *de Sergio II.* Menochius *de arbitr. casu* 218. *a num.* 3. Gonzal. *ad Regul.*8. *Cancell. gloss.* 1. *num.* 44. & 45. Paulus Fusc. *littera P. sing.* 2. *vers.* 2. *Qui in sua electione*, Thomas Actius *De ludo Scaccorum quæst.* 12. *num.*133. Boet. Epo. *lib.* 1. *de Regalib. in Ecclesiast. Benefic. num.* 211. & plures alii citati a Cenedo *ad Sextum collect.* 13. *num.* 1. Sed hanc fabulam esse, & Martinum Polonum primo eam tradidisse, scribit Vincentius Fuga *in Compendio Notitiæ Orbis sacri, & profani fol.* 270. & ut falsam opinionem rejiciunt Camil. Borel. *de præstantia Regis Catholic. cap.* 1. *num.* 16. Barbosa *loc. citat. num.* 115. & alii dicentes, constare secundum Anastasium Bibliothecarium prædictum Pontificem etiam ante Pontificatum Sergium fuisse appellatum. Alii cum Azorio *Institut. moral. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 42. *quæst.* 6. ad Adrianum III. antea vocatum Agapetum hujus mutationis initium referunt. Alii autem, ut Vincentius Fuga *loc. cit. fol.* 18. Graveson *loc. cit. tom.* 4. *fol.* 71. Baronius *ad annum* 956. dicunt; quod Joannes XII. primus nomen mutavit; qui cum Octavianus vocaretur, in gratiam patrui Joannis XI. Joannes vocari voluit hujus nominis XII. Alii vero cum Cardin. Petra *tom.* 3. *Comment. ad* Constitut. 1. Cœlestini III. dicunt Sergium IV. fuisse primum, qui nomen mutaverit: cum enim vocaretur Petrus, ob reverentiam tanti Apostoli primi Christi Vicarii nomen sibi commutavit in Sergium, ut constat ex Epitaphio ejusdem, quod extat in Lateranensi Basilica, & refert Cardinalis Pallavicinus Societatis Jesu *in Historia Concilii Tridentini lingua italica par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 2. (1)

Non tenetur autem Papa nomen proprium mu- 69
tare, cum ad id nullum Jus obligatorium reperiatur, & constet non solum antiquiores Pontifices hac nominis mutatione usos non fuisse; sed etiam sæculo decimosexto Adrianum VI. & Marcellum II. nomen proprium Baptismatis retinuisse; Primum ad preces Cæsarei Oratoris propter excellentiam Pontificum ita nuncupatorum: Secundum ob maximam dilectionem erga Martyrem Summum Pontificem dicti nominis, ut referunt Card. Pallavicin. & Card. Petra *locis citatis*.

Papæ consecratio, seu intronizatio fieri consue- 70
vit per Card. Episcopum Ostiensem, qui in eo actu Metropolitani vice fungitur *c. In nomine Domini* 1. *dist.* 23. Unde Pallio Archiepiscopali utitur, & ei Portuensis, & Albanensis Cardinales Episcopi solent assistere. Et hodie Cardinalium Decanus, idest primus inter Cardinales Episcopos, quamvis non esset Episcopus Ostiensis, id munus cum duobus aliis senioribus subit. Barbosa *loc. citat. n.* 116. & alii passim. Consecratio
autem Papæ in Episcopum, si non erat Episco- 71
pus, ac benedictio, & Coronatio ejusdem sunt diversa. Consecratio enim, seu benedicto fit a Cardinali Episcopo Ostiensi, seu Decano, ut supra inter Missarum Solemnia ante Hymnum Angelicum, & postea ipse Missarum Solemnia incipit, & perficit consecratus, quo tempore potest etiam Ordines conferre, si velit; quod ab Episcopo in die Consecrationis suæ fieri nequit, *cap.*
Quod

(1) Idipsum Muratorio placuit *Antiquit. Italic. T. III. Diss.* 41. *p.* 764., & Josepho de Novaes *p.* 95. operis, cujus titulum dabimus sub hujus articuli finem.

Quod sicut 28. §. *Super eo, de election.* Coronatio autem fit per antiquiorem Diaconum Cardinalem. Barbosa *loc. cit. num.* 11. ut patet ex *Cæremoniali Romano tit.* 2. *de Ordinat. & consecr. novi Pontificis*.

72 In die Coronationis Papæ, ut conditionis humanæ memor sit, ante illum in summitate arundinis comburitur stupa, & ab uno Cæremoniarum Magistro interim sic inclamatur. *Pater sancte, sic transit gloria mundi*. Barbosa *loc. cit. c.* 2. *n.* 23. & alii passim, & patet ex *Cæremoniali Romano tit.* 2. *de Ordinat. & Consecrat. novi Pontificis*.

73 In Coronatione Papæ tertia Collecta canitur de S. P. N. Francisco: Canitur enim prima de Spiritu Sancto, ut illuminet; Secunda de B. V. Maria, ut protegat; Tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit Ecclesiam, eamdem sustentet. Ita Kazemberger *in Supplement. Theol.* Sporer *in prærogativis Ord. nostri Ser. num.* 10. (1)

Alia; Vide verb. *Cardinales art.* 5. *per tot.*

Articulus II.

Quo ad ea, quæ concernunt Papæ dignitatem auctoritatem, seu potestatem, & infallibilitatem.

1 Papa tantæ est dignitatis, & celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus, & Vicarius Dei; *c. Ita Dominus* 7. *dist.* 19. ibi: *Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari, dicendo Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & ibi explicat Glossa: *Id, quod ipse erat, scilicet Petra, voluit eum vocari Petrum*, & concordat textus *in cap. in novo* 2. *dist.* 21. & *c. Fundamenta ejus* 17. *de election. in* 6. Annotat. *I. ad decis.* 2. *n.* 2. *par.* 3. *Rot. recent.* Unde

2 Papa adeo Summæ, & Supremæ Dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in Dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine Dignitatum positus, ut observat Card. Zabarell. *in Clement.* 1. *in* 5. *notabil. de renunciat. & cit. Annotat.* 2. *ad Decis.* 2. *n.* 2. *part.* 3. *Rot. recentior.*

3 Hinc Papa idem est ac *Pater Patrum*, ut notat Glos. communiter recepta *in Proœmio Clement. verb. Papa*. Et hoc nomine (1) uti potest solus Summus 4
Pontifex, ut maxima ratione, teste Card. Petra *tom.* 1. *Comment. ad Constit.* 1. *Divi Leonis n.* 8. fuit statutum a Gregorio VII. *anno* 1063. 6. *Kalend. Maii in Synodo Romana*, quia vere solus ipse dici potest *Pater Patrum*, cum contineat Primatum omnium, omnibusque sit vere major, omniumque Maximus; *cap. Solitæ* 6. *de Majorit. & obedient.* ibi: *Fecit Deus duo magna Luminaria in firmamento Cœli; Luminare majus, ut præesset diei, & Luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur Cœli, hoc est Universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit Dignitates, quæ sunt Pontificalis aucteritas, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur* (2).

Papa *Sanctissimus* appellatur; quia talis vere præsumitur; *cap. Non nos* 2. *dist.* 40. ibi; *Quis enim Sanctum dubitet esse, quem apex tantæ Dignitatis attollit? In quo, si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci Prædecessore præstantur; aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat*. Neque Sanctissimi appellari possunt imperatores, & Reges, quamvis enim in Legibus Civilibus videatur aliquando usurpatum ab Imperatoribus nomen *Sacratissimi*, nunquam tamen illud *Sanctissimi*, ut observat Card. Petra *tom.* 1. *Commentar. ad Const.* 1. *Divi Leonis Magni num.* 9. Et merito solus Papa appellatur nomine *Sanctissimi*, quia solus ipse est Vicarius Christi, qui est fons, & origo, atque plenitudo omnis Sanctitatis, *cap. Inter corporalia* 2. *cap. Quanto* 3. & *cap. Licet* 5. *de translatione Episcopi* cum similibus. 5 6 7

Papa præexcellentia suæ supremæ Dignitatis vocatur *Episcopus Episcoporum*, *cap. Novatiatus* 6. *caus.* 7. *qu.* 1. *cap. Loquitur* 18. *caus.* 24. *q.* 1. Item appellatur *Ordinarius Ordinariorum*, *cap. Cuncta per mundum* 17. *c. per Principalem* 21. *caus.* 9. *q.* 3. Itam *Episcopus Universalis Ecclesiæ*, prout definit Pelagius II. Constitut. incip. *Manifeste*. Item *Episcopus*, 8 9 10 11

(1) In argumento, quod hactenus pertractatum fuit, a. 1769. luculenter versatus fuit eruditissimus Lusitanus Josephus de Novaes edito Romæ apud Casalettum libro, cui titulus: *il Sacro rito antico, e moderno della elezione, coronazione, e solenne possesso del Sommo Pontefice*. 8.

(1) De *Papæ* nomine, ejusque origine, atque etymo confer doctissimum P. Sollerium in *Patriarcharum Alexandrinorum historia Chronologica a num.* 136. in Actis sanctorum Bollandianis.

(2) Commune tamen id nomen olim Episcopis fuit, ut pluribus exemplis, quæ congessere Savaro ad Sidonii lib. VI. ep. 1. Joannes Georgius Walchius *de Episcopo patre spirituali* §. 7. & cl. Mamachius *orig. &c. antiquit. Christian. T. IV. p.* 297. *seq.* Ennodius tamen, ut magnus Sirmondus notavit, ad ejusdem Sidonii epistolam primam *lib. IV. Papæ* nomen uni Romano Pontifici tamquam proprium, & peculiare primus, ut videtur, asseruit. Nam cum Episcopos omnes *Papas* cæteri fere, qui ejus ævo proximi fuerunt, appellare soleant, ut Sidonius, Faustus, Runcius, ipse perpetuo discrimine Antistites reliquarum Ecclesiarum *Episcopos* vocat, *Papam* solum Romanæ Sedis Pontificem, sive cum illi scribit, ut *Symmacho Papæ*, & *domno Papæ*, sive cum de illo apud alios agit, ut *lib. III. ep.* 10. *lib. VI. ep.* 33. & passim. Pari post Ennodium discrimine ejus vocis usurpatione usus est Cassiodorus, qui cum Bonifacium, Agapetum, & Joannem Romanæ Sedis Episcopos *Papas* nominat, Eustorgium, & Datium Mediolanenses, & alios aliarum civitatum Præsules, non aliter quam *Episcopos* nominat. Confer etiam Zachariam in historia litteraria Italiæ *T. VI. p.* 503.

scopus, seu Diœcesanus totius Orbis, c. Ad honorem 4. de auctoritate, & usu Pallii. Glossa verb. *Privata*
12 *in c. Felicis §. final. de pœnis in 6.* Item *Divinus Monarcha, ac Imperator Supremus, & Rex Regum, Annotat. secundæ partis ad decis. 2. Rotæ Recentior.*
13 *n. 7.* Hinc Papa triplici corona coronatur, tamquam Rex Cœli, & Terræ, & Infernorum; *Annotat. 1. ad decis. 2. part. 3. Rotæ recentior. §. 45. nu. 61.* *
14 Immo Romani Pontificis excellentia, & potestas, nedum est circa Cœlestia, Terrestria, & Infernalia, sed etiam super Angelos, quorum ipse major est. *Cit. Annotat. 1. ad decis. 2. part. 3. Rotæ Ro-*
15 *manæ recent. §. 5. n. 24.* Ita ut si foret possibile, quod Angeli errarent in Fide, vel contra Fidem sentirent, per Papam judicari, & excommunicari possent, *cit. Annotat 1. ad ad decis. 2. Rotæ Romanæ recent. §. 5. n. 24.*

16 Tantæ enim est Dignitatis, & potestatis, ut faciat unum, & idem Tribunal cum Christo, ut per textum *in c. Quanto 3. de translatione Episcopi* tenent passim Doctores adducti *in cit. Annot.*
17 *1. n. 68. ad decis. 2. p. 3. Rotæ recent.* Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere, ut post plurimos Doctores, ratiocinatur Rota *in Forosempronien. & Eugubina, seu Nullius, Emphyteusis 16. Junii 1636. coram Coccino §. Hinc inferendo, vers. Ita ut, quod fit a Papa, ab ore Dei videtur procedere, cit. Annotat. 1. ad decis. 2. §. 5. n. 31. part. 3. Rotæ recent.*

18 Deveniendo igitur ad Papæ auctoritatem; Papa est quasi Deus in Terra, unicus Christifidelium Princeps, Regum omnium Rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui Terreni simul, ac Cœlestis Imperii Gubernacula ab Omnipotenti Deo credita sunt, prout clare habetur *in cap. Omnes 1. dist. 22.* ibi: *Qui* (scilicet Christus) *æternæ vitæ Clavigero Terreni simul, & Cœlestis Imperii Jura commisit*; *& in Extravagant. Joannis XXII. cap. Si Fratrum unic. Ne Sede vacante, aliquid innovetur. Et in alia celebri Extravagant. Bonifacii VIII. cap. Unam Sanctam Catholicam, de majorit. & obed. inter communes.*

Congruunt ulterius quo ad Papæ summam au- 19
ctoritatem, & potestatem textus Juris Cæsarei, nempe *in l. Reddentes honorem, Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, l. Bene a Zenone, cod. De quadriennii præscriptione, l. Omnes dies, cod. de Feriis, & Authent. de Monachis §. Si vero relinquens, Authentic. de Ecclesiasticis titul. §. 1. collat. 9.* cum similibus.

Non minus Summam Papæ auctoritatem, & 20
potestatem extollunt Rescripta, & dogmata variorum aliorum Imperatorum; nempe Valentiniani, Othonis, Caroli Magni, Constantini &c. quæ ex eorum Constitutionibus refert Gratianus *in c. In memoriam 3. dist. 19.* ibi: *Per Legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta Legatione dignetur decernere &c.* & in Summario expresse dicitur: *Tolerandum est jugum, quod a sancta Sede imponitur, licet intolerabile videatur, cap. Valentinianus 3. dist. 63.* ibi: *Nos, qui gubernamus Imperium, Pontificibus sincere capita nostra submittimus; cap. Tibi Domino Joanni Papæ 33. eod. dist. 63.* ibi: *Sanctam Romanam Ecclesiam & Te Rectorem ipsius exaltabo; cap. Constantinus 14. dist. 96.* ibi: *Ut sicut Beatus Petrus in terris Vicarius Filii Dei fuit constitutus, ita & Pontifices ejus Successores in terris principatus potestatem amplius, quam terrenæ Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur.*

Magis, magisque supremam Papæ auctoritatem 21
potestatemque extollunt plurimi Sacri Canones, & ibi Canonistæ communiter, & signanter *in c. Cleros 1. cap. In novo 2. & c. Quamvis universæ 3. dist.*

Nota Romani Thelogi.

* De triplici Papæ corona Nicolaus Alemannus de Lateranensibus parietinis *cap. 13. p. 48. tom. 8. part. 4. Thesauri Antiquit. & Historiarum Italiæ*, ita scribit, *Tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit ante annos non amplius ducentos quinquaginta Urbanus V. duplicis vero Bonifacius VIII. Nam Superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti, & Romæ cernimus, & Sugerius describit: Capiti ejus* (Innocentius VI.) *phrygium ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt.* Circa ea, quæ de triplici Papæ regno, deque potestate in Sanctos Angelos, quorum ipse sit major, Auctor recenset, consulendi sunt Theologi: Quæ enim ex Jurisconsultis ipse refert, eruditis Theologis suspecta, & quandoque etiam ridicula habentur. Capiti enim, ac visibili Ecclesiæ Principi, non alii sane quam visibiles subditi, Fideles scilicet homines designari videntur, atque in hoc tantum solvendi, ligandique potestatem exercet, eos scilicet regendo, absolvendo, vel per censuras ligando dum vivunt, & per indulgentias juvando vita functos.

Responsio Auctoris.

Mirandum, quod *Theologus* noster sic parvipendat jurisconsultos; ut quæ ipsi tradiderint, eruditis Theologis suspecta, & quandoque etiam ridicula haberi pronunciet! Nonne Classici jurisconsulti sunt etiam sæpe eruditi Theologi? Talis certe fuit celeberrimus Paulus Rubeus, qui in cit annotat. ad decis. 2. part. 3. recentior. Sac. R. Rotæ innumeros allegat pro suis conclusionibus Theologos, ac in multis etiam SS. Patres. Et si talis non fuisset, sacrum illud supremum Tribunal nequaquam permisisset, quod suis decisionibus adnecterentur Rubei eruditissimæ adnotationes. Legant itaque eruditi omnes dictas sapientissimi jurisconsulti Adnotationes ad decis. 2. part. 3. Sac. Rom. Rotæ recentior. & judicium ferant.

dist. 21. *cap. Non nos* 1. *& cap. Si papa* 6. *dist.* 40. *c. Si inimicus* 1. *dist.* 94. *cap. In scripturis* 8. *cap. Qui dubitet* 9. *cap. Duo sunt* 10. *& cap. Si Imperator* 11. *dist.* 96. *cap. Auctoritatem* 2. *cap. Alius* 3. *cap. Nos Sanctorum* 4. *cap. Juratos* 5. *caus.* 14. *q.* 6. *cap. Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. *cap. Venerabilem* 34. *de election. cap. Solitæ* 6. *de majorit. & obed. cap. Quanto* 3. *& cap. Licet in tantum* 4. *de translation. Episc. cap. Cum ex eo* 14. *de pœnit. & remission. cap. Novit* 13. *de Judiciis; cap. Per venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi, cap. Significasti* 4. *& cap. Licet* 6. *de electione*, *c. Licet* 20. *de Foro competent. cap. Fundamenta* 17. *de election. in* 6. *cap. Ad Apostolicæ Dignitatis* 1. *de sentent. & re judicata in* 6. *cap. Periculoso unic. de statu Regul. in* 6. *Clementin. Dudum* 1. *de judiciis*, *Clementin. Romani Principes unic. de jurejurando*, cum aliis infinitis similibus.

22 Unde ad hanc mirabilem auctoritatem, seu potestatem Summi Pontificis reflectendo S. Cyrillus Alexandrinus *in Libro Thesaurorum* admirabundus sic altissime de eo loquitur: *Filius Dei*, *quemadmodum ipse a Patre accepit Ecclesiæ*, *& gentium sceptrum*, *& potestatem super omnem principatum*, *& super omne quodcumque est*, *ut ei genua cuncta curventur*, *ita eamdem amplissimam potestatem Petro*, *& ejus Successoribus plenissime commisit*.

23 Hinc jam communis docet opinio, quod Papa utriusque gladii habeat potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem, quam Jurisdictionem, & potestatem Christus ipse commisit Petro, & ejus Successoribus, *Matth. cap.* 16. *num.* 19. dicens: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, *& quodcumque ligaveris super terram*, *erit ligatum & in Cœlis*, *& quodcumque solveris super terram*, *erit solutum & in Cœlis*. Ubi notant Doctores, quod non dixit *Clavem*, sed *Claves*, per hoc comprehendens temporalem, ac spiritualem potestatem. *Annotat. ad*

24 *decis.* 2. *partis tertiæ Rotæ recent.* §. 2. *nu.* 6. Quæ opinio auctoritate Sanctorum Patrum, Juris Canonici, & Civilis dispositione, ac Apostolicis constitutionibus latissime confirmatur, *c. Annotat. &*

25 §. 2. *n.* 1. *& seq.* Adeout contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni Hæreticorum reprobatæ per Bonifacium VIII. *in Extravagant. Unam Sanctam* 1. *de majoritat. & obedient. cit. Annotat.* §. 4. *num.* 9. *& seq.* Et concordant *Extravagant. Joannis XXII. cap. si Fratrum unic. Ne Sede vacante aliquid innovetur*, & Constitut. Gregorii IX. incip. *Cum juxta testimonium veritatis*; cum aliis similibus.

26 Unde Principes, & Reges Infideles possunt per sententiam Papæ privari in certis casibus Dominio quod habent super Fideles, ut si Terras Christianorum vi occupaverint, vel subditos Fideles a Fide avertere satagant, & hujusmodi, ut satis aperte demonstrant Card. Bellarm. *in Apolog. contra Regem Angliæ c.* 4. Suarez *in defensione Fidei Catholic. contra eumdem Regem Angliæ lib.* 3. *cap.* 23. Barbosa *in cap. Si Papa* 6. *dist.* 40. *& in cap. Venerabilem*, *de elect. & electi potestate*, *& in Clement. unic. de Jurejurando*, Gonzalez *in cap. Venerabilem*, *de election.* Card. Petra *t.* 1. *Commentar. ad constitut. unic. Gregorii VII. a num.* 33. *& seq.* & alii passim. (*) Cum primis vero inter recentiores Theologos viri clarissimi P. Bianchi *della potestà*, *e della polizia della chiesa T.* 1. *lib.* 1., & P. Mamachius *origin. & antiquit. christianor. pag.* 181 *seqq.*

Et inde Papa Provincias, quæ olim Christianorum erant, ab Infidelibus occupatas alicui ex Principibus Christianis emendas concedit, ut inquit Bartolus *in l. Liber homo*, *ff. de verbor. obligat. & in l. final. ff. de actionib. empti*, *& in l. Is*, *qui apud hostes*, ubi Jason *ff. de Legatis* 1. Bald. *in l.* 1. *Cod. de emanc. filior. & in l.* 1. *Cod. de Paganis*, Barbosa *in collectan. Juris Canon. in c. Vergentis*, *de Hæreticis*, & plurimi alii dicentes, Regem effectum Hæreticum posse per Papam amoveri a Regno, & ad eum spectare Jus eligendi, si ejus filii, & propinquiores sint quoque Hæretici. *Annotat. ad decis.* 2. *part.* 3. *Rotæ recent.* §. 30. *n.* 5. 27

Immo Papa in casibus, quibus propter Hæresim Regis videat periclitari Religionem illius Regni, Fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a Rege Regnum, sed etiam ab ejus Successoribus in totum auferre, & Principi Christiano, suisque Successoribus, si illud debellaverit, concedere. Molina *in tract. de primogenit. Hispaniar. lib.* 4. *tit.* 11. *n.* 37. *vers. Ex qua causa potest Regnum Romanus Pontifex Regi Hæretico*, *& ejus Successoribus auferre*; Jacob. Menoch. *in consil.* 808. *n.* 65. *vers. Jure potest Summus Pontifex privare Regno non solum Regem &c. lib.* 9. *cit. Annotat. ad decis.* 2. *p.* 3. *Rotæ recentior.* §. 30. *num.* 5. Et de hoc exemplum habetur *in Joanne Rege Navarræ*, qui a Julio II. Pontifice damnatus fuit ob crimen Schismatis; unde eum, ac Successores Regno privavit, omniaque ejus bona publicavit, & primo occupantibus ample concessit; donavitque in persona Regum Hispaniarum Catholicorum tunc viventium, eorumque Successorum. Alvarez *in specul. Roman. Pontif. c.* 16. Ferdinand. Vasquez *de Successionib. part.* 2. *lib.* 1. *n.* 155. Annotat. *ad decis.* 2. *part.* 3. *Rotæ recentior.* §. 45. *n.* 56. 28

Unde nil mirum, si Romano Pontifici, tamquam Vicario ejus, cujus est terra, & plenitudo ejus, Orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo &c. non solum spirituali, sed etiam gladio materiali evaginato, attributa sit, justa suadente causa, plenissima auctoritas, atque potestas transferendi Imperia, sceptra frangendi, Coronas auferendi. Qua plenitudinis potestate, non semel, sed sæpius Romani Pontifices usi sunt toties, quoties opus fuit, accingendo gladium suum super femur suum potentissime, ut satis superque palam est, atque de hoc amplissimum testimonium faciunt tam Theologi, quam Juris Pontificii, ac Cæsarei Professores, atque innumeri inculpatæ fidei Historici, tam profani, quam sacri, tam Græci, quam Latini, ut videre est *in Annotat. ad decis.* 2. *partis* 3. *Rotæ recentior.* §. 45. *n.* 53. *& seq. & n.* 57. ubi ad id referunt multa exempla, & signanter de Gregorio Papa II. qui a celsitudine Imperiali deposuit Leonem II. Cæsarem; De Gregorio Papa VII. qui deposuit Henricum IV. Imperatorem; de Alexandro Papa III. qui deposuit Federicum I. Imperatorem; de Innocentio Papa II. qui 29

qui deposuit Othonem Cæsarem ; de Innocentio
Papa IV. qui deposuit Federicum II. Imperato-
rem ; de Clemente Papa VI. qui deposuit Ludo-
vicum Bavarum . Et insuper possent adduci exem-
pla diversorum Regum , aliorumque Supremorum
Principum , quæ brevitatis gratia omittuntur, cum
sint nota , & videri possint in caterva Doctorum
adducta *in cit. Annotat. ad decis.* 2. *part.* 3. *Rotæ
recentior.* §. 45. *n.* 53. Vide ad id Jura supra addu-
cta *n.* 21. Card. Ballarm. *t.* 1. *controv. de transla-
tion. Imperii Romani per tot.* & *de potest. Summi
Pontificis in temporalibus per tot.* Card. Petram *to.*1.
*Commentar. ad Constit. unic. Gregorii VII. & t.*2.
Commentar. ad Constit. 4. *&* 6. *Innocentii III. & ad
Const.* 1. *Honorii III. sect.* 2. *& t.* 3. *Comment. ad
Const.* 7. *Alexandri IV.*

30 Papa tantæ est auctoritatis & potestatis , ut pos-
sit quoque Leges Divinas modificare , declarare ,
vel interpretari ; *Annotat. ad decis.* 2. *par.* 3. *Rotæ
recentior.* §. 4. *n.* 24. *& seq.* ubi plures adducun-
tur , refertque Surdus *decis. Mantuan.* 30. *num.*27.
*vers. Hinc dicimus , quod Papa potest contra Legem
Divinam aliquando venire limitando , declarando &c.*
& clarissime id asserit Petrus de Anchar. *in con-
sil.* 373. *n.* 3. *vers. Papa Jus Divinum potest mo-
dificare , cum ejus potestas non sit ex homine , sed
ex Deo , & in terris Dei vices fungitur cum amplis-
sima potestate oves suas ligandi , & solvendi* : & *sub
n.* 7. subjungit , *quod ipse Deus Dominus , & Re-
demptor dicitur facere , quod facit ejus Vicarius ;
Dummodo non faciat contra Fidem* . Covarr. *lib.* 1.
variar. resol. cap. 17. *n.* 8. §. *Henricus tandem ,
vers. Summi Præsulis dispensatione* , & post Abbat.
& Felinum hanc esse communem opinionem te-
statur Scacc. *in tract. de judiciis lib.* 2. *c.* 9. *n.*382.
*vers. Papa potest interpretari , & ex causa limita-
re Jus Divinum* , ut tradunt communiter omnes ;
cit. Annotat. ad decis. 2. *part.* 3. *Rotæ recentior.*
§. 4. *n.* 24. Et quoad hoc , vide etiam verb. *Dis-*
31 *pensatio n.* 20. Et quod Papa ipse solus possit Jus
Divinum declarare , & certitudinaliter interpretari ,
meminit Rota in *Gerunden. Scribaniæ* 21. *Maii*
1638. *coram clar. mem. Merlino* §. *Causa semper
præsumitur in gestis , vers. Papa quippe est supra
omne Jus positivum ; immo declarat ex Epicheja
ipsum Jus Divinum* ; cit. Annotat. *ad decis.*2. *par.*3.
32 *Rot. recent.* §. 4. *n.* 25. Papa enim hoc potest etiam
sine Concilio Generali ; cum Concilium Generale
non sit supra Papam , sed Papa sit supra Gene-
rale Concilium , ut abunde probatum est veb. *Con-
cilium art.* 1. *a n.* 76. *ad* 86. Vide *ibi* .

33 Quanto vero Papa major , & excelsior est omni-
bus , tanto humiliorem se reputat , & nominat ,
ac se vocat *Servum Servorum Dei* , ut patet in
c. Relatum 37. *in fine de sentent. excomm.* & Glossa
verb. *Servus , in proœm. Sexti Decret.* Flamin. Pa-
ris. *de resignat. Benefic. lib.* 8. *qu.* 7. *num.* 101. ubi
subdit , quod Papa de stylo ita se *Servum Servo-
rum Dei* appellat , ut si appareat Bulla sine hujus-
modi inscriptione , de falso sit suspecta tamquam
contra stylum . Ideo autem Papa se vocat *Ser-* 34
vum Servorum Dei , ne ex tali , tantaque digni-
tate , & auctoritate in superbiam incidat , præ ocu-
lis semper habendo illud salubre Dominicum præ-
ceptum . *Qui major est vestrum , fiat sicuti Mini-
ster* , Matth. 20. Luc. 22. Marc. 10. *cap. Nullus Pri-
mas* 7. *caus.* 9. *qu.* 3. vere sic imitans Jesum Chri-
stum , qui non venit ministrari , sed ministrare ,
& cum esset coæqualis Patri Omnipotenti , & omnia
Verbo , idest , per ipsum fecerit , *Joan.* 1. nihilo-
minus pro nostra omniumque redemptione for-
mam Servi accepit . *Ad Philippens.* 2. *Annot.* 2.
ad decis. 2. *p.* 3. *Rotæ recentior. n.* 10. Barbosa
lib. 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 2. *n.* 29. & alii
passim .

Primum Pontificem , qui se *Servum Servorum* 35
Dei nominavit , fuisse S. Gregorium Magnum re-
ferunt *Additio ad Gloss. verb. Servus , in proœm.
Sexti Decret.* Card. Petra *tom.*1. *Comment. ad Const.
unic. Joan. XV. n.* 3. Alvar. Pelagius *de planctu Ec-
cles. lib.* 2. *cap.* 13. *vers. Iste Gregorius* , Andr.
Gammar. *in Extr. Julii II. de Simoniaca Papæ elect.
in verb. Julius n.* 10. Dionysius Paul. *de vera qua-
tuor Patriarchal. Sedium erect. cap.* 17. *n.* 72. Ast
vero prior omnium fuit S. Damasus Papa , ut con-
stat ex Epistola ejusdem ad Stephanum Archie-
piscopum , quæ invenitur inter opera S. Clemen-
tis Papæ , & egomet ipse pluries legi , & *tom.* 1.
Concil. in actis S. Damasi Papæ fol. 229. cujus ve-
stigia postmodum sequutus fuit S. Gregorius Ma-
gnus in omnibus suis Epistolis , ut refert Azorius
Instit. Moral. par. 2. *lib.* 5. *c.*3. *vers. Gregorius Ma-
gnus* , Barbosa *loc. cit. n.* 30. Sanctus enim Dama-
sus multo tempore præcessit S. Gregorium Ma-
gnum , cum S. Damasus fuerit trigesimus nonus
Pontifex Maximus a S. Petro , & fuerit ordinatus
Papa die prima mensis Octobris anni trecentesi-
mi sexti , & S. Gregorius Magnus fuerit sexagesi-
mus sextus , & fuerit consecratus Pontifex Maxi-
mus die tertia mensis Septembris anni quingente-
simi nonagesimi juxta Tabulam Chronologicam
eruditissimi Patris Graveson *tom.*8. *part.* 1. *Histor.
Ecclesiast.* (1) .

Papa potest cedere , & renunciare Papatui ab- 36
dicando a se dictam Supremam , & omnium ma-
ximam potestatem Jurisdictionis per modum vo-
luntatis sufficienter expressum , textu expresso *in
c. Quoniam* 1. *de renunciatione in* 6. Et talis re- 37
nunciato fieri debet apud Collegium Cardinalium ,
cum ad ipsum dumtaxat spectet Papæ Successo-
ris electio , ut fuit ostensum *articulo præcedenti
n.* 21. Et de facto S. Cœlestinus V. apud dictum
sacrum collegium fecit sui Papatus renunciatio-
nem , ut patet ex forma dictæ renunciationis ,
quam tradit Carillus *in suis Annal. Chron. lib.* 4.
anno 1294. *fol.* 373. & Barbosa *loc. c. n.* 213. his
verbis : *Ego Cælestinus Papa V. motus ex legiti-
mis causis , idest causa humilitatis , & melioris vi-
tæ , & conscientiæ illæsæ , & debilitate Corporis ,
defectu scientiæ , & malignitate populi , & infirmi-
tate*

(1) Vide quæ hoc de titulo *Servi Servorum Dei* commentatus est eruditissimus P. Raynaldus in *Onomastico Pontificio* .

tate Personæ, & ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte, ac libere cedo Papatui, & expresse renuncio loco, & Dignitati, oneri, & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc Sacro Cœtui Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat Canonice Universali Ecclesiæ de Pastore.

38 Quantum ad Papæ infallibilitatem (1), advertendum est, quod Papa potest considerari dupliciter. Primo quoad se, & ut persona privata, privatusque Doctor. Secundo quo ad alios, ut persona publica, & Magister universalis Ecclesiæ, eam ex Cathedra docens, proponendo quid cre-
39 dendum, quidve agendum sit. Loqui autem Papam ex Cathedra nihil aliud est, quam ipsum esse a Deo constitutum Magistrum Universalis Ecclesiæ, & hujus Regulam visibilem, indeque auctoritate suprema sui Pontificatus judicare, & definire de dubiis Fidei, & doctrina morum, ac factis dogmaticis, & sic Ecclesiam docere quid credere, vel agere debeat; *Est in re Communis*. Hinc
40 loqui ex Cathedra non arctatur præcise ad ea, quæ Papa proponit ut a Deo revelata, & a nobis credenda Fide Theologica, uti quando aliquam doctrinam damnat ut Hæreticam, vel definit esse de Fide; sed insuper extenditur ad cætera, quæ proponit seu tenenda, seu servanda, uti quando aliquam Doctrinam proscribit ut temerariam, scandalosam, & hujusmodi, seu declarat aliquem contractum, aut factum esse illicitum, & hujusmodi.

41 His breviter notatis concluditur, quod Decreta, quæ edit Papa ex Cathedra circa doctrinam Fidei, & morum sunt infallibilia. *Est de Fide*.

42 Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod infallibilia sint Decreta Papæ circa doctrinam Fidei; Christus enim promisit, & dedit Papæ in persona Petri suam assistentiam ne in definiendis rebus Fidei erraret, ut patet ex illo *Lucæ* 22. *n.*41. ibi: *Simon Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos*. Nec valet dicere, quod
43 hic textus debeat intelligi de tota Ecclesia, & quod Dominus oraverit pro Petro, quatenus totius Ecclesiæ figuram gerebat. Non valet, inquam, quia hæc interpretatio, seu expositio omnino falsa est, cum ibi Dominus unam tantum personam designaverit dicens bis: *Simon, Simon*, & addens pluries pronomen secundæ personæ, *pro te, Fides tua, & tu, fratres tuos*, quæ verba clare indicant fuisse a Christo Domino impetratum aliquid speciale Petro; Si enim de tota Ecclesia fuisset loquutus, multo rectius dixisset *Rogavi pro vobis*, quam *Rogavi pro te*; Tum quia Deus pro illo rogat, cui dicit, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Hæc enim verba nequeunt toti Ecclesiæ convenire, quia ipsa non habet, unde convertatur, cum nunquam defecerit, nec unquam sit defectura juxta infallibilem Christi promissionem *Matth.* 16. *num.*18. ibi: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Nec Ecclesia habet fratres, quos debeat, & possit confirmare, cum omnes Fideles sint ejus Filii.

Nec etiam valet dicere, quod auctoritas illa per- 44
tinet præcise ad personam solius Petri, non vero ad ejus Successores Romanos Pontifices. Non valet, inquam, quia Petro mortuo, debuit Jure Divino, seu ex Christi institutione alius pro regimine Ecclesiæ succedere, alias Christi promissiones, quibus promisit Ecclesiam suam usque ad finem Mundi duraturam, *Mat.* 28. *nu.* 20. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. *Joan.* 14. *nu.* 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, essent prorsus inutiles, & sine effectu: Nam quomodo Ecclesia esset usque ad mundi finem duratura, si mortuo Petro, alius non esset caput visibile Ecclesiæ, qui eam in externo regimine gubernaret? Tum quia dum Christus *Joan.* 21. *n.* 17. dixit *Petro*: *Pasce oves meas*, & *Matth.* 16. *n.* 10. dixit eidem: *Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, ordinarium, & perpetuum Pastoris Officium constituit. Hinc optime sciens Petrum brevi duraturum, Petri nomine ejus etiam Successores intellexit, in quibus perpetua esset ordinaria cura, & potestas gubernandi & pascendi suas oves, modo per Officium Pastoris, quod ex maxima parte consistit in pabulo veræ Doctrinæ spiritualis exhibendo, modo per aliam metaphoram ligandi, & solvendi, seu clavium, tollendo scilicet impedimenta, quæ clauderent ingressum Regni Cœlorum.

Propter quod Patres, & Concilia verba illa: *Tu 45
es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris &c. Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Pasce oves meas*, declararunt esse intelligenda, nedum de Petro, sed etiam de omnibus ejus Successoribus Romanis Pontificibus; Sic enim declararunt Leo I. relatus *in cap. Ita Dominus* 7. *dist.* 19. Innocentius III. relatus *in cap. Majores* 3. *de Baptismo*, & varii alii antiquiores Pontifices, & Patres, quos refert Card. Bellarmin. *tom.* 2. *Controv. de Romano Pontifice lib.* 4. *c.* 3. Ita etiam declararunt Concilia Generalia, & signanter Chalcedonense *act.* 1. 2. & 16. Lateranense IV. *Can.* 5. & aliis brevitatis gratia omissis, clarissime Concilium Florentinum *in Litteris unionis*, ibi: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse*.

Pro-

(1) Alia de Romani Pontificis asphalia, cæterisque agnatis prærogativis infra adnotabimus. V. *Romanus Pontifex*.

46 Probatur secunda pars conclusionis, scilicet, quod infallibilia sint Decreta Papæ circa Doctrinam morum. *Est de Fide*, quod Ecclesia sit Sancta, ut in Symbolo Apostolorum vocatur: ergo & de Fide est, quod Papa docens ex Cathedra errare non possit in tradenda Doctrina morum, adeoque Decreta ab ipso ex Cathedra edita circa morum Doctrinam sunt infallibilia. Si enim posset errare, approbando Doctrinam falsam, & malam, pro vera, & bona; & reprobando veram, & bonam pro falsa, & mala, jam Ecclesia non esset Sancta, quia Ecclesia dicitur Sancta potissimum ob sanctam suam professionem, quia nimirum Legem, & professionem sanctam profitetur; quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum; Tum quia si Papa posset errare circa Doctrinam morum, docendo falsa pro veris, & approbando mala pro bonis, Ecclesia necessario erraret circa Fidem, quia contra Fidem Catholicam docentem omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum, teneretur credere virtutem esse malum, & vitium esse bonum, utpote sic sibi propositum a suo Magistro, cui tamquam vivæ Regulæ Fidei tenetur obtemperare; Ecclesiam autem errare circa Fidem est impossibile, cum sit *columna, & firmamentum veritatis ad Timoth.* 3. cui assistit Spiritus Sanctus, ne erret, docensque ei omnem veritatem, *Joann.* 16. ibi: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*.

47 Objiciuntur contra nostram conclusionem varii Summi Pontifices, qui prætenduntur errasse, & Decreta contra Fidem, & bonos mores ex Cathedra edidisse. Sanctus enim Petrus *ad Galatas* 2. erravit cogendo Gentiles judaizare; Liberius subscripsit formulæ Fidei Arianæ, & condemnationi D. Athanasii veræ Fidei defensoris; Zephyrinus Montani Hæresim approbavit; Vigilius damnavit doctrinam de duabus naturis in Christo; Stephanus VI. & Sergius III. irritaverunt acta Formosi, quæ tamen postea, cassatis circa hoc Stephani, & Sergii Decretis, approbavit Joannes IX. Honorius primus admisit cum Monothelitis unicam in Christo voluntatem; Gregorius III. *cap. Quod proposuisti* 32. *q.* 7. erravit definiendo, quod si mulier propter infirmitatem non possit debitum reddere, possit vir aliam ducere; Nicolaus primus in *cap. A quodam Judæo, de consecrat. dist.* 4. falso definivit validum esse Baptismum in nomine Christi collatum; Gelasius in *cap. Comperimus, de consecrat. dist.* 2. falso dicit non posse citra Sacrilegium sumi unam speciem Eucharistiæ sine alia.

48 Respondetur tamen, quod nullus ex adductis Pontificibus erravit in Decretis editis ex Cathedra circa Doctrinam Fidei, & morum. Non erravit S. Petrus proponendo Ecclesiæ falsum dogma, sed solum erravit facto, quatenus abstinendo coram Judæis a conversatione Gentilium conversorum, indirecte eos inducebat ad judaizandum. Sic Liberius non approbavit definitive Hæresim Arianam, sed solum metu tormentorum subscripsit condemnationi Athanasii, & communicavit cum Episcopis Arianis. Unde solum peccavit contra confessionem Fidei, inciditque solum in Hæresim externam, sicuti & metu mortis thurificavit Idola Marcellinus, & Christum negavit Petrus, qui ideo Fidei confessionem externam non sustinuerunt, sed non ideo amiserunt Fidem internam, quam in corde vere servaverunt, ut colligitur ex verbis Christi *Luc.* 22. *num.* 31. ad Petrum; *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Hinc Liberius Epistol. ad Ursacium anathematizat Arianos. Unde quamvis Petrus, Marcellinus, & Liberius peccaverint, nihil tamen per hoc ex Cathedra decreverunt contra doctrinam Fidei, & morum. Zephyrinus Montani Hæresim nullatenus approbavit, sed misit solum Litteras pacis ad ejus Sectatores, putans Doctrinam Montani non esse Fidei Romanæ contrariam, quas tamen revocavit statim ac a Praxæa, & aliis fuit edoctus de Montani erroribus. Vigilius, quando damnavit Doctrinam Catholicam de duabus naturis in Christo, non erat verus Pontifex, sed intrusus in Pontificatum ope Teodoræ Imperatricis hereticæ, vivente adhuc Liberio vero Pontifice. Quando vero, mortuo Liberio, fuit verus, & legitimus Pontifex, ipsam Imperatricem cum aliis Hæreticis excommunicavit, & Doctrinam Catholicam usque ad mortem in exilio propugnavit. Stephanus VI. & Sergius III. errarunt solum in quæstione facti: Putantes enim Formosum non fuisse legitimum Pontificem, ejus acta annullarunt; quæ restituit Joannes IX. ubi deprehendit fuisse legitimum. Honorius primus, dum in Christo unam voluntatem esse rescripsit, non intellexit cum Monothelitis esse solum Divinam, sed non esse duas humanas contrarias, & pugnantes; sicuti sunt in nobis post peccatum, in quibus *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, volens Honorius per id ostendere, quod a Christo non fuerit assumpta natura variata, & Adami labe corrupta, sed incorrupta, & integra, quæ vacua erat concupiscentiæ morbis, & motibus spiritui, ac rationi contrariis, & sic omnia, quæ in ejus carne erant, subjicerentur perfecte, & sine ulla rebellione spiritui. Gregorius III. *loco citato* intelligendus est de impotentia perpetua Matrimonium dirimente. Nicolaus primus docuit quidem in eo textu, Baptismum in nomine Christi collatum esse validum, sed addidit statim *Sicut conferebatur tempore Apostolorum*. Etenim Actorum 8. dicitur: *In nomine Christi baptizantur viri, ac mulieres*. Cum autem tempore Apostolorum Baptismus conferretur, vel in nomine Christi ob specialem dispensationem, ut redderetur venerabile nomen illud tunc temporis exosum, ut docet D. Thomas, vel potius, ut alii putant, quia in forma Baptismi etiam nomen Christi exprimebatur dicendo; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Fili Jesu Christi, & Spiritus Sancti*. Idcirco recte Nicolaus primus ad Bulgaros respondit validum esse Baptismum hoc pacto a Judæo collatum. Gelasius *loco citato* loquitur de Sacerdote sacrificante, cui non licet unam tantum Eucharistiæ speciem sumere. Hinc universim, si quando Pontifices errarunt, vel errarunt ut Doctores privati, vel in quæstionibus facti non habentibus connexionem cum quæstionibus Juris ad Fidem, vel mores spectantibus, ut passim Controversistæ dogmatici ostendunt. Et sic sol-

solvuntur omnes objectiones, quæ possunt, & solent adduci de variis Pontificibus qui prætenduntur errasse. *

49 Papa errare non potest in Canonizatione Sanctorum *Est de fide*. Ita Lauræa *de Fide disp.* 7. *art.* 3. §. 1. Leytan. *Synops. de Eccles. milit. discept.* 6. *sect.* 1. ubi plures allegat, Diana *Coordin. t.* 9. *tr.* 3. *resolut.* 15. Castrop. *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 1. *punct.* 5. §. 5. *n.* 2. Joannes de Neapoli *in quodlibet.* 11. relatus a S. Antonino *in* 3. *par. tit.* 12. §. 2. & a Fagn. *lib.* 2. *decretal. in cap. Venerabili* 25. *n.* 29. *& seq.* Valentia 2. 2. *dis.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *art.* 6. §. 4. *vers. Itaque*, Matthæucc. *in opere dogmat. Controvers.* 7. *cap.* 5, *n.* 3. Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. *n.* 307. Henno *tom.* 1. *tract. de virtutibus disp.* 2. *qu.* 5. *art.* 6. *conclus.* 2. Viva *in quæstion. Prodoma ad propositiones damnatas n.* 11. ubi dicit esse communiorem cum S. Bonaventura, Bellarmino, Amico, Valentia, & aliis, Bord. *resol.* 113. *n.* 15. Verricelli *tract.* 8. *qu.* 24. *&* 25. & plurimi aliis, & signanter Lucas Castellinus *de certitudine Gloriæ Sanctorum cap.* 3. *punct.* 48. *& cap.* 4. *punct.* 3. 4. *& seq.* Rodericus de Arriaga *in disputationibus Theologicis in* 2. 2. *Divi Thomæ tractat. de Fide disp.* 9. *sect.* 5. *num.* 27. Adamus Tannerus *Theolog. Scholast. tom.* 3. *disp.* 1. *de Fide q.* 4. *dub.* 7. Aloysius Turianus *in disputationibus in* 2. 2. *Divi Thomæ disp.* 16. *dub.* 3. Alphonsus a Castro *de justa Hæreticorum punitione tom.* 2. *c.* 6. Ricciolus in libro cui titulus: *Immunitas ab errore tam speculativo, quam practico Definitionum Sanctæ Sedis Apostolicæ*, & alii relati ab Eminentissimo Cardinal. Prospero de Lambertinis in præclarissimo suo Opere *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione tom.* 1. *cap.* 45. ubi doctissime, & eruditissime more suo, adductis hinc inde pro, & & contra Auctoribus, & rationibus, tandem concludit, quod contrarium sentientes, licet non sint formaliter hæretici, ex quo id nondum sit ab Apostolica Sede expresse definitum, tamen sunt temerarii, impii, scandalosi, in Sanctos injuriosi, faventes Hæreticis, sapientes Hæresim, assertores erroneæ propositionis, & gravissimis pœnis obnoxii. Vide ibi ipsum, ubi plurima egregie adducit ad rem merito legenda, addiscenda, & observanda.

50 Probatur igitur, quod sit de Fide Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum; Hæc enim propositio: *Romanus Pontifex in Canonizatione Sanctorum errare non potest* sequitur ex duplici præmissa de Fide, scilicet: *Romanus Pontifex docens Ecclesiam in iis, quæ spectant ad materiam Fidei, & doctrinam morum errare non potest*, *sed Canonizatio Sanctorum spectat ad materiam Fidei*, ergo est de Fide, quod Papa errare non possit in Canonizatione Sanctorum. Major constat, tum ex dictis *supra a num.* 41. *ad* 48. tum ex Evangelio Joann. *cap.* 14. ubi dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis, & cap.* 16. ubi dicitur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: *& Matth. cap.* 18. ubi habetur. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Unde Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. ait: *Ecclesia Dei vivi Columna, & firmamentum veritatis*. Firmitas autem Ecclesiæ, & securitas eam non erraturam, est fundata in firmitate Capitis, & securitate non erraturum Magistrum, & *Matth.* 16. ibi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; Minor etiam clare patet, quia Canonizatio Sanctorum est actus externæ Confessionis Fidei contentæ in articulo de Communione Sanctorum. Papa enim in Canonizatione definit, Sanctum, quem canonizat, esse vere in gloria, & in consortio aliorum Sanctorum, & decernit sic firmiter ab omnibus tenendum, ut patet in Bullis Canonizationum, & signanter in Bulla Leonis X. incip. *Excelsus*, ubi in Canonizatione S. Francisci de Paula sic habet: *Decernimus, & definimus, esse receptum in gloria*, & in Bulla Sixti IV. incip. *Superna*, ubi in Canonizatione S. Bonaventuræ sic loquitur: *Hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus*, & consimiliter in aliis aliarum Canonizationum Bullis, quas omnes adducere nimis operosum esset. Unde S. Thomas *quodlibet.* 9. *qu.* 7. *art.* 16. *in corpore quæstion.* dicit: *Honor, quem sanctis exhibemus, est professio quædam Fidei, qua Sanctorum gloriam credimus*, & S. Bonaventura *in Opusculo contra Gulielmum* ait: *Ad infidelitatem spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare*.

Nec valet objicere, quod judicium Papæ in Canonizatione est humanum, cum innitatur testimoniis humanis, adeoque est fallibile. Non valet, inquam, quia licet judicium Papæ sit humanum *dispositive*, est tamen Divinum *directive*, roboratum nimirum assistentia Spiritus Sancti, qua ita regitur, ut in definitione errare non possit: Quamvis enim Papa utatur testimoniis hominum in se fallacibus, illis tamen utitur solum dispositive, ut maturo procedens consilio, & examine se disponat ad recipiendam motionem Spiritus Sancti, sine qua numquam devenit ad Canonizationem: Hinc Spiritus Sancti motio, directio & assi- 51

Ejusdem Romani Theologi Notæ.

* Circa responsionem ab Auctore allatam consule Natalem Alexandrum cum adnotationibus P. Mansi, Clar. P. postea Emin. Cardinalem Orsi de Romano Pontifice, Emin. Gotti, Antonium Morphj, aliosque Theologos, qui longe melius illos Romanos Pontifices, ab objectis criminibus, & erroribus vindicant, ac ne quidem in externam hæresim incidisse demonstrant. Vide etiam Clar. Bart. in vind. Honorii. (+) Adde his Ballerinium, & Zaccariam tum in *Antifebronio*, tum in peculiari dissertatione *de Liberio* Summo Pontifice, atque eruditissimi D. Xaverii De Marco Librum inscriptum: *Difesa di S. Pietro, e di altri Pontefici Romani accusati di errore*, Romæ 1780. 8.

assistentia est unica causa, ut dubitari non possit de judicio Pontificis, ac etiam ut falsa hominum testimonia rejiciat, & vera admittat.

52 Nec etiam valet objicere illud satis vulgatum, quod Divo Augustino tribuitur: *Multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferno.* Non valet, inquam, quia ultraquam, quod dictum istud non reperitur in veris operibus S. Augustini, ut observarunt Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *de Sanctorum Canonizatione*, Viva *loc. cit. n.* 11. Matthæucc. *loc. cit. num.* 19. Felix Potestas *loc. cit. num.* 313. & plurimi alii; Dato adhuc quod esset Divi Augustini, seu alterius S. Doctoris, nihil probaret contra nostram conclusionem, quia dictum illud est intelligendum de Hæresiarchis, & falsis Martyribus, qui apud multos nomen Sancti obtinent, & superbissimis sepulcris honorantur; cum tamen eorum animæ torqueantur in inferno. Sic Donatistæ suos Martyres honorabant, quos carpit S. Augustinus *serm.* 325. *de Natal.* 20. *Martyrum*. Sic Hussitæ ut Martyrem colunt suum Hæresiarcham Hussium; Sic Lutherani ut Sanctum venerantur suum Hæresiarcham Lutherum, & sic de aliis. Non autem est intelligendum de veris sanctis a Papa canonizatis, & Ecclesiæ propositis, de quibus canit Regius Psaltes: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Gaudent in cælis animæ Sanctorum &c.* Sic Doctores citati, & alii passim.

53 An autem etiam sit de Fide, quod Papa nequeat errare, & sit infallibilis in Beatificatione Beatorum, variant Doctores. Multi enim licet concedant Papam errare non posse, & infallibilem esse in Beatificatione Beatorum infallibilitate morali, & infra Fidem, id tamen negant infallibilitate Fidei. Unde tenent, quod qui negaret Beatificatum a Papa esse in gloria, non esset Hæreticus formalis, sed ejus propositio esset temeraria, scandalosa, impia, sapiens hæresim, & hujusmodi. Sic Valentia *t.* 3. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 40. Tannerus 2.2. *t.* 1. *disp.* 17. *dub.* 6. Henno *l. c. concl.* 2. Arriaga cum Viva *l. c. n.* 11. & alii, quos sequitur Diana *Coordinat. t.* 9. *tract.* 3. *resol.* 18. *num.* 6. & plures alii.

54 Et ratio istorum est, quia Beatificatio non est ultimum judicium Papæ seu Ecclesiæ, quia post illud antequam ad canonizationem deveniatur, fit novum examen, quod non fieret, & injuriosum Fidei esset, si de Fide esset Papam non posse errare in Beatificatione; nam quod est de Fide certum, ulteriori examine, & certitudine non eget, cum sit infallibilis veritatis. Tum quia Pontifices in Bullis Beatificationis uti solent solum verbis *concedimus, indulgemus, impartimur*, ut talis Beatus appellari, & de eo Sacrum, & Officium in tali loco, & a talibus personis fieri possit. In Bullis vero Canonizationis utuntur verbis explicitis *declaramus, definimus, decernimus, & mandamus* talem Sanctum ab omnibus venerandum esse, & uti talem ubique, & ab omnibus firmiter tenendum esse. Unde, dicunt ipsi, de Fide est, quod Papa non possit errare in Canonizatione, & non est de Fide, quod non possit errare in Beatificatione.

55 Multi autem alii absolute tenent, quod de Fide est, quod Papa non possit errare, non solum in Canonizatione, sed etiam in Beatificatione. Sic Leytan *loc. cit. num.* 436. Verricelli *in q. q. Moral. tract.* 8. *q.* 55. *num.* 3. Castropalao *t.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 5. §. 5. *n.* 4. Matthæucc. *loc. cit. n.* 42. Felix Potestas *loc. cit. num.* 309. Bordon *loc. cit.* & alii plures.

Ratio istorum ultra quam quod eadem potest deservire pro Beatificatione, quæ supra *n.* 50. adducta est pro Canonizatione; insuper est, quia Papa etiam ad Beatificationem nunquam devenit, nisi prius implorata divina ope, & habita motione, illustratione, directione, & assistentia Spiritus Sancti, ex qua certo judicat, & deducit eum infallibiliter esse in gloria, sicque implicite declarat, ac definit, dum eum beatificat, & ut Beatum Ecclesiæ, ac Fidelium cultui, & venerationi proponit, ergo de Fide quoque est non posse Papam errare in Beatificatione; Alias si Pontifex posset errare in Beatificatione, tota Ecclesia posset errare in iis, quæ pertinent ad cultum, & venerationem, quia Papa beatificans aliquem, eum toti Ecclesiæ venerandum implicite proponit. Quamvis enim Divinum Officium, & Sacrum Deo offerre in ejus honorem non concedatur omnibus, omnibus tamen in Ecclesia licet se illius precibus etiam publice commendare, eumque Beatum vocare, & pro tali reputare, colere, & venerari. Quod omnimode repugnaret Ecclesiæ Sanctitati, & infallibilitati, si non esset de Fide Beatum infallibiliter esse in gloria, cum sic tota Ecclesia posset errare venerando, & colendo hominem sibi propositum, ut vere Beatum, qui posset forsan esse damnatus in Inferno. 56

Ad rationes autem prioris sententiæ respondent negando, quod Beatificatio non sit ultimum, & completum judicium, quod vir Dei sit in gloria, immo per Beatificationem ut talis toti Ecclesiæ proponitur, & ideo ubique a Fidelibus Beatus certo absque formidine in gloria creditur, & ad gratias impetrandas invocatur, quamvis uni soli Provinciæ, aut Regno, vel Religioni Officio, ac Missa colendus permittatur. Nec obstat, quod pro Canonizatione novum fiat examen, quia tale novum examen non fit de virtutibus viri Dei, neque de miraculis in vita, aut ante Beatificationem patratis, quibus probata fuit Sanctitas vitæ, & infallibilis existentia Servi Dei in gloria: sed fit solum novum examen de continuatione miraculorum post Beatificationem a Deo ad intercessionem Beati patratorum, ut inde publico cultu Officii, & Missæ in tota Ecclesia colendus decernatur. Nec etiam officit, quod Pontifices in Bullis Beatificationis uti soleant solum verbis *Concedimus, indulgemus, impartimur*. In Bullis vero Canonizationis utantur verbis explicitis *Declaramus, definimus, decernimus, & mandamus*, quia, ut recte dicit Trullench *in decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 5. *num.* 3. Pontifices per Canonizationem, & Beatificationem declarant Servum Dei esse in gloria, per Canonizationem quidem in forma explicite definitiva, & pronunciativa; per Beatificationem vero in forma indultiva, concessiva, & implicite definitiva. 57

Pontifex errare non potest in approbatione Religio- 58

ligionum. Sessa *Scrutin. Doctrin. cap.* 2. *art.* 13. *num.* 38. Diana Coordinat *tom.* 9. *tract.* 5. *resolut.* 23. Viva *loc. cit. num.* 12. Leytan *Synops. de Eccles. Milit. discept.* 6. *sect.* 3. Matthæucc. *loc. cit. Controvers.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. Barbosa *lib.* 1. *Iuris Eccles. cap.* 2. *num.* 46. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 41. Azorius *Instit. moral. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 2. Bellarminus, Banner, & alii passim contra Canum. Et ratio est, quia approbatio Religionum spectat ad materiam morum, cum sic decernatur Institutum talis Religionis esse Sanctum, salutare, honestum, & medium aptum ad assequendam Evangelicam perfectionem, cujus falsitas officeret puritati, Doctrinæ, & Sanctitati Ecclesiæ. Cum autem Pontifex errare non possit in Decretis morum, consequenter neque errare poterit in Religionum approbatione.

60 Nec valet objicere, quod nullibi reperitur fuisse Religiones a Deo revelatas, adeoque Papam posse errare in earum approbatione, cum solum circa revelata sit infallibilis. Non valet, inquam, quia esto Religiones non sint revelatæ quantum ad existentiam, earum tamen honestas, & Sanctitas revelata est in hoc principio. *Ecclesia est Sancta, Ecclesia in suo Capite habet infallibilem potestatem* circa necessaria, & utilia saluti Fidelium; Unde sequitur omnino; *Religio hæc est a Pontifice approbata*, ergo *est Sancta, honesta, utilis ad salutem*, cum Pontifex ex officio sui Pastoratus nequeat proponere Ecclesiæ, nisi bonum, honestum & sanctum, alias Portæ inferi prævalerent adversus eam.

61 Nec valet instare, quod Religiones sunt contingentes, cum possint supprimi, & de facto plures fuerint suppressæ, adeoque non posse cadere sub revelatione, quod sint bonæ, honestæ, & sanctæ, alias Pontifices suppressores errassent. Non valet, inquam, quia licet Religiones sint contingentes quoad existentiam, non tamen quoad honestatem, & Sanctitatem. Nec per hoc, quod possint supprimi, & de facto fuerint aliquæ suppressæ, valet inferre, quod ipsæ fuerint, vel evaserint inhonestæ, & malæ, adeoque vel Pontifices suppressores erraverint, aut Pontifices approbatores Ecclesiam deceperint, approbando aliquod Institutum, de se malum, & inhonestum, quia causa suppressionis fuit pravitas, & malitia earumdem Professorum, ex quorum relaxatione cessabant Religiones illæ esse utiles Ecclesiæ; Unde suppressio non tangit Sanctitatem Religionum suppressarum, nec officit infallibilitati Pontificum Prædecessorum, qui eas approbarunt, sed tangit solum abusus, corruptelas, & relaxationes sine spe emendationis in ipsas a suis Professoribus introductas, propter quas, vel alias extrinsecas circumstantias pro statu præsenti minus utiles, & convenientes Ecclesiæ apparebant, quemadmodum in dies videmus Leges ipsas positivas a Prædecessoribus latas revocari a suis respective Successoribus, tam Principibus Laicis, quam Pontificibus, seu Præsulibus Ecclesiasticis, non quia malæ per se, & sui natura censeantur, sed quia per accidens, & ob extrinsecas circumstantias, aliasque rationabiles causas pro statu præsenti, vel minus necessariæ, aut inutiles, seu minus idoneæ ad bonum publicum reputantur.

Papa probabilius etiam ut persona privata non 62
potest in Hæresim incidere, & in Fide deficere. Ita Albertus Pighius *lib.* 4. *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 8. Gravina *t.* 4. *part.* 2. *disp.* 1. *art.* 1. *in Appendic. ad finem*, Tirinus *tom.* 2. *Commentar. in Scripturam Controv.* 6. *num.* 18. Fragosus *de Republ. tom.* 2. *lib.* 1. *disp.* 1. §. 2. *num.* 32. Joannes Wiggers 2. 2. *Divi Thomæ de Pontific. lib.* 4. *cap.* 6. Jadertin. *Introduct. ad Lect. disp.* 1. *art.* 8. Suarez *t.* 1. *de Fide disp.* 10. *sect.* 6. *num.* 11. Bellarmin. *de Pontifice lib.* 4. *cap.* 6. Matthæucc. *Controvers.* 7. *cap.* 1. *num.* 3. *& seq.* aliique plures, & hanc sententiam valde probabilem censet etiam Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. univers. cap.* 2. *num.* 51. & probabiliter tenent plurimi alii contra Turrecrematam, Canum, Cajetanum, Sotum, Bannez, Valentiam, Castropalaum, Turrianum, & plurimos alios, quos referunt Barbosa *loc. citato num.* 47. Pegna *Comment.* 74. *in quæst.* 25. *par.* 3. *director. Inquisitor.* Fagnan. *in cap. Significasti num.* 68. *de elect.* Diana Coordinat. *tom.* 9. *tr.* 5. *resol.* 12. & alii.

Probatur autem nostra Conclusio ex verbis a 63
Christo dictis Divo Petro *Lucæ* 22. ibi: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quæ verba non personaliter ad solum Petrum, sed ad omnes Successores in ejus Cathedra pertinere ostendimus *supra a numer.* 44. Unde cum constet Petrum sic a Deo fuisse confirmatum, ut ejus Fides etiam personalis minime posset deficere, ut clare denotant illæ particulæ *pro te, & tua*, quas expendimus *supra numero* 43. idem dicendum est etiam de aliis Romanis Pontificibus ejus Successoribus. Ideo enim tale privilegium est illis impetratum, ut fratres suos in Fide confirment; Sed quomodo confirmabunt, si sint ipsimet vel Hæretici, vel infideles? An in aliis eam Fidem stabilient, quam ipsimet animo execrantur, & impugnant? Tum quia cum Pontifex sit viva Regula, quam omnes Fideles sequi, & præ oculis semper habere debent, oportet muniri singulari aliquo privilegio, quo ab errore in iis, quæ sunt Fidei, non solum Sedes ipsa, sed etiam illius persona præservetur; alias si & ipsum Papam in Hæresim labi, & a Fide deficere admittamus, quid aliud sperari poterit, nisi quod cæcus ipse nos cæcos simul in foveam trahat, juxta illud *Matth.* 15. *num.* 14. ibi: *Cœcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, & *Lucæ* 6. *num.* 39. ibi: *Numquid potest cæcus cæcum ducere? non ne ambo in foveam cadunt? & cap. Cum sit ars artium* 14. *de ætate, & qualitate* ibi: *Quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur*.

Hinc hæc Romana Ecclesia præ omnibus aliis 64
prædicatur excellentia, & prærogativa singularis, quod omnes aliæ principaliores, & antiquiores Ecclesiæ, non solum Hæreticos, sed etiam Hæresiarchas habuerunt Episcopos: Antiochena videlicet Paulum Samosatenum; Alexandrina Dioscorum; Con-

Constantinopolitana Dioscorum *, & Macedonium, & sic de reliquis, ut prosequitur Mendoza *in quæst.* 4. *Scholast.* §. 4. *arg.* 7. Ecclesia vero Romana numquam. Ex tot enim Romanis Pontificibus; quamvis aliquibus subinde moribus utcumque dyscolis, nemo unquam repertus fuit, qui in Hæresim, vel Apostasiam fuerit prolapsus, ut fuse demonstrant Bellarminus *de Pontifice lib.* 4. *cap.* 8. *& seq.* Lauræa *de Fide disp.* 8. *art.* 5. *usque ad* §. 11. Albertus Pighius *de Ecclesiast. Hierarch. lib.* 4. *cap.* 7. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 2. *a num.* 52. Matthæucc. *loc. cit. Controvers.* 6. *cap.* 4. *& Controv.* 7. *cap.* 1. & fatentur omnes alii, teste Fagnan. *in cap. Significasti* 4. *de electione num.* 69. Et expresse id testatur Agatho Papa in Epistol. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est *in IV. Synodo act.* 4. & postea *act.* 8. ab omnibus approbata. *Hæc est*, inquit, *veræ Fidei Regula, quam, & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro: Simon, Simon ecce Sanatas expetivit vos, ut cibraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Hic Dominus Fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum*; Vide etiam dicta *supra num.* 48.

65 Nec valet objicere, quod si omnis Papa, ut S. Petrus, neque ut persona privata, posset in Hæresim incidere, & a Fide deficere, hoc esset de Fide, & consequenter essent Hæretici contrariam sententiam tenentes, quod non est dicendum, cum illam teneant clarissimi Doctores, tum Canonistæ, tum Theologi, ut patet ex adductis *supra n.* 62. & notat Fagn. *in cit. cap. Significasti* 4. *de elect. n.* 68. Non valet, inquam, quia etiamsi dicatur id esse de Fide, ut volunt aliqui, inter quos Matthæucc. *l. c. Controv.* 7. *c.* 1. *nu.* 7. utpote revelatum saltem implicite, & virtualiter in illa propositione, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*, adhuc tamen contrarium sentientes non essent Hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad Hæresim; sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni **.

66 Nec etiam valet dicere; quod Sacri Canones sup-

* E. R. Scilicet Nestorium; Dioscorus enim non fuit Patriarcha Constantinopolitanus.

Romani Theologi Notæ.

** Dum *Auctor* noster ait, Papam ne quidem ut personam privatam incidere in hæresim posse, atque id *esse de Fide*, non ita intelligendum est, ut Ferraris exponit, ut contrariam opinionem tuentes hæretici habendi sint, si pertinaciam non exuant. Nam hæc quæstio Scholastica est, & nondum Ecclesiæ judicio definita, ac salva fide cuique opinari fas est, non solum de fide non esse, Romanum Pontificem quatenus personam privatam non posse in hæresim incidere, quod verum omnino est, sed etiam errare posse. Item dum Theologi cum Auctore nostro ajunt, de fide esse Romanum Pontificem in Canonizatione Sanctorum errare non posse, ac de fide esse hunc numero Romanum Pontificem esse legitimum Petri Successorem, non ita intelligi debent, ut id veluti fidei dogma amplectendum cuilibet sit; cum enim Ecclesiæ sententia id definitum non sit, pro fidei dogmate proponi non potest; Sed intelligi hoc sensu debent, quod privati Doctores ex principiis revelatis deducere contendant, id adeo certum esse, ut ad fidem pertineat. At aliis, salvo dogmate, contrarium opinari licet; uti revera opinantur Ludovicus Antonius Muratorius in opere suo de Ingeniorum moderatione, atque alii, qui contendunt, inerrantiæ privilegium Ecclesiæ concessum ad fidei dogmata constabilienda, versari circa ea, quæ sunt a Deo revelata, non vero circa res humanas. Quamobrem cum Romanus Pontifex ferendo judicium in Canonizatione Sanctorum nitatur testimonio hominum, qui de hominis Sanctitate, deque patratis in istius confirmationem miraculis testantur; cumque judicium de legitimo Pontifice ferendum pendeat ab ipsius baptismate, rata ordinatione, atque legitima electione, quæ res ab hominibus pendent, putant Auctores isti ad fidei dogma non pertinere Canonizationem Sanctorum, nec fidei dogma esse hunc Romanum Pontificem esse legitimum Successorem S. Petri, licet de his certi simus certitudine morali, ac non nisi per summam temeritatem revocare ea in dubium valeamus. Accedit etiam, quod dum nos propugnamus, de fide esse Romanum Pontificem esse infallibilem, non ita sententiam nostram sustinere debemus, ut Gallos Theologos ajentes, infallibilia non esse decreta Romanorum Pontificum, nisi accesserit consensus majoris partis Episcoporum, hæreticos declaremus; hæretici enim non sunt, nisi homines, qui proposito ab Ecclesia dogmati pertinaciter obsistunt. Ecclesia vero Gallos Theologos huc usque non damnavit, eorumdemque opinionem tolerat.

Responsio Auctoris.

Quod ego assero, Papam nequidem ut personam privatam incidere in hæresim posse, atque id *esse de fide* &c. intelligendum est, prout expono ipso *loc. cit.* ubi expresse dico: adhuc tamen contrarium sentientes non essent hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut

supponunt, Papam ut personam privatam posse a Fide deficere, ut de facto supponitur in Canone *Si Papa 6. dist.* 49. ubi statuitur Papam a nemine propter quodcumque crimen posse judicari: *Nisi deprehendatur a Fide devius*, adeoque Papa quo ad se, & ut persona privata potest in Hæresim incidere, & a Fide deficere. Non valet, inquam, quia textus ille non est alicujus Pontificis, aut Concilii Generalis, sed cujusdam Bonifacii Martyris Episcopi Moguntini, qui potuit illius esse opinionis, uti fuerunt, & sunt plures alii, & ideo nobis utpote privati Doctoris vim non facit, cum nostra sententia majoribus sit suffulta auctoritatibus, & rationibus, adeout si non sit de Fide, est tamen certa certitudine infallibili infra Fidem.

67 De Fide est Benedictum XIV. v. g. legitime electum, & ut talem ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. *Est Communis inter Catholicos*.

68 Probatur primo ex Concilio Constantiensi *sess. ultim.* ubi Martinus V. Const. incip. *Inter cunctos* decernit, ut ab iis, qui de Hæresi ad Fidem revertuntur, petatur inter alia *Utrum credant, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?* adeoque supponit esse articulum Fidei, cum Hæresim abjurantes nonnisi de Fidei veritatibus interrogentur. Tum quia est Hæresis Lutheri, quod Papa non sit Vicarius Christi, cujus error 25. a Leone X. cum aliis proscriptus fuit Constit. incip. *Exurge*, ibi: *Romanus Pontifex Petri Successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus*.

69 Probatur secundo. Illa conclusio est de Fide cujus duæ præmissæ sunt de Fide; sed hæc conclusio: *Benedictus XIV. est verus Papa* sequitur ex duabus præmissis de Fide, ergo est de Fide. Major est certissima: Probatur Minor, quia hæ duæ præmissæ (ex quibus sequitur dicta conclusio) *omnis in Papam legitime electus, & ut talis ab Ecclesia acceptatus est verus Papa; sed Benedictus XIV. est talis*, sunt de Fide, & quidem de Majori nulli Catholici dubitant, alias non esset de Fide legitimum Petri Successorem esse verum Papam. Minor quoque est certa, quia eo ipso, quod Ecclesia ipsum recipit, ut legitime electum, revelat Deus ipsius electionem esse legitimam, cum promiserit Christus numquam Ecclesiam suam erraturam in materia Fidei, ut patet ex Evangelicis textibus adductis supra *a nu.* 41. *ad* 44. erraret autem in tali Fidei materia, si non staret conclusio; Quandoquidem Ecclesia agnoscens electum, ut legitimum Papam, ipsum agnoscat, ut Fidei Regulam infallibilem, qui tunc esset fallibilis, adeoque &c. Tum quia Definitiones Bened. XIV. ex Cathedra loquentis sunt de Fide, sed non essent de Fide, nisi esset de Fide Benedictum XIV. esse verum Papam, ergo &c.

Nec valet objicere, quod non est de Fide, quod Benedictus XIV. sit valide baptizatus, & Canonice electus, cum id non sit revelatum, ergo neque de Fide est, quod sit verus Papa. Non valet, inquam, quia licet non sit revelatum explicite, est tamen revelatum implicite per pacificam Ecclesiæ universalis acceptationem: eo enim ipso, quod Deus revelet esse legitimum Papam, etiam implicite revelat habere omnia ad Papatum necessario requisita. 70

Nec etiam valet objicere, quod licet sit de Fide, Christum esse in Eucharistia, non est tamen de Fide esse in hac numero Hostia, adeoque licet sit de Fide, verum Petri Successorem esse Papam, non est tamen de Fide hunc numero hominem esse Papam. Non valet, inquam, quia negatur consequentia, & paritas, & disparitas est, quia non est certum quod hæc numero Hostia sit valide consecrata. Secus autem est de acceptatione Papæ, cum revelatum sit, hunc hominem esse Papam eo ipso, quod per Ecclesiam indefectibilem agnoscitur, & recipitur ut talis. 71

Primatus Ecclesiæ universalis, seu Papatus est adnexus Romano Episcopatui de Jure Divino. Sic tenet Abbas *in cap. Per venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*; Joannes Andreas *in cap. Fundamenta, de election. in* 6. ubi Ancharanus *num.* 12. Card. Tuscus *Practic. concl. Juris tom.* 3. *conclus.* 3. *n.* 19. *& tom.* 7. *lit. R. conclus.* 372. Bellarmin. *tom.* 1. *de Romano Pontifice lib.* 2. *a princ.* S. Antonin. *p.* 3. *tit.* 23. *cap.* 5. § 7. Cajetan. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 3. *de Pontif. institut. cap.* 13. Canus *lib.* 6. *de locis Theolog. c.* 4. Turrecremata *de potest. Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *cum seq.* Jacobat. *de Concil. lib.* 8. *art.* 6. *&* 7. Alvar. Pelag. *de planctu Ecclesiæ lib.* 1. *cap.* 32. Valentia *de Fide disp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 7. §. 36. Guarnieri *de Cap. Militant. Eccles. discept.* 5. *sect.* 4. *n.* 409. Baronius *in addit. ad Martyrologium Romanum die* 18. *Januarii pag.* 130. Tirinus *t.* 2. *Comment. in Scripturam in summar. Controvers. Controv.* 6. *num.* 11. Leytan *Synop. de Eccl. Militant. discept.* 5. *sect.* 4. *num.* 409. cum pluribus ibi relatis, Azorius *Instit. moral. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *qu.* 2. Cor- 72

requiritur ad hæresim, sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni. Et en de qua pertinacia loquor ego, de pertinacia nempe non parata parere Ecclesiæ definitioni, quoties explicita habeatur. Scio enim ego, quod hæc quæstio scholastica est, ideo eam non resolvo, ut certam, sed tantummodo ut probabiliorem, ut expresse in mea conclusione ibidem *num.* 62. *ibi*: Papa probabilius etiam ut persona privata non potest in hæresim incidere, & in fide deficere, juxta classicos illos Auctores ibi allegatos, inter quos doctissimus noster Matthæucci *in opere dogmatico Romæ prius edito, & deinde Venetiis, controv.* 7. *c.* 1. *num.* 3. ibi: *dicendum, Pontifex Romanus ut persona privata, non potest in hæresim incidere, & in fide deficere*. Et sic etiam juxta eumdem sensum intelligenda sunt tradita a me, quoad infallibilitatem Papæ in Canonizatione Sanctorum, & quod hic Romanus Pontifex, Clemens XIII. v. g. legitime electus, & ut talis ab Ecclesia acceptatus, sit verus Papa, & legitimus Petri successor.

Cordub. *in qu. l.* 4. *quæst.* 2. *proposit.* 8. Alphon. Mendoza *in qu. Quodlibet. quæst.* 4. *Scholast. per tot.* Matthæuc. *loc. c. controv. 6. cap.* 2. *n.* 2. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 1. *tit.* 3. *c.* 2. *n.* 12. *& lib.* 1. *Juris Ecclesiastic. univ. cap.* 1. *n.* 31. *&* 32. & alii passim.

73 Probatur nostra Conclusio ex Sacris Canonibus, & Conciliis. Si enim Pelagius Papa *in cap. Quamvis* 3. *dist.* 21. omnibus Orthodoxis scribens sic expresse habet: *Quamvis universæ per Orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sint; Sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodis constitutis, ceteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri primatum obtinuit*. Nicolaus II. *in cap. Omnes* 1. *dist.* 22. Mediolanensibus scribit: *Qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in Hæresim labitur*. S. Anacletus Papa *in cap. Sacrosancta* 2. *dist.* 22. sic præcisæ habet: *Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum populi gregem assecuta est*. S. Marcellus Papa *in cap. Rogamus* 15. *caus.* 25. *quæst.* 1. Episcopis per Provinciam Antiochiæ constitutis scribit: *Ejus enim* (Petri) *Sedes primitus apud vos fuit, quæ postea jubente Domino, Romam translata est, cui, adminiculante gratia Divina, hodierna præsidemus die*. Innocentius III. *in c. Per venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*, sic habet: *Locus enim, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur; Cum enim Petrus, Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, revocare, interrogatur ab eo, Domine quo vadis? respondit, venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus*. Bonifacius VIII. *in cap. Unam Sanctam* 1. *de majoritat. & obedient. inter Communes* sic præcise definivit: *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam, urgente Fide, credere cogimur, & tenere; Nosque hanc firmiter credimus & simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum*, & ibi est sermo de sola Ecclesia Romana Catholica, ut expressis verbis *ibidem in §. final.* declaratur ibi: *Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam Creaturam, declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitae salutis*. Concilium Constantiense damnavit sequentem errorem Wicleffi in ordine 41. *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*. Concilium Florentinum sub Eugenio IV. in Litteris unionis sic expresse definivit: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse*. Quæ omnia clarissime ostendunt, Primatum Ecclesiæ universalis esse annexum Episcopatui Romano ex institutione, & dispositione Christi, & sic de Jure Divino.

Nec valet objicere, quod Primatus Ecclesiæ ex prima sui a Christo facta institutione fuit personalis, hoc est, adnexus, & connexus personæ Petri; *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum &c. & Joan.* 21. *Pasce oves meas*, non vero affixus particulari loco, vel determinato Episcopatui. Nam Christus Petrum constituit Generalem totius Ecclesiæ primum Episcopum, supremumque Pastorem, adeoque quod Primatus Ecclesiæ sit Romano Episcopatui potius adnexus, quam Viennensi, Parisiensi, Toletano, Mediolanensi, Neapolitano, vel Taurinensi non est ex Christi institutione, sed quia Petrus Romæ sedem fixit, vel a Nicæna Synodo fuit sic ei adnexus, & consequenter non ei adnexus de Jure Divino. 74

Non valet, inquam, quia licet Primatus Ecclesiæ ex prima Christi institutione fuerit personalis, idest adnexus personæ Petri, non tamen ut Petrus erat persona privata, sed ut publica, ipsi nimirum collatus, & in ipso omnibus ejus legitimis Successoribus, & ex tunc fuit jussu Christi etiam localis, seu certo loco, Romanæ Urbi nimirum affixus, non statim pro illo tunc, sed pro tempore subsequenti Petro a Christo, ut supra dictum est, significato; adeoque non ex voluntate Petri, sed ex voluntate, & jussu Christi fuit Primatus Ecclesiæ adnexus Episcopatui Romano; Et tanto minus dici potest, quod Primatus Ecclesiæ fuerit unitus Romano Episcopatui a Concilio Nicæno *Canon.* 6. ut falso volunt Græci Schismatici, quia Sextus Canon Concilii Nicæni sic expresse habet: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, ut notat Bail. *summ. Concil. tom.* 1. *in Concilio Chalcedonensi ad Canon.* 37. Cabasutius *Notit. Ecclesiastic. ad d. Canon.* 6. *Nicæni*, & alii passim. Immo in præfatione dicti Concilii Nicæni, teste Bail. *loco citato* expresse dicitur, quod *Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est ceteris Ecclesiis, sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Primatum obtinuit*. 75

Nec valet instare, quod hoc dato, de Fide tenendum esset Primatum Ecclesiæ universalis esse adnexum Episcopatui Romano, adeoque sententia contraria esset hæretica; & sic non posset a Catholicis Doctoribus defendi, prout a pluribus defenditur. Non valet, inquam, quia etiam dato, quod id de Fide tenendum esset, ut non deficiunt Doctores, qui id velint, inter quos Matthæucci *loc. cit. Controv. 6. cap.* 2. *num.* 19. adhuc tamen Doctores contrariam sententiam propugnantes, non essent Hæretici, quia non sunt contumaces, & propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad Hæresim, sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni. 76

Neque etiam valet instare, quod si Primatus Ecclesiæ esset de Jure Divino adnexus Romano Episcopatui, non possent ad invicem separari, quod est manifeste falsum, cum possint Pontifices ad aliam Civitatem transferre sedem Pontificiam, 77

ciam, ut de facto fuit translata Avenionem, & per multum temporis ibi remansit; Vel possit funditus destrui Roma, & sic cessare Episcopatus Romanus.

78 Non valet, inquam, quia revera Primatus Ecclesiæ nequit a Romano Episcopatu ulla humana potestate separari; cum, ut cum multis recte notat Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. univers. c. 1. nu. 32.* Sedes Pontificia ex necessitate Divini præcepti Romæ remanere debeat, ac proinde e Roma contra Domini jussum alio tranferri non possit, ut colligi etiam videtur ex Sacris Canonibus adductis supra *num. 73.* & aliis Juribus, & auctoritatibus relatis per Abbatem *in cap. Per venerabilem 14. Qui filii sint legitimi num. 18.* per Jacobat. *de Concil. lib. 8. art. 9.* per Alphons. Mendozam *in quæstion. Quodlibet. qu. 4. Scholast. per tot.* per Card. Tusch. *tom. 6. lit. P. conclus. 50. num. 30.* & 31. per Card. Bellarmin. *tom. 1. de Romano Pontif. lib. 4. cap. 4.* &

79 per alios plurimos. Et quamvis aliqui Pontifices Avenione manserint, semper tamen Episcopatum Romanum tenuerunt, & Romani Pontifices fuerunt appellati, ut eorum Bullæ clarissime demonstrant. Et dato etiam, quod Romana Civitas penitus extingueretur (qui casus tamen creditur impossibilis, & speratur a Divina Providentia, Romam usque ad mundi finem esse conservandam) adhuc tamen non extingueretur Episcopatus Romanus, siquidem ut semper duret, sufficit aliquando fuisse cum connotatione ad illos terminos materiales Urbis, ut recte notant Guarnieri *de Capite Militant. Eccles. lib. 2. cap. 8. nu. 6.* Mattheuc-

80 ci *loc. cit. Controvers. 6. c. 2. num. 20.* & alii. Et pro tunc, sicuti in casu, quo Papa alio se transferat ad residendum, valeret illud vulgatum adagium, quod *Ubi Papa, ibi Roma*; ut in terminis Eugenianæ Constit. incip. *Divina*, editæ ab Eugenio IV. octavo Idus Martii 1432. dixerunt Marchesan. *de Commis. Eug. part. 2. cap. 11. numer. 38.* Ridolphin. *in prax. part. 3. cap. 4. num. 164.* Card. Petra *tom. 4. Comment. ad Const. 4. Eugenii IV. n. 6.* & alii.

81 Papa, etiamsi suis Litteris Apostolicis salutet excommunicatum; Immo quamvis scienter ipsi Excommunicato participet, Litteris, Verbis, Osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret velle per hoc ipsum absolvere. *Communis*, textu expresso *in cap. Si aliquando 41. de sent. Excommunicationis; & in Clement. Si Summus Pont. scienter etiam excommun. participet litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi*; Juncto ejus Summario sic expresse habente: *Si Papa etiam scienter Excommunicato participat, illum per hoc non absolvit, nisi exprimat, hoc se velle*. Vide verb. *Probatio a num. 37. ad 39.*

Papæ primatus a Græcis est agnoscendus. Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 8. Papæ commemoratio in Missa fieri debet a Græcis Italiæ, & Insularum. Idem *ib.* §. 9. 82 83

Papa ex absoluta potestate, etiam inconsulto Diœcesis Episcopo, potest concedere exemptionem ab Ordinaria jurisdictione. Idem tom. 2. Constitut. 40. incipient. *Causarum Palatii*. Papa, non autem ullus inferior Antistes, potest dispensare in iis, quæ sunt de jure communi Canonico. Idem Constit. 51. inc. *Magnæ Nobis*. 84 85

Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiæ; Immo Canonistu communiori suffragio Dominum eum agnoscunt. Bened. XIV. Constit. incip. *Cum Encyclicas litteras*, §. 4. Papa bona Ecclesiæ potest injustis detentoribus concedere, quoties id Religionis utilitas, & detentorum salus postulare videatur. Idem *ibid.* §. 5. *&* 6. ubi ad id affert exempla prædecessorum Pontificum; Id autem Pontifex jure potest, non solum cum res est de Hæreticis ad Ecclesiam revocandis, sed etiam cum Christifideles a probabili apostatandi periculo revocantur. Idem *ibid.* §. 6. *&* 7. 86 87

Papa potest Ecclesias quibuscumque in diœcesibus sitas, per se, vel quatenus nolit, aut non possit, per suum Delegatum, irrequisitis locorum Ordinariis, consecrare. Benedict. XIV. Const. incip. *Jam inde*, §. 25. *&* 28. Immo olim privativa fuit ipsi auctoritas consecrandi Ecclesias. Idem *ibid.* 88

Plura de Papa minus exacte hic dicta emendantur in novo articulo *Romanus Pontefex* * addito

* E. R. *Monitum ad Lectorem*. Non ut abjicias quod verum, & justum est, sed ut æquus rerum æstimator sis, moneo, Lector veritatis amans, ne more pecudum eas in sententias omnes, quas in medium promit *Lucius Ferraris*. Illas cribra, & auctoritatem quære in Scripturis Sanctis, in Doctrinis Sanctorum Patrum, in Sacrorum Conciliorum Canonibus, atque in Summorum Pontificum sinceris Decretis. Scias velim, neque Ecclesiam, neque Summos Pontifices indigos esse falsitatis, ut auctoritatem, decorem, splendoremque tueantur. Ridebis cum leges num. 13. Papam esse Regem Cæli, & Terræ, & Inferorum; indignaberis, quando omnia, quæ sub num. 49. congesta sunt, perlegeris, dicesque Lucium velle definire, quod nondum ab Apostolica Sede expresse definitum est, teste Lambertino. A suspicione Hæresis ille non absit (inquit Lamindus Pritanius de Ingen. Moder l. 1. c. 17.) atque intolerandam, & pœnis dignam temeritatem ac impudentiam præ se ferat, qui rite cælitum catalogo adscriptos explodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis Ecclesiam reipsa, & Romanum Pontificem errasse dicat. Suspicionem Hæresis memoravi, non autem Hæresim formalem; quippe non video quo conciliari possit cum certissimis regulis hactenus traditis eorum sententia, qui firmissimo assensu, divinaque Fide credendum censent, Ecclesiam, aut Romanos Pontifices talia decernentes falli numquam posse. Videant ipsi, an non inde sequatur, novas Revelationes, nova de Factis dogmata in Ecclesiam induci, quod abhorrere a Catholica doctrina, & ipsi non negant. Nam quæ argumenta pro sua opinione producunt, aut nihil aut nimium in ista quæstione pro-

dito a romanis editoribus circa finem hujus sexti Tomi.

PAPALIS BENEDICTIO.

Quid novissime statuerit Clemens XIII. circa *Benedictionem*, quam vocant *Papalem*, cujus impertiendæ aliquoties infra annum facultatem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis &c. (eam auferendo ceteris Ecclesiasticis omnibus) tribuit, cum præscriptione ritus in casu servandi; vide t. 1. verb. *Benedicere Benedictio* art. 5. *num.* 63. ubi ad litteram adducuntur ea de re editæ laudati Pontificis *Apostolicæ Litteræ*.

PARAMENTA SACRA.

---

1 Paramenta Sacra ex Glossa *in c. Ad nuptiarum* 43. *de consecr. dist.* 1. non debent fieri ex vestibus mulierum, ibi: *Ex veste alicujus Dominæ, vel alterius non debet fieri casula, vel aliquis ornatus Ecclesiæ*, & hanc Glossam sequuntur Bacco *in* 4. *dist.* 11. *q.* 1. *art.* 5. & alii, quos tacito nomine citans Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 2. *num.* 33. & Suarez *disp.* 81. *de Sacrificio sect.* 8. §. *Sed quæres*, & hujus opinionis videtur esse etiam Matthæucci *Officialis Curiæ c.* 7. *num.* 33. & alii: *arg. cap. Vestimenta* 42. *& cit. cap. Ad nuptiarum* 43. *de consecrat. dist.* 1. *& cap.*
2 *ad hæc* 4. *de Religiosis Domibus*. At vero ipse Barbosa *loc. cit. num.* 33. tenet contrarium, dicit enim expresse: *Non prohibetur autem Sacras Vestes, & alia ornamenta Ecclesiæ ex materia profana, vel etiam muliebri veste fieri: quamvis aliqui per Gloss. in cap. ad nuptiarum, de consecrat. dist. 1. & in c. Ad hæc, de Religiosis Domibus, contrarium senserint, quia per consecrationem Episcopi santificantur, & templa Idolorum in Ecclesias convertuntur.* Idem expresse tenet Lezana *Summa q. Regularium t.* 4. *verb. Paramenta Sacra num.* 3. ubi dicit, quod ornamenta, seu paramenta Sacra possunt fieri ex materia etiam profana, vel etiam ex mulierum vestibus, non solum propter vivæ vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Casarubius *in Compend. privileg. Mendicant. verb. Ornamenta Ecclesiastica num.* 6. sed etiam Jure communi; quia per benedictionem sanctificantur, & ex profanis fiunt Sancta, et Sacra. Et idem absolute tenet Quarti *Comm. in Rubr. Missalis part.* 1. *tit.* 19. *dub.* 4. ubi dicit quod communis, & vera sententia docet hoc licite fieri posse absque ullo scrupulo. Tum quia hoc nullibi reperitur prohibitum: Tum quia ex communi usu Fideles vestes pretiosas Ecclesiis donant, ut ex illis conficiantur casulæ, & paramenta Altaris; & Præfecti Ecclesiarum etiam doctissimi ita exequuntur; Tum etiam, quia constat ex praxi communes Domos nonnunquam in Templa converti, exemplo Marcelli Papæ, qui Domum Lucinæ in Ecclesiam consecravit, & Bonifacii IV. qui Pantheon Templum Idolorum consecravit in honorem omnium Sanctorum. Immo id expresse concessit Sixtus IV. Fratribus Minoribus, ut refert Casarub. in compendio Privilegiorum verb. Ornamenta Ecclesiastica *n.* 6.

Paramenta Ecclesiastica debent esse munda, ho- 3
nesta, & proportionata usui, & Ministerio, ad quod accommodantur; *c. Vestimenta* 42. *de consec. dist.* 1. *cap. Relinqui* 2. *de Custodia Eucharistiæ*.
Paramenta Ecclesiastica, & præsertim vestes, qui- 4
bus Sacerdos utitur in Missa, uti Amictus, Alba, & hujusmodi, debent esse benedicta, ut colligitur *ex cit. c. Vestimenta* 42. *de consecrat. dist.* 1. antiqua Ecclesiæ consuetudine, & benedictionibus pro hac re institutis, & contentis in Cæremoniali
Romano. Unde celebrare sine vestibus, seu pa- 5
ramentis benedictis, aut cum aliqua non benedicta, regulariter sine justa causa, est peccatum mortale; quia est contra Ecclesiæ præceptum, & consuetudinem in re gravi. *Communis*.

Qui autem possint paramenta Ecclesiastica & 6
vestes Sacerdotales benedicere; Vide verb. *Benedicere, benedictio art.* 1. *a num.* 17. *ad* 21. & verb. *Vasa Sacra num.* 2. *&* 3.

Quæ sint paramenta, & ornamenta necessaria 7
pro celebratione Missæ? Vid. verb. *Missa art.* 10. *per tot.*

Paramenta Sacra non possunt amplius converti 8
in usus profanos, quia semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso *in c. Semel* 51. *de Reg. Juris in* 6. &
concordat *c. Quæ semel* 4. *caus.* 19. *q.* 3. Nec ad 9
alios usus, quam quibus dedicata sunt, transferri debent; *c. Vestimenta* 42. *& cap. Ad nuptiarum* 43.
de consecrat. dist. 1. Paramenta sacra, cum fue- 10
rint vetustate consumpta, incendio danda sunt, & cineres in Baptisterio, vel alio loco abdito, & honesto condi, ne forte transeuntium pedibus conterantur; *cap. Altaris palla* 37. *de consecrat. dist.* 1.
Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa 11
causa, & debita solemnitate; *cap. Final. de rebus Ecclesiast. non alienand. Clemen.* 1. *eod. tit. Extravagant. Ambitiosæ eod. tit. inter communes*.
Immo non possunt hypothecari, & oppignorari; 12
cit. Extravagant. Ambitiosæ cum aliis Juribus adductis sub verb. *Alienatio art.* 2. *n.* 1. Dicitur au- 13
tem notanter *sine justa causa, & debita solemnitate*; quia istis intervenientibus, & concurrentibus possunt hypothecari, oppignorari, & alienari, ut patet ex variis Juribus adductis sub verb. *Aliena-*
tio ar. 2. *n.* 1. *ad* 9. Quæ autem, & quot sint istæ 14
causæ, & solemnitates? Vide *dict. verb. Alienatio art.* 2. *a num.* 2. *ad* 9.

Paramenta Sacra, quando urgente aliqua justa 15
causa alienantur, oppignorantur, vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari, vel hypo-

probare facile cognitu est; Dictorum suorum probationes legeris apud eumdem Pritanium, quem si legisset Ferraris, in negotio Religionis moderatius scripsisset.

hypothecari, nisi ad servitium, & ministerium alterius Ecclesiæ, & Altaris, & ad usus Sacros, &
16 pios; *c. Ligna Ecclesiæ 36. de consecr. dist.* 1. Paramenta Sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur vel oppignorentur, etiam ad usus sacros, & pios, & ad servitium alterius Ecclesiæ, quamvis vendantur solum ratione materiæ, qua constant, & non quatenus Sacra sunt, adhuc committitur Sacrilegium propter irreverentiam, quæ fit rebus Sacris, dum sine necessitate venales fiunt: Non tamen committitur Simonia; quia non venduntur, quatenus Sacra sunt, pro pretio temporali. Covarruv. *lib. 3. variar. cap. 16. n.* 8. Molina *de justitia tract. 2. disp.* 240. *vers. Res item Sacra*, Navarr. *in Manual. cap.* 17. *num.*205. Barbosa *lib.*3. *Juris Eccles. univers. c. 2. num.* 47. & alii passim.
17 Paramenta, & Vasa Sacra, licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis, & ad usus profanos, tamen prius confracta, & conflata esse debent; *cap. Aurum 69. caus. 12. qu.* 2. cum ibi notatis, Sanchez *tom. 2. consil. moral. lib. 2. cap. 2. dub.* 15. *Quarto dico*, Barbosa *loc. cit. num.* 48. Lezana *cit. tom. 4. verb. Vasa Sacra num. 6.* & alii passim.
18 Pramenta Ecclesiastica, & Sacra exsecrantur, & benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, & in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant. Barbosa *loc. cit. num.* 36. Lezana *loc. cit. tom. 4. verb. Paramenta Sacra num.* 3. Armilla verb. *Benedicere num.* 3. Angelus verb. *Bene-*
19 *dictio num.* 3. & alii. Hinc Stola facta de Planeta benedicta debet iterum benedici, quia ad ipsam est data particularis Benedictio, & est mutata forma, quæ dabat esse rei. Paul. Fuschius *de Visit. lib. 1. c. 25. num.* 15. Ugol. *de potest. Episcop. c.* 32. §. 1. *num.* 6. Barb. *loc. cit. num.* 48. Matthæucc. *loc.*
20 *cit. num.* 22. & alii. Secus autem si de Stola fiat Manipulus. Antonel. *de Regimin. Eccles. lib. 1. c. 17. num.* 13. Matthæucc. *Official. Curiæ cit. cap.*7. *num.* 22. & alii.
21 Alba non indiget nova Benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamsi quæ adduntur, non sint benedicta; *arg. c. Quod in dubiis 3. de consecrat. Eccles. vel Altar.* Accessorium enim naturam sequi congruit principalis, *cap. Accessorium 42. de Regul. juris in 6.* Barbosa *loc. cit.*
22 *num.* 37. Armilla, Angelus *loc. cit.* & alii. Si vero refectio fiat secundum majorem partem, tam ipsius Albæ, quam alterius paramenti, seu ornamenti, opus est nova Benedictione, quia non retinet priorem figuram, & materia addita non benedicta est major priori materia benedicta; *arg. cap. Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in 6.* addita ibi ratione: *Ne minus dignum majus, aut accessorium principale, ad se trahere videantur.*
23 Vide verb. *Ecclesia art. 4. num.* 25. Paramenta non benedicuntur substantialiter per usum in Sacrificio mala fide factum. La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 252.
24 cum pluribus ibi citatis. An autem benedicantur per usum bona fide factum? Vide verb. *Calix num.* 20.
25 Paramenta Altaris, Celebrantis, & ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, & Missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ coloribus uti consuevit, Albo, Rubro, Viridi, Violaceo, & Nigro; *Communis* ex Rubrica Missalis *de color. Parament.* Rubrica de coloribus Paramen- 26
torum non est præceptiva, sed directiva, unde non inducit rigorosam obligationem; quia præceptum S. Pii V. latum in Bulla Missalis, ex quo Rubricæ vim obligandi habent, non se extendit ad hanc Rubricam de coloribus. Quarti *Comment. ad Rubr. Missal. qu. proœm. sect. 2. punct. Colligitur* 4. *& par. 1. tit. 18. dub.* 1. Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. 2. §. Secundo est observandum*; Homobonus *in examine par. 3. tract. 4. c. 15. qu.* 144. Diana *par. 1. tract. 14. resolut.* 57. Aversa *de Sacrificio quæst. 11. sect. 13. §. Rursus*. La Croix *lib.6. part. 3. num.* 340. & alii notanter, quod neque etiam de materia, ex qua confici debent ipsa paramenta, aliquid reperitur statutum sub præcepto, quæ tamen majoris momenti est, quam sint colores, adeoque &c.

Potest tamen peccari venialiter, si absque ratio- 27
nabili causa, ex negligentia v.g. vel simili motivo, varietur communis Ecclesiæ ritus circa colores. Immo si ex circumstantiis timeretur grave scandalum, v.g. si in die Paschatis quis celebraret in paramentis nigris in publica Ecclesia, non excusaretur a peccato mortali. Quarti *cit. par. 1. titul. 18. dub.* 1. Gobat *in Exper. tract. 3. num.* 382. La Croix *loc. cit. num.* 340. & alii. Color autem 28
aureus, seu croceus æquivalet omni colori, quia omnes ad illum concurrunt. La Croix *loc. cit. num.* 340. Quarti *cit. par. 1. tit. 18. dub.* 2. qui tamen dicit, quod non videtur absolute substituendus pro colore nigro, & violaceo in diebus jejuniorum, & afflictionis.

Paramenta a dignitatibus, & canonicis sumen- 29
da sunt juxta regulas libri cæremonialis in processionibus, & solemnitatibus Pontificalibus, licet præbendæ non sint distinctæ. *Sac. Congreg. Rit. in Alexandrina 17. Mart.* 1608. *in respons. ad dubium nonum*, quam refert Aldan. *in compend. canonic. resolut. lib. 1. tit. 33. n.* 50. & Barbosa *Sum. Apostol. dec.* verb. *Paramenta n.* 1.

Paramenta nova, & antiqua mutare possunt Ca- 30
nonici absque consensu Episcopi, etsi de aliis mobilibus adsit consuetudo, quod de consensu Episcopi id fiat. *Sacr. Congr. Conc. in Maxien.* 23. *Aug.* 1631. apud Aldan. *loc. cit. num.* 52. & Barbosam *loc. cit. n.* 2.

Solis Episcopis licet sumere paramenta de al- 31
tari *Sacr. Congregat. Rit. 7. Jul.* 1612. apud Gavant. *in Rubr. Missal. par. 2. tit. 1. num. 2. in princip.* & apud Barb. *loc. cit. num.* 3. ubi habetur, quod paramenta non debent poni in altari, nisi pro solis Episcopis, & Cardinalibus.

Hinc eadem sacra Congreg. rit. in decreto ge- 32
nerali circa usum Pontificalium prælatis Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino Nostro Alexandro Papa VII. emanato die 27. Septemb. 1659. §. XI. statuit, quod *sacras vestes ex altari non sumant, nisi Pontificaliter divinis vacaturi, & ibidem* §. XXI. statuit, quod *in Missis privatis quo ad indumenta, cæremonias, ministros,*

stros , altaris ornatum , & benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent ; ac proinde Sacras vestes induant in Sacristia , neque utantur cruce pectorali , unico sint contenti ministro , aquam cum pelvi , & urceolo argenteis sibi ministrari non sinant , duasque tantum candelas super altari adhibeant . Et denuo die 20. Julii 1660. in declaratione prædicti decreti, *Ad §. undecimum , quo sacras vestes ex altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur , asserentibus monachis , se hactenus tali privilegio gavisos esse . Sacra Congregatio censuit servandum esse decretum . Et ad §.XXI. quo in Missis privatis prohibentur Abbatibus quivis ritus , & prærogativæ ad Episcopos privative spectantes ; exponentibus monachis , Abbates Cassinenses hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas , ministros ad lotionem manuum , & duos assistentes cum cotta &c. Sacr. Congreg. censuit servandum esse decretum* . Vide verb. *Abbas num.* 13. ubi per extensum datur totum decretum cum sua declaratione.

33 Episcopus tenetur providere de illis paramentis, quæ deserviunt pro sua persona, vel pro altari majori, sed pro aliis altaribus , & Sacristia ea providebuntur decenter a capitulo. *Sac. Congreg. Episcop. in Maceraten.* 9. *Jun.* 1583. apud Nicol. *in Lucubrat. tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 26. *n.* 6.

34 Sedes Archiepiscopalis ære proprio Archiepiscopi, non ex sacristia sacris vestibus ornanda est . *Sacr. Congr. Conc. in Messan.* apud Nicol. *in Flosc. verb. Sedes num.* 3.

35 Non potest Episcopus uti paramentis cathedralis extra ipsam cathedralem. *Sac. Congreg. Episcop. in Savonen.* 3. *Mart.* 1579. *& in Fundana* 2. *Aug.* 1652. apud Nicol. *in Flosculis , verb. Episcopus num.* 25.

36 Omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa , necnon missalia, & gradualia, & cantus firmi , & musicæ , ac alii libri , & aliæ res sacræ , etiam auri , & argenti , ac quæcumque alia bona per quoscumque Abbates , seu Commendatarios , & alios quoscumque , qualiacumque beneficia Ecclesiastica etiam quorumvis Ordinum regularia obtinentes ad usum , & cultum divinum , etiam in eorum privatis ædibus , & capellis , vel oratoriis destinata , tempore eorum obitus ex testamento , vel ab intestato relicta , sub quibusvis facultatibus testandi , & alias disponendi de bonis non comprehendantur , nec sub appellatione spoliorum veniant , sed ad singulas ecclesias , monasteria etiam conventu carentia , & beneficia hujusmodi (in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ alias obtinuerint) omnino pertineant . Quod si aliquis ex præfatis Abbatibus, seu Commendatariis , & aliis Beneficiatis , pluribus Ecclesiis , seu Monasteriis pro tempore simul , vel successive præfuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, & paramenta , ac res, & bona prædicta ad illa omnia (habita ratione fructuum , & temporis quo eadem Beneficia possedit) spectent omnino , & proportionaliter inter ea dividantur . Pius V. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom.* 2. *Const.* 42. quæ incip. *Romani* , & referunt etiam Quaranta *in Sum. Bullar. verb. Spolia Clericorum pag. mihi* 482. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 16. *quæsito* 2. *n.* 2. *pag.* 268.

37 In Ecclesiis , quas nunc habent , & quas in posterum ædificabunt , vel quovis modo obtinebunt Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de strictiori Observantia, seu Reformati , in quibus non sunt organa , vel paramenta , aut vasa ecclesiastica ; non possint ea de novo facere , nec etiamsi piorum eleemosynis , vel donatione , aut quovis alio titulo offerrentur , seu fierent , illa valeant acceptare , sed teneantur observare regulam cum declarationibus Nicolai III. & Clementis V. ac VIII. In ecclesiis vero , quas nunc habent , vel in posterum habebunt, & acceptabunt ; sive Fratrum de familia , sive quavis alia concessione obtinebunt , in quibus essent hujusmodi organa , & paramenta , ac vasa eisdem Ecclesiis applicata , conceditur , quod sine scrupulo aliquo , & conscientiæ onere possint ea tenere, & illis uti , donec duraverint . Clemens VIII. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom.* 3. *Constit.* 84. quæ incipit *Sanctissimus* .

38 Sub excommunicationis latæ sententiæ (reservata Papæ absolutione) ac privationis vocis activæ , & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis interdicitur , & prohibetur, ne quisquam vasa , calices, candelabra , lampades , & alia paramenta , & ornamenta ecclesiastica , aut quamcumque supellectilem sacram ad ecclesias congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti spectantia , aliis Ecclesiis , vel monasteriis , aut locis piis, seu quibusvis commodare , sive sub quovis quæsito colore ex quacumque dictarum Congregationis hujusmodi ecclesiarum extrahere , & asportare, vel ut commodentur, aut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat. Alex. VII. *in Bullar. Roman. tom.* 5. *Constit.* 40. quæ incipit *Conservationi* .

39 Fratres Minores de Observantia sub gravissimis pœnis prohibentur aliis commodare Paramenta , ornamenta , vasa , & hujusmodi suarum ecclesiarum , & ad id datur per extensum Constitutio Innocentii XI. confirmativa decreti sacræ Congreg. Episcop. & Regul.

Innocentius Papa XI. ad futuram rei memoriam . „ Alias ad supplicationem tunc existentis „ Commissarii generalis curiæ Ord. Fratrum Min. „ S. Francisci de Observantia nuncupatorum , „ emanavit a Congregatione Venerabilium Fra- „ trum Nostrorum S. R. E. Cardinalium , nego- „ tiis & consultationibus Episcoporum , & Re- „ gularium præposita , decretum tenoris , ut se- „ quitur .

„ Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. „ Cardinalium , negotiis , & Consultationibus Epi- „ scoporum , & Regularium præposita , spectabili „ cultui , & decoro ornatui Ecclesiarum Ordin. „ Fratrum Min. S. Francisci de Observantia provi- „ de consulens , injungendum censuit , prout præ- „ sentis decreti tenore injungit omnibus , & sin- „ gulis dicti Ordinis Superioribus Provincialibus „ localibus , eorumque subditis , sub pœna pri- „ vationis officiorum Ordinis immediate incur- „ renda : ne ullo unquam tempore , quavis oc- „ casio-

„ casione, vel prætextu ad instantiam, & preces „ cujusvis indulgeant, aut consentiant, suppellectilem, vasa, ornamenta, vestes, atque omnis „ generis res spectantes aliquo modo ad præfatas „ eorum ecclesias, capellas, oratoria, sacristias, „ extra illa ad usum, vel officium ceterorum distrahi, asportari, seu alias ab ipsis Minoribus „ Observantibus commodari, quin prius accesserit consensus saltem ultra duas partes capituli, „ cujuslibet respective conventus per secreta suffragia singulis vicibus præstandus, nec non a „ ministro provinciæ authentice confirmandus, & „ ita observari mandat. Non obstantibus &c. Datum Romæ 4. Martii 1580.

„ Cum autem sicut dilectus filius Franciscus „ Diaz a S. Bonaventura, carissimi in Christo „ filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici „ concionator, & theologus, ac pro Ultramontana familia Fratrum dicti Ordinis Vice-Commissarius generalis nobis exponi nuper fecit, „ eo quod ipse decretum hujusmodi (quo firmius subsistat, & servetur exactius) Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri „ desideret; Nos ipsius Francisci Vice-Commissarii generalis votis hac in re (quantum cum „ Domino possumus) favorabiliter annuere volentes, & eum a quibusvis excommunicationis, „ suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis „ sententiis & pœnis a jure, vel ab homine, „ quavis occasione, vel causa latis (si quibus „ quomodolibet innodatus existit) ad effectum „ præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore „ censentes, supplicationibus ejus nomine super „ hoc nobis humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore „ præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabiliter Apostolicæ firmitatis robur „ adjicimus &c.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub „ annulo Piscatoris die 16. Septembris anno 1685. „ Pontificatus anno IX.

40 Leo X. Constitution. incip. *Merentur* declaravit, & decrevit quod Fratres Minores de observantia sint tantum custodes, & non possessores paramentorum, & ornamentorum, ac vasorum, quæ ad ministerium sacramenti Altaris habent, & propterea illis, etiam pretiosis, absque suæ professionis macula, aut violatione, uti, & potiri, libere, & licite eos posse, cum deceat juxta solemnitatum celebritatem, decentioribus paramentis divinam honorare majestatem.

41 Paramenta sacra, vestes, & vasa ad ministerium divinum consecrata, non debent commodari ad usus laicales, & profanos, *c. Ad nuptiarum* 43. *de consecr. dist.* 1. & communis Doctorum.

Alia ad rem, Vide verb. *Utensilia*.

Additiones ex aliena manu.

42 Usum paramentorum sacrorum Ecclesiæ Cathedralis deberi Episcopo vulgo traditur. Sed ne in errores incidamus, plures notandi sunt casus.

Porro non est dubium, quin usus paramentorum sacrorum debeatur Episcopo in ipsa Ecclesia cathedrali celebranti, & quidem sive Pontificaliter, sive private, ut respondit *Rot. in Spoletana Paramentorum super exequutione Brevis* 22. *Junii* 1722. §. *Quoniam*, & in confirmatoria 14. *Maii* 1723. §. *Ex his autem*, *cor. bon. mem. Crispolto*. 43

Idemque juris est, si Episcopus celebret in capella palatii Episcopalis, modo tamen inibi non private, sed Pontificaliter celebret: *Rot. in dict. Spoletana*, *Paramentorum super exequutione Brevis* 14. *Maii* 1723. §. *Quo vero*, & rursus §. *Inutiliter*, *cor. bon. mem. Crispolto*. 44

Quod procedit, sive palatium Episcopi sit finitimum, sive sit remotum ab ecclesia Cathedrali, ut prosequitur *Rot. in dict. Spoletana*, *Paramentorum super exequutione Brevis* 14. *Maii* 1723. §. *Absque eo quod*, *cor. bon. mem. Crispolto*, & in terminis palatii Episcopalis distantis ab Ecclesia Cathedrali 400. pass. rescripsit *Congr. Particularis in Alben.* 19. *Septemb.* 1710. 45

Controversia vero est, an hic ipse usus debeatur Episcopo Pontificaliter celebranti extra Ecclesiam cathedralem, tum extra capellam proprii palatii? Et negative respondit *Rot. in dicta Spoletana*, *Paramentorum super exequutione Brevis* 22. *Junii* 1722. §. *Quoniam*, & in confirmatoria 15. *Maii* 1723. §. *Eoque fortius*, *cor. bon. mem. Crispolto*, & resolutum fuit *a Congregatione particulari in Casalen.* 11. *Martii* 1708. tum ab altera *Congregatione particulari in dicta Alben.* 19. *Septembris* 1710. 46

Quinimo Rota *in dicta Spoletana* 22. *Junii* 1722. §. *Et licet*, id admisit, tametsi ageretur de paramentis sacris non expensis capituli factis, sed comparatis ex legatis Episcoporum antecessorum. 47

Quid vero, si Episcopus habere consueverit hunc usum extra Ecclesiam cathedralem, capellamque proprii palatii? In dubio usum hunc referendum esse ad meram conniventiam capituli, adeoque nullum ipsi Episcopo præstare titulum, sensit *Rota in dicta Spoletana*, *Paramentorum super exequutione Brevis* 22. *Junii* 1722. §. *Longe minus*, & in confirmatoria 14. *Maii* 1723. §. *Nec Episcopo*, *coram bon. mem. Crispolto*. 48

PARENTES.

Parentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes; v.g. avus, proavus &c. tenentur gravi obligatione juris naturalis conservationem, & educationem liberorum curare. Communis. Hinc 1
parentes tenentur alere prolem suam, *l. Si quis a liberis* 5. *de agnoscendis, & alendis liberis*; *leg. Unusquisque* 2. *Cod. de infantibus expositis*. Non 2
solum prolem legitimam, sed etiam spuriam, seu ex coitu damnato ortam. Vid. verb. *Filius*, *Filii num.* 127. 3

Cum hac tamen advertentia, quod mater tenetur alere prolem suam primo triennio, & post triennium tenetur pater usque ad emancipationem; 4

nem; Vide dict. verb. *Filius num.* 129. Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu patris, & aliud respectu matris. Respectu enim matris intelligitur solum lac; plus enim quam lac non tenetur proli exhibere; Unde si proli alia necessaria subministraverit sine animo donandi, potest repetere a Parre *l. Alimenta, Cod. De negotiis gestis, & cit. l. Si quis a liberis* 5. *ff. de agnoscend. & alend. liberis §. Si Mater alimenta.* Si autem nequeat ipsa lac præbere proli, tenetur pater suis impensis nutricem conducere; Si vero possit ipsamet, tenetur præbere, vel suis impensis nutricem conducere; Vide d. *verb. Filius num.* 130.

7 In defectu patris, si is videlicet pauper sit, tenetur alere prolem avus paternus, vel alii ascendentes, & in defectu ascendentium paternorum, hæc obligatio devolvitur ad matrem, uti colligitur *ex cit. l. Si quis a liberis* 5. *ff. de agnoscend. & alend. liberis §. Utrum autem, & Authent. Si pater, Cod. De divortio in fine.* Vide dict. verb. *Fi-*

8 *lius num.* 131. Deficiente autem matre, tenetur prolem alere avus, aliique ascendentes materni: *l. Non quemadmodum* 8. *ff. De agnoscend. & alend. liberis, & cit. l. Si quis a liberis* §. 5. *ff. eod.* Vide dict. verb. *Filius num.* 132. Supradicta tamen de præstandis alimentis proli intelligi debent, si proles non possit habere aliunde unde se alat; *cit. l. Si quis a liberis* 5. *ff. de agnoscend. & alend. liberis* §. 7. Vide d. verb. *Filius num.* 135.

10 Parentes tenentur filiis legitimis relinquere integitimam nullo aggravatam onere. *Communis*.

11 Vide verbum *Legitima*. Quænam autem pars, seu portio bonorum debeatur Filiis pro legitima? Vi-

12 de dict. verb. *Legitima*. Parentes nequeunt filios legitimos privare legitima eis debita, nisi occurrat aliqua ex quatuordecim causis assignatis in Iu-

13 re, & adductis sub verb. *Exhæredatio*. Vide *ibi*. Parentes, quamvis de rigore juris possint relinquere extraneis id, quod in suis bonis habent supra legitimam fiiis debitam, ut tenent communiter Doctores; Tamen sine gravi, & justa causa non debent suam hæreditatem alienis, seu extraneis relinquere, quia juxta monitum Spiritus Sancti *Proverb. cap.* 13. *num.* 22. *Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes.*

* Item dicendum esset si pater gravi percitus odio contra matrem, relicta tantum legitima filio, eumdem reliqua hæreditate privet. Iniquum enim in jure reputatur, ut quis ob odium tertii prægravetur; ideoque hujusmodi testamentum, in quo filius ob odium matris in sola legitima institutus a patre sit, irritum remanet, & talis filius succedit patri in universa hæreditate tamquam ab intestato. Ita magistraliter in terminis in *Fulginaten. nullitatis Testamenti Maii* 1780. §. 3. ibi: „ Ex purissimis juris fontibus æquissima manet „ sententia illa, quæ monet contra leges prægra„ vari filium, qui ex odio transversali in tertium „ in sola legitima a Patre institutum, propterea„ que ejusmodi tertamentum non valere „. *

Immo nec debent totam hæreditatem suam re- 15
linquere Ecclesiæ, seu pio loco, *cap. Quicumque* 43. *caus.* 17. *quæst.* 4. ibi: *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio, neminem inveniet.* Et in ejus Summario expresse dicitur. *Non debet Ecclesia suscipere quæ, filio exhæredato, sibi offeruntur.* Quinimmo paren- 16
tes neque licite possunt absque justa causa, ex inordinato affectu erga liberos, successionis inæqualitatem inter eos instituere: Justæ autem causæ hujus inæqualitatis erunt merita, & majora obsequia: Si pupilli magno sumptu in studiis ali debeant: Si qui plus egere videantur, & hujusmodi. Diana *par.* 1. *resolut.* 83. Busemb. *lib.* 3. *par.* 1. *c.* 4. *dub.* 5. §. *His adde.* La Croix *ibid.* & alii.

Parentes universim tenentur filiis, procurare e- 17
ducationem corporalem, scilicet providentiam vitæ, victus, & status. *Communis*. Et insuper stri- 18
ctissime tenentur procurare eis bonam educationem spiritualem, scilicet eos recte instruere per se, vel per alios in omnibus ad salutem animæ necessariis. *Communis*.

Contra debitam educationem corporalem, & si- 19
gnanter contra debitam providentiam vitæ peccant Parentes, & quidem graviter, si tempore menstrui, aut alias impuris, & importunis commixtionibus vacant, cum evidenti periculo abortus, aut prolis vitiatæ, & monstruosæ concipiendæ, vel generandæ. Item patres nimia sævitia proprias prægnantes uxores vexantes, & percutientes in gravissimum damnum fœtus in utero existentis; Item matres post conceptam prolem immoderate saltantes, currentes, nociva bibentes, aut comedentes, & hujusmodi cum præviso, vel prævideri debito periculo abortus: Item peccant saltem venialiter matres illæ, quæ sine rationabili causa filios proprio lacte, seu per se non lactant, *cap. Ad ejus* 4. *dist.* 5. ibi: *Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant, quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt.* Si autem ad id moveat, seu concurrat rationabilis aliqua causa, v. gr. matris imbecillitas, mos patriæ, vel gentis (*), nullum erit peccatum. Item peccant graviter parentes, qui sine debito, & sufficienti repagulo pueros suos tenellos cum probabili periculo suffocationis secum in lecto recumbendo retinent. Unde merito pluribus in diœcesibus est causus reservatus.

Contra

(*) De causis legitimis, quibus Matres a lactandis proprio lacte filiis excusantur, legi potest Daniel Concina lib. VI. in Decal. Dissert. unic. De honorandis Parentibus cap. IX. quæst. IX. ubi cum quæsivisset: *Levemne, an gravem culpam contrahunt feminæ nobiles, quæ renuent lactare filios suos?* respondet: „ Culpam committere ejusmodi matres, mihi certum est: præcisum vero culpæ gradum „ penitus ignoro. Lethalem non esse communis Theologorum sententia est. Inter venialia vero cri„ mina reputatur grave „.

20 Contra debitam providentiam victus peccant graviter parentes, qui filiis in ætate infirma, aut alias gravi, vel extrema necessitate pressis, victum, vestitum, aliaque necessaria denegant, nisi filii aliunde se providere possint: Item Parentes, qui excessivis ludis, lusibus, commessationibus, donationibus, superfluis, & excessivis aliis expensis, omnia dilapidant, ita ut filii mendicare cogantur: Item Parentes, qui sine legitima causa filium aliquem exheredant, vel dotem alicui filiæ negant: Item Parentes, qui cum possint, filios captivos non redimunt: Item Parentes, qui seclusa vera necessitate, in viis publicis, aut in hospitalibus publicis filios alendos exponunt.

21 Circa hoc ultimum tamen est breviter advertendum; quod Parentes, qui exponunt filios ex mera necessitate, cum non habeant unde eos alant, vel ex mero timore infamiæ, si adhibita cautione vitæ spiritualis, & corporalis eos exponant, tunc non peccant, ut advertunt Barbosa *de offic. & potest. Episcop. par.* 3. *alleg.* 15. *num.* 147. Amostaz *de causis piis lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 78. Monac. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 7. *num.* 14. Sporer *tom.* 1. *tract.* 3. *in IV. præcept. Decal. cap.* 5. *sect.* 2. *num.* 41. &
22 alii passim: Si autem nulla interveniente vera necessitate, nec ullo timore infamiæ, eos in viis publicis, aut in publicis hospitalibus exponant, ultra peccatum mortale, quod committunt, graviter arbitrio judicis sunt puniendi; *l. Sancimus* 4. *Cod. de infantibus expositis*, Menoch. *de Arbitr. cas.* 496. Vela *de delict. cap.* 9. Bossius *in praxi tit. de homic. num.* 7. Barbosa *loc. cit. num.* 144. Monacell. *loc. cit. num.* 5. Amostaz *de causis piis tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 77. Quæ quidem pœna aliquando poterit extendi usque ad mortem, scilicet quando in expositione secuta est mors; dicuntur enim jure Civili hujusmodi crudeles, & feri parentes partum occidere, dum illum sic periculose exponunt; *l. Necare* 4. *ff. de cognoscendis, & alendis liberis*, ibi: *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat; sed & is, qui abjicit, & qui alimoniam denegat, & is, qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet*, & concordat *cit. l. Sancimus* 4. *Cod. de infantibus expositis*, ibi in fine: *Velut omni refertis inhumanitate, & crudelitate, quæ tanto quovis homicidio pejor est, quanto miserioribus eam inferunt*, & *cap. Si expositus* 9. *dist.* 87. Decian. *tract. crim. lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 9. Vallensis *in Rubr. de infant. n.* 1. Velasco *de privileg. pauper.* 2. 2. *part. qu.* 65. §. 2. *a num.* 1. Amostaz *cit. num.* 77. & alii.

23 Parentes propter detestandam crudelitatem, quam in filios exercent, eos exponendo, privantur patria potestate, sive ipse pater filium exponat, sive alius, eo consentiente, vel ratum habente: *l. Unusquisque* 2. *Cod. De infantibus expositis*, & *cap. Si a patre unic. de infantibus, & languidis expositis*, ibi: *Si a patre, sive alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus*; Non enim convenit, ut qui sic crudeliter, & inhumaniter se gessit cum filio, adhuc in eo
24 jura habeat. Sic Doctores communiter. Nec pater ex eo quod amittat patriam potestatem eximitur ab onere dotandi v. g. filiam, aut alimentandi ipsam, vel filium, vel ab obligatione refundendi expensas, quia solum perdit patriam potestatem quoad ea, quæ sunt sibi utilia, non autem circa sibi onerosa, & damnum afferentia: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*, ut de simili dicitur *in cap. Intelleximus* 7. *de judiciis*, quia, ut habetur *in l. Nemo ex suo, ff. de Regul. Juris: Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*. Gratianus *discept. forens. c.* 267. *a n.* 54. Amostaz *loc. cit. num.* 78. Barbosa *loc. cit. n.* 146. Homobon. *de examine Ecclesiastico p.* 10. *c.* 4. *q.* 4. *supp.* 1. & alii.

An autem Parentes exponentes filios in hospitali, vel alio loco ad id erecto seu deputato teneantur ad restitutionem expensarum pro ipsis alendis, & vestiendis factarum? Respondetur cum distinctione. Vel Parentes, quando filios exposuerunt, erant vere pauperes, vel divites: Si erant vere pauperes, nec peccarunt, ut dictum est *supra num.* 21. nec tenentur ad expensas, quia intentio fundatoris ea fuit, ut ibidem filii Parentum pauperum alerentur. Unde Parentes filios exponentes ob inopiam in hospitali, vel alio loco ad id destinato, ad nihil tenentur, quia id ex pietate concessum est similibus infantibus, ut de communi testantur Monacell. *loc. cit. num.* 14. Amostaz *loc. cit. num.* 66. Lugo *tom.* 1. *disput.* 13. *n.* 4. & alii; *arg. l. Cum deditis* 1. *Cod. de latina libertate tollenda*. 25

Vel Parentes, quando filios exposuerunt, erant divites, & quoad istos variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima sententia tenet, quod Parentes quantumvis divites expensas restituere non teneantur ex eo, quia hospitalia ista intuitu pietatis, & misericordiæ alimenta expositis præbeant propter Dei amorem, & non animo repetendi. Sic Glossa *in cap. Si expositus* 9. *dist.* 87. Acunna *ibidem num.* 13. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 40. & alii. 26

Secunda sententia docet, quod Parentes divites non teneantur restituere expensas Hospitali de justitia, & jure stricto, sed solum ex æquitate, quatenus Hospitale absque causa illas expendit, dum expositus Patrem habet divitem, licet eas det, ne Patres Filios necent, aut aliud malum perpetrent. Sic Henriquez relatus a Bossio *de alimentis c.* 9. §. 1. *n.* 606. & Amostaz *de causis piis tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 68. 27

Tertia sententia communior defendit teneri Parentes divites ad has expensas restituendas, ac posse ab Hospitali repeti, quia horum Hospitalium institutio est ad nutriendos pauperes expositos, qui non habent parentes divites, qui possint eos alere; adeoque Parentes divites tenentur expensas restituere, & Hospitale potest illas repetere. Sic Leoncillus *de privileg. pauper. par.* 1. *q.* 3. *num.* 67. Trullench. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 2. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *lib.* 14. *num.* 4. Carpio *de execut. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 31. Bossius *cit.* §. 1. *num.* 607. Bonacina *de contract. disput.* 6. *quæst. unic. punct.* 6. §. 1. *proposit.* 2. *num.* 6. Sanchez *consil. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 16. Villalobos *in Summa par.* 2. *tract.* 41. *difficult.* 7. *num.* 10. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 259. Lugo *tom.* 1. *disp.* 13. 28

1. *disp.* 13. *num.* 4. ubi cum multis aliis dicit esse communem.

29 Quarta sententia vult esse attendendam mentem Fundatoris Hospitalis, & dicit, quod si fundavit Hospitale simpliciter absque aliqua expressione, seu declaratione, Parentes divites tenentur refundere expensas, quia præsumitur tantum fundasse pro egenis, utpote opus magis pium, & Deo gratius. Molina *de justitia tract.* 3. *disp.* 103. *num.* 4. Amostaz *loc. cit. num.* 70. & in hoc conveniunt omnes citati pro tertia sententia, aliique passim. Si autem Fundator Hospitalis expresserit; aut ex verbis ejus clare concipiatur voluisse, ut redditus illi liberaliter expenderentur in alendis expositis, inspecta solum eorum præsenti necessitate absque aliqua consideratione ad Parentes, tunc Parentes licet divites ad nihil tenentur, quia liberaliter expensæ illæ donatæ fuerunt expositis. Sic Villalobos *loc. cit. difficult.* 7. *numer.* 10. Amostaz *loc. citat. num.* 70. ubi *num.* 71. subjungit, quod est gravis conjectura donandi liberaliter has expensas expositis, si Hospitale fuerit ditissimum, quia compensatione non indiget. Layman *lib.* 3. *de justitia tract.* 2. *cap.* 14. *n.* 4. *vers. Dico* 3. Sporer *tom.* 1. *tract.* 3. *in IV. præcept. Decalog. cap.* 5. *sect.* 2. *num.* 41. Quod Lessius *de justitia lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. *n.* 69. & alii admittunt, nisi expresse Fundator dicat pro pauperibus fundare.

30 Parentes divites exponentes Filios in locis, ubi aluntur expensis Reipublicæ, seu Communitatis, tenentur omnino ad ipsas restituendas, & ad omnia damna resarcienda, quia Parentes tenentur, quantum possunt, sine aliorum gravamine providere Filiis alimenta, & quæ necessaria sunt ad illorum educationem, & disciplinam, *l. Si quis a liberis ff. De agnoscendis, & alendis liberis, l. Unusquisque* 2. *Cod. De infantibus expositis.* Unde Parentes divites tenentur omnino refundere expensas omnes, quas pro alendis, & educandis suis Filiis expositis fecit Respublica, seu Communitas cum gravamine tot pupillorum, viduarum, & aliorum innocentium ad ipsas expensas non obligatorum. *Communis*, & a fortiori omnes Doctores citati supra pro tertia sententia; Vide verb. *Adulterium artic.* 5. *a num.* 27. *ad* 30.

31 Item Parentes divites exponentes Filios ad Ostium alterius, qui ideo facere debet expensas,
32 tenentur ad ipsas restituendas. *Communis*. Qui autem invenit infantem ante ostium suum, & illum ponit ad ostium alterius, qui ea de causa facere debet expensas, non tenetur ad ipsas expensas ipsi restituendas, quia non peccat contra justitiam, cum hunc non inducat in obligationem justitiæ ad providendum tali infanti, quia ad id non tenetur neque ex caritate, cum possit illum inde mittere ad publicum Hospitale pro iis infantibus erectum, vel ad Ecclesiæ cunabula, & licet teneretur ex caritate ei providere de alimentis, si non esset alius modus illi subveniendi, adhuc non peccaret contra justitiam, quia non est contra justitiam dare alteri occasionem, qua debeat opera Caritatis ex necessitate exercere. Immo nec videtur peccare contra caritatem in illum, ad cujus ostium illum infantem exponit, sicut nec esset contra Caritatem, si pauperem in extrema necessitate existentem ad illum mitteret ex industria, ut ipse ex Caritate teneretur illi succurrere. Sanch. *lib.* 1. *Consil. c.* 5. *dub.* 5. *a num.* 70. Bossius *loc. cit. cap.* 9. §. 2. *per tot.* Lugo *tom.* 1. *disp.* 18. *num.* 114. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *n.* 160. Amostaz *loc. cit. num.* 72. ubi dicit id præsertim posse fieri sine delicto, quando aliquis timet infamiam, v. gr. si sit Sacerdos, aut altera persona gravis, quia pessimi, & malitiosi dicerent Filium ipsius esse, & idem dicendum, quando non haberet superfluum naturæ, sibi, & suis.

Contra debitam providentiam status peccant graviter Parentes, si non adhibeant diligentiam, saltem mediocrem, secundum suam conditionem, ut acquirant, seu saltem conservent bona, quibus Filii alantur, habeantque hereditatem secundum suum statum. (*) Hinc si parentum dolo vel culpa damnum aliquod illatum sit filiis, actione utili in factum possunt parentes a filiis conveniri, quibus tamen, seclusa reverentia, qua filii tenentur colere parentes, competeret etiam actio de dolo malo. Cujac. *comment. in tit. ff. de dolo malo ad leg. non debet* 11. (*) Item peccant graviter, si bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honeste secundum suum statum educandos, & dotandos. Item graviter peccant Parentes, si Filios, vel Filias invitos cogant ad ingrediendum Religionem; vel statum Clericalem assumendum; Unde merito a Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 18. *de Regularibus* lata est sententia excommunicationis contra eos, qui feminas ad Religionem cogunt. Item graviter peccant, si Filios, vel Filias a Religionis ingressu sine justa causa impediant. Item si Filios, vel Filias absque justa causa compellant ad Matrimonium ineundum, seu a Matrimonio contrahendo impediant, & abstinere cogant. 33

Parentes, contra debitam Filiis bonam educationem spiritualem, graviter peccant, si Filios in bonis moribus, & necessariis ad salutem per se, vel per alios instruere non curent; Item si occasiones peccandi ab ipsis non removeant, vel in locis, aut domibus suspectis, & periculosis habitare permittant, aut alias peccaminosam vitam agere sinant. Item si consilo, aut malo exemplo eos ad peccata perducant. Item si Filios, aut Filias dissolutas pro posse non corrigant, & juxta exigentiam non puniant: in his enim Parentes non tantum peccant contra virtutem Caritatis, sicuti quivis alii proximum delinquentem corrigere negligentes, sed etiam contra virtutem justitiæ, quia Parentes Jure Divino naturali obligantur Filios educare ad bonum, & avertere a malo. Unde Parentes Catholici in illis Regionibus, ubi Catholici contrahunt Matrimonia cum Acatholicis, si moraliter possint, tenentur sub mortali curare, ut proles educentur Catholice, ut ex aliis notant Busembaum *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 3. *n.* 7. La Croix *ibid. nu.* 95. & 100. 34

Parentes nequeunt licite occidere Filias in adulterio deprehensas; Vide verb. *Adulterium art.* 2. *a n.* 10. *usque ad finem*. 35

Parentes nequeunt licite occidere Filios suos bannitos, 36

nitos, nisi aliter ab armis contra patriam averti possint, quia in tali casu prævalet bonum universale patriæ, quæ est communis omnium mater. Ita Laym. *lib.* 3. *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. La Croix *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 792. & alii passim; *arg. l. Minime* 35. *de Relig. & sumpt. fun.*

37 Parentes in casu necessitatis, si nullus alius existat, possunt baptizare proprios Filios sine solutione conjugii, seu absque debiti Matrimonialis præjudicio; Vid. verb. *Baptismus art.* 4. *num.* 41.

38 Parentes peccant graviter Filios etiam consentientes castrando, ut evadant præstantiores Musici; Cum enim nemo sit Dominus membrorum sui corporis, tanto minus erunt Parentes domini membrorum corporum suorum Filiorum, adeoque, &c. Sic Laym. Tanner. Bonac. Lezana, & alii, quos affert, & sequitur Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 36. Quarti *de Sacris Benedictionib. tit.* 3. *sect.* 17. *difficul.* 4. Busemb. *l.* 2. *part.* 1. *tr.* 4. *c.* 1. *dub.* 1. *resolut.* 2. & alii passim.

39 Parentes dubitantes, an proles adulterinæ, seu non legitimæ, sint a se genitæ, vel ab aliis, quam obligationem contrahant? Vid. verb. *Adulterium art.* 5. *a n.* 20.

40 Parentes an, & in qua necessitate sint a suis Filiis subveniendi præferenter quoad alios? Vid. verb. *Filius a n.* 91. *ad* 99.

41 Parentes ut subveniantur, in qua necessitate, & quomodo possint, vel debeant Filii exire de Religione? Vid. d. verb. *Filius a numer.* 100. *ad* 104.

42 Parentes, quo jure, & in qua necessitate possint vendere suos Filios? Vid. d. verb. *Filius a n.* 105. & 112.

43 Parentes quando & quibus modis amittant patriam potestatem super Filios? Vid. d. verb. *Filius a n.* 118. *ad* 125.

44 Parentes spirituales, an teneantur alere suos Filios spirituales in defectu Parentum naturalium? Vid. d. verb. *Filius n.* 136.

45 Parentes an, & ob quas causas possint Filios exheredare? Vide verb. *Exheredatio*.

46 Parentes contrahentes sponsalia pro liberis necdum septennibus invalide contrahunt, nisi liberi septennio majores approbaverint; *cap. Unic. de desponsat. impuber. in* 6. Sic *Communis Doctor.* teste

47 La Croix *lib.* 7. *part.* 3. *n.* 118. Parentes etiam invalide contrahunt pro impuberibus septennio majoribus; *cit. c. Unic. de Desponsat. impub. in* 6. La Croix *loc. cit.* & alii communiter.

48 Parentes possunt per se loquendo esse testes Matrimonii prolium suarum: Vide verb. *Matrim. quoad Impedimenta art.* 2. *num.* 88. In multis autem casibus sunt suspecti, & munus testis implere non

49 possunt; Unde Card. de Luca *de Matrimonio disc.* 3. *n.* 16. citans Passer. Alex. Menoch. Mascard. docet, si verb. gr. Pater agat pro valore Matrimonii ut salvet honorem Filiæ, tunc talem Patrem potius esse partem interessatam, & principalem in causa; ideoque non posse implere munus testis. Hinc Joannes Kugrel *de Matrimonio & sponsalibus numer.* 343. La Croix. *lib.* 6. *part.* 4. *numer.* 757. & alii dicunt Parentes in multis casibus merito esse suspectos, nec sufficere.

(+) Quin immo parentibus omnino testimonium dicere pro filiis, vel filiis pro parentibus omnino inter dictum esse tenet Cujac. *comment. in tit. ff. de Testibus in princ.* (+)

Parentes, quamvis non teneantur obligatione 50 aliqua particulari benedicere propriis Filiis Benedictione materiali, idest expressa verbis, & signis externis, cum hæc solum ex beneplacito, & in signum benevolentiæ soleat conferri a Parentibus propriis Filiis; Tenentur tamen eis benedicere Benedictione formali in ordine ad finem, ad quem dirigi solet, videlicet, ut bene sit Filiis quoad animam, & corpus, idest procurare, & a Deo precari bona, quæ sunt illis necessaria ad salutem animæ, & corporis, quia jure naturali tenentur eorum curam habere, quoad eorum majus bonum spirituale & temporale, *Communis*. Hinc pec- 51 cant Parentes maledicentes Filiis suis maledictione formali, idest imprecantes eis vere ex animo malum sub ratione mali, cum vero desiderio, ut illud malum eis eveniat, adeoque tenentur Parentes hanc circumstantiam in Confessione explicare, quia in hoc casu maledictio continet specialem malitiam contra virtutem pietatis, quæ malitia erit mortalis, si malum filiis imprecatum sit grave: & venialis, si malum imprecatum sit leve ratione parvitatis materiæ. *Sic Communis Doctorum*, cum S. Thoma *secund. secundæ, quæstione* 76. *articulo primo*.

Si Parentes maledicant Filiis solum materialiter 52 idest non ex animo, ut malum aliquod illis eveniat, sed ex ira quadam, & impatientia, peccant solum venialiter, quia tunc maledictio, ultra quam quod non est ex animo deliberato, non opponitur Caritati, cujus obligatio gravis est, sed mansuetudini, vel patientiæ, quæ virtutes levius obligant. Sic Molina, Navarrr & alii, quos affert, & sequitur Laym. *lib. secundo tractatu tertio, capite octavo* & alii passim. *

(+) Quamvis parentes nequeant maledicere filiis, possunt tamen eosdem cum convitio instituere *lege his verbis* §. 1. *ff. de hæredibus instituendis* Non enim prohibetur patri, quominus ipse in filium maledicta in ultimo elogio objiciat, licet hoc aliis interdictum sit. Cujac. *comment. in tit. ff. de liber. & posthum. hæred. ad leg. quid sit* 1. & *l. nominatim. circa med.* Sed quod non licet parentibus contra filios, nec filiis contra parentes permissum est. Hinc si quis filius erga parentes non modo pietatis, & obsequii neglexerit officia, sed aliquid contra pietatem commiserit, juxta naturam commissi varie coercetur. Si parentes *maleficos* appellet militia indignus reputatur ex *l.* 1. §. *ult. ff. de obseq.*

* E. R. Etsi Parentes materialiter filiis maledicant, possunt peccare mortaliter ratione scandali, seu mali exempli, & pravi habitus.

obseq. parent. & patron. præstan. Quod si eosdem contumeliis afficiat, vel impias in eos inferat manus, arbitrio Præfecti urbis punitur, quin excusetur etiamsi miles sit *l. 1. in princ. & §. penult. ff. eod. l. si filius. 3. l. congruentius 4. Cod. de patria potestat.* Anton. Matthæus *de Crimin. lib. 48. lib. 6. cap. 2. n. 16.* Leeuwen *cons. for. part. 1. lib. 5. cap. 21. n. 14. Voet. in pandect. lib. 37. tit. 15. in fin.* Etenim parentes omni genere pietatis & obsequii a nobis colendi sunt non modo quousque vivunt, sed etiamsi mortui sint, ut quædam Solonis lex statuit, *ut mortuis nullus impune malediceret*, & ita tenet Cujac. *comment. in Cod. lib. 6. tit. 6. de obseq. Patron. præstan. in fin.* (+)

53 Datur Episcopo facultas absolvendi pro suo arbitrio in forma privata ob carcerationem Clerici factam per ejus Parentes; *Sacra Congregatio Immunitatis in una Civitatis Ducalis 19. Februar. 1695. lib. 2. Decret. Valleman. pag. 171.*

Additiones ex aliena manu.

54 De jure occidendi, vendendi, tum exponendi Liberos secundum jus Civile Romanorum, vide contraria inter se scripta; Noodt in libro singulari: *Julius Paulus sive de partus expositione, & nece apud veteres*; Bynckershoek in opusculo: *De jure occidendi, vendendi, & exponendi liberos apud veteres Romanos*, tum ejusdem Noodt *in Amica Responsione ad difficultates Julii Pauli, sive libro de partus expositione, & nece nuper motas a Viro Amplissimo Cornelio Bynkersoek.*

55 Hoc ipsum argumentum illustravit etiam, & quidem accommodate tum ad theoriam, tum ad praxim *A. Caranza de partu cap. 4. per tot.* ubi de moribus, modisque exponendi, de conditionibus expositorum, de pœnis exponentium, de cura in expositos adhibenda, de sumptuum in eosdem erogatorum causa & repetitione, & demum de sanguinolentis tractat. Consule eum ubi res postulat.

56 (*) Post tam anxie demandatam parentibus curam, & sollicitudinem in alendis, & educandis filiis iisdem parentibus, qui hanc curam, & sollicitudinem adhibuissent, jura nostra constituerunt præmia. Statutum quippe fuit ut parentes filiis succederent, satis reputando unicum etiam filium a parentibus usque ad pubertatem fuisse educatum. Quin immo licet nullos suscepissent filios tamen impetrato jure liberorum, tot scilicet liberorum, quot sufficiunt capacitati assis, tamen illis jus succedendi in solidum concedebatur, quod tamen jus liberorum inde sublatum fuit Cujac. *paratit. in Cod. lib. 8.* Corvin. *ibid. tit. 58.* Hinc parentes olim apud acta profitebantur natos. Cujac. *Comment. in Cod. lib. 4. tit. 21. de fide instrumen. in princ.*

57 Hic dubitari posset, an parentes, qui in bonis allodialibus succedunt liberis, succedant etiam in eorumdem feudis. In libris sane feudalibus nihil de hoc constitutum legitur, ideoque sicuti semper, deficiente jure particulari, ad jus commune & regulas generales confugimus, ita successionem feudalem a jure communi metientes, eamdem quoque concedere parentibus debere videremur nisi tamen obstet consuetudo excludens parentes a cessione in feudis filiorum, quæ cæterum fere utrobique viget. Ita tenent Marta *de succes. regul. part. 2. quæst. artic. 1. n. 18. & seq.* Cujac. *in comment. de feud. lib. 2. in princ. tit. 1. in digres. de feudis lib. 38. n. 57.* ubi ponit etiam alios casus in quibus pater succedere potest filio in feudis, ut si feudum refutatum sit a patre, item si filius contemplatione patris acquisiverit feudum. Zues. *de feud. cap. 10. n. 38.* Schraderus *de feudis part. 7. c. 6. n. 3. 4. & 5.* Vultejus *de feudis lib. 1. c. 9. n. 207.* Gudelin. *de feudis part. 3. cap. n. 3.* (*)

PAROCHIA, PAROCHIALIS, PAROCHIANUS.

Parochia sumitur dupliciter, scilicet stricte, seu proprie, & large, seu improprie. *Communis.* 1

Parochia large, & improprie sumpta intelligitur pro tota Diœcesi, ut clare patet ex *c. Si quis ordinatus 5. dist. 92.* ibi: *Si quis ordinatus Episcopus ad parochiam, cujus est electus &c. & ex cap. Si quis Episcopus 5. ead. dist. 91.* ibi: *Si quis Episcopus ordinatus ad Parochiam, cujus est electus &c. & ex cap. Si qui Episcopi 6. ead. dist. 92.* ibi: *Si qui Episcopi ordinati sunt, neque recepti ab alia Parochia, in qua fuerant denominati, & ex cap. Ad Apostolicæ Sedis regimen 20. de decimis*, ibi: *De Parochia unius Episcopi in Diœcesi alterius transferatur &c.* Unde etiam Parochianus pro Diœcesano sumitur *in cap. Nullus Epicopus 3. de Parochis*, ibi: *Nullus Episcopus alterius Parochianum judicare præsumat.* 2

Parochia stricte, & proprie sumpta est certus territorii districtus per Papam, vel Episcopum determinatus, habens unum Rectorem stabilem, cum potestate populum ibidem existentem regendi, & judicandi, eique Sacramenta, aliaque Divina administrandi. *Est in re communis.* Parochia ita nuncupatur quasi partitio Curæ. Rota *rec. part. 15. dec. 39. n. 10.* Abbas *in Rubr. de Parochiis n. 1.* Archidiaconus *in cap. Ecclesias 1. caus. 13. qu. 2.* Fagnan. *in cap. Litteræ 1. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ n. 12.* Barbosa *de Officio, & potest. Parochi par. 1. cap. 1. num. 16.* cum pluribus ibi citatis: *Parochia* enim Græce, Latine *Partitio* dicitur, Fagnan. *loc. c.* & alii. Et sic Parochia dicitur quasi Partitio curæ, quia Parochus, seu Rector Ecclesiæ curam habere debet animarum totius populi intra limites Ecclesiæ sibi assignatæ congregati, *cap. Ecclesias 1. caus. 13. qu. 1. cap. In Ecclesiis 1. de Capellis Monachor. cap. Cum singula 32. de Præbend. in 6.* cum similibus. Parochia vocatur etiam *Parœcia*, hoc enim nomine usos fuisse antiquos Christianos demonstrat S. Augustinus *lib. 14. de Civ. Dei* his verbis: *Fuit Præsbyter nomine Restitutus in Parœcia Calamensis Ecclesiæ. Parœcia* autem latine *Accolarum conventus*, seu *habitatio aut Cura* dicitur. Barbosa *loc. cit.* Calvin. *in magno lexico Jurid. verb. Parochia*; ubi ex aliis notat 3 4 5 6

notat non primum *Parochias*, sed *Parœcias* appellatas esse.

7 Parochiæ antiquitus non erant distinctæ, sed Episcopus curam Animarum totius Diœcesis per Sacerdotes pro suo libitu missos, & ad nutum amovibiles administrabat, assignatis cuilibet laboranti Sacerdoti iis sustentationis mediis, quæ Episcopus pro tali judicabat sufficientia, ut propterea tota Diœcesis merito diceretur Parochia, *arg. cit. Iuri-*
8 *bus sub n.* 2. Successu tamen temporis, cum populus Christianus magis, magisque in dies augeretur, Dionisius Papa XXIV. post S. Petrum (*) secatis & partitis diœcesibus in plures Ecclesias Parochiales, seu Parochias, singulas has Parochias singulis Sacerdotibus assignavit, ut unusquisque proprium haberet territorium, seu certum districtum, ab hac partitione, ut supra dictum fuit, appellatum *Parochia*, intra cujus fines, ac limites populum inibi existentem in spiritualibus debite pasceret, ac regeret, nec unus alterius fines, & & limites ingrederetur, ut expresse habetur in *cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *qu.* 1. ubi dictus Papa Dionysius sic ait: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, Parochias, & Cæmeteria eis divisimus, & unicuique Jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter Ecclesiam, & Plebem sibi commissam custodiat*: & quod prima Parochiarum divisio facta fuerit a Dionysio Papa, habetur etiam *in c. Pastoralis* 9. *de his, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli*, ibi: *Cum auctoritate Dionysii fuerint Parochiæ limitatæ*: & testantur passim Doctores, & signanter plurimi congesti a Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. cit. par.*2.
9 *c.* 1. *n.* 18. Quamvis, ut *ibi* ipse notat Card. Baron. *Annal. Eccles. tom.* 3. *ad annum* 325. *Vers. Unde hic*, & Theoph. *Parochialis par.*1. *conc. Paroch. art.* 1. *pag.* 4. existimaverint ab ipsismet Apostolis factam divisionem Parochiarum.

(*) Liber Pontificalis si inspiciatur videtur hec parochiarum divisio contigisse ann.250. sedente adhuc Dionysio: Baronius enim dicti Pontificalis verba ad dictum annum §. 17. ita exponit: *Dionysii opus fuit parochias a Decessoribus suis distinctas limitibus certis Presbyterisque divisas, quas persecutio Valeriani turbaverat, iterum dividere, ac pro ratione distribuere, cœmeteriisque singulis consignare*: Vide etiam *Blanchinum in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom.* 2. *pag.* 23. & 231. Sed si fides habenda est *Murator. Annal. tom.* 2. *ad annum* 268. non potuit hæc parochiarum divisio anno 270. contigisse cum mortem Pontificis Dionysii referat ad dictum annum 268. De parochiis tamen vide *Thomasin. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 21. *de Beneficiis*, & laudatum *Murator. dissert. sopra l' antichità Italiane tom.* 3. *dissert.* 74. (*)

Parochias erigere, & dividere, præter Papam, 10
solus potest, et debet Episcopus, *cap. Nullus omnino* 11. *caus.* 16. *q.* 7. & docet ibi Barbosa cum communi Doctorum. Accedit Concilii Tridentini dispositio *in sess.* 21. *de reformat. cap.* 4. & *sess.* 24. *de reformat. cap.* 13. Ad Constitutio- 11
nem Parochiæ, seu ad hoc, ut aliqua Ecclesia dicatur, sit, & probetur Parochialis, plura requiruntur. Primo igitur requiritur, ut auctoritate Papæ, vel Episcopi sit erecta, ut patet ex dictis *numero antecedenti*; Erecta tamen præsumitur auctoritate Papæ, vel Episcopi, ex lapsu temporis, quo Rector Ecclesiæ publice Divina Officia peregit, Sacramenta administravit, ac reliqua Parochialia præstitit, & recepit. Barb. *loc. cit. num.* 39. Afflict. *decis.* 368. *n.* 5. Lancell. Gallia *cons.* 124. *n.* 6. *vol.* 1. & alii passim.

Secundo requiritur certum territorium, seu cer- 12
tus locus, ac districtus cum certis limitibus ab Episcopo determinatis; *arg. cit. c. Ecclesias* 2. *caus.* 13. *q.* 1. & *cit. sess.* 21. *de reform. c.*4. & *sess.*24. *de refor. c.* 13. Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228. *num.* 5. & *seq.* & *par.* 18. *tom.* 1. *dec.*32. *n.*2. & *seq.*

Tertio requiritur, quod in ipso designato loco, 13
seu districtu sint saltem decem mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, idest decem domus, aut familiæ, *cap.* 3. *Unio* 3. *caus.* 10. *quæst.* 3. ubi statuitur, *Ut Ecclesia, quæ decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis*, Barbosa *loc. cit. num.* 30. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal.* 28. *num.* 9. Carat. *de juribus Paroch. titul.* 3. *cap.* 3. *in fin.* Pacian. *de probat. lib.*2. *cap.*31. *num.* 23. & alii cum Rota recentior. *par.*11. *decis.* 348. *num.* 38.

Quarto requiritur, ut unum solum, ac perpe- 14
tuum Rectorem, seu Parochum habeat cum Cura Animarum, & potestate Fori Pœnitentialis ipsi soli competente, ita ut jure ordinario nullus alius, sed solus, ac unicus Parochus prædictam habeat curam, & potestatem. Conc. Trid. *sess.* 24. *de refor. cap.* 13. ibi: *Cuicumque Parochiæ suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignet, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant, c. Cum non ignores* 15. *de Præbendis*, ibi: *Cum non ignores, quod una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis, & c. Extirpandæ* 30. *eod. tit.* §. *Qui vero*, ibi: *Qui vero Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat, in ordine ad quem ipsius Ecclesiæ cura requiritur, nisi forte Dignitati, vel præbendæ Parochialis Ecclesia sit adnexa, in quo casu concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel Dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa Ecclesia Parochiali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium Canonice institutum*. Rota rec. *pag.* 18. *tom.*1. *dec.*32.

(*) Sive ut apud Anastasium Bibliothecarium XXVI., de quo quidem in vitis Rom. Pontificum Anastasio Bibliothecario attributis Edit. Rom. 1731. Tom. 1. pag. 21. „ Hic Presbyteris Ecclesias divisit, & cœmeteria, Parochias, & Diœceses instituit „ : quæ verba qua ratione intelligenda sint, explicatur in *Notis* varior. ad illam sect. Tom. II. Part. II. pag. 228. seqq. Epistola autem Dionysii, ex qua testimonium hoc ipso numero affertur, supposititia est.

dec. 32. *n.* 2. *& seq.* (*) Si tamen ob nimiam populi frequentiam Rector electus nequeat ecclesiastica ministrare sacramenta, & impar sit divino cultui peragendo tot sibi debet ad hoc munus perficiendum adjungere sacerdotes juxta dispositionem *Concilii Tridentini sess.* 21. *cap.* 4. *de reformat. Barbos. ibid. verb. ut unus rector.* 1. *Leuren. for. benefic. part.* 3. *quæst.* 958. *n.* 4. Cæterum hac seclusa circumstantia unico rectori inesse debet necessitas ministrandi sacramenta, & habitantibus eadem suscipiendi *Corrad. prax. benefic. lib.* 3. *c.* 5. *Barbos. jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 18. Qui vero hodie vocantur Cappellani, vel Vice-curati, non nomine proprio, prout opus est sacramenta ministrant, sed alieno, nempe Rectoris, ideo cooperatores, non rectores debent appellari, licet curam animarum exerceant, & quod dicitur unicum esse debere rectorem, intelligi debet, de jurisdictione ordinaria, non delegata, qualis est jurisdictio capellani, vel vicecurati. Si enim cum ordinaria jurisdictione duo vel plures alicui Ecclesiæ præficiantur, Curati, vel Rectores nequeunt appellari, *Ricc. in prax. for. Ecclesiast. resolut.* 561. *Leuren. for. Benefic. part.* 1. *qu.* 146. (*)

15 Quinto requiritur, quod non facta aliqua electione sepulturæ per defunctos, & non existentibus sepulturis Majorum in dicta Ecclesia, corpora ibi sepeliantur tamquam in Parochiali, in qua concurrentibus prædictis defuncti debent sepeliri, *cap. Ex par.* 5. *de Sepulturis*; Rota *in Florentina Parochialis* 22. *Maii* 1630. *coram Coccino Decano*; Barbosa *loc. cit. num.* 30. & alii.

16 Novæ Parochiæ erectio, & antiquæ dismembratio quomodo, & quando, & quibus concurrentibus fieri possit, & debeat? Vide verb. *Dismembratio*, *a num.* 10. *usque in finem*.

17 Pluribus in locis adsunt Parochiæ, quæ non distinguuntur per Domos materiales, & per determinatos districtus locorum, sed per populos, seu familias, & istæ vocantur Parochiæ Gentilitiæ earumdem familiarum, ita ut si eædem familiæ commorentur in districtu alterius Parochiæ; subsint nihilominus jurisdictioni suæ Parochiæ Gentilitiæ, & has Parochias non extendi ad alias familias diversas ab illis, pro quibus erectæ fuerunt, ad longum probat Ursaya *tom.* 8. *par.* 1. *discept.* 24. *per tot.*

18 Parochialis Ecclesia dicitur, quæ habet Jus consistens in Cura Animarum Parochianorum, ipsis Sacramenta ministrans, & proprium habens Rectorem, seu Parochum; Parochialitas enim nihil aliud est, quam Cura Animarum. Rota recent. *par.* 15. *dec.* 49. *n.* 3. Barbosa *l. c. n.* 26. Abbas *in Rub. de Paroch.* Carat. *de juribus Paroch. tit.* 1. *c.* 3. Bellamer. *consil.* 38. *n.* 8. Guttier. *alleg.* 8. *num.* 6. &

19 alii passim. Parochialis Ecclesia, ut probetur, non sufficit, quod Rector administret Sacramenta, nisi etiam ostendat, quod de necessitate administret, & populus ab eodem de necessitate recipiat; Glossa *in Clementin. Dudum*, *de sepulturis*, *verb. Impendat*, & ibi Imola *n.* 32. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *n.* 36. Mantica *dec.* 48. *n.* 5. Gregor. XV. *dec.* 387. *n.* 7. Barb. *loc. cit. n.* 28. & alii cum Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228. *n.* 4. *& par.* 9. *to.* 1.

20 *dec.* 110. *num.* 21. Parochialis Ecclesia de jure non præsumitur, sed est probanda; Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228. *num.* 3. *dec.* 300. *num.* 5. Barbosa *loc. citat. num.* 36. cum pluribus ibi citatis. Unde in dubio est plene, & concludenter probanda ab eo, qui 21

talem esse asserit, & se fundat in ea, Rota recent. *par.* 2. *dec.* 228. *num.* 3. *par.* 11. *dec.* 345. *num.* 9. *par.* 13. *decis.* 37. *num.* 2. Barbosa *loc. cit. num.* 36. & alii plures apud ipsum. (*) Hinc si incidat quæstio, an in quadam Ecclesia recipientes sacramenta ad id compellantur necessitate juris, tunc hæc sunt inspicienda. I. Quod habeat populum sibi deputatum certis limitibus distinctum. II. Quod populus ibidem audiat missam diebus festis. III. Quod ibidem recipiat sacramenta. IV. Quod ibi sepeliantur etiam non facta electione sepulturæ. V. Quod in ea Ecclesia asservetur Eucharistia, uti in parochialibus debet, & in aliis nequit nisi ex indulto Apostolico, quo pollent Regulares. *Clement. l. de privileg. Piasec. in prax. Episc. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. VI. Quod ibi fiant oblationes VII. Quod recipiat decimas, *Leuren. for. benefic. part.* 1. *qu.* 150. Notandum tamen quod jus baptizandi, decimandi, oblationes recipiendi, & sepeliendi, non semper parochialem evincunt, cum hæc omnia alio titulo competere possint, *Deci. in cap. ad aures. n.* 10. *Corrad. for. benefic. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. *Imol. in Clement.* 1. *de baptis. Azor. par.* 2. *lib.* 3. *c.* 12. *quæst.* 3.

Plures autem sunt parochialium Ecclesiarum species. Aliæ alias habent inferiores Ecclesias tamquam adjuditrices. Aliæ distinctos fines, & populum habent. Aliæ fines non habent distinctos, sed tantum familias. Aliæ neglecta quacumque distinctione finium, & familiarum, quælibet promiscue universo populo, & accedentibus sacramenta ministrant, quam tamen speciem reprobat, & Episcopis mandat ut tollatur *Conc. Tridentin. sess.* 24. *cap.* 13. *circ. fin. de reformat.* Aliæ matrices, aliæ filiales appellantur, quæ tamen, ut plurimum æqualem habent jurisdictionem, & quoad curam animarum filiales nullam habent a matricibus dependentiam, servata tantum matrici præeminentia quadam adinstar Decani, & primæ dignitatis in Capitulo. Quod si filiales omnimode sint matricibus subordinatæ, tunc amplius dici non poterunt parochiales, sed tantum Ecclesiæ adjutrices, *Card. de Luc. de Paroch. dis.* 32. *& seq. de decimis disc.* 12. *n.* 12. *in Miscell. disc.* 1. *n.* 31. *Leuren. loc. cit. qu.* 151. (*)

Jura Parochialia Ecclesiæ, & Parocho compe- 22

tentia; ultra potestatem Fori Pœnitentialis, sunt sequentia. I. Quod Parochiani proles suas proprio Parocho teneantur baptizandas offerre; *arg. Concil. Florent. in Decreto Eugenii IV.* & tenet Barbosa *de offic. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 18. *num.* 1. Layman. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 2. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 29. *n.* 9. & ipsis testibus alii communiter dicentes Parochianum graviter peccasse, si absque licentia proprii Parochi prolem suam baptizandam alieno offerat; Intellige tamen ubi non reperitur specialis Ecclesia Baptismalis assignata pro omnibus baptizandis cujuscumque Parochiæ, quia tunc Presbyter ibi ad hoc deputatus habetur pro proprio omnium Parocho quoad collationem Baptismi. II. Ut saltem in Paschate Eucharistiæ

Sacra-

Sacramentum suscipiant in propria Ecclesia Parochiali, *c. Omnis utriusque sexus* 12. *de pœnitent. & remiss.* Unde si quis communicaret in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfaceret, quia in Canone *Omnis utriusque* præcipitur a proprio Parocho Eucharistiam sumi. *Sacra Congreg. Concilii* 23. *Jan.* 1588. Immo Regulares non possunt in die Paschatis administrare Sæcularibus Eucharistiam, neque per modum devotionis, etiamsi tales personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto, ut respondit *Sacra Congregat. Conc. in Burdigalen.* 9. *Jun.* 1644. *in Senonen.* 11. *Jun.* 1650. *& in Mechlin.* 31. *Jan.* 1682. III. Ut solum a proprio Parocho Sacramentum Extremæ Unctionis percipiant, *Clement.* 1. *de privilegiis*, ubi etiam exemptis, & privilegiatis Regularibus, sub pœna excommunicationis prohibetur, ne absque licentia Parochi Sacramentum hoc alicui Parochiano administrent. IV. Quod mortui in Parochiali Ecclesia sepeliri debeant, nisi alibi sepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant. *arg. cap. Nos Instituta* 1. *c. Ex par.* 5. *& cap. In nostra* 10. *de sepulturis* juncto *c.* 1. *&* 3. *eod. in* 6. Et si alibi sepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant, debent Canonicam portionem, vulgo *Quartam funeralem*, Parochiæ, *cit. cap. Nos instituta* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. de his* 4. *cap. Cum supra* 8. *cap. Certificari* 9. *cap. In nostra* 10. *de sepulturis*, cum similibus. V. Quod in Ecclesia parochiali coram proprio Parocho Matrimonia solemni ritu celebrentur, *cap.* 1. *de Clandest. desponsat. cap.* 1. *caus.* 30. *quæst.* 5. juncto *Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 1. VI. Quod Parocho solvi debeant decimæ, primitiæ, & oblationes juxta dicta sub verb. *Decimæ*, & sub v. *Oblationes*. Vid. *ibi*.

23 Alias ad jura Parochialia spectabat, quod Parochiani diebus Dominicis, & Festivis Missam audirent in Ecclesia Parochiali, *c. Ut Dominicis* 2. *de Parochiis*. Nunc autem possunt Parochiani Missas audire in Ecclesiis Regularium, & aliis non Parochialibus, & ibi satisfacere præcepto de audiendo Missam, ut dictum est sub verb. *Missa art.* 16. *n.* 9. 10. *&* 11.

24 Alias ad jura Parochialia spectabat etiam, quod parochiani semel in anno sua peccata proprio Parocho confiterentur. *c. Omnis utriusque* 12. *de pœnitent. & remiss.* ibi: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno proprio confiteatur Sacerdoti*; Nunc autem certo satisfaciunt, qui confitentur Regularibus, aliisque Confessariis ab Ordinario approbatis, ut patet ex *Clement. Dudum* 2. *de Sepulturis* §. *Statuimus etiam*, Extrav. Joann. XXII. *Vas electionis*, *de Hæreticis*; Extravagant. Bened. XI. *Inter cunctas*, *de Privilegiis*, ex Const. Leonis X. incip. *Dum intra mentis arcana* §. 6. ex Constitut. Pauli III. incip. *Licet debitum*, ex Constit. Clementis VIII. incip. *Significatum fuit Nobis*. Hinc dicentes nunc, quod Confessi Religiosis ab Episcopo approbatis teneantur iterum eadem peccata proprio Parocho confiteri, suspecti sunt de Hæresi, & possunt per Inquisitores puniri, quibus sunt denuntiandi; Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 102. Nicol. *in Floscul. verb. Confessio num.* 7. Viva ad proposition. 21. ex damnatis ab Alexand. VIII. *num.* 1. ubi ex Joanne de La Cruz *de statu Religioso lib.* 2. *c.* 6. advertit id fuisse statutum a Sixto IV.

An autem benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum sint de Iuribus mere Parochialibus; Vide verb. *Confraternitas artic.* 2. *num.* 4. *in responsione ad* 5. *dubium*. 25

An benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similium sit de juribus mere Parochialibus, Vide *ibidem in responsione ad* 6. 26

An functiones omnes hebdomadæ Sanctæ sint de juribus mere Parochialibus? Vide *ibidem in resp. ad* 7. 27

An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini sit de dictis Juribus Parochialibus? Vide *ibidem in resp. ad* 8. 28

An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de juribus Parochialibus? Vid. *ibidem. in resp. ad* 9. 29

An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis Juribus Parochialibus? Vide *ibidem in resp. ad* 10. 30

An expositio quadraginta Horarum, & benedictio, quæ fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus? Vide *ibidem in responsione ad* 11. 31

An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus? Vide *ibid. in responsione ad* 12. 32

Parochianus alicujus Parochiæ ut quis efficiatur, 33 sufficit solum habitationis principium, nec requiritur, quod illibi pro majori anni parte habitaverit. Rota recentior. *par.* 4. *decis.* 629. *num.* 3. *&* 9. *par.* 15. *decis.* 252. *num.* 20. Barbosa *de offic. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 2. *num.* 35. *& seq.* cum pluribus ibi citatis. Intellige tamen de eo, qui 34 contrahit domicilium animo non redeundi, secus vero si de tali animo nullibi constet. Rota recent. *par.* 4. *tom.* 3. *decis.* 629. *n.* 3. *&* 9. *par.* 11. *decis.* 348. *num.* 3. *& seq. part.* 11. *decis.* 162. *num.* 21. Efficitur tamen Parochianus illius Parochiæ, qui 35 ad habitandum in ea se contulit ad evitanda impedimenta, quæ parentes suo Matrimonio præbere intendunt. Rota rec. *par.* 15. *decis.* 60. *num.* 28. Et quoad hoc habentur plures casus sic decisi a 36 Sacra Congregatione Concilii, & referuntur sub verb. *Matrimon. quoad Impedim. art.* 2. *num.* 77. Vide *ibi*. Plures aliæ quoad hoc resolusiones dictæ Sacræ Congregationis Concilii referuntur a Barbosa *de Offic. & potestate Parochi part.* 2. *cap.* 21. & ab Ursaya *tom.* 2. *p.* 1. *disc.* 10.

Quando quis habitat in confinio duarum Eccle- 37 siarum Parochialium, censetur Parochianus illius in qua Domus aditum magis frequentatum habet; Aloysius Riccius *in praxi rerum Fori Ecclesiastic. decis.* 333. *in* 1. *edit.* alias *resolut.* 510. *in* 2. *edit.* Barbosa *de offic. & potestat. Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 43. *& offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 32. *num.*

38 *num.* 71. & alii. Parochianus, si in una Ecclesia
solet audire Missam, in altera vero recipere Sa-
cramenta, Canonica portio debetur ei, a qua re-
cipit Sacramenta; *c. Non instituta* 1. *de Sepultur.*
Barbosa *de offic. & potestat. Parochi par.* 3. *cap.* 25.
Silvester *in Summa, verb. Canonica portio num.* 11.
Fr. Emmanuel *qu. Regul. tom.* 1. *q.* 39. *art.* 5.
& alii.
39 Parochiani non necessario sunt vocandi in unio-
ne Parochialium. *Sacra Congregatio Concilii in*
40 *Fulginaten.* 30. *Januar.* 1723. Parochialitatis sup-
pressio, & Curæ translatio sustinetur, quando ex
justa causa, & cum Superioris permissione facta
fuit. *Sacra Congr. Conc. in Cesenat.* 31. *Jul.* 1723.
41 Parochianus ex justa causa eximi potest pro de-
terminato tempore a Jurisdictione sui Parochi. *Sic*
in una Romana 5. *Apr.* 1690. ut refert Ursaya *tom.*
1. *par.* 1. *decis* 10. *a num.* 90.
42 Parochiales Ecclesiæ dignioribus sunt conferen-
dæ. Bened. XIV. Constitut. 68. incip. *Cum illud*
43 §. 1. & 7. Parochialium Ecclesiarum collatio, præ-
vio concursu, & examine, fieri debet. Idem *ib.*
Vide tom. 2. verb. *Concursus*, & tom. 3. verb.
44 *Examen*. In electione dignioris in Parochialium
provisione potest Episcopus procedere ex informa-
45 ta conscientia. Idem *ib.* §. 14. & 16. Si autem ap-
pellatum fuerit, causas sibi notas significabit Ju-
46 dici Superiori per litteras familiares. Idem *ibid.*
Vel Cardinali Præfecto Congregationis Concilii.
Idem *ib.*
47 Quando Parochialis collatio spectat ad Data-
riam Apostolicam, concursus ab Ordinario indi-
48 ci, & compleri potest, non petita venia. Idem
ibidem §. 19. Electio autem dignioris ab eo fieri
potest, si agatur de Beneficiis Curatis reservatis
ratione mensium; nec tenetur transmittere acta
49 concursus, nisi postulata fuerint. Idem *ibid.* Si
vero Beneficium alia qualibet ex causa reservatum
fuerit, acta transmittet, nec digniorem pronun-
ciabit. Idem *ibidem*.
50 Parochiales Ecclesiæ conferri nequeunt Canoni-
cis Regularibus Lateranensibus absque Indulto A-
postolico. Idem Constit. 135. incip. *Quod inscru-*
51 *tabili*, *per tot.* Vide tom. 2. verb. *Beneficia*, &
ad verb. *Canonici Regulares*. Nec Presbyteris sive
Clericis Congregationis Missionis. Idem Constit.
69. incip. *Quo magis* §. 4. Vide tom. 5. verb. *Mis-*
sionarii.
52 Frequentia populi ad Ecclesiam Parochialem tur-
bari non debet per celebrationem solemnitatum in
aliis Ecclesiis. Idem Constitut. 42. incip. *Etsi mi-*
53 *nime* §. 15. Ante Missam Parochialem celebrari non
debent Missæ in Ecclesiis ruralibus Parochiæ pro-
54 ximis. Idem *ibidem* §. 14. In remotioribus autem
Sacerdos celebrans Doctrinam Christianam popu-
55 lo tradere debet. Idem *ibid.* Parochiali Ecclesiæ
vacanti Vicarius ab Episcopo deputari statim de-
bet. Idem Constit. 68. incip. *Cum illud* §. 16.
56 Parochiæ Græcorum committi debent iis, qui in
Seminariis Italo-Græcorum, seu Albanensium trium
ad minus annorum spatio versati sunt. Idem Con-
57 stitut. 17. incip. *Etsi Pastoralis* §. 5. Possunt ta-
men Ordinarii Latini alios Præsbyteros idoneos Pa-
rochis Græcis velut Coadjutores adjungere. Idem
ibidem. Nunquam tamen Monachis Græcis, seu 58
Calogeris animarum Cura debet committi, nisi
ex necessitate, vel alia justa causa. Idem *ibidem*
§. 9.
Parochiæ Italo-Græcorum committi non debent 59
Italo-Græcis a Latino Diœcesano Episcopo Latine
ordinatis, sed ipsis præfici debent Græci, vel Al-
banenses, catholici tamen, sive advenæ sive indi-
genæ Græco ritu viventes. Idem *ibid.* §. 9.
Parochialia munia in Græcos Melchitas soli exer- 60
cere possunt Fratres Ordinis Minorum Custodiæ
Terræ Sanctæ in defectu Parochi Ritus Græci. Idem
Constit. 87. incip. *Demandatam* §. 13. Parochialia 61
emolumenta jure percipiuntur a Missionariis exer-
centibus Curam animarum in defectu Parochi Ca-
tholici nationalis. Idem *ibidem*.
Parochiales Ecclesiæ Regularium in Indiarum 62
Regionibus subsunt Episcoporum jurisdictioni.
Idem tom. 2. Constit. 1. incip. *Quamvis*. Parochi 63
Ecclesiarum Regularium, sive Regulares, sive sæ-
culares sint, subsunt jurisdictioni Episcopi in iis,
quæ animarum Curam respiciunt. Idem *ibid.* Pa- 64
rochi Regulares Curam animarum assumere ne-
queunt, sine examine, approbatione, & consen-
su Episcopi. Idem *ibid.*
Ad vacantem Ecclesiam Parochialem tenetur Pa- 65
tronus Ecclesiasticus, etiam in foro externo, præ-
sentare magis idoneum, seu digniorem ex appro-
batis ab Examinatoribus; utrumque enim forum
respiciunt verba Conc.Trid. *cap.* 18. *sess.* 24. ibi. *Quem*
Patronus digniorem inter approbatos ab Examinatori-
bus judicabit, Episcopo præsentare teneatur. Ben. XIV.
de Synodo Diœcesana lib. 4. *c.* 8. *n.* 8. Episcopus debet 66
judicio Patroni acquiescere, & instituere sic a Pa-
trono præsentatum, si ex approbatis ab Examina-
toribus nullus reclamet; cum Concilium Triden-
tinum dixerit sine ulteriori indagine instituendum,
quem Patronus tamquam digniorem præsentave-
rit. Sed si aliquis ex approbatis de judicio Patro- 67
ni conqueratur, & hac de causa ad Episcopum
provocet, debet Episcopus Judicis partes assume-
re, & diligenter inquirere, an rectum fuerit ju-
dicium a Patrono latum, de sui præsentati meri-
torum supra reliquos ex approbatis præstantia. Idem
ibid. Si quis appellet a sententia Episcopi, cujus 68
judicium sit conforme judicio Patroni, appellatio
est admittenda solum in devolutivo. Si vero sit
difforme, est admittenda etiam in suspensivo, & 69
interim nullus est instituendus usque ad senten-
tiam Judicis appellationis, & Parochialis est ad-
ministranda ab Oeconomo. Idem *ibidem*. Quod
totum statuit tom. 2. Bullar. Constitut. 4. incip.
Redditæ.
Si Parochialis Ecclesia fuerit jurispatronatus Lai- 70
corum, vel mixti, admittendus est sine concursu
præsentatus a Patrono, & idoneus ab Examina-
toribus repertus. Conc. Trid. *loc. cit.* ibi: *Quod si*
juspatronatus Laicorum fuerit, debeat qui a Pa-
trono præsentatus erit, ab iisdem deputatis, ut
supra examinari, & non nisi idoneus repertus fue-
rit, admitti. Idem *in citat. c.* 8. *n.* 9. ubi subjun-
git, quod idem declaratum fuit *a Sacra Congrega-*
tione Concilii 5. *Febr.* 1628. de Parochiali jurispatro-
natus mixti, idest partim Ecclesiastici, & partim
Laica-

Laicalis, ne jura Laici ob consortium cum Eccle-
71 siastico ulla ex parte læderentur. Si autem ab uno aut pluribus Patronis Laicis, gaudentibus æquali jure, plures ad vacantem Parochialem sint nominati, & Episcopo præsentati, neque ullus ex præsentatis retulerit a Patronis plures voces, quam cæteri; tenetur Episcopus indicere concursum inter eosdem præsentatos, atque illum eligere, quem ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus judicaverit magis idoneum, ut decrevit *eadem Sacra Congreg. Concil.* apud ipsum *cit. num. 9.* & Barbosam *de offic. & Potest. Parochi part.* 1. *cap.* 2. *n.* 130.

72 Episcopi jus eligendi digniorem in prædictis omnibus, Sede Episcopali vacante, transit ad Capitulum, & ab hoc ad Vicarium Capitularem sine ulla pœnitus reservatione. Idem *cit. cap.* 8. *num.* 10. ex Decreto *Sacræ Congregationis Concil. in Elven.* 1. *Decembr.* 1736. & ex pluribus aliis jam ad id allatis tom. 2. verb. *Capitulum art.* 3. *a n.* 58. *ad* 64. Vide *ibi*.

73 Parochiæ, aliaque Curata Beneficia, & Officia Indiarum Occidentalium, sublato asserto privativo jure Regularium, sæcularibus Sacerdotibus canonice conferuntur; Benedict. XIV. Constit. incip. *Cum alias* §. 2. & 3. Immo si ob defectum Sacerdotum sæcularium iisdem præficiantur Regulares, hi tamquam amovibiles ad nutum, possunt, nulla expressa causa, ab Ordinario, vel etiam a Superiore Regulari removeri. Idem *ib.* §. 2. Et jam id statuerat ad instantiam Regis Catholici in alia sua Constitutione incip. *Cum nuper*, confirmata, & declarata in hac ultima *Cum alias*.

74 Parochialibus Ecclesiis Basilicæ Assisiensi Sancti Francisci unitis, præficiendi sunt Vicarii sæculares ad nutum amovibiles. Bened. XIV. Const. incip. *Fidelis Dominus* §. 16.

75 Canonici Regulares Præmonstratenses possunt obtinere & retinere perpetuo sine Apostolica dispensatione Ecclesias Parochiales, etiam sæculares, & Vicarias; Sic declaravit Benedictus XIV. die 1. Septembris 1750. Constitution. incip. *Oneroso*.

Novæ Additiones ex aliena manu.

76 De etymologia verborum *Parochia*, *Parochianus*, *Parochus* non sum sollicitus. Vide de ea si lubet varias opiniones apud *Bohemer. Jur. Parochial. sect.* 1. *c.* 1. §. 1. & *plur. seq.*

77 Nec sum sollicitus de origine Parochiarum, an ea Tito in Creta, an Evaristo, an Anacleto, an Dionysio sit attribuenda. Confer itidem *Bohemer. Jur. Parochial. dict. sect.* 1. *c.* 2. *per tot.*

78 Parochia est *Societas quædam publica Ecclesiastica ex Parochis, & Parochianis composita in certo districtu, constitutis, & certis limitibus circumscriptis, vi cujus Parochiani Ecclesiæ in illo districtu sitæ obligantur ad peragenda ibi Sacra, & ad onera tum Parocho, tum Ecclesiæ præstanda, Parochus vero ad illa, quæ sui officii sunt*. In Parochia igitur considerari debent Parochus, Ecclesia Parochialis, & Parochiani.

79 Facile autem est hinc dignoscere, quid requiratur, ut Ecclesia dici queat parochialis. Sed vide, si materiæ plenam discussionem desideres, Rot. in *Polycastren. Jurium Parochialium* 10. *Januarii* 1729. *cor. clar. mem. Cincio*, & *in Sabinen. Jurium Parochialium* 8. *Maji* 1733. *cor. clar. mem. Calcagnin.* & 8. *Junii* 1736. *cor. clar. mem. Millin.*

At non ita facile est breviter tradere, quis di- 80
cendus sit Parochianus ad omnes præsertim effectus, tum si una in Civitate, de qua agitur sit Parochia, tum & maxime si plures sint in ea Parochiæ. Adi *Bohemerum Juris Parochial. sect.* 3. *cap.* 4. *per tot.* qui argumentum hoc illustravit.

PAROCHUS.

ARTICULUS I.

Parochus quoad ea, quæ concernunt ejus nomenclaturam, electionem, atque approbationem.

Parochi apud Ethnicos olim dicebantur illi, 1
qui Legatis publice Romam missis salem, & ligna præparabant, idest illi, qui omnia necessaria Legatis Regum, Principum, ac Rerumpublicarum hospitio receptis, suppeditabant, teste Acrone in illud Horatii *lib.* 1. *Serm. Sat.* 5. ibi:

Proxima Campano ponti, quæ villula tectum
Præbuit, & Parochi, quæ debent ligna, salemque.

Et sic referunt Calvinus *in Magno Lexico juridico tom.* 2. *verb. Parochus*; Petrus Gregorius *Syntag. Juris lib.* 36. *cap.* 30. *n.* 9. Barbosa *de Offic. & potest. Parochi part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. & alii. Unde
quidam censent adinstar istorum dictos esse Paro- 2
chos in Ecclesia Catholica, eo quod sint Sacerdotes auctoritate Episcoporum Ecclesiis præfecti, & plebibus, sive populis omnia necessaria ad pascendas animas subministrent. Alii vero existimant Parochum dictum esse quasi Paræcum. Paræcus
autem Græcis est incola, sive habitator in loco, 3
ut habetur *in l. Pupillus* 239. *ff. De verbor. signific.* ibi: *Incola est qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem Græci Paræcon (idest juxta habitantem) appellant*. Ita Azorius *Instit. moral. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *q.* 1. Barbosa *loc. cit. n.* 3. & alii.

Parochus, seu Paræcus dicitur a *Parochia*, seu 4
Paræcia, sicut & Parochiani, seu Paræciani. Budæus, citatus, & sequutus a Barbosa *loc. cit. n.* 14. Calvin. *l. c. verb. Parochia*. Ex Parochis aliqui vo-
cantur *Plebani*, *ut in cap. Scriptum est* 40. *de elect.* 5
qui videlicet curam exercent Animarum in Plebania habente sub se plures Ecclesias, vel Cappellas; *c. Statutum* 1. *Ne Clerici, vel Monachi in* 6.
Et sunt sic dicti a plebe, vel populo, qui sub 6
eorum cura regitur, & habet se Plebanus cum ceteris Curatis unius Plebis, sicuti Archiepiscopus cum

cum suffraganeis suæ Provinciæ. Barbosa *loc. cit. n.* 5. & alii passim.

7 Aliqui vero appellantur *Rectores*, quia plebem, & populum sibi commissum cum Cura regunt, juxta *cap. Ut quisque Presbyter* 3. *de vita, & honestate Clericor. & cap. In Ecclesiis* 1. *de Capellis Monachor.* & eorum Beneficium vocatur *Rectoria*, *c. Cum olim* 28. *de Præbend.* Aliqui vocantur *Capellani*, & sunt illi, qui in Ecclesia Monachorum
8 Curam Animarum exercent, *ut in cap. in Ecclesiis*
9 1. *de Capellis Monachorum*. Aliqui vocantur *Sacerdotes proprii*; Sacerdos enim proprius vocatur cujuslibet Parochiæ Rector, *c. Omnis utriusque se-*
10 *xus* 12. *de pœnit. & remiss.* Aliqui vocantur simpliciter *Curati* sic dicti a Cura, quam de regendis Ovibus susceperunt. Qui Curati alicubi sunt insigniti nomine *Archipresbyteri*, & alicubi nomine *Præpositi*, & hujusmodi.

11 Pro Parocho, quocumque nomine nuncupetur, eligi debet persona idonea, quæ in propria Parochia residere, & per se ipsum Animarum Curam exercere valeat, ut colligitur *ex c. In Parochia* 31. *causs.* 16. *q.* 1. *c. Cum in cunctis* 7. *de elect. c. Eam te decet* 4. *de ætat. & qualitat. cap. Quia nonnulli* 3. *de Clericis non resident. cap. Grave nimis* 28. *de Præbend. cap. Licet. Canon.* 14. *de election. in* 6. cum similibus, juncto Concil. Trid. *sess.* 7. *de reformat. cap.* 3.

12 Idonea persona in hac materia dicitur prædita ætatis maturitate, morum gravitate, & litterarum scientia, *cap. Cum in cunctis* 8. *de election.* §. *Inferiora*, ibi: *Alia quæ Curam Animarum habent annexam, nullus omnino suscipit, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui cum* 25. *annum ætatis attigerit, & scientia & moribus commendandus existat*, cum similibus.

13 Hinc Parochi debent eligi, & institui ad præscriptum Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. & Constit. S. Pii V. incip. *In conferendis Benefi-*
14 *ciis*. Nempe per examen, & concursum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, & saltem tribus Examinatoribus Synodalibus. Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.*

15 Quomodo autem, quando, ubi, & a quibus sit indicendus concursus pro Parochis eligendis? Vide verb. *Beneficia art.* 4. *a num.* 21. verb. *Concursus per tot.* verb. *Examinatores a num.* 25. *usque in finem.*

16 In Parochos eligendi, & promovendi sunt sub gravi culpa meliores, seu digniores. Vide verb. *Electio art.* 3. *per tot.* & signanter *num.* 15.

17 Parochus in Ecclesia exempta Animarum Curam exercere intendens, prius approbandus & examinandus est ab Episcopo juxta dispositionem *cap. Exemptionem, de privileg. in* 6. *Sacra Congreg. Concilii in Caputaquen.* 23. *Junii* 1629.

18 Examen, & approbatio Vicariorum ad Curam Animarum positorum in Ecclesiis unitis Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum pertinet. *Sacra Cong. Conc. in Augustana* 4. *Decembris* 1631.

19 Parochus pro Cura Animarum non potest deputari, nisi de consensu Episcopi, & prævio examine. *Sacra Cong. Concil. in Pictavien.* 4. *Junii* 1627.

Examinato, & approbato in Urbe ad Curam 20
Animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub prætextu insufficientis litteraturæ. *Sac. Congreg. Episc. & Regul. in Sutrina* 26. *Januarii* 1590.

An, & quatenus Episcopus possit Parochos ri- 21
te, ac recte semel approbatos iterum, ac pluries examinare? Respondendum est cum distinctione: Aut enim agitur de Parochis examinatis, & approbatis ab Episcopo antecessore. Si agatur de Parochis examinatis, & approbatis ab eodem Episcopo, non potest idem Episcopus eos iterum examinare, nisi novis supervenientibus vehementibus indiciis, etiam extrajudicialibus, de eorum imperitia seu defectu necessariæ scientiæ ad suum obeundum, & adimplendum officium. Sic expresse Rota recent. 19. *tom.* 1. *decis.* 257. *n.* 1. *& seq.* cum pluribus ibi adductis. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 10. *Formul.* 15. *n.* 2. cum Gonzalez, Garcia, Barbosa, & Cardin. de Luca ibi allegatis. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 133. *n.* 7. *& seq.* Et sic censuit *Sacr. Congreg. Concilii in Pampilonensi* apud Pignatell. *loc. c. n.* 8. ubi cum quæreretur.

Primo: *Utrum Episcopus possit examinare Paro-* 22
rochos & Rectores semel approbatos ad Curam Animarum exercendam, quando ex rationabili, & legitima causa habetur vehemens suspicio de illorum imperitia ad Sacramenta ministranda, & munus suum adimplendum, & clarius cognita illorum illiteratura, detur illi Coadjutor benemerittus cum assignatione alicujus portionis fructuum pro ejus congrua sustentatione?

Secundo: *An possit hoc examen facere non solum in actu Visitationis, sed etiam extra illam respectu alicujus Parochi, de cujus imperitia habetur certa notitia?*

Tertio: *An ad ejusmodi examen faciendum requiratur, quod imperitia talis Parochi examinandi probetur juridice per testes deponentes; an vero sufficiat talem imperitiam constare Episcopo extrajudicialiter, vel quia expositum fuit illi per personas fide dignas, quæ nolunt juridice deponere propter metum, respectum, vel aliam rationem, vel quia ipsemet Episcopus ex aliquibus actionibus, quas videt, & notat in ipso Parocho, & ex verbis, quæ occurrunt, facit conjecturam fere evidentem de imperitia illius. His igitur scrupulis anxiatus supplicat pro declaratione, ut salutare pabulum suis Ovibus præbere, suoque muneri satisfacere possit;*

Sacra Congreg. &c. die 16. *Januar.* 1667. *censuit ad omnia respondendum, Affirmative.*

Cumque ab eodem Episcopo Pampilonensi ite- 23
rum *die* 22. *Septembris* 1668. quæsitum fuisset, an in actu Visitationis Ordinario liceret examinare Parochos, quamvis contra illos suspicio imperitiæ non urgeret; Sacra Congregatio absolute respondit *Negative*. Sic Rota *l. c. decis.* 166. *n.* 1.

Et sic etiam censuit *Eadem S. Cong. Concilii in* 24
Tridentina juris examinandi 18. *Aprilis* 1671. Consulta enim, *An possit idemmet Ordinarius examinatos, & ad Confessiones audiendas, ac Curam Animarum exercendam, Ecclesiasque Parochiales obtinendas idoneos repertos, & approbatos, ad novum examen vocare, quando nulla adest rationabilis suspi-*

suspicio de illorum imperitia? Respondit, *servandam esse declarationem alias editam sub die 22. Septembris 1668. in Pampilonensi*, quæ non potest esse, & intelligi nisi de Episcopo approbante, de quo in Tridentina quærebatur, alias Sacra Congregatio ad eam non remisisset. Sic expresse Rota *loc. cit. decis.* 257. *a num.* 18.

25 Et quod possit idem Episcopus iterum examinare a se ipso jam examinatos, & approbatos Parochos, quos probabiliter judicaverit insufficientes, eo quod non vacaverint studio, & scientiam, quam prius habebant, deperdiderint, colligitur aperte ex Concilio Tridentino *sess.* 21. *c.* 5. decernente, quod possit Episcopus Rectoribus Parochialium illitteratis dare Coadjutores; Nam si non posset examinare, aut non posset dare Coadjutores, & sic redderetur inane dictum Decretum Concilii; aut dando, fieri posset, quod iis quoque daret, quia revera essent litterati, & sufficientes, adeoque ad hæc inconvenientia evitanda dicendum est, quod Episcopus possit reexaminare a se ipso jam examinatos, & approbatos Parochos, quos ex supervenientibus vehementibus indiciis vere probabiliter judicaverit illiteratos & insufficientes, ex quo non exculta scientia in ipsis defecerit: Opinio enim insufficientiæ est veluti quædam accusatio, seu denunciatio.

26 Si autem agatur de Parochis examinatis, & approbatis ab Episcopo antecessore, non solum potest Episcopus successor eos examinare cum probabiliter ex vehementibus indiciis eos judicat illitteratos, ac insufficientes, sed etiam sine talibus indiciis pro sola quiete conscientiæ suæ. Sic Rota recent. *part.* 19. *tom.* 1. *cit. decis.* 258. *a nu.* 3. cum pluribus ibi citatis, Solorz. *de Jure Indiarum c.* 17. *n.* 2. *t.* 2. *lib.* 3. Diana *part.* 4. *resolut.* 49. Barbastren. *de Paroch. p.* 1. *c.* 2. *n.* 4. *tract.* 10. & alii. Et ratio est, quia Episcopus tenetur ex munere suo curare, & attente prospicere, ut Ecclesiæ sibi subditæ recte administrentur, & Oves propriæ accurate pascantur; *cap. Qui autem Episcopatum* 11. *caus.* 8. *qu.* 1. id autem præstare non potest, nisi per examen inquirendo, an Parochi scientiam semel acquisitam amiserint, vel eam amplius excoluerint, ideoque eos examinare potest, & non alieno, sed proprio judicio deferre. Glossa *ad cap. Cum secundum Apostolum* 16. *de Præbend. verb. liceat*, ibi: *Sed Successor potest, & ita semel approbatus iterum probatur, & reprobatur sicut Medicus*, quod & ante notaverat *ad cap. Accepimus* 35. *de ætate, qualitat. & ordin. præficiend. verb. Examinare*. Unde si in examine eos insufficientes, ac illitteratos reperiat, sufficientem eis Coadjutorem assignare tenetur, ne Oves suæ fame pereant; Quam ob rem Christus ipse Ecclesiasticos alloquens præsertim Parochos *Matth.* 5. dicit; *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras*. Et *Malachiæ* 2. inquit Deus: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus; Vos autem recessistis de via*. Et *Oseæ* 4. dicit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*.

27 Et Conclusionem nostram clare comprobat Sanctus Pius V. Constitut. incipient. *Romani Pontificis* §. 2. *in fine*, ibi: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, vel Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; Ceterum ab Episcopo successore pro majori conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt, etiamsi sint Lectores, & in Theologia graduati*. Quæ sane verba nullam requirunt causam in Successore, ut possit examinare approbatos ab Antecessore, nisi ob solam propriæ conscientiæ quietem, ac proinde Sanctus Pontifex Lectores, & Graduatos in Theologia noluit excipere, in quibus suspicio imperitiæ facile considerari non potest, sed eos pro sola quiete conscientiæ suæ a Successore examinari posse sancivit. Unde conficitur argumentum a multo magis *Authent. Multo magis, Cod. de Sacrosanctis Eccles.* Si enim Successor Episcopus Regulares adeo a S. Sede Privilegiatos semel a Prædecessore approbatos, licet Lectores, & Graduatos in Theologia potest pro recta, & tuta Sacramenti Pœnitentiæ administratione ad examen vocare, multo magis poterit Parochos a se numquam examinatos examinare, ut experiatur, an exculta duret scientia, & peritia, de qua cognovit Prædecessor, ut sic consulat quieti conscientiæ suæ, quam ratiocinationem induxit Capon. *Controvers.* 42. *n.* 8. post Joann. Sanchez *in select. Sacrament. disp.* 48. & sic censuit *Sacra Congr. Concilii in Placentina* 28. *Augusti* 1628. his verbis: *Examinare iterum potest Episcopus, tam in Visitatione, quam extra super doctrina, & litteratura, Parochos approbatos ab Antecessoribus tempore provisionis Parochialium*, apud Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Examinare n.* 11. Hactenus Rota cit. dec. 257. *a n.* 5. *ad* 17.

Recte tamen concludit Monacell. *cit. t.* 1. *tit.* 10. *formul.* 15. *n.* 3. quod Episcopus sententiam hanc ad praxim non debet deducere, nisi raro, cum magna cautela, & non nisi præcedente diffamatione, seu conjectura imperitiæ Parochi, ne *bonam famam, quæ impinguat ossa, Proverb. cap.* 15. *num.* 30. amittat. Immo Pignatell. *cit. tom.* 1. *consult.* 133. *n.* 12. absolute dicit, quod extra hos casus, nempe, notæ imperitiæ, & illiteraturæ Parochorum, seu erroris in administratione Sacramentorum, non potest Episcopus vocare ad examen Parochos; Habent enim intentionem fundatam, ut ad exercitium Curæ Animarum, & ad Sacramentorum administrationem admittantur; Cum hoc veniat in consequentiam approbationis ab Examinatoribus de eorum persona factæ, ut Sacra Congregatio resolvit *in Nucerina die* 6. *Octobris, &* 10. *Novemb.* 1617. Quia cum eorum approbatio se habeat per modum sententiæ decernentis de idoneitate, quam de Jure possidet, & ideo non potest sine causa revocari in dubium ipsa possessio, sicuti revocaretur, si jam approbatus iterum ad examen vocaretur. Hactenus ipse, qui *ibidem n.* 19. subjungit, quod tota difficultas reducitur, an fidendum sit arbitrio Episcopi, qui prætextu inhabilitatis Parochos divexare poterit, & *n.* 20. concludit, se existimare proinde, quod constare debeat Episcopo, examinandos vere esse illiteratos, vel 28

quia tales fuerint antequam ad Curam Animarum admitterentur, vel propter aliam causam, quæ supervenire potuerit: juxta *cap. Accepimus* 15. *de ætate, & qualitat. & ordin. præficiendor.* ibi: *Nisi forte postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos*; Utque id constet, non debet attendi attestatio ejusdem Episcopi, sed requiruntur necessario diligentes investigationes in scriptis reducendæ, juxta Felinum *in cap. Ex litteris* 11. *de Constitutionibus num.* 7. ibi: *Per diligentiorem investigationem*, quæ licet fuerint extrajudiciales, attamen ex iis apparere poterit, an constet de illitteratura, & imperitia. Quod sentire videtur Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ gloss.* 4. *n.* 96. Idque ut possint Superiores dignoscere, an Episcopus jure, meritoque processerit, secundum Rotam *part.* 2. *recent. decis.* 25. Esto itaque quod causa substiterit, ea deberet probari: *ex l. Cum hi* 8. §. *ultim. juncto princip. ff. de Transactionibus*. Vel ex eo maxime, quia revocatio pertinet ad Forum externum, & versatur in adimendo jure quæsito. Hactenus ille.

29 * Parochum Regularem suo muneri deficientem potest punire Episcopus cumulative cum Superiore Regulari: ita tamen, ut si aliter statuat superior Regularis, aliter Episcopus, standum sit Episcopi mandato. Ita statuit Benedictus XIV. in Bulla *Firmandis*, Bull. *tom.* 1. *num.* 109. Si removeri debeat, potest tam Episcopus sine Superiore, quam hic sine illo id præstare. *Ibid.* §. 11.

30 Parochi jurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint, ut ex communiori, & in praxi recepta sententia. *De Synod. diœces. lib.* 5. *cap.* 4. §. 2.

31 Episcopi successores ex rationabili causa, etiam extra visitationem, possunt examinare Parochos ad Ecclesias Parochiales alias approbatos, ut in decreto S. Congr. Concil. *Institut. Eccles.* 9. §. 16. Quin & hoc potest præstare pro libitu, & ex sola quiete animæ suæ, quamvis nihil habeat suspicionis; *ibid.*

32 Si vero Episcopus velit iterum examinare quos ipse approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia. Quamvis hoc non requiratur ab iis, quos laicus Patronus nominavit ad Beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex Sacr. Rota, & ex Card. de Luca. *ibid.*

33 Parochus habendus est, quoad crimen complicitatis, ille, qui peccat cum famula sua, quæ in ejus domo inhabitat, quamvis in alia Parochia habeat paternam domum. Et reipsa quidem præceptum paschale tenetur illa implere in Parœcia, ubi famulatum habet, *Institut. Eccl.* 82. §. 22.

34 Tolerari potest, ut Parochus habeat in domo mulieres sibi conjunctas in primo & secundo gradu consanguinitatis, & etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quæ tamen minores non sint annis quadraginta. Ita decretum est a S. Congregatione Concilii pro Diœcesi Bononiensi. *Institut. Eccles.* 82. per totam, quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo Parocho cohabitantes; quæ vero munus suum præstant propinquis ejusdem Parochi, minoris etiam ætatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonæ famæ suæ habeant.

(*) Dictum fuit supra eam idoneam ad consequendas Parochias esse personam, quæ sit ætatis maturitate prædita, sed quænam sit hæc ætas, neque a longe indicatum. S. Trident. Concil. duo distinguit dignitatum genera, quæ animarum curam habent adnexam. Aliæ in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, in quibus ætatem viginti quinque annorum requirit *sess.* 24. *cap.* 12. *de refor. in princ.* ibi: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque quibus animarum cura subest promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit*. Ad ceteras vero minores dignitates in Capitulo, quæ nullam habent curam animarum adnexam, minor sufficit ætas viginti duo annorum *Concil. Trident. loc. cit. Ad ceteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei &c. et* 22. *annis non minores adsciscantur*; & hoc licet sermo sit de Canonicatu, cui unita sit Parochialis Barbos. *in dict. Concil. loc. cit. in verb. &* 22. *annis*. Cum vero hæc ætas sufficiens non sit ad omnia parochialia munera implenda hinc merito per Canonicas sanctiones statutum est, ut ad Parochiam promotus, vel ad aliam dignitatem in Collegiata, vel Capitulo, debeat infra annum ad Sacerdotium quoque promoveri. Sic expresse de Parochis in *capite licet*, & *in capite Cum ex eo de elect. in sext.* Rebuf. *tit. de non promotis infra annum in princ.* Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 2. De obtinentibus vero in Cathedrali, vel Collegiata Seculari, vel Regulari quascumque dignitates, vel Beneficia adnexum habentia Sacerdotium, vel alium ordinem tradit *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 4. *de Refor.* Clement. *ut ii* 2. *de ætat. & qualitat.* Navarr. *de ætat. & qualit. lib.* 1. *Consil.* 45. De' Abbatibus, & Prælatis Regularibus, ex non Sacerdotibus forte promotis *in cap. Cum in cunctis*, *& cap. Licet de electione in* 6. Layman. *in cap. Commissa de electione num.* 3. Navarr. *Comment.* 3. *de Regularibus n.* 23. 35

Quod si ad Parochias promoti negligant intra præfinitum tempus Sacerdotium suscipere, ipso jure nulla etiam præmissa interpellatione Parochia privati declarantur, *a cit. c. Licet de electione.* Intra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa nulla etiam præmissa monitione sit præsentis constitutionis auctoritate privatus. Hic vero annus ex illo incipit tempore, quo regimen Ecclesiæ commissum fuit Rectori ipsiusque pacificam nactus fuit possessionem, vel per eum stetit, quominus eam nancisceretur, dummodo non fuerit interea justo impedimento detentus. Cum enim pœnalis hæc constitutio sit, suum consequi effectum non debet, nisi termino præfinito penitus elapso Layman *in cap. Commissa num.* 2. *& in Theologia Morali lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 12. Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 10. Quod si quis malitiose Ecclesiam Parochialem recipiat animo tantum recipiendi unius anni fructus, & inde renuat 36

nuat Sacerdos ordinari, tunc non modo Ecclesia privatur, sed condemnatur insuper ad integros restituendos fructus, quos fraudolenter percepit, & non restituendo peccat mortaliter. Castropal. *part.* 2. *tract.* 13. *dist.* 14. *part.* 7. *num.* 6. quod extenditur etiam ad eos qui cum dubio vel conditionate cogitant suscipere infra annum sacerdotium. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *quæst.* 3. Pass. *cap.* 25. *num.* 397. *&* 400. Ad hoc etiam tenetur pro indemnitate Ecclesiæ, qui eam contulit personæ, quam non credebat ad hujusmodi ordinem promovendam *cap. Commissa de Electione in* 6. Ab hac tamen lege exemptas declarat *text. in cap. Statutum* 22. *de Electione in* 6. *Collegiatas Ecclesias etiamsi alias Parochiales extiterint, & assumptos ad earum regimen*. Item Parochiales Ecclesiæ dum in Cathedrales eriguntur, Decanatus, Præpositura, Archidiaconatus, Ecclesiæ curatæ, Parochia unita principaliter beneficio simplici, Parochus non habens curam fori pœnitentialis, sed solum contentiosi, Parochus demum solum habitu, hoc est actu non habens Parochianos Sanch. *lib.* 2. *opus. cap.* 2. *dub.* 22. *n.* 7. *&* 8. Rebuf. *loc. cit. num.* 24. 29. *&* 31. Leuren. *for. beneficial. par.* 1. *quæst.* 320. *n.* 1. *&* 4. *cum seqq.* vide etiam apud eumdem *loc. cit. num.* 2. *&* 3. ubi mirifice quæstionem expendit super restitutione fructuum, & casus distinguit, in quibus negligens, vel renuens suscipere Sacerdotium mortaliter peccet, vel non, retinendo fructus indebite perceptos.

Additiones ex aliena manu.

37 De qualitatibus, quas Sacri Canones in Parochis requirunt, plene tractant Canonistæ *ad Tit. de vit. & honest. Clericor.* sed cum primis adeundus est Daniel Hannibal Fabrottus *de vit. & honest. Clericor.* Confer etiam Barbos. *de offic. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 2. ubi plena manu totam hanc materiam sistit, quæ omnia sub examen revocare non lubet.

ARTICULUS II.

Parochus quoad ea, quæ concernunt ejus residentiam, præcedentiam, & prædicationem.

1 PArochus tenetur de jure Divino residere in sua Parochia. Colligitur aperte ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. ubi sic expresse habet: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum Curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut Divinorum præceptorum memores, factique forma Gregis in judicio, & veritate pascant, & regant.* Per quæ verba licet Concilium loquatur de Episcopis, tamen *ibidem* subjungit, & vult eadem omnino esse intelligenda etiam de Parochis, ibi: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Curam Animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit &c.*

Ex quibus verbis sic argumentari licet: Episcopi, & ceteri Curati tenentur jure Divino *Oves suas agnoscere*, aliaque a Concilio specificata munera obire; sed hæc præstare nequeunt illi, *qui Gregi suo non assistunt*, idest personaliter non resident, ut dicit ipsummet Concilium *loc. cit.* ibi: *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui Gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, & sess.* 6. *de reform. cap.* 1. ibi: *Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si Greges sibi commissos mercenariorum more deserant*, ergo &c. Et hanc sententiam tenent Garcias *par.* 3. *de Beneficiis cap.* 2. *num.* 16. Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 4. *n.* 11. Vallensis *ibidem num.* 1. Zoesius *ibid. num.* 2. Reiffenst. *ibid. num.* 58. Bernardus Sannig *de residentia Parochor. cap.* 1. *n.* 4. Navarrus *cap.* 29. *Manual. n.* 121. *vers. Ex quo obiter*: Lessius *lib.* 2. *de justit. & jur. c.* 24. *dubitat.* 29. *n.* 153. Barbosa *de Off. & potest. Episcop. par.* 3. *allegat.* 53. *num.* 2. *& de Offic. & potest. Parochi par.* 1. *c.* 8. *n.* 1. *& super Concil. Trident. sess.* 2. *de reform. cap.* 1. *num.* 3. cum innumeris aliis citatis, Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Ex parte* 8. *de Clericis non residentib. num.* 25. ubi alios plurimos citat, & asserit hanc sententiam teneri ferme ab universa Schola Theologorum. 2

Nec valet objicere, quod Papa sæpesæpius dispensat in residentia Episcoporum, & Parochorum, quod non posset facere, si eorum residentia esset de jure Divino, cum Papa in iis, quæ sunt de jure Divino, dispensare non possit, ex *c. Sunt quidam* 6. *caus.* 25. *q.* 1. cum similibus. Non valet, inquam, quia Papa in similibus casibus non dispensat proprie tollendo vinculum, quo Episcopus, seu Parochus obstrictus est ad residentiam, sed justa, & legitima existente causa declarat vinculum illud cessare ob rationabilem causam, quæ supervenit, & Parochum non teneri in aliquibus casibus residere, & Dei voluntatem esse, ut nunc non cogatur ad residentiam; & quando Pontifex id facit, Deus talem declarationem ita approbat, ut ab obligatione præcepti Divini hominem ipso facto liberet. Unde Papa non dispensat, ut agens principale, sed ut agens instrumentale, seu ministeriale, quatenus ex Officio, & cum auctoritate declarat esse justas causas, ob quas Deus relaxat obligationem; & ita Deus tunc, ut agens principale, tollit illam obligationem; Vide verb. *Dispensatio num.* 20. 3

Tum quia, ut notant Fagnanus *in cit. cap. ex parte n.* 18. *&* 19. Pirhing *loc. cit. num.* 12. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 11. & alii, Conc. Trident. *loc. cit.* noluit definire hunc articulum, tamquam Dogma Fidei, alioquin enim disertis verbis eumdem posuisset inter Canones ad Dogmata Fidei pertinentes, 4

nentes, prout moris est, non autem inter Decreta Reformationis; Unde si quis de facto affirmaret etiam pertinaciter, præceptum residentiæ Episcoporum, & Parochorum esse tantum de jure positivo Ecclesiastico, ipse non condemnaretur ut Hæreticus. Et de facto Ecclesia neminem hactenus condemnavit, ex quo docuerit, vel affirmaverit etiam cum pertinacia, residentiæ præceptum esse tantum de jure positivo Ecclesiastico; & tamen secus esset, si ejusmodi articulus esset ab Ecclesia definitus; *c. Sicut* 1. *dist.* 15. *c. Cum Christus* 7. *de Hæreticis*, & docet S. Th. *in* 2. 2. *q.* 4. *art.* 3. Fagn. *loc. cit. num.* 19.

5 Parochus residere tenetur, quamvis Parochialem tenuem habeat. Barb. *de offic. & potest. Episc. par.* 3. *allegat.* 53. *num.* 70. *& de offic. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. *& super Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 1. *num.* 26. Rebuf. *in tract. nominat. q.* 8. *num.* 27. Valer. Reginald. *in praxi Fori pœnit. lib.* 30. *num.* 294. *vers. Si objices*, & alii passim.

6 Item Parochus residere tenetur, etiamsi in Parochia remanserint tantum tres, vel quatuor Incolæ. Nicolaus Garcias *de Beneficiis par.* 3. *c.* 2. *num.* 179. Armendar. *in addit. ad recopilat. legum Navarræ lib.* 2. *tit.* 23. *lib.* 2. §. 2. *sub tit. Sed an Parochi debeant residere? num.* 142. Barbosa *de offic. & potest. Paroch. loc. cit. num.* 4. *& super Trid. num.* 27. & alii.

7 Parochus, si quas habeat Ecclesias unitas, residere tenetur in digniore; si vero non constet quæ sit dignior, in frequentiori: sed si una fuerit extra, & altera intra Urbem, residere debet in ea, quæ est intra. Sic decisum fuisse referunt Garcias *loc. cit. num.* 179. *in declarat.* 14. Armendar. *loc. cit. num.* 142. Barb. *de offic. & potest. Parochi par.* 1. *c.* 8. *num.* 9.

8 Unde, si populus dividatur, & una pars habitet in Civitate, & altera extra, Parochus residere debet in Civitate. Garcias *loc. cit. n.* 179. *in declaratione* 15. Armendar *loc. cit. num.* 143. Barb.
9 *loc. cit. num.* 10. Immo Parochus tenetur residere prope Ecclesiam in Civitate, licet major pars Parochianorum longe habitent in Oppidis, succurrendo illis, qui longe habitant, secundum loci antiquam consuetudinem, per *c.* 4. *sess.* 21. Sic decisum referunt Garc. *l. c. num.* 179. *in* 20. *declarat.* Armendar. *l. c. n.* 248. Barbosa *in Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 1. *num.* 46.

10 Parochus habens Parochiales duas unitas, perpetuo invicem æque principaliter, & non unam alteri accessorie, ambasque pares, ita ut una non sit dignior, & principalior altera, potest in qua maluerit, residere. Sic decisum referunt Garcias *loc. cit. c.* 2. *n.* 179. *in* 16. *declarat.* Armendar. *loc. cit. num.* 145. Barbosa *in Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 1. *n.* 39.

11 Parochus habens ex legitima dispensatione Parochialem Ecclesiam cum Canonicatu, residere debet in Parochiali, cum prima, & præcipua debeat esse Cura Animarum, juxta Constit. S. Pii V. incip. *Cupientes*, & percipere fructus Præbendæ, & solum ejus distributiones quotidianas perdit. Sic decisum fuisse referunt Armendar. *loc. cit. n.* 135. & Barbosa *in Conc. Trid. loc. cit. n.* 40. subdentes, quod si Canonicatus est in eodem loco, ubi Parochialis est, potest utrique servire, & quotidianas distributiones percipere, citaturque Garc. *loc. cit. n.* 179. *in septima declaratione*.

Unde Parochus residens in Parochiali, quæ non longe abest a Collegiata, in qua Canonicatum obtinet, diebus Ferialibus ad Ecclesiam Collegiatam accedere, & in ea Divinis inservire potest, dummodo omnibus diebus, & horis suis, & congruis Parochiali inserviat, & nihil prorsus relinquat ex debito servitio ipsius Parochialis. Sic decisum referunt Garc. *l. c. n.* 179. *in* 8. *declarat.* Armendar. *l. c. n.* 136. Barb. *in Conc. Trid. loc. cit. n.* 40. 12

Parochus residere debet in loco, ubi sita est Ecclesia Parochialis, etiamsi esset datus Coadjutor ratione infirmitatis, *Sac. Congreg. Conc.* apud Garciam *loc. cit. n.* 178. & Barbosam *in Summa Apostolic. dec. verb. Parochus quoad residentiam n.* 1. 13

Parochus, qui non habet domum propriam in loco ubi residere tenetur, aliquam conducere debet. *Sac. Cong. Conc.* apud Garciam *loc. cit. n.* 179. & Barbosam *loc. cit. n.* 2. 14

Parochus non excusatur, quin intra Parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda domus Parochialis, & sit magna aeris intemperies, & retineat Capellanum in Parochia, & ipse accedat singulis diebus Festis. *S. Cong. Conc. in Sarzanen.* 13. *Nov.* 1627. 15

Parochus cogendus est habitare in Domo Ecclesiæ, vel si Ecclesia eam non habet, in propinquiori intra limites Parochiæ, *S. Cong. Conc. in Fulginaten.* 19. *Novembris* 1718. *&* 13. *Januarii* 1720. in cujus casu nulla habita fuit ratio contrariæ observantiæ per annos 43. nec ætatis Parochi, qui erat annor. 70. Quod si non habitaverit, tenetur ad restitutionem fructus de quibus *in Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Sic *Sac. Congr. Conc.* apud Garciam *loc. cit. num.* 4. Vide Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Extirpandæ*, §. *Qui vero a n.* 13. *ad* 16. 16

Parochus, Parochiali domo relicta, poterit in paterna, vel cognatorum Domo intra fines Parochiæ habitare, si ex ea poterit residentiæ muneri satisfacere. Possevin. *tract. de offic. Curati c.* 1. *n.* 7. Barbosa *de offic. & potest. Parochi par.* 1. *c.* 8. *n.* 37. & alii passim. Immo Beja *par.* 4. *casu* 21. *sub fin.* Maranta *controv. Jur. respons.* 29. *n.* 2. *ad fin.* Ventrigl. *tom.* 1. *annot.* 20. §. 1. *n.* 2. *&* 4. Bonacina *tom.* 1. *de onere Resident. num.* 2. *&* 4. Ricc. *par.* 4. *dec.* 41. *per tot.* Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 156. *in fin.* La Croix *lib.* 3. *par.* 1. *n.* 745. & alii plures id sustinent, etiamsi talis domus sit extra fines Parochiæ, dummodo non distet ultra miliare Italicum. 17

Parochus tenetur residere personaliter, & non alio modo satisfacit muneri suo, etiamsi populo per alium æque bene, & forte melius serviatur. Unde Parochus non satisfacit præcepto residentiæ, suæque conscientiæ, si resideat quidem personaliter in Parochiali, sed totam Curam relinquat Capellano, nulla per se ipsum munia Parochialia obeun- 18

obeundo. Barb. super Trid. *loc. cit. num.* 47. *& de offic. & potest. Parochi par.* 1. *c.* 8. *num.* 41. cum aliis ibi citatis. Possevin. *de offic. Curati c.*1. *n.*10. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. §. 3. *n.* 85. Engel
19 *ibidem num.* 15. & alii; Parochi enim cogendi sunt ad subeunda per se ipsos, & non substitutos ea munia, ad quæ tenentur. Tolerandi autem, ut per Substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis Canonum, & Decretorum Concilii, permissum est eis, ut per Vicarios Coadjutores possint Officio suo fungi. Sic censuit *Sac. Cong. Conc. in una Nullius* 3. *Iul.* 1591. apud Garciam *loc. cit. num.* 53. Reif. *loc. cit. n.* 85. Barb. *in Conc. Trident. loc. cit. num.* 48. Residere enim, est Ecclesiæ deservire per se ipsum; *c. Quia nonnulli* 3. *& c. Relatum* 4. *de Clericis non residentibus*. Unde *in c. Extirpandæ* 30. *de Præbend.* §. *Qui vero*, expresse sic statuitur: *Qui vero Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium* (Capellanum, sive Cooperatorem) *sed per se ipsum illi deserviat, in Ordine, quem ipsius Ecclesiæ Cura requirit*. Vide Monacell. *par.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *n.* 2.

20 Potest tamen Parochus pro meliori Cura animarum, atque Officiorum Parochialium executione, & aliquali sua quiete unum, vel plures Cooperatores habere, & ipsi, seu ipsis relinquere munera magis ardua, ut ire de nocte ad infirmos, peragere Divina Officia in Ecclesiis filialibus distantibus, Confessiones multas audire, & hujusmodi: dummodo simul ipsemet Parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam munia Pastoralia, præsertim principaliora, personaliter præstare non intermittat, & quando nominatim vocatur a Parochianis, ad ipsos, præsertim infirmos, ire non recuset. Barbosa *de offic. & potest. Parochi loc. cit. n.* 41. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 86. & alii passim, docetque hoc recepta consuetudo, *quæ est optima legum interpres*, *c. Cum dilectus* 8. *de consuetudine*.

21 Parochi non possunt abesse a suis Parochiis, neque per duos menses ipsis a Concilio concessos absque licentia Episcopi. Garcias *loc. cit. num.* 23. Armendar. *loc. cit. num.* 155. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 67. Barb. *In Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad residentiam n.* 6. Fagnan. *lib.* 3. *decretal. in c. Relatum* 4. *de Clericis non resident. num.* 32. qui omnes referunt Sacram Congregationem Concilii censuisse, quod Parochi non possunt sic abesse per duos menses, immo nec per hebdomadam absque licentia Episcopi, quæ, causa cognita, & in scriptis concedenda est. Et sic tenet etiam Piasecius *par.* 2. *prax. Episcop. c.* 3. *art.* 3. *num.* 55. Lessius *lib.* 2. *de justitia, & jure cap.* 34. *dubitat.* 29. *num.* 259. Ugolin. *de offic. Episcopor. cap.* 14. §. 5. *num.* 2. Possevin. *loc. cit. cap.* 1. *num.* 11. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 53. *num.* 96. *& de offic. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 55. *& super Conc. Trid. sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. *num.* 67. cum aliis ibi citatis contra Navarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 121. & alios apud Barbosam *locis citatis*, existimantes in duobus mensibus a Concilio concessis posse Parochum ex justa causa abesse continue, vel divisim sine licentia Episcopi.

At veritas nostræ conclusionis clare patet ex 22
verbis Concil. *in cit. sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. ubi dicit, quod quandocumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam, & probatam per Episcopum, ibi; *Quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit .... discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant*: quæ verba satis clare indicant etiam pro primo bimestri a Concilio concesso non posse abesse sine licentia Episcopi. Et idipsum declarasse Sacram Congregat. Conc. *ad cit. c.* 1. *sess.* 23. *de reform.* refert Garc. *loc. cit. num.* 23. Aliamque talem declarationem refert idem Garc. *par.* 9. *de Beneficiis c.* 2. *num.* 295. asserens, quod cum Episcopus Abulensis de anno 1693. dictam Sac. Congreg. in alia consuluisset: *Secundo, an Parochi possint abesse duos menses absque Ordinarii licentia ex causa quæ sibi videtur justa? ut tradit Navarrus in Manual.cap.*25. *num.* 121. Respondit: *Ad secundum de licentia Parochorum censuit Congregatio eos minime abesse absque amplitudinis tuæ* (sive Episcopi) *licentia*. Sic ex ipso refert etiam Reiffenstuel *loc. citat. num.* 68.

Immo ad hoc, ut Parochi possint etiam per bi- 23
mestre a Concilio concessum abesse, non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta, & in scriptis data. Ita Abbas *in c. Relatum* 4. *de Clericis non resident. num.* 5. Fagnan. *ibidem num.*12. Reiffenst. *loc. cit. num.* 74. & alii id desumentes ex verbis Concilii *loc. cit.* ibi: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam &c.* ex quibus patet, quod non sufficit licentiam illam dumtaxat peti, sed oportet, eam etiam concedi, & quidem in scriptis. Si autem Parocho postu- 24
lanti Prælatus, seu Episcopus renueret licentiam concedere, posset haberi recursus ad Superiorem illius Prælati, seu Episcopi, & subsistente rationabili causa, posset idem Superior compellere Prælatum inferiorem ad eam licentiam concedendam, prout censuit *Sacr. Cong. Conc.* ut referunt, ac tenent Fagnan. *loc. cit. num.* 13. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 74. Garcias *par.* 3. *de Beneficiis cap.* 2. *n.* 37. *& seq.* & alii.

Occurrente tamen causa aliqua gravi, & neces- 25
saria subito abscedendi, quæ tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem, seu sit periculum in mora petendi, & expectandi licentiam, tunc Parochus, relicto idoneo Vicario, discedere poterit absque præhabita licentia Ordinarii, quia necessitas non habet legem; *c. Quoniam* 1. *q.* 7. *c. Sicut* 11. *dist.* 1. *de consecrat. cap. Consilium* 2. *de observat. Jejunior. c. Omnes* 1. *de Feriis*, *c. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar. c. Quod non est licitum* 4. *de Regul. Jur.* Ita tamen, ut hujusmodi Parochus quamprimum poterit, teneatur certiorare Ordinarium de tali suo discessu, atque necessitate urgente, ut is de causa cognoscat, & licentiam concedat, nisi sit brevi reversurus. Abbas *loco citato n.* 6. Fagnan. *loco citato num.* 14. 33. *&* 45. Garcias *loc. cit. n.* 34. & alii passim. Et sic declarasse Sac. Congregat. Conc. referunt Garcias *loc. cit. n.* 34. Barbosa *in Summa Apostolicar.*

licar. decis. verb. Parochus quoad residentiam n. 9.

26 Parochus non potest abesse a sua Parochia, etiam relicto in ea idoneo Vicario approbato cum congrua mercede, ut doceat in Civitate Grammaticam, etiamsi non inveniretur alius idoneus ad legendum, & ipse singulis diebus Festis ad suam Ecclesiam accedere vellet. *Sac. Congreg. Conc.* testibus Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss. 6. n.* 255. Barbosa *loc. cit. n.* 12. *& de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 76. Armendar.

27 *loc. cit. num.* 134. Parochus autem habens in Civitate suam Ecclesiam potest inibi in publica Universitate Sacram Scripturam legere, ita tamen, ut Cura Animarum per ipsum exercenda nihil detrimenti patiatur. *Sac. Cong. Conc.* apud Sellium *in Selectis Canonic. c.* 18. *n.* 25. & Barbosam *loc. cit. in Summa n.*17.

28 Parochus ex alio loco oriundus non potest propter intemperiem aeris extra Parochiam habitare, quamvis in ea relinquat Vicarium approbatum. *Sac. Congr. Conc.* testibus Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Residentia* §. 7. Barbosa *loc. cit. num.* 13. Armendar. *loc. cit. num.* 132. Nisi accedat Ordinarii consensus ex justa causa, *ibid. num.* 180.

29 Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis Parochialibus; possunt tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, & si non resederint, contra eos procedendum est, servata forma *c.* 1. *in fine sess.* 23. *de reform. Sac. Congregat. Concil. in Mediolanen.* 10. *Octobr.* 1576. apud Barbosam *loc. cit. in Summa num.* 16. Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 13. *c.* 19. §.2. *nov. edit.*

30 Parochus non potest per hebdomadam abesse a sua Ecclesia, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato. *Sacra Congreg. Conc.* apud Garciam *loc. cit. num.* 23. *in tertia declarat.* Armendar. *loc. cit. num.* 157. Barbosa *loc. cit. in Summa num.* 11. *& de offic. & potest. Parochi loc. citat.*

31 *num.* 56. Immo nec potest abesse ultra duos dies, si adsit Constitutio Episcopi prohibens Parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis Ecclesiis absint; tunc enim Parochi, etiam stante causa rationabili, & constituto idoneo Vicario, non possunt ultra biduum abesse sine licentia Ordinarii; Reiffenst. *loc. cit. n.* 84. & alii passim. Valet enim Constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse ultra duos dies sine licentia, ut declaravit *Sacr. Congr. Conc.* apud Garc. *loc. cit. num.* 23. *in* 1. *declaratione*; Barbosam *loc. cit. in Summa num.* 6. *& de offic. & potest. Parochi loc.*

32 *cit. num.* 57. Armendar. *loc. cit. num.* 155. Quinimmo potest Episcopus prohibere Parochis sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum ab Ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Sic declaravit *Sac. Cong. Conc. ad cit. sess.* 23. *c.* 1. *de rereform.* testibus Garc. *loc. cit. n.* 23. *in* 2. *declaratione*. Barb. *loc. cit. in Summa num.* 7. Armendar. *loc. cit. num.* 156. & sub pœna pecuniaria esse permissum censuit *ead. Sac. Congreg. Conc. in Trevirensi* 11. *Febr.* 1628. apud Barb. *de offic. & potest. Paroch. par.* 1. *c.* 8. *n.* 45. & apud alios mox citatos.

Ubi autem non adsit talis Constitutio Episcopi, 33
potest Parochus ex causa, quæ sibi legitima videatur, per unum, vel alterum diem abesse sine licentia Ordinarii; dummodo interim idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum relinquat. *Communis*. Sic enim docet universalis recepta consuetudo, quæ est optima Legum interpres, *cap. Cum dilectus* 8. *de consuetudine*. Nec immerito, *quoniam qui aliquantisper tantum absunt ex veterum Canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt*, uti loquitur idemmetipsum Concil. Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Unde in simili, *brevi reversa Uxor nec divertisse videtur*, juxta textum expressum *in l. Quidquid in calore, ff. de Regul. Juris*. Immo Barbosa *de offic.* 34
& potest. Parochi loc. cit. num. 52. *& de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 53. *n.*106. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 79. *& seq.* & alii docent posse Parochum sine licentia Episcopi ex causa sibi legitima visa abesse per sex, aut septem dies: dummodo interim idoneum Vicarium in illo Episcopatu admissum pro administratione Sacramentorum relinquat. Ita, sicuti fatetur ibi Barbosa, declarante consuetudine universali.

Parochis possunt Ordinarii aliquibus justis de 35
causis, juxta Conc. Trident. formam, licentiam concedere recedendi a Parochiali ad aliquod tempus, modo ea utantur intra limites præscriptos a Concilio *sess.* 23. *de reform. c.* 1. quia facultas hujusmodi non fuit ipsis Ordinariis ablata per motum proprium S. Pii V. publicatum de mense Junii 1568. super residentia Canonicorum habentium Parochiales. *Sac. Congreg. Concil.* testibus Garcia *loc. cit. n.* 179. Armendar. *loc. cit. n.* 87. Barbosa *loc. cit. in Summa n.* 16. Et pro Ordinariis, qui 36
talem licentiam concedere possunt, veniunt etiam Ordinarii Episcopo inferiores, ut Abbates, & alii similes habentes Jurisdictionem, & proprium Territorium, sicuti & Capitulum, Sede vacante. Sanctarell. *variar. resolut. quæst.* 5. *num.* 64. Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 10. *quæst.* 4. Possevin. *de offic. Curati cap.* 1. *num.* 28. *&* 29. Barbosa *de offic. & potestat. Parochi par.* 1. *cap.*8. *num.* 73. & alii.

Ordinarii possunt concedere Parochis licentiam 37
abessendi ad bimestre tempus ob quamcumque justam causam, veluti recreationis, aut visendi amicos, & hujusmodi. Ultra bimestre autem non possunt illam concedere, nisi ob aliquam gravem causam. Colligitur clare ex Conc. Trident. *c. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. ibi: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant*. Garcias *cit. part.* 3. *de Beneficiis c.* 1. *n.*22. Fagnan. *in cit. cap. Relatum num.* 21. *&* 29. Barbosa *de offic. & potest. Parochi loc. citat. num.*58. 59. *& seq.* Reiffenstuel *loc. citat. num.* 77. & alii passim.

Graves autem causæ, ob quas potest concedi 38
Parochis licentia abessendi ultra bimestre, sunt præ-

præcipue quatuor assignatæ Conc. Trident. *loc. citat.* scilicet *Christiana Caritas*, *Urgens necessitas*, *Debita Obedientia*, ac *evidens Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas*; Barbosa *de officio & potest. Parochi loc. cit. a n.* 45. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *n.* 747. & alii passim.

39 *Christiana Caritas* intelligitur, cum quis abest ob proximorum utilitatem, ut ad juvandam aliquam Ecclesiam in magno periculo Hæresis versantem, ad dirimendas lites, controversias, & odia; Dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra ordinem caritatis. Sanctarell. *variar. resolut. q.* 3. *num.* 1. Molfesius *in summa Theolog. moral. tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 29. Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. Barbosa *de offic. & potestat. Parochi loc. cit. num.* 47. *& de offic. & potestat. Episcopi part.* 2. *allegat.* 53. *num.* 6. *& in Conc. Trid. loc. cit. n.* 7. Reiffenstuel *loc. cit. a num.* 90. La Croix *loc. cit. n.* 747.

40 *Urgens necessitas* intelligitur, cum quis abest ob morbum curandum, vel propter aliquam persecutionem, bellum, hostium incursus, pestem sævientem, aeris intemperiem, vel ob inimicitias, aut ob Principis, & populi furorem declinandum. Dummodo tamen non immineat detrimentum Ovium in spiritualibus; nam si illud immineret, ex nulla causa posset abesse, quia bonus Pastor animam suam pro ovibus ponit, ut habetur *Joan.* 10. Ita citati Doctores, & alii.

41 *Debita obedientia* intelligitur, cum quis abest ex mandato Papæ, vel ut occupetur in servitio Sedis Apostolicæ, & Reipublicæ. Sic citati Doctores, & alii.

42 *Evidens Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas* intelligitur, cum quis abest ad Synodum Generalem, vel Provincialem, aut Diœcesanum rite, & legitime vocatus. Vel cum quis abest pro tuendis juribus suæ Ecclesiæ, aut pro obtinenda a Superiore reformatione in variis emergentibus, vel ut, id exigente Reipublicæ utilitate, fungatur Legatione apud aliquem Sæcularem Principem. Ita citati Doctores, & alii.

43 Parochis non licet causa studiorum a suis Parochialibus Ecclesiis post Concilium abesse, nec Episcopus licentias ad id concedere potest, illæque, si concessæ fuerint, non suffragantur. *Sac. Cong. Conc. sub die* 8. *Maii* 1595. apud Garc. *loc. cit. num.* 1. Barb. *l. c. in Summa n.* 18.

* Licet antea liceret per quinquennium *Cap. ult. de magistris*. Tunc enim propter præsbyterorum deficientiam cum locus non esset electioni doctiorum, ita expediebat magis, ut animarum cura intermitteretur, quam quod eadem esset indoctis presbyteris commissa.

44 Nec Episcopus potest uti opera Parochi in Visitatione, vel alio servitio suæ Ecclesiæ, nisi pro tempore duorum mensium a Concilio Tridentino *cit. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* permissorum. Sic declaravit *Sacra Congreg. Conc.* testibus Gonz. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *num.* 258. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 4. *num.* 3. & Garcia *loc. citat. numer.* 42. Barbosa *loc. citat. in Summa numer.* 21. *& de offic. & potest. Episcopi alleg.* 53. *n.* 86.

Item non potest Parochus per Episcopum occupari in sui, vel Ecclesiæ Cathedralis servitio, ut nempe sit Vicarius, Visitator, Secretarius, Fiscalis &c. Sic decrevisse Sac. Congreg. Concil. referunt Gonzal. *loc. citat. num.* 258. Barbosa *loc. cit. in Summa num.* 22. *& cit. alleg.* 53. *num.* 86. *&* 87. Garcias *loc. cit. num.* 42. Pignatell. *loc. cit.* Vide *n. seq.* 45

Parochus habens curam Animarum non potest esse Vicarius Episcopi, vel Capituli, Sede vacante. *Sacr. Congreg. Conc. sub die* 12. *Maii* 1629. apud Barbosam *in summa Apostolicar. decision. loc. cit. num.* 23. & Sellium *in Select. Canonic. c.* 18. *num.* 26. Nam generaliter esse Parochum, & Vicarium sunt Officia male compatibilia in eadem persona, *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Messana* 19. *Jan.* 1603. Ex eo, quod, ut quis bene exerceat alterum ex dictis Officiis, alteri necessario deesse cogitur. *Ead. Sacra Congr. Episcopor. in Sutrina* 16. *Nov.* 1640. apud Nicol. *in Floscul. verb. Vicarius Generalis num.* 37. Hæc tamen Decreta esse intelligenda de Parocho Rurali, & extra Civitatem, & non de Parocho intra Civitatem respondisse *Sacr. Congreg. Episcopor. in Orien.* 19. *Julii* 1619. testatur, & tenet Monacell. *tom.* 1. *tit.* 10. *formul.* 18. *num.* 5. Et Nicolius *loc. cit.* ex Decretis Sacræ Congregationis Episcopor. dicit, quod non potest Parochus esse Vicarius Generalis, maxime si habet curam Animarum extra Civitatem, & multo magis si extra Diœcesim. 46

(*) Hactenus dictis consonat opinio *Navar. cons.* 15. *de Cleric. non resid.* ubi docet Parochum etiam post Tridentin. posse cum licentia sui Ordinarii munus Vicarii generalis non modo proprii, sed etiam alterius Episcopi obire, quod idem admittit *Pirinch. comment. ad tit. de Cleric. non resid. n.* 41. dummodo alii ad hoc munus non reperiantur idonei, secus contrariam tuetur sententiam *supra n.* 16. quod nempe Parochus nullimode possit eligi in Vicarium generalem. Hæc sane verior videtur opinio juxta declarationes *Sacri Concil. Triden. ad cap.* 1. *sess.* 23. *a congregatione ipsius Concil.* habitas quas ad verbum recitat *Garcia de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 42., quarum prima sic habet. *Episcopus non potest uti opera Parochi in visitatione vel alio servitio suæ Diœcesis*, *nisi pro tempore duorum mensium a Concil. permisso*. Altera vero prout infra: *Congregatio Concilii respondit*, *non licere Episcopo suorum*, *vel etiam Cathedralis Ecclesiæ negotiorum causa permittere*, *ut Curati extra ipsorum curam maneant etiam constituto Vicario idoneo*. Hanc eamdem sententiam sequitur *Concil. Bononien. Tit.* 6. *de resid.* §. *de Causis excusantibus a residentia Curatos vers. penult. & Conc. Provinc. Mediolanens.* 5. *part.* 3. *tit. de Resid. neve ad Seminarii quidem curam*, *vel ad Vicarii munus*, *vel ad Sanctæ etiam Inquisitionis Officium*, *nec vero ad aliud quidquam opera Sacerdotis curam animarum gerentis Episcopus ita utatur*, *ut ab Ecclesia*, *Beneficiove in ejus curam tradito diutius absit*, *ac muneri debitæ residentiæ personalis desit*. Textus vero, & auctoritates, quæ in contrarium possunt adduci, non de Parochis, sed de Canonicis loquuntur tantum, qui eligi possunt in Vicarium Capitularem *Barbos. Jur.* Ec-

Eccles. lib. 1. cap. 32. num. 38. Ventrigl. tom. 2. ann. 15. n. 15. Pignatel. tom. 7. consult. 4. n. 6. & Sacr. Congreg. præposita negotiis Epis. & Regul. in una Oriens. 19. Maii 1619. apud Barbos. ideo extendendæ non sunt ad alios maxime Curatos cum agatur de re damnosa Ecclesiis, & curæ animarum eo vel magis quia ipse *Pignat. loc. cit. n. 6. in fin.* omnino tenet Parochi, & Vicarii officia esse male compatibilia in eadem persona ex mente dictæ *Sacr. Congreg.* in supra allegata ab auctore *Messana 19. Januarii 1603.* Cæterum super hac re vide *Levren. for. beneficial. quæst. 54. & 558.* ubi refert interdum a Sacr. Congreg. concedi, ut Parochus Vicarii Generalis munus exercere valeat, sed id tantum intelligi debere, quando Parochia destituta Parochianis est, adeo ut animarum cura nullo affici possit detrimento. (*)

47 Parochus non excusatur a residentia propter Officium Inquisitoris. *Sac. Congr. Conc.* apud Gonzal. *ad Reg. 8. Cancellar. Gloss. 6. n. 275.* Barbosa *loc. cit. in Summa n. 24.*

48 Parochus justa de causa absens, sive cum Superioris licentia, sive absque ea per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum Vicarium in suo Episcopatu admissum pro administratione Sacramentorum, qui interim pro se populo inserviat. Sic expresse statuit Conc. Trid. *cit. sess. 23. de reformat. cap. 1.* §. *Eadem omnino*, ibi: *Quandocumque eos... abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum debita mercedis assignatione relinquant.*

49 Parochus habens justam causam abessendi extra Parochiam per duos, aut tres menses, non satisfacit suæ conscientiæ, si petat licentiam jurans se habere gravem causam, quam non expedit manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet Episcopus non concedat. Similiter abesse non potest in casu, quo causam rationabilem expresserit, sed rigidus Prælatus minus æquam judicat, & licentiam denegat, vel quia movetur suspicione quod ficta sit, cum tamen sit vera, sed tunc potest habere recursum ad superiorem. *Sacr. Cong. Conc.* apud Garc. *loc. cit. n. 57.* Armendar. *loc. cit. n. 155.* Barbosa *loc. cit. in Summa n. 14.*

50 Parochus obtinens licentiam abessendi, fingendo causam justam, quam revera non habet, peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus in tali absentia perceptos; nam Conc. *loc. cit.* requirit duo ad justitiam absentiæ, scilicet causam justam, & ejus approbationem, ut acquirantur fructus in absentia; Unde cum sit falsa prima, erit etiam inutilis secunda, maxime, cum tota ratio acquirendorum fructuum dependeat a justa causa. Sanctarell. *var. resol. quæst. 4. n. 15.* Possevin. *de Offic. Curati c. 1. n. 24.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 10. q. 5.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 53. n. 9. & de offic. & potest. Parochi par. 1. c. 8. n. 60.* & alii passim.

51 Parochus absque legitima causa, & licentia non residens in sua Parochia, præter culpam mortalem, quam incurrit (nisi modicitas temporis absentiæ eum excuset, uti limitat Fagnan. *in cit. cap. Relatum 4. de Clericis non residentibus num. 41.*) pro rata absentiæ fructus non facit suos, & eos restituere tenetur; Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *cit. sess. 23. de reform. cap. 1.* §. *Si quis autem*, ibi: *Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus Decr. dispositionem abfuerit; statuit Sacrosancta Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellantur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque loco, aut Fabricæ concessis.*

Quæ dispositio licet loquatur de Episcopis, eadem tamen statim extenditur etiam ad Parochos, ut expresse subjungit Concilium, ibi: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam Animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit.*

Restitutio hujusmodi fructuum pro rata non factæ residentiæ amissorum, facienda est Fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus; nec obtineri potest compositio, prout habetur expresse ex allatis verbis Concilii, ibi: *Illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compositione.* Et sic decisum fuisse *a Sacra Congregatione Concilii* referunt Garcias *loc. cit. num. 27.* Armendar. *loc. cit. numer. 158.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 52. n. 101.* 52

Parochus restituere tenetur statim in conscientia hujusmodi fructus amissos ob non factam residentiam, etiam ante ullam Judicis sententiam; sic habetur expresse ex allatis verbis Concilii, ibi: *Etiam declaratione non secuta*: nec ad id requiri citationem, vel monitionem. Sic decisum fuisse a *Sacra Congreg. Concilii* referunt Garcias *loc. cit. n. 27.* Armendar. *loc. cit. num. 259.* Barbosa *loc. cit. n. 102.* 53

Parochus Juris remediis etiam usque ad privationem compelli potest ad residentiam. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *loc. cit.* ibi: *Quod si per Edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per Censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere. Nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exceptione, etiam ratione cujuscumque Beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est sine appellatione aut inhibitione etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse.* 54

Ex quo satis clare patet, quod Parochus non residens, etiam monitus, non est hodie ipso jure 55

re privatus Parochiali. Quamvis enim olim Parochus non residens esset ipso jure privatus Beneficio Parochiali, ut patet ex *cap. Conquerente 6. cap. Ex p. 8. de Clericis non residentibus* cum aliis similibus, & signanter *cap. Extirpandæ 30. §. Qui vero, de Præbendis*, ibi: *Alioquin* non residens *illa* (scilicet Ecclesia Parochiali) *se sciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda*. Hodie tamen Parochus non residens, etiam monitus, non est ipso jure privatus sua Parochiali, alias enim statim procedendum esset ad declarandum illum privatum, & non esset in arbitrio Episcopi, quo remedio ex relatis *in d. c. 1. Tridentini* uti vellet, quod non est dicendum, quia Sacra Congreg. Concilii apud Fagn. *lib. 3. Decretal. in cap. Ex tuæ 11. de Clericis non residentib. num. 18.* generaliter consulta; *An sit arbitrium Episcopi, qua via, & quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione, & subtractione fructuum vel privatione?* Respondit *ita esse*. Et ita tenent Barbosa *de Offic. & potest. Parochi part. 1. c. 8. n. 72. & in Concilio Trid. cit. sess. 23. de reform. cap. 1. n. 7.* Garcias *de Beneficiis par. 2. cap. 2. num. 139.* referentes etiam ipsi sic declarasse *Sacram Congregationem Concilii*, & sic alii passim.

56 Ex quibus manifeste patet, quod ad privationem Parochi ob non residentiam, non est necessarium, quod prius procedatur per alias pœnas, nempe per Censuras Ecclesiasticas, ac sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia; Nam licet id de jure communi requiri videretur, *cap. Ex tuæ devotionis 11. de Clericis non residentibus* cum similibus; tamen Tridentinum *cit. sess. 23. de reform. cap. 1.* id relinquit arbitrio Ordinarii, ibi: *Liberum esse vult Ordinariis*, ut expresse etiam respondit *Sacr. Congr. Concilii*, adducta *numero antecedenti*. Et hoc modo Domini de Rota apud Manticam *dec. 66. nu. 9.* dixerunt intelligendum etiam esse idem Concilium *sess. 24. de reformat. cap. 12. vers. Præterea*. Quemadmodum per Sacram Congregationem Concilii fuit declaratum, ut non afficiat Episcopos, qui possunt procedere ad privationem ob non residentiam, tametsi illa temporum intervalla non fuerint observata. Sic refert, & tenet Barbosa *de Offic. & potest. Parochi p. 1. cap. 8. nu. 74.* & ita docent Fagn. *in cit. cap. Ex tuæ Devotionis n. 18.* Garcias *loc. cit. n. 139.* Flamin. Parisius *l. 1. de resignat benefic. cap. 10. n. 61.* Castropalao *tract. 3. de Benefic. disp. 5. punct. 3. n. 10.* Reiffenstuel *lib. 3. Decretal. tit. 4. n. 64.* Barbosa *in Concil. Trident. cit. sess. 23. cap. 1. num. 74.* & alii contra alios volentes procedendum esse contra Parochos non residentes, primo per Censuras, secundo per sequestrationem, & subtractionem fructuum, & postea, si hæc remedia non prosint, possit contra eos procedi per privationem, prout, dicunt ipsi, videtur declarasse *Sacram Congregationem Concilii die 6. Decembris 1565.* dum asseruit, quod contra Parochos tempore pestis non residentes, præmisso Edicto, seu monitione, sit procedendum, prout Concilium mandat *sess. 23. cap. 1. de reform.* Sic refert Fagn. *lib. 3. decret. in cap. Clericos 17. de Clericis non residentibus nu. 41. & seq.* Qui tamen est contrariæ opinionis, ut clare docet *in cit. cap. Ex tuæ devotionis 11. de Clericis non residentibus num. 18.* ubi dicit non obstare illam declarationem *Sacræ Congregationis Concilii de die 6. Decembris 1565.* quia ipsa loquitur de casu speciali, seu de Parochis non residentibus tempore pestis, de quibus cum olim fuisset controversum inter Theologos, & Canonistas: An eo tempore Parochi personaliter residere tenerentur: noluit Sacra Congregatio statim contra absentes procedi posse per privationem Beneficii, nisi prius aliæ pœnæ per ordinem præmitterentur. Verum extra illud tempus generaliter consulta eadem Sacra Congregatio: *An sit arbitrium Episcopi, qua via, & quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe, vel censuris, vel sequestratione, & subtractione fructuum, vel privatione?* Respondit: *Ita esse*. Hactenus Fagnanus *ibi*.

Præcedentia inter ipsosmet Parochos, Curatos Ecclesiarum Parochialium, sive sint Sæculares, sive Regulares, datur secundum prærogativam suarum Ecclesiarum, & non secundum prærogativam Regulæ. *Sacra Congreg. Rit. in Asten. 21. Mart. 1609.* apud Barbosam *in Summa Apostolicar. dec. verb. Parochus quo ad præcedentiam n. 5.* 57

Parochus indutus superpelliceo in Processionibus præcedit omnibus Rectoribus, & Præsbyteris. *Sacr. Cong. Rit. in Firmana Terræ Sanctæ Victoriæ 31. Mart. 1618.* apud Sellium *in Selectis Canonicis cap. 59. n. 50.* & Barbosa *loc. cit. n. 2.* 58

Parochus in funeralibus non debet præcedere Canonicis Cathedralis, sed bene omnibus aliis Præsbyteris, qui non sunt de Cathedrali. *Sac. Cong. Rit. in Viterb. 25. Junii 1611.* apud Sellium *loc. cit.* & Barbosam *loc. cit. n. 4.* 59

Parochus, seu Curatus, aut Sacrista Cathedralis, etiam quod sint amovibiles, quando intervenit Capitulum dictæ Cathedralis, debent præcedere proprio Parocho defuncti. *Sacra Cong. Rituum in Pisaurien. 22. Martii 1631.* apud Barbosam *loc. cit. n. 7.* 60

Parochus amovibilis Cathedralis in Processionibus debet incedere cum Capitulo dictæ Cathedralis super Priores, Plebanos, & Curatos perpetuos Beneficiatos. *Sacr. Congr. Rit. in Callien. 9. Aprilis* apud Barbos. *loc. cit. num. 6.* 61

Præcedentia in funeralibus debetur in Archipresbytero Parocho ratione Stolæ, & non Archidiacono primæ Dignitati. *Sac. Congr. Rit. in Nullius, seu Trojana 12. Martii 1612. & 4. Maij 1613.* apud Jul. Lavorium *variarum Lucubration. tom. 1. tit. 2. cap. 3. numer. 211.* & Barbosam *loc. cit. verb. Archidiaconus numer. 13. & verb. Archipresbyter n. 16.* 62

Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum supra Parochum semper, & ubique competit præcedentia, etiam in associandis funeribus Defunctorum propriæ ipsius Parochiæ. Jus tamen faciendi Officium circa corpus Defuncti ad Parochum in sua Parochiali Ecclesia spectat. Sic pluries decrevit *Sacra Congr. Rit.* & signanter *in Sutrina 30. Augusti 1602. & 2. Augusti 1603. & in Meliten. 18. Novemb. 1606. & in alia Ostien. Terræ Cori 9. Maii 1617. & in alia Prænestina Cavarum 14. Augusti 1718. Et Sacr.* 63

Cong.Concil. in Derthoenn. in causa oppidi Novarum 3. *Decembr.* 1718. *ad* 10. *dub.* Et expresse, quod Canonici hujusmodi præcedere debeant omnibus Rectoribus, Curatis, Plebanis, ac Præsbyteris Ecclesiarum Parochialium in publicis Processionibus, & Functionibus etiam Synodalibus censuit *eadem Sac. Congr. in Verul.* 11. *Decembr.* 1613. *& in Senogallien.* 23. *Martii* 1619. 5. *Aprilis* 1620. Etiamsi ante erectionem in Collegiatam mixtim incederent cum dictis Rectoribus, ut declaravit *Eadem Sacr. Congr. in Syracusana* 20. *Decembris* 1601. vel inferiores Ecclesiæ essent antiquiores, & fuissent in quasi possessione præcedendi ante erectionem. *Ead. Sac. Congr. in Ilerden. Præeminentiarum* 26. *Jun.* 1602. ubi dicitur hoc procedere, etiamsi in erectione adsit clausula: *sine præjudicio alicujus*.

64 Nec obstant contrariæ declarationes ejusdem Sacræ Congregationis, quæ ab aliquibus adducuntur & signanter *in una S. Angeli Saxiferrati* 24. *Oct.* 1609. *in Eugubina* 15. *Jul.* 1614. *& in alia Prænestina Cavarum* 13. *Jul.* 1619. ubi dicitur fuisse declaratum, quod Parochus debeat præcedere Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ in associandis funeribus defunctorum propriæ Ecclesiæ. Quibus concordare videtur Rituale Rom. *tit. de exequiis pag.* 150. ubi Parochus in omnibus funeribus præcedit incedendo ante feretrum.

65 Non obstant, inquam, quia omnes ipsas, quas adducit Barb. *de offic. & potest. Parochi par.* 1. *c.* 9. *num.* 8. solvit intra *sub num.* 11. præcisis his verbis: *Ad illam S. Angeli Terræ Saxiferrati*, in qua videtur declaratum illum Presbyterum, seu Curatum, aut Priorem, qui defert stolam, & ad ejus Ecclesiam funus defertur aliis omnibus præcedere debere, & sic etiam Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ; potest responderi, non loqui de præcedentia quando funus defertur ad Ecclesiam ejus, qui Stolam defert, sed quando ab eo fit Officium in sua Ecclesia, in qua præcedentiam habere debet. Ad illam vero Eugubinam respondetur habere locum inter Curatum Cathedralis, & Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum, non autem inter Capitula Collegiatarum. Ad Rituale Romanum respondetur, habere locum inter Presbyteros ejusdem Ordinis, & alios prærogativam non habentes, cujusmodi non sunt Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus terminis loquitur etiam Stephan. Gratian. *Discept. Forens. tom.* 2. *c.* 298. *num.* 83. *& tom.* 3. *c.* 492. Et dico Parochum debere præcedere ratione Officii, quando est inter partes, non autem quando est inter Majores. Item quod, dum incedit per viam, non videtur exercere Officium, sed sociare una cum aliis. Hactenus Barb. *loc. cit. num.* 11. Et sic pluribus adductis tenet Panimoll. *dec.* 1. *adnot.* 9. *a num.* 14. *ad* 20. ubi multa habet ad rem. Immo Canonici Collegiatæ debent præcedere etiam Parocho Ecclesiæ Matricis, ut patet ex sequentibus ejusdem Sac. Rituum Congreg. allatis a Pignatell. *tom.* 6. *cons.* 84. *sub num.* 2. ibi:

I. *An Parochus, & Clerici Parochiali Ecclesiæ Matrici addicti sint præferendi Capitulo, & Canonicis Collegiatæ?*

II. *An Parochus, uti Protonotarius, possit uti Almutia?*

III. *An Parochus Protonotarius Apostolicus possit uti habitu Prælatitio in processionibus, & functionibus Ecclesiasticis?*

IV. *An Capitulum, quamvis non invitatum, interesse possit generalibus processionibus?*

V. *An Parochus Matricis Ecclesiæ possit ad suum libitum inchoare generales processiones, non expectatis Canonicis Collegiatæ; vel potius eligenda sit conveniens hora?*

VI. *An Decreta alias per dict. Sac. Congreg. emanata, quod Capitulum Collegiatæ in omnibus sit præferendum Archipresbytero Matricis Ecclesiæ, quamvis Archipresbyteralis Ecclesia sit unica Parochialis, & Collegiata animarum cura penitus careat; & cum Capitulum invitatum fuerit ad levanda funera, debeant omnes tam sæculares quam Regulares convenire in Ecclesiam Collegiatam, ut sub unica Cruce Capituli incedant; debeant servari etiam in processionibus generalibus, in quibus inceditur etiam sub Cruce Parochiali, & nullum afferri potest præjudicium juribus Parochialibus, & Parocho; Et quis debeat facere functiones benedicendi campis, & malidicendi animalia, & a quo debeat præscribi & intimari hora hujusmodi processionum?*

VII. *An Archipresbyter in propria Parochia assistens tam in Vesperis & Missis decantatis, quam in Concionibus uti possit habitu Protonotarii?*

VIII. *An dum Capitulum fuerit invitatum ad funus, & illud renuat Parochus levare, possit idem Capitulum ab heredibus requisitum illud levare prævia tamen protestatione Parocho facienda?*

IX. *An Capitulum Collegiatæ, dum non habet jus funerandi, & corpus est sepeliendum in ejus Ecclesia ex electione Defuncti, possit erigere Crucem intra limites Parochiæ, cujus jurisdictio, & territorium spectat ad Archipresbyterum?*

X. *An Officium faciendum in Ecclesia Archipresbiterali circa funus ad eandem delatum pro sepultura, spectet ad Archipresbyterum, & Capitulum postquam illud associavit ad portam Ecclesiæ, teneatur recedere?*

XI. *An Officium faciendum in Collegiata circa funus ad eandem delatum pro sepultura spectet ad Parochum, vel potius ad dignitatem Collegiatæ?*

Sacra Rituum Congreg. anno 1666. *mense Augusti respondit*:

Ad I. *Capitulum, & Canonicos Parocho Matricis Ecclesiæ in omnibus esse præferendos.*

Ad II. *Non posse.*

Ad III. *Non posse uti habitu Prælatitio in processionibus Ecclesiasticis.*

Ad IV. *Non solum posse, sed etiam esse laudandum.*

Ad V. *Non posse, sed spectare ad Collegiatam; & indicenda est hora conveniens.*

Ad VI. *Affirmative; Et functiones benedicendi spectare ad Parochum, & hora debet præscribi, & intimari a prima Dignitate Collegiatæ.*

Ad VII. *Posse.*

Ad VIII. *Posse, requisito, & expectato Parocho, & renuente venire.*

Ad IX. *Posse.*

Ad X. *Spectare ad Archipresbyterum; Capitulum vero posse expectare, vel recedere.*

Ad

Ad XI. *Spectare ad dignitatem uti in propria Ecclesia*.

66 Parochus locum habet in funeribus a Canonicis sine propria Cruce, & sine consessu Capituli incedentibus. *Sacra Cong. Rit.* 20. *Novembr.* 1603. apud Gavant. verb. *Præcedentia in addit. num.* 10.

67 Vicarius Foraneus sedeat primus in illis, quas ipse facit, Congregationibus. *Sacra Cong. Rit.* 20. *Decemb.* 1603. apud Gavant. *in Manual. verb. Vicarius Foraneus num.* 6.

68 Vicarius Foraneus nullam habet præcedentiam super alios ipso antiquiores in Clero, ratione hujus Officii. *Sacra Cong. Rit.* 30. *Junii* 1620. apud Gavant. *verb. Vicarius Foraneus n.* 2.

69 Parochus tamquam Caput Ecclesiæ Parochialis thurificandus est ante Dominum loci. *Sacra Rituum Congregat. in Turritana* 14. *Februarii* 1672. apud Barbosam *in Summa Apostolicar. decision. verb. Parochus quoad præcedentiam num.* 8.

70 Parochi tenentur per se ipsos, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascere prædicatione verbi Dei. Sic expresse Concilium Tridentinum *sess.* 5. *de reform. c.* 2. ibi: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias Curam Animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet, etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extra Diœcesim existenti forsan adnexæ, vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint; provida Pastoralis Episcoporum solicitudo non desit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiamsi ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens Officium suum impleat*. Et idem repetit *sess.* 22. *de Sacrific. Missæ cap.* 8. his verbis: *Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & a Sacra Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra probato ritu, ne Oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis; mandat Sancta Synodus Pastoribus, & singulis Curam Animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera Sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & Festis*. Atque idipsum in parte replicavit *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. in hæc verba: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia Pastoralia incumbere &c.* Et licet ibi loquatur de Episcopis, inferius tamen intelligit omnia etiam de Curatis.

Parochi, qui raro, aut numquam Concionem habeant ad populum, peccant mortaliter etiam præcisa gravi populi necessitate; Et si populus graviter indigeat prædicatione, peccant toties contra Divinum præceptum, quoties populus graviter indiget ipsa prædicatione; Cum ex Dei præcepto teneantur oves suas verbi Divini prædicatione pascere, ut expresse habent Tridentinum *sess.* 23. *de reform. c.* 1. per verba numero antecedenti adducta, ibi: *Cum præcepto Divino mandatum sit &c.* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi part.* 1. *c.* 14. *num.* 8. & alii passim. 71

Hinc graviter peccant Parochi, si tribus mensibus totius anni discontinuis per se, vel per alios non concionentur, cum sit materia gravis; Conc. enim Trid. *sess.* 5. *de ref. c.* 2. per verba adducta supra *sub num.* 69. decernit, Parochos, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, cogendos esse per Censuras, & alias pœnas. Unde Concilium supponit saltem trium mensium spatium esse notabile, & gravem culpam, cum Ecclesiasticæ Censuræ imponi non soleant, nisi graviter peccantibus (*). Barbosa *loc. cit. sub num.* 8. & apud apud Bonacina, Trullench, & alii. 72

Nec Parochi Officio suo satisfaciunt quoad Deum prædicationes totius anni aliis committentes; Barbosa *loc. cit. num.* 9. cum pluribus aliis ibi adductis. Vide *supra num.* 18. & 19. 73

Quamvis *in una Bituntina die* 2. *Maii* 1629. *Sacra Congreg. Concilii* de mandato Urbani VIII. statuerit, quod dum prædicat Episcopus, silere debeant alii Concionatores, illisque possit præcipere, ut eo tempore a prædicatione se abstineant: 74

possunt tamen Parochi sermonem habere inter Mis- 75

(*) In Editionibus Romanis hæc *not.* his verbis subjecta legitur: „ Ecclesiasticæ Censuræ non „ semper inducunt peccatum mortale, & viceversa mortale peccatum non semper Censuris, aliisve „ pœnis Ecclesiasticis coercetur. „ Ceterum ex gravitate pœnarum, quæ constitutæ sunt in Parochos, qui trium mensium spatio Dei verbum populo eorum curæ credito non annunciant, illos graviter peccare Lucius noster recte intulit. Nam Ecclesia tam severe in eosdem animadvertendum esse non statuisset, si illa omissio levis esset, ut cuilibet rem ipsam consideranti patet.

Missarum solemnia per se ipsos, etiam quando Episcopus ipse prædicat. Sic censuit *Ead. Sacra Congreg. Concilii in Terulen.* 11. *Junii* 1631. ubi subdit id non intelligi respectu Parochorum in Ecclesia Parochiali. Ita apud Barb. *de Offic. & potest. Parochi p.* 1. *c.* 14. *n.* 3.

76 Parochi, si per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri. *Sac. Congreg. Conc. ad c.* 2. *sess.* 5. *de reformat.* in hæc verba: *Si curatores animarum per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri.* Sic refert Barbosa *loc. cit. num.* 5. Immo tempore quadragesimæ possunt de mane in suis Ecclesiis prædicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice, vel alia concionetur. *S. Cong. Concilii in Florentina Juris prædicandi* 26. *Januar.* 1697. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 18. *num.* 4.

77 Parocho per se ipsum concionanti minime licet prætextu cujuscumque paupertatis prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari Prædicatoribus ab universitate electis. *Sacra Congr. Concilii in Vestana* 10. *Martii* 1621. apud Sellium *in Select. Canon. cap.* 23. *num.* 18. & apud Barbosam *loc. cit. num.* 7. *& in Summa Apostolic. Decision. verb. Parochus quo ad prædicationem n.* 3. *& in Trid. sess.* 5. *de reform. c.* 2. *n.* 15.

78 Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi prædicare vellet aliquis Episcopus. Et ita jam hodie nullus etiam a Parocho invitatus prædicare poterit sine licentia Episcopi, ut declarasse Clementem VIII. referunt Zip. *in analitica postremi Juris Eccles. enarrat. lib.* 3. *tit. de Parochis num.* 3. Berti Lucens. *in praxi crim. Regular. cap.* 34. *de Visitat. Eccles. Parochial. num.* 1. *vers. Regulares,* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 14. *n.* 8. *in Trident. sess.* 24. *n.* 7.

79 Possunt tamen Parochi dare licentiam alicui viro docto, & noto etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in suis Ecclesiis, sine Episcopi (*) approbatione. Navar. *in Manual. cap.* 25. *num.* 141. Ugolin. *de Officio Episcopi cap.* 42. §. 1. *num.* 3. Hieronym. Rodriq. *in Compendio quæstion. Regular. resol.* 112. *num.* 4. Berti Lucens. *loc. cit.* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi loc. cit. n.* 8. *& in Tri-*
80 *dent. loc. cit. n.* 9. & alii. Et a fortiori possunt, immo debent Parochi concedere approbatis ab Ordinario licentiam prædicandi in suis Parochiis. Sic decisum fuisse a *Sacra Congreg. Concilii* referunt Galet. *in Margarita casuum conscientiæ, verb. Parochus* 3. & Barbosa *in Trident. sess.* 24. *de reformat. c.* 4. *n.* 8.

81 Parochi non naturales Indiarum, sive Sæculares, sive Regulares sint, tenentur omnino habere apud se Capellanum natalibus, & origine Indum, pro Confessionibus audiendis, & diebus Festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti, in ea, qua initiati sunt, Orthodoxa Fide langueant, ac paulatim deficiant; iisque pro sustentatione, & labore, ubi populus ipse id sponte non præstiterit, congruum suppeditent stipendium. Clemens IX. Constit. 38. incip. *In excelsa.*

Parochi in Concionibus caveant ab allegatione Doctorum, & Auctorum modernorum, præsertim viventium. *Congreg. S. Officii* 27. *Octobris* 1649. apud Pittonum *Const. & decis. ad Parochos spectantes n.* 539. 82

Parochi utantur specialiter in Concionibus Catechismo Romano, Maximasque utiles, & Auditorum capacitati adæquatas, simpliciter, & clare explicent, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat, & fructuose discedat. Clemens XI. *die* 16. *Martii* 1703. *in littera circulari ad quintum.* 83

Parochi an, & quando teneantur alimenta præstare Prædicatoribus? Vide verb. *Alimenta a n.* 114. *ad* 116. 84

Attendendum est sequens decretum Sacr. Congreg. *super disciplina Regular.* quo Officium Prioratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ord. Serv. B. M. V. declaratur incompatibile cum cura animarum ejusdem Ecclesiæ; hincque statutum, duo prædicta munia, tamquam incompatibilia in omnibus Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti seorsim distinctisque personis fore demandanda. 85

„ Mature discussa in Sacra Congregationæ super disciplina Regular. habita sub die 28. Maii „ currentis Anni 1715, Causa incompatibilitatis „ Prioratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ord. „ Serv. B. M. V. & curæ animarum ejusdem Ecclesiæ, unitim in persona P. Hieronymi Allegri, EE. PP. auditis partibus unanimiter censuerunt, prædicta duo munia esse inter se incompatibilia, & insuper nominationem præfati P. Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam. „ Mandantes insimul, Sanctissimo Domino N. „ approbante, ut enunciata duo Officia seorsim „ provideantur in omnibus & singulis Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, aut Instituti, quibus cura Animarum incumbit, aut „ incumbere contigerit. Et ita perpetuo & inviolabiliter observetur, sub pœnis arbitrio ejusdem „ Sac. Congregationis.

I. R. Card. Imperialis Præfectus.
F. de Vico Secretarius.

* Parochus ad residentiam materialem & formalem obstringitur tempore pestis (ut supra traditum *num.* 29.) etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis Sac. Congreg. a Gregorio 87

(*) Cum in Provincialibus, Diœcesanisque Synodis ex Concilio Tridentino, ac Romanorum Pontificum Constitutionibus cautum sit, ne cui verbum Dei prædicare liceat, cui Episcopus prædicandi potestatem non fecerit, fas Parocho non est, ulli, *sine Episcopi approbatione* in sua Ecclesia concionandi *licentiam dare.* Hinc Giraldi ad Barbosæ loc. cit. de Offic. & Potest. Parochi. „ Attenta „ Declaratione Clement. VIII. sive Prædicator vir Parocho notus, sive semel vel bis prædicare velit, „ numquam ei licebit sine licentia Episcopi. „

rio XIII. approbatis. Idque verum est, licet Sacerdotem idoneum provideat, ut se absente ejus vicibus fungatur. *De Synodo Diœces. lib.13. cap.19. §. 2. nov. edit.*

87 Fas est equidem Parocho propter inimicitias & persecutiones a residentia recedere ex *cap. Ad supplication. de Rescript.* quia tunc periculum inimicitiarum soli Parocho imminet: quare potest alium Sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat. (*) At in peste omnibus æque periculum imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur a Parocho, quam ab alio Sacerdote. *Ibid.* Quæ de Parocho dicta hic sunt, valent etiam pro Episcopo.

Additiones ex aliena manu.

Complectitur hic articulus residentiam, & præcedentiam Parochi, tum prædicationem ejusdem.

88 Quod concernit residentiam, Parochum debere habitare in Ædibus Parochialibus, præter allegatos *ab Auctore num.16.* firmavit *Rot. in Tarraconen. Juris residendi 16. Martii 1734. §. 3. coram bon. mem. Harrach*, nec recipi potest opinio Doctorum *ab Auctore num. 17.* allegatorum tenentium posse Parochum, Domo Parochiali deserta, in Domo propria, vel Paterna, vel Conjunctorum habitare, si ex ea possit suo muneri satisfacere, ut rescripsit Sacra Congregatio Concilii interpres in *Pontis Curvi Residentiæ 20. Decembris 1755.* Dubium enim ita erat conceptum: *An Abbati Curato Lucernari liceat habitare in domo paterna sita in Regione Civita?* Et licet probatum fuerit, potuisse ex ea Parochum onus suum implere, fuit *tamen negative* rescriptum.

89 Quid si in districtu Parochiæ sit Ecclesia aliqua filialis, in qua Sacramenta administrentur, in eaque velit Parochus habitare deserta domo Parochiali? Nec posse sensit *Rota in dicta Tarraconen. Juris residendi §. 7. & seq. & 11.* & quidem etiamsi prope Ecclesiam illam filialem habitet major pars Parochianorum.

90 Neque potest Episcopus potestatem facere Parocho extra domum Parochialem habitandi, nisi *ad breve tempus*, & quidem dummodo hæc altera domus sit proxima domui Parochiali, ut firmavit idem Sacrum Tribunal in dicta *Tarraconen. Juris*
91 *residendi §. 8. & 9.* Idque procedit, etiamsi pro aeris intemperie nequeat Parochus in Parochiali domo habitare; nam nec concurrente hac, vel alia causa potest Episcopus licentiam Parocho dare extra domum Parochialem *in perpetuum habitandi*. Confer. *Rot. in dict. Tarraconen. Juris residendi §. 11.*

Quod vero attinet ad præcedentiam, Parochus, 92
exceptis iis, quæ sunt sui officii, nullam regulariter præcedentiam, & præeminentiam habet, atque hinc est, quod Parochus in Choro locum altiorem, & ornatiorem habere nequit quam cæteri Presbyteri inibi assistentes; *Rota in Pampilonen. manutentionis 10. Maii 1707. coram bon. mem. Cafarello*, ubi quod nec in Sede, sed in scamno sedere debet, si cæteri in scamnis sedeant.

Huc etiam pertinet, quod ait *Rota in Alexa-* 93
nen. 28. Aprilis 1747. §. 11. coram Reverendissimo Cortada. Nihilominus (sunt ejus verba) *æquum haud erit, Rectorem eo usque præeminere supra Presbyteros, ut seclusis diebus Festis solemnioribus non permittatur Cœtui Presbyterorum absente Parocho inchoare per ipsorum Hebdomadarium Sacram Psalmodiam, & celebrationem Missæ postquam tinnierit signum æris Campani, & congruum subinde effluxerit tempus; Nam moderatio Chori non habentis verum cum Dignitate Prælatum, ordinem mutuatur, & regulam a Capitularibus, per organum Hebdomadarii, sive alterius de gremio, prout fert consuetudo cujusque Ecclesiæ.*

De prædicatione adi *Van-Espen. Jur. Eccles. Univers. part. 1. tit. 3. cap. 4. & plur. seq.* ubique *per tot.*

Responsio Auctoris Romanis additoribus.

Quo ad residentiam, cui obligatur Parochus, 94
sententia mea, a qua non recedo, fuit a me tradita *num. 16.* immediate antecedenti, ubi inter alia adduco ad id duo decreta *Sacr. Congreg. Conc.* Opinio autem Doctorum *num. 17.* allegatorum adducitur a me ad eruditionem, & pro iis locis, in quibus ex immemorabili consuetudine, quæ est optima legum interpres, *L. si de interpretatione 37. ff. de legibus, c. cum dilectus 8. de consuetudine*, Parochi, relicta domo Parochiali, nullo contradicente, pacifice resident in domo propria, vel paterna, vel Conjunctorum, & æque commode ex ea omnimode munus suum adimplent, ut pluribi adhuc in dies videtur, ut notum est, tacentibus, seu consentientibus, aut tolerantibus Ordinariis sine ullo detrimento, & clamore Parochianorum. Eo vel maxime, quod allatum decretum *in Pontis Curvi Residentiæ 20. Decemb. 1755.* loquitur in casu &c. *ibi; An Abbati Curato Lucer-*

(*) Contrarium tamen ex declaratione, ut ait *Sac. Congr. Episcop.* tenet *Paxicrd. lib. 10. tit. 40. n. 53. apud Leuren. for. benef. part. 1. quæst. 385.* ubi utitur etiam ad hoc probandum auctoritate *Zerol. in prax. part. 1. verb. Privatio Bonac. de onere, & oblig. beneficiat. part. 5. num. 2.* Immo ubi Parochus non est Populo vel plebi acceptus, nec sit spes reconciliationis inter Parochum, & Populum, tunc sponte renuncians Parochus admitti debet ad renunciationem Parochiæ, & si renunciare recuset, cogi debet ad renunciandum, sed tamen ad aliam transferri debet Ecclesiam, vel alio modo pro Ecclesia compensari, *Paris. lib. 5. quæst. 3. n. 123. aliique plures apud Leuren. for. beneficial. part. 3. quæst. 405. num. 6.*

cernari liceat habitare in domo paterna sita in Regione Civita in casu &c. Negative. In quo casu concurrerant circumstantiæ alibi non concurrentes, ut patet in expositione casus Eminentissimi Furietti tunc S.C. Secretarii, ubi inter alia sic exponit. Auditus Episcopus Respondit (contra adversum assertum) limites esse Parochiæ, neque defecturam domum Parochialem, si eam Lucernarius non alienasset, nec illam cogeretur habitare, eamque ampliorem, & commodiorem facile a Parocho reddi potuisse uberibus Parochiæ redditibus, ni magno Parochianorum detrimento maluisset in propria domo habitare, ex qua præsto esse nequit nocturno præsertim tempore Parochianis suis, tum ob loci distantiam, tum ob difficultatem viarum. Resolutio autem S.C. cum clausula *in casu de quo agitur*, non potest allegari pro aliis causis, in quibus ipsæ circumstantiæ non concurrunt; ut recte doctissimus Pitonius tradit *p.* 4. *disc.* 109. *n.* 8. sic expresse dicens, ut in puncto advertit Monacel. in *Form. For. Ecclesiast. p.* 2. in epistola ad lectorem; ibi: quoties enim S.C. judicat, suum decretum adaptari non posse, nec debere, nisi casui proposito, solet rescribere *Negative, seu Affirmative in casu &c.* Hæc, inquam, sunt illa decreta, quæ allegari non possunt ad decisionem caussarum, nisi concurrant ipsæ circumstantiæ, quæ referebantur in casu particulari proposito, nam decisio casus circumstantiati non est universalis, sed particularis in concreto illarum circumstantiarum, in quibus emanavit; Card. de Luca *in annotat. ad Conc. discurs.* 1. *num.* 11. Pignatel. *consultat.* 1. *num.* 18. *tom.* 1. *& Ego scripsi disceptat. Eccl.* 50. *num.* 19. *& dixit Rota in Romana Pensionis* 15. *Martii* 1694. §. *non potest coram Eminentissimo Priolo.* Sic expresse eruditissimus Franciscus Maria Pitonius *dict. part.* 4. *disceptat.* 102. *num.* 8.

Articulus III.

Parochus quoad ea, quæ concernunt Missam Sacramenta, Funeralia.

1 Parochus diebus Festis Missam celebrare debet in propria Ecclesia, & non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. *Sacr. Congreg. Concilii in Lucana* 15. *Septembris, &* 17. *Novembris* 1629. apud Sell. *in Selectis Canonic. cap.* 59. *num.* 34. & Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad Missam.*

2 Parocho concedere potest Episcopus ob defectum Sacerdotum, ut in diebus Festis urgente necessitate bis celebret. *Sacr. Congr. Concilii sub die* 17. *Augusti* 1627. apud Sellium *cit. cap.* 59. *num.* 30. & Barbosam *loc. cit. num.* 6. Vide verb. *Missa art.* 5. *a num.* 24. & Barbos. *de offic. & potest. Parochi*, ubi dicit de hac re melius esse eamdem Sac. Cong. consulere.

3 Regulares possunt in suis Ecclesiis Missas celebrare eodem tempore, quo Parochi celebrant in suis. Vide dict. verb. *Missa artic.* 5. *numer.* 29.

Regulares possunt pulsare Campanas ad Missam, 4
antequam pulsetur Campana Majoris Ecclesiæ, præterquam in die Sabbati Sancti. Vide *ibidem num.* 30.

Immo possunt Regulares etiam celebrare Mis- 5
sas, priusquam Parochi celebrent. Vide *ibidem num.* 31.

Nec Episcopi possunt illis prohibere, ne Cam- 6
panas pulsent, & Missas celebrent in suis Ecclesiis ante pulsationem Campanæ, & celebrationem Missæ in Ecclesia Parochiali. *Sac. Congr. Concilii* 2. *Julii* 1620. apud Pittonum *Constitut. & decis. ad Parochos spectantes n.*319. Vide *d. verb. Missa art.*5. *num.* 32.

Potest tamen Episcopus Decreto Synodali sta- 7
tuere, ut diebus Festis de præcepto Missæ celebrari non debeant in Oratoriis, & Ecclesiis ruralibus, nisi celebrata Missa in Ecclesia Parochiali; Vide *dict. verb. Missa artic.* 5. *num.* 33. Ma- 8
xime si Oratoria, & Ecclesiæ rurales parum distent a Parochiali Ecclesia, quia alias adest Decretum *Sacræ Congregationis Concilii in Calaritana* 18. *Septembris* 1627. ubi fuit decisum, quod *Parochus non potest prohibere, ut absque ejus licentia celebretur in Capella Ruri ædificata per Laicum, antequam celebretur in Parochiali, & Matrice.* Sic refert Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quo ad Missam num.* 3. & Sellius *citat. capit.* 59. *num.* 36. Et adest etiam simile Decretum *Sacræ Congregationis Rituum in Capuana* 31. *Martii* 1629. ubi fuit decisum, quod *non potest prohiberi celebratio Missæ in Oratorio ruri ædificato per Laicum, ante celebrationem Missæ Parochialis.* Sic refert Pittonus *loc. cit. n.* 467. Barbosa *de offic. & potest. Parochi part.* 1. *cap.* 11. *num.* 23. Gavant. verb. *Missa Parochial. in addit.*
Servari debet Decretum, ne in Oratoriis Con- 9
fraternitatum celebretur in Festis ante Parochialem: dummodo Parochus celebret hora competenti. *Sac. Congr. Episcop. in Senogallien.* 29. *Jan.* 1613. apud Pitton. *l. c. n.* 299.

Parochorum de consensu liberum est Regulari- 10
bus celebrare in earum Ecclesiis Parochialibus absque Ordinarii loci licentia. *Sacr. Congr. Episcop. & Regul.* 10. *Januarii* 1617. apud Barbosam *loc. cit. in Summa num.*5.

(*) Hanc tamen licentiam Parochi Regularibus concedere nec debent, nec possunt, nisi ad normam Decretorum, sive Constitutionum *De Sacerdotibus ignotis &c.* ad Sacrificii Missæ celebrationem non admittendis: legumque Synodalium Diœcesis ad quam pertinent. (*)

Parochi non tenentur subministrare Capellanis, 11
seu Presbyteris in suis Ecclesiis Parochialibus celebrare volentibus paramenta, & alia necessaria; Nec ad id possunt per Episcopos cogi, sed tantum hortari. *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular. in Montis Alti* 15. *Maii* 1699. non obstante solito. *Sacra Congregat. Rituum in Egitanien.* 10. *Junii* 1602. confirmata *in Suanen.* 13. *Maii* 1698. apud Monacell. *tom.*1. *tit.*10. *form.*18. *num.*6.

Parochi an, & quando teneantur applicare Sa- 12
crificium Missæ pro suis Parochianis; Vide verb. *Missa art.* 3. *a n.*1. *ad* 11.

Sa-

13 Sacramenta administrare non licet Parocho Cathedralis in aliena Parochia. *Sacra Congreg. Concilii in Eugubina* 20. *Septembris* 1628. apud Barbos. *in summa Apostol. decis. verb. Parochus quoad Sacramenta num.* 2. & Sellium *in Selectis Canonic. cap.* 59. *num.* 30.
14 Neque etiam licet Parocho Cathedralis ministrare Sacramenta infirmis Canonicis ejusdem Cathedralis, sed hoc spectat ad Parochum Domicilii. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Tiburtina* 12. *Maii* 1685. *in responsione ad primum*. Vide verb. *Canonici art.* 8. *num.* 14. ubi refertur integrum Decretum, & sic censuit etiam *Sacra Congregat. Concil. in Novarien.* 17. *Septembris* 1695. *& in Narnien.* 26. *Septembris* 1699. apud Monacell. *tom.*1. *tit.*10. *formul.* 17. *sub num.* 4.

15 Ad Parochum spectat ministrare Sacramenta famulis, & famulabus inservientibus Monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, non autem ad Confessarium earumdem Monialium, ut respondit *Sacra Congregat. Concilii in una Leodien.* 14. *Aprilis* 1685. & in alia *Spoletana* 19. *Aprilis* 1691. inter famulas Monialium S. Matthæi Congregationis Lateranen. quæ habitabant in domo extructa intra Cortile, sive Atrium Monasterii, & Parochum S. Martini, intra cujus Parochiæ limites Monasterium existit: apud Monacell. *tom.* 1. *tit. XI. formul.* 20. *numer.* 2. Et iterum *in Ulixbonen. Occidentalis* 19. *Septembris* 1722. apud Ursayam *in Miscellan. sacro, & profano litt.* M. *numer.* 160.

16 Non debet Ordinarius sine causa valde gravi, & relevanti auferre a propriis Curatis celebrationem Baptismi, ac Matrimoniorum, eaque ipse ministrare, vel aliis delegare. *Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in Neapolitana* 17. *Septembris* 1604. apud Pitton. *l. c. n.* 267.

17 Parochi non possunt accipere aliquid a sponte dantibus pro administratione Sacramentorum; possunt tamen accipere, quod sponte pro eleemosyna offertur *Sacra Congregatio Concilii sub die* 5. *Febr.* 1593. apud Barbosam *loc. cit.* & Sellium *cit. cap.* 59. *num.* 31.

18 Unde Parochus nihil petere debet pro administratione Baptismi, nec antea investigare, quod sibi donare velint; *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. in Tropien.* 5. *Junii* 1582. apud Pitton. *loc. citat. num.* 88.

19 Item Parochus nihil potest percipere pro Matrimonio contrahendo. *Sac. Congreg. Concilii* 17. *Martii* 1619. apud Barbos. *loc. cit. n.*7. & Sellium *loc. cit. num.* 33.

20 Item Parochus pro publicationibus Matrimoniorum, & Ordinum nihil exigere potest. Pro Fide vero decimam partem unius Scuti. Nec potest Parochus cogere Parochianos, ut deferant pro Matrimonio contrahendo solita munuscula, ut ad hæc respondit *Sac. Cong. Episcop. & Regular. referente Eminentissimo Acciajolo in Sanctæ Severinæ emolumentor.* 6. *Augusti* 1700. apud Monacell. *tom.*1. *tit.* 10. *n.* 8.

21 Parochus potest simplici Sacerdoti licentiam concedere administrandi Sacramenta in sua Parochia, excepta Pœnitentia. *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. in Castellaneten.* 20. *Augusti* 1602. apud Sellium *cit. cap.* 59. *num.* 32. & Barbos. *loc. cit. num.* 4.

Curati Regulares tenentur adesse Benedictioni 22
Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, si alii teneantur. *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regular.* 12. *Decembris* 1595. apud Pitton. *loc. citat. num.* 182.

Curatus Regularis debet juxta solitum accedere 23
ad assistendum in Matrice Benedictioni Fontis, indeque aquam accipere, projecta in Sacrarium ea, quam ipse contra solitum benedixerat. *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium in Ariminen.* 6. *Septembris* 1625. apud Pitton. *loc. citat. numer.* 432.

Parochus nequit approbare Confessarios non ap- 24
probatos ab Ordinario ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum, *Communis*, & colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. & expresse declaravit *Sacra Congreg. Episcop. & Regul.* 20. *Augusti* 1602. Vide verb. *Approb. art.* 1. *num.* 25.

Immo Parochus nequidem potest sibi in Con- 25
fessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario; Nam Alexander VII. die 24. Septembris 1665. damnavit expresse hanc propositionem 16. in ordine: *Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Parochus potest suorum Parochianorum Confes- 26
siones audire etiam in aliena Diœcesi sine approbatione Episcopi illius Diœcesis, quia in eos ordinariam habet Jurisdictionem, & cum actus audiendi Confessiones sit Jurisdictionis voluntariæ, potest etiam in alieno territorio exerceri, *l.* 1. *ff. de Offic. Proconsul.* Glossa *in cap. Novit, de Officio legati*, Fagn. *l.* 5. *decret. in cap. Ne pro dilatione* 16. *de pœnit. & remiss. num.* 10. cum aliis ibi citatis, Piasec. *Prax. Episc. part.* 2. *c.* 1. *art.*2. *num.* 5. Barbos. *in Trid. sess.* 23. *cap.* 15. *num.* 20. *& de Offic. & potest. Parochi part.* 2. *c.* 19. *& de Offic. & potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 25. *num.* 18. cum plurimis ibi citatis, & alii contra Matthæucc. *Officialis Curiæ c.* 6. *n.* 16. *& in cautela Confessarii lib.*1. *cap.*9. *proposit.*13. *ab Alex. VII. &c. n.* 4. & alios.

Et pro nostra conclusione facit resolutio *Sacræ* 27
Congr. Concilii 3. *Decemb.* 1707. *in una Posnanien.* in qua fuerunt proposita, & resoluta hæc dubia, ut sequitur.

I. An Curati unius Diœcesis vocati a Parochis alienæ Diœcesis, possint in ista audire Confessiones tam suorum subditorum, quam alienorum absque licentia Episcopi?

II. An Sacerdotes approbati ad Confessiones audiendas in una Diœcesi, vocati a Parochis alterius Diœcesis possint in ista audire Confessiones quorumlibet absque approbatione Episcopi loci? Et quatenus negative ad utrumque.

III. An, & quomodo in casibus prædictis sit consulendum, si agatur de magno concursu populi

li, & magna distantia adeundi pro approbatione Episcopum Diœcesanum?

Quibus dicta die responsum fuit.

Ad I. *Affirmative quoad subditos; Negative quoad alios.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Arbitrio, & prudentiæ Ordinariorum?*

Sic refert, & tenet Monacell. *tom.*4. *Supplem. ad tom.* 1. *n.*172. *& seq.*

28 Parochus, dimisso Beneficio Parochiali, non potest absque nova approbatione Confessiones audire; Facultas enim ad absolvendum est connexa cum assecutione Parochiæ, adeoque, ista dimissa, facultas cessat, quia sicuti statim ac consequitur Beneficium Parochiale, modo sit Sacerdos, & non sit suspensus, consequitur etiam approbationem ad audiendas Confessiones in sua Parochia, ita statim dimissa Parochia, desinit etiam approbatio, & facultas; Barbosa *in Trident. loc. cit. num.* 21. *& de offic. & potest. Parochi cap.* 19. *numer.* 6. cum pluribus ibi citatis, Piasec. *loc. citat.* & alii passim.

29 Parochus ex obligatione justitiæ tenetur ministrare Sacramenta suis Parochianis tempore gravis necessitatis etiam cum certo periculo vitæ suæ. Ubi enim detrimentum Ovium suarum imminet in spiritualibus, non potest nec propter pestem, nec alium morbum contagiosum, aut aeris intemperiem, seu ob inimicitias, aut Principis, & populi furorem se excusare, nisi per alios idoneos Ministros sufficienter id præstet. S. Thomas 2.2. *q.*185. *art.* 5. Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. disp.* 72. *sect.*3. *col.*1. Fagundez *in quinque Ecclesiæ præcepta præcept.* 4. *lib.* 3. *num.* 1. Barbosa *de offic. & potestat. Parochi part.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. & alii communiter.

30 Principes, & Magistratus non possunt impedire Parochos, & Sacerdotes administrare Sacramenta tempore pestis; poterunt tamen Parochos, & alios ministrantes infectis prohibere a sanorum commercio; Marta *de jurisdiction. part.* 4. *cas.* 73. Barbosa

31 *loc. cit. num.* 16. & alii passim. Immo potest Episcopus tempore pestis præcipere Parochis etiam cum mortis periculo, ne a sua Parochia discedant, & quod necessaria Sacramenta petentibus administrent. Duard. *in Commentar. ad Bullam in Cœna Domini l.* 1. *cap.* 2. *q.* 2. *conclus.* 4. Chapeaville *de administrat. Sacrament. tempore pestis cap.* 1. *qu.* 4. Barbosa *loc. cit. num.* 17. ubi subjungit, quod de hac re *Sacra Congregatio Concilii*, instante S. Carolo Borromæo *sub die* 10. *Decembr.* 1576. censuit, *Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Parochialibus; posse tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, & si non resederint, contra eos procedendum esse, servata forma cap.* 1. *in fine sess.* 23. *de reform.*

32 Parocho ministranti Viaticum, etiam prætextu invaletudinis, neque de nocte, neque de die permitti debet pileolus, ut contra Parochum Ecclesiæ SS. Laurentii, & Damasi respondit *Sac. Congreg. Rit. in Romana* 13. *Augusti* 1695. *&* 22. *Januarii* 1696. apud Monacell. *tom.*4. *ad Supplem. ad tom.* 2. *num.* 10.

Parochum dolose cogentes ad assistendum Matrimoniis excommunicantur ipso facto *in septima Synodo Provinciali Mediolanens. & in decima Synodo Diœcesana Benevent. tit.* 12. *cap.* 1. & de qua *in Synodic. part.* 1. *fol.* 194. Sic apud Ursayam *in Miscellaneo Sacro, & profano* 1. *littera P. num.* 35. 33

Alia de Parocho quoad Sacramentum Matrimonii. Vide verb. *Matrim. quoad impedimenta art.*2.*a n.* 59. *usque ad n.*102. 34

Parochus violenter rapiens, vel spolians funus, antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit jus, quod habet, & quartam Canonicam, teneturque restituere cum Corpore, quidquid accepit. Barbosa *de Offic. & potest. Parochi part.* 3. *cap.*26. *num.*27. cum aliis ibi citatis, Et sic pluries censuit *Sacra Congregatio*, & signanter *Sacra Congreg. Rit. in Bituntina* 21. *Julii* 1607. *& Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Calaritana* 12. *Martii* 1660. confirmata ab Alexandro VII. *die* 30. *Aprilis* 1660. Constit. incip. *Alias, pro parte, & Sacra Congreg. Concilii in Alexandrina Restitutionis Cadaveris* 27. *Julii* 1680. Vide verb. *Cadaver n.* 11. ubi dictæ decisiones referuntur. 35

Occasione funerationis Cadaverum alterius Diœcesis, aut Parochiæ in Ecclesiis Regularium, potest proprius Parochus Defuncti ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad dictas Ecclesias libere transire per quascumque Diœceses, & Parochias stola, & Cruce elevata, etiam irrequisitis earumdem Parochis. *Sic Sacra Congreg. Episc. & Regul. in Placentina* 24. *Novemb.* 1713. *in responsione ad primum*, & pluries alibi. 36

Parochus occasione transitus per suam Parochiam Cadaveris alterius Parochiæ, & Diœcesis, nequit prætendere aliquam partem Ceræ, aut pecuniarum pro Quarta funerali, aut alio titulo ab hæredibus defuncti. *Eadem Sacra Congreg. in dicta Placentina in responsione ad secundum*; & pluries alibi. 37

Parochus consequi nequit, neque prætendere ab hæredibus Defuncti, qui sepelitur in Ecclesiis Regularium duplicem Quartam, seu aliquam portionem majorem solito. *Eadem Sacra Congreg. in dicta Placentina in responsione ad tertium*, & pluries alibi. 38

Heredes Defuncti in associando Cadavere tam ad Eccclesiam Parochialem, quam ad aliam Ecclesiam possunt vocare majorem numerum Regularium, quam sint Sacerdotes sæculares. *Eadem Sacra Congreg. in dicta Placentina in responsione ad quartum*, & pluries alibi, & signanter *in Alexandrina* 10. *Septembris* 1688. Quod Decretum reperitur authenticum in Archivo hujus Conventus S. Bernardini Alexandriæ, & refertur ad litt. sub verb. *Heres n.* 36. Vide *ibi*. ubi insuper ad id citantur Constitutiones Alexandri VII. & Bened.XIII. & anterius decretum in Albinganensi, non obstante Synodo Provinciali, & concordia. 39

Hinc ad confirmanda hucusque dicta, adducitur sequens decretum S. Congreg. Concilii confirmatum ab Innocentio XI. ut sequitur. 40

IN-

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Conventus loci de Binasco Papien. Diœcesis, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi alias a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, obtinuerunt decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Papien. funerum. Regulares Minores strictioris observantiæ S. Francisci Diœcesis Papien. ob aliqua inconvenientia orta occasione defunctorum, qui ad eorum Ecclesiam deferuntur, ubi habent proprias sepulturas, supplicant declarari: Primo, An Curatus unius Diœcesis, quæcumque sit, in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Diœcesi, transeundo per propriam jurisdictionem, & Parochiam, possit aliquam partem ceræ, & pecuniarum ab heredibus Defuncti prætendere. Secundo. An proprius Parochus Defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cujuscumque Diœcesis, ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad Ecclesiam Regularium, possit libere, & licite per eamdem cum stola, & Cruce elevata transire, etiam irrequisito Parocho? Die XXVIII. Novembris MDCLXXI. Sacra &c. ad primum respondit Negative; ad secundum Affirmative. In quorum fidem &c. Romæ XIV. Novembris MDCLXXVI. J. M. Brancaccius Episcopus Viterb. Sacræ Congregationis Concilii Secretarius. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium, decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & delegatos, etiam caussarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Decembris MDCLXXVI. Pontificatus nostri anno primo.

Juvat etiam adducere in terminis resolutionem *Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in d. Placentina 24. Novembris 1713.* Quæ Authentica pariter habetur in Archivio hujus Conventus S. Bernardini Alexandriæ, & est ut sequitur.

In causa Placentina Funerum vertente inter Fratres Conventus Clastidii Min. Observ. S. Francisci ex una, & Parochum dictæ Terræ Clastidii partibus ex altera de, & super infrascriptis dubiis, nempe.

Primo, *An occasione funerationis cadaverum alterius Diœcesis, aut parochiæ in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Provinciæ S. Didaci Minor. Observant. Terræ Clastidii possit proprius Parochus Defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictam Ecclesiam, libere per eamdem parochiam Clastidii transire Stola, & Cruce elevata, etiam irrequisito Parocho Clastidii?*

Secundo, *An dictus Parochus Clastidii occasione transitus cadaveris alterius parochiæ, & Diœcesis possit aliquam partem ceræ, aut pecuniarum prætendere pro Quarta funerali, aut alio titulo ab heredibus Defuncti?*

Tertio, *An dictus Parochus consequi possit ab heredibus Defuncti, qui sepelitur in dicta Ecclesia S. Mariæ Angelorum, duplicem Quartam, nempe duos philippos, aut integram ceram, & unum philippum, seu potius debeatur unica Quarta unius philippi, aut solius ceræ?*

Quarto, *An heredes ejusdem Defuncti in associando cadavere tam ad Ecclesiam parochialem, quam ad aliam Ecclesiam possint vocare majorem numerum Regularium, quam sint Sacerdotes Sæculares in casu &c.*

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audita relatione Episcopi Placentini, referente Eminentissimo Grimaldo, censuit ad suprascripta dubia infrascriptum in modum respondendum, videlicet.

Ad primum Affirmative. Ad secundum, & tertium Negative. Ad quartum Affirmative. Romæ 24. Novembris 1713.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

F. A. Nizanus Secret.

41 Heredes Defunctorum pro illis ad sepulturam associandis numerum Ceræ sibi benevisum, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obstante, subministrare valent. *Sac. Congr.*

Episcop. & Regul. in Cassanen. 5. *Maii* 1617. apud Barbos. *de Offic. & potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *num.* 57.

42 Heredes Defunctorum possunt vocare numerum Religiosorum sibi benevisum in deferendis Cadaveribus ad Ecclesias. *Sac. Cong. Rit. in Camerinen.*
43 21. *Novemb.* 1627. & 14. *Januarii* 1649. Et tunc destinatos Clericos ab eis, & non alios vocare debebit Parochus, ut censuit *Sac. Cong. Rit. in Lau-*
44 *den.* 30. *Augusti* 1601. Si vero dicti heredes nullos destinaverunt, tunc, & eo casu Jus convocandi alios Sacerdotes pro obeundis funeribus Parocho
45 competet. Rota *in Alexandrina Funeralium* 1. *Julii* 1630. *coram Merlino*. Et ideo dicta *Sac. Congregatio Rit. in una Ferrarien.* 7. *Septemb.* 1631. censuit, Parochum posse ad libitum vocare ad funus Clericos, quos voluerit, nec cogitur vocare viciniores, nisi aliter disponant heredes defuncti, quorum voluntas est servanda, apud Barbosam *l. cit. n.* 60.

46 Parochi contra voluntatem heredum defunctorum nequeunt impedire Regulares, aliosque Clericos vocatos, ut veniant ad funus. *Sacr. Congr. Rit. sub die* 23. *April.* 1633. apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb. Parochus quoad funeralia num.* 14.

47 Parochi non possunt cogere heredes, seu Executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis etiam Parochialibus celebrari faciant Officia, Novennalia, & Anniversaria, pro ut celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus Cadavera sepeliuntur. *Eadem Sac. Cong. Rit. sub dicta die* 23. *Aprilis* 1633. apud Barbosam *l. cit. n.* 15. & Sacr. Cong. Concil. in Novarien. 15. *Martii* 1705. *in responsione ad* 7. Vide verb. *Quarta funeralis sub n.* 32.

48 Parochi licentia, seu interventus requiritur ad hoc ut Regulares possint defunctorum cadavera in ejus Parochia levare, nisi ipse requisitus venire expresse omnino recuset. *Sac. Congr. Rit. in Catanien. civitatis Platiæ* 18. *Octobris* 1619. & *in Vercellen. Terra Crescentini* 26. *Februarii* 1621. apud Sellium *in Selectis Canonic. cap.* 69. *num.* 48. & Bar-
49 bos. *l. cit. num.* 3. Vocato enim Parocho, & ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. *Sac. Congreg. Rit. in Senogallien.* 22. *Junii* 1675. *in responsione ad sextum*, & sic fuit iterum decisum ab eadem Sac. Congregatione ad instantiam Ordinis Minorum de Observantia S. P. Francisci *die* 13. *Julii* 1675. Et ita jam fuerat decisum *a Sac. Congreg. Episcop. & Regul.* 14. *Januar.* 1639. quod Decretum fuit confirmatum ab Alexandro VII. 30. Aprilis in Constit. incip. *Alias pro parte*.

50 Parochus proprius nullatenus est excludendus, quamvis ad sepeliendum Cadaver Regulares dumtaxat a Defuncto accersiri jubeantur. *Sac. Cong. Episcopor. & Regular. in una Montis pilosi de anno* 1581. apud Sellium in selectis Canonic. cap. 69. *n.* 51. & Barbosam *l. cit. n.* 8.

51 Ad Parochum spectat declarare, per quam viam sit exportandus Defunctus, & facere omnia necessaria usque ad januam Ecclesiæ Regularium, ubi sepeliendus est. *Sac. Cong. Episcop. & Regul. in Castellaneten.* 3. *Januarii* 1594. apud Barbosam *l. cit. n.* 9.

Vocati omnes ad funus debent convenire ad Parochialem Defuncti. *Sacr. Cong. Rit. in Bononien.* 9. *Decemb.* 1617. & *in Tropien.* 16. *Februarii* 1631. apud Barbosam *de Offic. & potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *n.* 63. 52

Excipiuntur tamen Canonici Cathedralis capitulariter intervenientes, pro quibus servanda est sequens dispositio Sac. Cong. Rit. in Æsina, ubi cum nomine Capituli ejusdem Cathedralis supplicatum fuisset pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

Primo: An iidem Regulares teneantur accedere ad Cathedralem ad levandum Capitulum pro associando Cadavere Defuncti sepeliendi etiam in Ecclesia Regularium, licet Defunctus non sit de Parochia Cathedralis?

Secundo: An Plebanus S. Petri, seu Curatus S. Nicolai d. Civitatis pro associando Cadavere sui proprii Parochiani defuncti, in alia tamen Ecclesia, etiam Regularium, sepeliendi, teneatur pariter accedere ad Ecclesiam Cathedralem, quando intervenerit Capitulum ejusdem; & idem servandum sit, si prædictum Cadaver per modum depositi existat in sua propria Ecclesia Parochiali, vel in alia sita intus, vel extra dictam Parochialem?

Tertio: An dicti Curati teneantur accedere ad d. Cathedralem, quando Capitulum intervenit, si præfatum Cadaver sit sepeliendum in aliqua ex dictis Parochialibus Sancti Petri, & Sancti Nicolai.

His omnibus eadem Sac. Congr. *affirmative* respondit, ex declaratione in similibus facta proponente Emin. Brancacci in Nicien. die 9. Augusti, quando Capitulum Cathedralis capitulariter intervenit, & ab ipso incipiendam esse Processionem in præfatis omnibus casibus. *Hac die* 29. *Januarii* 1671. M. Episcop. Portuen. Cardin. Ginettus. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congregat. Secret. Sic refert Joannes Baptista Bassi *in Tractatu de Sodalitiis quæst.* 5. *sub numer.* 19. impress. ad calcem Amostaz de causis piis.

Regulares extra Claustra decedentes possunt ad eorum Ecclesias deferri inconsultis Parochis, ut declaravit *Sac. Cong. Concil. sub die* 2. *Julii* 1620. Nec id iisdem Regularibus prohiberi potest sub prætextu, quod debeant prius Jus sepulturæ solvere, quia ab hujusmodi prætensionibus Parochos abstinere debere mandavit *Sac. Cong. Epis. & Reg. in Puteolana* 22. *Maii* 1615. 53

Parochus facere debet Officium supra Corpus Defuncti, etiamsi adsint Canonici Cathedralis, in sua Parochiali Ecclesia. *Sac. Cong. Rit. in Ostien. Ceren.* 28. *April.* 1607. *in Viterbien.* 25. *Junii* 1611. & *in Prænestina Cavarum* 18. *Augusti* 1618. apud Barbos. *loc. cit. in Summa nu.* 1. & Sellium *loc. cit. cap.* 69. *n.* 45. 54

Canonicus Cathedralis decedens, non electa sibi sepultura, debet sepeliri in Cathedrali, si in 55
ea

ea, adsit Sepulcrum proprium Canonicorum. Sin minus in Sepulcro Majorum. *Sacr. Congr. Concilii in Tiburtina* 14. *Maii* 1685. *in respons. ad secundum*.

56 Pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur Quarta funeralis Parocho Domicilii, non vero Parocho Cathedralis, neque Parocho, ubi adest sepulcrum suorum Majorum. *Ead. Sac. Cong. Concil. in d. Tiburtina in respons. ad tertium*. Vide verb. *Canonici art.* 8. *a n.* 11. *ad* 14. ubi refertur decretum ad litteram.

57 Ubi Parochiæ distinctæ sunt per determinatas familias, administratio Baptismi, aliorumque Sacramentorum spectat ad proprium dictarum familiarum Parochum, & non ad Archipresbyterum Collegiatæ, seu Matricis. *Sac. Cong. Concil. in Bojanen. Jurium Parochialium* 24. *Maii* 1732. *in responsion. ad VII. dub. Et ibid. ad VIII. dub.* respondit, quod ceteri uxorem ducentes de familiis Ecclesiarum Rectoralium possint eligere Ecclesiam Rectoralem familiæ uxoris pro futura administratione Sacramentorum, in exclusionem Ecclesiæ Archipresbyteralis. Item *ad IX. dub.* respondit, quod advenæ famulatum præstantes Oppidanis de familiis Ecclesiarum Rectoralium censeri debeant de iisdem familiis, ita ut subjaceant pro administratione Sacramentorum Ecclesiæ Rectorali familiæ, cui inserviunt, privative quo ad Archipresbyterum. Sic apud *Thesaurum Resolutionum Sac. Congr. Concil. tom.* 3. *fol.* 325. *&* 326. quæ Resolutiones prostant Venetiis apud Joannem Baptistam Recurti.

58 Parochus debet incedere sub Cruce Regularium si cadaver ad eorum Ecclesiam deferatur; excepto casu, quo Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ funeris associationi intersit; Tunc enim inceditur sub Cruce Capituli. Sic pluries declaravit *Sacr. Cong. Concil.* & signanter in *Fossanen.* 21. *Julii* 1645. *in Aretina* 22. *Decemb.* 1697. *in Aquen. Jurium Parochialium* 9. *Junii* 1708. *&* 2. *April.* 1709. *ad* 3. *dub. in Nullius Atinæ* 7. *Septemb.* 1710. *ad* 2. *dub. in Civitatis Castelli juris funerandi* 16. *Aprilis* 1732. *ad* 5. *dub. in Volaterrana* 16. *Martii* 1726. *& in Sabinen.* 20. *Januar.* 1735. Nisi tamen alicubi tam Parochi quam Regulares erigant propriam Crucem ex legitima consuetudine, quæ est servanda; cum ipsa sit altera Lex, & pro Lege servari debeat, *cap. Dilecti* 4. *de Arbitris l. de quibus* 32. *ff. de Legibus*, *L. Et ab antiquis* 31. *cod. de Testament.* & ipsa sit optima legum interpres, textu expresso *in cap. Dilectus* 8. *de consuetud. L. Si interpretatione* 37. *ff. de Legibus*.

59 Parocho jus funerum cum Cruce, & stola non competit, sed privative ad Confessarium Monialium pertinet occasione delationis cadaverum ad Ecclesiam exteriorem Monialium. *Sac. Cong. Concil. in Novarien.* 22. *August.* 1726. *ad.* 1. *dub.*

60 Parocho non licet in Sabbato Sancto benedicere Collocutoriis, aut Januæ Monasterii Monialium. *Sac. Congr. Conc. in d. Novarien. ad* 3. *dub.*

61 Parochus non potest in Ecclesia Monialium assistere Matrimoniis, vel eorum denunciationes facere, aut benedictiones mulierum post partum, vel similes impertiri. *Sacra Congregatio Concilii in d. Novarien. ad* 4. *dub.*

Parocho præstare non tenetur Confraternitas eleemosynam, vel alteri per eum deputando Missam celebranti, tam pro consecratione, quam pro consummatione Sanctissimi exponendi, occasione, qua exercitia spiritualia peraguntur. *Sacr. Cong. Concil. in Bononien.* 15. *Maii* 1728. *ad VIII. dubium*. 62

Parochus qui dat benedictionem cum Venerabili Eucharistiæ Sacramento in Ecclesia Confraternitatis, nihil omnino exigere potest, sed id gratis agere debet. *Sac. Cong. Conc. in d. Bononien. ad IX. dub.* 63

Parocho Cathedralis non licet ministrare Sacramenta quibuscumque Clericis, & Sacerdotibus infirmis, & in alienis Parochiis commorantibus, sed id competit privative Parochis domiciliariis. *Sac. Congr. Conc. in Eugubina Jurium Parochialium* 2. *April.* 1729. 64

Parochus non tenetur invitare Regulares ad officia, quæ in Parochiali peraguntur. *Sacr. Congreg. Concil. in Volaterrana* 16. *Mart.* 1726. *ad VIII. dub.* 65

Non posse Parochos cum stola, & Cruce elevata ingredi Ecclesias Regularium occasione associationis cadaverum ad illorum Ecclesias, pluries fuit resolutum a Sacris Congregationibus tum Concilii, tum Episcoporum & Regularium, tum Sacrorum Rituum, & confirmatum a pluribus Summis Pontificibus; Et omissis, brevitatis gratia, antiquioribus resolutionibus dictarum Sacrarum Congregationum, sic expresse respondit *Sacra Congregat. Concil* 22. *April.* 1625. apud Novar. *in Summa Bullar. par.* 1. *commentar.* 91. *& in Lauden.* 2. *Maii* 1711. *in respons. ad* 1. apud Ursayam *tom.* 1. *par.* 2. *disceptat.* 14. *n.* 137. Item *Sacra Congregat. Episcop. & Regular. in Placentina* 16. *Decembr.* 1661. expresse confirmata a Clemente X. Constit. incip. *Nuper* edita ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Minorum de Observantia *in Sutrina die ultima Februarii* 1708. *in Brictinorien.* 16. *Martii* 1717. Item *Sac. Rit. Congregat. in Vaden.* 3. *Augusti* 1698. *in Avenionen.* 3. *Decemb.* 1701. *in Camerinen.* 1. *Septembris* 1708. Ita etiam per viam Legis confirmando aliquas ex citatis, & quamplures alias dictarum Sacrarum Congregationum resolutiones, ad instantiam nostri Ordinis Minorum Regularis Observantiæ demandarunt Alexander VII. Constitut. 95 incip. *Alias* & Clemens X. Constit. 57. incip. *Nuper*, & alia 58. incip. *Alias*. Et Innocent. XI. speciali Indulto concesso Carmelitis Excalceatis Congregationis Italiæ, & relato ab Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 14. *num.* 4. Vide infra *num.* 88. 66

Econtra vero posse Parochos cum stola, & Cruce elevata ingredi dictas Regularium Ecclesias fuit etiam pluries resolutum ab iisdem Sacris Congregationibus, & signanter a *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in Firmana* 29. *Nov.* 1641. *in Placentina* 9. *Nov.* 1693. *&* 7. *Decembr.* 1668. *& in Parmen.* 21. *Mart.* 1720. *&* 5. *Nov.* 1721. apud Ursayam *tom.* 4. *par.* 2. *discept.* 6. *num.* 188. Item *a Sac. Congr. Rit. in Eugubina* 12. *Maii &* 5. *Julii* 1613. *in Placentina* 23. *Maii* 1619. *in Catanien. civitatis platiæ* 12. *Oct. ejusd. anni* 1619. Et *in Spoletana* 1. 67

na 1. *Jul.* 1702. favore Parochi Castri Vissi adversus PP. Minores Conventuales, apud Ursayam *tom.* 4. *par.* 1. *disceptat.* 11. *num.* 16. ibi: *An Parocho Terræ Vissi liceat deferre stolam in Ecclesiis Regularium occasione cadaverum in casu &c. Sac. Congreg. respondit*, *Affirmative*, *dummodo non peragat Officium*. Ita etiam per viam Legis expresse statuit Benedictus XIII. Constitut. incip. *Pretiosus* derogando omnibus in contrarium facientibus, etiam consuetudinibus immemorabilibus, & declarando, ac decernendo quod talis Crucis erectio, stolæ delatio, & ingressus in Ecclesias, nullam penitus jurisdictionem importet, aut minimum in aliquo præjudicium cuicumque irroget, aut quandocumque & quomodocumque irrogare, & inferre possit. Quæ Benedictina sanctio esset utique ubique servanda, nisi videretur revocata a Clemente XII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*, in qua dictam Benedicti XIII. Constitut. incip. *Pretiosus* una cum variis aliis ad favorem diversarum Religionum emanatis, moderatur, ac reducit ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, & Constitut. Apostolicarum, statuendo quod dictæ Benedictinæ Constitut. habendæ sint in omnibus judiciis, etiam in foro conscientiæ, perinde ac si illæ non emanassent.

68 Quid autem, attentis tot allatis contrariis resolutionibus, & decisionibus concludendum sit? mihi videtur standum esse cujusque loci legitimæ consuetudini, cum ipsa sit optima Legum interpres, textu expresso *in cap. dilectus* 8. *de consuetudine*. *L. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legibus*. Immo ipsa sit altera lex, & servari debeat, *cap. Dilecti* 4. *de Arbitris*, *l. De quibus* 32. *ff. de Legibus*, *l. Scævola* 26. *ff. de aqua*, *& aquæ pluviæ arcendæ*, *l. Et ab antiquis* 31. *Cod. de Testament.* cum similibus; Eo vel maxime quod plures ex prædictis resolutionibus emanarunt cum addito *Salvo jure probandi immemorabilem consuetudinem*.

69 Nisi tamen declaretur, ut satis probabile, & consonum est, quod Clemens XII. in dicta sua Constitutione *Romanus Pontifex* revocaverit illas ad favorem Regularium a Benedicto XIII. emanatas, solum quo ad maxima privilegia, indulta, gratias, exemptiones, & facultates in eis contenta, & concessa, uti videtur colligi ex verbis ipsiusmet suæ Constitutionis §. *Quamvis*, ibi: *Itaut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Litterarum*, *& Constitutionum usu*, *commodo*, *& effectu penitus carere debere intelligantur*. Non autem voluerit revocare dictam Benedicti XIII. Constitutionem *Pretiosus*, etiam quo ad hanc dispositionem, & declarationem de ingressu Parochorum cum Stola, & Cruce elevata in Ecclesias Regularium, factam omnino provide, ac laudabiliter ad tollendum Fidelium scandalum, & nimis frequentium controversiarum originem, ut loquitur ipsa Constitutio, quæ proinde quo ad hoc est magis ad favorem, & commodum Parochorum quam Regularium, ut de se patet. Unde hoc stante, quod, uti dicebam, satis probabile, & valde consonum est, cum ratio Legis, sit anima Legis, *l. Cum ratio* 7. *ff. de bonis damnatorum*, possent Parochi cum stola, & Cruce elevata libere ingredi in Ecclesias Regularium, non obstante quacumque in contrarium immemorabili consuetudine, cum Benedictus XIII. in dict. Constitutione *Pretiosus* §. *Et ad tollendum* derogaverit omnibus in contrarium facientibus, & etiam consuetudinibus immemorabilibus.

Parochi frustra repugnant, si Episcopus dederit Confessario absolutam facultatem audiendi Confessiones suorum diœcesanorum. Confessarius 70
enim qui absolutam facultatem obtinuit ab Episcopo audiendi Confessiones in alterius Parochia indipendenter a voluntate, & consensu Parochi, non indiget de rigore juris, sed solum ex quadam æquitate, consensu Parochi. Et ratio est, quia singuli Parochiani sunt subditi Episcopo tamquam Pastori universali omnium, etiam ipsorum Parochorum; Episcopus enim habet absolutam jurisdictionem in tota sua Diœcesi independenter a Parochis, & potest ipsis invitis saluti suarum ovium, prout melius sibi videbitur expedire, consulere. Ita Bonacina *tom.* 1. *de Pœnitentiæ Sacramento disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 17. ubi proposito hoc præciso quæsito: *Utrum Sacerdos*, *qui fuit ab Episcopo approbatus*, *ab eoque facultatem obtinuit audiendi Confessiones*, *petere debeat novam licentiam a Parochis*, *in quorum Parochia vult Confessiones*, *juxta facultatem sibi ab Episcopo concessam*, *audire? Respondeo*, dicit ibi: *Negative*, *nisi Episcopus concesserit facultatem sub conditione*, *vel cum onere facultatis a Parocho impetrandæ*; *Ratio est*; *quia Episcopus jurisdictionem habet concedendi facultatem dependenter*, *& independenter a Parocho*. Sic etiam Suarez *disp.* 27. Henriquez *lib.* 3. *de Pœnitent. cap.* 12. Reginald. *lib.* 3. *n.* 46. *&* 67. Croninch *disp.* 8. *dub.* 4. *num.* 3. *&* 29. Zerola *in praxi cap.* 15. *qu.* 2. La Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1513. Sayrus *de Pœnit. cap.* 22. *n.* 1. ubi refert Panormitanum, & alios in contrarium, uti videtur sensisse, saltem quo ad esse licitum, etiam Pontas *verb. Approbatio casu* 17.

An autem posito quod Episcopus concedat ap- 71
probationem pro Confessionibus excipiendis cum supradicta conditione, scilicet *de licentia seu consensu Parochi*, possit Confessarius ipsas valide excipere, tali licentia non requisita? Bonacina *loc. cit. num.* 18. cum aliis probabilius existimat posse dictum Confessarium adhuc Confessiones ipsas valide excipere sine licentia, & consensu Parochi, quia dicit ipse, Sacerdos approbatus per dictum loquendi modum certior tantummodo fit de modo quem debet saltem ex æquitate servare; Nec obstat quod dictus loquendi modus, ut volunt aliqui, tamquam ablativus absolutus, videatur importare conditionem ad aliquid valide agendum, sed aliquando connotat modum ad aliquid licite præstandum. *

Quod de sic approbatis Confessariis Regulari- 72

Nota Romani Theologi.

* Periculosa censoribus Romanis videtur Bonacinæ opinio, quando licentia Episcopi sit conditiona-

bus absolute tenet cum multis aliis mox citandis Barbosa *de offic. & potestate Parochi par. 2. cap. 19. num.* 22. expresse dicens, quod Fratres Minores ex privilegio ab Alexandro IV. sibi concesso possunt Confessiones audire, assensu Parochorum minime requisito, ut refertur in *Compendio privilegiorum, verb. Absolutio quo ad sæculares* 2. §. 2. Et idem alii posteriores Pontifices concesserunt; Sicque ipsos, ac alios Regulares cum eis in privilegiis communicantes posse Parochis contradicentibus sæcularium Confessiones audire. Ita F. Emanuel *in explicat. Bullæ Cruciatæ* §. 9. *n.* 145. & §. 12. *n.* 4. & *sequent. & quæstion. Regul. t.* 1. *quæst.* 60. *ar.* 4. Miranda *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 44. *art.* 14. *conclus.* 2. Joannes a Cruce *de statu Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 1. *concl.* 3. Fagundez *in quinque Eccles. præcepta, præcept.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 63. qui omnes asserunt procedere hanc resolutionem, etiamsi Episcopi in licentiis Regularibus concessis dicant, quod eis Parocho renitente non utantur, quia ipsi Ordinarii, dicunt ipsi, Summorum Pontificum hac in re concessa privilegia tollere, aut limitare non possunt, *arg. c. Inferior* 4. *dist.* 21. *c. Cum inferior* 16. *De majorit. & obedient. Clement. Ne Romani* 2. *de elect.* Hæc ille *loc. cit. n.* 22. qui *n.* 23. insuper addit, quod nec etiam Parochi ipsi impedire possunt Confessarios Regulares quo minus Confessiones audire possint in domibus pœnitentium ægrotorum, quando ab eis vocantur, dummodo eorumdem infirmorum Parochos de audita Confessione eodem die certiores reddant, ut censuit *Sacra Congr. Visitationis Apostolicæ* apud Lezanam *in Summa Quæstion. Regular. cap.* 10. *n.* 32. & *Sac. Cong. Episcop. & Regul.* 2. *Julii* 1587. 5. *Julii* 1606. & *in Senogallien.* 22. *Januar.* 1616. *ac in Anconitana* 6. *Octobr.* 1640. & sæpissime alibi, & expresse statuit Clemens X. Const. inc. *Superna*.

73 At vero quo ad illos Confessarios sive sæculares, sive Regulares, quibus ab Episcopo concessa est solum conditionata facultas excipiendi sæcularium Confessiones cum hac, vel simili conditione, *de licentia tamen Rectorum in Ecclesiis earum, seu solum consentiente Rectore Ecclesiæ*, Ego sentio, nisi aliter constet de mente Episcopi quoad vim istius conditionis, quod non possint dictas Confessiones excipere in Ecclesiis Parochorum, nisi accedat eorum licentia, aut consensus, saltem tacitus, aut implicitus; quia conditio in tali concessione videtur apposita tamquam forma; & conditionale nihil ponit in esse nisi purificata conditione *arg.* §. *Sub conditione* 5. *Institut. de verbor. obligationibus, l. Legata sub conditione* 41. *ff. de conditionib. & demonstration. & l. Unic.* §. *Sin autem, Cod. de caducitat. tollendis*; Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis; *l. Is cui* 42. *ff. de actionib. & obligationib. & cit. l. Legata sub conditione* 41. *ff. de conditionib. & demonstrationib.* cum similibus. Tum quia ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* nullus quamtumvis privilegiatus potest Confessiones sæcularium audire absque approbatione Episcopi, ut fuit dictum sub verb. *Approbatio art.* 1. *num.* 44. & *sequent.* Et ne quidem Romæ approbati, quicumque sint, possunt in aliis Diœcesibus sine expressa approbatione suorum respective Ordinariorum dictas Confessiones excipere, ut expresse statuit Urbanus VIII. *die* 17. *Septembr.* 1628. Constitut. incipient. *Cum sicut accepimus*. Dicti autem Confessarii, ut supra, sic conditionate approbati, non censentur vere approbati,

ditionata; quare in praxi non est attendenda. Idem dicendum de Confessariis Regularibus. (*) Neque vero his Pontificiæ Constitutiones sub initium num. 72. indicatæ suffragantur. Nam quæ ante Concilium Tridentinum editæ fuerant, nunc præsidio esse Regularibus non possunt, cum amplissima privilegia Mendicantibus concessa excipiendi ubique Christianorum hominum Confessiones, non modo Parochis repugnantibus, sed etiam facultate ab Episcopis Diœcesanis non impetrata, a Tridentinis Patribus sublata fuerint, in aliis autem Constitutionibus sermo fiat de Regularibus illis, quibus Episcopi Confessionum excipendarum veniam *absolute* fecerint. Hinc tenenda est sententia ab Auctore nostro num. 73. tradita. Jam vero quod attinet ad formulas concedendi facultatem Confessionum excipendarum *de licentia Rectorum* Romæ quidem in litteris patentibus, pro facultate audiendi Confessiones, quæ Regularibus dantur, hæc apponuntur: „ Ut Sacramentales omnium Christi„ fidelium ..... non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monasteriis, aut „ Conservatoriis degentium, neque in domibus privatis, nisi infirmorum dumtaxat, sed in Eccle„ siis tui Ordinis, & in aliis de licentia Rectorum, Confessiones &c..... audire valeas. „ In litteris autem patentibus pro Sacerdotibus Secularibus. „ Ut Confessiones Sacramentales omnium Chri„ stifidelium ... non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monasteriis vel Con„ servatoriis degentium, neque in domibus privatis, nisi infirmorum, & tunc de licentia Parochi, „ sed tantum in .... non autem in aliis Ecclesiis etiam de consensu quorumcumque Rectorum au„ dire &c. „ Quamobrem *in Praxi Secretariæ Tribunalis Eminentissimi Cardinalis Vicarii cap.* XXII. inter requisita, *quæ de stylo Urbis prærequiruntur in iis, qui ad audiendas Confessiones petunt admitti*, num. VII. recensetur: „ Ut obtinuerint deputationem, seu placitum illarum Ecclesiarum, in quibus „ Sacramentales Confessiones audire velint. „ Benedictus quoque XIV. Institut. LXXXVI. num. 14. de Confessariis, & Parochis Bononiensis Diœcesis agens inquit. „ Ea tamen conditio semper inter„ veniat necesse est, ut Confessarius Rectorem Ecclesiæ adire non prætermittat, ubi Sacramentum „ Pœnitentiæ administrare debet. Idem officium præstandum est a Diœcesis Parocho, si in Urbe, „ et a Confessario Urbano, si in Diœcesi Confessiones audire velint: Hoc enim institutum, ac di„ sciplina diuturna consuetudine in hac Civitate, ac Diœcesi firmantur eamque consuetudinem „ probari Clericatus testatur *de Pœnitentia decis.* 37. *num.* 12. „ (*)

bati nisi sub tali conditione, nisi, ut dicebam, aliter constet de mente Episcopi quo ad vim illius conditionis, adeoque, &c.

74 Parochi associantes funus sive una cum Capitulo, sive non, nequeunt prætendere candelam majorem illa quæ datur Superiori Regularium associato ab aliis suis Religiosis: Sic expresse decrevit *Sac. Conc. Cong. in Novar.* 15. *Martii* 1604. *in responsion. ad* 3. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *sub num.* 92. Sicque neque alii Sacerdotes, ac Canonici sive capitulariter, sive seorsim interveniant, nequeunt prætendere candelam majorem illa quæ datur Regularibus, ut expresse defendit D. Ursaya *tom.* 2. *p.* 1. *discep.* 15. *num.* 13. ubi ad id adducit Decreta, & Doctores. Et ratio clara, ac convincens est, quia si Parochi qui portant pondus diei, & æstus præstando omnimodam assistentiam, ac Sacramenta suis Parochianis toto tempore vitæ suæ, nequeunt prætendere candelam majorem illa, quæ datur Superioribus Regularibus, qui eis ordinarie non ministrant Sacramenta, ac parvam, & interdum nullam assistentiam præstant, tanto minus Canonici, ac alii Sacerdotes poterunt illam prætendere majorem ea, quæ datur Regularibus, cum ipsi parvam, & ordinarie nullam eis præstent assistentiam, ubi Regulares indefesse ipsis assistunt, cum in eorum Sacramentalibus Confessionibus excipiendis, tum in eorum ultimo agone suas animas diu, noctuque Deo commendando.

75 Et quoad Canonicos, & Capitula varia ad rem sunt edita Decreta a Sacra Congreg. Concilii, & signanter *in Trojana Funerum* 7. *&* 21. *Mai* 1701. ubi ad V. dubium: *An candela gestanda per Canonicos in associatione funeris debeat esse ponderis ad minus quatuor librarum, vel arbitrio hæredum; & an Canonici ultra dictam candelam prætendere possint unum ducatum Regni pro quolibet Canonico?* Dicta Sac. Cong. Conc. ad V. respondit: *Negative quoad primam partem, sed remittendum arbitrio heredum; Quo vero ad secundam partem, Negative*. Item decrevit, quod Capitulum, Canonici, & Parochi nequeunt prætendere majorem portionem funeris, quando Cadaver sepelitur in Ecclesiis Regularium extra Civitatem, ac extra Parochiam quamvis sita intra Civitatem, quam acciperent si cadaver in illorum Ecclesia sepeliretur. *Ead. Sacra Congregat. in d. Trojana in respons. ad VII.* Item, quod Capituli Cruce interveniente in funere ducendo ad Ecclesiam Regularium una cum Abbate, vel alio Sacerdote, Capitulum nequit exigere emolumentum eo modo quo exigeret, si totum Capitulum interveniret. *Eadem Sacra Congregat. ibid. in respons. ad VIII.* Sic apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Congregat. Concil. anni 1740. ubi in fine dicti Tomi referuntur etiam resolutiones ab anno 1700. ad ann. 1718.

76 Et in Nullius, seu Montis Cassini die 26. Januarii 1726. fuerunt inter alia ab ead. S. Congregat. Concil. edita sequentia Decreta, ubi ad VIII. dubium, *An heredes defunctorum possint adhibere circa cadavera defunctorum quantitatem ceræ sibi benevisam, seu potius constet de aliqua consuetudine quoad quantitatem ceræ, eaque sit servanda?* Respondit, *Ad VIII. esse statuendam taxam ab Ordinario auditis interesse habentibus, & taxa ab eodem transmittatur ad Sacram Congregationem*. Et ad IX. *An liceat heredibus defunctorum vocare ultra Parochum Presbyteros sibi benevisos, & excludere integrum Capitulum Ecclesiæ Matricis ab associatione cadaverum tam in ipsa Ecclesia Matrice, quam in aliis Ecclesiis, in quibus fuerit electa sepultura?* Rerpondit, *Licere heredibus defunctorum solum Parochum vocare, sed quatenus alios Presbyteros vocare velint, esse præferendos illos Ecclesiæ Matricis in numero ipsis heredibus beneviso*. Et ad X. *An, & quæ quantitas ceræ, & quod emolumentum cuilibet ex dictis Presbyteris debeatur pro simplici, & pura associatione cadaverum, tam ad alias Ecclesias, quam ad Ecclesiam Matricem?* Respondit, *Servetur quantitas præscripta in concordia*. Et ad XV. *An Presbyteri dictæ Ecclesiæ valeant prohibere sonum campanarum tam de tempore obitus, quam de tempore delationis cadaveris ad aliam Ecclesiam, & quod emolumentum ab heredibus defunctorum Sacristiæ debeatur in casu &c.* Respondit, *Negative quo ad tempus obitus, & pro sonitu nihil deberi; Quoad tempus vero delationis cadaveris pulsandas esse campanas, si heredes velint, soluta competenti mercede taxanda ab Ordinario*. Alia jam posita sunt *n.* 59. ad 65.

Attendenda est ad rem Constitutio Innocentii 77
XIII. incip. *Emanarunt nuper*, edita 24. Augusti 1722. in qua confirmantur Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium super Quarta Funerali, & ingressu Parochorum cum Stola, & Cruce in Ecclesias Regularium, absque tamen aliquo exercitio; Et id *in Parmensi*, ubi aderat consuetudo, ut vicissim possent Regulares cum Stola, & Cruce elevata ingredi in Ecclesias Parochorum, & Parochi in Ecclesias Regularium.

Alia ad rem. Vide verb. *Quarta Funeralis*, & 78
verb. *Sepultura*.

Parochi exercitiis spiritualibus quotannis vacare 79
debent. Benedict. XIV. tom. 1. Constit. incip.
Ubi primum § 3. Parochi proprii assistentia in celebratione
Matrimoniorum non est temere omittenda.
Idem Constitut. 85. incip. *Nimiam* §. 9. Parochi
Missam applicare debent pro populo diebus Fe- 80
stis. Idem Constitut. 103. incip. *Cum semper*. Vide
tom. 5. verb. *Missa art.* 3.

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum Curam 81
exercens, quando Missam eadem die iterare possit.
Vide *dict. verb. Missa* ex declaratione ejusdem
Pontificis in Constitut. 3. incip. *Declarasti*.
Parochus relinquere non potest Animarum Cu- 82
ram inconsulto Episcopo. Idem Constitut. 25.
incip. *Ex quo*. Quod si Religionem ingredi vo- 83
luerit, Episcopus ipsi licentiam denegare nequit.
Idem *ibib.*

Parochi, aliique Curam animarum habentes tra- 84
dere debent Doctrinam Christianam juxta dispositionem
Concilii Tridentini omnibus diebus Festis.
Idem tom. 1. Constit. 42. incip. *Etsi minime* §. 3.
& 4. Quæ Doctrina Christiana tradenda est etiam 85
a Sacerdotibus celebrantibus in Ecclesiis ruralibus
non Parochialibus. *ibid.* §. 14.

Parochi ante, vel post Missam Parochialem re- 86
citare debent elata voce actus Fidei, Spei, & Cha-

rita-

ritatis, populo verba iterante. Bened. XIV. Con-
87 stit. incip. *Cum religiosi*. §. 4. Parochi etiam extra Diœcesim possunt audire Confessiones suorum Parochianorum. Idem Const. incip. *Apostolicum ministerium* §. 22. Vide supra n. 26. & 27.

88 Quoad dicta supra *num. 66. & seqq.* concludendum est, non amplius suffragari Parochis pro ingressu cum Cruce & Stola in Ecclesias Regularium Constit. Benedict. XIII. incip. *Pretiosus*, hæc enim revocata fuit a Clemente XII. Constit. incip. *Romanus Pontifex*, quæ ad litteram adducitur infra verb. *Privilegium art. 3. n. 64.* ad cujus revocationis tramitem omnia Urbis Tribunalia hodie decidunt, ut videre est in celebri *Baren. Juris tumulandi*, *coram Aldrovando* 12. *Januar.* 1723. & 29. *Novemb.* 1743. *coram Vajo*, ac in *Melevitana funerum coram Millino* 23. *Novemb.* 1744. & novissime ita etiam decisum fuit 4. *Febr.* 1757. *a Cong. Episc. & Reg.* in Pientina funerum pro Minoribus Conventualibus, licet eorumdem Conventus subesset jurisdictioni Ordinarii ob defectum præscripti numeri Religiosorum.

89 * Parochi Ecclesiarum filialium interesse tenentur benedictioni Fontium diei Sabbati Sancti, ex sæpe repetitis Sacræ Congregationis Concilii decretis. *Instit. Eccles.* 1. §. 2. & *sequent.*

90 Parochi alienæ Diœcesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione Ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum. Ita ex decret. S. Congreg. Concilii. *Institut. Eccles.* 86. §. 7.

91 Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas Confessiones in tota Civitate vel oppido, ubi Parochi constituuntur, non vero in tota diœcesi Episcopi approbantis, ut ex Decretis S. Congreg. *ibid.* §. 13. Ex consuetudine tamen Parochi Civitatis Confessiones audiunt in diœcesi & viceversa. *Ibid.* §. 13. Si Parochus beneficium renunciet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi Doctorum. *Ibid.*

92 Parochus habens redditus tenues, & populum frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium Sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur. Ita ex Decret. S. Congregationis Concilii. *Instit. Eccles.* 94. §. 7.

93 Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis hæreticæ sectæ occulte adhærere, assistere Matrimonio non potest, quemadmodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens. *De Synodo Diœc. lib. 6. c. 7.* §. 6. & 7.

94 Parochus tempore pestis, & eo morbo infectis tenetur ministrare Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ; imo & Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate Parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset Sacerdos, vel Parochus; ex quo fieret, ut post administratum Sacramentum Pœnitentiæ uni, non superesset spatium, ut aliis morituris Pœnitentiæ Sacramentum administraretur; vel si eo Sacramento administrando mortem vitare non posset, & sic populus destitueretur Sacerdotibus, ut ex Doctrina Suarii. *De Synodo Diœcesana lib. 3. cap. 19. §. 18. 19. nov. edit.*

In ordine ad Extremam Unctionem ex Doctrina ejusdem Suarii tunc tenetur Parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali periculo. *Ibid.* 95

Additiones ex aliena manu.

Mirum, quod *Auctor* tametsi Regularis *n.* 67. videatur sentire, quod ex Constitutione Benedicti XIII. quæ incipit *Pretiosus*, fas sit Parochis associantibus Cadavera suorum parochianorum cum stola, & Cruce elevata ingredi in Ecclesias Regularium. Nulla enim potest amplius haberi ratio de mox dicta Benedictina Constitutione, utpote quæ non diffitente ipso *Auctore num.* 67. a Clemente XII. in Constitutione, cui est initium *Romanus Pontifex*, fuit reducta ad terminos Juris communis, Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum. Nec facit ad rem, quod revocata dici debet Benedictina Constitutio in quantum Regularibus est favorabilis. Sciendum enim est, quod ubi Constitutio statuit, ut fas esset Parochis associantibus Cadavera suorum Parochianorum ingredi cum Stola, & Cruce elevata in Ecclesias Regularium, ibi simul statuit, ut & vicissim fas esset Regularibus invitatis ad funera cum Cruce elevata ingredi in Ecclesias Parochiales. Nulla autem æqui bonique ratio patitur, ut ea revocata dicatur in favorabilibus Regularibus, non item in favorabilibus Parochis, quando unum alterius gratia concessum est. 96 97 98

De hac igitur quæstione judicium ferendum est, seposita præfata Constitutione Benedictina. Certum autem est, quod ea seposita, ubi *agitur* (sunt verba Rotæ *in Valentina Funerum* 7. *Decembris* 1731. §. 4. & *seq. cor. feliciter regnante Summo Pontifice* inter impressas *dec.* 30. *num.* 2. & *plur. seq.*) *de Cadaveribus tumulandis in Ecclesia Regularium ratione exemptionis, qua ipsi fere omnes peculiari Sedis Apostolicæ Beneficio fruuntur in suis Ecclesiis, & Monasteriis, quamvis intra limites Parochiæ positis, Rector pastorali Jurisdictione, & præeminentia tam actu quàm habitu adeo est destitutus, ut si velit in associatione Cadaverum cum Stola, & Cruce per dictas Ecclesias incedere, vel exequias Ecclesiastico ritu celebrare, vel alios quoscumque actus ab officio, & potestate Parochiali simili modo dependentes ibidem exercere, positivam Juris resistentiam potius habere dicatur, sitque omnino excludendus &c. Sed teneatur terminare preces associatorias ante januam Ecclesiæ, ibique benedicere, & dare ultimum vale.* 99

Sentit vero Rota in dicta *Valentina Funerum loc. cit.* quod ex immemorabili consuetudine, vel alio legitimo titulo possint Parochi Jus acquirere ingrediendi Ecclesias Regularium, non obstante ipsarum exemptione cum Stola & Cruce elevata, inibique faciendi officium funebre. Adeoque sentit necessariam esse consuetudinem immemorabilem, ut in specie ejus causæ prodesse haud crediderit consuetudinem, propterea quod de ea testificati haud fuere Testes cum notissimis requisitis *Glossæ in c. 1. verb. Memoria, de Præscript. in 6.* 100 101

102 At non immerito dubitari de hac opinione potest; Idque quia Regulares nituntur tantummodo privilegiis exemptionis, & non dispositionis Juris Communis, contra vero Parochi pro se habent assistentiam juris communis; immemorabilis autem, vel centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato nunquam requiritur tunc cum agitur adversus eos, qui non dispositioni juris communis, sed privilegiis nituntur; præsertim si præscribentes habeant pro se juris communis assistentiam.

103 Cæterum excludi Parochi ab ingressu in Ecclesias Regularium nequeunt, si declarent *expeditum ac privativum exercitium functionum funebrium illis* (idest Ecclesiis Regularium) *relicturos, ac insuper oblata conditione dimittendi propriam Crucem, quæ ingressum præfatum longe faciliorem reddit, removetque obstaculum tam Sacrarum Congregationum, quam Sacræ Rotæ obsistentium hujusmodi ingressui, quæ intelligendæ sunt in casu ingressus cum Cruce elevata; secus ea inclinata*: sunt verba Rotæ *in Melevitana Funerum super ingressu in Ecclesias Regularium* 23, *Novembris* 1744. §. 3. *cor. clar. memor. Millino*. Confer etiam Pignatell. *consult. canon. tom.* 3. *consult.* 48. *fer. per tot.*

Responsio Auctoris.

104 Quid mirum, si nullius partis studio abreptus ego *loc. cit.* visus sum sentire, quod ex Constitutione Benedicti XIII. incip. *Pretiosus* fas sit Parochis associantibus Cadavera suorum parochianorum cum stola & Cruce elevata ingredi in Ecclesias Regularium? Visus sum, inquam, nam quæ *ibi* adduco, dubitantis in modum adduco, ut legenti patet; sententiamque meam potius sub *num.* 68. in medium profero hisce verbis: Quid autem, attentis tot allatis contrariis resolutionibus & decisionibus, concludendum sit? Mihi videtur standum esse cujusque loci legitimæ consuetudini, cum ipsa sit optima legum interpres..... Nisi tamen (ut subjungo *ibid. num.* 69.) declaretur, ut satis probabile & consonum est, quod Clemens XII. in dicta sua Constitut. *Romanus Pontifex* revocaverit illas ad favorem Regularium emanatas solum quo ad maxima privilegia &c. Regularibus concessa, non autem quo ad hanc dispositionem &c. sed quidquid senserim *cit. loc.* nunc attendenda sunt quæ tradidi sub sequenti *num.* 88. prout videre est supra in hoc eodem articulo.

Articulus IV.

Parochus quoad ea, quæ concernunt Immunitatem.

1 PArochus post delictum commissum confugiens ad propriam domum Parochialem gaudet Immunitate. *Sac. Cong. in Mutin.* 18. *Febr.* 1631. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 96.

2 Parochus captus pro debito in propria domo Parochiali gaudet Immunitate Eccles. & est restituendus. *Ead. Sac. Cong. in Ariminen.* 2. *Maii* 1661. *lib. decret. Rocci p.* 331.

Parochus captus in propria domo Parochiali, etiamsi distante ab Ecclesia, gaudet Immunitate; & restituenda ei sunt ablata, seu quæ solvit, ne deduceretur ad Carceres. *Ead. Sac. Cong. in Portuen.* 24. *Maii* 1672. *lib.* 1. *decret. Altoviti pag.* 692. 3

Verum Episcopus potest extrahere Parochum a propria domo Parochiali ad correctionem tantum. *Eadem Sac. Congregat. in Interamnen.* 27. *Maii* 1640. *lib.* 3. *Dec. Paul. p.* 14. 4

Sic Parochus repertus in fragranti delicto cum muliere in domo Parochiali, extrahi potuit per Episcopum ad effectum correctionis. *Eadem Sacra Congr. in Aretina* 31. *Aug.* 1648. *lib.* 4. *decret. Paul. p.* 86. 5

Circa Parochum inobedientem, iterato Episcopi præcepto de dimittenda e domo sua Parochiali muliere malæ famæ, cum de mandato ejusdem Episcopi extractus fuisset e dicta domo simul cum muliere, & conjectus in Carceres; Sacra Congregatio pronunciavit, bene extractum fuisse ad correctionem, & retinendum arbitrio Episcopi ad eumdem effectum, nec dimittendum, nisi renovato præcepto de non conversando cum muliere. *Eadem Sacra Congregat. in Aretina* 15. *Novembris* 1689. *lib. Decret. Martelli p.* 526. 6

Attamen Parochus nulliter extractus jussu Pro-Vicarii per Curiam Laicam e domo Parochiali, & successive detentus in Carceribus a Vicario Generali nomine Ecclesiæ, est restituendus. *Ead. Sac. Cong. in Nonantulana* 22. *April.* 1698. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 140. 7

Aliquando datur Episcopo facultas extrahendi cum debita decentia, & interventu Personæ Ecclesiasticæ ad formam Bullæ e domo Parochiali, tum Parochum, tum mulierem, qua sub prætextu famulæ revera ut concubina utebatur, ad effectum retinendi in carceribus per aliquod tempus nomine Sac. Congr. ad correctionem tantum. *Eadem Sacra Congregat. in Feretrana* 10. *Dec.* 1692. *lib.* 1. *decr. Vallem. pag.* 9. 8

Item datur facultas Episcopo carcerandi in Ecclesia & quocumque loco immuni Parochum pravæ, incorrigibilis, & scandalosæ qualitatis, qui post barbaram occisionem sui Pensionarii, qui ei resignavit Curam, ac ejus servæ; fugitus e carceribus habitabat cum suis in domo Parochiali, & celebrabat Sacrum suo populo, & datur etiam facultas ejiciendi ab Ecclesia, & domo Parochiali consanguineos ejusdem, & alias Personas ibidem confugitas pro dicta causa. *Ead. Sacr. Congr. in Asculana* 26. *Sept.* 1679. *lib.* 2. *Decret. Altoviti pag.* 1847. 9

Parochum, seu Curatum conjectum in Carceres nimis asperos Sac. Congr. mandat Episcopo, ut faciat caritative tractari. *Ead. Sacr. Cong. in Pisana* 19. *Febr.* 1695. *lib.* 1. *Decretor. Vallemani pag.* 172. 10

Quoad Parochum suspensum ab Episcopo in contumaciam, injungitur eidem Episcopo, ut procedat ad reintegrationem bonorum, & suspensis Censuris per duos menses, dictus Parochus compareat coram Episcopo, c[illegible] caritative recipiat, & nullo modo molestet. *Ead. Sacra Congr. in Aquen.* 7. *Jul.* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 229. 11

12 Eo-

32 Eodem recusante comparere, ac denuo suspenso a Curia Episcopali, Sacra Congregatio decrevit, suspensa suspensione per tres menses Episcopus transmittat omnia acta. *Eadem Sacra Congreg. in eadem* 8. *Jun.* 1700. *ibi p.* 293.

33 Extractus ab Ecclesia ob violentiam illatam Parocho jubetur restitui Ecclesiæ, præstita idonea fidejussione de non offendendo eumdem Parochum. *Ead. Sacra Cong. in Spoletana* 9. *Maii* 1690. *lib. Decret. Mart. pag.* 610.

34 Vicarius Generalis ordinans carcerationem Parochi in loco immuni, suspenditur arbitrio Sacræ Congregationis. Sic *Sac. Cong. Immunit. in Albanen.* 12. *Septembr.* 1684. *lib.* 3. *Decretor. Altoviti pag.* 363.

35 Domus præpositura contigua Ecclesiæ gaudet Immunitate, etiam respectu bonorum ibidem existentium, quamvis pars ejusdem domus sit Laico locata. *Sacra Congreg. Immun. in una Castri Durantis, sive Urban.* 19. *Aug.* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 54.

16 Domus Parochialis gaudet Immunitate. *Eadem Sac. Congr. Immunit. in Comen.* 25. *Febr.* 1698. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 138.

17 Etiamsi ab Ecclesia distans, modo non sit locata, & inhabitata a Laicis. *Eadem Sacra Congr. Immun. in Cesenat.* 17. *Novemb.* 1654. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.* 24.

18 Attamen distans ab Ecclesia Parochiali spatio circiter tertiæ partis milliarii non gaudet Immunitate. *Ead. Sac. Congr. Immun. in una Civitatis Castelli* 4. *Jul.* 1673. *lib.* 1. *Decret. Altoviti pag.* 817.

19 Domus, quæ habitatur a Parocho, sed non est Parochialis, idest de pertinentia Parochiæ, non gaudet Immunitate. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Alatrina* 5. *Maii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 217.

20 Domuncula de juribus Ecclesiæ Parochialis, ab ea tamen, & a domo Parochi distans circa triginta passus, quæ solum inservit pro usu, & servitio Parochi, non gaudet Immunitate. *Ead. Sacr. Congr. Immun. in Feretrana* 27. *Jul.* 1683. *lib.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 209.

PAROCHI PRÆSENTIA QUOAD MATRIMONIA. Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta ar.* 2. *a n.* 60. *ad* 113.

PARRICIDIUM.

---

1 Filius occidens proprium Patrem naturæ crudelis, sæpe sæpius indiscrete percutientem ipsum filium bonæ indolis, restituitur Ecclesiæ, a qua fuit extractus, nec condemnatur ad pœnam extraordinariam, ut petebatur. *Sac. Congreg. Immun. in Fulginat.* 18. *Jul.* 1690. *lib. Decret. Martelli pag.* 636.

2 In causa parricidii Sanctissimus tribuit Archiepiscopo Ravennæ licentiam consignandi Curiæ Legationis Urbini processum constitutum a Notario subdito ejus jurisdictioni. *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Pisauren.* 21. *April.* 1694. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 117.

Matricida extractus ab Ecclesia gaudere debet Immunitate Ecclesiastica. *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Ariaven.* 15. *Nov.* 1661. *lib. Decret. Rocci pag.* 267. * sed non amplius gaudet immunitate Ecclesiastica post Constit. Bened. XIII. *Ex quo*; Clementis XII. *In supremo*; & Benedicti XIV. *Officii nostri*; vide verb. *Immunitas art.* 2. *n.* 90. *n.* 156. *n.* 157. 3

Parricidii pœna quæ sit? Vide verb. *Pœna art.* 2. *a n.* 28. *ad* 133. 4

PARVULI.

Parvuli originale tantum peccatum habent. *Cap. Majores* 3. *de Baptismo*, ibi: *Qui peccato tantum originali tenentur.* 1

Parvuli utiliter baptizantur, licet non credant; Ipsis enim in Baptismo deletur originale peccatum, *cit. c. Majores* 3. *de Baptismo.* 2

Parvulis in Baptismo Fides aliorum sufficit. *cap. In Ecclesia dist.* 4. *de consecrat.* ibi: *In Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt*, & in ejus Summario expresse dicitur: *Aliorum Fides in Baptismate parvulos salvat.* Fiunt enim Fideles per Fidem offerentium, *Cap. parvuli Fideles* 138. *dist.* 4. *de consecrat.* ibi: *Parvuli Fideles recte vocantur, qui Fidem per verba gestantium quodammodo confitentur*, & in ejus Summario expresse dicitur: *Offerentium Fides parvulos facit fideles.* 3 4

Parvuli baptizati dicuntur fideles, non quia actu credunt, sed quia recipiunt Sacramentum Fidei, scilicet Baptismum; *cap. Nihil est aliud* 76. *dist.* 4. *de consecr.* 5

Parvuli baptizati morientes salvantur, *cit. cap. Majores* 3. *de Baptismo.* 6

Sine Baptismo enim non possunt salvari, sive moriantur nati, sive in utero Matris, *c. Firmissime* 2. *& cap. Nulla* 142. *dist.* 4. *de consecr.* ibi: *Nulla præter Baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes si per Sacramentum, quod ad hoc est Divinitus institutum, in credentium numerum non transeunt, in tenebris manent.* 7

Parvuli decedentes sine Baptismo quomodo puniantur juxta sententiam S. Augustini, sive potius S. Fulgentii Ruspensis in Canone *Firmissime tene* 2. *dist.* 4. *de consecrat.* vide *ibi*. At observa responsionem datam sub verb. *Peccatum n.* 72. 8

Parvulis baptizatis non est necessaria Pœnitentia; *cap. Tres sunt* 81. *dist.* 1. *de pœnit.* 9

Parvuli carentes usu rationis non tenentur ad Eucharistiam de necessitate salutis. Non tamen damnari debent Patres antiqui, qui eam dabant: Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 4. *& Canon.* 4. 10

Parvulorum sepulcrum ab aliis debet esse separatum; *Sac. Congr. Rit. in una Civitatis Castellanæ* 12. *Decemb.* 1620. apud Aldan. *in Compendio Canonic. resolut. l.* 1. *titul.* 36. *n.* 2. & Barbosa *in summa Apostol. decis. verb. Parochus n.* 1. 11

12 Parvulorum corpora possunt sepeliri in Ecclesia Regularium, si ibi est sepulcrum Majorum, vel si concurrente consuetudine Pater ibi eligit sepulturam. *Eadem Sac. Congr. Rit. in d. causa Civitatis Castellanæ* 12. *Decemb.* 1620. apud eosdem *loc. cit. & Sacra Congreg. Conc. in Novarien.* 15. *Martii* 1704. *in respons. ad primum*. Vide verb. *Quarta funer. num.* 32.

PASCHA, PASCHALIS COMMUNIO.

1 Pascha in uno die, & tempore per universam Ecclesiam celebrari debet. *Conc. Roman. sub Victore I. cap. Paschæ* 22. *& cap. De Observatione Paschæ* 25. *dist.* 3. *de consecr.* (1).

2 Pascha celebrari non potest ante æquinoctium vernale cum Judæis. Id faciens debet ejici ab Ecclesia, *Conc. quod dicitur Apostolor. c.* 8. ubi sic habetur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus Sanctum Paschæ diem ante vernalem æquinoctium celebraverit, abjiciatur*; *Lib.* 6. *Constitut. Apostol. c.* 16. ubi sic statuitur: *Oportet ergo, fratres, ut qui pretioso Christi Sanguine redempti estis, dies Festos Paschæ accurate, & omni diligentia post æquinoctium celebretis .... Neque amplius cum Judæis tempus celebrandi Pascha observetis; nulla enim nobis nunc cum eis communitas est* (2).

3 Pascha celebrari debet die Dominico post lunam 14. *Concilium Romanum sub Victore I*, ubi sic habetur statutum: *Decretum est Pascha non decima quarta Luna primi mensis, sed potius die Dominico post* 14. *Lunam, & vernale æquinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse*. *Conc. Roman. III. sub Silvestro c.* 1. ibi. *Omnibus Episcopis, & Presbyteris præceptum est Paschæ observantiam custodire a Luna* 14. *usque ad vigesimam primam, ita ut Dominicus dies coruscet. Et dixerunt Episcopi, placet*; *cap. Nosse* 21. *dist.* 3. *de consecr.* ibi: *Nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominico annuis temporibus sit celebrandum; istis enim temporibus Hermes Doctor Fidei, & Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicto die celebraremus, quia tamen inde quidam dubitaverunt, ad corroborandas animas eorum eidem Hermeti Angelus Domini apparuit in habitu Pastoris, & præcepit ei, ut Pascha Domini die Dominico ab omnibus celebraretur; Unde & Nos Apostolica auctoritate instruimur omnes eadem servare debere, quia & Nos eadem servamus, neque debetis a Capite quoquo modo dissidere*.

Datur præceptum ut Fideles omnes adepti usum rationis communicent singulis annis ad minus in Paschate; *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœn. & remiss.* ibi: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, confiteatur ... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura*. Idem declarando statuit Conc. Trident. *sess.* 13. *Canon.* 9. ibi: *Si quis negaverit omnes, & singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annum discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit*. 4

Ad satisfaciendum tali præcepto sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis. Vide verb. *Eucharistia n.* 9. 5

Potest tamen tempus Paschale extendi in longius tempus ex Episcopi, aut Parochi dispensatione rationabili. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 10. 6

Eucharistia pro adimplendo præcepto Communionis Paschalis est sumenda in propria Parochia. Vide d. verb. *Ecclesia n.* 10. 7

Communicans in Ecclesiis Regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfacit. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 12. 8

An communicans in Ecclesia Cathedrali satisfaciat. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 13. 9

Sacerdos satisfacit pro Communione Paschali ubicumque celebret Missam; tamen, si non celebret, tenetur communicare in Parochia. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 14. 10

Vagi, Peregrini, & Advenæ possunt ubilibet præcepto Paschali satisfacere, etiam in Ecclesiis Regularium. Vide d. verb. *Euchar. n.* 15. *. 11

Fratres, & Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantella- 12

(1) Quæ ex Romano Victoris Concilio Auctor hausit, certius statui poterant Arelatensis Synodi Canone I., & ex Nicæno Concilio, cujus sanctionem etiam ad Episcopos, qui non interfuerant, misit Constantinus Imperator scripta ad eos epistola.

(2) Vide gravissimum hac de re Antiocheni Concilii a. 341. seu potius ex Balleriniorum sententia a. 332. celebrati decretum *Can. I.* Cæterum de Victoris Papæ cum Asianis Episcopis controversia, cujus caussa Romæ, ac late per diversas Ecclesias habitas fuisse Synodos ex Eusebio novimus *lib. v. histor. Eccles. cap.* 23. licet horum Conciliorum quæ circumferuntur acta, dubiæ fidei sint, de illa, inquam, Victoris controversia Legesis Zaccariam diss. I. *de jure Liturgico cap.* IV. *a num.* 3. *tom.* I. ejus Bibliothecæ Ritualis præmissa.

Nota Rom. Theologi.

* Debent semper (vagi, peregrini, & advenæ) in Ecclesia Parochiali præcepto Paschalis Communionis satisfacere.

tellati, Corrigiati, Pinzocheræ, Cordellati, & alii quocumque nomine nuncupati in propriis Domibus habitantes, debent pro satisfaciendo præcepto Paschali Eucharistiam recipere a proprio Parocho, & non a Regularibus. Vide d. verb. *Eucharistia num.* 16.

13 Famuli Domestici, & continui commensales in Monasteriis Regularium degentes, satisfaciunt præcepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 17.

14 Hoc tamen privilegio non gaudent Sæculares illi, qui tantum ipsis Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui commensales, & cum Sæcularibus exteris extra Monasteria habitant. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 18.

15 Nec hoc privilegio gaudent Advenæ, qui in Monasteriis Regularium infirmantur. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 19.

16 Regulares non possunt in die Paschatis administrare Sæcularibus Eucharistiam. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 20.

17 Etiamsi tales personæ Sæculares in alia die satisfecerint præcepto. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 21.

18 Per Communionem sacrilegam non satisfit præcepto. Vid. d. verb. *Eucharistia n.* 22.

19 Qui culpabiliter non adimplet præceptum Paschale, vivens interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens privatur Ecclesiastica sepultura. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 23.

20 Ipse tamen non adimplens præceptum Paschale non est ipso jure interdictus, sed interdicendus; Unde si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum Synodale in contrarium. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 24.

21 Qui ex malitia, vel impotentia non communicavit in Paschate, probabilius, & in praxi debet statim post communicare quam primum poterit. Ita S. Thomas, Navarr. Suarez, Vasquez, Azorius, Coninch, Silvester, Fagund. Layman, Hurtad. Lugo, Bernal, Avers. Illsung, Platel. citati, & secuti a La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 644. & plures alii contra S. Antoninum, Victoriam, Tolet. Medin. Gran. Præposit. Valent. Henriq. aliosque cum Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 41. dicentes non amplius ipsum obligari pro tali anno, quia Communio videtur per præceptum fuisse alligata isti determinato tempori, uti obligatio audiendi Missam alligatur certæ diei, qua transacta non est amplius obligatio.

At ratio pro nostra conclusione est, quia tempus Paschale est designatum, non ad terminandam sed ad urgendam obligationem, quod colligitur ex verbis præcepti, nam *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnit. & remiss.* dicit: *Ad minus in Paschate*, & Concil. Trident. *sess.* 13. *Canon.* 9. dicit: *Saltem in Paschate*; Tum quia præceptum communionis Paschalis videtur esse virtualiter duplex, & continere in primis præceptum communicandi semel in anno, deinde communicandi circa Pascha ob venerationem Festi, & commemorationem Cœnæ Domini; Unde quamvis hoc posterius non possit amplius impleri, tamen prius, si nondum impletum est, adhuc impleri potest: adeoque etiam debet impleri, sicuti qui ex pœnitentia debet jejunare die Sabbati, si ex negligentia, vel impotentia non jejunet tali die, tenetur jejunare tempore sequenti, & idem probat Carden. *in* 1. *Crisi* d. 52. dicens esse moraliter certum. 22

Qui prævidet tempore Paschali se impediendum, probabiliter non tenetur prævenire, si jam semel eo anno communicaverit, vel brevi post Pascha esset communicaturus; Suarez, Lugo, Castropal. Bernal., Burg. Platell. Illsung citati, & secuti a La Croix *l.* 6. *part.* 1. *n.* 642. & alii plures. Qui tamen nec ante communicasset, nec postea habiturus esset occasionem, teneretur prævenire, ut satisfaceret præcepto Communionis annuæ. *Omnes citati Doctores*, & alii. 23 24

Qui tempore Paschatis Eucharistiam ex negligentia non suscipit, potest ab Ordinario excommunicari. *Sacr. Cong. Conc.* 28. *Jan.* 1587. *in responsione ad primum*. 25

Immo potest etiam mulctari pœna pecuniaria alicui pio loco applicanda. *Eadem Sacra Congr. Conc. in responsione ad secundum*. 26

Non expedit tamen, quod Episcopus talium absolutionem sibi reservet. *Ead. Sac. Cong. in responsione ad tertium*. Vide verb. *Eucharistia nu.* 25. ubi afferuntur dicta dubia cum responsione Sacr. Cong. 27

Excommunicati paulo ante Pascha non sunt molestandi, si non communicant in Paschate. Vide d. verb. *Eucharistia n.* 26. 28

Communio an, & quando possit dari pueris, mutis, & surdis a nativitate, energumenis, epilepticis, semifatuis, stolidis, phræneticis, & amentibus 29

Responsio Auctoris.

Cum Paschalis Communio debeat fieri in propria Parochia, & vagi, peregrini, & advenæ nullam habeant Parochiam, stat mea conclusio suffulta, nedum classicis Auctoribus, sed etiam Const. Julii II. incip. *Dum ad Sacrum* §. 37. relata a Lantusca in *Theatro Regularium*, verb. *Eucharistia n.* 6. Edit. rom. & novissime meam conclusionem defendit ut communissimam D. Alphonsus de Liguori *nell' Instruzione e Pratica per li Confessori*, italico idiomate impressa Venetiis 1759. qui *tom.* 1. *cap.* 12. *punto* 2. *num.* 42. sic expresse tradit: „ I Pellegrini, quali si trovano lungi dalla Parrocchia propria, „ posson far la Comunione in qualunque Chiesa; nè sono tenuti a farla nella Parrocchia del luo- „ go, dove si trovano: così communissimamente Gaet. Soto, Azor, Suarez, Lugo, Sanchez, Bo- „ nacina, Castrop. Salm. contro Barbosa, Torn. e Roncaglia. La ragione è, perchè essi non anno „ allora il proprio Pastore, che debba riconoscerli, onde cessa affatto il fine di comunicarsi in Par- „ rocchia.

tibus, aliisque infirmis; Vide d. verb. *Eucharistia a n. 30. ad 33.*

30 Studiosi Scholas frequentantes extra propriam Parochiam satisfaciunt præcepto Communionis Paschalis communicando in Ecclesiis Regularium, & aliorum, apud quos scholas frequentant; Gobat *tom. 1. tract. 4. n. 77. consuetudine*, inquit, *fere ubique id obtinente*. La Croix *lib. 6. par. 1. nu. 636.* & alii dicentes, quod ideo conniveant prudenter Ordinarii, & Parochi; quia Professores longe facilius observant detectum, & ad Confessionem, & Communionem urgent; Ubi tamen Ordinarii, & Parochi contradicerent, essent mittendi studiosi singuli ad suas respective Paræcias, quia ex supra adductis tenentur omnes pro satisfaciendo præcepto Communionis Paschalis communicare in propria respective Parochia, nisi alibi communicent ex dispensatione, vel permissione Ordinarii, seu Parochi. *

31 Qui fuerint interdicti declarati ex eo, quod tempore Paschatis non communicaverunt in Parochia, si postea ibi communicant, debent absolvi, & Cedulones amoveri. *Sac. Congreg. Episcop. in Trojana 30. Apr. 1613.*

32 Episcopus non debet procedere contra eos qui in Paschate communicaverunt Romæ. *S. Congr. Episcop. in Castrensi 24. Maii 1624.*

33 Paschale tempus pro Communione Paschali a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis concluditur, nec potest ab Episcopo prorogari, præsertim in sua Synodo usque ad Festum v. g. Ascensionis Dominicæ, vel Sanctissimæ Trinitatis, inconsulta Sacra Congregatione. Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 7. cap. 69. n. 9.* ubi dicit, quod si ejusmodi Synodalis constitutio ederetur, corrigenda foret, quia non decerneret, quod est a jure prætermissum, sed contra jus limites ampliaret, ab ipso jure jam præfinitos. Quo circa

34 Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus Neapolitanus probe noscens sibi non competere facultatem prorogandi dictum tempus usque ad diem Ascensionis, illam sibi concedi petiit a Sacra Congregatione, quæ ob ingentem numerum populi Neapolitanam Urbem incolentis, petitam prorogationem concessit, *Die 20. Mart. 1694.* quam idem Cardinalis in suam inseruit Diœcesanam Synodum, eodem anno celebratam, quod idem præstitum fuit ab ejus successore Cardinali Pignatello in Synodo ab ipso celebrata anno 1726. Hæc ille.

Superiores Regulares, & non Parochi, debent 35
exquirere a suis familiaribus & continuis commensalibus, eisque actu inservientibus, an præcepto Paschalis communionis satisfeceriat. Sic Sacr. Congr. Conc. ex Bullario Ordinis Prædicatorum *t. 7. p. 322. Constit. 69.*

PASCUA.

PAscua nomen, & originem ducunt a pascendo. *Communis.* 1

Unde pro pascuis intelliguntur illa loca, in quibus pecora, aliaque similia animalia pastum sumere solent. *Communis.* 2

Pascua, & silvæ de jure communi spectant ad Communitatem, *l. Omnes 12. Cod. de operibus publicis*; *l. Omne territorium 4. Cod. de Censibus* cum similibus. Rota *par. 4. recent. tom. 1. dec. 275. nu. 2.* Adeout communia sint omnibus Pascua publica; *l. In tantum 9. ff. De divisione rerum §. Universitatis sunt*; *l. Cum nulla 1. & l. Insignis 2. Cod. De Pascuis publicis.* Rota *par. 3. rec. dec. 433. nu. 1.* Et sic Dominus loci potest & ipse sua animalia mittere ad Pascua. Rota *cit. dec. 433. numer. 1.* Intellige tamen jus mittendi propria animalia ad Pascua publica competere quidem Domino loci tamquam Civi illius loci. Rota *loc. cit. numer. 1.* Non autem tamquam Domino, cum ratione Dominii, & jurisdictionis nullum habeat jus in publicis Pascuis Rota *loc. cit. n. 1.*

3
4
5
6
7

Hinc sequitur, quod si ex causa publica per Communitatem fuerit prohibita pasculatio, tunc nec ipse Dominus loci potest mittere sua animalia in loco prohibito pasculari, cum talis pasculatio sibi non competat tamquam Domino, sed tamquam Civi, & propterea debet subjacere Legibus aliorum Civium. Unde cessat quod dicitur, Leges inferiorum non ligare Superiorem, quia hoc est 8

Nota Romani Theologi.

* Falsa videtur hæc opinio Censoribus, Ordinario etiam & Parocho non contradicentibus.

Responsio Auctoris.

Nescirem quomodo, si admittatur hæc opinio seu censura *Rom. Theologi*, possunt sine gravi culpa Ordinarii, & Parochi id scientes, talem gravem transgressionem tolerare, & nullimode contradicere, cum facile possent, & tenerentur. Unde ad ipsos, aliosque eximendos a gravi culpa, dicendum est, quod non contradicendo, sed id tolerando accedat eorum, si non expressa, saltem tacita facultas, seu permissio: taciti autem, & expressi eadem est virtus, ac idem judicium; *L. cum quid 3. ff. de rebus creditis*, *cap. ex part. 2.* de Rescriptis. Et frustra exprimitur, quod jam intelligitur, *L. Cornelius 69. ff. de Heredibus instituendis*; Et *L. Hæc verba 3. ff. de legatis 1.* Habetur enim pro expresso, quod tacite subintelligitur; *L. Fideicommissa 11. ff. de legatis 3. §. Si filio*; maxime, ut inquit Gobat, *tom. 1. tract. 4. nu. 67. Consuetudine fere ubique id obtinente*, cum ipsa sit optima legum interpres; *L. Si interpretatione 37. ff. de legibus cap. Cum dilectus 8. de consuetudine*: sicque, his stantibus, sistit in suo robore mea conclusio.

est intelligendum respectu illius, in quo est Su-
perior, & Dominus. Rota *cit. dec.* 433. *n.* 2.
9 Jus pascendi in bonis communalibus competit
Communitati, & dictum jus potest Communitas
exercere in iis tantum, quæ sub dominio Univer-
sitatis esse censentur. Rota rec. *par.* 2. *dec.* 300.
10 *num.* 1. Adeout hujusmodi jus prohiberi non pos-
sit a Domino Castri ratione jurisdictionis, quam
in eo exercet. Rota *loc. cit. num.* 2. Dominus enim
11 loci prohibere non potest incolis usum pascendi,
lignandi, & hujusmodi. Card. de Luca *de servitut.*
disc. 42. *per tot. & disc.* 36. *num.* 11. Etiamsi Do-
12 mino loci per Principem expresse concessum es-
set Feudum cum nemoribus, silvis, & forestis e-
xemptum ab omni onere. Card. de Luca *cit. disc.*
42. *n.* 2.
13 In aliis vero Pascuis, quæ non sunt juris Com-
munitatis, sed ipsius Domini Castri vel privato-
rum, Communitas non potest, illis invitis, ani-
malia ad pastum mittere. Rota rec. *cit. dec.* 300.
14 *num.* 3. Dominus enim potest prohibere pastionem
in suo. Rota *loc. citat. num.* 4. *& Communis Docto-*
15 *rum*. Unde si alicujus animalia depascant in lo-
co, in quo a Domino fundi jus pascendi sit in-
terdictum, ad resarciendum damnum inde emergens
tenetur ipse animalium Dominus, jure naturali id
suadente, & juribus scriptis id demandantibus;
textu expresso *in l. De his 6. Cod. de Lege Aqui-
lia*, ibi: *De his, quæ per injuriam depasta conten-
dis ex sententia Legis Aquiliæ agere minime prohi-
beris; l. Si Quadrupes* 1. *ff. Si quadrupes pauperiem
fecisse dicatur*, ibi: *Si quadrupes pauperiem fecis-
se dicatur, actio ex Lege* 12. *tabularum descendit*,
& concordant *l. Si quis* 1. *Cod. De fundis, & sal-
tibus Rei Dominicæ*; *l. Insignis* 2. *& l. Prata* 3. *Cod.
de pascuis publicis*.
16 Jus pascendi potest acquiri quinque modis. Pri-
mo institutione, vel alia ultima voluntate, si jus
pascendi relinquatur. Secundo, stipulatione, pa-
ctione, vel emptione, donatione, & simili con-
tractu. Tertio, Sententia. Quarto, Lege, vel
statuto. Quinto, præscriptione. Cæpol. *de servit.
rustic. præd. cap.* 91. *a n.* 6. *usque ad* 31. ubi late
de omnibus; Panimol. *dec. civil. Moral. Criminal.
par.* 1. *dec.* 25. *adnotat.* 2. *n.* 2. & alii. Ad præscri-
17 bendam tamen hanc servitutem juris pascendi re-
quiritur usus immemorabilis, seu tantum tempus,
cujus initii memoria non extet in contrarium, seu
centenaria. Cæpol. *loc. cit. n.* 32. Panimol. *loc. citat.
n.* 3. Rota rec. *par.* 9. *tom.* 1. *dec.* 320. *n.* 8. *& par.* 9.
tom. 2. *dec.* 337. *n.* 17. Vel requiritur, quod probe-
tur quadragenaria cum titulo. Rota *par.* 9. *tom.* 1.
cit. dec. 300. *n.* 10.
18 Qui sine ullo ex dictis quinque titulis anima-
lia sua pascit in interdicto fundo alieno, peccat gra-
viter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem
damni causati, & tenetur ad restitutionem, sicu-
ti si in alia re damnificasset. *Communis*. Item qui
19 sua animalia pascit in Pascuis Communitatis elo-
catis alicui privato, tenetur restituere damnum
datum, non aliter ac si ad personam privatam
spectarent talia pascua, quia Communitas illa lo-
cando dictæ personæ privatæ, transtulit totum suum
jus in illam, non aliter ac si pro tempore ven-
didisset. *Communis*.

Qui pascit animalia sua in Pascuis Communita- 20
tis ab ipsa non elocatis alicui personæ particulari,
sed relictis communibus omnibus incolis, & Ci-
vibus, nullimode peccat, nisi fortasse essent Pa-
scua divisa, & assignata singulis pro parte, ut
pluribi solet fieri de silvis ad ratam singulis assi-
gnatis pro parte, quia tunc non posset animalia
sua pascere, nisi in Pascuis sibi pro sua parte as-
signatis, & pascendo in Pascuis assignatis aliis,
peccaret graviter, vel leviter juxta gravitatem, vel
levitatem damni dati, & teneretur ad restitutio-
nem, ac si pasceret in interdicto fundo alieno,
maxime si repartitio & divisio talium pascuorum
sit juste, & recte facta, quia quisque in parte
sibi juste a Communitate assignata habet jus stri-
ctum, tamquam in Pascuis propriis. *Communis*.
Qui pascit animalia sua in Pascuis spectantibus 21
ad Communitatem, cujus ipse non est pars, se-
cundum Dicastill. & alios cum Burg. *Centur.* 3.
caus. 77. non peccat, nec tenetur ad restitutionem;
Quod admittunt Illsung *tom.* 4. *dec.* 2. *numer.* 284.
Sanchez *in Consil. lib.* 1. *cap.* 5. *dec.* 1. *n.* 21. *&* 35.
& alii, si pascat in Pascuis Communitatis vici-
næ, quia talia damna mutuo compensantur in
Oppidanis vicinis; Unde videntur ista licite per
consuetudinem, aut saltem tantum sub pœna pro-
hiberi, vel per pacta disjunctiva, ut vel non pa-
scant, vel si pascant, & deprehendantur, sol-
vant pœnam: Opinio tamen contraria est pro-
babilior, & communior cum Bonacina citat. & secut.
a la Croix *lib.* 3. *par.* 2. *num.* 255. quod nempe in
hoc fiat injuria, possitque etiam peccari mortali-
ter, si attingatur materia gravis; nam quævis Com-
munitas habet ad sua Pascua jus strictum contra
alias Communitates, neque scitur, quod adsint
talia mutua pacta: Neque potest dici, quod talia
damna mutuo compensentur, quia, ut recte di-
cit Vasquez *cap.* 5. *de restitutione* §. 4. *dub.* 1. com-
pensatio debet fieri in bonis ejusdem, qui dam-
num intulit, & non in bonis alterius innocentis,
prout in hoc casu frequenter fieret; cum non fiat
ex bonis propriis ejus, qui damnum intulit, sed
communibus aliorum qui nihil debent.
Quæ dicta sunt de Pascuis, intelligenda sunt 22
etiam de lignatione in silvis, ut tradunt commu-
niter Doctores. Qui insuper docent, quoad ista 23
attendendas esse consuetudines, & Leges, diver-
sis Provinciis, ac locis proprias.
Gabella imposita ab Universitate super Pascuis 24
non comprehendit animalia Ecclesiasticorum. *Sacr.
Congreg. Immun.* 14. *Sept.* 1675. *lib.* 1. *Decret. Al-
toviti pag.* 1146.
Pro pasculatione animalium Ecclesiasticorum ni- 25
hil solvendum, si hucusque ita fuit observatum.
Sac. Cong. Immun. in Laquedonen. 2. *Jul.* 1630. *l.* 2.
Decret. Paul. pag. 51.
Statutum Laicorum prohibens moram, & in- 26
gressum animalibus in Pascuis, non comprehen-
dit Ecclesiasticos. *Sacr. Cong. Immun. in una Mon-
tis Falisci* 24. *Jan.* 1646. *l.* 3. *decret. Paulucci p.* 243.
Si territorium sit proprium Communitatis, non 27
intrat Immunitas Ecclesiasticorum circa Pascua.
Sac. Cong. Immun. in Amerina 7. *Oct.* 1631. *lib.* 2.
decret. Paul. pag. 92.

28 Ve-

28 Verum Pascua provenientia, non ex tenuta particulari Communitatis, sed totius territorii proprii Ecclesiarum, & particularium Civium reduci debent ad pristinum statum Libertatis, tam quoad Laicos, quam quoad Clericos. *Sac. Congr. Immun. in Faventina 26. Jun. 1628. lib. 2. decret. Paul. pag. 97.*

29 Laici pro belluis ab Ecclesiasticis eis traditis sub specie cujusdam contractus nominati Census revera transferentis dominium ipsarum belluarum in Laicos, tenentur ad solutionem Fidæ seu Pasculi, & in hoc Decreto Sacra Cong. recessit a jam decisis, quod non tenerentur. *Sacr. Congr. Immun. in Larinen. 24. Septemb. 1697. lib. 2. decret. Vallem. pag. 113.*

30 Circa Edictum Episcopi an obliget Clericos ad solvendum pro Pascuis aliquam summam minorem, quam Laici? Sac. Congr. remittit causam ad A. C. *Sac. Cong. Immun. in Marsicen. 7. Jul. 1699. lib. 2. Decret. Vallem. pag. 113.*

31 Super controversiis inter Abbatem Commendatarium, & Baronem Loci Laterzæ, Sacra Cong. respondit: Firma remanente restitutione Jacci, omnia quoad Pascua, seu prætensam Fidam remittuntur ad A. C. cum facultatibus Sacræ Congregationis. *Sacr. Congr. Immun. in Acheruntina 2. Dec. 1704. l. 3. decr. Vallem. p. 632.*

32 Cum jus supra Pascua animalium competat Archiepiscopo Regien. ratione Dominii temporalis, injungitur Episcopo Boven. ut informet, & interim nihil innovet. *Sac. Congr. Immun. in Boven. 3. Sept. 1695. lib. 1. Decret. Vallem. pag. 213.*

Additiones ex aliena manu.

33 De jure pascendi, & quando ipsum secumferat prohibitionem immutandi culturam, tum restringendi, non incongrue hic disquiritur.

34 Potest jus pascendi competere vel in propriis agris aliis concessis ad percipiendos fructus dumtaxat industriales, uti est tunc quum competit *jure dominii fundiarii*, vel in agris alienis. Priori

35 sane casu non est dubitandum, quin possessores agrorum nequeant immutare culturam, & restringere, quum dominium unde provenit libertas immutandi culturam, & restringendi, non sit apud possessores agrorum, sed apud illum qui jus habet pascendi: Cardinal. de Luc. *de Servit. discurs. 37. num. 10.* Capyc. Latr. *consult. 83. num. 34. & plur. seq.*

36 At posteriori casu non semper eodem modo se res habet. Porro si jus pascendi in agris alienis competat *jure servitutis veræ & propriæ*, ut est dum ab uno prædio alteri prædio debetur, & sic talia pascantur Animalia, quæ prædii vicini instrumento continentur, adeoque prædii accessoria sunt, in hoc pariter casu non est in arbitrio possessorum agrorum, quamvis Dominorum, immutare culturam, & restringere; Surd. *consil. 27. num. 10.* Cæpoll. *de servit. rustic. præd. cap. 9. num. 40.* Oter. *de Pascuis cap. 16. num. 2.* Antunez *de Donat. Reg. tom. 2. lib. 3. c. 9. n. 78.* Cohel. *de Bon. Regim. cap. 10. num. 198.*

37 Quod si jus pascendi in alienis agris competat *non jure servitutis veræ & propriæ, sed abusivæ & impropriæ*, prout est quum non prædio, sed personæ, & quidem indefinite & generaliter pro quibuscumque animalibus debetur, & in hoc disparato casu si acquisitum ostendatur titulo expresso, eoque *oneroso*, nec in potestate est Possessorum agrorum licet dominorum culturam immutare & restringere: Rot. *in Veliterna Juris pascendi 9. Jun. 1755. §. 4. cor. Eminentis. Bussio.*

Sin autem acquisitum sit titulo quidem expresso, sed *liberalis concessionis*, puta *statuto*, *privilegio &c.* liberum est Possessoribus agrorum vi dominii immutare culturam & restringere, quum concessum intelligendum sit quandiu ipsi agri aperti remaneant, prout erant de tempore ipsius liberalis concessionis, ne alias propria cuique liberalitas noceat, Calcan. *consil. 50. num. 4. seq.* Casanatt. *consil. 22. num. 10.* Capiblanc. *de Baron. pragm. 11. num. 115.* Corradin. *de Jur. Prælat. quæst. 74. num. 17. & duob. seq.* Thomat. *decis. Maceraten. 234. num. 31. & 34.* Rot. *coram Molin. decis. 774. numer. 16. & seq.* 38

Idemque juris est, si acquisitum sit consuetudine, seu præscriptione. Quum consuetudo hæc seu præscriptio proveniat *ex natura campestri & aperta agrorum, tamquam ex cessante murorum, vel sepium, aut fovearum impedimento*: ut sunt verba Card. de Luc. *de servit. discurs. 37. num. 6.* & adamussim conveniunt Capiblanc. *de Baron. Pragm. 11. num. 30.* Antonell. *de Tempor. legal. cap. 110. num. 4.* Carol. Anton. de Luc. *ad de Franch. dec. 301. num. 6.* Thomat. *decis. Maceraten. 234. num. 34.* Hinc est, quod impedire haud valet quominus Possessores eorumdem agrorum virtute dominii culturam immutent, & restringant; Rocc. *disp. jur. select. c. 169. n. 23.* Bonden. *ad Oter. de Pasc. cap. 16. n. 5.* Panimoll. *dec. 25. adnot. 2. n. 33.* Rot. *in Prænestina Herbarum 27. Junii 1736. §. Ast, cor. clar. mem. Calcagnino.* 39

Idque procedit etiamsi agatur de consuetudine, seu præscriptione immemorabili. Tametsi enim vigore consuetudinis, seu præscriptionis immemorabilis allegari regulariter queat quicumque titulus magis utilis; ea tamen in casu, uti habens *certam originem* ex mox dicta *natura campestri & aperta agrorum*, operari haud valet præsumptionem tituli utilis, adeoque inefficax est ad immutationem culturæ & restrictum; Rot. *in Signina Juris pascendi 25. Jun. 1725. §. fin. cor. clar. mem. Aldovr. in Carpentoraten. Territorii super damnis 16. Junii 1747. §. 2. & in confirmatoria 2. Decemb. 1750. §. 4. cor. Reverendis. Molin. & in Balneoregien. Juris pascendi super bono jure 25. Januar. 1751. §. 3. cor. Eminentiss. Bussio.* 41

Solumque consuetudo, seu præscriptio immemorabilis efficax esse potest ad impediendam immutationem culturæ, & restrictum, si illi, qui ex ea acquisiverunt jus pascendi, simul prohibuerint, quominus possessores agrorum immutarent culturam, & restringerent, & hi acquieverint. Cæterum secluso concursu talis prohibitionis, talisque acquiescentiæ, nequit consuetudo seu præscriptio immemorabilis impedire immutationem culturæ & restrictum, eo quia fieret transitus *ab affirmativo* 42

jure

jure pascendi ad negativum, illudque longe diversum *jus prohibendi* immutationem culturæ, & restrictum, qui sane transitus non permittitur; Rota *in Balneoregien. Juris pascendi super bono* 1751. 25. *Januarii* 1751. §. 6. *coram Eminentiss. Bussio*, *in Sutrina Juris pascendi quoad facultatem faciendi restrictum super reservatis* 27. *Martii* 1752. §. 3. *&* 16. *Martii* 1753. §. 3. *coram Eminentis. Elephant. & in Veliterna Juris pascendi* 9. *Junii* 1755. §. 4. *& seq. cor. Eminent. Bussio*.

PATER.

(*) Sublata distinctione dominorum, & servorum præcipua personarum divisio ea est, quæ patres-familias a filiis-familias distinguit: *Nam Civium Romanorum quidam sunt patres-familiarum, alii filii-familiarum, quædam matres-familiarum, aliæ filiæ-familiarum. Patres-familiarum sunt qui sunt suæ potestatis sive puberes sive impuberes; simili modo matres-familiarum; filii-familiarum, & filiæ, quæ sunt in aliena potestate. L.* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*: Non satis constat quomodo Ulpianus matres-familiarum eas simili modo appellet, quo patres-familiarum. Nam pater-familias tunc talis incipit vocari, cum a patria exiit potestate: At mater-familias non modo ea vocatur, quæ sui juris est, sed & ea, quæ in mariti manum venit, licet alterius potestati subjecta l. 44. ff. de adopt. Etenim ut arbitratur *Aulus Gel. noct. Att. lib.* 18. *c.* 6. *probabilius est, matrem-familias appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu, mancipioque esset, quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui hæredis locum venisset*, quæ mater-familias mariti certe potestati subjecta est. Quare non alio modo allatus Ulpiani textus intelligi potest; nisi ibidem sermonem haberi de iis mulieribus, quæ postquam in mariti manum venerunt, defuncto viro, in ejus familia remanserunt, nullo alio superstite, in cujus potestate recasuræ sint, l. 20. 34. ff. solut. matrim. l. 5. ff. de bonis damnat. Notandum tamen, quod hæc distinctio in patres & filios-familias minime observatur, ubi agitur de publicis causis, & muneribus: *Nam filius-familias in publicis causis loco patris-familias habetur, veluti ut magistratum gerat, vel tutor detur. l.* 9. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris*.

1 Pater, & Filius dicuntur una persona, & habetur expresse in juribus, tam Civilibus, quam Canonicis; In Civilibus, *in l. Si quis duobus*, 11. *C. de impuberum, & aliis substitutionibus*, ibi: *Cum, & natura Pater, & Filius eadem esse persona pene intelligantur*, & sæpe alibi. In Canonicis *in c. Contradicimus* 21. *caus.* 35. *q.* 3. §. 1. ibi: *Cum una caro probetur Pater, & Filius*, & sæpe

2 alibi. Dicuntur Pater, & Filius una, & eadem persona, non vere, sed ficte, seu juris fictione, (*) ob quosdam juris effectus, ut in contractibus, successionibus, aliisque de quibus opportuno loco disputandum: profecto ita (*) statuunt Baldus *in l. de tutela* §. *si duo, ff. de legitim. tutel.* & alii communiter.

Nomine Patris venit etiam Avus, & Proavus Paternus respectu Nepotum, & Pronepotum, seu respectu Neptum, & Proneptum, si fuerint sub potestate Avi, & Proavi; *l. Cum oportet* 6. *Cod. de bonis, quæ liberis in potestate &c.* cum similibus. 3

Pater filius Avi, vivente eodem Avo, non habet jus in suos Filios, nisi habitu, *l. Nam Civium* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: *Nam qui ex me, & Uxore mea nascuntur, in potestate mea sunt, item qui ex Filio meo, & Uxore ejus, idest Nepos meus, & Neptis æque in mea sunt potestate* (*) Sed non solum liberi nostri patriæ nostræ potestati subjiciuntur; sed & nostræ uxores cum in manum nostram convenerunt, item nurus, & pronurus. Est enim talis uxor nobis loco filiæ: nurus autem, & pronurus sunt nobis loco neptis, & proneptis. Hæc discimus ex *lib.* 3. *instit. Caii*, qui apud *collatorem Mosaicarum, & Romanarum legum tit.* 16. *de legitima successione* ita se habet: *Uxor quoque, quæ in manu ejus est, ei sua heres est, quia filiæ loco est, item nurus, quæ in filii manu est; nam & hæc neptis loco est. Sed ita demum erit sua hæres, si filius, cujus in manu erit, dum pater moritur in potestate ejus non sit. Idem dicimus & de ea, quæ in nepotis manu matrimonii causa sit, quia proneptis loco est.* (*) 4

Pater decedente Avo, acquirit actu potestatem in suos Filios; *l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: *Nepotes ex filio, mortuo Avo, recidere solent in Filii potestatem, hoc est Patris sui*. 5

De jure communi Pater ob transitum ad secundas nuptias non privatur usufructu bonorum Filiorum prioris Matrimonii. Gomez ad *leg.* 48. *Tauri num.* 1. *in fine*, Paschalis *de viribus Patr. potest. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 37. Ascanius Clemens *de patria potest. cap.* 7. *& sect.* 2. *num.* 40. *vers. Amplia decimo tertio*. Castillus *de usufructu cap.* 3. *num.* 26. Sanchez *consil. moral. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 28. *in fine*, Ioannes Angelus Bossius *de patr. potest. cap.* 7. *num.* 170. *& in tractat. de contractu Matrimonii cap.* 11. *num.* 276. *&* 325. & innumeri alii ibi ab ipso citati. Et ratio est, quia Filiifamilias ex priori Matrimonio nati per transitum Patris ad secundas nuptias non desinunt esse sub patria ipsius potestate, ut omnes concedunt, ergo nec eorum bona desinent esse sub ipsius administratione, & usufructu; jura etenim, quæ non diffidunt quoad personam, nec diffidere videntur quoad bona; Hoc idem evincitur ex *l. Generaliter* 5. *& l. Hac edictali* 6. *Cod. de secundis nuptiis*. 6

Nec valet objicere, quod sicuti Mater transiens ad secundas nuptias privatur jure educationis, & tutelæ Filiorum prioris Matrimonii, ita Pater transiens ad secunda vota debet privari usufructu bonorum Filiorum prioris Matrimonii. Non valet, inquam, quia non currit paritas quoad hoc de Matre, & Patre; Mater enim nec habet Filios sub sua patria potestate, nec gaudet usufructu in eorum bonis, sed solummodo exercet munus tutelæ, quod est quid diversum a munere patriæ pote- 7

testatis, & cum ipsa quodammodo transeat sub potestate secundi Mariti, non est æquum, quod Filios prioris apud se retineat: Quæ omnia considerari non possunt in Patre transeunte ad secundas nuptias.

8 Pater non potest Beneficium habere in una Ecclesia, & Filius in alia, quando ambæ sunt sorores, ita ut residens in una censeatur in alia residere, quarum aliquæ reperiuntur in Hispania. *Sac. Congreg. Concil.* apud Nicol. Garciam *de Benefic. part.*7. *in addit. ad c.* 3. *n.*75. & Barbos. *in Summa Apostol. dec. verb. Pater n.*3.

9 Pater, & Filius possunt celebrare in eadem Ecclesia. *Sacra Congr. Concilii sub die* 31. *Jan.* 1603. apud Sellium *in Selectis Canonicis c.* 92. *n.*7. Barbosa *loc. cit. n.*4.

10 Pater legitimus nulla indiget dispensatione ad obtinendum immediate Beneficium Filii; Licet Filius quamvis legitimus dispensatione egeat ad obtinendum immediate Beneficium Patris *Sac. Congregat. Concil.* apud Nicol. Garciam *addit. ad dict. part.* 7. *c.* 3. *num.*29. & Barbosa *loc. citat. num.* 5. *&* 6.

11 Pater enim non prohibetur obtinere immediate Beneficium Filii sui legitimi. *Sac. Congreg. Conc. sub die* 30. *Maii* 1602. *& in Maceraten.* 18. *Novemb.* 1628. apud Sellium *c.* 92. *n.*8. & Barbosam *loc. cit. num.* 7.

12 Pater, reclamantibus Filiis etiam minoribus. Uxore mortua, potest Professionem in aliqua Religione emittere. *Sacra Congregatio Concilii in Casalen. educationis Filiorum* 26. *Augusti &* 26. *Decembris* 1719. de qua late Ursaya *tom.* 4. *part.* 1. *disceptat.* 15.

13 Pater, qui dormiens in lecto Filium suffocavit, efficitur Irregularis propter culpam, vel negligentiam, quæ homicidium præcessit, ut est textus *in cap. Quæsitum*, & ibi DD. *de pœnit. & remiss. cap. Consuluisti* 2. *q.* 5. *cap. ult.* cum ibi notatis, *de iis, qui Filios occiderunt*; Fagnan. *lib.*5. *Decret. in c. Si constiterit* 12. *de accusationib. n.* 39. Silvester in verb. *Homicidium secund. n.* 15. *in* 23. *quæstion.* & alii passim.

14 Pater percutiens Filium in Sacris constitutum Excommunicationem incurrit, ut efficaciter probat textus a contrario sensu *in c. Cum voluntate* §.*fin. de sent. Excommun.* Cum enim percutientes correctionis causa propinquos inferiorum graduum, idest Minorum Ordinum, in sententiam Excommunicationis non incidant, ut ibi deciditur, utique a contrario sensu in hujusmodi Excommunicationem incidunt, qui percutiunt propinquos superiorum graduum, idest in Sacris constitutos, & ita videtur sentire ibi Glossa final. & tenent expresse Hostiens. *n.*13. Butrius *n.*25. & Abbas *num.* 8. *vers. Item quoad percussionem*. Idem firmant Hostiens. *in c. Indecorum* 3. *de ætat. & qualit. n.* 8. *vers. Item quoad nimiam violentiam*, Jo. Andreas *n.* 13. *vers. Item quoad violentiam*, Fagn. *n.* 48. & ipso teste reliqui omnes.

15 Immunitas duodecim Filiorum non conceditur Patri propter adoptivos; Si enim per Statutum, seu constitutionem dispositum sit, quod Pater habens duodecim Filios gaudeat Immunitate quoad onera communia, ut in statu Mediolanensi, & pluribus aliis Provinciis habetur concessum, ne nimio gravamine in alendis tot liberis prematur Pater, qui in procreatione tot liberorum sic favorabilis videtur Reipublicæ, ut notat. per textum *in leg. Cum ratio naturalis* 7. *&* §. *Si plures filios*, *ff. de bonis damnator. & leg.* 1. *C. de indicta viduitate*; tunc si Pater non habeat complementum Filiorum duodecim, nisi computatis adoptivis, talis immunitas eidem non competit, *arg. leg. Sextum* 2. *ff. de vacatione, & excusatione munerum*, §. *Adoptivi Filii*, ibi: *Adoptivi Filii in numerum non proficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent*; *& Inst. de excusationibus Tutorum in princ.* ibi: *Sed adoptivi liberi non prosunt*. Rosignol. *de patr. potest. discept.* 1. *c.* 10. *n.* 4. & alii communiter.

Immunitas duodecim Filiorum Patri concessa non tollitur per emancipationem aliquorum ex Filiis. Roland. *cons.* 52. *n.* 5. *vol.* 2. Menoch. *consil.* 486. *num.* 6. Rosignol. *loc. cit. discept.*6. *cap.*23. *num.* 3. ubi pluribus adductis testatur de communi. 16

Nec talis Immunitas tollitur ex nuptiis Filiarum, licet enim plures ex Filiabus nubant, non cessat privilegium in Patre duodecim liberorum, ut definivit *Excellentissimus Mediolani Senatus per litteras patentes in casu Joannis Petri de Mutina dicti Othonæ die* 7. *Maii* 1552. teste Rosignolo *loc. cit. num.* 5. 17

Item nec talis Immunitas tollitur per Professionem aliquorum ex Filiis in Religione. *Communis*, teste Rosignolo *loc. cit. n.* 6. 18

Alia, Vide verb. *Filius*, verb. *Parentes*. 19

Pater an, & quando teneatur ad restitutionem mutui sine suo consensu accepti a Filio? Vide verb. *Mutuum a n.* 1. *ad* 19. 20

Patris iniquitas transfundi potest in Filium quoad pœnam, seu punitionem temporalem, non quoad culpam, seu defectum moralem: quoad pœnam quidem, ut exponunt SS. Patres: *Exodi c.* 20. *vers.* 5. *Visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, *& idem c.* 34. *vers.* 7. *ac num.* 14. *vers.* 18. ut etiam multoties Deus propter unius peccatum populum totum punivit; ita *lib.* 2. *Reg. c.* 24. *vers.* 15. propter Davidis peccatum pestem in populum Israeliticum immisit in tantum, quod tribus diebus septuaginta hominum millia mortui sunt; immo id etiam quandoque contigit propter privati hominis peccatum; sic *Josue cap.* 7. accidit propter furtum Achan filii Charmi in Jericho. Præfata tamen dubio procul a Deo præstita sunt, & præstantur sanctissime: siquidem pœna in insonte ordinatur in patientiæ exercitium, virtutumque excitamentum atque incrementum; Accedit, quod *Exodi cap.*34. *vers.* 7. nullus apud Deum per se innocens est, proindeque pœna illa in proprii piaculi expiationem cedere potest. 21

At Patris iniquitatem transfundi non posse quoad culpam in Filium patet *Ezech.* 18. *v.* 20. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*; *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & im-* 22

impietas impii erit super eum; & idem *Deuteron. c. 24. vers.16. Regum lib. 4. cap. 16. vers. 9. Paralip. lib. 2. c. 25. vers. 4.* Quod si Filii Adam nedum malum pœnæ sed etiam malum culpæ peccati originalis contraxerunt : *Psalm. 50. vers. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c. & ad Rom. c. 5. vers. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: Id sane, quia Dei infinita Sapientia, & Voluntate æquissima, fuit Adamus totius generis humanis Caput creatus tum physice tum moraliter; ac omnium voluntates in Protoparente, tamquam in Capite, & principio totius posteritatis, repositæ fuerunt; sicque ut justitia originalis participanda erat, si Supremi Numinis mandatum observasset, ita contrahendum originale, quoties violasset, de quo tamen non plus æquo & temere explorandum, sed potius firma mente incessanter volvendum, quod justa judicia Domini, & in seipsis justificata; atque non minus grato corde jugiter meditandum Hominem primum ac in eo omnes peccavisse, & Filium Dei de Cœlis descendisse, amictumque carne Sanguinem, & vitam in copiosam Redemptionem profudisse.

Novæ Additiones ex aliena manu.

23 Quod ait *Auctor num.* 8. scilicet non posse habere Beneficium Patrem in una Ecclesia, & Filium in altera Ecclesia sororia, id intellige de
24 filio illegitimo. Cæterum filius legitimus non prohibetur habere Beneficium non solum in Ecclesia sororia, sed & in eadem Ecclesia, in qua Pater habet Benificium, solumque prohibetur immediate succedere in Patris Beneficium; Confer Murg. *de Benefic. q. 3. subsect. 2. num. 649.*
25 Quænam vero Ecclesiæ dicantur *sororiæ*, tum quid requiratur ut Ecclesiæ possint esse sororiæ, tradit Rota *in Cæsaraugustana Canonicatus 2. Ju-*
26 *lii 1742. coram Eminentissimo Bussio*, ubi quod si proponatur qualitas sororia ad omnes juris effectus, requiritur vel privilegium apostolicum, vel consuetudo immemorabilis, secus vero si ea
27 proponatur ad simplicem illum effectum, ut Beneficiarii unius Ecclesiæ possint promiscue interesse divinis officiis in altera.
28 Ut autem prohibeatur filius illegitimus obtinere beneficium in Ecclesia sororia, non est probanda qualitas sororia ad omnes effectus, sed satis eam probare ad effectum illum, ut possint Beneficiati Ecclesiæ, in qua Pater habet Beneficium, interesse divinis Officiis in altera illa Ecclesia; Rota *in d. Cæsaraugustana Canonicatus* §. 2. & 3.
29 Quod si Filius illegitimus jam obtinuerit Beneficium in una Ecclesia, tunc Pater prohibetur obtinere, vel in eadem, vel in sororia Ecclesia alterum Beneficium. *Ratio hujus est* (inquit Murg. *de Benefic. quæst. 3. subsect. 1. num. 624.*) *quia quum simul post Concilium Tridentinum beneficia obtinere nequeant in eadem Ecclesia, congruentius erit prohibere Patrem, ne acquirat de novo, quam compellere Filium ad dimittendum jam quæsitum & possessum.*

Responsio Auctoris.

Quod mea conclusio intelligenda sit de filio il- 30
legitimo, jam patet ex iis, quæ tradidi in verb. *Filius num. 67.* ubi sic expresse conclusi : Filius illegitimus nequit in Ecclesia, ubi Pater ejus beneficium habet vel habuit, quodcumque beneficium obtinere; id probando ex Sacris Canonibus & Concilio Tridentino, ut *ibi* videre est. Hic autem paucis refero sensum Declaration. *Sacræ Congreg. Concil.* prout refertur a Garcia, & Barbosa *loc. citat.* Quod autem subjungitur hic ab *Additore num.* 7. jam tradidi *ibi num.* 10. & 11. ex Declaratione *Sac. Congr. Conc.*

(*) SANCTI PATRES.

SAnctorum Ecclesiæ Patrum nomine latius sum- 1
pto, venire possunt quicumque primarii Ecclesiæ Pastores, ac Doctores, qui speciali lumine a Deo perfusi, ac insigni sanctitate conspicui, Ecclesiæ plantandæ, vel salubri Fidei, morumque doctrina irrigandæ, sedulam magis operam collocarunt. Quo in amplo significatu Ecclesiæ Patres dici possunt, tum ipsi Apostoli, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam, etiam sanguine suo; tum ipsorum successores Episcopi quivis, sapientia, sanctimoniaque singulari illustres, qui suis scriptis eumdem in scopum impensius collimarunt, quibus S. Augustinus applicat verba Psalmistæ : Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii, idest, inquit S. Præsul, pro Apostolis Episcopi.

Verum, quia priores illi clarioribus aliis titulis 2
resplendent, & e posterioribus complures ab istorum ætate sunt remotiores, hinc, communi, probatoque Ecclesiæ usu, SS. Patrum nomine pressius accepto dumtaxat intelliguntur ii, qui post Apostolorum tempora, his tamen paulo saltem viciniores, aut eminentis doctrinæ, sanctitatisque fama magis celebres, Ecclesiam, qua voce, qua libris ad posteros transmissis illustrarunt : atque ita, exemplo Apostoli, filios quam plurimos in Christo Jesu per Evangelium, ejusque Fidei, ac Doctrinæ legitimam expositionem genuerunt.

Iidem etiam Ecclesiæ Doctores appellantur, ne- 3
que privati dumtaxat, sed universales, ac publici, inter illos proinde venerandi, quos Deus, post Apostolos, posuit in Ecclesia Doctores: quippe, qui Ecclesiam universam sapientiæ, sanctitatisque suæ radiis collustrarunt. Sunt tamen ex illis quidam, qui speciali etiam honoris prærogativa, præ ceteris nuncupantur Ecclesiæ Doctores; eo quod, præter eminentem scientiam, & virtutem, qua omnibus, qui in domo Dei sunt, præluxere, publico Ecclesiæ ipsius testimonio pro talibus agniti, ac declarati fuerint: cujusmodi ex antiquioribus, Græcis quidem, sunt: SS. Basilius, Athanasius, Gregor. Nazianz., Chrysostomus: e Latinis præcipue quatuor : SS. Gregorius M. Augustinus, Ambrosius, & Hieronymus, quibus

recentius accessere Sanctus Bernardus, dictus Doctor Mellifluus, Div. Thomas Aquinas, & Sanctus Bonaventura, hic Seraphici, ille Angelici Doctoris titulo insignis. Doctoris quoque nomen in Ecclesiæ precibus obtinent SS. Anselmus, Isidorus Hispalensis, Petrus Chrysologus &c.

4 Scripta, quæ sub SS. Ecclesiæ Patrum nomine circumferuntur, triplicis sunt generis. 1. etenim alia sunt certo genuina, seu eorum propria, quorum nomine inscribuntur. 2. Alia indubie spuria, vel ex toto, vel ex parte: quia vel Librarii ignorantia, aut incuria unum nomen suppositum pro altero; vel ab illo, aut alio Auctore quamvis Catholico, ad conciliandum operi pretium, sub nomine celebris alicujus Patris edita: vel denique fraude Hæreticorum supposita, aut quibusdam, seu insertis, seu expunctis, corrupta, quibus suos errores tali patrocinio tuerentur, aut saltem obtegerent. 3. Alia sunt incerta, aut dubia; eaque iterum vel ejusmodi, ut, etsi non omnino constet, esse genuina, verosimilius tamen habeantur pro talibus, vel istiusmodi, ut quamquam non certo constet esse spuria, sint tamen fidei admodum ambiguæ.

5 In Sanctorum Patrum scriptis, etiam genuinis, duo in primis universim rerum genera occurrunt, de quibus tractant: aliæ enim sunt res Sacræ, quæ maximam istarum lucubrationum partem occupant: aliæ profanæ, quas identidem saltem obiter, in decursu immiscent; veluti sunt Quæstiones Philosophicæ, vel Mathematicæ, & aliæ, quæ solo naturali lumine investigari solent. De his posterioribus, utpote ab instituto nostro alienis, id dumtaxat advertere sufficiat, quod licet e SS. Patribus plures naturalibus etiam disciplinis egregie fuerint exculti, quia tamen, sublimioribus addicti toti, inferiores istas quæstiones, ubi nullam cum Fidei, morumque doctrina connexionem habebant, ex proposito non tractarunt, eorum in his determinandis auctoritas fortius non suppeditat argumentum, quam ipsorum perspecta talium materiarum major, vel minor peritia, aut rationis, ab ipsis adductæ, robur persuaserit. Deinde. Quæstionum Sacrarum duæ rursum species sunt, quas versant SS. PP. Aliæ pertinent ad Fidei, Morumve Dogmata: Aliæ materiam tangunt, salva Fidei, Morumque Christianorum puritate, inter ipsos Orthodoxos controversam. Hujus discriminis meminit S. Aug. *Alia sunt*, ait, *in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva Fidei compage, non consonant; alia vero, quæ ad ipsa Fidei pertinent Fundamenta*. Est & hoc in SS. Patrum operibus observandum, alia reperiri ad erudiendos Christianos in Fide, & moribus aut revincendos, convellendosque Hæreticos presse, rigideque prolata, alia ad populum dicta pro Concione, subinde non sine aliqua exaggeratione, Oratoribus sat familiari.

6 Duo committi solent, præcipue ab Hæreticis, peccata contra SS. Patrum auctoritatem: Alii, præsertim cum illos, sibi manifestius adversantes experiuntur, eam nimium deprimunt, immo penitus contemnunt, uti facere solent *Lutherici*, & *Calvinistæ*: quamquam, sicubi specie tenus in aliqua, a contextu decerpta lacinia favere videantur, avide illam pro se arripiant, & cum triumpho ostentent. Ipsi adeo *Sociniani*, ut vel ipsas Concilii *Nicæni*, de Verbi Divinitate Decisiones infringant, vel eludant, vetustissimorum Patrum auctoritatem, velut illis contrariam, audacter obtendunt. Alii SS. Patrum auctoritatem nimium extollunt, adeo ut vel unum ex illis, velut irrefragabilem, ipsius etiam apertis Ecclesiæ definitionibus anteponant; uti faciunt Janseniani, qui S. *Augustini* auctoritati adeo tenaciter adhærent, ut ejus, uti prætendunt Doctrinam, ab ipsis haud secus ac olim ab Adrumetinis quibusdam Monachis, aliisve male intellectam, omnibus Pontificum Decretis, etiam ab Universa Ecclesia Orthodoxa receptis, ante habeant.

Quid hac in re Catholicum virum sentire deceat, ut explicemus, primum generatim loquendo magna semper fuit in Ecclesia SS. Patrum quoad res ad Fidem, moresque spectantes Auctoritas. Primum quia semper habiti sunt ab Orthodoxis omnibus tamquam Orbis magistri, qui propius e fonte Fidei morumque dogmata hauserunt, coævi testes antiqui Spiritus Ecclesiæ, ejusque Doctrinæ, ac Disciplinæ: fidi Custodes Apostolicarum traditionum, quas vel a Majoribus, qui Apostolorum temporibus viciniores fuere, acceperunt, vel in Synodis, quibus interfuere, didicerunt. Deinde quia propterea CC. & SS. Pontifices, quoties de traditione, aut Scripturarum expositione actum fuit, Patrum mentem ex ipsorum monumentis solerter indagarunt, ac, saltem ubi uniformis fuit, secundum illam sententiam tulerunt. Sic *Ephesinum*: *in tali sensu*, inquit, *SS. PP. fuisse, comperimus*. Item *Sequentes itaque SS. Patrum Confessiones, & intentioni eorum æquis vestigiis insistentes, profitemur &c. Et Chalcedonense*: *Sequentes igitur SS. PP. docemus &c.* Iterum: *Hæc est Fides Patrum &c.*, utque de ceteris Conciliis nihil memorem, quæ in suis Decretis formandis semper ad PP. eorumque effata respexere, *Justitianus* Imp. in Concil. *Costantinop. II.*, *sequimur*, inquit, *in omnibus SS. PP., & Doctores S. Dei Ecclesiæ, idest Athanasium, Hilarium, Basilium &c.* Demum ipsimet SS. PP. posteriorum sæculorum in rebus Fidei, & morum soliti sunt anteriorum sententiam ex ipsorum Scriptis sedulo explorare, & libenter sequi; probe memores illius *Sapientis* Oraculi: *Sapientiam omnem antiquorum exquiret Sapiens .... narrationem virorum nominatorum conservabit*. Hinc merito sunt explodendi Novatores illi, qui SS. illos Doctores superbe fastidiunt, vel impie aspernantur; e quibus *Lutherus*, pro more suo, impudentissime effutire non erubuit: *Non curo mille Augustinos, mille Cyprianos &c.* Contra SS. PP. etiam calamum effrænem strinxere *Rivetus*, *& Dallæus Calvinianus* L. de usu Patrum, quem redarguit *Natalis Alexander*. Speciatim *S. Augustinum* petulantissime aggressus est, sub ementito nomine Joannis *Phereponi* latitans, *Leclerc*, quem egregie confutavit, pariter sub assumpto *Lamindi Pritanii* nomine tectus, Cl. *Muratorius L. de ingen. moderat. in negot. Religion.* 7

8 Deinde

8 Deinde singuli e SS. Patribus non habent irrefragabilem auctoritatem in quæstionibus Fidei, & morum dirimendis. 1. Quia nullibi legitur singulis appromissa S. Spiritus assistentia, neque necesse est, ad conservandum Fidei depositum, eam cuivis illorum esse promissam. 2. Quia liquido constat ex Historia Ecclesiastica, quosdam illorum nonnulla docuisse, quæ postea fuerunt improbata ab Ecclesia, uti jam sæpius diximus de opinione *S. Cypriani*, quoad rebaptizandos Hæreticos; idemque patet in quorumdam aliorum opinationibus de Millenario Christi in terris Regno, & differenda Sanctarum animarum beatitudine. 3. Quia ex ipsis SS. Patribus quidam expresse scribunt, nolle sibi irrefragabilem Auctoritatem attribui; Nam, præter *S. Hieronymum* apud Card. *Gotti*; *S. Augustinus ad Hieronymum*, scribens, *Solis*, inquit, *iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo vero putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt*. Et iterum: *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio libros; in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem*. Addit alibi, omnia Episcoporum, & Doctorum scripta, sola excepta S. Scriptura, posse reprehendi, non tamen temere, & per quemlibet privatum Doctorem; sed *per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia*.

9 Ex his tria fluunt Corollaria. Primum est, hallucinari Jansenianos, dum unius *S. Augustini* auctoritatem, quem, omnium fere Hæreticorum more, a se stare perperam buccinant, ipsius Ecclesiæ auctoritati anteferendam prædicant: etenim recte quidem *Vasquez*, ait, *S. Augustinum* in materia de Gratia, & Prædestinatione inter ceteros Ecclesiæ PP. non aliter quàm Sol, inter minora Sydera præfulgere; Et *Suarez* ejus sententiam semper esse præferendam, nisi cum major Patrum, aut Ecclesiæ auctoritas obstare videtur, quod raro vel numquam continget. Attamen ejus auctoritas non est irrefragabilis, nisi quoad puncta, a CC., & Pontificibus approbata, ut vera, quæ habentur in Ep. *Cælestini I.* ad Epp. Galliæ; unde idem Pontifex ait, se non asserere profundiores partes quæstionum, quas *Augustinus*, & alii pertractarunt, qui Hæreticis restiterunt. Merito igitur damnata ab *Alexandro VIII.* fuit hæc Propositio: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*.

10 Alterum Corollarium est, culpandos quoque merito esse Novatores alios, qui ex humili illa *S. Augustini*, & aliorum Patrum, se errori obnoxios esse, candide agnoscentium, confessione, ansam arripiunt, quælibet illorum scripta, vel effata, novis suis erroribus adversantia, temere, & impudenter carpendi, sugillandi, aspernandi. Audiant hi eumdem S. Præsulem, cujus auctoritate, ad hanc ipsam spernendam, improbe abutuntur, postquam humiliter dixisset se in omnibus suis litteris non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem, desiderare, ita mox disserentem: *verumtamen, sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius, quam Catholicam Fidem, iste se non amet amplius, quam Catholicam veritatem. Sicut illi dico: noli meis litteris, quasi Scripturis Canonicis, inservire: sed in illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere: ita illi dico: noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, sed ex Divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere*.

Tertium Corollarium est, uti Catholico cuivis omnino recedendum est a sententia unius, vel alterius Patris, quam quidem is innoxie, ac impune docuit, cum nondum ab Ecclesia fuisset aperte saltem reprobata, uti postea fuit; cujusmodi sunt ea, quas paullo ante n. 166. retulimus: ita fas esse Theologo Orthodoxo, in quæstionibus nondum ab Ecclesia decisis, a quorumdam opinione discedere, præsertim, quæ singularis sit, & ab aliorum Patrum mente aliena. Sic piaculo sibi non ducunt plures dissentire opinioni, quæ tribuitur M. Augustino, de pœna parvulorum absque baptismo decedentium; item ab ejusdem expositione libri Geneseos, ubi hujus Mundi creationem uno die absolutam indicat, per ordinem ad diversam cognitionem Angelicam, veluti septempliciter multiplicato. 11

Interim Viri Catholici, & probi, tres hic merito cautiones observant. Prima est, quam suggerit *Facundus Hermaniensis* apud *Petavium*, ut videlicet *errores Patrum* intueantur veluti *luminarium defectus, quæ licet nonnumquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittant luminaria esse quod sunt*. Quapropter, etsi quidam in uno vel altero etiam Fidei puncto, præsertim innocue, decepti fuerint, nil eorum arbitrantur detractum auctoritati in ceteris, uti de *S. Cypriano* ostendit *S. Augustinus*. Altera Cautio est, ut ne temere illos, ac nisi magno cum judicio notemus erroris, adeoque ubi privata Patris alicujus opinio apertus error non est, non facile illi aperte, ac rotunde contradicamus, minus proterve contemnamus, vel explodamus; sed, si quid minus consone dictum videtur, reverenter, ac benigne interpretemur, si quid ambiguum, quod ex aliis eorum sententiis explicari, excusarique possit, excusemus potius, quàm illis errorem adscribamus. Quemadmodum enim, ut monet laudatus *Facundus Herman.* calumniantium Hæreticorum est, ex dubiis, & obscuris, quæ certa, & manifesta sunt male interpretari (ut idem animadvertit in *Nestorianis*, qui Clarissimos Ecclesiæ DD. suæ parti volentes applicare, & in suam detorquere sententiam, sententias eorum suo Dogmati contrarias ex aliis minus apertis obscurare conabantur) ita 12

ita prudentiæ, & pietatis est Catholicæ, ex indubitatis, atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare, ac quæ dubia videntur in eorum dictis, melius interpretari ex his, quæ certa sunt, denique non tam secundum verborum sonos, quàm secundum mentis intentionem dicta Majorum judicare. Cautio tertia est, ut sive ab erronea alicujus Patris sententia, sive a singulari aliqua ipsius opinione discedamus, id faciamus modeste, & non sine honorifica præfatione, *salvaque*, ut loquitur *S. Augustinus*, *honorificentia*, quæ illis debetur hominibus. Hujus cautelæ exemplum nobis hic idem S. D. exhibuit, cum adversus *Donatistas* de opinione *Cypriani* circa rebaptizandos Hæreticos disputans, numquam nisi honorifice de eo loquitur; nec sine præfatione veniæ, non tam eum, quam opinionem ipsam, in quam incautus, ac nesciens impegerat, refellit, & arguit. *Reddens*, inquit, *debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persolvens pacifico Episcopo, & glorioso Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de Schismaticis, vel Hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit &c.* Quamquam vero Patres ipsi, inter se disputantes, interdum paullo acrius se mutuo redarguerent, cujus exemplum nobis præbet longa illa contentio ipsum *S. Augustinum* inter & *Hieronymum* ad annos fere 14. propagata, observatione tamen dignum est quod notat *Baronius*, *istos Deo dilectos, filios pacis, Ecclesiæ Magistros eo animo fuisse in altercando, ut inter ipsos verborum ictus, verberibus graviores, se mutuo complecterentur, peterentque furtivis osculis caritatis*.

13 Etsi vero auctoritas unius, vel alterius Patris in iis quæstionibus, quæ circa Fidem, Moresve versantur, sed nondum ab Ecclesia definitæ sunt irrefragabilis non sit: magnum tamen pondus habet, præcipue, si non fuerit plane singularis, neque a Patribus aliis communiter fuerit illi contradictum. Fundatur hoc Principium tum in I. supra stabilito: tum in insigni Doctrina, & sanctitate ejusmodi Doctoris, quæ idonea utique est per se loquendo ad conciliandam fidem, & extorquendum assensum propositioni ab ipso assertæ. Ceterum illud auctoritatis pondus neque in singulis Patribus est æquale, cum unus alteri, sicut Sanctitate, sic & Doctrina præstet; neque etiam par in singulis, quas pertractant, materiis. Hinc recte observat Illustrissimus *Du Plessis*, eorum, quos Deus in sua Ecclesia posuit, ut Catholicam Doctrinam contra Hæreses sui sæculi defenderent, maximam esse auctoritatem circa ea Dogmata, quæ propugnanda suscepere: veluti *Athanasii, & Hilarii* circa verbi divinitatem, & cum Patre consubstantialitatem contra *Arianos*; *S. Augustini* circa liberum arbitrium, Gratiam, & alia contra *Manichæos*, *Pelagianos*, *Donatistas* &c.

14 Auctoritas plurium SS. Patrum, immo majoris partis illorum, communi consensu aliquid in Quæstionibus Fidei, vel morum, adhuc inter Orthodoxos libere controversis, ex instituto asserentium, aliis tamen, etsi paucis reclamantibus, quorum opinio nondum fuit improbata ab Ecclesia, multo gravioris quidem ponderis est, sed nondum plane irrefragabilis. Prima Pars liquet a fortiori ex præcedente principio: Altera ex eo, quod opinio contraria, licet paucorum, quamdiu non reprobatur ab Ecclesia, possit remanere probabilis, immo firmioribus rationibus niti; consequenter illa Communior plurium sententia non est omnino certa, saltem ea certitudine, quæ ad sphæram divinæ Fidei pertingat, uti patet in iis sententiis, quæ adversantur quibusdam opinionibus singularibus *S. Augustini* supra indicatis.

Unanimis SS. Patrum consensus in rebus ad Fidem, vel mores pertinentibus, saltem cum aliquam Doctrinam aperte, constanterque proferunt, tamquam communem Ecclesiæ Fidem, ab Apostolis descendentem; aut contrariam, velut Hæreticam impugnant, est authoritatis prorsus irrefragabilis. 15
Hoc Principium jampridem expressit *Vincentius Lyrin.* dum, loquens de SS. Patribus, qui diversis licet temporibus, & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ Communione, ac Fide permanserunt, aut, quidquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse, dignoscuntur, id nobis absque ulla dubitatione credendum esse. Stabilit hoc suum Principium in Concilio *Ephesino*, cui, inquit, divinitus placuit, nihil aliud Posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas. Idem placuit aliis Synodis Æcumenicis, *Chalcedonensi*, Synodo VI. VII. VIII. *Florentinæ*, item & *Tridentinæ*, quæ postrema speciatim cavit, ut nemo in rebus Fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, contra unanimem consensum Patrum Scripturam S. interpretari audeat. Exemplo præivere eadem CC. & SS. Pontifices, qui, quoties aliquid circa Fidem occurrebat determinandum, diligenter præcedentium Patrum monumenta scrutari consueverunt; & ubi concordes illos invenerunt, secundum eorum sententiam definitionem protulerunt.

Id ipsum ratione Theologica fulcitur, eaque 16
præcipue duplici. Prima est, quod viri illi Sapientia, ac Sanctitate illustres, qui, diversis locis, & temporibus viventes, in ejusdem Dogmatis assertionem tam unanimiter omnes consenserunt, illudque tamquam Dogma Catholicum, proposuerunt, non aliud sensisse, prudenter credendi sint, quam quod ipsa sentiebat, ac credebat Catholica Ecclesia: *quod* enim *invenerunt in Ecclesia*, inquit *S. August.*, *tenuerunt*. Quapropter, esto consensus iste non sufficeret ad Fidem ingenerandam *a priori*, super modum causæ; sufficit tamen minimum *a posteriori*, per modum signi, & argumenti, ex quo colligimus id, quod omnes PP. velut Dogma Catholicum proponunt, reipsa Doctrinam esse a Christo, vel Apostolis ejus nomine traditam Ecclesiæ.

Altera ratio est, quia credibile non est, tot 17
tantosque Patres, quos Deus posuit in Ecclesia Doctores, tempore, locoque adeo dissitos, in unam, eamdemque sententiam circa Fidei, morumque dogmata, Fidelibus explananda, uno animo convenire potuisse, nisi Spiritu S. Auctore. Maxi-

Maximè, cum, si omnes in ejusmodi dogmate errassent, simul in eodem amplectendo errassent reliqui Fideles, qui juxta *Ephesinum* id crederent, *quod Sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuit antiquitas*. Igitur errasset, adhucque erraret universa Christi Ecclesia. Quod, cum stantibus Christi promissis, sit adynaton, quid mirum, si ii, qui uniformem SS. Patrum Sententiam in materia dogmatica contempsere, in turpissimos errores, manifestasque hæreses prolapsi sint, & pro Hæreticis ab Ecclesia reputati. Ut de aliis nil hic commemorem de *Luthero*, & *Calvino* supra diximus: de *Abailardo* queritur *S. Bernardus* quod spernat communem Patrum sententiam, & glorietur, se habere meliorem, non veritus contra Præceptum Sapientis transgredi *terminos antiquos*, *quos posuerunt Patres nostri*. Eamdem viam ingressus pridem fuerat *Paulus Samosatenus*, teste *Eusebio*; eamdem *Origenes*, de quo *Vinc. Lyrin.* postquam ejus ingenium, & eruditionem extulisset, *hic idem*, inquit, *tantus*, *ac talis*, *dum Gratia Dei abutitur*, *dum ingenio suo nimium tribuit*, *dum se plus cunctis sapere præsumit*, *dum Ecclesiasticas Traditiones*, *& Veterum Magisteria contemnit &c.* Nempe, ut *Fulbertus Carnotensis* pridem adnotavit, *dum ejusmodi superbi spiritus nolunt esse discipuli veritatis*, *fiunt Magistri erroris*. Quamobrem verissime *Augustin.* dixit, eum, qui ab unanimi Patrum consensione discedit, ab universa Ecclesia recedere; ut vel inde patescat, cum idem S. D. Scriptores quoscumque, exceptis Canonicis, pronuntiat errori obnoxios, ipsum de singulis loqui, non de omnibus in unum aliquod Fidei dogma, uniformi sententia, concordantibus: *Hos* etenim, ut rursus *Vinc. Lyrin. in Ecclesia Dei divinitus per tempora*, *& loca dispensatos*, *quisquis in sensu Catholici Dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit*, *non hominem contemnit*, *sed Deum*.

18 Patrum notitia haurienda præsertim ex aureo Ven. Card. Roberti Bellarmini libello *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, præsertim collato cum P. Philippi Labbei Dissertatione Historica. Exstat etiam alius præclarus P. Caroli Sardagna Liber Ratisbonæ editus an. 1772. hoc titulo: *Indiculus Patrum*, *ac veterum Scriptorum Ecclesiasticorum*, *qui a primordiis Christianæ Religionis*, *ad tempora usque B. B. Thomæ Aquinatis*, *& Bonaventuræ Ecclesiam scriptis suis illustrarunt*: Qui plura voluerit, adeat Possevini *apparatum*, & magnum opus D. Ceillieri Benedictini. Protestantes Caveus, Oudinus, Joannes Albertus Fabricius, præter Rivetum, & Cocum, in eodem argumento versati sunt; sed parce legendi sunt, nec nisi ab illis, qui facultatem habeant, & doctrina satis polleant, ne erroribus, quibus horum libri scatent, misere imbuantur. Du Pinium omisi, ejus enim lectio periculosior sit, quod quum Catholicum se esse credi velit, ex Hæreticorum fraudibus, totus compositus sit, Patribus contumeliosus, totisque Ecclesiæ dogmatibus pessime meritus. (*)

PATRIA POTESTAS.

Patria potestas rigorose capta est jus radicaliter a natura inditum, & per jura Civilia modificatum, quod habet Pater in Filios, eorumque bona ex vi legitimæ generationis; Rosign. *de Patr. potest. c. 2. num. 3.* Mising. *Instit. lib. 1. tit. de Patria potest. in princip. num. 1.* Sanchez *Opuscul. moral. lib. 1. c. 1. dub. 11.* & in re alii passim. 1

Unde, ut vides, Patria potestas radicaliter oritur a jure naturæ corroborato Lege Divina, ut evincitur ex Aristotele *lib. 1. Politicor. cap. 8.* ubi sic habet: *Naturæ lege*, *ac præcepto liberos parentum imperio subesse*; *quod enim procreavit & genuit*, *id ut præsit*, *& amicitiæ ratio & senectutis postulat*, & ex quarto Decalogi præcepto *Honora parentes*, quod præceptum Doctores communiter asserunt esse juris naturalis corroboratum Lege Divina. 2

Quoad modum vero, quo utimur, dicta Patria potestas oritur a jure Civili, ut evincitur *ex §. Jus autem potestatis 2. & §. Qui igitur 3. Inst. de Patria potest. & leg. Item 3. de his*, *qui sui*, *vel alieni juris sunt*, ibi: *Item in potestate nostra sunt liberi nostri*, *quos ex justis nuptiis procreavimus*, *quod jus proprium Civium Romanorum est*. 3

4 Dicta autem definitio tradita procedit de Patria potestate, ut fuit dictum, *rigorose* capta, quatenus oritur ex vi naturalis, & legitimæ generationis, nam quæ oritur, vel per adoptionem, vel per quid aliud, non est proprie talis, sed solum per quamdam accommodationem, nec proprie habet originem a natura, sed solummodo a jure Civili, per quod inducta est adoptio.

5 Unde ad acquirendam Patriam potestatem rigorose captam, prout oritur ex vi naturalis, & legitimæ generationis, requiritur ut proles procedat ex justis nuptiis, nempe ex masculo, & fœmina conjunctis per verum, & legitimum Matrimonium, de quibus loquitur textus *Inst. de patria potest. in princ.*

6 Hinc Patria potestas extenditur ad omnes Filios legitimos, sive fuerint masculi, sive fœminæ, ut colligitur expresse *ex §. Qui igitur 3. Inst. de patria potest.* ubi fit mentio æque de masculis, ac de fœminis, ibi: *Nepos tuus*, *& Neptis æque in tua sunt potestate*, *& Pronepos*, *& Proneptis*.

7 Etiam ad conjugatos, & senes, si adhuc eorum Pater, seu Avus vixerit; *cit. §. Qui igitur 3. Inst. de patria potestate*, ibi: *Qui igitur ex te*, *& uxore tua nascitur in tua potestate est*. *Item*, *qui ex Filio tuo & Uxore ejus nascitur*, *idest Nepos tuus*, *& Neptis æque in tua sunt potestate*, *& Pronepos*, *& Proneptis*, *& deinceps cæteri*, *& l. Nam Civium 4. ff. de his*, *qui sui vel alieni Juris sunt*, ibi: *Nam qui ex me*, *& Uxore meâ nascuntur*, *in potestate mea sunt*. *Nam qui ex Filio & Uxore ejus*, *idest nepos meus*, *& neptis æque in mea sunt potestate*.

8 Filii enim, Nepotes, & Pronepotes, quantumvis Conjugati, dicuntur adhuc Filii familias, & vivunt sub potestate Avi, seu

seu Proavi adhuc viventis, nisi fuerint emancipati, cum Avus, & Proavus habeant patriam potestatem in Nepotes, & Pronepotes descendentes per lineam rectam masculinam, per textum *in cit.* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de Patria Potestate*, & *l. Si Maritus* 7. *Cod. eod.* ibi: *Si Maritus tuus licet militans in Patria potestate constitutus Filium ex legitimis suscepit nuptiis, eum in potestate Avi perseverasse non ambigitur*.

(*) Inopportunum hoc loci non est inquirere tempus, quod requiritur, ut justæ dici possint nuptiæ, ut patriæ potestatis effectus locum habeant. In dubium verti nequit ad hoc requiri, ut justæ fuerint nuptiæ eo tempore, quo concepti sunt filii. Unde *Paulus respondit*: eum qui vivente patre & ignorante de conjunctione filiæ conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justum filium ei, ex quo conceptus est, esse non videri. l. 11. ff. de stat. hom. Nam cum nuptiis non consensisset pater, prout jure Romanorum requirebatur, non erant justæ nuptiæ eo tempore, quo conceptus est: nec refert, quod cum natus est, fuerint justæ utpote jam mortuo avo, nam tempus conceptionis inspicitur. (*)

9 Unde Pater Filius Avi, vivente eodem Avo, non habet patriam potestatem in suos Filios, nisi habitu, per textum *in cit.* §. *Qui igitur* 3. *Inst. de Patria potestate*, & *cit. l. Maritus* 7. *Cod. eod.* & *cit. l. Nam Civium* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni Juris sunt*, cum similibus.

10 Decedente autem Avo, Pater acquirit actu patriam potestatem in suos Filios, textu expresso *in l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, ibi: *Nepotes ex Filio, mortuo Avo, recidere solent in Filii potestatem, hoc est Patris sui*.

11 Decedente vero Proavo, & remanente Avo, & ejus Filio Patre Nepotum, tunc Filii non recidunt actu in patriam potestatem sui Patris, sed in potestatem Avi primi descendentis; §. *Permissum est*, *Institut. de Tutelis*, & *cit.* §. *Qui igitur* 3. *Instit. de patria potestat.*, & *cit. l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*. Et ratio est, quia sicuti, mortuo Proavo, pater ipse remanet in potestate Avi, ita in ejusdem Avi potestate remanere debent Fili, seu Nepotes ex Filio, cum non possit alios in sua potestate habere, qui non est suæ potestatis, textu expresso *in l. Sic evenient*, 21. *ff. ad Leg. Juliam, de Adulteriis*, ibi: *In sua enim potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis*.

12 Patris potestas, mortuo Patre, non transit in matrem; evincitur expresse ex textu *in* §. *Cæteri* 3. *Instit. de Heredum qualitate, & differentia*, ibi: *Quia fœminæ in potestate liberos non habent*.(*) Hujus rei rationem validiorem habes infra sub n. 40. novissime adjectam. (*) *Et ex* §. *Fœminæ* 10. *Instit. de adopt.* ibi: *Fœminæ quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent*. Rota recent. *part.*5. *tom.*1. *dec.*329. *n.*15. & Doctores passim.

13 Mortuo Filio soluto patria potestate, ejus Filii non recidunt in potestatem Avi, quia soluto Patre a Patria potestate sui Patris, etiam ejus Filii intelliguntur soluti ab ipsa, cum non ex alio capite subjiciantur Nepotes patriæ potestati Avi, nisi ex quo dictæ potestati remanet subjectus eorum Pater, adeoque ipso ab ea soluto, solvuntur & ipsi, nec eo mortuo videntur in eamdem recidere, sed remanent sui juris absolute; *arg. l. Nepotes* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*. Sic Glossa *in d. l. Nepotes verb. in familia*; Sanchez *lib.* 1. *consil. moral. cap.*1. *dub.* 12. *num.*4. Joan. Angelus Bossius *de patria potestat. c.* 1. *num.* 34. Rosignol. *de patria potestat. discept.*4. *c.* 40. *num.*1. & 3.

Filii nati ex Filio illegitimo, sed ex legitimis 14
nuptiis, non transeunt in patriam potestatem Avi, qui non ex legitimis nuptiis, sed fornicarie genuit hunc Patrem, sed transeunt immediate sub potestate Patris sui, licet illegitimi. *Communis*. Et ratio est, quia in tantum Filii Filiorum non transeunt in potestatem suorum Patrum, sed Avorum, & ascendentium, in quantum & Patres ipsorum non sunt sui juris, sed sub potestate Patrum suorum, per jura adducta *sup. num.* 7. & *seq.* sed in hypothesi, de qua loquimur, Patres istorum Filiorum, utpote geniti fornicarie, non sunt sub potestate sui Patris fornicarii, ad terminos *Instit. de patr. potest. in princip.* ibi: *In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus*, & *cit.* §. *Qui igitur* 3. *Inst. sub eodem de patria potestate*, & *cit. leg. Nam Civium* 4. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*; ergo nec Filii istius transeunt in potestatem Patris illegitimi sui Patris, sed immediate in potestatem sui Patris, quamvis illegitimi, quia quamvis ipse sit illegitimus, legitime tamen eos genuit ex justis nuptiis, quas præcise requirunt supracitata jura ad inducendam patriam potestatem.

(*) Acquiritur etiam patria potestas in liberos cum in nostram potestatem recidunt, mortuo eo, cujus potestati eos quæsiveramus, si tamen pater in familia mansit. *l.* 5. *ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt*. Nam *si pater filium, ex quo nepos illi est in potestate emancipaverit, & postea eum adoptaverit, mortuo eo, nepos in patris non revertitur potestatem. Nec hic nepos in patris revertitur potestatem, quem Avus retinuerit filio dato in adoptionem, quem denuo readoptaverit*. *l.*41. *ff. de adopt. & emancip.* Nam hic filius, & nepos per emancipationem passus est irrevocabilem deminutionem capitis, quod in familia habebat, & cum postea adoptatus est factus est quidem filius hujus familiæ, sed novus filius, non idem qui erat ante. Novum jus in familia quæsivit, nec potuit hoc quod ante habuerat, & per quod liberi ipsius in ejus potestatem recidissent, recuperare, cum fuerit irrevocabiliter amissum per emancipationem. (*)

Patria potestas acquirirur, non solum per pro- 15
creationem ex justis nuptiis, seu legitimo Matrimonio, sed de jure communi acquiritur etiam per legitimationem prolis, aut per adoptionem hominis liberi. *Communis* per jura infra adducenda.

Legitimatio prolis fit, vel per subsequens Ma- 16
trimonium inter parentes ejus legitime contractum,

ctum, *c. Conquestus* 1. *& c. Tanta* 6. *Qui Filii sint legitimi*; *l. Divi Constantini* 5. *l. Nuper* 11. *leg. Cum quis* 18. *C. de natural. liber.* cum similibus. Vel per Rescriptum Principis §. *Si quis sane non habens Filios legitimos*, *&* §. *Sit igitur licentia*, *Auth. Quibus modis naturales efficiantur legitimi*, *& Auth. Præterea*, *& Auth. Item sine*, *Cod. de naturalib. liber. c. per venerabilem* 13. *Qui Filii sint legitimi* cum similibus.

17 Per quale autem subsequens Matrimonium, & per quale Rescriptum Principis legitimetur proles? Vide verb. *Filius a n.*32. *ad* 56.

18 Adoptio quid sit? Vid. verb. *Matrim. quoad Impedimenta art.*1. *n.*74.

19 Adoptio est duplex, una propria, & perfecta, quæ *Adrogatio* dicitur; & alia impropria, & imperfecta, quæ *Adoptio simplex*, *& in specie* voca-
20 tur; *l.* 1. *de Adoption.* Quænam sit utraque? & in quibus differant? Vid. verb. *Matrim. quoad Impedimenta art.* 1. *n.*7. *& seq.*

21 Per simplicem, seu imperfectam, & impropriam adoptionem Adoptans regulariter non acquirit Patriam potestatem in Adoptatum. *Communis* per textum *in* §. *Sed hodie* 2. *Instit. de Adoptionibus*, ibi: *Sed hodie ex nostra Constit. cum Filius-Familias a Patre naturali extraneæ personæ in Adoptione datur, jura Patris naturalis minime dissolvuntur, nec quidquam ad Patrem Adoptivum transit, nec in potestate ejus est*. Et ratio est clara, quia qui remanet sub alterius potestate, non potest transire sub potestate Adoptantis, sed dum fit simplex Adoptatio, Adoptatus remanet adhuc sub potestate ejus, sub quo prius erat, ut patet ex ejus definitione, *& ex* §. *Adoptio* 1. *& cit.* §. *Sed hodie* 2. *Instit. de Adoptionibus*; *& l. Generalis* 2. *ff. de Adoptionibus*, ergo &c.

22 Excipe tamen, nisi Filius naturalis, & legitimus datus fuerit in adoptionem Avo materno Filii, vel etiam si ipse Pater naturalis, & legitimus fuerit emancipatus a suo Patre, & Filium suum in Adoptionem dederit suo Patri, & respective Avo sui Filii paterno; Tunc enim ipse Avus maternus, & paternus respective ad casus propositos acquirerent in Nepotem patriam potestatem, per textum *in cit.* §. *Sed hodie* 2. *Instit. de Adoptionibus*, *& l. cum in adoptivis Filiis* 10. *Cod. de Adoptionibus*, addita ratione, quod in hoc casu copulantur jura naturalia.

23 Per adoptionem vero propriam, & perfectam, seu per *Adrogationem* Adrogans acquirit Patriam potestatem in Adrogatum. *Communis*, per textum in §. *Adoptio* 1. *Inst. de Adoptionibus*, *& l. Generalis* 2. *ff. eod. tit.* Cum enim sic Adrogatus sit sui juris, vel ex eo quod Ascendentes per lineam masculinam non habeat, vel ex eo quod sit emancipatus, si alia serventur, quæ ad legitimam, & propriam Adrogationem requiruntur, certum est, quod transeat in patriam potestatem Adrogantis per citata jura.

24 Adoptare, seu adrogare possunt soli mares, seu masculi, nam fœminæ adoptare non possunt, nisi ex speciali concessione Principis, §. *Fœminæ* 10. *Instit. de Adoptionibus*, ibi: *Fœminæ quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent, sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt*.

Adoptantes, seu Adrogantes, debent esse ma- 25
jores natu adrogatis, & ipsos decem, & octo annis præcedere, textu expresso in §. *Minorem* 4. *Instit. de Adoptionibus*, ibi: *Minorem natu, majorem non posse adoptare, placet*; *Adoptio enim naturam imitatur*, *& pro monstro est ut major sit Filius, quam Pater*; *debet itaque is qui sibi Filium per Adoptionem, vel Adrogationem facit, plena pubertate, idest decem, & octo annis præcedere*.

Adoptantes, seu Adrogantes debent esse poten- 26
tes saltem physice, & naturaliter ad generandum; Unde Castrati adoptare non possunt §. *Sed, & illud* 9. *Instit. de adoptionibus*, ibi: *Sed & illud utriusque adoptionis commune est, quod & ii, qui generare non possunt, (quales sunt Spadones) adoptare possunt, Castrati autem non possunt*.
Ubi, ut vides, Textus dicit, quod Spadones pos- 27
sunt adrogare, non autem Castrati; Nomine autem *Spadonum*, ut notat Glossa *ibid. in verb. Spadones* veniunt ii, quibus testiculi, vel genitalia abscissa sunt cultello, vel spatha, nomine vero *Castratorum* veniunt ii, qui sic nati sunt, & ab origine sunt inepti ad generationem; Ratio autem cur possint adoptare Spadones, non autem Castrati, ea est, quam adducit Glossa *ib.* quia scilicet naturæ fortius est impedimentum, quam accidentium, per textum in *l. Sed est quæsitum*, §. 1. *&* 2. *ff. de liber. & posth.* Et sic tenent Mysingerius in *d.* §. *Sed & illud*, 9. *Inst. de adoptionibus*, Piccardus *in d.* §. *Minorem* 4. *eod. tit.* Rosignol *de Patria potest. disceptat.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. & alii. Vulgo tamen Castrati, Spadones, & Eunuchi pro sinonymis solent accipi. Advertendum autem est, quod Sacri Canones Castrationem voluntariam expresse vetant, & sic Castratos irregulares declarant, *cap. Si quis* 4. *cap. Hi qui* 5. *cap. Qui partem* 6. *cap. Si Evangelica* 13. *dist.* 55. *cap.* 1. *de Cleric. pugnant. in duell. cap. ult. de homicid. in* 6. *Clem. unic. eod. tit.* cum similibus. Rationes autem quare Sacri Canones castrationem detestentur, enumerat Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 66. & Ursaya *Inst. crim. lib.* 2. *tit.* 5. *a num.* 162. I. Scilicet, quia pomorum amoris abscissio magno vitæ periculo peragitur. II. quia vigor etiam mentis interit, & malignitas quædam, pusillitasque accedit, ipsaque corpora deteriora fiunt, quod in belluis experientia manifestum est; & III. quia voluptatum voluntas nullatenus exscinditur, sed potius incrementum accipit, præcipue ex parte mulierum, ob remotionem periculorum gravidationis, juxta lepidum dictum Anton. Abbat. *nelle Frascher. fol.* 198. ibi: & apud Ursayam *loc. cit. n.* 165. Vide ipsum *ibi*, ubi *num.* 223. *&* 224. aliqua refert lepida carmina.

Sacerdotes, & alii Sacris Ordinibus initiati pos- 28
sunt adoptare, quia isti non a natura, seu physice, sed per accidens, & moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum. Abbas in *cap. si qui* 1. *de cognatione legali num.* 4. Hostiens. *ibidem num.* 4. Rosign. *loc. cit. num.* 11. & alii.

Adop-

29 Adoptantes, seu Adrogantes debent esse sui juris, & majores 25. annis, quia alias nondum habent administrationem suorum bonorum. Quæ omnia, & alia habentur *tot. titul. ff. & Cod. de adoptionibus*, *& Institut. eodem*.

30 Adoptari, seu adrogari possunt tam masculi, quam feminæ, textu expresso in §. *Adoption.* 1. *Institut. de Adoptionib.* ibi: *Qualis est Filius*, *Filia*, *Nepos*, *Neptis*, *Pronepos*, *Proneptis*.

31 Adoptari possunt solum legitimi, & legitimæ; spurii enim, & etiam solum naturales excluduntur; *l. Legem* 7. *vers. In posterum*, *Cod. de naturalibus liberis*, §. *Oportet enim semper*, *Authent. Quibus modis natural. efficiant. sui*. Sic Joann. Angelus Bossius *de Patria potest. cap.* 1. *n.* 59. Ascanius Clemens *de Patria potest. cap.* 1. *n.* 7. Decius *consil.* 288. & alii.

32 Adoptari possunt solum inferiores ætate, saltem 18. annorum Adoptante, vel Adrogante, textu expresso in §. *Minorem* 4. *Inst. de adoptionibus* per verba adducta *n.* 25.

33 Patria potestas quando, & quibus modis amittatur a patribus super Filios: Vide verb. *Filius a n.* 121. *ad* 128. Hic autem ad uberiorem notitiam insuper accipe, quod patria potestas tanta erat apud Cives Roman. quod lex XII. Tab. sic præcipiebat: *In liberos suprema Patrum auctoritas esto*: *Venundare*, *occidere liceto*. A Patris autem potestate liber efficiebatur ac sui juris, Paterque familias Filius constituebatur post triplicem venditionem mox declarandam; Leg. cit. *Si Pater filium ter venunduit*, *Filius a Patre liber esto*. Hinc præhabendum, emancipationem in jure Romano esse actum, quo Pater e manu, seu mancipio, idest ex potestate, & dominio Filium etiam impuberem, & Tutore indigentem dimittebat, Purch. *par.* 2. *Ethicæ cap.* 19. *ad Tit.* 9. *de Patria potestat.* ubi etiam tradit apud Gal. emancipationem esse actum, quo minor 25. annis, altero, vel utroque parente orbatus, ex consanguineorum consilio, auctoritate Principis judicibus cognita, tutoris potestate dimittitur, ut suorum bonorum usumfructum habeat sub curatoris auctoritate, donec completo anno 25. plenum habeat rerum suarum dominium.

Liberorum igitur emancipationes veteri jure Romano fiebant per tres imaginarias venditiones, & totidem manumissiones (est autem manumissio idem, ac de manu missio, sive datio libertatis, ut rigorose loquendo est respectu servorum, de quibus in verb. *Servitus*). Pater itaque naturalis adibat Prætorem cum aliquo sibi amico, cui maxime fidebat, ac idcirco Pater fiduciarius appellatur. Huic vendebat, seu mancipabat Filium sic: Pater fiduciarius coram Prætore, & quinque testibus, ac Libripende, sic vocato, quod libram, seu stateram ferret, Patri naturali dabat in similitudinem pretii unum, vel duos nummos, quos ferebat Libripens, sicque Filius in illius transibat potestatem; illico tamen eum manumittebat, ac iterato in Patris naturalis potestatem recidens rursus ab eo mancipabatur, & a Patre fiduciario manu mittebatur, ut supra bis, & tertio; quibus expletis, Filius e patria potestate dimittebatur.

His successit 1. Emancipatio Anastasiana, quæ fiebat ex rescripto Principis, ut constituerat Imperat. Anastasius *l.* 1. *Cod. de emancipationibus*. 2. Justinianæa quæ fiebat coram Magistratu, prout statuit Justinianus *l.* 6. *Cod. eod. tit.* Item patria potestas jure Rom. solvebatur per summam Filii dignitatem, aut patris, & filii mortem civilem. Hæc autem erat capitis diminutio, idest status prioris mutatio, quæque triplex distinguitur, nempe minima, media, & maxima; 1. est tantum Familiæ mutatio, salva Civitate, & libertate, ut in adoptivis, qui in aliam transibant Familiam; 2. est amissio Civitatis, & consequenter Familiæ, retenta tamen libertate, ut iis accidebat, quibus aqua, & ignis interdicebatur, sive qui, ut postea mos obtinuit, ob maleficium in insulam deportabantur; quæ pœna major erat Relegatione: deportati namque Civitatem amittebant, & Peregrini fiebant, retentis dumtaxat iis, quæ de jure Gentium. Relegati vero cives Romani persistebant, juribus Rom. gaudebant, videlicet testamenti factione, jure connubii, patriæ potestatis &c. 3. est amissio libertatis Civitatis, & Familiæ, ut eveniebat iis, qui majores 20. annis ad pretium participandum venumdari patiebantur, vel qui servi pœnæ efficiebantur, idest qui ob maleficia ad metallum e fodinis eruendum damnabantur, aut bestiis subjiciebantur. Media, & maxima capitis diminutione solvebatur patria potestas, non tamen minima, ut nec etiam solvebatur, sed solum suspendebatur per captivitatem Patris propter jus postliminii, quo scilicet fingebatur Patrem numquam abfuisse, postliminio autem reversus dicebatur, qui ab hostibus captus ad Patriam remeabat. Prælaud. Purch. *loc. cit.*

Patria potestas neque Divino, neque naturali, 34
aut Gentium jure inducta est, sed Legibus Romanorum. Benedict. XIV. tom. 2. Constitut. incip.
Postremo mense §. 9. Ea ab Imperatore Antonino 35
ad omnes Imperii Romani subditos ampliata est,
& consequenter ad Judæorum nationem. Idem *ibid.* 36
Et amittitur a parentibus, si liberos exponant, &
abjiciant. Idem *ib.* Patria potestas residet apud 37
Patrem, non vero apud Matrem. Idem *ib.* §. 15.
Ut tamen infidelium filius licite baptizetur, suffi- 38
cit quod a Matre ad Baptismum offeratur, etiam
dissentiente Patre. Idem *ib.* §. 16. Patria potestas 39
non officit, quin baptizetur filius adultus, sive adolescens, qui sponte Baptismum petit. Idem *ib.* §. 36.

Additiones ex aliena manu.

Jam in additionibus ad verbum *Mater* di- 40
ctum est, quod inspecto jure naturæ potestas in filios æque Matri, ac Patri competit. Jure vero Romano competit solummodo Patri, & quidem in immensum.

(*) Rationem affert Gajus ob quam jus patriæ potestatis solis masculis competat. *Nam fœminarum liberos in familia earum non esse palam est* (adeoque nec in potestate; in eos enim solos patriam acquirimus potestatem, qui in familia nostra nascuntur, aut per adoptionem nasci intelliguntur) *quia qui nascuntur patris non matris familiam sequuntur*. Ita Cajus in *l.* 196. §. 1. *ff. de verb. signif.*

signif. Quod si ex injusta conjunctione nascuntur in nullius familia sunt, sed sunt suæ familiæ caput. (*)

41 Num autem hodiernis moribus effectus omnes patriæ potestatis secundum jus Romanum obtineant, non inutilis est disquisitio. Confer tamen Stryk. *de usu modern. Pandect. lib.* 1. *tit.* 6. *per. tot.* qui rem pro dignitate tractat, confutatis *Groenvvegg. Gudelin. Bugnyon*, aliisque tenentibus omnes patriæ potestatis effectus hodie cessasse.

(*) Diximus supra olim consuevisse jus patriæ potestatis acquiri in uxores, nurus, & pronurus, quam ob rem non abs re erit, hic breviter indicare modos, quibus hæc patria potestas acquirebatur. Acquirebat nempe vir jura patriæ potestatis tribus modis; scilicet Farre seu confarreatione, Coemptione, & usu. De coemptione, & usu testem habemus *Ciceronem in Oratione pro Flacco cap.* 24. Et ut a confarreatione incipiamus, Ulpianus inquit *in fragm. tit.* 9. *Farre convenitur in manum certis verbis, & testibus decem præsentibus, & solemni sacrificio facto in quo panis quoque farreus adhibitus*. Hic confarreationis ritus antiquissimus fuit, & diu viguit, sed sensim exolevit, & jam Tiberii tempore raro frequentabatur. Tacit. Annal. lib. 4. cap. 16.

Diutius viguit coemptio, quæ sine ullo sacrificio adhibitis verbis solemnibus, nec non ære & libra fiebat. Scilicet per mancipationem. Pater enim filiam suam viro mancipabat, de qua mancipatione alibi. Mulier viceversa sibi virum virique Lares coemebat, qua de causa *Asses tres ad maritum veniens solebat afferre, atque unum, quem in manu tenebat, marito dare, alterum quem in pede habebat in foco Larium familiarium ponere, tertium, quem in sacciperio condiderat in compito vicinali resonare*, seu potius resignare: Ita *Nonius de propriet. serm. lib.* 12. *cap.* 50. Sacciperium erat crumena quædam, in qua reponebatur argentum. Quid autem *compitum vicinale?* Heinecius antiquit. Rom. lib. 1. tit. 10. arbitratur fuisse maceriam horti, in quo sponsa domum deducenda aliquamdiu commorabatur: ita ut tertio illo nummo quasi aditum sibi in domum mariti patefaceret.

Denique usu in manum mariti mulier deveniebat, quæ cum sine confarreatione, & coemptione nupsisset, postea a viro usucapiebatur, nimirum si tutore auctore, (nam veteri jure mulieres in perpetua tutela erant, nec poterant nubere nisi tutore auctore, ut infra) cum viro annum unum confecerat, nec ante finem anni usurpatum iverat id est tribus noctibus a viro non abfuerat; hæc enim absentia videbatur usurpatio, idest interruptio usus, ac possessionis mariti. De hac re fusius Gell. noct. attic. lib. 3. cap. 2. Sicut in uxores nostras, sic & in nurus pronurusque cum his modis in manum liberorum, quos in potestate habemus conveniunt, jus patriæ potestatis acquirimus. Sed hæc attigisse sufficiat, cum hæc veteri tantum jure obtinerent, & postea paulatim exoleverint: nam jure Justinianeo nulla amplius uxor est in potestate mariti. (*)

Articulus II.

De effectu patriæ potestatis.

Patria potestas Romanorum in liberos tanta jure antiquo erat, quanta dominorum in servos, liberique respectu parentum non personæ habebantur, sed res quarum dominium ex jure Quiritium parentes habebant. Hinc parentes eos directa actione in rem petere poterant adjecta tamen hac causa ex jure Romano, ut videndum infra de rei vindicatione. Hujus potestatis duo sunt præcipui effectus, primus ut pater de persona liberorum suorum posset tamquam de re sua ad arbitrium disponere, alter ut quidquid liberi acquirerent, patri tamquam ex re sua profectum acquireretur. 1

Quoad primum ex ipsius Romuli instituto pater potest jure suæ potestatis liberos in carcerem conjicere, flagris cædere vinctos ad opus rusticum detinere, occidere, quin etiam eos vendere. Valerius Maximus ad hanc rem lib. 5. cap. 8. Cassii exemplum refert, qui judicio domestico filium verberari, ac necari jussit; item Fulvii, qui filium in Castra Catilinæ euntem necari imperavit. Similiter Quintilianus declamat. 3. Fabii Eburni mentionem facit, qui filium impudicum cognita causa domi necavit. Hujus juris mentio est in lege XII. tabularum *tabula* 4. *cap.* 2. *Endo liberis jus vitæ, necis, venumdandique potestas esto*. Videndus de hac re Dionys. Halicarnas. lib. 2. cap. 4. qui fuse hoc idem describit, & insuper addit discrimina quæ intercedebant inter patriam potestatem, quæ exercebatur a Romanis, & eam, quæ apud cæteras gentes in usu erat. Non eo tamen porrigebatur hoc jus venumdandi liberos, quod habebat pater, ut eos venumdando posset in servilem conditionem detrudere, verum salvis ingenuitatis civilisque libertatis juribus, ei cui venundati erant, servire tenebantur. Hinc Constantinus: Libertati a Majoribus tantum impensum est, ut patribus, quibus jus vitæ in liberis, necisque potestas olim erat permissa libertatem eripere non liceret l. 10. Cod. de patr. potest. Ab hoc jure Numa eos liberos exceperat, qui volente patre uxores duxissent, ut refert idem *Dionys Halicar. loc. cit.* 2

Sed paulatim hoc jus venumdandi filios exolevit, nec præter quam in casu extremæ necessitatis parentibus servatum est. Et quidem *qui contemplatione extremæ necessitatis, aut alimentorum gratia filios suos vendiderint statui ingenuitatis eorum non præjudicant: homo enim liber nullo pretio æstimatur. Iidem nec pignori ab his aut fiduciæ dari possunt ex quo facto sciens creditor deportatur: operæ tamen eorum locari possunt. Paul. recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 1. §. 1. Extra hunc casum necessitatis *liberos a parentibus neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo, nec sub prætextu ignorantiæ accipientis, in alium transferri posse manifestissimi juris est l.* 1. *Cod. de patr. qui fil. suos*. Etiam in casu necessitatis Constantinus recens natorum dumtaxat venditionem permittit. Ita ille.

Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victus causa filium filiamve sanguinolentos (idest recens natos adhuc a matre rubentes) *vendiderit, venditionem in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem: liceat autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere, modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro ejusmodi præstet. l. 2. Cod. eod. tit.*

4 Modum etiam accepit jus quod pater habebat occidendi liberos, & quidquid in eos sæviendi. Nam *Divus Hadrianus fertur, cum in venatione filium suum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in insulam eum deportasse, quod latronis magis, quam patris jure eum interfecit. Nam patria potestas in pietate debet non atrocitate consistere l. 5. ff. ad legem Pompei*. Ante Hadrianum *Divus Trajanus filium, quem male contra pietatem pater adficiebat, coegit emancipare l. fin. ff. si a parente quis manumiss.* Deinde parentibus relicta est modica dumtaxat castigatio liberorum. Si quid autem gravius commiserint quod majori animadversione dignum esset, debet Magistratus adiri, qui circa pœnam irrogandam obtemperabit, ut statuit Alexander *in l. 3. Cod. de patria potest.* & l. 2. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Constantinus denique parricidii pœna puniri voluit qui aliquem ex liberis occidisset *l. unic. Cod. de his qui parent. vel lib. occid.*

5 Alter effectus patriæ potestatis est, ut quidquid filius acquirit, non sibi, sed ei in cujus potestate est, acquirat. Ab eo jure sub imperatoribus exceptum est peculium castrense, idest quidquid occasione militiæ liberi acquisivissent. Postea ad instar peculii Castrensis factum est quidquid ex professione liberalium studiorum, & quidquid in Ecclesiæ militia acquisivissent, quod peculium dictum est quasi castrense. De utroque peculio alibi fusius actum est.

6 Aliam peculii speciem introduxit Constantinus, voluit enim, ut bonorum maternorum, quæ filio obvenirent, proprietas penes ipsum esset, usufructu tantum in his bonis patri servato *l. 1. Cod. de Bon. Matern.* Gratianus autem Valentinianus, & Theodosius jus illud porrexerunt ad bona omnium cognatorum materni generis *l. 6. Cod. Theod. de bon. matern.* Idem jus postea ad lucra nuptialia, & sponsalitia porrectum est *legib. 1. 4. 5. Cod. de bon. quæ liberis*. Denique Justinianus hoc porrexit ad omnia quæ liberi aliunde quam ex re patris acquirerent *l. 6. eod. tit.* Hoc peculium dictum est *adventitium*, & valde differt a castrensi, nam præterquam quod ususfructus in eo est patri servatus, liberi de eo testari non possunt, sicut possunt de Castrensi, ut infra notabimus *de testamentis*, ubi expendendæ erunt personæ quæ testamentum facere possunt, & bona de quibus quis testari potest. Præterea cum pater emanciparet liberos tertiam olim hujus peculii adventitii partem retinebat. Ex constitutione autem Justiniani dimidiam solum ususfructus retinet partem *d. l. 6. §. 3. Cod. de bon. quæ liber.*

7 Diximus patrem usum fructum habere bonorum adventitiorum. Hoc ita intelligendum est nisi fuerit donatum quid sub ea lege ne pater usumfructum haberet, quin immo ne administrationem quidem rerum sic donatarum pater habebit, si filius minor sit, sed is administrabit quem donator designaverit, aut, si neminem designavit, is, quem Prætor dederit curatorem. Novell. 117. cap. 1. Ex his liquet jus antiquum patri servatum esse in his dumtaxat, quæ ab ipso patre ad liberos proficiscuntur, quod peculium profectitium dicitur.

Quæ de potestate patris in liberos diximus, 8
eadem de potestate mariti, quamdiu hæc potestas in usu fuit, dicenda sunt. Sicut enim parentibus in liberos, ita maritis jus vitæ, & necis in uxores, quæ in manum ipsarum convenerant, competebat: judicio domestico de facinoribus earum una cum ejus propinquis cognoscebant, ut discimus ex Dion. Halicar. lib. 11. cap. 4. Hujus juris vestigium aliquod videre est apud *Tacit. Annal. lib. 13. cap. 32.* ubi refertur quædam Pomponia superstitionis externæ rea Plautii mariti sui judicio permissa. Isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit, & insontem nuntiavit. Item quidquid habebant illæ uxores, & bona earum quælibet, acquirebantur viro dotis nomine &c. *in Topic. lib. 4.* Et hæc est origo dominii dotis, quod marito competit. Viceversa uxor fiebat marito hæres sua, quasi loco filiæ. Hæc tamen omnia immutata sunt a juribus præcipue municipalibus, quæ cum varia sint ut plurimum, ita ea omittimus. In hoc omnes conveniunt, circa nempe dotes, & lucra dotalia in genere, cum in specie in hoc etiam varia sint pro varietate locorum (*).

PATRIARCHA.

Patriarcha non dicitur is, qui sit *πατρίας ἔξαρχος*, idest, rector diœcesis, quod Sal- 1
masio visum est: nec etiam *ἐπαρχία*, nec *πατρία*, Patriarchis nomen fecit, sed *πατρία*, hoc est, tribus, & familia. Quis enim nesciat in sacris litteris eos, qui cujusque, aut tribus, aut familiæ Principes erant, & quos Hebræi lingua sua *primos Patres* appellabant, a Græcis Interpretibus *πατριάρχας*, fuisse, & *ἀρχιπατριώτας* nuncupatos? Unde 1. Paralip. c. 9. legere est: *οἱ ἄρχοντες πατριῶν πατριάρχαι*.

Primum igitur nomen illud datum est iis, a 2
quibus populus Dei & propagatus est, & in lege tum naturali, tum Mosaica eruditus; deinde dum Christiana res adolesceret, Judaicæ sectæ Principibus: erant enim post Templi excidium, & Alexandriæ, si Vospico credimus; & Tiberiade, ut Auctores sunt, Origenes apud Hieronymum, & Epiphanius, Judæorum Patriarchæ; quorum hæc jura fuisse memoriæ proditum est: a Judæis ubi ubi essent, aurum coronatum per Apostolos exigere; Primates imponere Provinciis; de litibus inter Judæos ortis cognoscere, eamque dignitatem hereditario jure transmittere ad posteros. Hi duo Patriar-

triarchæ, sed Alexandrinus potissimum, *Spectabiles*, *Clarissimi*, & *Illustres* ab Imperatoribus interdum vocitati: donec anno Christi circiter CCCC. & a Theodosio Juniore in Oriente, & in Occidente ab Honorio potestas omnis sublata illis est, collectumque ab Apostolis vectigal Imperatoris ærario addictum.

3 Ab illis Judæorum tum antiquis, tum recentioribus Patriarchis in Ecclesiam vox illa *Patriarchæ* deducta est; & ad illorum exemplum *Patriarchæ* dicti sunt Principes Episcopi, earum in primis sedium, ex quibus ad cæteras Christiana Religio propagata est, ut Romanæ, ut Antiochenæ, ut Alexandrinæ, quoniam inter Ecclesias olim, cur una alteri, aut præesset, aut subesset, hæc maxima ratio fuit. Summa enim religione servatum est, ut quæ ab aliis prima Fidei semina susceperant, hæ illarum ductu regerentur, has illæ tanquam a se institutas suo sibi jure vindicarent. Hinc Primatum, & Patriarcharum edita distinctio: inde Alexandrinus toti Ægypto præfuit, inde Antiochenus Orienti, & Occidenti universo Romanus.

4 Hisce tribus Patriarchis duo aliquanto post Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus additi; illi tres Palæstinæ attributæ, huic tres Diœceses, Pontica, Asiana, & Thracica: ut quemadmodum corpus humanum quinque sensuum organis; ita Ecclesia quinque Patriarcharum auctoritate, & nutu regeretur: iis tamen nec idem honor habitus est, nec idem jus fuit, ut Patriarchæ dicerentur: *Desideratis nosse*, inquit Nicolaus I. *quot sint veraciter Patriarchæ: veraciter sunt illi Patriarchæ, qui sedes Apostolicas per Successiones Pontificum obtinent ..... Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam .... Constantinopolitanus autem, & Hierosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen authoritatis, quantæ superiores existunt.*

5 Duo ille, nisi falsus sum, requirit, ut quis, & dicatur, & sit verus Patriarcha: unum, ut illius Sedes ab Apostolis, vel eorum discipulis instituta sit; alterum, ut ipse, vel uni præsit diœcesi, vel pluribus. Primum defuit Constantinopolitano Præsuli, Hierosolymitano alterum. Integram obtinuit diœcesim Patriarcha, tum Alexandrinus, tum Antiochenus: ille Ægyptum, hic Orientem; partem unius tantum Hierosolymitanus; multas simul & Constantinopolitanus, & Romanus, qui eo longè præstat ceteris, quod regat & plures diœceses, ut Patriarcha, & universam Ecclesiam ut Summus Pontifex. Unde in Chalcedonensi Synodo Sancto Leoni acclamatum, *Leoni Patriarchæ*. Licet ii quinque sæpe vocarentur *Patriarchæ*, usus tamen obtinuit apud Græcos, posterioribus potissimum sæculis, si Balsamoni credimus, ut Pontifex Romanus sæpius diceretur *Papa*; Constantipolitanus, *Patriarcha Oecumenicus*; Antiochenus, *Patriarcha*; Alexandrinus *Archiepiscopus*. Horum quinque Patriarcharum historiam qui nosse cupiat, præter *Orientem Christianum* P. Le Quien, adeat Bollandianorum opus, in quo Papebrochius Hierosolymitanorum, Sollerius Alexandrinorum, Boschius Antiochenorum, Cuperus Constantinopolitanorum Patriarcharum historiam Chronologicam dedit. Neque omisero, historiam Alexandrinorum Patriarcharum a Renaudotio quoque editam fuisse.

Non ita tamen peculiare fuit harum quinque Sedium Episcopis *Patriarchæ* nomen: quin aliis etiam interdum, sive Primatibus, sive Metropolitanis, tum apud Græcos, tum apud Latinos delatum sit; eaque notione, & a Socrate, & a Justinano in novellis usurpatur; quorum ille diœceses, Ponticam, Asianam, Tracicam, πατριαρχίας; hic vero illorum Primates πατριάρχας ἑκάστης διοικήσεως appellat, qui alludit, opinor, ad decretum illud Chalcedonensis Synodi, quo jubentur πατριάρχαι ἑκάστης διοικήσεως unum aut alterum sibi Episcopum ex sua quisque diœcesi ad componendam fidei formulam adsciscere. Idem de Armenorum Patriarchis dictum est, qui tamen more apud aliquot Græcorum ecclesias recepto *Catholici* vocari solent. Non eodem tamen illi jure, quo alii quinque, *Patriarchæ* dicti sunt; quod Justinianus ipse tum ubique passim nos docet, tum maxime novella 123. *Jubemus*, inquit, *ut Archiepiscopi, & Patriarchæ, hoc est, senioris Romæ, Constantinopolis, Alexandriæ, Theopolis, & Hierosolymorum, in ordinatione sua ea solum præbeant, quæ præberi mos est*. Illi etiam Gregorius Magnus consensisse videtur, dum de electione sua, ut moris erat, ad quatuor scribit *Patriarchas*, præterea nemini. 6

Apud Latinos *Patriarchæ* nomen diu Romani Episcopi proprium fuit; nobilium tandem Civitatum Metropolitani, quod tandem quam apud Græcos, & rarius, & serius factum est, *Patriarchæ* appellati sunt, ut Nicetius Lugdunensis a Gregorio Turonensi, ut Honoratus Mediolanensis, & Paulinus Aquilejensis a Paulo Diacono, ut Rodulphus Bituricensis a Nicolao I. Suppressus tamen fuit a 1755. a Benedicto XIV. Patriarchatus Aquilejensis, in duosque Archiepiscopatus dissectus, alterum Utini, quæ Forojulii Veneti princeps Urbs est, alterum Goritiæ in Cæsarea ditione constitutum. Erepta tamen jam ab anno 1450. fuerat Patriarchæ Aquilejensi Gradensis Ecclesia, Patriarchatus & ipsa nomine olim donata, atque a Nicolao V. Veneto Episcopo cum Patriarchæ titulo adtributa. Novus quoque hoc Sæculo Patriarchatus in Occidente emersit, Ulyssiponensi Sede in Patriarchalem erecta. Cur vero nomen istud in Occidente aliis, quam Romano Præsuli datum sit; duplex potissimum causa perhibetur: una, quod vim eamdem huic voci subesse, quæ *Archiepiscopi* vocabulo, crederetur; altera, quod Isidorus in Decretalibus fictitiis Pontificum epistolis, *Patriarcham*, & *Primatem* confundere visus sit, dum jubet, ut, qui pluribus præest Provinciis, is vel *Primas*, vel *Patriarcha* appelletur. Eo tamen nomine illis Metropolitanis nihil aut potestatis, aut juris collatum est; quare non eadem eorum dignitas erat, quæ Græcorum quatuor, de quibus supra diximus: hi enim Romano Pontifici suberant tantum ut Papæ: illi vero ut & Papæ, & Patriarchæ. 7

PATRI-

PATRICIUS.

1 Patriciatus alia aliis temporibus & ratio fuit, & dignitas: cujus triplicem, vel gradum, vel ætatem assignare licet. Prima a Romulo ad Augustum pertinet: altera ab Augusto ad Constantinum: tertia a Constantino ad octavi sæculi finem. De prima agunt, qui de Romanorum antiquitatibus agunt, ut Cantelius de *Romana Republica* lib. III., de secunda, & tertia hic disserendum.

2 Augustus Cæsar jam senex, primum mensibus singulis Senatores adscivit quindecim, quorum consilio in regenda publica re uteretur: deinde viginti, qui annui essent, a Senatu petiit ea conditione, ut quæ cum illis, cum consulibus, cum Tiberio, nepotibus, aliisque pro arbitrio evocandis statuisset, ea proinde rata forent, ac si ab Universo Senatu essent decreta. Ii, quod, & una cum Principe de causis tum publicis, tum privatis, cognoscerent, & soli in Senatu dicerent sententiam, aliter ab aliis nuncupati sunt, *Summi Senatores*, *Comites Consistoriani*, *Patricii*, quos Adrianus apud se habitare jussit; & Alexander Severus ad quinquaginta adhibuit in consilio, ut eorum sententiis Senatus consulta fierent.

3 Ex his cuivis intelligere est non institutam a Constantino *Patriciorum* dignitatem, quod Zosimo visum est, sed multis auctam honoribus, ita ut post Cæsares, vel ante Præfectos Prætorio loci prærogativa iis data sit: nulla tamen illis præcipua potestas permissa est, nullaque attributa jurisdictio; nisi quis forte ad regendas Provincias mitteretur. Sed hic omnibus est a Principe habitus honor, ut si bellum hostibus inferendum, si sanciendum fœdus, si quid, quod ad publicam Imperii rem spectaret, gerendum esset; quæ eorum mens, quid darent Consilii, diligenter exquireret: tantique fuit *Patricium* esse, ut non a Romanis solum ea dignitas, sed ab exteris etiam Principibus fuerit vehementer appetita. Ita Theodorico Gothorum Regi datam legimus a Zenone, a quo edictum illud perhibetur, ne quis deinceps legeretur in *Patricium*, nisi qui prius Consul fuisset, aut Magister Militum, aut Præfectus, sive Prætorio, sive Urbi.

4 Patriciis, aut Justiniani tempore, aut aliquanto post, & pauperum, & Ecclesiæ tuendæ cura demandata est, quod nos docet ea, quam refert Paulus Diaconus, creandi Patricii formula. Ubi enim dignitatis illius candidatus Imperatoris pedes, genu, osque ipsum erat deosculatus, ipsum tamquam adjutorem regendi Imperii eo nomine adscisci moris erat, ut Ecclesiis, & pauperibus leges diceret, tum *mantum*, ut vocant, injectum humeris ab Imperatore, in dextro indice insertus annulus, datum scriptum bombycinum, aureusque circulus impositus capiti: tum hæc verba profatus Imperator, *Esto Patricius misericos, & justus*, illum dimittebat.

Est tamen cur quis, nec immerito dubitet, an ista formula adversus *Patricios* omnes usurpata sit, an in iis tantum, quibus una cum Patriciatu data provinciæ regendæ potestas est. Usus enim diu fuit, ut Patricii & Provinciis præessent, & bellis: ita Ægidius, & Aetius Galliis; Longinus Ravennæ exarchatui, & alii aliis Provinciis præpositi. Unde apud Historicos interdum legere est: *Patricius Italiæ*, *Siciliæ*, *Africæ*, quod ii, qui eas regebant Provincias, essent *Patricii*. Quin etiam qui clarissimis Urbibus, ut Constantinopoli, ut Romæ, præfecti erant, ii ut plurimum *Patricii* fuerunt: unde quivis intelligat, cum Pippino, cum Carolo Magno a Summis Pontificibus, populoque Romano Patriciatus honos delatus est, iis nihil datum esse aliud, quam tuendi populi, hostis repellendi, & Ecclesiæ protegendæ potestatem. 5

Hinc Hadrianus (ep. 97. al. LXXXV.) Carolum M. Romanæ ditionis Patricium, exarchatus vero, ac Pentapolis D. Petrum: *Honor*, inquit, *Patriciatus vestri a nobis irrefragabiliter conservatur, etiam, & plus amplius honorifice honoratur; Simili modo ipse Patriciatus B. Petri fautoris vestri tam a S. Rec. Domno Pippino Magno Rege genitore nostro in scriptis in integro concessus, & a vobis amplius confirmatus, irrefragabili jure permaneat*. „ Quidnam vero hac comparatione Patriciatus velit, per se patet, inquit Cl. Cennius (Codic. „ Carol. T. 1. pag. 294.) Petrus enim in Cœlis „ habitans nonnisi Protector, aut Defensor sui „ Successoris in administratione provinciarum esse poterat. Talemque fuisse Carolum Romæ & „ Ducatus immensa Testium integerrimorum serie comprobari posset: satis tamen erunt duo „ apud Ducangium in Glossario (*V. Patricius*); „ In Capitulari 1. an. 769. & Aquisgran. an. 789. „ Carolus dicitur: *Rex*, *Regnique Francorum Rector*, *& devotus S. Ecclesiæ defensor*, *atque adjutor in omnibus Apostolicæ Sedis*. Hugo Flaviniacen. in Chron. pag. 223. *Non debere Regem „ Imperatoris filium*, *qui non sine causa gladium „ portaret*, *qui Romanæ Reip. Patricius*, *tutor*, „ *& defensor esse deberet*, *tantam pati Ecclesiæ „ Dei conculcationem*. Idcirco Pontifex in laudata „ epistola eumdem honorem exigit a Carolo erga Patriciatum D. Petri, quo ipse Caroli Patriciatum prosequebatur. Deinde pergit dicere: „ *Quia sicut nos semper vestros Homines suscipientes commonemus*, *ut in vera fide*, *atque puritate „ cordis totis eorum viribus in vestro maneant servitio*, *ita & vos simili modo quicumque ex nostris hominibus ad vos veniunt &c.* Nam summam eamdem fidem, ac benevolentiam erga „ Apostolorum Principem tutorem, & defensorem „ Donationis Pippinianæ ab eo confirmatæ servandam esse ait a Carolo, quam ipse Carolo servabat tutori, ac Defensori Apostolicæ Sedis, ut „ perspicue Paulus I. eum appellat: *Ecclesiæ tutorem* (ep. 27. al. XXXVII.), & alibi passim „ protectorem, ac defensorem. 6

„ Quod si forte aliquando Carolus quidquam „ juris sibi arrogare tentavit *pro sui Patriciatus „ honore*, ut suggestum ei fuerat ab Adversariis „ Apostolicæ Sedis, Pontifex suaviter restitit, 7

„ suos-

„ suosque terminos Patriciatum excedere non per„ misit. Rei exemplum suppetit ex iisdem Ha„ driani epistolis (93. *al.* LXXI.) Suggerebatur „ Carolo, Ravennæ Archiepiscopum eligi debere „ coram Misso Regio. Negat Pontifex: & ad „ Patriciatus honorem quod attinet: *Nullus homo*, „ inquit, *esse videtur in Mundo, qui plus pro ve„ stræ Regalis Excellentiæ decertare moliatur exal„ tatione, quam nostra Apostolica assidua depreca„ tio; & sicut in nostris præcordiis, nisibus totis „ ubique super omnes, vos honoravimus, & hono„ ramus; ita amplius, ac amplius honorem Regni „ vestri præcellere omnibus, qui in mundo esse no„ scuntur: verumtamen & de ipsa benevolentia, „ quam in vestrum gerimus culmen honoris, in uni„ verso innotuit mundo, sicut nempe omnibus pa„ tet, quia die noctuque in Confessione fautoris ve„ stri B. Petri non intermittimus fundere preces*. „ Hujusmodi alia & in prædecessorum, & in Ha„ driani epistolis multa inveniuntur. Quare evi„ dens est, Patriciatum, quem alibi videre est „ appellatum *vestram regalem tuitionem* (*ep.* 83. „ *al. LXXXIV.*) in eo situm fuisse, ut S. Sedes „ defenderetur spe præmii Cœlestis, quod nostri „ ævi eruditis aliquot extra Italiam, terrena sa„ pientibus, modicum videtur) & de adversariis „ victoriæ in hoc mundo per Sancti Apostolorum „ Principis adjutorium, assiduis, publicisque Pon„ tificis & Romanorum precibus ante ejus Con„ fessionem imploratum. Hac una spe inlectos „ Pippinum, & Carolum Francorum Reges longe „ lateque amplificasse Apostolicæ Sedis ditionem „ invenio: at dominii quicquam sibi aut arro„ gasse, aut reservasse, præterquam in Spoleti, „ & Tusciæ ducatibus, nusquam legitur."

8 Diu apud Romanos in honorem fuit *Patricii*, & appellatio, & dignitas; quæ & sublata sæpius, & restituta est. Quis enim non noverit celebratissima illa Alberici, Crescentis, Jordanis nomina, quorum frequens apud Hugonem Flaviacensem, Helinandum, Othonem Frisingensem, mentio est. Anno tandem MCLII. ab Eugenio III. pax ea lege cum Romanis inita est, ut abrogato Patriciatu, Præfectus qui Urbem regeret, revocaretur.

9 A Romanis ad exteras etiam gentes Patriciatus dignitas propagata est, maxime apud Francos, Burgundiones, Anglo-Saxones: Unde Dynamius Galliarum *Patricius* a Gregorio Magno dicitur, Mummolus a Gregorio Turonensi, & ab aliis alii. *Patriciorum* etiam meminit Charta Regis Inæ, cujus testamento Principes, Senatores, & *Patricii* subscribunt. Ipsi etiam rerum gestarum gloria, & generis nobilitate insignes virii *Patricii* nomen honoris ergo sibi adsciscebant, ut Richardus ille, qui Normannorum se & Ducem, & *Patricium* nuncupat.

PATRIMONIUM.

AD titulum Patrimonii, vel Pensionis ordinari posthac non possunt, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Sic expresse Concil. Trid. *sess.* 21. *de reformat. cap.* 2. ibi: *Patrimonium vero, vel Pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*, & novissime de mandato Innocentii XI. *Sacra Congregat. Conc.* 3. *Mart.* 1679. 1

Necessitas autem, vel saltem utilitas Ecclesiæ pro admittendo Patrimonio, vel Pensione regulariter concurrit, & utrumque adesse censetur, quoties agitur de promovendo viro docto, vel nobili, seu potente, probatæ vitæ, & integritatis, quibus valde indiget Ecclesia; *cap. Super specula* 5. *de Magistris*, *cap. Cum ex eo* 34. *de election. in* 6. Riccius *prax. For. Eccles. tom.* 3. *resolut.* 458. *num.* 3. Ventrigl. *tom.* 1. *adnotat.* 44. §. *Unico num.* 29. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 17. *num.* 3. ubi addit: *Quod nota pro captando arbitrio Episcoporum, qui non semel rerum cortici hærendo excusatione deficientiæ Beneficii etiam hos ab Ordinatione repellunt: & eod. tom.* 1. *in Appendice ad litteram Sac. Cong. Concilii super Patrimonio Ordinandorum num.* 7. ubi citat etiam Garciam. 2

Patrimonium, seu Pensio debet vere, & realiter ab Ordinando pacifice obtineri, & debet esse sufficiens ad suam honestam sustentationem. Sic expresse Concil. Trident. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. ibi: *Eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel Pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint*. Unde Clericus suscipiens Ordines Sacros cum Patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto Beneficio, suspensionem incurrit; Vid. v. *Ordo art.* 2. *num.* 90. Ubi jura, & Decreta ad id adducuntur. Non esset tamen suspensus ipse Ordinatus, si bona fide, & nulla fraude, & dolo absque legitimo titulo ordinaretur. Vide verb. *Ordo n.* 91. Et sic ordinatus in Subdiaconum ad titulum Patrimonii ipsi a Patre assignati, si postea habuit notitiam prioris obligationis dicti Patrimonii, non incurrit pœnas statutas a Trident. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. quia ab initio fuit in bona fide. Sic decisum fuisse a *Sacra Cong. Concilii sub die* 26. *Junii* 1621. referunt Sellius *in Selectis Canonic. cap.* 3. *num.* 17. & Barbosa *in Concil. Trid. loc. cit. num.* 72. 3 4 5 6

7 Donans fraudulenter, vel ficte promittens Patrimonium, deprehensa fraude, & constito quod promissio Patrimonii fuit ficta, & donatio tantum verbalis, debet propter fraudem commissam contra Ecclesiam puniri per sententiam Judicis amissione Patrimonii. Nicol. Garcias *de Benefi. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 152. Sanchez *de Matrimon. lib.* 6. *disp.* 32. *num.* 8. *ad med.* Fr. Emmanuel *in Summa tom.* 2. *cap.* 15. *n.* 7. Petrus de Ledesma *in Summa par.* 1. *de*

1. *de Sacrament.* ubi *de Sacramento Ordinis cap.* 7. *conclus.* 6. *diffinit.* 5. Avila *de Censur. part.* 3. *dis.* 5. *dub.* 5. *vers. Tertia Conclusio*. Rodericus a Cunha *in Commentar. ad c.* 1. *num.* 23. *dist.* 70. Barbosa *in Concil. Trident. cit. sess.* 21. *cap.* 2. *num.* 70. & alii.

8 Patrimonium pro Ordinando semel constitutum non potest amplius revocari prætextu, quod fuerit fictitie constitutum, & donatum, nec admittitur constituens, aut donans ad allegandam, & probandam fictionem, sed cogitur illud libere Ordinato consignare. Sic respondit *S. Cong. Episc. in una Januen.* 6. *Septemb.* 1697. *proponente Eminentissimo Colloredo*.

9 Patrimonium Clerici non dicitur fictum neque fiduciarium, neque insufficiens, si Patri una cum Fratribus insimul donantibus, nihil remaneat pro eorum victu, dummodo donatio sit realis, firma, legitime facta, & tot bonorum, ut fructus ascendant ad summam præscriptam in Diœcesi. *Sacra Congreg. Episcop. in Aretina* 10. *Aprilis* 1590. citat. & secut. a Nicolio *Lucubrat. Canonic. lib.* 1. *tit.* 1. *post n.* 23. *vers. Et quod Patri*, & a Monacell. *tom.* 1. *titul.* 3. *formul.* 13. *n.* 5. Tales autem donationes non debent recipi, nisi prius constet parentes aliunde habere, unde honeste pro status qualitate sustentari queant. *S. Cong. Conc. in Cesenaten. Synodi* 26. *Febr.* 1695. apud Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 2. *n.* 4.

10 Non potest tamen solus Pater donare uni Filio Clerico pro Patrimonio in præjudicium aliorum Filiorum, non relicta eis legitima portione, sed tantum relicta debita portione aliis Filiis, ita ut talis donatio in præjudicium aliorum Filiorum, nec juramento firmetur; Gabriel *de donationib. conclus.* 4. *num.* 5. Marius Antonius de Macerata *Variar. resolut. lib.* 1. *resolut.* 88. *num.* 9. *vers. tertio*, Nicolius *Lucubrat. Civil. lib.* 2. *tit.* 7. *de donat. inter virum & Uxorem, & inter Patrem & Filium n.* 15. *vers. Immo Filius*, Monacell. *tom.* 1. *tit.* 3. *formul.* 13. *num.* 6. Ventriglia *tom.* 1. *adnotat.* 42. §. 1. *num.* 24. subdens, quod hinc bene servant nonnullæ Curiæ Ecclesiasticæ informationem capiendo super numero Filiorum, & bonis Donatis.

11 Donatio Patrimonii facta a Patre Filio, ut ad Sacros Ordines promoveri possit, non conferri debet, nec imputari in legitimam, quia talis donatio non dicitur ob causam, cum non habeat necessitatem, ut est donatio causa Dotis, nec respiciat commodum donantis; Tum quia Patrimonium non est libere assignatum, ut de illo possit Clericus ad libitum disponere, cum non possit vendi, nec alienari, quod requiritur in legitima, adeoque &c. Gratian. *discept. Forens. cap.* 159. *num.* 31. Squillant. *de privileg. Cleric. cap.* 12. *num.* 25. cum aliis ibi citatis. Ventriglia *loc. cit. num.* 22. Barbosa *de off. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 19. *a n.* 64. *ad* 69. cum innumeris ibi citatis contra plures alios citatos *ibid. n.* 70.

12 Donatione facta, & secuta traditione bonorum donatorum pro Patrimonio ad suscipiendos Ordines Sacros, si Clericus moriatur ante susceptos Ordines, non obstat Decretum Concilii Trident. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. quin donans recuperet eadem bona, si attento jure communi restituenda forent. Sic decisum fuisse a *Sac. Cong. Concilii in Mutinen.* 11. *Junii* 1631. referunt Sellius *in Select. Canon. cap.* 3. *num.* 3. & Barbosa *in Concilii Trid. loc. cit. num.* 43. Ventriglia tamen *loc. cit. num.* 23. cum Riccio, Antonio de Marinis, Donat. ibi ad- 13
ductis dicit, quod si hæc donatio facta pro suscipiendis Sacris Ordinibus non habuerit effectum suum, quia donatarius discesserit e vita ante susceptionem Ordinum, adhuc donatio ad heredes donatarii transit, & non ad Donantem revertitur.

Patrimonium donatum per parentes ea condi- 14
tione, ut Filius usumfructum habeat, donec Beneficium aliquod, aut bona alia ad ejus congruam sustentationem sufficientia acquisierit, est sufficiens, & ad illius titulum potest ordinari. Sic decisum fuisse a *Sacra Cong. Episcop. & Regul. in Eugubina* 22. *Maii* 1590. referunt Sellius *loc. cit. cap.* 3. *n.* 2. & Barbosa *loc. cit. num.* 41. Vide *infra num.* 28. Talis autem Clericus non spoliatur 15
Patrimonio, quamvis Beneficium, vel bona acquirat, sed viget Patrimonium ut prius, non obstante dicta conditione, donec ab Episcopo non fiat subrogatio. Vide verb. *Ordo art.* 2. *num.* 93. ubi afferuntur ad id Decreta Sacræ Congregationis.

Tale autem Patrimonium assignatum Clerico a 16
Consanguineis cum clausula: *Donec fuerit de Beneficio provisus &c.* non comprehendit Officium Organistæ, & Magistri Capellæ; *S. Congregat. Concilii* 26. *Junii* 1621. apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Patrimonium n.* 10.

Patrimonium super re immobili constitui debet; 17
Communis cum Barbosa *in Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 2. *num.* 36. *& de Offic. & potest. Episcop. par.* 2. *allegat.* 19. *num.* 55. cum pluribus ibi citatis. Item 18
Patrimonium debet esse res certa, & fructifera. Sic decisum referunt Garcias *de Beneficiis par.* 2. *cap.* 5. *num.* 96. & Barbosa *in Trid. loc. cit. n.* 37. *& in Summa loc. cit. num.* 4.

Parimonium pro ordinando Clerico potest con- 19
stitui super bonis Emphyteuticis. *Sacr. Congregat. Concilii in Lucana* 7. *Septembris* 1630. apud Barbosa *in Summa Apostolic. decis. loc. citat. numer.* 12.

Patrimonium constitui potest etiam in Censi- 20
bus, dummodo constituentes tale Patrimonium in forma juris valida se obligent, quod in casu redemptionis pro sufficienti Ordinati victu providebunt, donec iterum investiantur. *Sacra Congr. in Nullius* 21. *Junii* 1629. *l.* 13. *decretor. p.* 109.

Patrimonium constitui non potest in bonis hy- 21
pothecatis, quia ordinatus non poterit ex illis bonis sustentari, si Creditor de iis sibi satisfieri voluerit, nam transierunt cum onere hypothecæ. *Sacra Congregat. Episcop. in Ugentina* 6. *Octobris* 1717. Potest tamen in ipsis hypothecatis constitui, 22
quando bona hypothecata, deductis oneribus, sufficiunt ad congruam sustentationem. *Eadem Sac. Congreg. Episcop. in Faventina* 9. *Martii* 1614. & etiam *Sacra Congreg. Concil.* apud Nicol. *Lucubrat. Canonic. lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 25. *vers. Quod tamen*. Item

23 Item potest in ipsis bonis hypothecatis constitui, quando donator, vel assignator Patrimonii aliis hypothecati promittit evictionem, & habet alia bona libera, de quibus eam præstare potest, quia tunc ratio cessat, & multo magis quando ipsa bona donata, vel assignata, deductis oneribus, sufficiunt ad congruam sustentationem. *Eadem Sacra Congregat. Episcopor. in dicta Faventina 9. Maii* 1614. apud Nicol. *loc. cit. vers. Limitandum tertio*.

24 Patrimonii quantitas, ad quod quis promoveri possit, non taxatur, sed remittitur ad terminos Concilii. *Sac. Congreg. Concilii* penes Garciam *de Benefic. part. 2. cap. 5. num.* 113. & Barbos. in Tridentin. *sess. 21. cap. 2. num. 37. & jur. Eccles. univers. lib. 1. cap. 33. num. 155. & in Summa loc. citat. num. 3.*

25 Patrimonii examen pertinet ad Episcopum privative quoad alios. *Sac. Cong. Conc. in Placentin. 16. Martii 1630.* apud Barbos. *in Trid. loc. cit. n. 39. & in Summa loc. cit. n. 11. & jur. Eccles. univers. l. cit. num. 156.*

26 Taxa Patrimonii Sacri extra Urbem in summa Scutorum quadraginta Monetæ Romanæ non dicitur excessiva, nec est reducenda. *Sacra Congregat. Concil. in Senogallien. pro Terra Roccha contradæ 20. Junii 1705. in responsion. ad primum dubium.*

27 Ultra taxam non possunt in Patrimonium assignari alia bona. *Eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Senogallien. in respons. ad tertium dubium.*

28 Impetrato Beneficio bona assignata in Patrimonium redeunt ad primævum statum etiam pro rata Beneficii obtenti, facta tamen prius subrogatione per Ordinarium. *Eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Senogallien. in responsione ad 4. & 5. dubium* juxta alia Decreta *in Terracinen. 20. Julii 1619. & in Tolentinaten. 10. Maii 1692.* in quibus responsum fuit, Titulum, & Privilegium Patrimonii Ordinati non extingui, quamvis Ordinatus acquirat Beneficium, nisi fiat ab Episcopo subrogatio.

29 Patrimonium Ordinandi inserviens solum pro supplemento defectus reddituum Beneficii, non admittitur, nisi Ecclesiæ utilitas, aut necessitas id exigere Episcopo videatur. *Sacra Congregatio Concilii in Asculana 13. Martii 1693. l. 23. Decret. fol. 62. & in Tridentina 1. Martii 1687.*

30 Facilius tamen ordinandus admittitur ad hunc Titulum, quam si haberet Patrimonium simplex sine admixtione Beneficii: Monacell. *tom. 1. in Appendic. ad litteram Sacræ Congregationis Concilii de Patrimon. Ordinandorum num. 16. & tom. 4. supplement. ad tom. 3. num. 185.* Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Ordo vers. Secundo extende.* Riccius *Prax. For. Eccles. tom. 1. resolut. 458. numer. 3.* ubi declarationem Sacræ Congregationis affert.

31 Obtinens Breve extra tempora cum clausula: *Ut ad titulum Patrimonii tui promoveri licite possis*, non censetur dispensatus super necessitate, vel commoditate Ecclesiæ a Conc. Tridentin. requisita ad hoc, ut quis ad titulum Patrimonii possit ordinari. *Sacra Congregatio Concilii in Parmen. 10. Junii 1648. & in S. Agathæ Gothorum eodem die, & anno.*

Episcopus non potest ordinare suum Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii, vel Pensionis ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, sed requiritur Beneficium, ut declaravit *Sacra Congregatio Concilii in Tricarien. 27. Julii 1697.* in qua proposito dubio: *An stante novissima Constitutione Sanctissimi D. N. possit Episcopus Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ nullo collato Ecclesiastico Beneficio*; Respondit *Negative*, & est contra Barbosam *in Summa loc. cit. n. 2.* Garciam *de Benefic. p. 2. cap. 5. numer. 81.* & alios citantes antiquum Sac. Congregat. Decretum. 32

Patrimonium Clerici, ad cujus titulum fuit ad Sacros Ordines promotus, non potest capi in executione ob illata vulnera alicui ad reficiendas curationis expensas a Judice condemnatas, etiamsi nihil aliud præterea possideat, quia ejus alienatio interdicta est Decreto Concilii *cap. 2. sess. 21. de reform. Sacra Congreg. Concilii 5. Februarii 1604.* apud Barbosam *in Summa loc. cit. num. 9. & libr. 1. juris Eccles. univers. cap. 33. numer. 160.* 33

Sine Patrimonio, aut Beneficio ad Sacros Ordines promoveri non possunt Clerici Religiosi more Regularium in communi viventes, qui nunquam, vel nonnisi ad certum tempus Professionem emittunt, & interim ad sæculum redire possunt. S. Pius V. Constit. 75. incip. *Romanus Pontifex.* 34

Patrimonium an tale sit, quod sufficiat? relinquitur arbitrio Ordinarii propter diversitatem locorum, cum in uno loco sufficiat, quod in alio non erit sufficiens. *S. Cong. Conc.* apud Barbosam *in Summa l. c. n. 2.* 35

Patrimonium, seu Pensio posthac sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus potest, donec Ordinati Beneficium Ecclesiasticum sufficiens suo statui sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Vide verb. *Ordo art. 2. n. 92.* 36

Unde Patrimonii titulus non extinguitur, etiamsi Ordinatus acquirat alia bona, donec ab Episcopo loco Patrimonii subrogentur. Vide d. verb. *Ordo art. 2. n. 93.* 37

Neque Ordinatus potest absque expressa licentia Episcopi donare Patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. Vide dict. verb. *Ordo art. 2. n. 94.* 38

Neque potest absque licentia Episcopi illud in Emphytheusim concedere, reservato desuper annuo Canone fructibus correspondente. Vid. d. verb. *Ordo art. 2. n. 95.* 39

Neque Patrimonium potest sine licentia Episcopi alienari, etiamsi Ordinatus consequatur Beneficium. Vide d. verb. *Ordo art. 2. n. 96.* 40

Prohibitio Conc. Trid. alienandi Patrimonium extenditur ad Fidejussionem Ordinati? Et quomodo in tali casu provideatur Creditori. Vide d. verb. *Ordo n. 97.* 41

42 Venditio, hypothecatio, extinctio Patrimonii, vel Pensionis subsequens promotionem est invalida, quia dictio illa Concilii: *Nullatenus possint*, importat nullitatem actus ipso jure; Barbosa *in Concil. Trident. cit. sess. 21. cap. 2. numer. 60. & seq.* cum pluribus ibi citatis, & alii communiter.

43 Patrimonii Sacri permutatio sine Episcopi consensu nulla est. *Sacra Congreg. Concilii in Fanen. Patrimonii Sacri 2. Augusti 1717. ad primum dubium.*

44 Ad uberiorem notitiam juvat hic afferre Epistolam Encyclicam Sacræ Congregationis Concilii super Patrimonio Ordinandorum, quæ est ut sequitur.

„ Etsi Sacra Congregatio Concilii Tridentini *cap. 2.* „ *sess. 21. de reformat.* diserte caveat, ne quis „ Clericus Sæcularis, quamvis alias sit idoneus „ moribus, & scientia, & ætate, ad Sacros Or- „ dines promoveatur, nisi prius legitime con- „ stet, eum *Beneficium Ecclesiasticum*, quod sibi ad „ victum honeste sufficiat, pacifice possidere; „ Patrimonium vero, vel Pensionem obtinentes „ ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus „ judicaverit assumendos pro necessitate Ecclesia- „ rum suarum; Temporis tamen cursu animad- „ versum est, nonnullos Episcopos ab hac ordi- „ nandi norma, absque ullo discrimine deflexis- „ se, passim quoscumque ad Patrimonii titulum „ ad Sacrum Ministerium admittendo. Quantum „ ex hoc jacturæ in Ecclesiastica disciplina ac- „ ceptum fuerit, manifestum est. Quare Sanctis- „ simus Dominus Noster pro suo insigni zelo „ malis hujusmodi provide obviaturus prædictæ „ dispositionis exactissimam observantiam in Ur- „ be in primis instauravit, deinde per hasce cir- „ culares litteras Ordinariis omnibus Tridentini „ Decretum in memoriam reduci mandavit, qua- „ tenus omnes illud sancte custodiant, sciantque „ non aliter eum ordinandum ad titulum Patri- „ monii, & Pensionis, nisi cum Ecclesiæ *neces-* „ *sitas*, vel *commoditas* ita exigat, qua in re pru- „ dens Ordinarii, timoratorumque judicium versari „ debebit. Dominatio igitur tua Sanctitatis suæ „ exemplo, & mandato sese conformare non omit- „ tat, dum ei omnia prospera precamur a Domi- „ no. Romæ 3. Maii 1679.

„ *Uti Frater*.
„ F. Card. Columna Præfectus.

„ *S. Archiepisc. Brancacius Episcopus Viterb. Secret.*

45 Bona assignata in Patrimonium Clericorum pro Ordinibus suscipiendis non sunt subjecta, nisi oneribus certis realibus & invariabilibus, quando tempore assignationis erant subjecta similibus oneribus. *Sacra Congregatio Immun. in una Montis Regalis 11. Augusti 1638. lib. 3. Decret. Paul. pag. 69.*

46 Patrimonia, ad quorum titulum Clerici sunt ordinati, sunt immunia ab impositionibus, & Gabellis. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Alban. 14. Septembris 1626. lib. 1. Decret. Paul. pag. 15. & in Faventina 24. Martii 1627. ibi pag. 42.*

Limita tamen quoadusque Clerici non obtineant Beneficium legitime subrogatum loco Patrimonii. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Fundana 25. Septembris 1627. eodem l. pag. 66. 13. Nov. 1629. lib. 2. decret. Paul. pag. 62. in Aquilana 27. Apr. 1638. lib. 3. decret. Paul. pag. 58. in Lycien. 26. Augusti 1636. ibi pag. 12. in Nucerina 23. Jan. 1674. lib. 1. Decret. Alt. pag. 891. in Firmana 14. Maii 1675. d. lib. p. 197.* 47

Licet Patrimonia Clericis sint assignata pro assumendis Sacris Ordinibus, non est permittendum gaudere exemptione Patrimonii Ecclesiastici, nisi post assumptionem Sacrorum Ordinum; gaudere tamen debent exemptione bonorum Clericorum, si vere cum effectu fuerint in Clericum translata. *Eadem Sacra Congregat. Immunit. in Aquilana 5. Martii 1641. lib. 3. Decret. Paul. pag. 138.* 48

Bona integre assignata Clerico in Patrimonium non gaudent Immunitate Patrimonii Sacri ab oneribus laicis, nisi a die suscepti Ordinis Sacri. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Aquilana 4. Augusti 1627. lib. 1. Decret. Paul. pag. 58. in Aprutina 2. Julii 1630. lib. 2. Decret. Paul. pag. 47. in Nazarena 2. Aprilis 1669. lib. 1. decret. Altov. pag. 336. in Neritonen. 12. Jul. 1689. lib. Decret. Martelli pag. 493. in Pedemontana 22. Novemb. 1692. lib. 1. Decret. Vallem. p. 4. in Aquilana 11. Aprilis 1693. d. l. p. 36.* 49

Restituenda sunt quæcumque fuerunt a Clerico indebite exacta per Ministros Laicos super bonis ad quorum titulum fuit ordinatus. *Ead. S. Cong. Immun. in Caputaquen. 30. Mart. 1694. lib. 1. Decret. Vallem. pag. 114.* 50

Amplia I. Etiamsi ille promotus fuisset ad Ordines Sacros, incœpto jam semestri, in cujus fine collectæ solvendæ erant. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Æsina 5. Octobris 1688. lib. Decret. Martelli pag. 357.* excipe tamen onera privilegiata, *ibidem*. 51

Amplia II. Etiam quoad Collectas Camerales. *Eadem Sacra Congr. Immun. in Camerinen. 7. Octobris 1631. lib. 2. decret. Paul. pag. 93. in Forosempronien. 13. Aug. 1647. lib. 4. Decret. Paul. pag. 23. in Montis alti 14. Octobris 1630. lib. 2. Decret. Paul. pag. 62.* 52

Amplia III. Quod bona Patrimonii Clericalis sunt exempta ab onere subsidii triennalis. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Anagnina 13. Aug. 1632. lib. 2. Decret. Paul. pag. 166.* 53

Amplia IV. Quamvis in assignatione Patrimonii apposita fuisset clausula: Donec, & quousque obtinuerit Beneficium Ecclesiasticum, vel de aliis fructibus provisus fuerit, quibus se alere possit. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in una Civitatis Castelli 2. Martii 1700. lib. 2. Decret. Vallemani pag. 275.* 54

Amplia V. Quod bona subrogata loco bonorum ad quorum titulum quis fuit ordinatus, si subrogatio legitime facta fuerit, gaudent exemptione. *Ead. Sac. Congr. Immun. in una S. Severini 26. Aug.* 55

Aug. 1636. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.*13. & *in una S. Angeli in Vado* 12. *Julii* 1686. *lib. Decret. Martelli pag.* 495.

56 Amplia VI. Quod etiam bona acquisita a Clerico, & subrogata in Patrimonium sunt exempta.

57 Amplia VII. Quod bona assignata pro Patrimonio Clerici delenda sunt de Catastico Laicorum, & describenda inter bona Ecclesiastica. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Squillacen.* 21. *Jan.* 1676. *l.* 1. *Decret. Altov. pag.* 1202.

58 Amplia VIII. Nec possunt confiscari, & ideo restituenda sunt. *Ead. Sac. Congreg. Immun. in Mutinen* 15. *Junii* 1638. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.* 64. & 13. *Junii* 1640. *d. lib. pag.* 127.

59 Amplia IX. quod bona assignata in Patrimonium ad Sacros Ordines suscipiendos gaudent exemptione a Collectis impositis per Æs, & libram pro eo tempore, quo Ordinatus non habuit sufficiens Beneficium. *Ead. Sacr. Congr. Immun. in una Civitatis Plebis* 10. *Novemb.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Altov. pag.* 1022.

60 Amplia X. Quod etiam bona assignata pro supplemento Patrimonii juxta taxam factam in Synodo gaudent exemptione. *Ead. Sac. Congr. Immun. in Recinaten.* 18. *Decemb.* 1668. *lib.* 1. *Decr. Altoviti pag.* 300.

61 Amplia XI. Quod bona assignata in Patrimonium Clerici sunt immunia a Bonatenentia; illa vero transeunt cum suis hypothecis, pro quarum liberatione Clericus agere potest contra assignantem. *Eadem Sacra Congregat. Immun. in Sulmonen.* 19. *Novemb.* 1630. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 66.

62 Sacerdos, cui fuit evicta possessio, super qua erat constitutum Patrimonium, si subrogavit aliam possessionem legitime cum auctoritate Episcopi, gaudet pro subrogata exemptione a Collectis. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Æsina* 21. *Januarii* 1676. *lib.* 1. *Decret. Altovit. pag.* 1158.

63 Injungitur Episcopis status Sabaudiæ, ut circa assignationes pro Patrimoniis Clericorum obvient fraudibus, observando Sacros Canones, Concilia, & Constitutiones Apostolicas in illorum Constitutione. *Eadem Sacra Congregat. Immunit. in Taurinen.* 15. *Martii* 1650. *l.* 44. *Decret. Paul. pag.* 101.

64 Injungitur Episcopis status Pedemontis, ut sedulo curent, ne fiant fraudes circa Patrimonia assignanda Clericis in præjudicium Communitatum, & ne eadem Patrimonia excedant quantitatem sufficientem pro quolibet Ordinandorum Episcopi arbitrio juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Pedemontana* 28. *Februarii* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 70.

65 Verum quando Pater habens plures Filios assignat duobus omnia sua bona in Patrimonium, Episcopus provideat, ne subrepant fraudes, & informet. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Squillac.* 9. *Junii* 1704. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 592.

66 Patrimonii loco ad suscipiendos Ordines sacros a Græcis assignari nequit dos uxoris. Bened. XIV. tom. 1. Constit. 57. incip. *Etsi pastoralis* §. 7.

* Constitui non debet Patrimonium in industria Clerici, ut si sit Musicus, Ludimagister &c. ut respondit Sacra Congregatio in una *Segunt. mense Octobr.* 1589. Sicuti nec constitui potest in bonis mobilibus, & semoventibus, ut respondit Sac. Congr. Concil. 29. *Novembr.* 1670. *Inst. Eccles.* 26. §. 7. 67

Patrimonium admissurum se profitetur Benedictus XIV. dum erat tantum Archiepiscopus Bononien. in Capellania amovibili, dummodo Patronus obligasset fidem suam nunquam ab Ordinato removendi illam Capellaniam, quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive Beneficium sive patrimonium, & idem Patronus, vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato præstanda, si forte impediretur a celebratione Missæ. *Ibid.* §. 11. 68

Item admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores census, si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc ut in novis censibus, vel stabilibus impenderetur. *Ibid.* §. 12. Tunc autem curæ erit ordinato sub pœna suspensionis de investienda pecunia. 69

Si quis voluerit assignare de suo patrimonium sufficiens ordinando, dummodo hæc liberalitas sit vera, & alienabilis absque licentia Ordinarii, id ubique admitti poterit ex variis responsis Sacræ Congregationis. *Ibid.* §. 13. Curandum est tamen, ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato. *Ibid.* §. 14. Dummodo etiam absit omnis pactio tacita, vel expressa extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio patrimonii facta a patre respectu filii, cui in præjudicium legitimæ reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere, ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii. *Ibid.* 70

Si quis fictum patrimonium suum sciat, & nihilo secius ordinationem recipiat, manet suspensus, ut ex Can. *Neminem*, & Canon. *Cunctorum*, *dist.* 70. & ex decreto Sacræ Congregationis anni 1610. Si vero id nesciat, sciat autem Ordinarius, & tamen ordinet, Ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur tamen de suo ordinatum alere ex vi eorumdem Canonum, & sensu Sacræ Congregationis Concilii. *Ibidem* §. 16. 71

Patrimonii alienatio absque Ordinarii licentia ipso jure nulla est, ut ex decretis Sacræ Congregationis, *ibid.* §. 28. Nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter beneficium sine facultate Ordinarii, ut ex similibus decretis. *Ibid.* §. 29. Nec tandem obligari possunt bona patrimonii adeo ut si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem, quæ alimentis ordinati superfluit. Fas est tamen creditori recipere in solutum, seu vendere jus, quod post mortem transiret ad 72

hæredes. Ita ex decretis Sacræ Congregationis, *ibidem* §. 30.

73 Denique ordinati ad titulum Beneficii, resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui Beneficio resignando adjacet, & concludentibus probationibus demonstretur aliam suppetere resignanti viam, qua commode sibi de victu provideat. Ita ex decretis Sacræ Congregationis *ibidem* §. 30.

Additiones ex aliena manu.

74 Ad titulum patrimonii non posse ordinari nisi eos, qui vel necessarii, vel utiles sunt Ecclesiæ, communiter traditur. At non in eo omnes conveniunt, quinam dicendi sunt vel utiles vel necessarii Ecclesiæ.

75 *Stimo utili alla Chiesa* (recte inquit *Auctor Notarum in novissima Concordata inita S. Sedem inter & Serenissimum Regem Neapolis c.4. art.2. num.2.*) *quelli, i quali si promovono allo stato ecclesiastico chiamati dal Sign. non già per ambizione o per altro rispetto o vantaggio umano, e che fanno sperare che col di loro buono esemplo, e dottrina possano edificare i Popoli, e servire i Parrochi, assistere ai Vescovi, ed adempire alle parti che sono proprie del loro istituto. Necessarj poi si considerano a riguardo del bisogno delle Chiese e del comodo de' Popoli, accadendo che in un luogo benchè numeroso di Popoli per mancanza di Beneficj, Capellanie, servizj di Chiese e simili, necessiti minor numero di Ecclesiastici, e che all' incontro maggior numero si richiegga quantunque meno numeroso di popoli, e ciò per soddisfare al servizio delle Chiese Collegiali, Cattedrali, ed altre Chiese, che hanno bisogno del cotidiano servizio del Coro, o per adempire all' obbligo delle Messe e simili fondazioni; e concorrendovi l' utilità delle Chiese, i Vescovi devono essere più facili, perchè mai fu superfluo, e molto meno odioso il numero di buoni e santi Ecclesiastici, ma piuttosto da nostri popoli desiderato.*

76 Recteque idem Auctor ubi supra n. 4. monet, quod: *basta che per detto effetto vi concorra l' una o l' altra, cioè, la comodità o sia l' utilità, o la necessità della Chiesa*: idque quia disjunctive loquitur Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.*

PATRINUS. Vide verb. *Baptismus art.*7. *a n.*4. *ad* 43. (1)

PATRONI BENEFICIORUM.

---

1 PAtronus Ecclesiasticus tenetur præsentare ad Beneficium Curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab examinatoribus, ex vi Tridentini *sess.* 24. *cap.*18. etiamsi de prælectione dignioris non fuerit ei facta interpellatio. Benedict. XIV. tom. 2. Bull. Constit. 4. incip. *Redditæ Nobis*.

Patroni Ecclesiastici judicium in electione dignioris sequi tenetur Episcopus, si nemo adversus Patroni judicium reclamet. Secus vero si inter approbatos ab examinatoribus sit qui reclamet a præelectione Patroni. Idem *ibid.* Vide infra verb. *Præsentatio*. 2

* Patronus laicus præsentare tenetur digniorem ad Beneficium curatum, ut ex S. Thoma 2. 2. *q.* 65. *art.*2. *ad* 3. aliisque Theologis firmatur *Instit. Eccles.* 7. §. 5. 8. 3

Patronus si promiserit conferre alicui Beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine &c. non obligatur servare quod spopondit, tum præsertim cum nondum Beneficium vacat. Ita ex S. Thoma, *Instit. Eccles.* 23. §.28. * 4

Patroni præsentare possunt Canonicos Regulares Lateranenses, & SS. Salvatoris ad Beneficia Sæcularia Curata, & residentialia, cum præservatione Beneplaciti Apostolici, aliisque conditionibus latius expressis a Bened. XIV. tom. 1. Constit. 135. incip. *Quod inscrutabili*, §. 17. & 18. Vide infra verb. *Præsentatio*. 5

Ex stylo Datariæ, si lis inter Patronos intra tempus præfixum finiri nequeat, provisio Beneficii reservata est Papæ ex allegatis per Riganti tom. 3. *pag.* 279. *num.* 191. *in Regulam* 42. *Cancellariæ*. 6

Si Patronus Beneficii Rectorem interficiat, ipse, & omnes ad patronatum jus habentes illud amittunt, ex cap. *In quibusdam*, *de pœnis*. De *Synodo Diœc. lib.* 23. *cap.*24. §.21. * 7

Alia ad rem. Vide verb. *Beneficia art.* 3. *a n.*69. *& art.* 5. *a n.*31. & verb. *Juspatronatus* per tot. & signanter *art.*4. 8

PATRONI SANCTI.

---

1 ELectio Sanctorum in Patronos debet fieri juxta Decretum a sacra Congregatione Rituum editum de mandato Urbani VIII. quod ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur.

Decretum super electione Sanctorum in Patronos a Sacr. Rituum Congr. de ordine S. D. N. URBANI PP. VIII. emanatum die 23. *Mart.* 1630.

Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctiss. D. N. in electionem Patronorum mandavit infrascripta in posterum servari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.

Primo, quod eligi possint in Patronos ii solum, qui

(1) Unum adde, Patrinos olim Sacris Ministris lautum parasse convivium, quod coercuit Moguntinum Concilium II. can. 16.

qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatorum dumtaxat.

Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo mediante consilio generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus solum & quod accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius Loci.

Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularum Civitatum Provinciæ.

Et quod Ræpresentantibus Regnum, Civitatem, vel Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcipi, & Cleri dictarum Civitatum.

Et tertio, quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari; Eadem Sacr. Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi, & publicari mandavit.

2 Hoc decretum est in viridi observantia, nam recurrentibus Universitatibus ad Sacram Congregationem Rituum pro approbatione electionis in Patronum alicujus Sancti, si preces dictis requisitis sunt destitutæ, rescribi solet: *Doceat de servato Decreto Urbani VIII.* prout non semel se vidisse testatur Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 10. *n.* 11. vel *Pro concessione servata forma Decreti Urbani VIII.*

3 Aliis vero, qui in electione requisita Decreti observarunt, si locus non sit celebris notæ, solet concedi approbatio cum clausula: *Dummodo alium principalem Patronum, seu Protectorem non habeant*, ut *in una Mazzarien.* 30. *Martii* 1697. *pro Universitate Castri Veterani*, & in alia *Lycien.* 11. *Julii* 1699. *pro Universitate Terræ Monteroni.*

4 Hinc edoceri debet Clerus, & populus, quod electio Sancti in Patronum non debet fieri ex solo motivo devotionis, sed vel quia loci primus Episcopus fuit, vel quia ibi corpus humatum reperitur, quia oriundus, & Civis fuit, vel quia in necessitatibus mirabiliter populum protexit, & adjuvit, vel tandem ob alias similes, & congruentes causas, quæ in Concilio Universitatis exprimi debent, prout expresse ex Gavant. notat Monacell. *l. c. n.* 12. afferens insuper Decretum *Sacræ Congregat. Rituum in Alessanen.* 6. *Septemb.* 1698.

5 Item edoceri expedit Clerum, & populum, quod in hujusmodi Patronorum electione fieri non debent promissiones, & vota, quæ frequenter fieri solent ab Universitatibus, servandi diem Festum Patroni electi tamquam de præcepto, ac jejunandi in ejus Vigilia: Nam has promissiones, & vota Sacra Congregatio Rit. non admittit, nec approbat, sed rejicit, & tantum ex devotione servari posse concedit; ut respondit *in Theatina* 15. *Martii* 1698. pro Clero, & populo nonnullorum Oppidorum, ut refert Monacell. *loc. cit. num.* 12. & d. *tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 15. ubi dicit se pluries vidisse, supplices Libellos hac in re Sacræ Congregationi Rituum porrectos pro confirmatione hujusmodi promissionum, & votorum fuisse rejectos, & præcise *in Urbevetana 6. Octob.* 1696. *in Messanen. loci Milazzi* 25. *Januarii, & in Alessanen. Terræ Corsani 6. Sept.* 1698. Hactenus Monacell.

Excipitur tamen Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit. Nam tale Festum est de præcepto observandum, ut expresse statuit Urbanus VIII. Constitution. incip. *Universa* §. 2. 6

Excipiuntur etiam electiones Sanctorum Patronorum factæ ante emanationem supra allati Decreti Urbani VIII. quia tale Decretum, licet irritet electiones postea factas, seu faciendas, non irritat tamen electiones jam antea celebratas, ut respondit *Sacra Rit. Congregat. in Trojanensi Patronatus* 15. *Junii* 1633. *& in Pampilonensi Patronatus Sancti Francisci Xaverii*, in qua fuit approbata electio facta in Comitiis Regni Navarræ; quæ resolutio tamquam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendissimo Decano, approbata, considerato solum, quod ad evitandum præjudicium electionis antiquissimæ S. Firmini, debet uterque tamquam Patronus coli, quod certo præsupponit validitatem electionis. *Et Neapolitana Patronatus ejusdem Sancti Francisci sub die* 16. *Septembr.* 1656. Et in terminis electionis Patroni, qui ab Ecclesia universali titulo Sancti nondum celebratur, post dictum Decretum fuit observatum in admissione Beati pro tunc, & nunc Sancti Jacobi de Marchia, cujus electio *anno* 1620. atque adeo ante Decretum editum, celebrata fuit, & deinde *anno* 1647. admissa, & solemni repositione statuæ in Thesaurum Neapolitanum comprobata. 7

Regulares tenentur celebrare Festum, & Officium de Patrono Principali loci Conventus, ac de Patrono, seu Protectore principali Civitatis, Regni, aut Provinciæ sub ritu duplici primæ Classis, & sine Octava. *Sacra Congregat. Rituum* 3. *Junii* 1682. *&* 20. *Martii* 1683. ut patet in *Rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani n.* 78. *&* 80. Ad Officia vero de Patronis minus principalibus, ac de Sanctis Diœcesum non tenentur nisi sint descripta in Kalendario, & tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato: *Cit. Rubr. particul. d. num.* 78. ex decreto S. Congregationis Rit. ibi adducto. 8 9

Ad hoc autem, ut Regulares teneantur ad Officia Patronorum principalium, & Clerici Sæculares etiam ad Officia Patronorum minus principalium, debent esse electi in Patronos juxta conditiones præscriptas in d. Decreto Urbani VIII. adducto *supra n.* 1. 10

Regulares exempti utentes Breviario Romano an possint recitare Officia de Patronis minus principalibus, & de Sanctis Diœcesum, seu solitis recitari in Diœcesibus in quibus existunt? Vide verb. *Officium divinum art.* 3. *num.* 86. 11

Regulares sub ritu primæ Classis, sed sine Octava, tenentur recitare Officium Sanctorum, qui Provinciis ipsorum Regularium præsunt, tamquam eorum 12

eorum Patroni, seu Titulares. *Rubr. particular. nostri Breviarii Franciscani num.* 77.

13 Officium Patroni principalis loci tenentur omnes recitare sub duplici primæ Classis; Clerici quidem Sæculares cum Octava; Regulares autem sine Octava. *Sac. Cong. Rit.* 27. *Maii* 1628. & pluries in aliis Decretis.

14 Si in locis Diœcesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Diœcesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam. *Sac. Rit. Congreg.* 28. *Sept.* 1658.

15 In Patronorum, sive Protectorum præcedentia servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiæ, & inter ordinem Hierarchicum anterioritas in electione. *Sac. Rit. Cong.* 12. *Martii* 1690.

16 Patronus Civitatis, Nationis, & hujusmodi non constituitur *Sanctus* aliquis, nisi ab Ecclesia universa titulo Sancti colatur. Benedict. XIV. tom.2.
17 Constit. 29. incip. *Jampridem* §. 22. Patroni principales plures Sancti ad sedandas Populorum controversias interdum a Sede Apostolica concedun-
18 tur. Idem *ibid.* Patroni principales Urbis Romæ denominandi sunt SS. Apostoli Petrus & Paulus. Idem *in Appendic. num.* 4. *pag.* 29.

Additiones ex aliena manu.

19 Sacrum Tribunal Rotæ *in Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* 26. *Junii* 1754. *§. 6. coram Reverendiss. P. D. Canilliac Decano* in medio reliquit: *an approbatio* (sunt ejus verba) *seu confirmatio Apostolica in electione S. Patroni necessaria dumtaxat sit ad certos principaliores effectus; ex. gr. vel ad effectum concedendi Officium & Missam propriam, vel ad effectum recitandi Officium sub ritu duplici secundæ classis, vel denique ad effectum determinandi Festum de præcepto, quod alias non esset; non autem requiratur ad alios, & quoscumque effectus, licet minus principales, qualis reputatur ille celebrandi cum exteriori pompa, & solemnitate diem a S. Sede in honorem ejusdem sancti consecratam, quum catholicæ gentis pietatem, ac devotionem fovere quoquo modo deceat, ac nutrire.*

20 Illud tamen ex mente ejusdem supremi Auditorii in *d. Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* §. 6. certum est, quod si actus electionis Sancti in Patronum præcesserit Decretum Urbani VIII. quo necessitas hæc approbationis Sac. Congregationis Rituum imposita est, ea non requiratur, tametsi actus ille post Decretum hoc fuerit innovatus, & confirmatus. Præsumitur itidem hæc approbatio S. Congregationis Rituum ex centenaria observantia, ut firmavit idem Tribunal *in d. Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* §. 7. (1)

PAUPERTAS. Vide verb. *Votum art.* 2. *a n.* 43. *ad* 116.

PAX.

PAX est vinculum Caritatis, & spiritualis virtus, qua salvamur, & in bono pacis consistit universorum salus. Leo X. Const. 20. incip. *Pastor.* 1

Pacem cum alio facere nullus est compellendus; sufficit enim pro foro conscientiæ intus injuriam remittere. *Sac. Congr. Episc. & Regular. in Cajetana* 15. *Novembr.* 1588. apud Sellium *in Selectis Canon. cap.* 17. *n.* 24. & Barbosam *in Summa Apostolicar. Decis. verb. Pax num.* 2. Signis tamen externis animus remittentis ostendi debet, prout notavit Rom. Theol. in *Edit. Rom.* 1768. Ego quidem retuli Decretum *Sac. Cong. Episc.* ad litteram prout jacet *loc. cit.* ceterum probe sciens cuique esse compertum, quod veniam legitime petenti tenetur quilibet non tantum interius injuriam remittere, sed etiam externa remissionis signa ei ostendere. Videantur ad rem quæ tradidi sub verb. *Virtus a n.* 54. *ad* 59. 2

Pacis osculum viris Ecclesiasticis in Choro sedentibus, non cum instrumento, sed cum osculo oris dandum est. *Sac. Congr. Rit. in Messanen.* 8. *Julii* 1620. apud Sellium *loc. cit. num.* 25. & Barbos. *loc. cit. num.* 3. 3

Pacis osculum nulli, etiam Præsidenti, vel Regio Consiliario dandum est ante Episcopum. *S. Cong. Rit. in Granaten.* 9. *Maii* 1606. apud Sellium *loc. cit. n.* 26. & Barb. *loc. cit. n.* 4. 4

Pax, & Thus debet dari Domino loci, juxta formam libri Cæremonialis. *Sacr. Congreg. Rit. in Strongolen.* 4. *Martii* 1606. apud Sellium *l. cit. n.* 29. & Barbosam *loc. cit. num.* 6. 5

Pax non debet dari Domino loci, & aliis Laicis, nisi post datam pacem omnibus de Choro, & tunc debetur non a Beneficiato, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, non cum osculo, sed cum instrumento. *S. Congr. Rit. in Pacen.* 21. *Martii* 1509. *& in Calagurit.* 5. *Jul.* 1614. apud Sell. *loc. cit. num.* 30. & Barb. *loc. cit. num.* 7. 6

Pax mulieribus non datur. *Sacr. Congr. Rit. in* 7
Luce-

(1) Præter sanctos locorum patronos, de quibus hactenus Auctor egit, sunt & alii plures sancti, quibus pietas Christiana præfecturas super certis vitæ generibus, & negotiis, vel etiam malis certis arcendis adscripsit. Confer Raynaudum *Tom. VIII. operum*, ubi de *titulis cultus Sanctorum specialibus*, & si licet, Fabricii *Bibliographiam antiquariam p.* 362. *seqq.*, ubi tamen Protestantium more hujusmodi patronatus insectatur, & irridet. In his *quatuordecim* opitulatores, seu *auxiliatores* generales in quocumque calamitatis genere implorandi sunt sancti Blasius, Dionysius, Erasmus, Pantaleo, Vitus, Georgius, alii Gregorium appellant, Cyriacus, Christophorus, Achatius, Eustochius, Ægidius, Sanctæque Barbara, Catharina, & Margarita, de quibus Martinus Crusius in *Corona anni T. II. p.* 280. *seq.*

Lucerin. 3. *Junii* 1637. & aliquando an danda sit? remittitur arbitrio Episcopi. *Eadem Sacr. Congreg. Rit. in Pacen.* 28. *Januarii* 1612. apud Sellium *loc. cit. num.* 11. & Barbos. *l. c. n.* 8.

PAX RELIGIOSA.

1 ANno 1517. Martinus Lutherus Monasticæ vitæ, & Religionis Catholicæ desertor, nova contra avitam fidem dogmata spargere cœpit, quem proin non solum Leo X. Summus Pontifex, sed etiam Imperator Carolus V. per edictum Wormatiense anno 1521. die 8. Maii datum, *tamquam membrum ab Ecclesia Dei separatum, perniciosi schismatis auctorem, pertinacemque hæreticum damnavit*. Cui edicto quum Imperator, & Status Imperii in sequentibus Comitiis sæpius inhærerent, Sectatores Lutheri, contra intentatas pœnas protestando, *Protestantium* nomen adepti sunt. Doctrinam eorum Philippus Melanchton formula quadam complexus est, quæ a loco, ubi anno 1530. exhibita fuit, *Augustana Confessio* dicitur, ab Imperatore in publicis Comitiis rejecta.

2 Salutem hucusque Novatores quærebant in mora, appellando identidem ad Concilium Generale, vel Nationale: demum fortius præsidium in armis quærendum rati, Fœdus Schmalcaldicum in finibus Thuringiæ inierunt. Carolus autem Imperator multum remisit a primo suo zelo, quod testatur transactio Norimbergensis anno 1532., ejusque Confirmatio in Comitiis Ratisbonensibus. Sed ferociores inde expertus est Confessionis augustanæ asseclas, aperto bello ab iis petitus. Duces præcipui erant *Johannes Fridericus* Elector Saxoniæ, & *Philippus Landgravius Hassiæ*: prior in pugna Miihlbergensi captus est: alter seipsum spontanea deditione captivum stitit anno 1547.

3 Mitius, quam rei opportunitas expetere nonnullis videbatur, victoria usus est Carolus. Unde sequenti anno 1548. in Comitiis Augustanis processum est famosum illud *Interim*, seu Decretum per viginti sex articulos declarans quid in causa Religionis interim tenendum sit, donec controversiæ per Concilium Generale finirentur, quod jam Tridenti anno 1545. initium sumpserat, sed anno 1547. Bononiam translatum, & demum per aliquot annos suspensum. Postquam vero illius reassumptio a Julio III. Pontifice indicta fuerat, Status Imperii rursus controversiarum Fidei decisionem Concilio submittendam statuerunt.

4 Sed mox novas turbas inopinato excitavit *Mauritius* Saxoniæ Elector, ipso Electoratu, aliisque plurimis beneficiis ab Imperatore ornatus. Unde *Ferdinandus* Romanorum Rex nomine Fratris sui Caroli Imperatoris, aliis bellis distenti, intervenientibus quibusdam Principibus Imperii, cum Mauritio, & Fœderatis *Transactionem Passavii* iniit 2. Augusti 1552. Ubi quantum ad rem nostram spectat, conventum fuit, ut intra semestre celebrarentur Comitia, in quibus de via componendi dissidia Religionis per Concilium Generale, aut Nationale &c. deliberaretur: interim Confessioni Augustanæ addictis nulla in Imperio molestia, violentia, aut contemptus propter Religionem inferretur, sicut vicissim nec illis, qui veteri Religioni adhærerent.

5 Transactio ista demum anno 1555. confirmata fuit Augustæ Vindelicorum in publicis Comitiis, *Pace Religionis*, ut vulgo vocatur, 25. Septembris ibidem conclusa. En ejus capita ex Francisci Ignatii Wedekin dissertatione historica Juridica Fuldæ edita 1738., & a P. Schmidt in Tomum X. sui *Thesauri Juris Ecclesiastici* illata p. 425.

I. Nullus status Imperii propter Augustanam Confessionem invadatur, lædatur, opprimatur, neque invitus ab illa, ejusque fide, ritibus, ordinationibus, quas instituerunt Protestantes, vel instituturi sunt, in suis Principatibus, ac Dominiis repellatur, gravetur, aut contemnatur.

II. Vicissim status Augustanæ Confessionis contra Catholicos nihil attentent.

III. Controversa Religio aliter, quam Christianis, amicis, ac pacificis viis, & mediis non componatur.

IV. Qui alterutri harum religionum addicti non sunt, hac pace non comprehendantur.

V. Si Archi-Episcopus, Episcopus, Prælatus, aliusve quispiam Ordinis Ecclesiastici a Catholica Religione recesserit, Ecclesias, ac beneficia cum fructibus absque mora quidem, sed sine detrimento honoris sui relinquat.

VI. Bona Ecclesiastica, ante transactionem Passaviensem occupata, quæ ad immediatos Imperii non pertinent, neque intra, neque extra Judicium repetantur.

VII. Ecclesiastica Jurisdictio adversus Augustanam Confessionem, ejusque Ministros, ritus, ordinationes, quas instituerunt, aut instituent, quiescere, atque suspensa esse, & manere debet.

VIII. Catholicis redditus, census, pensiones salvæ maneant, salvis Juribus Sæcularibus ejus Status, in cujus Territorio isthæc sita sunt; Ecclesiarum quoque Ministeriis, Parochiis, Scholis, Eleemosynis, Hospitalibus, ex iis bonis provideatur non attento Religionis discrimine.

IX. Si super his præstationibus lites oriantur, per arbitros componantur.

X. Nullus Status alium, ejusque Subditos ad suam Religionem compellat, nec eos arte aliqua ad se attrahat, aut contra Magistratum suum in tutelam suscipiat, aut ullatenus defendat.

XI. Si aliqui Religionis ergo ex statuum, seu Catholicorum, seu Protestantium Provinciis alio migrare velint, emigratio, bonorumque distractio consueto emigrantium tributo, & si mancipia fuerint, lytro persoluto, absque impedimento, & honoris, obligationumque præjudicio concedatur:

XII. Si compositio Religionis in Concilio Generali, aut Nationali, aut tractatione Imperiali Comitiorum non sequatur, nihilominus Pax ista secundum omnes supra dictos articulos vigorem obtineat, usque ad finalem Religionis compositionem, atque ita modo jam dicto, & alias undequaque constans, absoluta sive inconditionata & per-

& perpetua Pax constituta & decreta sit ac maneat.

XIII. In hac Pace libera quoque nobilitas Cæsari immediate subjecta comprehendatur.

XIV. In Civitatibus Imperii utraque Religio, ubi aliquamdiu viguit, etiam imposterum ita maneat; & neutra pars alterius Religionem, & ritus abroget, vel ad eam deserendam alios compellat, sed utraque pacifice, & quiete cohabitet.

XV. Constitutiones Imperii, vel aliæ ordinationes contrariæ nihil huic Paci derogent, neque declaratio in contrarium dari, impetrari, acceptari possit, data vero, impetrata, acceptata nullius sit roboris, sive in judicio, sive extra.

XVI. Hos Articulos Cæsar, Rex, eorumque Successores inviolate observabunt, nec contra, seu ex potestatis plenitudine, seu ex alio prætextu agent, neque suo nomine agi permittent; idem præstabunt Principes, Prælati, Comites, & Civitates Imperii, eorumque Successores, & Hæredes, sub obligatione Cæsareæ, Regiæ, & Principalis dignitatis, fidei, & fidelitatis in verbo veritatis omni dolo secluso.

XVII. Ex utraque parte nec Cæsar, nec ullus Status alterum quocumque modo per se vel per alios gravet, opprimat, lædat. Si quis adversus hanc pacem alteri vim, aut molestiam intulerit, Cæsar, aliique Status, id faciendi non solum Consilium, auxilium, patrocinium nullum præstabunt, sed contra alteram partem, auxilio, & patrocinio juvabunt.

XVII. Cameræ Imperialis Præses, & Assessores secundum hanc pacem, non attenta Religione, partibus Jus dicant, neque contra hæc processum, aut mandatum decernant, vel alio modo agant.

6 In istis Pacis articulis nullum Confessionis Augustanæ dogma approbatur, aut discutitur: sed solummodo intenditur tranquillitas publica, *tractatu de Religione in aliud opportunum tempus dilato*. Eventus autem docuit, occasione hujus Pacis, errores latius esse sparsos, quietem Imperii magis turbatam. Nam quum in conventione ista nihil statueretur de modo, quo status Imperii in causa Religionis erga Subditos se gerere debeant; hinc Principes protestantes, & qui æquali cum Principibus Jurisdictione in Imperio gaudent, ex Jure reformandi, quod sibi competere credebant, opprimebant subditos suos Catholicos, occupabant Ecclesias, Monasteria, ejectis Presbyteris, & Religiosis; imo integros Archi-Episcopatus, Episcopatus, ac immediatas Abbatias ad se trahebant: & quidem sine ullo Juris remedio; quum Protestantes circa has causas nec in Camera Imperiali jus experiri, nec majoribus Comitiorum votis stare vellent.

7 Spes etiam componendi dissidia Religionis omnino præcisa videbatur, dum Protestantes Generali Concilio, ad quod antea sæpius provocarant, jam Tridenti Congregato, se submittere renuebant. Agendum erat de causa Religionis mediis amicalibus, pacificis; sed quibus? Rejecto, nisi ad præscriptum Protestantium celebraretur, Concilio Generali, aliquando præplacuit via Colloquii: mox ea inutilis ad intentum finem agnita. Certe concordia in dissidiis Religionis identidem in aliud tempus rejecta fuit.

PAX WESTPHALICA.

Post Pacem Religiosam, de qua nuper, adeo compositæ res in Germania non fuere, ut bellum eruperit. Diviso enim in factiones Imperio, Lutherani in *Unionem* Halæ Suevorum, Catholici in *Ligam* Herbipoli coeunt anno 1610. Accedunt tumultus Bohemici, electo in Regem Friderico V. Palatino contra Ferdinandum Austriacum: cumulum addidit fœdus Protestantium cum Suecis, Gallis, Batavis, Anglis &c. Res Catholicorum eo perducta fuit, ut fere solus Imperator, & elector Bavariæ vires aliquas possent opponere contra tot Hostes vix suffecturas. Ex Catholicis Principibus aliqui induciis, successione, singularibus pactis, aut medio statu, sive neutralitate rebus suis melius consultum credebant: alii hostilibus armis fracti, attriti, & pene subacti erant: aliis imminens Suecorum exercitus ultima quæque, si se moverent, minabatur. Hispani Gallico bello impediebantur: Italiæ Principes, a Cæsare de periculo Catholicæ Religionis admoniti negabant auxilia ob motus Turcarum adversus Rempublicam Venetam. 1

Igitur post triennale bellum varia fortuna gestum, vastatis Provinciis, exhaustis ærariis, exercitibus clade, lue, omnique malorum genere diminutis, demum anno 1648. Pax concluditur in Westphalia a Ferdinando III. Imperatore, & Fœderatis, Osnabrugæ quidem cum Suecis, & conjunctis; Monasterii autem cum Gallis. Duplex igitur habemus Pacis Westphalicæ Instrumentum, scilicet Cæsareo Suecicum, & Cæsareo-Gallicum. Nostra solummodo interest, ut ea referamus, quæ Iuris Canonici Forum attingunt, & potissimum in Articulo quinto Instrumenti Cæsareo-Suecici continentur, omissis tamen iis, quæ jura Religionis in privatis quibusdam Civitatibus concernunt. 2

Osnabrugæ igitur conventum, & transactum est. 3

I. Transactio Passaviensis, & Pax Religionis Augustanæ inviolabiliter observetur: præsens Transactio pro perpetua dictæ Pacis declaratione habeatur, donec per Dei gratiam de Religione ipsa conventum fuerit: nec contra eam nulla jura, protestationes, transactiones, sententiæ, privilegia, aut aliæ quæcumque exceptiones unquam allegentur, audiantur, aut admittantur: si quid dubii incidat, de eo in Conventibus Imperii nonnisi amicabili ratione transigatur, non attenta votorum pluralitate.

II. Inter utriusque Religionis Status sit exacta æqualitas, ita ut quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum. Præter Catholicos, & Augustanæ Confessioni adhærentes, comprehendantur etiam reformati, seu Calviniani, ita, ut præter

ter istas tres Religiones, nulla alia in Imperio recipiatur, vel toleretur.

III. Prohibetur omnis violentia, aut via facti, Pace profana ad materiam Religionis extensa: nemo ob Religionem suam despicatui habeatur, nec a Mercatorum, Opificum &c. communione, multo minus publicis Cœmeteriis, honoreve Sepulturæ arceatur.

IV. Terminus *a quo* restitutionis in Ecclesiasticis sit dies prima Januarii anni 1624., fiatque reductio ad statum dicti anni & diei in omnibus, quoad Prælaturas, & Beneficia immediata, & mediata, Jura, redditus &c. item quoad numerum Canonicorum, & exercitium Religionis in Ecclesiis mixtis.

V. Reservatum Ecclesiasticum, de quo in *Pace Religionis*, extenditur etiam ad Acatholicos, qui Prælaturas Ecclesiasticas obtinent. Jura eligendi, & postulandi illibata retineantur, ut tantum nihil contineant Augustanæ Confessioni adversum: spondeantque electi, se Prælaturas nequaquam hæreditario Jure possessuros.

VI. Imperator per primarias preces præsentet ejusdem Religionis consortem cum defuncto: investiat postulatos Protestantes post præstita Juramenta: nulla executio decernatur pro exactione Annatarum &c.

VII. Statibus immediatis cum jure territorii competit jus reformandi exercitium Religionis: subditi tamen retineant exercitium an. 1624. quacumque anni parte habitum. Qui dicto anno modernæ suæ Religionis exercitium non habuerint, his conceditur Jus emigrandi: si nec sua sponte emigrare voluerint, nec a Territorii Domino jussi fuerint, patienter tolerentur conscientia libera domi devotioni suæ privatim vacare.

VIII. Jus Diœcesanum, & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanæ Confessionis Status, eorumque Subditos suspensa esto, & intra terminos territorii cujusque se contineat.

IX. Inter Ecclesias, quæ non ex possessione anni decretorii, sed ex aliis rationibus nominatim Protestantibus traditæ sunt, præcipuæ sunt hæ. 1. Coronæ Suecicæ præter alia decernitur Archi-Episcopatus Bremensis, & Episcopatus Verdensis. 2. Electori Brandeburgico Archi-Episcopatus Magdeburgicus, Episcopatus Caminensis, Halberstadiensis, & Mindanus. 3. Megapolitano Duci Episcopatus Suerinensis, & Rarenburgensis. 4. Domui Brunswicensi Alternativa cum Catholicis in Episcopatu Osnabrugensi præter Abbatiam Walckenried, & Groningen. 5. Domui Hasso-Casselanæ Abbatia Hirschfeldensis. 6. Domui Wirtembergicæ restituuntur variæ Ecclesiæ Collegiatæ, Abbatiæ, Præposituræ, & Monasteria.

4 Hoc Pacis Instrumentum dictos, pluresque Articulos continens, in proximis Comitiis receptum, confirmatumque est tamquam lex fundamentalis Imperii, & perpetua Regula, ac norma judicandi inviolabiliter observanda. Nec destiterunt Protestantes, donec, quantum in suæ Religionis favorem erat, rigorosa executio fuerit secuta. Quasdam tamen Provincias non omnibus Pacis Westphalicæ Constitutionibus subjacere experientia docuit.

Quanto autem animi dolore tantam rei Catholicæ stragem senserit *Innocentius X.* Romanus Pontifex, abunde constat ex ejusdem Bulla *Zelo Domus Dei*, data 20. Novembris 1648., in qua omnia Transactionis Westphalicæ Capita, quæ in præjudicium Religionis, et Ecclesiarum vergunt, damnat, reprobat, irritat, cassat, annullat, viribusque, & effectu evacuat, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestatur. His vestigiis insistunt Innocentii Successores, uti videre est in Brevibus Clementis XI., quibus damnat, reprobat, & annullat, tum recessum Capituli Hildesiensis anno 1711. cum Principe Acatholico initum; tum Postulationem Ernesti Augusti Brunswicensis Ducis in Episcopum Osnabrugensem anno 1716. juxta Instrumentum Pacis celebratum. 5

Non obstantibus his Pontificum Constitutionibus, ut videre est apud P. Zech in suis *Præcognitis Juris Canonici* §. 400. controvertitur inter Doctores Germaniæ, an hæc pacta fuerint a Statibus Catholicis licite inita, eosdemque obligent? Ut ut est, celebris liber Bar. de Ickstadt Dissertationem vulgavit omnino legendam *de justa, & efficaci Summi Pontificis protestatione adversus Pacem Religiosam, & Westphalicam*. Hujus Dissertationis Compendium exhibuit P. Schmidt T. I. sui *Thesauri Juris Ecclesiastici pag.* 515. *seqq.*, quem vide. Historiam hujusce Pacis longe accuratissimam, ac perelegantem dedit Gallice Parisiis P. Bougeant. 6

PECCATUM.

Peccatum generalissime sumptum potest esse vel naturæ, vel artis, vel moris. *Communis.* 1

Peccatum sic generalissime sumptum definitur a S. Augustino *lib.* 2. *de consensu Evangelistarum cap.* 3. dicendo: *Peccatum est transgressio Legis*. In hoc enim sensu etiam natura dicitur peccare in suis effectibus; quando producit monstra, aliaque naturaliter defectuosa, & imperfecta, & appellatur *Peccatum naturæ*. Item in hoc sensu etiam Artifex dicitur peccare, quando errat in operibus suis, illa non faciendo juxta regulas artis, & vocatur *Peccatum Artis*. In proposito autem non est sermo de peccato naturæ, vel artis, sed solum de peccato moris, quod proprie dicitur culpa, in quantum est transgressio Legis per carentiam rectitudinis debitæ inesse actibus moralibus. 2 3 4 5

Peccatum moris interdum sumitur pro causa, vel effectu peccati, uti ad *Romanos c.* 7. *n.* 17. ibi: *Quod habitat in me peccatum*, idest fomes peccati, seu concupiscentia; Interdum sumitur pro materia, circa quam versatur peccatum, uti *Deuteronom. c.* 9. *num.* 11. ibi: *Peccatum autem vestrum, quod feceratis, idest vitulum, arripiens igne consumpsi*; Interdum sumitur pro hostia in expiationem peccati, uti 2. *ad Corinth. cap.* 5. *num. n.* 21. dicitur, 6

dicitur, quod Christus factus sit *pro nobis peccatum*, idest Hostia pro nostro peccato. Hic autem nos agimus de peccato moris, sive morali, stricte, & rigorose sumpto.

7 Peccatum moris, seu morale stricte, & rigorose sumptum varie definitur a Patribus, & Doctoribus, sed in re omnes conveniunt. Sanctus enim Joannes Apostolus *in sua prima Epistola cap.* 3. *num.* 4. dicit, quod *Peccatum est iniquitas*. S. Ambrosius *lib. de Paradiso cap.* 8. sic habet: *Quid est peccatum, nisi prævaricatio Legis Divinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum?* S. Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 27. eumque secutus S. Thomas 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. ita definiunt actuale peccatum, dicendo: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem Dei*. Scotus *in* 2. *dist.* 37. *q.* 1. dicit, quod *Peccatum est carentia rectitudinis debitæ inesse actui*. Alii passim dicunt, quod *Peccatum est actio, vel omissio voluntaria contra Legem Divinam*. (*)

8 Unde hic explicatur per singulas particulas definitio illa tradita a Divo Augustino, cum qua omnes aliæ in re conveniunt. Dicitur autem primo: *Dictum, vel factum, vel concupitum* ad denotandum triplex peccatum, quod committi potest, scilicet cogitatione, verbo, & opere; Et quamvis talia videantur comprehendere sola peccata commissionis, & non omissionis, tamen, quia *affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus*, ut notant communiter Doctores, & constat etiam ex *l. Si mora* 9. *juncta Glossa verb. Facto, ff. Soluto Matrimonio*, vere comprehendunt etiam peccata omissionis, per ly enim *dictum*, vel *factum* &c. intelliguntur etiam horum negationes, scilicet *non dictum, non factum*, & sic peccata omissionis reducuntur ad peccata commissionis, ut expresse dicit D. Thomas *de veritate q.* 15. *ar.* 4. *ad* 10, ibi: *Agere, & non agere, cum quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur, secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur*. Et idemmet S. Augustinus *de perfect. Just. cap.* 3. dicit: *Duobus modis constat esse peccatum, si aut fiant illa, quæ prohibentur, aut illa non fiant, quæ jubentur*. Dicitur secundo *contra Legem*, in quo consistit formale peccati; Est enim peccatum terminus concretus dicens pro materiali ipsam actionem, vel omissionem, pro formali inobedientiam, seu actum contra Legem. Dicitur tertio contra *Legem Dei* simpliciter, quia peccans contra Legem humanam, peccat saltem mediate contra Divinam, cum transgressio Legis humanæ, sive Canonicæ, sive Civilis, non aliter sit peccatum, nisi quia est contra Legem Dei volentis, ac præcipientis, ut nostris legitimis Superioribus aliquid juste præcipientibus obediamus. *Ad Hebræos enim cap.* 13. *n.* 17. habetur expresse: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. *Et ad Rom. cap.* 13. *num.* 2. præcise dicitur: *Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit*. Et sic sufficit, quod S. Augustinus posuerit in definitione verba illa *contra Legem Dei*, nec fuit necesse addere *contra Legem humanam*.

9 Peccatum ut sic varie dividitur. Primo enim dividitur in peccatum Originale, & peccatum Personale. *Peccatum Originale* est carentia justitiæ Originalis transfusa ab Adamo per virtutem seminalem, seu carnalem propagationem in posteros; Siquidem juxta illud Apostoli *Ad Romanos cap.* 5. *n.* 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, quod de peccato Originali est intelligendum, prout communiter docent SS. Patres, & Theologi, & ipsum Concilium Tridentinum *sess.* 5. *in Decret. de peccat. Originali*. Ut autem peccati originalis descriptio perfecte percipiatur, ad mentem breviter revocandum est, per justitiam originalem dona illa omnia supernaturalia designari, per quæ homo rectus efficiebatur, per quæ scilicet portio, sive pars inferior hominis, videlicet appetitus sensitivus portioni, sive parti superiori, nempe Rationi perfecte subjiciebatur; ast (proh dolor!) Homo, cum in tanto honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hinc ultra exclusionem a vita æterna secum traxit originalia præcipua quatuor vulnera, quibus sæve sauciamur, & sunt ignorantia intellectus, malitia voluntatis, seu pronitas ad malum, concupiscentia carnis adversus spiritum, & infirmitas corporis aggravantis animam, ac voluntatis ad tentationes vincendas, & ad bonum arduum aggrediendum; & hæc vulnera neque per Baptismum tolluntur, unde PP. & Theologi docent, semper in nobis fomitem peccati manere, puta perduellionem appetitus sensitivi contra rationem &c. *Peccatum Personale* est illud, quod a propria cujusque voluntate contrahitur; atque a propria (ut ita dicam) cujusque persona committitur, unde & *Personale* nuncupatur. *Communis*.

10 Secundo, *Peccatum Personale* subdividitur in actuale, & habituale. *Peccatum actuale* est actualis transgressio Legis Divinæ; Et sic tunc committitur peccatum actuale quando actualiter violatur Lex Divina, sive eliciendo actum ab ipsa prohibitum, sive omittendo actum ab ipsa præceptum *Communis*. Peccatum habituale est macula relicta in anima de peccato actuali moraliter permanente; Unde peccatum habituale nihil aliud est, quam peccatum actuale, cujus commissio physice jam præteriit, moraliter tamen permanet, donec per veram Pœnitentiam expietur. *Communis*.

Tertio, Peccatum personale actuale dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. *Peccatum
commissionis* est, quo fit id, quod a Lege divina 11
prohibetur. *Communis*. *Peccatum omissionis* est, quo omit-

(*) E. R. Verbum, quo utitur Joannes Apostolus epistol. 1. cap. 3. ver. 4. significat *Trangressionem Legis, discrepantiam a Lege*. Est enim *Anomia*, ex a priv. & *Nomos* Lex. Ideoque definitiones Ambrosii, Augustini, & Thomæ eodem recidunt.

omittitur id, quod a Lege Divina præcipitur. *Communis*. Unde S. Augustinus *de perfect. just. cap.* 3. ad rem sic dicit: *Duobus modis constat esse peccatum: si aut fiant illa, quæ prohibentur, aut illa non fiant, quæ jubentur*.

12 Quarto, Peccatum personale dividitur in peccatum carnale, & spirituale juxta illud Apostoli 2. *ad Corinth. cap.* 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus*. *Peccatum carnale* est illud, quod in concupiscentia carnis, seu in inordinata delectatione carnis consistit, uti sunt gula, & Luxuria, & diversæ peccatorum species ad hæc duo peccata reducibiles. *Communis*. *Peccatum spirituale* est illud, quod in concupiscentia, seu in inordinata delectatione spirituali perficitur, & consummatur, uti sunt superbia, inanis gloria, & hujusmodi. *Communis*. Quinimmo S. Gregorius *lib.* 31. *moral. c.* 31. dicit, quod capitalium vitiorum quinque sunt spiritualia, scilicet Superbia, Invidia, Avaritia, Ira, & Acedia, duo vero carnalia, scilicet Gula, & Luxuria.

13 Quinto, peccatum personale dividitur in mortale, & veniale. *Peccatum mortale* est defectus contra Legem, vel præceptum, cujus observantia necessaria est simpliciter ad consequendam gratiam, & salutem finalem consequendam; Unde dicitur *mortale*, quia ob sui gravitatem solvit penitus amicitiam, & gratiam cum Deo, pœnamque meretur æternam, quæ est mors secunda; Et de hoc dicitur *Sapient.* 16. *Homo per malitiam occidit animam suam*. (*) Et *Ezechiel.* 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et ad Romanos 6. *Stipendia peccati mors*. Et Jacobi 1. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*. Peccatum veniale est defectus contra Legem, vel præceptum, cujus observantia non est simpliciter necessaria, sed tantum secundum quid, ad melius, & citius salutem finalem consequendam; Unde dicitur veniale, quia licet fervorem Caritatis minuat, non tamen penitus amicitiam, & gratiam cum Deo solvit, nec meretur pœnam æternam, adeoque ob sui levitatem veniam facilius consequitur; Et de hoc intelligitur illud *Proverb.* 24. *Septies enim cadet justus, & resurget, & Jacob. c.* 3. *In multis offendimus omnes*, & hujusmodi. Sic in re *Communis Doctorum*. Prætereundum autem non est commiserandum valde fore, quod multi parum timeant, aut nihil sibi a venialibus caveant; minime advertentes grandia mala, ad quæ paulatim disponunt; immo per venialia pedetentim non paucos in ruinam fuisse prolapsos; Unde Eccl. *cap.* 16. *v.* 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Eccles. *cap.* 10. *v.* 18. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus*. Apoc. *cap.* 3. *v.* 16. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. D. Bern. *de ordin. vit. & morum instit.* ait: *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt*. S. Chrys. *hom.* 87. *in Matth. Mirabile quidem, & inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna videri esse peccata vitanda, quanto parva & vilia: illa enim ut aversemur ipsa peccati natura efficit; hæc autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere: unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra*. D. Bonaven. *de profec. relig. l.* 5. *cap.* 10. *Ex minimis guttis multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mœnia subruunt: per modicam rimam aqua latenter in navem influit, donec submergatur*. S. August. *in Psalm.* 39. *v.* 13. *Præcavisti magna; de minutis quid agis? an non times minuta? projecisti molem, stude ne arena obruaris*. Quare concludendum cum Eccles. 7. *v.* 19. *quod, qui timet Deum, nihil negligit*.

Sexto, aliqui dividunt peccatum personale in Philosophicum, & Theologicum. *Peccatum Philosophicum*, dicunt ipsi, est actus humanus disconveniens tantum naturæ rationali, seu rationi. *Peccatum vero Theologicum* est actus humanus Dei offensivus ut disconveniens ejus Legi æternæ: Unde primum dicitur *Philosophicum*, quia consideratio rationis, & virtutis moralis, naturalis est Philosophi; Secundum vero dicitur *Theologicum*, quia consideratio Dei, ejusque Legis æternæ, est Theologi; hinc homicidium v. g. innocentis consideratum ut contrarium naturæ rationali, seu principio naturali rationis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, dicitur Peccatum *Philosophicum*; consideratum autem ut contrarium voluntati Dei, & ejus Legi æternæ, dicitur Peccatum *Theologicum*. 14

Ast tamen revera, & ex natura rei idem peccatum v. g. idem homicidium innocentis est simul Philosophicum, & Theologicum, quia eo ipso, quod adversatur rationi naturali, indispensabiliter adversatur Deo, ejusque Legi æternæ, adeoque est offensa Dei, & Peccatum Theologicum; cum quando attingitur peccatum, ut disconveniens naturæ rationali, attingatur impræcisibiliter, ut prohibitum a Deo, atque adeo ut Dei offensivum, ex quo in actibus ab intrinseco malis malitiæ philosophicæ sit naturaliter, & inseparabiliter adnexa malitia Theologica, seu offensa Dei; Unde non datur peccatum Philosophicum ipsa re, & in praxi a Theologico separatum; Immo implicat peccatum, quod solum sit Philosophicum, & non etiam Theologicum. 15

Et ratio est, quia peccatum de sua ratione adversatur formaliter dictamini rationis; Implicat autem, quod rationis dictamini adversetur, & non adversetur simul Legi æternæ, cum dictamen rationis sit veluti præco indicens nobis Divinam voluntatem, sive præceptivam, sive prohibitivam sive permissivam, ut docent Doctores communissime 16

(*) Sapientiæ Cap. XVI. vers. 14. hæc habentur: „ Homo . . . occidit quidem per malitiam, & „ cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est. „ quemadmodum anima recepta revocari potest a Deo, de quo ibid. vers. 13. „ Tu es . . . Domine, qui vitæ & mor„ tis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.

sime ex S. Augustino *sermon. 6. de verbis Domini* cum S. Thoma *part.* 3. *q.* 91. *art.* 2. ubi dicit lumen rationis nihil aliud esse, quam impressionem Divini luminis in nobis, juxta illud Regii Psaltis *in Psalm.* 4. qui cum interrogasset: *Quis ostendit nobis bona?* ut scilicet ea sequamur, statim respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hinc Apostolus *ad Romanos cap.* 2. *num.* 14. scribit: *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.* Et Cicero 1. *de Legibus*, Legem naturalem definit, quod sit: *Ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Unde revera implicat peccatum, quod solum sit Philosophicum, & non etiam simul Theologicum, cum implicet, quod dari possit homo Legis naturalis invincibiliter ignarus. Hinc merito ab Alexandro VIII. die 24. Augusti 1690. damnata fuit sequens propositio in ordine 2. *Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.*

17 Ad contrahendum quodcumque peccatum actuale, sive mortale, sive veniale, tres requiruntur conditiones. Prima est, ut sit voluntarium, idest, ut fiat a voluntate consentiente. Unde S. Augustinus *lib. de vera Religione c.* 4. dicit: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Secunda est, ut sit liberum, idest, ut sit in potestate voluntatis illud facere, vel non facere; Non enim sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate, idest potentia indifferens, tum ad ponendum, tum ad omittendum actum; Hinc ab Innocentio X. pridie Kalend. Junii anno 1653. damnata est sequens propositio Jansenii tertia in ordine: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Nec etiam sufficit qualiscumque libertas in causa, seu mediata, sed peccatum debet dependere a propria libertate operantis. Unde ab Alexandro VIII. die 7. Decembris 1690. damnata fuit sequens propositio prima in ordine: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato Originali, & voluntate Adami peccantis.* Et quamvis damnatio dicat *Ad peccatum mortale*, tamen eadem ratio est etiam de peccato veniali; hinc additur, & *demeritum*, quod etiam veniali convenit. Tertia conditio est, ut advertatur malitia peccati. *Communis.*

18 Item tria requiruntur potissimum ad peccatum mortale, quorum si unum desit, jam non erit peccatum mortale, sed ad summum veniale. Primo igitur ex parte intellectus requiritur plena advertentia & deliberatio; Secundo ex parte voluntatis requiritur perfectus consensus. Tertio requiritur gravitas materiæ. *Communis.* Ad pleniorem autem horum captum est advertendum 1. Plenam, & perfectam advertentiam in eo consistere, quod intellectus per plenum, & firmum judicium cum libero, & expedito interiorum sensuum usu de malitia objecti deliberet expendendo singula; econtra vero esse semiplenam, & imperfectam ad-
vertentiam ad mortale insufficientem: 2. plenum 20
& perfectum voluntatis consensum situm esse in plena, & perfecta voluntatis approbatione plenam intellectus advertentiam præsupponente; econtra vero esse semiplenum, & imperfectum consensum item ad lethale insufficientem: ex quibus consequens est cum plena advertentia compati posse imperfectum consensum, est enim voluntas semper libera; & cum imperfecta advertentia minime stare posse plenum consensum, nil namque volitum, quin præcognitum: atque adeo si objecti malitia sit imperfecte repræsentata, non potest esse per-
fecte volita. 3. Quod tres in voluntate spectantur 21
motus, videlicet primo primus, qui vel omnem rationis usum, & malitiæ advertentiam prævenit, vel ex vehementissima passione sensitiva, & distractione rationem perturbante ita celer est, ut cohiberi non possit: unde motus primo primus libertate non potitur: 2. motus secundo primus, qui advertentiam supponit aliqualem, vel majorem, adhuc tamen ita imperfectam, ut solum semiplene liber haberi possit; denominantur autem præfati actus primo primus, & secundo primus respective ad plenam advertentiam, quam suo ordine præveniunt. 3. motus perfectus, & plene deliberatus, est, qui supponit rationem plene expendentem singula, & non perturbatam, vel vehementissima passione libertatem simpliciter tollente, nec vehementi eam diminuente, proin est actus consensus perfecte liber.

Ulterius magis magisque dicta elucidantur ad- 22
ducendo juxta communes conjecturas, signa valde utilia imperfectæ advertentiæ, impefectique consensus, per quæ quisque tute adjudicare potest se non habuisse plenum consensum, ac proinde memoriæ committendæ pro serenitate conscientiæ, ut advertit Fel. Pot. *cap.* 4. *de peccatis*; ex quo ut sequitur. Signa igitur imperfectæ advertentiæ sunt. 1. Si remisse, & ut ita dicam, ad similitudinem semidormientis rei malitiam apprehendis. 2. Si postea melius considerans judicas te id non fuisse facturum, si apprehendisses. 3. Si vehementi passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti itaut fere nescires quid ageres. (*) Confer Antoine in Tractatu de Peccatis cap. II. quæst. v. ubi recensitis indiciis, quibus in dubio de consensu sufficienti ad mortale cognosci potest datum fuisse, vel non, subdit. „ Ceterum cum hæ omnes conjecturæ veritatem non ostendant, est obligatio confitendi „ consensum illum dubium. „ (*)

Signa imperfecti consensus sunt. 1. Si quando actionem alias graviter malam quis fecit, non fuit plene sui compos, sed quasi semidormiens, distractus &c. ita ut judicet se id non fuisse facturum, si plene vigilasset; immo addit Mastr. in

in Theol. Moral. disp. 15. de peccatis, quod si quis post factum dubitet an id fecerit in somno vel in vigilia, num esset sui compos, vel non? non est leve indicium id fecisse sine plena advertentia, & sine pleno consensu: nam quæ cum plena advertentia fiunt, facilius sic facta cognoscuntur, quia plena advertentia præterita liberam permittit homini de suis actibus cognitionem, nisi forte temporis mora aliquam induxerit oblivionem. 2. Si quis dubitet an plene consenserit, & timoratæ sit conscientiæ peccatum mortale abhorrens, eique dissentire solitus, præsumendus est non plene consensisse, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiserit; secus est judicandum de viro perdito tentationibus succumbere solito: ratio utriusque est, quia ex juris peritis valida præsumptio, & probabilitas ex consuetis desumitur. 3. Si quis valde timide, & suspense se processisse meminit. 4. Si comperias te fuisse sub tali dispositione talibusque circumstantiis, ut faciliter potuisses peccatum exequi, non tamen sis exequutus, immo cum tui plene compos es, præ viribus respuis, præsumere potes te non plene consensisse; quia non ita faciliter affectus deliberatus mutatur. Hinc ut advertit Tamb. cap. 1. de pecc. §. 3. quando motus pravus tempore imperceptibili insurgit, & paulo post ut advertis, curas expellere, est signum nullius, aut certe dumtaxat imperfecti consensus præstiti. 5. Si quis soleat ita esse affectus, ut animum firmum, & sæpe repetitum non commitendi mortale habeat, præsumere potest non plene consensisse peccato, hic enim non consensit faciliter, & quod est multoties odio habitum, si postea plene ametur, facillime cognoscitur.

23 Postremo circa gravitatem materiæ est eam agnosci, vel ex horrore rei, & gravi conscientiæ remorsu, vel ex eo quod deprehendatur rem esse contra legem graviter obligantem; legem vero graviter obligare dignoscitur, vel ex modo loquendi Sac. Scripturæ, ut si pœnam æternam v. g. comminetur, vel ex declaratione Ecclesiæ, vel ex communi sensu Doctorum.

24 Peccatum mortale potest esse triplex. Primo mortale *ex genere suo*, quod scilicet ex ipso objecto secundum se habet intrinsecam malitiam mortalem, seclusa prohibitione Legis, ut blasphemia, adulterium, & hujusmodi. Secundo mortale *ex præcepto*, quod ideo solum mortale est, quia Lege positiva prohibetur, ut comedere carnes diebus Veneris, & Saturni, opera servilia facere diebus Festis, & hujusmodi: Tertio mortale *ex accidente, vel circumstantia*, quod licet secundum se, neque ex objecto, neque ex præcepto mortale sit, sed vel veniale, vel omnino indifferens, tamen ex accidente, vel circumstantia aliqua malitiam mortalem contrahit, ut ratione conscientiæ erroneæ, ratione mortalis finis adjuncti, ratione contemptus, *& hujusmodi*, ut clarius infra. *Sic Communis Doctorum*.

Peccatum veniale etiam triplex esse potest. Primo veniale *ex genere suo*, quod scilicet ex natura sua, & proprio objecto ita levis est malitiæ, ut, seclusa malitia alterius speciei, non possit excrescere in peccatum mortale, ut est verbum otiosum, mendacium jocosum, vel officiosum, vana cogitatio, & hujusmodi. Secundo veniale *ex imperfectione actus*, quod scilicet, quamvis ex genere suo sit mortale, tamen ex defectu plenæ advertentiæ, & perfectæ deliberationis evadit hic & nunc in individuo veniale, ut est subitus, & non plene deliberatus motus odii, luxuriæ, superbiæ, invidiæ, & hujusmodi. Tertio veniale *ex parvitate materiæ*, quod scilicet quamvis ex genere suo sit mortale in sufficienti materia, evadit veniale ratione parvitatis, ut est furtum unius obuli, aut alterius rei levis, & hujusmodi. *Sic Doctores communiter*. 25

Peccatum mortale *ex suo genere* fit veniale *per accidens* in individuo potissimum quatuor modis. 26
Primo *ex conscientia erronea* (*), quando scilicet quis ex errore invincibili putat peccatum aliquod esse veniale tantum, quod revera mortale est, ut perjurium assertorium in re levi, tunc enim is solum venialiter peccat; Secundo *ex causa excusante*, quando scilicet quamvis non adsit plena causa excusans a peccato in toto, adest tamen aliqualis causa excusans in modico sui defectu a mortali, & veniale constituens, ut ignorantia invincibilis excusat a toto peccato, ignorantia tamen aliqualiter vincibilis, & leviter culpabilis excusat a mortali, & constituit veniale; Item metus gravioris morbi excusat omnino a jejunio, vel ab auditione Sacri; metus autem morbi non ita gravis (*) excusat a mortali, & venialem efficit transgressionem, & sic de similibus: Tertio ex

(*) E. R. Animadvertas velim, mi Lector perraro contingere, in præceptis præsertim divinis, & naturalibus, peccatum mortale, *ex conscientia erronea*, veniale evadere. Hæc enim præcepta talia sunt, ut ignorantiam invincibilem a culpa excusantem haud facile admittant.

Notæ Romani Theologi.

* Cave ne putes, metum levem quoque excusare hominem a mortali culpa, levis enim metus est vanus, ac lex aliunde obligat saltem cum aliquo incommodo, etsi Ecclesiastica sit. Hinc regula juris habet, *vani timoris justa excusatio non est*.

Responsio Auctoris.

At hæc ipsa est mea opinio: etenim sub verb. *Metus num.* 27. tradidi expresse, quod metus gravis cadens

ex imperfectione actus, quando scilicet, nec ex parte intellectus adest perfecta advertentia, nec ex parte voluntatis plenus consensus, quorum unum si desit, & adsit solum imperfecta advertentia, vel semiplenus consensus, erit solum peccatum veniale ex imperfectione actus in quacumque materia, lege, seu præcepto; Sic omnis actio de se mortaliter peccaminosa, quæ fit a semidormiente, semiebrio, distracto, vel turbato vehementi passione, ita ut ad id, quod agit, ejusque malitiam advertere plene non possit, nec plenum, & perfectum consensum præbere ratione imperfectæ advertentiæ, & imperfecti, seu non pleni consensus, erit solum peccatum veniale; dummodo non fuerit mortale in causa; Quarto *ex parvitate materiæ*, quando scilicet aliquid, quod ex genere suo in sufficienti materia esset mortale, hic & nunc evadit veniale ratione parvitatis materiæ, ut furtum unius oboli, aut alterius levis rei, & hujusmodi. *Sic communis Doctorum*.

27 Peccatum *ex genere suo* veniale potest per accidens fieri mortale potissimum sex modis. Primo *ex conscientia erronea*, quando scilicet quis ex errore invincibili credit peccatum aliquod esse mortale, licet de se revera non sit, nisi veniale, ut credens erronee, quod mendacium jocosum sit mortale, si jocose mentiatur cum tali errore invincibili, peccat mortaliter. Secundo *ex fine mortaliter malo*, quando scilicet ratione finis mortalis adjuncti, quod est de se leve, evadit mortaliter grave, ut si quis leviter, vel officiose mentiatur, ut fœminam inducat ad fornicationem, vel adulterium, ipsum mendacium de se veniale fit mortale ratione talis pravi finis, Tertio *ex contemptu*, quando scilicet transgressio aliqua, seu inobedientia de se venialis committitur ex formali contemptu Legis, vel Legislatoris, tunc enim licet materia Legis obligantis sub veniali sit levis, contemptus tamen Legis, seu Legislatoris est gravis. Quarto *ex scandalo*; quando scilicet ratione gravis scandali, quod peccator secuturum prævidit, aut prævidere potuit, ac debuit, aliqua sua actio venialis cedit directe in grave proximorum scandalum, seu ruinam spiritualem; Sic levitates de se veniales Religiosorum coram sæcularibus exinde graviter scandalizandis evadunt mortales. Quinto *ex ultimo fine constituto*, quando scilicet ex nimio affectu ad aliquod peccatum de se veniale constituit quis in eo ultimum finem, ut si quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, ad verba otiosa, seu jocosa, ad lusum, & hujusmodi, ut propterea paratus sit potius quamcumque Legem Dei transgredi, vel Deum quomodolibet offendere, & non raro transgrediatur, seu offendat, quam illis privari, tunc enim is graviter peccat, quia in ipsis peccatis de se venialibus constituit ultimum finem, cum plus creaturam, quam Deum diligat. Sexto *ex periculo*, quando scilicet advertitur in aliqua actione de se veniali tantum, aut etiam indifferenti, adesse periculum proximum labendi in mortale, juxta illud *Ecclesiastici cap. 3. num. 27. Qui amat periculum, in illo peribit*. Sic si quis excedendo in potu, etsi venialiter tantum, certo prævideat se inebriandum in pollutionem, aliudve peccatum lapsurum, si frequentando conversationes de se non mortaliter malas, certe ex experientia prævideat se mortaliter peccaturum, & hujusmodi, eo ipso peccat mortaliter.

Peccatum formaliter acceptum non consistit in positivo, sed in privativo, idest in carentia, seu privatione debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad Legem Divinam. S. Bonaventura *in 2. dist. 37. art. 1. quæst. 2.* Scotus *in 2. dist. 37. q. 1.* & Scotistæ passim cum plurimis aliis contra varios alios. 28

Nostram tamen conclusionem videntur aperte tenere plurimi Sancti Patres: Sanctus enim Dionysius, sive potius Auctor libri *de Divinis nomin. cap. 4. circa finem* sic ait: *Relinquitur ergo malum imbecillitatem, atque privationem boni esse*. S. Ambrosius *lib. de fuga sæculi cap. 4.* sic habet: *Non inveniet in me malitiam, quia malitia nihil est*. S. Augustinus *tract. 1. in Joann.* sic habet: *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant*. S. Damascenus *lib. 7. de Fide cap. 4.* sic expresse dicit: *Nihil aliud est malum, nisi boni privatio*; quæ verba habet etiam S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap. 11.* S. Anselmus *lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis cap. 1.* aperte pronunciat: *Non est injustitia qualitas, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitæ justitiæ*. 29

Et probatur ratione, quia, si peccatum non consisteret in privativo, sed in positivo, haberet causam sui efficientem: sed non habet causam sui efficientem, ut expresse docet Sanctus Augustinus *lib. 7. de Civitate Dei cap. 7.* ibi: *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis: Non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio*, adeoque &c. Tum quia eodem modo se habet peccatum ad Legem, sicut malitia moralis ad dictamen rationis; sed malitia moralis consistit formaliter in privatione conformitatis, seu convenientiæ ad dictamen rationis; ergo peccatum consistit in privatione rectitudinis, seu conformitatis ad Legem; Unde S. Thomas *1. 2. quæst. 85. art. 4.* dicit, quod ordinatio actus sit quoddam bonum, & subdit; *Hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum*. Tum etiam quia si peccatum formaliter consisteret in positivo, sequeretur, quod Deus per se, & directe esset causa peccati: quia omne positivum per se, & immediate efficitur a Deo: *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; *Joan. 1.* Quod autem Deus per se, & directe sit causa peccati, est falsissimum, 30

dens in constantem virum excusant a præcepto positivo, tam divino, quam humano. Vide ibi *num. 27. & 28.* Scio enim ego, quod, *vani timoris justa excusatio non est*, per textum expressum in L. *vani timoris* 184. ff. de divers. regul. jur. sine ullo numero allegata ab Antoine, a quo *Theologus* noster ipsam sine citatione desumpsit.

mum, quia Deo, qui nihil odit eorum, quæ fecit. *odio sunt impius, & impietas ejus. Sapient.*14. adeoque &c.

31 Distinctio specifica moralis peccatorum omissionis desumitur ex actibus debitis, quorum sunt omissiones; Unde omissiones illæ sunt peccata specie distincta, quæ privant actibus debitis secundum speciem moraliter distinctis. *Communis*; Hinc omissio Missæ die Festo audiendæ distinguitur specie ab omissione præcepti jejunii, quia auditio Missæ, & observantia jejunii sunt actus debiti specie distincti; E contra omissio Missæ in die Dominico, & omissio Missæ in die Festo non distinguuntur specie moraliter, quia neque actus præceptus auditionis Missæ in prædictis distinguitur specie.

32 Distinctio specifica moralis peccatorum commissionis desumitur ex diversis specie virtutibus, seu diversis ejusdem virtutis rectitudinibus, quibus privant. Sic Scotus *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. & Scotistæ passim, aliique tenentes peccatum actuale formaliter consistere in privativo, & non in positivo. Et ratio est, quia peccatum formaliter sumptum est privatio rectitudinis debitæ, seu debitæ conformitatis præcepto; ergo ubi reperitur diversitas specifica privationum, reperitur & diversitas specifica peccatorum, licet sit unicus actus, vel plures; Atqui ubi actus privatur diversis specie rectitudinibus debitis, adsunt diversæ specie privationes, cum privationes specificentur a formis, quibus privant, ergo &c.

33 Dicitur autem notanter sub disjunctione *ex diversis specie virtutibus, seu diversis ejusdem virtutis rectitudinibus*, quia ad distinctionem specificam moralem peccatorum sufficit, ut vel diversis specie virtutibus opponantur, ut v. g. Furtum, & Mollities, quorum prius opponitur virtuti justitiæ, & alterum virtuti Castitatis; Vel opponantur eidem virtuti secundum diversas specie honestates, & rectitudines, ut verb. gr. Mollities, Sodomia, & Bestialitas, quæ, non obstante, quod opponantur eidem virtuti Castitatis, & eidem ipsimet naturæ, tamen quia ipsi opponuntur secundum diversas honestates, & rectitudines, propterea distinguuntur specie, non solum in genere entis, sed etiam in genere moris; Unde merito ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. fuit damnata sequens propositio 24. in ordine; *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem*.

34 Distinctio numerica moralis peccatorum desumitur ex distinctione numerica actuum voluntatis moraliter interruptorum; Unde tot sunt numero distincta peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, & repetititi. *Communis*. Et ratio est, quia cum voluntas sit principium actuum moralium bonorum, & malorum, nec ullum sit peccatum, nisi in quantum ab ipsa voluntate deliberata procedit, hinc sequitur, quod tot peccata numero distincta multiplicentur, quot actus pravi ipsius voluntatis moraliter interrupti repetuntur.

35 Actus autem voluntatis interim moraliter interrumpi censentur, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseverant, idest quoties nullus effectus assignari potest, in quo virtualiter prior ejusmodi actus permanere censeatur. Et ita actus internus voluntatis moraliter interrumpitur per retractationem, seu voluntatem contrariam. Item moraliter interrumpitur actus internus voluntatis per cessationem ab illo voluntariam, & liberam. Immo aliqui, inter quos Vasquez 12. *disp.* 75. *cap.*3. Diana, & alii, tenent actum internum peccaminosum moraliter interrumpi etiam per cessationem involuntariam, & naturalem, sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia.

Hinc resolves primo, quod peccata interna, quæ solo animo perficiuntur, ut odium Dei, vel proximi, Hæresis, Detrectatio venerea morosa, & hujusmodi, toties multiplicantur numero, quoties actus ipse internus peccati renovatur, quia quilibet talis actus internus in se est completus, & posterior actus nullam habet dependentiam, vel connexionem cum priori. *Communis*. 36

Resolves secundo, quod peccata, quæ opere externe perpetrantur, toties numero multiplicantur, quoties actus ipsi exteriores peccatum illud consummantes repetuntur, quia interveniunt plures actus mali, quorum unus ad alterum non ordinatur, nullamque cum ipso habet connexionem, cum quilibet eorum in se sit completus actus. *Communis*. 37

Resolves tertio, quod quando actus sunt ordinati ad unum numero actum, seu finem principalem, omnes illi actus non sunt tot peccata distincta ab ipso actu finali, sed unum dumtaxat peccatum, quia unitatem numericam desumunt ab ipso actu principali, & finali; Unde oscula, tactus, verba impudica, & alii actus copulam præcedentes, comitantes, & subsequentes unum numero peccatum integrant cum actu principali, seu finali, nempe cum copula; quæ sola est explicanda in Confessione. *Communis*. * Generatim tamen eorum numerus exprimendus est, eo quod multum aggravant peccatum, *quod tanto gravius est, quanto plura concurrunt*, ut docet Antoine in tractatu de peccatis cap. 1. in resp. ad quæst. VI. num. 4. ubi hæc addit: „ Si quæ tamen circumstantiæ extraordinariæ per se malæ, illis adjungentur, speciatim explicandæ sunt, ut monet Suarez. Dixi, *similis malitiæ*: nam si media assumpta, vel actus habeant malitiam specie diversam a malitia finis, seu actus principalis, sunt plura specie peccata exprimenda. Delectationes vero morosæ, tactus, & verba impudica, quæ subsequuntur copulam, sunt peccata inter se, & a copula distincta. *Ita Suarez, Vasquez, & alii*. Quia sunt ex se inchoationes, ac dispositiones ad novam copulam. Et quia actus subsequentes actum principalem, ac consummatum, neque sunt partes, aut dispositiones, nec proprietates prioris actus, neque etiam ejus complementum, cum ipse actus sit consummatus, & ex se completus, neque in illo expresse intelliguntur, cum ei tantum per accidens ex malitia operantis adjungantur „. 38

Resolves quarto, quod quando actus sunt dispara- 39

parati, ita ut unus non dependeat ab alio, nec ordinetur ad ipsum, tunc tot sunt numero peccata, quot sunt actus in se completi, & consummati, quia quilibet actus habet terminum definitum, & limitatum, in quo completur, & terminatur, adeoque de se independenter ab alio est peccatum; Unde qui plures homines successive occidit, plura commisit homicidia numero distincta: qui plures fornicationes commisit eadem nocte etiam cum eadem muliere, & voluntate continuata per totam noctem fornicandi, plura commisit peccata fornicationis numero distincta in Confessione explicanda. *Communis*. *

(*) Pariter ut scribit Antoine loc. cit. si actus similis malitiæ „ subordinati non referantur per intentionem peccantis ad eumdem actum principalem, sunt multiplex peccatum. Quia tunc non uniuntur, nec in æstimatione prudenti censentur una moraliter actio, & ad actum subordinatum, & actum principalem requiritur duplex, etiam moraliter, deliberatio & determinatio. Sic si Petrus primo voluisset tantum vulnerare Paullum, & postea ex ira fervescente eum occideret, sunt duo peccata speciatim explicanda. Item si Titius oscula & tactus exercens non intendat copulam, sive hæc postea ob libidinem auctam sequatur, sive non, debet numerum tactuum & osculorum confiteri. Imo actus sibi subordinati, & ad eumdem finem ordinati, sunt plura moraliter peccata, si inter illos intercedat magna mora temporis: quia tunc censentur moraliter interrumpi, nec continuari. (+)

40 Peccatum originale deletur in infantibus per solum Baptismum in re susceptum; *cap. Majores* 3. *de Baptismo cap. Firmissime* 2. *& cap. Nulla præter* 142. *dist.* 4. *de consecr.* ibi: *Nulla præter Baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc est Divinitus institutum, in credentium numerum non transeunt, in tenebris manent*, cum similibus juncto Concicilio Florentino *in Decreto Eugenii* §. *Primum omnium*, & Concilio Tridentino *sess.* 5. §. 5. *& sess.* 6. *cap.* 14. *& sess.* 14. *cap.* 8. * Nota, quod ubi noster Auctor ait, *per solum Baptismum in re susceptum*, loquitur de Baptismo sive fluminis, sive sanguinis, ut cohæreat hæc doctrina cum iis, quæ alibi dicta sunt, verb. *Baptismus art.*1.*num.*16,

41 & verb. *Martyrium*, *n.* 13. *&* 14. * In adultis autem peccatum Originale deletur per Baptismum sive in re, sive in voto. Immo in ipsis adultis per Baptismum delentur insuper omnia peccata personalia ante ipsum Baptismum commissa: non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam pœnam: sic expresse Concilium Florentinum *in citat. Decret. Eugenii* §. *Primum omnium*, his verbis, *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ Originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur; propterea baptizandis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem perveniunt*. Et hoc idem definivit Concilium Tridentinum *sess.* 5. §. 5. ubi docet, homines per Baptismum renasci Deo innocentes, immaculatos, puros, innoxios, Deo dilectos, heredes Dei, & coheredes Christi: *Ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur*, & expressius *sess. 6. cap.* 14. ubi dicit, in Sacramento Pœnitentiæ non semper totam pœnam remitti, ut in Baptismo fit, quod latius repetit *sess.* 14. *cap.* 8. ubi in hoc constituit discrimen inter justificationem, quæ per Baptismum, & per Sacramentum Pœnitentiæ fit.

Peccatum mortale post Baptismum commissum 42
remittitur solum per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto, idest per Sacramentum Pœnitentiæ vere, & realiter susceptum, aut per Contritionem cum voto tale Sacramentum suscipiendi. Sic ultra varia Sacræ Scripturæ testimonia, expresse Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. 2. *&* 4. *& ibidem Can.* 1. 2. *&* 3. Unum au- 43
tem peccatum mortale in hac providentia remitti non potest sine alio; expresse enim deducitur, tum ex Sacra Scriptura, quæ nonnisi integram peccatorum remissionem promittit pro integra pœnitentia, ut patet *Ezechiel. cap.* 18. *num.* 21. ibi: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est ... omnium iniquitatum ejus, quæ operatus est, non recordabor*. Unde si pœnitens de uno solo peccato complacentiam haberet, jam esset prorsus indignus remissionis aliorum, juxta illud *Jacobi cap.* 2. *num.* 10. ibi: *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; Tum ex Doctrina Concilii Tridentini *de justificatione sess.*6. *& de Pœnitentia sess.* 14. ubi justificationem declarat per modum vivificationis, & liberationis a morte juxta modum loquendi Sacræ Scripturæ. Hæc autem non habetur, nisi per integram omnium peccatorum mortalium remissionem, nam per unum solum peccatum mortale, quod in anima remaneret, homo non esset justus, sed impius, non esset vivus, sed mortuus spiritualiter, demum non esset in statu salutis, sed damnationis æternæ. *Sic Communis Catholicorum.* Ne-

Nota Romani Theologi.

* Etiamsi non successive, sed unica actione, seu ictu occideret, plura homicidia committeret numero distincta.

Responsio Auctoris.

Hæc nota non percutit meum assertum. An autem plures occidens unica actione, seu ictu, plura revera homicidia committat, eorum teneo opinionem, qui affirmant, præsertim si unica actione, seu ictu plures intendat occidere, & revera occidat.

44 Neque de facto unquam remittitur peccatum veniale sine remissione peccati mortalis. *Communis Catholicorum* cum S. Thoma 3. *par. quæst.*87. *art.* 4. Et ratio est, quia nullum etiam veniale peccatum remittitur de facto sine infusione gratiæ sanctificantis; sed gratia sanctificans non potest de facto consistere cum peccato mortali, ergo &c. Tum quia inconveniens, & absurdum est, quod Deus reconcilietur in re levi illi, a quo manet graviter offensus, & cum quo graves adhuc gerit inimicitias, uti est peccator perseverans in peccato
45 mortali. Potest tamen econtra remitti peccatum mortale, quin remittatur peccatum veniale, quia potest haberi dolor de mortali, quin habeatur dolor de veniali, immo adsit complacentia de ipso veniali, quod infusionem gratiæ sanctificantis non impedit. *Communis*.

46 Peccatum veniale post Baptismum commissum remittitur universim duobus modis, primo ex opere operantis, secundo ex opere operato per Sacramenta, & aliquatenus per Sacramentalia. *Communis*.

47 Ex opere operantis remittuntur peccata venialia per Contritionem, & quidem omnia quorum displicentiam continet, seu de quibus in genere saltem habetur Contritio. *Communis ac certa*; Cum enim Contritio perfecta sufficiat ad tollenda peccata mortalia; multo magis sufficiet ad tol-
48 lenda venialia. Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo per Attritionem de iisdem conceptam, utpote quod Deum offendendo venialiter sit peccator pœnas Purgatorii, aliasque pœnas temporales promeritus. Item privationis majoris gratiæ, gloriæ &c. Suarez *part.* 3. *tract.* 4. *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 11. Mastrius *Theol. moral. disp.* 11. *quæst.* 4. *num.* 82. & ipso teste omnes Scotistæ, Coninch. *disp.* 2. *dub.* 4. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 3. *de peccatis dist.* 1. *quæst.* 3. *num.* 28. Sporer *tom.* 3. *Theol. Sacramental. part.* 3. *cap.* 2. *sect.*4. *num.* 37. & plures alii contra Vasquez, & quosdam recentiores in homine justo ad deletionem venialium extra Sacramentum requirentes Contritionem formalem, vel saltem virtualem; Et ratio nostræ conclusionis est, quia ex opposita sententia sequeretur, quod magis vel æque rigorosa satisfactio exigeretur pro peccato levi, seu veniali, ac pro peccato gravi, seu mortali, quod non convenit justitiæ; sed Contritio formalis, seu virtualis necessario extra Sacramentum exigitur ad deletionem peccati mortalis, ergo talis satisfactio non necessario exigitur ad deletionem venialis, præsertim in homine justo, sed minor sufficiet, qualis est Attritio, cum minor offensa sit venialis, quam mortalis.

49 Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo per omne opus meritorium propter Deum factum in ordine ad deletionem peccatorum venialium, seu saltem in ordine ad deletionem omnium suorum peccatorum, ut sic a Deo ad talem finem acceptetur. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. §. *In ista quæstione*, Mastrius *loc. cit. num.* 83. & ipso teste Scotistæ omnes, Suarez *loc. cit.* & plurimi alii: Et ratio desumitur ex illa Salvatoris promissione *Lucæ c.* 6. *Dimittite*, & *dimittemini*, quæ promissio habetur similiter de actibus aliarum virtutum, ac præsertim Misericordiæ sæpe sæpius in Sacra Scriptura; Tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. dicit, quod peccata venialia multis aliis remediis expiari possunt, ibi: *Multisque aliis remediis expiari possunt*; Unde S. Augustinus, aliique Sancti Patres, & Doctores dicunt, quod peccatorum venialium remissionem a Deo consequimur per Orationem Dominicam, & alias preces ad Deum fusas continentes in se petitionem veniæ peccatorum; atque per omne opus bonum factum, & Deo ad talem finem oblatum.

Item ex opere operantis peccata venialia delentur in homine justo per actum formalem amoris Dei super omnia, quo Deus præfertur omnibus omnino rebus ei displicitis, tam levibus, quam gravibus; Justus enim perfecto amoris actu se Deo absolute, & penitus subjiciens, volens ipsi in omnibus actionibus placere, & obtemperare, eo ipso implicite saltem, & virtualiter detestatur omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, quatenus omnia Deo displicent; adeoque talis actus perfecti amoris semper ad omnia etiam venialia se extendit, atque omnia delet secundum culpæ reatum. *Communis*. 50

Ex opere operato peccata venialia remittuntur per omnia Sacramenta novæ Legis cum debita dispositione suscepta; dummodo ad ea nullus formalis, vel virtualis vigeat affectus. Sic S. Thomas 3. *par. quæst.* 87. *art.* 3. Mastrius *loc. citat. n.* 85. & ipso teste Communis Sanctorum Patrum, & Doctorum. Et ratio est, quia omnia Sacramenta novæ Legis instituta sunt ad sanctificandas animas nostras ex opere operato, easque perfecte disponendas ad gloriæ consecutionem, & consequenter ad tollenda omnia impedimenta, quæ aliquo modo possunt a gloriæ consecutione impedire: Unde cum peccata venialia nos retardent a consecutione gloriæ, debent per Sacramenta digne suscepta remitti. 51

Per Sacramentalia remittuntur peccata venialia 52
ex opere operato, remote tamen, & mediate, quatenus nempe per preces Ecclesiæ junctas rebus Sacramentalibus, dum iis pie utimur, movetur Deus (etsi non infallibiliter) ut in nobis excitet pios illos motus, quibus adnexa est remissio venialium, partim ex opere operantis, quatenus homo iis Sacramentalibus pie utitur in remedium, ac remissionem peccatorum suorum cum piis motibus displicentiæ peccatorum, conversionis in Deum, amoris, adorationis, & hujusmodi: Et hæc videtur esse mens D. Thomæ 3. *part. q.* 87. *art.* 3. ubi habet hæc verba: *Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum; Uno modo in quantum eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est; Et hoc modo per Eucharistiam, & Extremam Unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta novæ Legis, in quibus confertur: Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; Et hoc modo Confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum venialium. Nam in Oratione Domi-*

minica petimus: Dimitte nobis debita nostra; Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res Divinas. Et hoc modo Benedictio Episcopi (& quidem etiam Sacerdotis in Missa, & præsertim cum Venerabili Sacramento) *aspersio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis Unctio, Oratio in Ecclesia dedicata, & si quæ alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum*. Hactenus S. Doctor relatus, & secutus a Spor. *tom. 3. Theol. Sacram. par. 3. c. 1. sect. 4. n. 45.* Et videtur idem sentire Scot. *in 4. dist. 21. q. 1.* idemque sentit Reiffenst. *loc. cit. n. 31. & seq.* & communior Doctorum.

53 Sacramentalia autem sic appellantur, vel ex eo quod soleant adhiberi ad Sacramenta efficienda, vel ministranda, ut efformatio Crucis, Benedictiones, Orationes Ecclesiæ, vel ex eo, quod aliqualem sequantur, & imitentur virtutem Sacramentorum, ut aspersio aquæ lustralis, usus rerum benedictarum ab Ecclesia, Confessio generalis,
54 tunsio pectoris, & hujusmodi. Et communiter enumerantur sex, ad quæ cetera reducuntur, & continentur sequenti versiculo.

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

55 Per ly *Orans* denotatur quotidiana Oratio Fidelium, ac præsertim *Pater noster*, de quo dicitur *cap. De quotidianis, de Pænit. dist. 3. De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio Fidelium satisfacit; eorum est enim dicire Pater noster, qui es in cœlis, &c. Delet omnino hæc Oratio minima, & quotidiana peccata*: Huc reducitur Tunsio pectoris.

56 Per ly *Tinctus* significatur aspersio Aquæ Benedictæ, de qua *c. Aquam, de consec. dist. 4.* sic legitur: *Nam si Cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, & mundabat, multo magis aqua sale aspersa, Divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat*. Huc reducitur Unctio Cæremonialis in Regem, & similes Unctiones; item propositio Cineris benedicti.

57 Per ly *Edens* intelligunt aliqui dignam Sacrosanctæ Eucharistiæ, immo cujuslibet Sacramenti susceptionem; Verum hoc non tam videtur spectare ad Sacramentalia, quam ad ipsa Sacramenta, & hinc alii per ly *Edens* intelligunt devotam manducationem panis benedicti, & hujusmodi.

58 Per ly *Confessus* communiter intelligitur Confessio generalis, quæ in hunc finem ab Ecclesia est instituta, ut dicatur in principio Missæ, atque sub prima, & Completorio.

59 Per ly *Dans* denotatur elargitio Eleemosynæ, juxta illud *Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato liberat*. Daniel. *cap. 4. Peccata tua eleemosynis redime*, & alibi; Huc reducuntur alia Opera Misericordiæ, tum corporalia, tum spiritualia.

60 Tandem per ly *Benedicens* designatur Benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati alios benedicentis, prout explicat Bonacina *tom. 1. disp. 5. quæst. 6. sect. 2. punct. 2.* citans plures alios, & tenet Glossa *in Proœmio sexti Decretalium* vers. *Benedictionem*, ubi inquit: *Per benedictionem Prælati devote susceptam venialia remittuntur*, atque ad hoc allegat *cap. Dictum est, cap. Maledicam, cap. Intra 1. quæst. 1.* quamvis non adeo clare id habeant. Hæc ad litteram P. Reiffenst. *Theol. moral. tract. 3. dist. 2. q. 3. a n. 34. ad 39.*

Pœna debita decedentibus cum solo peccato Originali non una, & eadem ab omnibus assignatur: 61
Quinque enim de infantibus non baptizatis referuntur Auctorum sententiæ a Bellarmino *tom. 3. de controversiis lib. 6. de statu peccati cap. 1.* ubi sic habet: Prima sententia fuit eorum, qui Regnum Cœlorum infantibus non baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent eos in peccato Originali conceptos, & natos. Ita sensit quidam Vincentius, quem refellit S. Augustinus *in lib. 1. de origine Animæ cap. 9. & lib. 3. cap. 13.* Idem sensit Zuinglius *in declarat. de peccato Originali ad Urbanum Regium*, ubi docet probabile esse per Christum universam naturam humanam ita esse restitutam, ut etiam Filii infidelium sine Baptismo decedentes salventur. Et id censet non solum probabile, sed etiam certum de filiis Fidelium; quem errorem, quod attinet ad filios Fidelium, sequuntur multi Sectatorum, ut Bucerus, Martyr, Calvinus, & alii.

Secunda sententia paulo quidem minus libera- 62
lis, sed tamen valde mitis, fuit eorum qui parvulos non baptizatos excludebant a Regno Cœlorum, & vita beata Sanctis promissa, tamen eis dabant vitam æternam, & naturalem beatitudinem sine ulla molestia, aut dolore extra Regnum Beatorum, & procul a carcere Damnatorum, hoc est in loco medio inter gehennam, & Cœlum, qualis locus vix potest fingi alius, quam terræ convexum; Ita sensisse olim Pelagianos docet S. Augustinus *in lib. de Hæresibus c. 88. Nam*, inquit, *etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra Regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quandam vitam suam*. Ad quem errorem proxime accessisse videntur Ambrosius Catharinus *in lib. de statu puerorum sine Baptismo decedentium*, Albertus Pighius *in prima controversia*, & Hieronymus Savonarola *in l. de triumpho Crucis*; docent enim ipsi, & alii, infantes sine Baptismo morientes futuros post judicium beatos naturali beatitudine, & in quodam veluti Paradiso terrestri perpetuo, feliciterque victuros.

Tertia sententia jam aliquanto severior, docet, 63
parvulos sine Baptismo decedentes damnari apud inferos æterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœna damni, ut nullum patiantur omnino dolorem, neque internum neque externum. Ita docet S. Thom. *in q. 5. de malo art. 1. 2. & 3.*, & tum ipse, tum alii aliquot scholastici Doctores *in 1. sententiar. dist. 33.*

Quarta sententia superiore adhuc severior libe- 64
rat quidem parvulos ejusmodi a cruciatu ignis, & vermis, de quo legimus *Marci 9. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, quæ proprie dicitur pœna sensus, sed non eos liberat ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis; Ita docet Petrus Lombardus *in 2. sententiar. dist. 33. litt. E.* eumque

que nonnulli alii secuti sunt, ut referunt S. Thomas, S. Bonaventura, Gregorius Ariminensis, & alii *in Commentar. ejusdem loc. cit.*

65 Quinta sententia severissima, atque extrema docet, parvulos propter Originale peccatum utroque pœnæ genere, damni scilicet, & sensus in Gehenna perpetuo cruciari. In hanc sententiam satis aperte propendet Gregorius Ariminensis *in 2. sententiar. dist. 33. q. 3.* & Joannes Driedo *in 1. lib. de gratia, & libero arbitr. tract. 3. cap. 2.* Hactenus Doctissimus Bellarminus *loc. cit.* & hanc sententiam sequitur novissime Poncius *disp. 8. quæst. 6.* & alii.

66 Ex enumeratis sententiis, prima, & secunda non solum falsæ, sed etiam hæreticæ existimandæ sunt. Et contra, Fide Catholica tenendum est, Parvulos sine Baptismo decedentes absolute esse damnatos, & non solum cælesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo cárituros. Sic expresse Bellarminus *loc. cit. cap. 2.*

67 Quarta sententia licet non careat sua probabilitate, eamque sequatur idem Bellarminus *l. c. c. 6.* citans pro ipsa varios SS. Patres, & Theologos; Tamen a nobis non admittitur, cum ut infra patebit, teneamus, quod quamvis pueri decedentes sine Baptismo sint passuri re ipsa pœnam damni, non tamen de illa ullum habituri sunt dolorem, vel tristitiam.

68 Quinta sententia, licet non videatur aperte ab Ecclesia Catholica reprobata, rejicitur tamen passim in Scholis, ut testatur idem Bellarminus *loc. cit. c. 4.* Unde sicut ipsi, ita & nobis improbabilis esse videtur; Unde tertiæ sententiæ adhærentes, concludimus, quod:

69 Pueri decedentes cum solo Originali peccato secundum tertiam sententiam, quam sequimur, nullam patiuntur pœnam sensus, nec post diem Judicii passuri sunt alias corporis afflictiones; sed tantum patiuntur, & patientur solam pœnam damni sine ullo dolore interno, & externo, seu sine ullo prorsus dolore, vel tristitia de amissione beatitudinis. Sic S. Thomas, & Bonaventura, & Scotus *in 2. sententiar. dist. 33.* aliique Scholastici. Et pro hac nostra sententia citatur etiam Nyssenus *Oratione de infantibus*, & S. Augustinus *lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 27.* asserens infantes in Limbo non tristari, nec dolorem pati; Idem tenent Vasquez, Suarez, Salas, Lessius, Becanus, Arriaga, Turrianus, Aversa, Oviedus, Amicus, & late Mastrius *in 2. sententiar. disput. 4. quæst. 6. de peccato Originali artic. 1. & 3. & in Theolog. Moral. disp. 28. q. 3. num. 67.* ubi testatur esse hanc sententiam omnium Recentiorum.

70 Probatur igitur prima pars nostræ Conclusionis, scilicet quod pueri decedentes cum solo Originali peccato nullam patiantur pœnam sensus, nec post diem Judicii passuri sint corporis afflictiones; Quam sententiam S. Bonaventura dicit omnes Magistros magis approbare communiter, & Scotus hanc sententiam Magistrorum appellat teste ipsomet Mastrio *in 2. sententiar. disput. 4. quæst. 5. art. 1. nu. 159.* Et ratio est, quia, ut dicunt Scotus, & S. Bonaventura *loc. cit.* acerbitas pœnæ correspondet quantitati delectationis juxta illud Apocalypsis *cap. 18. num. 7. Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: sed parvuli nullam delectationem inordinatam habuerunt, nec in spiritu, nec in carne, ergo non debent ullum tormentum, & pœnam sensus pati. Tum quia, quod pœna sensus, & afflictio Corporis soli peccato actuali, ac delectationi illud consequenti correspondeat, hebetur ex variis aliis Sacræ Scripturæ consimilibus locis, ut *Deuteronom. 24. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Apocalyp. 22. Ecce venio cito ... reddere unicuique juxta opera sua; & Matthæi 25. Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum &c.* & ad *Romanos 2. Qui reddet unicuique secundum opera ejus*, & *2. Ad Corinth. cap. 5. nu. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria Corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*; ex quibus, & similibus locis aperte desumitur, pœnam ignis, seu corporis afflictivam soli correspondere peccato actuali, quod cum pueri decedentes sine Baptismo non habuerint, tali pœnæ obnoxii esse non debent.

Probatur secunda pars nostræ conclusionis, quod 71
scilicet pueri decedentes sine Baptismo patiantur, & passuri sint perpetuo pœnam damni, idest visione Dei perpetuo sint cárituri, & primo ex illo *Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, & secundo *ex cap. Majores 3. de Baptismo*, ubi Innocentius III. dicit: *Pœnam peccati Originalis esse carentiam Divinæ visionis, actualis vero perpetuæ gehenne cruciatum*, & idem habetur *c. Nulla 142. dist. 4. de consecrat.* his verbis: *Nulla, præter Baptismum Christi salus promittitur infantibus, quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc est Divinitus institutum, in credentium numerum non transeant, profecto in tenebris manent*, idest Divina visione carent, qua illuminarentur. Item ex Conc. Flor. sub Eugenio IV. in litteris Unionis asserente: *Decedentes in mortali vel Originali mox in infernum descendere*, hoc est in inferiores terræ partes, ut teste Mastrio *locis citatis* exponunt communiter Doctores, sed *pœnis inæqualibus puniendos*, quam inæqualitatem in eo consistere dicit, quod Originali sola pœna damni respondet, actuali autem utraque, scilicet & pœna damni, & pœna sensus.

Tum quia, absolute loquendo non est futurus 72
aliquis medius status inter Beatos, & damnatos in quo quis feliciter, & beate vivat, ut definitum est *in Concilio Arauxicano post Canon. 77. tom. 1. Conciliorum*, ubi dicitur: *Si quis dicat ideo dixisse Dominum in Domo Patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur, quia in Regno Cælorum erit aliquis medius, aut alius, aut alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt, anathema sit.* Plures etiam Patrum auctoritates refert Salmeron *in cap. 5. ad Romanos disput. 43.* apud ipsum videndas, quibus permotus Angles merito inquit oppositam sententiam te-

Qq 2 nen-

nentes parvulorum tortores vocari, & propterea illam tamquam duram esse ab omnibus exclusam quam etiam valde duram appellat S. Bonav. *dist.* 33. *part.* 3. *quæst.* 1. *

73 Probatur tertia pars nostræ conclusionis, scilicet quod licet pueri patiantur & reipsa passuri sint pœnam damni, sine ullo tamen erunt dolore interno, & externo de illa, seu sine ullo prorsus dolore, vel tristitia de amissione Beatitudinis; quia, ut discurrunt S. Bonaventura, & Scotus *loc. cit.* si infantes de tali privatione Beatitudinis tristarentur, cum tristitia secundum S. Augustinum sit de his, quæ nobis invitis accidunt, ipsi involuntarie sustinerent suum statum & vellent oppositum ad Divinam voluntatem, & dispositionem, qua *Ecclesiastis cap.* 11. *num.* 3. statutum est, quod ubicumque ceciderit lignum, ibi erit: sed quod tales infantes velint oppositum ad divinam voluntatem, & dispositionem nullo modo est dicendum, cum isti nullam inordinatam volitionem habuerint in isto statu, ergo nullam etiam habebunt inordinatam volitionem in alio statu, & consequenter neque ullam tristitiam interiorem habebunt. Tum quia, si tristarentur de carentia visionis Dei, cum desperent de ea, haberent pœnam gravissimam inter pœnas omnium damnatorum, scilicet tristitiam ex desperatione. Hoc autem non est dicendum, adeoque &c. Tum etiam, quia tales infantes, ut probatum est supra *sub num.* 65. ex fere communi omnium Patrum, & Theologorum, non habebunt pœnam sensus ab extrinseco; ergo tanto minus habebunt pœnam interiorem, scilicet tristitiam spiritus, cum longe major sit dolor, & pœna spiritus, quam dolor, & pœna sensus. Sic in re discurrit Scotus *cit. dist.* 33.

74 Objiciunt tamen primo Adversarii contra nostram Conclusionem dicentes, quod cum Dominus juxta *cap.* 25. *Matthæi* ad judicandum venerit, duæ tantum assignabuntur hominum classes, una eorum, qui a dextris erunt, & ibunt in vitam æternam, & altera eorum, qui a sinistris erunt, & ibunt in ignem æternum; Atqui parvuli non erunt a dextris, neque ibunt in vitam æternam, ut omnes fere fatentur, ergo erunt a sinistris, & ibunt in ignem æternum.

75 Respondetur, quod ibi est sermo solum de adultis damnatis ob proprias culpas actuales, ut ex ipsomet textu clare habetur; reddens enim ibi Christus Dominus causam, cur qui sunt a sinistris, in ignem æternum sint ituri, inquit: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Unde ex hoc potius nostra confirmatur sententia, quod pro solis actualibus, & personalibus peccatis infligenda sit omnis positiva pœna sensus, universaliter nomine æterni ignis significata. Tum quia, ut talem textum exponit S. Augustinus *lib.* 6. *contra Donatistas post collationem cap.* 4. ibi, dicit S. Doctor, exprimitur forma, qua judicabuntur Fideles in Ecclesia existentes, comparantur enim boni, & mali Ovibus, & Hædis ejusdem Pastoris, & Ovilis. Certum autem est parvulos ante Baptismum ad Ovile Ecclesiæ non pertinere. Et sic etiam explicandi sunt alii consimiles textus, qui solent adduci ab Adversariis, quod nempe in eis sermo sit de adultis puniendis propter peccata sua personalia, & actualia, ut communiter exponunt Sacri Interpretes; vel de Fidelibus intra gremium Ecclesiæ, ut dicebat S. Augustinus.

Objiciunt secundo dicentes, quod S. Augustinus 76
serm. 24. *de verb. Apostol.* satis aperte scribit: Parvulos decedentes sine Baptismo igne sempiterno esse cruciandos, & idem S. Augustinus (seu, ut alii volunt, S. Fulgentius sub nomine Augustini quatenus Opus illud S. Augustino olim adscriptum fuit) *de Fide ad Petrum Diaconum cap.* 17. relatus *in cap. Firmissime tene* 3. *dist.* 4. *de consecration.* sic expresse dicit: *Firmissime tene, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris Matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive jam de Matribus nati sine Sacramento Baptismi, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos; quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habeant, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione ex nativitate traxerunt.*

Respondetur, quod ibi S. Augustinus, & S. Fulgentius sub nomine Augustini, loquuntur metaphorice, & nomine ignis pœnam damni significant; ut docent S. Thomas *q.* 5. *de malo*, *& in* 2. *dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. S. Bonaventura *ead. dist.* 33. *q.* 1. *ad* 1. & Glossa *in c. Nulla* 143. *de consecr. dist.* 4. Nomine enim *ignis* quælibet pœna designatur, ut patet ex illo Psalm. 65. *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, quod expresse tradit ipsemet S. Augustinus *q.* 9. *in Josue*. Et quod sic veniat intelligendus S. Augustinus aperte constat, ex quo suum intentum erat contra Pelagianos probare, quod parvuli decessi sine Baptismo non essent æterna felicitate donandi; quod satis convincitur dicendo ipsos passuros esse pœnam damni, cum qua nequit conjungi æterna felicitas; Tum quia S. Augustinus (seu ut alii

Notæ Rom. Theologi.

* Vide ea, quæ disputavimus de pœna parvulorum sine Baptismo decedentium in appendice nostra *de Inferno*.

Responsio Auctoris.

Videat igitur benignus lector *ibi* tradita a *Theologo*, & simul meam *Responsionem* ad dict. verb. *Infernus*; nec non in hoc verb. *Peccatum a num.* 65. *ad* 81. inclusive a me exposita, & pro sua æquitate pronunciet.

alii volunt, S. Fulgentius sub nomine Augustini) in cit. Canone *Firmissime tene*, asserit pertinere ad Fidem, quod tales parvuli sint sempiterno igne puniendi. Nemo autem audebit dicere, dogma Fidei esse, quod tales parvuli sint cruciandi æterna pœna sensus, sed solum quod sint damnati, & puniendi æterna pœna damni: adeoque S. Augustinus, seu S. Fulgentius sub nomine S. Augustini, nomine *ignis* pœnam damni ibi significare intendit; Unde Glossa supracitata *in dicto Canone Nulla* sic ait: *Carentia visionis Dei est pœna ignis, de qua intelligendus est Canon*: Firmissime tene.

78 Objiciunt tertio dicentes, quod pueri passuri saltem sint tristitiam ad amissionem gloriæ consequentem, quia, ut arguit Bellarminus *loc. c. c. 6.* ubi hanc defendit opinionem, ex apprehensione privationis æternæ felicitatis naturaliter sequitur aliqua tristitia: sed tales infantes cognoscunt, seu cognoscent se privatos esse æterna felicitate, quia quamvis nunc fortasse nesciant se propter peccatum originale excludi a Regno Dei, scient tamen in die judicii, in quo hoc Mysterium eis revelabitur, ergo &c.

79 Respondetur cum Scoto *loc. cit.* quod relictis variis aliis responsionibus ab aliis datis, & videndis apud Mastrium *loc. c. num.* 174. *&* 175. tales infantes non sunt tristaturi de amissione æternæ felicitatis, quia erunt contenti de statu suo, scientes Deum de se ita disposuisse; nec suo actu id aliquando demeruisse. Tum quia, ut dicit S. Bonav. *dist.* 33. *art.* 3. *q.* 2. tales infantes non sunt habituri tristitiam de dicta amissione felicitatis, seu gloriæ æternæ, quia causas solatii habebunt, quæ eamdem impediant, v. g. quod non peccaverint peccato actionis ex una parte, & quod non patiantur pœnam ignis, ut damnati in inferno, ex alia; pro quo rationem satis idoneam affert S. Doctor, quia nimirum infantes constituti sunt a Deo in statu quodam medio inter Beatos, & damnatos; quare opus fuit, ut ex una parte Beatitudine carerent, sicut damnati, & ex altera nullum haberent dolorem, sicuti Beati; Ex quo fit, ut licet agnoscant se carere Beatitudine, ad quam fuerant ordinati, & ex hac parte magnam habeant tristitiæ occasionem, quia tamen simul agnoscunt se evasisse gravissimas inferni pœnas, & peccata mortalia, quasi in æquilibrio sunt constituti, ut non doleant de ea Beatitudinis amissione, sed potius gaudeant de pœnarum inferni evasione, quam rationem ceteris probabiliorem existimat Arriaga *d.* 52. *sect.* 3.

80 Hic juvat adducere distinctionem locorum, in quibus recipiuntur animæ ex hoc mundo decedentes, ut optime declarat S. Bonav. *in* 4. *dist.* 45. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. ubi ait, quod loca animarum sunt in duplici differentia; est enim locus gloriæ, scilicet Cœlum, & quia Caritas, quæ meretur gloriam, est unius speciei, ideo iste locus non subdividitur; Alius autem est locus pœnæ, qui dicitur infernus, generaliter accipiendo nomen inferni; Est autem locus iste pœnalis dupliciter, scilicet secundum pœnam damni, & secundum pœnam sensus, & utrumque membrum dividitur. Illi enim, qui puniuntur pœna damni, aut simpliciter, & æternaliter puniuntur, & sic locus iste dicitur Limbus puerorum cum solo Originali decedentium; aut ad tempus, & sic locus illorum est superior, qui dicitur sinus Abrahæ. Similiter illi, qui puniuntur pœna sensus, aut puniuntur æternaliter, & sic istorum locus est infernus proprie dictus inferior aliis; aut ad tempus, & sic istorum locus est Purgatorium, quod est locus aliis superior secundum legem communem, & ordinariam; & subdit tandem S. Bonav. *l. c. q.* 2. quod post Christi adventum vel in Paradiso, vel in Inferno, vel in Limbo, vel in Purgatorio, animæ Defunctorum recipiuntur, ergo secundum veriorem, & probabiliorem sententiam animæ puerorum cum solo Originali decedentium in Limbo recipiuntur, & detinentur, non autem in Inferno, etiam post diem judicii, & in perpetuum; Unde auctoritates Scripturæ & SS. Patrum, quæ dicunt, animas puerorum cum solo Originali decedentium in Infernum descendere, vel in Inferno detineri, non sunt intelligendæ de Inferno proprie dicto, qui est locus damnatorum, sed de Inferno generaliter sumpto, ut significet quemlibet locum inferiorem in visceribus terræ existentem; Sicuti aliæ quoque auctoritates Scripturæ, & Patrum, quæ locum, in quo purgantur animæ justorum, appellant Infernum, quæ tamen de tali Inferno proprie dicto, qui est locus Damnatorum, non sunt intelligendæ, ut magis ostenditur sub verb. *Purgatorium*. Sic ex Divo Bonaventura habet expresse Mastrius *Theolog. Moral. disput.* 28. *q.* 3. *art.* 3. *num.* 69.

Pœna debita decedentibus cum peccato actuali 81
mortali, est pœna æterna, tam damni, quam sensus; & quidem de pœna damni, quæ in Beatificæ visionis privatione consistit, satis constat ex illo *Matthæi* 8. ubi de reprobis, & peccatoribus dicitur, quod *ejicientur in tenebras exteriores*; De pœna vero sensus habetur ex *Matthæi* 25. ibi: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*; & sic de variis aliis similibus, quæ non juvat hic in longum adducere; cum hoc sit de Fide.

Pœna debita decedentibus cum solis peccatis 82
venialibus non est æterna, sed solummodo temporalis. *Communis, & de Fide*. Difficultas solum est de peccatis illis venialibus, cum quibus decedunt etiam peccato mortali obnoxii; an scilicet peccatum veniale conjunctum peccato mortali puniatur in Inferno pœna æterna, vel temporali?
Thomistæ cum D. Thoma 3. *par. q.* 87. *art.* 4. *ad* 3. te- 83
nent, tale peccatum veniale puniri pœna æterna, cum in Inferno nullus, neque remissioni, neque redemptioni sit locus. Scotistæ vero cum Scoto *in* 4. *distinct.* 21. *quæstion.* 1. asserunt, peccatum veniale, sive in hac vita remissum quoad culpam, sive non, sola temporali pœna etiam in Inferno remitti posse, nedum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Et quidem de peccato veniali in hac vita remisso quoad culpam, non vero quoad pœnam, est ratio evidens, quia qui solvit rem, quam debet, a debito illius omnino liberatur, adeoque damnatus, qui totam tem-

temporalem pœnam veniali correspondentem patitur in Inferno, vere liberatur a debito illius pœnæ, cum passione illius solvat, & patiatur totum id, quod solvere, & pati debebat. Idem dicendum est etiam de peccato veniali non remisso in hac vita quoad culpam, quia peccatum veniale, quamvis non remissum quoad culpam, tantum est dignum pœna temporali, & determinata, quam vere solvit qui patitur in Inferno, & passione illius temporalis pœnæ extinguitur debitum illius pœnæ.

84 Nec valet dicere, quod damnatus in Inferno existat in peccato mortali, adeoque non possit solvere debitum pro culpa neque veniali. Non valet, inquam, quia, licet damnatus in Inferno existat in peccato mortali, adhuc vere solvit debitum pro culpa veniali, quæ est solum digna pœna temporali, sive jam ipsa culpa venialis fuerit remissa in hac vita, sive non; Deus enim semper punit citra condignum, & esto quod secundum rigorem justitiæ puniret ad condignum, omnino injustum esset æternam pœnam infligere pro peccato veniali, cui secundum se solum pœna temporalis debebatur. Vide Mastrium *in 2. sent. disp. 6. de peccatis quæst. 8. per tot. & in Theol. moral. disp. 25. num. 53. & 54.* ubi multa ad rem.

85 Sensus autem illius Catholici axiomatis: *Quod in inferno nulla est redemptio*, est solum, quod nulla sit spes inde evadendi, juxta illud *Lucæ 16. num. 26.* ibi: *Hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Unde nihil facit, sive ibi aliquod veniale remitti possit, aut aliqua pœna venialis, vel etiam mortalis jam hic dimissi, sive non. Vide Mastrium *cit. q. 8. num. 222. & 223. & cit. disp. 25. numer. 54.*

(*) Quid vero ad hæc reponant Thomistæ, & quibus fundamentis eorum sententia nitatur, vide apud Cardinalem Gotti *in Tractatu de Vitiis, & Peccatis quæst. VII. dub. IV.* & alios, ex quibus Gotti duplicem propositionem statuit, primam: *Peccatum veniale non remissum quoad culpam in hac vita, & conjunctum cum mortali per accidens punietur in Inferno pœna æterna, quamvis ex se pœna solum temporali puniendum esset*: alteram: *Valde probabile est, peccatum, sive mortale, sive veniale, remissum quoad culpam in hac vita non puniri in Inferno pœna æterna, sed temporali tantum.* (*)

86 Circumstantiæ peccati. Vide verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art. 2. n. 100.*

87 Peccatum lethale mortua constituit bona opera, quæ in eo fiunt, & jam facta reddit mortificata. Vide verb. *Pœnitentia art. 3. n. 8.*

Additiones Romani Theologi.

88 Circa advertentiam ad malitiam peccati, quæ *num. 17.* & sequentibus, plena a P. Lucio desideratur, ut homo mortalis culpæ sit reus, notare necesse est, atque distinguere: *Primum posse esse peccatum mortale imputabile sine advertentia actuali malitiæ.* Nam falsum omnino est nunquam graviter peccari, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ut per plenum, & firmum judicium intellectus de malitia objecti deliberet, ac vitandi peccati desiderio extimuletur. Hæc doctrina firmissimis argumentis ex Scriptura depromptis fulcitur. Primo, absurdum enim est a peccato excusare persecutores Apostolorum, qui tamen præviam mentis illustrationem circa illius peccati malitiam non habebant, nec illud vitandi desiderio stimulabantur: cùm potius hac in persecutione obsequium se præstare Deo arbitrarentur, juxta illud Christi Discipulos alloquentis oraculum: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: & hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Secundo, Apostolus, dum persequebatur Ecclesiam, procul dubio graviter peccabat, ut ipse fatetur 1. ad Timotheum 1. *Fui blasphemus*, inquit, *& persecutor, & contumeliosus.* Sed præviam illam animi illustrationem & attentionem ad actionis pravitatem non habebat, immo potius se laude dignum ob illud facinus existimabat, dum se abundantius supra coætaneos suos paternarum traditionum æmulatorem agnoscebat, juxta illud Epistolæ ad Galatas *cap. 1. Audistis conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Non ergo necesse est ad peccatum, ut attendat peccator ad actionis pravitatem. Tertio, idem probat Christi Domini pro suis crucifixoribus oratio, *Luc. 23. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* At tantum abest, ut se prave agere arbitrarentur, quin potius justitiam se adimplere existimabant, cum Christum seductorem & malefactorem haberent, non Dominum gloriæ cognoscerent. Quarto, illos peccare certum est, quos Deus *dimisit vias suas ingredi*, quosque *tradidit in desideria cordis eorum*: At illi non modo ad actionis pravitatem non attendunt, nec desiderii ab ea abstinendi stimulis agitantur: quin potius cum gaudio, & ostentatione quadam, nefaria perpetrant facinora. Non est igitur necesse ad imputationem peccati, ut homo ad ejus pravitatem attendat, ejusque vitandi desiderio moveatur, His omnibus expletis; *S. Bernardus* in Tractatu ad *Hugonem a S. Victore* probat in magnis ignorantiæ tenebris eos versari, qui peccari posse per ignorantiam non agnoscunt. Adde illa Psalmorum Oracula: *Psalm. 9. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt illius viæ in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus. Psalm. 49. Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Psalm. 71. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.*

Confirmatur ex *S. Augustino, lib. 1. Retractationum cap. 15. Nam & qui nesciens peccavit*, inquit, *non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit; ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique sicut definita est, ani-* 89

mi

mi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non admittendum vel adspiciendum. Quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: Ita nec peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit: Hoc enim factum est quod fieri non debuit. At si necessaria esset attentio ad actionis pravitatem, numquam peccaret, qui nescit peccatum esse quod facit, neque sola facti voluntate, sed etiam voluntate peccati, quodlibet peccatum esset voluntarium.

90 Iterum confirmatur ex eodem S. Doctore. Manichæis affingebat Julianus Pelagianus errorem illum, quod a peccato immunem esse dicerent eum, qui flagitium aliquod perpatraverit ad malitiam ejus non attendens, nec repugnante conscientia illud committens, immo exultante id perpetrans audacia, & quasi se bene agere existimans. Quid ad hæc S. Augustinus? De Manichæis ipsis id credere refugit, cæterum assertionem horret ut Catholicæ Fidei repugnantem, Libro 4. contra Iulianum Pelagianum, *cap.* 8. *Quid autem ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas, si quis homicidium conscientia formidante commiserit, reus est, quia timuit: Si autem aliquod facinus exultans perpetrarit audacia, velut credens se ex fide facere, quod male facit, evasit culpam? Quod quidem nunquam audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris: cum hoc Catholica Fides non dicat, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus?* Præterea, hanc Propositionem; *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur*, plerique Galliarum Episcopi, & Parisiensis Accademia, *Falsam esse, & viam aperire ad excusandas excusationes in peccatis*, olim pronuntiarunt. Non minus erronea est illa Propositio: *Peccatum Philosophicum seu Morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Quæ propositio Atheos, & Infideles omnes, & peccata quantumvis gravia perpetrantes, nec non Christianos excæcatos, & obduratos, a peccato absolvit, a pœna immunes facit: ut felicior illorum conditio hac ex parte videatur, quam Fidelium, qui Deum noverunt, & nondum in illam cæcitatis abyssum prolapsi sunt. At vero, Paganos in ignorantiæ tenebris sedentes, peccata nihilominus æterna pœna digna commisisse, testatur Apostolus ad Ephesios 4.

91 Ostendi potest etiam ex aliis absurdis. Superflua certe diceretur paterna Dei erga nos sollicitudo, inutilis caritatis divinæ Filium Unigenitum pro salute hominum dantis commendatio censeretur, labores Apostolici pro revocandis ab errore hominibus, ut vani abjicerentur, si prava illa opinio recepta esset. Ad quid enim verbi divini Prædicatores in Regiones remotissimas proficiscuntur, si Gentes Christianorum dogmatum insciæ nullatenus Deum offendant, nec peccata mortalia & æterna pœna digna committant; immo in salutis discrimen vocentur documentis & adhortationibus Concionatorum, qui illos ad cogitandum de Deo, & de Lege Divina excitant, quam alias sine mortalis peccati, & æternæ pœnæ reatu violarent, ut peccati Philosophici inventoribus aut propugnatoribus visum est? Non esset cur parentes de sua filiorumque salute solliciti, tam sedulam in illorum institutione operam collocarent; cur Pastores e sacris Pulpitis verbum Legemque Dei tam accurate exponerent. Siquidem homines in ignorantia Dei Legumque divinarum relicti, voluptatibus tranquillo servirent animo, & absque peccati formidine. Denique tam exiguus non esset Electorum numerus, tam *arcta non esset via, quæ ducit ad vitam*. Non diceret Propheta *Psal.* 110. *Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt*. Quæ verba Sanctus Hilarius expendens in Psalmum 118. Littera 20. *Non habet veniam*, inquit, *ignoratio voluntatis, quia sub scientiæ facultate nescire, repudiatæ magis quam non repertæ scientiæ est reatus. Ob id enim longe a peccatoribus salus est, quia non exquisierunt justificationes Dei: cum non utique ob aliud consignatæ litteris maneant, quam ut ad universorum scientiam notionemque defluerent.*

Merito itaque Alexander VIII. Pontifex Maximus distinctiunculam illam peccati Philosophici & 92
Theologici, & opinionem, quæ hoc veluti cardine nitebatur, damnavit ut *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam*; Excommunicationem ipso facto incurrendam, Sedique Apostolicæ reservatam tulit in eos omnes, qui hanc Propositionem atque opinionem docuerint, defenderint, ediderint, aut de ea etiam disputaverint, publice, seu privatim (nisi forsan impugnando) tractaverint. In virtute denique Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii omnibus Christi Fidelibus prohibuit, ne damnatam Propositionem ad praxim deducant, Decreto edito die vigesima quarta Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo.

Deinde ne ex Luciana Doctrina decipiaris, 93
præter ea quæ ex Summa Alexandrina hactenus recensuimus, placet etiam hæc alia ex P. Antoine subnectere, quo facilius valeas gravia peccata distinguere, ac declinare. Ait itaque: Ad Mortale, etiam secundum se imputabile, sufficit advertentia virtualis, & interpretativa malitiæ, aut periculi illius, consistens in eo quod quis possit ac debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat. Quia 1. malitia actus secundum se ei merito imputatur, qui debuit & potuit illum advertere, & vitare actum, cui annexa est. Nam ei malitia satis voluntaria est, & libera, cum potuerit & debuerit ab eo vitari. Ut malitia secundum se imputetur, ex communi sententia sufficit consensus voluntatis interpretativus, cum scilicet voluntas potest, & debet repudiare objectum malum, & non repudiat. Ergo

go etiam sufficit advertentia interpretativa: nam ad peccatum imputabile non minus requiritur consensus voluntatis, quam advertentia rationis. 2. Peccatum mortale est libera transgressio præcepti graviter obligantis; Sed ad talem transgressionem sufficit advertentia virtualis interpretativa: nam talis transgressio est libera hoc ipso quod posita est defectu advertentiæ actualis, quæ potuit & debuit haberi: hoc ipso enim talis transgressio ita posita est, ut potuerit non poni a voluntate. Advertentia virtualis & interpretativa est ea, quæ quidem non habetur, sed haberi potest, ac debet. Sed qui legem violat, quam potuit ac debuit cognoscere, perinde se habet moraliter, & in æstimatione prudenti, in ordine ad imputabilitatem etiam moralem (licet non tantam, quando advertentia non est affectata) ac si eam actu cognosceret; ac proinde non excusatur a peccato etiam mortali. *Paulo aliter*. Advertentia interpretativa est ea, cujus privatio est culpabilis, cum ipsa potuerit, ac debuerit haberi, ac proinde non excusat a peccato actiones & omissiones secutas contra legem, cum ipsa sit culpabilis; nec tollat voluntarium indirectum, ac interpretativum sufficiens ad culpam, nec culpa possit quemquam excusare. Igitur malitia actus merito imputatur voluntati, hoc ipso quod actus malus procedit a voluntate libere & scienter, vel cum vincibili ac culpabili ignorantia aut inadvertentia agente. 3. Vincibilis ignorantia seu carentia cognitionis habitualis, non excusat a peccato. Ergo multo minus excusat inconsideratio & inadvertentia vincibilis: nam (ut ait Suarez) ignorantia non refertur ad voluntarium vel involuntarium ratione habitualis scientiæ qua privat, sed proxime & immediate ratione actualis considerationis quam tollit: quia voluntas non movetur proxime & immediate ab habituali cognitione, sed ab actuali. Inadvertentia autem erit vincibilis & voluntaria, hoc ipso quod potuit, & debuit pelli per advertentiam; sicut ignorantia habitualis est vincibilis & voluntaria, hoc ipso quod potuit & debuit depelli per inquisitionem veritatis.

94 Equidem nihil est volitum quin præcognitum, & voluntarium est id, quod est a principio intrinseco cum cognitione; sed cum cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. Nam ad voluntarium indirectum, & interpretativum sufficit cognitio virtualis, & interpretativa. Item cum actus moralis definitur actus, qui libere fit cum advertentia ad regulam morum, intelligi debet advertentia vel actualis, vel virtualis, & interpretativa, alioqui definitio mala est, cum non conveniat omni actui morali, nempe peccato commisso ex ignorantia, vel inadvertentia vincibili.

95 Advertentia virtualis & interpretativa adest, cum quis potest & debet advertere ad præceptum, seu obligationem, vel malitiam actus, & tamen non advertit. Potest tamen advertere, quando ex aliqua conditione præsenti ejusdem, vel alterius objecti, aut circumstantiæ, prudenter ac circumspective agendo, deveniret in cognitionem malitiæ, quam novit quidem habitu, sed actu non advertit. Tunc enim habet sufficiens principium discurrendi & considerandi, an actus sit licitus vel illicitus. Et si hoc non cognoscit aut considerat, male consultat & imprudenter agit: unde merito illi imputatur peccatum, quod inde sequitur. Nam in omni deliberatione humana primo considerandum est, utrum res liceat, nec ne: eodem enim præcepto, quo tenemur vitare peccatum, & servare legem, tenemur adhibere advertentiam & considerationem, cum sine ea lex observari nequeat.

Hinc in iis, quæ intrinsece mala sunt & contra Legem naturalem, ad virtualem advertentiam malitiæ moralis habitualiter notæ sufficit, ut consideretur ipsa actio secundum se, seu ut quis mere advertat quid agat. Nam hoc ipso facillime excitari potest actualis cognitio malitiæ, utpote habentis cum illa intrinsecam connexionem si considerate & sine præcipitatione agatur, ut notat Suarez. In iis vero, quæ non sunt per se mala, sed vetita solo jure positivo, quamvis semper sufficiat consideratio ipsarum actionum secundum se, cum non habeant intrinsecam connexionem; tamen si quis non laboret ulla ignorantia habituali præcepti, regulariter sufficit, ad excitandam cognitionem malitiæ, si, qua par est, consideratione & mora in agendo procedatur. Possunt & alia principia deliberandi in talibus rebus occurrere, ut si quis non cogitans de die abstinentiæ, videat alios vesci cibis quadragesimalibus; vel die festo nihil cogitans de Sacro, audiat festivum campanarum pulsum, aut videat populum ad templum accurrentem. Ex his aut similibus excitari potest cogitatio præcepti: quæ tamen si adhibita sufficienti attentione & consideratione non habeatur, tunc inadvertentia erit naturalis, & invincibilis, qualis esse solet in timoratis & circumspectione agentibus: in aliis autem plerumque est vincibilis & culpabilis. Quod si malitia non sit habitualiter nota, tunc actus est culpabilis, si ignorantia sit vincibilis, quia hæc non excusat a peccato. 96

Responsio Auctoris.

Circa ea, quæ hic notat & tradit *Theologus*, quo ad plenam advertentiam a me desideratam, ut homo mortalis culpæ sit reus, sufficit mihi, ultra ad id probandum adducta *ibi* argumenta, & allegatos classicos Auctores, superaddere, quæ recol. mem. Benedictus XIII. in Appendice ad Concilium Rom. in Instructione in forma dialogi inter Confessarium & Pœnitentem, tradit, *part.* 1. sic expresse, *ibi*: Penit. Come ho da conoscere, se il peccato è mortale o veniale? Confess. Se l'offesa è contro la carità di Dio, o del Prossimo, in cosa grave, e l'avete fatta con piena avvertenza, e deliberata volontà, il peccato è mortale; ma se l'offesa è in cosa leggiera, (eccettuati alcuni casi, ne quali la leggierezza della materia non iscusa da colpa grave,) o benchè sia in cosa grave, se l'avete fatta senza la piena avvertenza, o senza la piena deliberazione, è peccato veniale. Quid, quæso, clarius? 97

(*) Nihil

(*) Nihil quidem clarius, ut evincatur ad peccatum mortale requiri, ut aliquis plane ad actionem, quam elicit, advertat; non autem ut evincatur requiri, ut plane advertat actu ad malitiam illius actionis: aliter nullus peccatis ex ignorantia vincibili profectis locus est.

PECCATUM CONTRA NATURAM. Vide verb. *Luxuria a n. 33. ad 70.*

PECCATA CAPITALIA.

---

1 PEccata Capitalia communiter cum S. Greg. *lib. 3. moral. c. 31.* enumerantur septem, indicata hac dictione *Saligia*; singulis litteris ordine indicantibus litteras initiales peccatorum. Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia,
2 Acedia. Dicuntur autem *Capitalia*, vulgo etiam *Mortalia*, non quod de se semper mortalia sint, sed quia ab istis alia peccata oriuntur, & instar Capitis, quod fluit in membra, ipsa influunt in alia peccata, ut inquit S. Greg. *loc. cit.* Siquidem ex his septem Capitalibus peccatis frequentius cetera peccata oriuntur secundum rationem causæ finalis; quamvis nonnulla ex illis causis interdum non oriantur. Quid autem, & quale peccatum sit quodlibet ipsorum; Vide sub proprio cujuscumque verbo, scillicet sub verb. *Superbia*, verb. *Avaritia*, verb. *Luxuria*, verb. *Invidia*, verb. *Gula*, verb. *Ira*, verb. *Acedia*.

PECULATUS.

---

1 PEculatus est species furti, quo vel pecunia ad Ærarium publicum, aut Fiscum Principis pertinens, vel pecunia Sacra, aut Religiosa subripitur ab eo, cujus fidei non est commissa, *l. Lege Julia Peculatus 1. l. Lege Julia Peculatus 4. §. 1. & 7. l. Sacrilegii 9. §. 2. ff. Ad Legem Juliam Peculatus, & §. 9. Instit. de publicis Judiciis.*
2 Et sic quando ex publica pecunia aliquid aufertur, occultatur, & quomodolibet defraudatur, committi dicitur Peculatus. Ludov. Gilleausen *in arbor. Judicior. Crimin. cap. 29. num. 7.* Valenz. *cons. 10.* Santelic. *dec. 285. num. 5. 29. & seq.* Bugiot. *Inst. Crimin. l. 2. tit. 19. numer. 1.* Ursaya *Instit. Crimin. lib. 2. tit. 3. num. 2.* & alii.
3 Committitur autem tam a Judicibus, & Officialibus publicis de tempore suæ administrationis, & in administratione ipsa publicas pecunias subripientibus, vel eas ab aliis administratas subtrahentibus, quam ab aliis personis privatis non administrantibus subripientibus; *§. 9. Instit. de publicis Judiciis, & l. Judices 1. C. de crimine peculatus*, Farinac. *quæst. 171. n. 64. & seq.* Galeot. *Respons. Fiscal. 22. n. 15. & seq.* Raynald. *tom. 2. cap. 14. §. 21. num. 29. & seq.* Ursaya *loc. cit. num. 3. & 4.* & alii.

Peculatus committitur multis modis juxta casus enumeratos a Raynald. *tom. 2. cap. 14. §. 21. a n. 28. usque ad 42.* & ab Ursaya *loc. c. a n. 5. ad num. 11.* 4
Et primo si quis per semetipsum pecuniam publicam quomodolibet auferat, intercipiat, & exportet, *l. Lege Julia Peculatus 1. ad Legem Juliam Peculatus*. Secundo, si mandet, ut quis auferat, 5
& intercipiat; *cit. l. Lege Julia Peculatus*, ibi: *Neve faciat quo quis auferat, intercipiat*. Tertio, si 6
quis ex metallis Cæsarianis, idest ex virgis aureis & argenteis, quæ sunt Cæsaris, & ad publicam monetam cudendam, vel ad aliud publicum opus destinatis, furatus fuerit, *l. Sacrilegii 6. §. 2. ff. ad Legem Juliam Peculatus*. Quarto, si quis prædam 7
ab hostibus captam subripuerit, *l. Is qui prædam 13. ff. Ad Legem Juliam Peculatus*. Quinto, si quis 8
muros publicos perfoderit, & inde aliquid abstulerit, puta pecuniam, metalla, vel alia pretiosa, vel de materia ipsa murorum aliquid exemerit, & abstulerit; *l. Qui perforaverit 11. ff. ad Legem Juliam Peculatus*. Sexto, si quis publicam tabu- 9
lam continentem formam, & fines agrorum publicorum, & latitudinem, & mensuram viarum publicarum, & Curiarum refinxerit, & aliquid inde commutaverit, vel deleverit; *l. Qui tabulam 8. ff. Ad Legem Juliam Peculatus*. Septimo, si quis etiam 10
privatam pecuniam subripuerit, quæ tamen publica evadere debebat; veluti si quis, quod Fisco debetur, simulans se Fisci Creditorem, acceperit; *l. Sacrilegii 9. §. 3. ff. Ad Legem Juliam Peculatus*.
Octavo, si quis pecuniam Sacram, Religiosam, 11
& quidquid donatum Deo abstulerit, interceperit; *l. Lege Julia Peculatus 4. ff. Ad Legem Juliam Peculatus*.

Pœna criminis Peculatus est a Lege diversimo- 12
de taxata juxta diversitatem personarum ipsum committentium; Si enim committatur a Judicibus, vel aliis Officialibus durante tempore suæ administrationis, hi Capitali pœna puniuntur; *l. Judices 1. C. de crimine Peculatus*, ubi Glossa verb. *Judices*, & verb. *Publicas*, Decian. *lib. 8. c. 28. n. 29. c. 39. n. 6.* Berlich. *conclus. 57. n. 2. lib. 5.* Rovit. *cons. 60. num. 4. lib. 4.* Raynald. *tom. 2. c. 14. §. 21. n. 42.* Ursaya *loc. cit. n. 23.* & alii.

Si committatur ab aliis personis privatis, subri- 13
pientibus pecunias ab aliis administratas, puniuntur civiliter, & criminaliter. *Civiliter*, hoc est, pœna pecuniaria, seu quadrupli; Dummodo lis contestata, vel inquisitio formata sit, vivente ipso delinquente, alias secus. Anell. Amat. *cons. 55. per tot.* Card. de Luca *de Regularibus disc. 119. n. 25.* Ursaya *l. c. n. 25.* & alii. *Criminaliter* vero pœna Judicis arbitraria, seu Deportationis, *l. Peculatus pœna 3. ff. ad Legem Juliam Peculatus*, cum aliis apud Farin. *q. 171. n. 8.* & Rovit. *cons. 60. lib. 5. n. 3.*
Ubi quod quando idem crimen est pluries reite- 14
ratum, tunc devenitur ad pœnam mortis, quod admittit etiam Caball. *resolut. crim. cas. 99. nu. 4.*
Quando vero cum Peculatu concurrit falsitas, a 15
quibuscumque personis committatur, semper intrat pœna mortis, *l. Sciant omnes, C. de his, qui ex publicis rationibus*. Ibique Glossa verb. *Omnibus*, Rovit.

Rovit. *cons.* 60. *num.* 6. *lib.* 3. Ursaya, *l. c. n.* 28. & alii.

16 Reus delicti Peculatus confugitus gaudet immunitate, cum non sit de exceptis in Bulla Greg. XIII. (adde nec in Bulla Bened. XIII.) *Sacr. Cong. Immun. in Neapolitana* 24. *Martii* 1627. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 43. *&* *die* 31. *Januar.* 1628. *eod lib. pagin.* 82.

17 Ex gratia speciali Sanctissimus annuit pro retentione nulliter extracti ex causa Peculatus ab Archiepiscopo, attento quod Princeps suspendit acceptare sententiam Archiepiscopi usquedum audiret sensum Sacræ Congregationis. *Sacr. Congr. Immun. in Taurinen.* 8. *Febr.* 1667. *l.* 1. *Decret. Altoviti p.* 84.

18 Datur facultas Archiepiscopo extrahendi Thesaurarium, & alios Debitores Ærarii Ducalis, & aliorum interesse habentium, uti reos Peculatus, modo constet summarie de veritate facti, & retinendi in carceribus Eccles. ad dispositionem Sacræ Congregationis, & etiam perquirendi, & extrahendi eorum bona in quocumque loco immuni, exceptis Monasteriis Monialium, & Conservatoriis, & consignandi. *Sacr. Congreg. Immun. in Taurinen.* 14. *Junii* 1698. *lib.* 2. *decret. Alt. pag.* 157.

19 Depositarius in alios usus convertens pecunias publicas non tenetur pœna Peculatus, quia pecuniæ, quæ penes Depositarium sunt, ejus periculo subsunt. Ad hoc autem, ut Peculatus verificetur debet fieri pecuniarum furtum ab eo, cujus periculo non sunt, Ursaya *loc. cit. n.* 34. cum aliis ibi citatis.

Additiones ex aliena manu.

20 Interdum, tametsi publica pecunia intervertatur, minime tamen peculatus admittitur; ut si illi interverterint, ad quorum periculum pecunia pertinebat, æditui scilicet, & qui trajiciendam pecuniam acceperunt; *L.* 9. *ff. ad L. Jul. Peculat.* idque, quia eo ipso quod periculum pecuniæ suscipiunt, de accusatione peculatus quasi cum ipsis deciditur.

21 Objici potest, quod Arcarii, & qui Ærario præsunt, peculatum committunt, si vel mutuo dederint pecuniam fidei suæ commissam; *L.* 1. *&* 2. *C. de his qui ex public. ration.* quanto igitur magis si interverterint? quum etiam capite eo casu plectantur, ex *L. unic. C. de crimine peculat.*

22 Tum quod absurdum sit, extra pœnam eos esse, quorum fidei, & periculo pecuniæ publicæ sunt commissæ, quive eas administrant, quum his major peccandi, quam ceteris facultas sit, eo autem gravius punienda delicta, quo major peccantibus delinquendi facultas, atque copia patet.

23 At videndum, ne male confundantur exactores, arcarii, ærario præfecti, Judices denique & administratores pecuniarum publicarum, cum iis denique, quorum periculo ipsæ sunt. Illi administrant quidem, cogunt, curant, non tamen suo periculo; ideoque si quid interceperint, rei fiunt peculatus: Hi autem, quorum periculo sunt pecuniæ, peculatus rei non fiunt, propterea quod, ut dictum mox est, periculo imposito de crimine cum eis decidi videtur, ita ut eam pecuniam, si interverterint, tamquam privati debitores Reipublicæ debeant, non tamquam criminis rei.

Publica pecunia, cujus subtractio locum facit peculatui, est pecunia Populi Romani, non item pecunia Civitatum, secundum Papinianum *in L.* 81. *de Furtis*, ita ut subtracta pecunia hac Civitatum, furti, non peculatus actio competat. At Imperatores Trajanus, & Hadrianus etiam ad pecunias Civitatum accusationem peculatus produxerunt, *L.* 4. *§. ult. ff. ad L. Jul. peculat.* quo jure utimur. 24

Pœna peculatus ex lege Julia erat aquæ, & ignis interdictio: Constitutionibus vero Principum capite plectitur, qui peculatum committit; *L. unic. C. hoc tit.* Et frustra hanc pœnam, ut duram, improbavit Leo *novell.* 105. Defenditur enim rigor utilitate publica, quæ tanta est, ut nisi peculatores severissime puniantur, numquam defuturæ sint hirundines, quæ corpus Reipublicæ sanguine, & nervis destitutum relicturæ sunt. 25

PECUNIA. Vide verb. *Emptio artic.* 1. *num.* 8. *&* 9.

PEDAGIUM, SEU GUIDAGIUM. Vide verb. *Gabella num.* 9.

PEDOMANTIA. Vide verb. *Superstitio numer.* 23.

PENSIO, PENSIONARIUS.

Pensio est ita dicta, vel quia penditur, idest solvitur, nam & quælibet annua solutio dicitur Pensio, & ipsius Pensionis solutio dicitur Pensatio, ut cum multis notat Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastici univers. cap.* 1. *num.* 2. Vel dicitur Pensio a pendeo, quia dependet formaliter a Beneficio, a quo detrahitur, sicut ususfructus a proprietate, ut notant Card. *in Clementin.* 1. *de supplend. negligent. Prælator.* Barbosa *loc. cit.* & expresse Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. ad audientiam* 35. *de Rescriptis num.* 49. per text. *in cap. Quicumque* 12. *q.* 2. *cap. Possessiones* 16. *q.* 1. *cap. Final. de Pignoribus*, *&* *cap. Quamvis* 4. *de præbend. in* 6. 1

Pensio dividitur in Laicalem, & Clericalem. *Communis*. Pensio *Laicalis* est, quæ datur ob ministerium temporale, aut aliam temporalem causam, & ista convenire potest nedum Clericis, sed etiam Laicis, ut v. g. Oeconomis Ecclesiæ, Cantoribus, Organistis, Ædituis, & aliis hujusmodi. Pensio Clericalis, seu Ecclesiastica econtra est, quæ Clericis auctoritate Superioris Ecclesiastici justis de causis constituitur, ipsisque solis competere potest. Et de hac sola Clericali in præsenti est sermo, & non de Laicali. 2

Pen-

3 Pensio Clericalis subdividitur in duas species: una est, quæ assignatur in titulum Beneficii Ecclesiastici, prout accidit cum Ecclesia redditibus abundat, & caret suffragio Ministri, & auctoritate superioris statuitur, ut ibi sit unum Beneficium perpetuum, v. gr. perpetua Vicaria pro Clerico, cui assignetur Pensio, seu portio fructuum ejusdem Ecclesiæ annuatim percipienda, ut habetur *cap. Conquerente 6. de Cleric. non resident.* & docent Abbas *in cit. cap. Conquerente num.* 1. *&* 5. Anton. de Butrio *in* 1. *notabil.* Petr. de Ancharan. *num.* 2. & Joann. de Imol. *in* 1. *notabil.* Fagnan. *in cit. cap. Ad Audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 42. *& seq.* Reiffenst. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 5. *num.* 86. *&* 87. dicentes expresse, quod, cessante fraude, super fructibus Ecclesiæ potest constitui certa Pensio nomine Beneficii, & sic potest super uno Beneficio creari aliud; dummodo primo Rectori remaneat tantum, unde honeste sustentari valeat, & dummodo id non fiat in fraudem, quo casu est locus prohibitioni Concilii Generalis *in cap. Extirpandæ* 30. §. *fin. de præbend.* ubi statuitur; *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, pensionem alicui quasi pro Beneficio conferre præsumat.*

4 Alia est Pensio, quæ nomine Pensionis communiter intelligitur, & ea est, quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus alicujus Beneficii, justaque de causa cuipiam assignatur aucto-
5 ritate superioris. Et Pensio sic accepta definitur, quod sit *Ius percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio auctoritate superioris Ecclesiastici cuipiam Clerico justa de causa constitutum. Est in re Communis.*

6 Pensio Clericalis primo modo accepta, & collata in titulum est vere & proprie dictum Beneficium Ecclesiasticum, ut probatur *in cit. cap. Conquerente 6. de Cler. non resid.* & tenent expresse Covarruvias *pract. quæst. cap.* 36. *num.* 10. *vers. Quarto quoties*, Cardinal. *in Clementin.* 1. §. *Eadem nu.* 4. *vers. Sed quatenus est Beneficium, de supplend. negligent. Prælat.* Reiffenstuel *loc. cit. num.* 90. Fagnan. *loc. cit. n.* 44. *&* 46. ubi cum aliis ibi citatis indubitanter infert, quod de tali Pensione facienda est mentio in Rescriptis Beneficialibus perinde ac de Beneficio.

7 Nec refert quod appelletur Pensio, quia non est vis in nomine, quando constat de re; Tali enim Pensioni, utpote datæ in titulum, atque tribuenti Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis integre convenit definitio Beneficii. Ancharan. *in cap.* 1. *n.* 5. *vers. Si igitur prædictæ conditiones, de Regul. Juris in* 6. Abbas *consil.* 46. incip. *Illud de Jure quæritur vers. Quartum consideretur lib.* 2. Caccialup. *de Pensionibus quæst.* 12. Gigas *de Pensionibus quæst.* 1. *n.* 1. *& quæst.* 28. *n.* 20. *& quæst.* 96. *num.* 23. Redoan. *de Simonia* 2. *par. cap.* 14. *num.* 11. Cardinal. *loc. cit.* Ancharan. *loc. cit.* Abbas *loc. cit.* Covarruv. *loc. cit.* Fagnan. *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 91. & alii.

8 Pensio Clericalis secundo modo accepta, scilicet constituta ad tempus in materia odiosa, non venit nomine Beneficii, bene tamen in materia favorabili. Sic expresse Fagnan. *in cit. cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis a n.* 117. ubi cum fusissime præmisisset contrarias Doctorum opiniones, tandem *n.* 117. *& seq.* easdem hac ratione conciliat & addit *n.* 120. *&* 134. quod hanc distinctionem inter materiam odiosam, & favorabilem sæpius probaverit *Sac. Cong. Conc.* quod ipsum repetit *in cap. Cum in cunctis* 7. *de electione n.* 103. *& seq.* & Gregor. XIII. proposito sibi dubio a Sacra Congregatione *die* 19. *Jul.* 1577. respondit in materia favorabili, ut est illa Privilegii Fori, appellatione Beneficii venire Pensionem. Unde *die* 8. *Augusti ejusdem anni* 1577. Congregatio Generalis, cum essent sibi hæc relata, dixit servandam esse hanc distinctionem, & ita rescribendum, prout refert idem Fagn. *in cit. cap. Ad audientiam n.* 134. & Reiffenst. *loc. cit. a n.* 92. *ad* 98. ad longum variis adductis id probans.

Pensio hujusmodi potest imponi, vel Personæ 9
Beneficiarii, vel Beneficio. Pensio tunc imponitur personæ Beneficiarii, quando ea imponitur soli personæ Clerici gravati, ita ut talis obligatio solvendi non transeat in successorem ipsius in Beneficio, sed cum se ipso solo extinguatur, ut est casus *in c. Nisi essent*, 21. *de præbend.* Tunc autem pensio imponitur ipsi Beneficio, quando imponitur ad vitam Pensionarii, ita ut transeat etiam ad Successores ejus in Beneficio, quandiu vixerit ille, cui Pensio constituta fuit. *Communis.*

Papa potest ex rationabili motivo, ac dispen- 10
sando in Jure communi omnibus præfatis modis Pensionem Beneficiis imponere: *Communis*, per text. *in c. Licet* 2. *de præb. in* 6. ubi habetur, quod *Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, & Clementin. Si duobus* 1. *Ut lite pendente* §. *final.* ibi: *Salva tamen in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum plena, & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere.*

Hinc Papa potest Pensionem super quocumque 11
Beneficio imponere, etiam nulla causa expressa, cum in Beneficiis plenissimam habeat potestatem per *citatos textus*, & de jure possit secundum plenitudinem potestatis supra Jus dispensare, *cap. Proposuit* 4. *de concessione præbend.* ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare.* Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de præbend. in* 6. Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 11. *num.* 55. & alii passim. Un- 12
de Papa potest etiam imponere Pensionem super Beneficio Patronato, facta mentione hujus quali-
tatis; Card. de Luca *de Jur. discurs.* 66. *n.* 14. Ex- 13
cepto Beneficio de Jure patronatus Regio, cui Papa derogare non solet; Card. de Luca *loc. cit. n.* 15. cum super Beneficio de Jurepatronatus Regio imponi non soleat Pensio sine consensu Patroni, Card. de Luca *de Jure disc.* 66. *num.* 15. *& de Pensionibus disc.* 58. *num.* 3. *& disc.* 94. *n.* 5. *&* 8.

Episcopus, & quicumque alius Collator Papa 14
inferior non potest novum Censum, vel Pensio-

nem perpetuo Beneficio imponere, neque antiquum Censum, seu Pensionem augere textu expresso *in cap. Probibemus 7. de Censibus*, ibi: *Probibemus, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel ab aliis Prælatis novi Census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur ..... Si quis vero aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur*. Et concordant *cap. Scientes 3. eodem, & Clementin. 1. §. Eadem quoque, de supplenda negligent. Prælator*. Ita Abbas *in cit. cap. Probibemus n. 2. de Censibus*, Fagnan. *in cap. Nisi essent 21. de Præbend. num.46.* Pirhing. *lib. 3. decretal. tit. 39. num. 8.* Engel *ibidem num. 2.* Reiffenstuel *ibid. num. 8. & tit. 12. num. 87.* Barbosa *in cit. cap. Probibemus 7. de Censibus num. 2. & par. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 85. num. 1.* citans alios, & Communem Doctorum.

15 Regulariter loquendo Episcopus nequit conferre Beneficium sub reservatione Pensionis cuipiam persolvendæ. *Communis, ac certa* ex Rubrica, & textu *tituli 12. libri* Tertii Decretalium, ubi pro Regula ponitur: *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur* cum similibus.

16 Potest tamen Episcopus ex causa rationabili Pensionem imponere saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, atque in eam consentientis, cum quo extinguatur Pensio. Glossa *in cap. Audivimus, verb. Pensionem, de collusion. detegend.* Innocentius *in cap. de cetero num. 7.* & Abbas *ibidem num. 2. de transactionibus*, Navarr. *consil. 43. n.4. de Simonia*, Garcias *par. 1. de Benefic. c. 5. n.295. & 296.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. Gloss. 5. §. 7. num. 27.* citans Rotam *in una Melitens. Canonicatus 6. Mart. 1596. coram Millino*, & alias sæpius, Fagnan. *in cap. Nisi essent 21. de præbend. num. 18.* ubi cum pluribus aliis dicit receptissimam sententiam esse, Episcopum Jure suo ordinario posse imponere pensionem ad vitam Tutelaris gravati. Reiffenstuel *cit. lib. 3. decretal. tit. 12. num. 89. & tit. 39. num. 9.* Engel *ibid. num. 3.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par. 3. allegat. 85. n.11. & in cap. Probibemus 7. de Censibus num. 3.* atque ibi Joan. Andr. *num. 1.* Card. de Luca *de Pensionibus discurs. 40. n. 2. & 3.* citans plures alios, & Rotam apud Millin. *dec. 104. dec. 166. num. 5. par. 2. recent.* ubi in specie de Pensione reservata ad favorem pauperis Nepotis studiis operam dantis *& dec. 386. num. 3. par. 5. decis. 94. num. 6. par. 6.* Monacell. *par. 2. tit. 14. formul. 7. num. 5.* Et conclusio nostra desumitur clare *ex cap. Nisi essent 21. de præbend.* ubi Pensio quadraginta librarum alteri litigantium, eo quod Dignitati Prioratus cesserit, per Judices Compromissarios fuit pro *bono pacis, & utilitatis* ordinata, eidem per Priorem confirmatum annuatim porrigenda, quam etiam Papa toleravit, ac confirmavit, ibi: *Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non Dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata. Ne forte circa proventus aliqua videtaur facta sectio Prioratus, ita quod, Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minime teneatur*. Accedit alius notabilis textus *in cap. De cetero 5. de transactionibus*, ibi: *Si compositio non est juri contraria, non est a loci Episcopo reprobanda, sed census absque Episcopali auctoritate, cui præest Ecclesiæ sub hoc prætextu solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedit*.

Talis autem Pensio non potest constitui ab Episcopo in certa quota reddituum (puta in dimidia, vel tertia) ne videatur facta sectio Beneficii contra expressam prohibitionem *in cap. Majoribus 8. & cap. Tuæ 20. de præbend.* sed in certa quantitate fructuum, seu reddituum. Sic Abbas *in citat. cap. De cetero 5. de transactionibus num. 2.* cum aliis ibi citatis, Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent 21. de præbend. num. 37.* cum aliis ibi adductis, Reiffenstuel *loc. cit. tit. 12. num. 98.* Card. de Luca *de Pensionib. disc. 40. num. 2. & discurs. 41. num. 12.* & alii passim. 17

Justæ causæ, propter quas potest Episcopus Pensionem in certa quantitate reddituum imponere personæ Beneficiatæ ad ejus solum vitam duraturam, sunt pro bono pacis, pro aliqua lite componenda, pro studio alicujus Scholaris pauperis, pro utilitate Ecclesiæ, pro pauperibus, & egenis, pro benemeritis, pro usu pio, pro renunciantibus ex causa renunciationis loco alimentorum in quantitate moderata, & non ex pactione partium; Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par. 3. cit. allegat. 83. num. 11. & lib. 3. Jur. Eccles. univers. cap. 11. num. 56.* cum aliis ibi citatis, Card. de Luca *de Pensionibus disc. 40. num. 3.* & alii passim, teste Barbosa *loc. cit.* 18

Justa causa, ut Episcopus reservet Pensionem, est quoque amor, quo ille suum ex Fratre Nepotem prosequitur, vel ut commodius Sacræ Theologiæ, & Sacris Canonibus, seu Sacræ Scripturæ operam dare possit. Barbosa *citat. lib. 3. Jur. Eccles. univers. cap. 11. num. 57.* ad textum *in cap. Dilectio 25. de præbend.* ubi, ipso teste, id notant Doctores, & expresse Rota *par. 2. Recentior. decis. 166. num. 4.* quam citat, & sequitur etiam Card. de Luca *de Pensionibus disc. 40. num. 3.* Rebuff. *de pacific. possess. num. 23.* & alii. Justam similiter causam reputat eadem Rota *in una Meliten. Canonicatus 9. Martii 1596. coram Card. Millino* impressa per Marchesan. *de commissionibus par. 1. §. 1. pag. 611.* quia ille, ad cujus favorem Episcopus Pensionem imposuerat, originarius Melitensis erat, & in Urbe Sacris litteris operam dabat, quæ causa respicit utilitatem, non solum illius particularis Ecclesiæ, sed etiam Universalis, quæ ad suum regimen viris litteratis maxime indiget, cum ab ipsis regatur, & sustineatur, *cap. Super specula, de præbend. cap. Cum ex eo, de election. in 6.* cum similibus, & notant Doctores communiter cum Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. par. 2. allegat. 46. n. 1. & seq.* 19

Episcopus non potest propter prædictas causas Beneficio imponere Pensionem transmissibilem ad Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarii, ita ut post mortem Beneficiarii gravati transeat onus Pensionis præstandæ ad Successorem ipsius in Beneficio; Card. de Luca *de Pensionibus disc. 40. num. 4.* Navarr. *consil. 8. n. 9. de Jurepatronat. & Consil. 43. num. 4. de Simonia*, Flamin. Parisius *de Confidentiis Beneficial. q. 28. num. 120.* Azorius *par. 2.* 20

par. 2. *lib.* 8. *c.* 6. *quæst.* 11. Lessius *lib.* 2. *de justit.* & *jur. cap.* 32. *n.* 206. Sanchez *lib.* 8. *in Decalog. cap.* 29. *num.* 99. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 12. *num.* 92. Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *num.* 40. & *seq. de præbend.* ubi ex professo, ac fusissime hanc sententiam propugnat, & multipliciter probat, scilicet Episcopum ordinaria sua potestate non posse Pensionem imponere transmissibilem ad Successores in Beneficio. Et ratio hujus nostræ conclusionis desumitur clare ex *cit. cap. Nisi essent* 21. *de præbend.* ubi Innocentius III. Papa expresse decernit, quod Pensio pro bono pacis ex jussione Judicum Delegatorum super Prioratu constituta, non debeat vitam ejus, qui solverit, excedere, neque Successorem ad ejus præstationem ullo modo obligari, ne forte circa proventus ipsius Prioratus aliqua videatur facta sectio illius explicitis verbis adductis *supra n.* 16.

21 Contrarium tamen, scilicet, quod ex gravi causa possit Episcopus Pensionem constituere transmissibilem ad Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarii; ita ut post mortem Beneficiarii gravati transeat onus præstandæ ad successorem ipsius in in Beneficio, tenet Felinus *in c. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 2. *conc.* 2. Gigas *de Pensionibus quæst.* 6. *num.* 4. Garcias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 339. Layman *l.* 4. *Theolog. moral. tract.* 2. *cap.* 18. *num.* 3. citans alios adducentes pro sua ratione *cap. De cetero* 5. *de transactionibus*, ubi dicitur: *Sed Census absque Episcopali auctoritate, cui præest Ecclesiæ sub hoc prætextu solutus, vitam ejus, qui solverit non excedat*, ex quibus verbis argumento a sensu contrario desumpto inferunt, auctoritate Episcopi posse excedere. Vide Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de præbend. a num.*40. & signanter *num.* 63. & Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. cit. tit.* 12. *a n.* 61. *ad* 97. ubi ad longum istam sententiam cum suis fundamentis rejiciunt, & enervant.

22 Episcopus in collatione Beneficii convenire non potest, ut pensio solvatur sibi: Hoc enim est Simoniacum, quia omne pactum, & omnis modus, & conditio, quæ Jure non inest adjecta collationi Beneficii, efficit eam Simoniacam, ut *cap. Quam pio* 1. *quæst.* 2. & *cap. final. de pactis*, & in hac specie respondit Navarrus *consil.* 4. *An committatur Simonia, Si Episcopus de Simonia*, & cum multis probat Fagnan. *in cit. cap. Nisi essent* 21. *de præbend. n.* 5. & 18. per textum, ibi: *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum.*

23 Simoniaca est pactio inter partes sine Judice, ut una pars cedat liti super Beneficio, & recipiat Pensionem annuatim ab altera, si pars cedens habeat Jus in causa, alias secus; quia, si altera pars Jus non haberet, non esset aliqua simonia, sed pars potius redimeret vexationem suam, ut dicit Glossa *in capit. Cum pridem verb. Illicitæ pactionis, de pactis*, & pluribus adductis Fagn. *in cit. cap. Nisi essent* 21.

24 Potest Episcopus, cessante pactó partium, in permutatione Beneficiorum mandare, quod recipiens Beneficium pinguius solvat aliquam Pensionem alteri suo tempore duraturam ad coæquandos fructus utriusque Beneficii. Rota *par.* 4. *recent. decis.* 165. *num.* 4. & *Melitens. Canonicatus* 9. *Martii* 1596. *coram Card. Millino*, & *in Albinganen. Confidentiæ* 9. *Martii* 1606. *coram Card. Marquemontio*; Ancharan. *consil.* 279. *Quæstio proponitur vers. ex qua causa num.* 1. Flamin. Parisius *de confident. Benefic. quæst.* 28. *num.* 120. *in princip.* & *in fine vers. ad coæquandum*: Redoan. *de Simonia par.* 2. *cap.* 21. *num.* 34. & *seq.* Stephan. Gratian. *discept. Forens. par.* 6. *cap.* 18. *num.* 1. & 2. Camill. Curt. *de Pensionibus in princip.* Paulus Roman. *de pension. cap.* 4. *num.* 10. Caccialup. *de Pensionib. q.* 13. *num.* 4. Gambarupt. *de Offic. Legati lib.* 6. *num.* 77. Barbosa *de Offic.* & *potest. Episcop. par.* 3. *allegat.* 85. *num.* 11. & *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 11. *num.* 58. & alii contra alios citatos, & secutos a La Croix *lib.* 4. *num.* 1104. Vide *ibi*.

Quamvis de jure illicitum sit, atque simoniacum resignare Beneficium cum pacto, seu conditione apposita parti solvendi pensionem, tamen ex justa, & gravi causa (puta si Resignans est ætate decrepitus, vel infirmus, aut quia pro bono pacis fit resignatio Beneficii litigiosi, & hujusmodi) potest Episcopus Resignanti Pensionem constituere solvendam ipsi ad vitam Clerici gravati, seu consentientis in eam. Colligitur *ex citat. cap. Nisi essent* 21. *de præbend.* & tradit Barbosa *ibidem num.* 8. Fagnan. *ibidem num.* 28. Abbas *in cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 6. Felinus *ibidem num.* 2. Navarr. *cons.* 5. *num.* 1. & 2. *de Simonia*, Piasec. *in prax. Episcopal. part.* 2. *c.* 5. *num.* 64. Garcias *part.* 1. *de Beneficiis cap.* 5. *num.* 295. & *seq.* Reiffenstuel *lib.* 3. *Decr. tit.* 12. *num.* 102. Rota *recent. part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 386. *num.* 10. 25

Immo Resignans existente rationabili causa pro reservanda sibi moderata Pensione, ut securior sit, potest ante suam resignationem Episcopo supplicare; Colligitur ex *cap. Tua nos* 34. *de Simonia*, ibi: *Rogans humiliter*. & docent Engel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 12. *num.* 10. Reiffenstuel *ibid. num.* 105. & alii. 26

Insuper possunt partes prius inter se tractare, atque Resignans super aliqua Pensione sibi danda cum successore amicabiliter componere, non quidem absolute, & quasi per se ipsos illam concludendo (hoc enim esset simoniacum, *cap. Quam pio* 1. *q.* 2. *c. Final. de pactis*, & *cap. Quæsitum* 3. *de rerum permutat.* cum similibus) sed sub conditione relata in consensum Superioris, seu Episcopi, in cujus manibus Beneficium resignatur, ac sese omnimode submittendo ejus liberæ dispositioni. Glossa in *Clement. unica verb. Volentibus, de rerum perm.* Abbas *in cit. cap. Quæsitum num.* 10. *eodem* hanc opinionem appellans veriorem. Navarrus *consil.* 18. *num.* 1. *de Simonia*, Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tr.* 10. *cap. ult.* §. 5. *numer.* 50. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 106. Suarez, Silvester, & alii plures. Cavendum tamen est, ne in his committatur Simonia, cum compositiones, & conventiones pro Beneficiis ad hoc, ut a Simonia excusentur, debeant capere principium ab auctoritate Superioris, & non a pactione, seu a conventione saltem absoluta partium, *arg. cap.* 27

Nisi

Nisi essent 21. *de præbend.* ibi: *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum*, & notant Fagnan. *ibid. n.*5. & Garcias *cit. par.* 1. *de Benefic. cap.*5. *numer.*340. & 343.

28 Episcopus, & quicumque Collator Papa inferior nequit imponere Pensionem super Parochialibus. Sic declaravit per speciale Edictum Innocentius XII. *die* 11. *Novembris* 1692. & per specialem Constitutionem confirmavit & innovavit novissime Benedictus XIII. octavo Idus Septembris 1724. Quæ Constitutio, ut scitu summopere necessaria, hic ad litteram datur.

Constitutio, qua Edictum fel. record. Innocentii Papæ XII. de Parochialibus Ecclesiis Pensionum onere non gravandis confirmatur, perpetuisque futuris temporibus observari mandatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS &c.

„ QUanta Pastoribus animarum, quas Redemptor Noster Jesus Cristus pretiosissimo cruore suo acquisivit, in crediti sibi Gregis regimine adhibenda sit vigilantia, exacti muneris ratio ab ipsis Supremo Pastorum Principi districte reddenda aperte nos docet, dum commissarum Ovium sanguinem, quæ ex Custodum fortasse incuria peribunt, extremi examinis die de illorum manibus severus Judex requiret. Porro inter cætera, quæ animarum Rectoribus Divino præcepto mandata sunt, quemadmodum Sancta Tridentina Synodus recte admonet, illud esse dignoscitur, ut ipsi pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant; hoc est illis, qui inopia laborant, præsertim vero Viduis, atque Virginibus, Orphanis, pupillis, & infirmis, non modo spiritualia debitæ pietatis, & Caritatis Officia tribuant, verum etiam more boni Patrisfamilias, eorum necessitatibus pro viribus subveniant, & quæcumque possunt, temporalia subsidia conferre non prætermittant. Nec sane minorem, immo forte potiorem iidem animarum Rectores adhibere tenentur curam, & diligentiam, ut Parochiales cujusque ipsorum Ecclesiæ, quas maxima decet Sanctitudo, quoties necessitas exigit, a temporis injuriis vindicentur, ac insuper omni cultu, ornatu, atque decore præfulgeant. Quæ quidem omnia a plerisque Parochis, præsertim in Italia (ut diuturno quinquaginta annorum in Episcopatu, licet infeliciter a nobis transactorum experimento satis novimus) præstari, & impleri non possunt, quoniam Parochialia, quæ obtinent, Beneficia gravibus adeo Pensionibus, fructuum reservationibus, aliisque oneribus, ut plurimum, obnoxia sunt, ut ipsis interdum proprio victui necessaria vix supersint, & qui Altari serviunt, de Altari vivere aliquando non valeant.

„ §. 1. Gravem ejusmodi pensionum, onerumque abusum animo secum reputans fel. record. Innocentius Papa XII. Prædecessor Noster, pro eximio zelo suo a Sancta Dei Ecclesia eum submovere curavit, & re ipsa toto Pontificatus sui tempore submovit, ac e medio sustulit, saluberrimo desuper promulgato, typisque dito edicto tenoris sequentis, videlicet: *Bandino del Titolo di San Pancrazio, Prete Cardinale Panciatichi, e della Santità di Nostro Signore Prodatario. Volendo la Santità di Nostro Signore con la sua paterna Carità, e zelo eccitare li Parochi alla maggiore vigilanza dell' anime alla di loro cura commesse, e facilitargli il modo di sovvenire alle necessità delle medesime con più abbondanti elemosine. Quindi è, che per ordine datòci a bocca dalla Santità Sua comandiamo, ed ordiniamo, che per l'avvenire non s' abbiano da aggravare le Parochiali, etiam di Juspadronato Laicale, di Pensioni, e che ciò debba osservarsi ancora dagli Ordinarj nelle proviste, che essi saranno per farne. Inoltre che non si ammettino rassegne, o permute di Parochiali con riserva di Pensioni a favore di chi si sia, e sotto qualsivoglia titolo, etiam di prestazione di alimenti, e che molto meno si riservino pensioni sopra le medesime Parochiali*, sine causa Beneficio pleno *di consenso de' Possessori per qualsivoglia causa, e titolo. Dalla Dataria questo dì* 11. *Novembre* 1692. *Bandino Cardinal Prodatario*. Quod quidem Edictum, tamquam æquitati, justitiæ sacrisque sanctionibus maxime consentaneum, ut omnibus innotesceret, & ab omnibus etiam, quemadmodum par erat, observaretur, Nos, qui tunc præter Cardinalatus honorem, Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ regimini præeramus, in prima nostra Provinciali Synodo ejusdem Ecclesiæ habita anno 1693. tit. 22. cap. 2. expresse memoravimus, ejusque præterea integrum tenorem in Appendice retulimus.

„ §. 2. Verum postquam antedictus Innocentius Prædecessor viam universæ carnis ingressus fuit, præfatum Edictum, utpote temporarium, in desuetudinem abiit, omnique penitus effectu caruit, & Parochiales Ecclesiæ iisdem, ut antea, Pensionibus, aliisque oneribus prægravari cœperunt: quin etiam, sicut accepimus, atque diuturno Pastoralis muneris exercitio abunde comperimus, quorumdam Patronorum laicorum, quibus Jus præsentandi, seu nominandi Rectorem pro tempore earumdem Parochialium Ecclesiarum, occurrente illarum vacatione, cæteroqui legitime competit, impudentia, ac effrænis avaritia, quæ Idolorum servitus est, alicubi eo usque processit, ut ejusmodi præsentationem, seu nominationem velut sub hasta ponere, & (quod dolentes dicimus) licitatori ampliorem Pensionem offerenti polliceri, & addicere non erubuerint.

„ §. 3. Hinc igitur est, quod Nos detestandæ huic Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationi, aliisque præmissis pro Pastoralis Officii nostri debito consulere, ac simul opportune providere volentes, ut antedictis animarum Pastoribus de cætero commodior suppetat modus, nedum suas Parochiales Ecclesias, quotiescumque oportuerit, reparandi, ornandi, sacrisque supellectilibus, ad Divinum cultum necessariis instruendi, sed etiam subveniendi pauperum, alia-

„ aliarumque miserabilium personarum præfatarum indigentiis ex eo, quod honestæ, & congruæ ipsorum sustentationi supererit, ac insuper ipsis incitamentum præbere cupientes, ut suscepti ministerii labores, & incommoda libentius perferant, & Gregi alacrius attendant, in quo positi sunt regere plebem Dei; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione præinsertum laudatissimi Prædecessoris Edictum, omniaque, & singula in eo contenta amplissime confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, ac irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & munimen adjicimus, omnesque, & singulos Juris, & facti, ac alios defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, atque illud, & illas, quatenus opus sit, innovamus, ac instauramus, & ab omnibus, ad quos spectat, ac de cætero quomodolibet spectabit perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcusse observari volumus, statuimus, & mandamus. Reservata tamen Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti facultate, ac auctoritate imponendi antedictis Parochialibus Ecclesiis eas Pensiones, quas Beneficiorum proventus, & locorum, personarumque conditio imponi permiserint, in favorem dumtaxat, & commodum Fabricæ earumdem Ecclesiarum, ad hoc ut illæ ejusmodi certo subsidio promptius reparari, opportune manuteneri, & congruis etiam ornamentis, ut præfertur, augeri possint & valeant.

„ §. 4. Decernentes, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod in præmissis Jus, vel interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, ac auditi, causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, vel in aliis quibusvis de causis quantumvis urgentibus, ullo unquam tempore a quoquam de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quolibet, quantumvis magno, formali, & substantiali defectu, notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quæsito prætextu, vel colore in controversiam vocari, ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, vel gratiæ remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, concesso uti nullatenus posse, sed easdem præsentes litteras semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non memoratis animarum Rectoribus plenissime suffragari; Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Nuncios, & quosvis alios qualibet auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocumque functuros in qualibet causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet in quocumque judicio aliter judicandi, ac interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritumque, inane, nulliusque prorsus roboris, vel momenti, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

„ §. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Ordinationibus quibuscumque, ac illa præsertim fel. recordat. Pii IV. de gratiis qualecumque interesse Cameræ Nostræ Apostolicæ concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, itaut easdem præsentes Litteras ibidem exhiberi, & registrari nunquam necesse sit; aliisque quibuscumque Apostolicis, & in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis, ac edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus, statutisque, Decretis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibusvis tenoribus, & formis, etiam motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu qualibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

„ §. 6. Volumus autem &c.

„ §. 7. Nulli ergo omnino hominum &c.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quarto, Octavo idus Septembris Pontificatus Nostri anno primo.

P. M. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Vica-

29 Vicarius Episcopi non potest vi sui Officii imponere Pensionem. Garcias, Sbroz, Bero, Leurenius citati, & secuti a La Croix *lib.* 4. *numer.*1123.

30 Legatus a latere potest idem circa impositionem Pensionum, quod potest Episcopus. Azorius, Garcias, Filliucc. Castropal. Leurenius citati, & secuti a La Croix *loc. citat. numer.*1123.

31 Collatores inferiores, item Compromissarii, & judices non possunt nisi auctoritate Episcopi; Garcias, Leurenius citati, & secuti a La Croix *l. c. n.* 1123.

32 Superiores Regularium possunt pensionem imponere in Beneficiis suæ Religionis manualibus, amovibilibus, seu incorporatis suis Monasteriis, & per Vicarios administratis. Barb. *l.* 3. *Juris Eccles. univers. c.*11. *num.*61. Abbas *in c. Nisi essent* 21. *de præb. n.* 12. La Croix *loc. cit. n.* 1123. *& alii*. Rota *in Trojana Pensionis* 24. *Junii* 1610. *coram Pirovano*.

33 Præceptor Generalis Militarium potest imponere pensionem in Commendis suæ Religionis spectantibus ad ipsum ad favorem Religiosorum, sive Equitum ejusdem Religionis. Rota *in una Montis Falisci Pensionis* 10. *Junii* 1630. *coram Pirovano*. Barb. *loc. cit. num.*62. & in specie, quod Magnus Magister Religionis Hierosolymitanæ possit illam reservare super Commendis, vel Dignitatibus. Card. de Luca *de Pensionibus Disc.* 42. *per totum*.

34 Laicus de jure est capax Pensionis temporalis. Rota *recent. part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 50. *num.* 22. &
35 Communis Doctorum. Immo de Jure communi est capax etiam Pensionis Ecclesiasticæ, quando non confertur in titulum: Rota *recent. part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 450. *n.*3. Card. de Luca *de Pensionibus disc.*10. *n.*5. *disc.*78. *n.*10. *disc.*81. *n.* 25. *disc.* 95. *n.* 3. & alii.

36 Ex stylo tamen, & observantia Curiæ non conceduntur pensiones, nisi Clericis cum exercitio, seu privilegio Clericali. Rota *recentior. part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 450. *num.* 20. 21. 31. *&* 34. *& decis.* 450. *num.* 4. *& decis.* 539. *num.* 6. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 2. *sub num.* 3. *disc.* 78. *num.*11. *disc.* 81. *num.* 21. *disc.* 82. *num.*9. *&* 10. *de Benefic. disc.* 94. *num.* 3. Annot. *ad Concil. disc.* 12. *num.* 5. Sanctus enim Pius V. expresse statuit, quod Pensiones Ecclesiasticæ non possint concedi Laicis. Sic in Constitut. 73. incip. *Sacrosanctum*.

37 Sicuti Laici non sunt capaces Pensionis Ecclesiasticæ, ita neque illius commoditatis, seu perceptionis fructuum. Rota *recent. part.* 5. *tom.* 2. *de-*
38 *cis.* 539. *num.* 17. *&* 19. Papa vero potest Pensiones etiam Laico reservare. Rota *part.* 4. *tom.* 1.
39 *decis.* 12. *sub num.* 3. Prout eidem Laico concedi potest facultas retinendi Pensionem. Rota *part.*5.
40 *tom.* 2. *decis.* 450. *num.* 25. Quinimmo ubi Pensio Ecclesiastica concedatur alicui tamquam Laico, tunc si sit Bigamus non eget alia dispensatione. Rota *par.* 5. *t.*1. *dec.*12. *n.*39.

41 Pensio conferri potest puero septennali. *Sacra Congregat. Concil. in Nullius* 24. *Martii* 2624. *lib.*13. *Decret. fol.* 123. Ursaya in 1. *Miscellan. Sacr. & profan. litt.P. num.* 137. qui *ibi num.* 144. subjungit, quod Pensionis capax est puer annorum septem. *Imolen. Pensionis anni* 1694. de qua *in tom.*3. *part.*1. *discept.*32. ubi ad rem plura habet per totam. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *fomul.* 7. *n.*3. & multi alii citati a Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.*11. *num.* 42. & a Ventriglia *tom.* 2. *Annot.*11. §. 1. *num.*28. ubi testantur ex stylo Dataria sufficere septem annorum ætatem ad obtinendam Pensionem.

Filii Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt 42
Matrimonio, non possunt obtinere Pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel obtinuerunt. Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. ibi: *Nec Pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere*. Rota recent. *part.*2. *decis.*549. *num.* 4. & fuit dictum *in Meliten. Pensionis* 14. *Martii* 1604. *coram Buratto*, & tenent expresse Barbos. *supra Conc. l. c. n.* 32. *& de offic. & potest. Episc. part.*3. *alleg.*65. *n.*26. *& lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 11. *n.* 64. & plures alii ibi citati.

Filius autem legitimus potest obtinere Pensio- 43
nem super Beneficio, quod Pater obtinet de præsenti, non obstante Concil. Trident. *c. sess.* 25. *c.* 15. *de reform.* Sic *Sacra Congreg. Concil. die* 11. *Januar.* 1601. apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb: Pensio n.* 5. *& in Concil. Trid. loc. cit. num.*33.

Pater Clericus habens facultatem, Pensionem, 44
quam possidet, transferendi, illam transferre potest in filium Clericum, etiam illegitimum, dispensatum simpliciter ad Beneficia, & Pensiones, quia Concil. Trident. *loc. cit.* loquitur de Pensione reservata super Beneficio, quod habuit pater. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. Gloss.*5. *num.* 22. *&* 23. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastic. univers. cap.* 11. *num.* 66. *& de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 65. *num.* 27. *& in Tridentin. loc. cit. num.* 35. cum pluribus ibi citatis, ubi refert, quod *Sacra Congregatio Concilii in Zamorensi* 9. *Novembr.* 1619. censuit, Clericum reservatarium pensionis annuæ scutorum 200. super Ecclesia, quam ipse nunquam obtinuit, posse transferre medietatem ad favorem sui Filii illegitimi, & sic etiam *in alia sub die* 15. *Septembris* 1629. ut refert etiam *in Summa lac. cit. num.* 6. *& in Trident. loc. citat. num.*25.

Milites Lauretani ex peculiari privilegio possunt 45
retinere pensionem Ecclesiasticam usque ad summam ducentorum Ducatorum auri de Camera, non obstante Matrimonio contrahendo, & Bigamia. Sixtus V. Constitut. incip. *Postquam Divina Clementia*, & alia incipient. *Ad exequendum*, & alia incipient. *Solet Apostolicæ Sedis*. Rota *in Hieracensi Pensionis* 21. *Junii* 1531. *coram Verospio*. cujus dispositio vindicat sibi locum, non solum super Beneficiis liberæ Collationis, sed etiam Jurispatronatus, etiam Principum, & Regum. Rota *in Terulensi Pensionis* 15. *Septembr.* 1600. *cor.Card. Sacrato*.

Milites SS. Mauritii & Lazari, etiamsi con- 46
trahant

trahant Matrimonium, dummodo cum unica tantum, & Virgine, remanent capaces retinendi pensiones usque ad summam Ducatorum 400. auri de Camera. Clemens VIII. Constit. incip. *Decet*; ubi ad id moderatur, limitat, & reducit facultatem retinendi Pensiones pro summa Ducatorum 580. auri eis prius concessam a Pio IV. Constitut. 95. §. 48.

47 Milites Sancti Stephani retinent Pensiones usque ad summam 400. Ducatorum auri de Camera, non obstante Matrimonio contracto, & Bigamia; Paulus V. Constitut. incip. *Dum generus*.

48 Milites etiam Bigami militiæ Christianæ possunt recipere Pensiones usque ad summam Scutorum 300. Urbanus VIII. Constitut. incip. *Inscrutabiles*.

49 Equites Hierosolymitani, seu Melitenses capaces sunt Pensionis super Commendis, & Beneficiis suæ Religionis, & Magnus Magister habet amplissimam facultatem a Statuto imponendi tales Pensiones. Rota recent. *part. 16. decis.* 152.
50 *num.* 13. & patet ex dictis *supra num.* 33. Sunt autem incapaces Pensionis Beneficio sæculari impositæ. Lotter. Leurenius citati, & secuti a La Croix *lib.* 4. *num.* 1145. vide verb. *Hierosolymitani Milites num.* 16. ubi fuit probatum, Equites Melitenses sine dispensatione Pontificia non esse capaces Pensionis super Beneficia Ecclesiastica, sicuti nec capaces Beneficii sæcularis, & mediante Pontificia dispensatione fieri capaces, sicuti alios Regulares.

51 Regulares non possunt obtinere Pensionem super Beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & vacantibus per Professionem. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 246. *num.* 2. *&* 6. *& part.* 12. *decis.* 121. *numer.* 1. Card. de Luca *de Beneficiis disc.* 64. *num.* 3. 5. *&* 6. *de Pensionibus disc.* 44. *num.* 2. *& Annotat. ad Concil. disc.* 13. *num.* 2. & Communis aliorum.

52 Nisi præcesserit gratia Apostolica, & dispensatio retinendi Pensionem, etiam emissa Professione, cum dispensatio præservet Pensionem, & removeat omne impedimentum, & incapacitatem ex futura Professione contrahendam, & Regularis, media ipsa dispensatione Apostolica, fiat capax Pensionis super Beneficio sæculari. Doctores communiter *in cap. Cum de Beneficio, de Præben. in* 6. Rota *part.* 12. *decis.* 121. *n.* 2. *&* 3.

53 Religiosi Societatis Jesu post Professionem trium votorum, & ante Professionem quarti voti possunt retinere Pensiones Ecclesiasticas super Beneficiis sæcularibus, quarum Regulares professi sunt incapaces. Card. de Luca *de renunciat. discur.* 17. *numer.* 7. *de Regalibus discurs.* 62. *numer.* 12. *Annotat. ad Concil. discur.* 13. *numer.* 6. Ventriglia *tom.* 2. *Annotat.* 11. §. 3. *numer.* 23. & alii passim.

54 Illegitimus, sicuti est incapax Beneficii Ecclesiastici *ex cap.* 1. *de Filiis Presbyter. in* 6. cum similibus, est etiam incapax Pensionis Ecclesiasticæ: Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 11. *numer.* 26. cum pluribus ibi citatis, & alii communiter.

55 Illegitimus prævia dispensatione ordinatus, eo ipso censetur, & efficitur capax Pensionis, absque particulari dispensatione. Rota *in Veneta Pensionis* 10. *Decembris* 1572. *coram Robusterio*, *in Cæsaraugustana Pensionis* 19. *Februarii* 1595. *coram Gysio*, *in Melitensi Pensionis* 14. *Maii* 1614. *coram Burat.*, & sæpe alibi. Barbosa *loc. cit. n.* 28. & Communis aliorum.

Excommunicatus, Suspensus, Interdictus est incapax Pensionis; Ideo enim præmittitur absolutio Pensionarii ab his Censuris. Leurenius in *Foro Beneficiali par.* 3. *q.* 624. La Croix *lib.* 4. *n.* 1149. & alii passim. 56

Irregularis, quod sit incapax obtinendæ, & retinendæ Pensionis, tenent Barbosa *loc. citat. num.* 46. Ugolin., Zerola, Castropal., Sayrus, Avila ibi citati, Ventriglia *tom.* 2. *Annotat.* 11. §. 1. *num.* 20. cum pluribus ibi citatis, & alii. At quod Irregularitas non causet amissionem Pensionis, tenet expresse Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 47. *num.* 11. dicens, quod neque homicidium voluntarium, vel aliud crimen, quantumvis majoris Irregularitatis inductivum, hujusmodi effectum producit, citans ad id Rotam *in Perusina* 29. *Januarii* 1663. *coram Cerro*. Et de facto Fagnan. *l.* 1. *Decret. in cap. Ad Audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 134. refert *Sacram Congregationem Concilii die* 11. *Julii* 1577. & iterum de mente Sanctissimi *die* 8. *Augusti eodem anno* 1577. quod Clericus homicida voluntarius, ejusque socius obtinere, & obtentas retinere potest Pensiones absque dispensatione, non obstante *cap.* 7. *sess.* 14. Concilii Tridentini. Vide verb. *Homicidium num.* 66. & sic tenent Leurenius *in Foro Beneficiali part.* 3. *q.* 640. La Croix *lib.* 4. *num.* 1175. & alii. 57

Filii, & Nepotes Hæreticorum, & a fortiori ipsi Hæretici, sicuti sunt inhabiles ad Beneficia obtinenda *ex cap.* 2. §. *Hæretici, de hæret. in* 6. ita etiam inhabiles sunt ad obtinendas Pensiones. Barbosa *loc. citat. num.* 43. & alii communiter. 58

Militiæ sæculari operam dantes sicuti sunt incapaces Beneficii, immo ipsum amittunt statim ac declarantur Milites, *ex cap. final. de Cleric. conjugat.* cum similibus; ita etiam incapaces evadunt Pensionis, ipsamque amittunt, si habeant; Barbos. *loc. cit. num.* 50. *Rota coram Celso decis.* 69. *num.* 16. *&* 17. ubi ampliat *num.* 22. locum habere, etiamsi re integra, antequam pugnent, militiam deserant, & primævum statum reassumant, & sic respondit quoque *Sac. Cong. Conc. in Niciensi* 19. *Decemb.* 1648. 59

Sicuti per Matrimonium a Clerico contractum vacant ejus Beneficia *ex cap.* 1. *de Clericis conjugat.* ita vacant ejus Pensiones. Barbos. *loc. citat. numer.* 30. & alii communiter; Rota recent. *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 50. *num.* 10. *part.* 8. *decis.* 33. *num.* 1. Cessat enim Pensio ipso Jure, & est incompatibilis cum Matrimonio, sive Matrimonium fuerit contractum cum Virgine, sive cum Vidua. Rota *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 450. *num.* 6. *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 126. *num.* 12. Nisi Pensio fuerit reservata alicui, non tamquam Clerico, sed tamquam benemerito pro servitiis præstitis. Rota *part.* 2. *de-* 60 61

cis. 387. *num.* 3. Vel nisi dispensatio Apostolica intercesserit. Rota *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 50. *num.* 10. *& seq.* Aut privilegium Apostolicum juxta dicta *supra a num.* 45. *ad* 48. de Militibus Lauretanis, SS. Mauritii & Lazari, & S. Stephani, & Militiæ Christianæ.

63 Sicut per Professionem Regularem in Religione approbata vacant Beneficia, *in cap. Beneficium* 4. *de Regularibus in* 6. ita vacant etiam Pensiones. Barbosa *loc. c. num.* 39. cum communi aliorum. Rota recent. *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 246. *n.* 2. *&* 6. *part.* 12. *decis.* 121. *n.* 1. & patet ex dictis *supra*
64 *n.* 51. *& seq.* Potest tamen Regularis Professus obtinere Pensionem super Beneficio Regulari ad nutum Superioris amovibilem, non obstante voto paupertatis, & præcipue si inservire debat ad sublevandam Religionem ab oneribus, quibus alias Religio gravaretur. Rot. rec. *par.* 2. *decis.* 302. *n.* 2. *&* 3.

65 Sicuti vacant Beneficia per promotionem ad Episcopatum, ita etiam vacant Pensiones datæ in titulum Clericalem; Barbosa *loc. citat. n.* 38. & alii communiter. Rota *part.* 2. *decis.* 143. *n.* 1. *pag.* 18. *tom.* 1. *decis.* 126. *n.* 11. Nisi concedatur a Papa
66 retentio. Rota *ibid. n.* 11. Facultas autem retinendi Pensionem concessa promoto ad Episcopatum non intelligitur cum facultate transferendi, quæ ante promotionem competebat, nisi fuerit expressa. Rota *part.* 2. *decis.* 143. *numer.* 1. Barbosa *loco cit.* & alii passim.

67 Non vacant tamen Pensiones per promotionem ad Episcopatum titularem, seu in partibus Infidelium. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 43. *n.* 3. *disc.* 58. *sub num.* 11. *disc.* 75. *num.* 2. La Croix *lib.* 4. *num.* 1177. & alii passim. Neque vacant per promotionem ad Episcopatum Cardinalitium non obligantem ad residentiam. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 58. *num.* 10. *disc.* 75. *num.* 6. & alii.

69 Per promotionem autem ad Episcopatum non vacant Pensiones, nisi secuta consecratione, & adepta possessione. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 43. *numero* 2. *circa finem* Gratian. *disceptat. Forens. cap.* 296. *n.* 1. *& seq.* Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 11. §. 3. *n.* 32. Seraphin. *decis.* 210. *ubi in fine* concludit, Rotam voluisse ad inducendam extinctionem Pensionis, & vacationem Beneficiorum, requiri utrumque, scilicet consecrationem, & adeptionem possessionis.

70 Pensio non extinguitur per promotionem ad Cardinalatum. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 75. *num.* 4. 5. *&* 9. La Croix *loc. cit. num.* 1177. & alii passim. Amplia, ut reservata ad favorem Cardinalis duret etiam dimisso Cardinalatu. Cardin. de Luca *de Benefic. disc.* 2. *n.* 3. *de Pensionibus disc.* 2. *num.* 4.

71 Neque etiam extinguitur Pensio per assumptionem, seu auspicationem Cardinalis ad Papatum; Lotter. *de re Benefic. lib.* 1. *q.* 41. *num.* 1. *& seq.* ubi id non solum de Jure comprobat, sed servatum fuisse in praxi in multis casibus refert, & tenet Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 11. §. 3. *n.* 36. La Croix *loc. cit. n.* 1177. & alii contra Gabriel. *consil.* 200. *n.* 2. *l.* 2. & Gratian. *disceptat. forens. cap.* 296. *num.* 11. *& seq.*

Pensio excedens summam scutorum 60. de Camera extinguitur eo ipso sine ulla monitione, citatione, Judicis Decreto, aut ministerio, si Pensionarius non deferat Habitum, & Tonsuram Clericalem tanto tempore, ut ab omnibus reputetur Laicus. Sic expresse Sixtus V. Constit. incip. *Pastoralis*, Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 48. *n.* 7. Leurenius *in Foro Beneficial. part.* 3. *q.* 642. Ventriglia *t.* 2. *Annot.* 11. §. 3. *n.* 28. Barbosa *loc. cit. num.* 49. La Croix *loc. cit. num.* 1176. & alii communiter. 72

Si Pensio sit reservata in persona unius, ad commodum tamen, & utilitatem alterius, prout servatur in locis, in quibus viget *Pragmatica, ne Pensiones reserventur ad favorem exterorum*, tunc extinguitur per mortem unius ex his duobus, scilicet, tam per mortem personæ contemplatæ, si præmoriatur, ita ut cum ea remaneant extinctæ omnes obligationes, quam etiam per mortem Reservatarii, in quo actio formaliter radicatur, nisi tamen, qui præmoritur, in alium ante mortem transtulerit. Seraphin. *decis.* 1088. Ventriglia *loc. cit. num.* 15. Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 1. *q.* 36. *num.* 98. *& seq.* Garcias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 266. La Croix *loc. cit. num.* 1179. cum aliis ibi citatis. 73

Pensio potest transferri cum legitima facultate ab una in aliam personam; Leurenius *in Foro Beneficial. par.* 3. *q.* 607. cum communi aliorum. 74
Et tunc ad vitam Pensionarii constituitur novum Jus ad Pensionem. Leurenius *l. c.* & alii communiter. Pensionis translatio fieri potest etiam in articulo mortis. Neque hic locum habet Regula Cancellariæ de infirmis intra viginti dies morientibus. Leurenius *loc. cit. qu.* 616. *&* 622. La Croix *l.* 4. *n.* 1170. & alii passim, patetque ex verbis Indulti concedi soliti. 75 76

Indultum autem, vel facultas transferendi Pensionem, seu concedendi Pensionem, cum facultate illam transferendi in alium, potest concedi a solo Summo Pontifice. Leurenius *l. c. q.* 613. La Croix *l. c. n.* 1170. Parisius, Gamb. Garcias, Castropal. Lotterius ibi citati, & alii passim. Pro transferanda in alium Pensione est sub pœna nullitatis servanda forma translationis præscripta a Papa in Indulto. Leurenius *loc. cit. q.* 660. La Croix *l. c. n.* 1170. Corrad. Lotter. & alii passim. Formula talis Indulti traditur a Card. de Luca *post tractatum de Pensionibus ad ornatum Constitutionis Innocentii XI. de non transferendis Pensionibus ultra medietatem illarum*. Vide *ibi*: In quo Indulto apponitur clausula: *Servata tamen forma Constitutionis Innocentii XI. super translationibus Pensionum edita*. Unde ut ab omnibus præ oculis haberi possit, hic ad litteram datur. 77 78 79

CON-

CONSTITUTIO,

Ut nemini liceat Pensiones, vel fructus Ecclesiasticos transferre ultra illorum medietatem.

INNOCENTIUS PP. XI. &c.

§. 1. *Circumspecta Sedis Apostolicæ Providentia Christi fidelium commodis jugiter invigilans, ea, quæ alias pro Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum exoneratione optimo quidem constituta fuere consilio, si optatus inde effectus minime proveniat, sed gravia potius exoriantur incommoda, in melius commutare, atque reformare studet, sicuti magistra rerum experientia faciendum suadet, ac æqui bonique ratio, nec non Ecclesiarum, & Beneficiorum ipsorum utilitas, & Christifidelium pax, & tranquillitas noscuntur postulare.*

§. II. *Cum itaque dudum fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor noster omnes, & singulas facultates, Indulta, & Privilegia transferendi quascumque Pensiones annuas super Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium Mensarum, & quorumvis Ecclesiasticorum, tam Sæcularium, quam Regularium Beneficiorum, quomodocumque qualificatorum, fructibus, tam certis, quam incertis, ac etiam distributionibus quotidianis reservatas, quæ tamen per extractionem integrarum Pensionum hujusmodi ab ipsis translatariis factam realem, & actualem effectum sortita non essent, pro summa, quæ medietatem veri annui valoris fructuum Mensæ, seu Beneficii, super quibus Pensio transferenda, seu translata reperiretur, excederet, quibusvis personis, etiam Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel alia quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, sive etiam ad favorem quorumcumque locorum piorum, & Collegiorum, quovis intuitu, & consideratione, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis; tam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos, quam ipsum Urbanum Prædecessorem concessa eatenus revocaverit, cassaverit, & annullaverit, ac viribus, & effectu evacuaverit, ita tamen, ut facultates transferendi Pensiones hujusmodi pro ea parte, quæ medietatem fructuum, etiam incertorum, vel distributionum, quatenus super illis essent impositæ, non excederent, firmæ, & illæsæ remanerent: Et insuper voluerit, & ordinaverit, eos, qui prætextu excessus medietatis fructuum, seu distributionum, hujusmodi partem Pensionum translatarum solvere recusarent, ad excessum ipsum probandum teneri, nec interim illius dispositionis prætextu processum executivum, aut solutionem integræ pensionis, quatenus alias illis locus esset, impediri, aut retardari debere, & alias, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Constitutione desuper edita, & in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIV. die XXIV. Januarii publicata, cujus tenorem præsentibus pro pleno, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.*

„ §. III. *Verum cum quotidiano experimento compertum sit, prænarratam Constitutionis hujusmodi dispositionem Ecclesiis, & Beneficiis, Pensionum hujusmodi onere gravatis, illasque obtinentibus, qui excessum medietatis fructuum iisdem Pensionibus gravatorum probare, & interea, donec rei judicatæ effectum desuper obtinuerint, Pensiones ipsas solvere tenentur, parum esse proficuam, & e converso tam transferentibus, quam translatariis Pensionum hujusmodi non modicum afferre incommodum; illis quidem, quod propter ignorantiam, cum veri valoris annui fructuum, & distributionum, tum quantitatis aliarum pensionum desuper reservatarum, frequentissime, ac fere semper dubii sint, & incerti quas Pensiones transferre possint, his vero, quod lites super Pensionibus in eos translatis, quas Ecclesiarum, & Beneficiorum hujusmodi possessores, sub prætextu excessus prædicti impugnant, sustinere, & prosequi cogantur; ita ut ejusmodi litibus discutiendis ac decidendis Tribunalia assidue fatigentur, partes vero ærumnosis dispendiis prægraventur.*

§. IV. *Hinc est, quod nos litibus, & dispendiis hujusmodi ansam præcidere, ac tam Ecclesiarum, & Beneficiorum prædictorum exonerationi, quam illas, & illa obtinentium, nec non eorum, quibus ejusmodi facultates transferendi Pensiones ab hac S. Sede concessæ sunt, & in posterum concedentur, ac illorum, in quos Pensiones ipsæ transferentur, commoditati, securitati, & indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac quorumcumque privilegiorum, indultorum, & facultatum transferendi Pensiones hujusmodi; seu illarum loco fructus, redditus, & proventus Ecclesiasticos reservatos, & reservandos, quibusvis personis, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & Dignitatis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus seu alias specifica, & individua mentione, & expressione dignis, etiam motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, derogationibus, & decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac etiam per Nos, & Sedem prædictam hactenus quomodolibet concessorum, litterarumque Apostolicarum, tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, Cedularum motus proprii desuper expeditarum, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis manu subscriptorum tenores, etiam veriores, & datas, aliaque omnia, & singula, etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pariter pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, exactissime, & accuratissime specificatis habentes: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cetero omnes, & singuli etiam S. R. E. Cardinales, seu quavis alia praeeminentia, & dignitate præditi, & alias quomodolibet qualificati, seu specificam, & individuam mentionem requirentes, quibus ejusmodi Indulta, privilegia, & facultates transferendi Pensiones annuas super fructibus, & redditibus, & proventibus, Juribus, obventionibus, & emolumentis undecumque provenientibus, & in quibuscumque rebus consistentibus,*

tibus, ac distributionibus etiam quotidianis, & manualibus, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Abbatialium, aliarumve Mensarum, ac Dignitatum etiam majorum, & principalium, Personatuum, Officiorum, Præpositurarum, Præpositatuum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumve quorumlibet cum Cura, & sine Cura, Sæcularium, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti Regularium Beneficiorum reservatas, seu illarum loco fructus, redditus, & proventus hujusmodi reservatos, sive per viam cassationis, & novæ reservationis, sive simplicis translationis, seu alias quomodolibet hactenus a Sede Apostolica concessæ sunt, & in futurum tam per Nos, quam per Romanos Pontifices Successores Nostros, & Sedem prædictam concedentur, eorumdem privilegiorum, indultorum, & facultatum vigore dimidiam dumtaxat, seu dimidia minorem partem ipsarum Pensionum, seu fructuum, redditu um, & proventuum illarum loco reservatorum hujusmodi, quas & quos vigore primæ reservationis, seu in eos factæ translationis de præsenti percipiunt, & pro tempore percipient, seu legitime percipere possunt, & poterunt respective, transferre valeant, ita tamen, ut ejusmodi translationes, si servata ceteroquin dictorum privilegiorum, indultorum, & facultatum, ac præsertim quoad quantitatem Pensionum, & fructuum transferendorum, in eis expressam, forma, & dispositione, factæ fuerint, tametsi fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ac distributiones, etiam quotidianæ, & manuales Mensarum, aliorumque Beneficiorum hujusmodi Pensionum, & Fructuum reservatorum oneribus ultra eorum medietatem adhuc gravata remanerent, nihilominus validæ, firmæ, & efficaces existant, nec ex capite excessus medietatis fructuum, aliorumque prædictorum, in vim prædictæ Constitutionis Urbani prædecessoris, quam hac in parte quoad futuras translationes nullius roboris, & momenti fore decernimus, ullo modo impugnari possint, tenore præsentis perpetuo statuimus, & ordinamus.

§. V. Decernentes, easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, &c.

§. VI. Non obstantibus facultatibus, privilegiis, indultis, aliisque præmissis, &c.

§. VII. Ut autem præsentes litteræ omnibus facilius innotescant, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7. Febr. MDCLXXVII. Pontificatus nostri anno secundo.

J. G. Slusius.

81 In qua, ut vides, translatio Pensionis ab habentibus Indultum fieri non potest nisi pro me-
82 dietate. Innocentius XI. *ibi*: Si tamen Indultarius Pensionem transferret ultra medietatem, & summam permissam, translatio non esset nulla, sed solum maneret vitiata in excessu, quia cum sit materia dividua, utile per inutile non vitiatur. Card. de Luca *de Pensionibus disc. 66. n. 66.* Lotter. *de re benefic. lib. 1. quæst. 40. n. 74.* Tondut. *de Pensionibus c. 23. n. 14.* Adden. *ad Burat. decis. 12. litt. F.*
83 Monacell. *tom. 2. tit. 14. formul. 7. n. 7.* Item per translationem invalidam non remanet consumpta facultas transferendi. Garcias *de Beneficiis part. 1. cap. 5. num. 249.* Monacell. *loc. cit. num. 7.* & alii passim.

Translatio Pensionis potest fieri coram omnibus in Dignitate Ecclesiastica constitutis, idest non 84
solum coram Episcopis, aut aliis Dignitatibus, sed etiam coram Canonicis Cathedralium, qui ad hoc dicuntur in Dignitate constituti, ut patet ex verbis ipsis Indulti, ibi: *Ut quicumque loci Ordinarius, vel Canonicus Metropolitanæ, aut alterius Cathedralis Ecclesiæ, vel alia persona in Dignitate Ecclesiastica constituta a te quomodocumque eligendi, vel eligenda.* Tondut. *de Pensionibus cap. 28. num. 30.* Monac. *loc. cit. num. 1.* & alii communiter.

Non habentes ad id speciale privilegium debent 85
pro translatione Pensionis exhibere Executori Indultum; Rota recent. *part. 5. t. 1. decis. 113. nu. 8. part. 13. decis. 142. n. 4.* La Croix *lib. 4. num. 1170.*
Leurenius, & alii passim. Tale autem privilegium 86
transferendi Pensiones sine exhibitione Indulti habent omnes Cardinales, ut patet ex verbis Indulti soliti ipsis concedi, & relati a Card. de Luca *post dict. tract. de Pensionibus*, in quo hæc præcisa verba leguntur: *Seu si tibi magis placuerit, & ita volueris, etiam præsentibus litteris non exhibitis, vel præsentatis Pensionem, seu Pensiones pro summa, & quantitate &c. in unam, vel plures personas, & alias saltem Charactere Clericali insignitas &c. quandocumque tibi placuerit, etiam in mortis articulo nominandas, etiam coram solo Notario, & testibus, transferre possis, concedimus, & indulgemus &c.* Quod privilegium habere etiam Milites Sancti Petri, testantur Tondutus *de Pensionibus cap. 28. n. 31.* & Monacell. *loc. cit. n. 2.*

Translatio autem Pensionis debet fieri in Cleri- 87
cum, qui talis sit tempore translationis, & qui capax esset primo recipiendi Pensionem, nisi in indulto habeatur aliud speciale privilegium. *Communis*, & patet ex citatis verbis consueti Indulti, *& alias saltem Charactere Clericali insignitus.*

Facultas transferendi Pensionem exerceri potest 88
etiam per Procuratorem Indultarii; dummodo persona, in quam est transferenda, sit certa, & nominata ab Indultario. Rota *coram Dunozett. Jun. decis. 208. n. 2. 11. 50. 53. 62. & per tot.* Garcias *de Benefic. par. 1. cap. 5. n. 246.* Tondut. *de Pensionibus cap. 39. num. 5. & 6.* Monacell. *loc. cit. num. 5.* & alii passim.

Pensio translata, est eadem Pensio cum prima 89
& transit in Translatarium cum iisdem privilegiis, quibus utebatur Transferens; Rota *part. 1. recent. decis. 122. n. 10.* Lotter. *de re beneficiaria part. 1. q. 40. n. 346.* Unde etiam illius favore vigent, & intactæ remanent obligationes factæ, & fidejussiones datæ in Pensionis reservatione. Addend. *ad Greg. dec. 445. n. 9.* Addend. *ad Burat. dec. 638. n. 13.* Tondut. *de Pensionibus c. 30. n. 32.* Monacell. *loc. cit. n. 15.* & alii.

Ad translationem Pensionis requiritur consensus 90
Titularis, seu Beneficiati; Rota recent. *part. 13. dec. 142. n. 5.* Adeoque translatio ab initio facta abs- 91
que consensu Titularis est nulla; Rota *ibid. n. 9.* Quan-

93 Quandoque tamen sufficiens reputatur, quod consensus superveniat; Rota *part.* 13. *dec.* 299. *n.* 6. & 7. Nisi aliter habeatur ex mandato Papæ, *ibid. num.* 8.

94 Papa tamen potest absque alicujus consensu ex mera ejus liberalitate transferre Pensionem, & concedendo facultatem illam transferendi dicitur supplere consensum Titularis; Rota *part.* 11. *dec.*
95 247. *num.* 18. & 23. Intellige tamen hoc verum, solum respectu consensus requisiti juxta Regulas Cancellariæ, non autem requisiti vigore pacti inter Titularem, & Pensionarium initi, quia facultas transferendi Pensionem non suffragatur, quando illius translatio est prohibita ratione pacti in illius reservatione appositi; Rota *dec.* 689. *num.* 1. *par.* 4. *divers.* & *par.* 5. *rec. tom.* 1. *dec.* 153. *nu.* 1. & *par.* 11. *dec.* 247. *n.* 17. & 24. Papa enim in fa-
96 cultate translationis Pensionis, derogando simpliciter consensui Titularis, non censetur derogasse speciali consensui illius virtute pacti acquisito, cum derogatio tamquam odiosa non debeat extendi ad alios casus; *arg. cap. Odia* 15. *de regul. Juris in* 6. & pluribus adductis sic expresse tenet
97 Rota *part.* 11. *dec.* 247. *num.* 25. & 26. Unde mentio specifica requiritur pro derogatione pacti inter partes initi, & acceptati, alias subreptio committitur, si in Indulto translationis Pensionis non fuerit narratum Papæ, quod in Litteris reservationis fuerit expresse prohibita translatio, etiam vigore Indulti; Rota *part.* 11. *rec. dec.* 147. *a nu.* 12. *ad* 17.

98 Qui non habet Indultum transferendi Pensionem, potest illam in totum, vel in parte, quoad commoditatem ipsam percipiendi, gratuito libere & sine ullo pacto, & pecunia, sive anticipata solutione, cedere, & remittere ad favorem Titularis, donec naturaliter vixerit, etiam sine Beneplacito Apostolico. Sic expresse Rota recent. *par.* 12. *dec.* 397. *num.* 3. 19. & 20. Card. de Luca *de Pensionibus discurs.* 68. *num.* 6. & *de Regalibus disc.* 37. *sub n.* 9. *in fine*; Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 3. *qu.* 39. *n.* 86. & *seq.* Tondut. *de Pensionibus c.* 17. *n.* 25. & *seq.* Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 12. §. 3. *n.* 38. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 10. & apud ipsum *S. Cong. Conc. in Nullius* 27. *Maii* 1645. *lib.* 17. *decr. pag.* 480.

99 Pensio secundum se non potest sine Beneplacito Apostolico redimi pecuniis, licet istæ dicantur esse veluti anticipatæ aliquot annorum solutiones. Navarr. Gigas, Parisius, Azorius, Garcias, Bonacina, Barbosa, Lotterius, Leurenius citati, & secuti a La Croix *lib.* 4. *n.* 1183. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 6. *n.* 3. *disc.* 11. *num.* 10. *disc.* 80. *n.* 5. dicens expresse, quod extinctio Pensionis facta gratis non exigit Beneplacitum, secus mediante pretio; Ventriglia *tom.* 1. *annot.* 11. §. 3. *num.* 42. ubi dicit expresse, quod de stylo Curiæ, qui facit Legem, & vigore Constitutionis S. Pii V. incip. *Ex proximo*, non potest Pensio vendi, aut redimi sine auctoritate Summi Pontificis, alias incurritur crimen Simoniæ, ut post Azorium, Reginald. Suarez, Filliuc. Layman, Bonacinam, & alios advertit Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. univers. cap.* 11. *n.* 20. & *seq.*

Attamen ipse Barbosa *loc. cit. num.* 25. cum Bo- 100
nacina per eum adducto, dicit absolute Pensionarium absque Simoniæ labe posse alteri vendere, vel donare fructus suæ Pensionis etiam ad totam vitam, modo illius titulum retineat. Quod & videtur tenere etiam Rota *part.* 12. *recent. decis.* 397. *num.* 19. expresse dicens, quod *Pensionis commoditas exigendæ cadit in commercio, recipit hypothecam, & potest libere vendi*, & ad id citat aliam Rotæ *decisionem* 834. *num.* 11. *coram Burat.* Azorium, Suarez, Bonacinam, & Larream. In tali enim casu cessio, seu venditio, aut donatio Pensionis comprehendit solam commoditatem, & Jus casuale ejusdem Pensionis, non autem titulum, & Jus formale, cum talis titulus, & Jus formale Pensionis remaneat semper penes cedentem, ut advertit eadem Rota recent. *part.* 15. *decis.* 8. *n.* 2. Et probabilius cum plurimis aliis tenet La Croix *lib.* 4. *num.* 1184. ubi contra Henriq. Layman, Garciam, Tondut. Lotter. Lucam apud Leuren. *loc. cit. quæst.* 668. tenentes redemptionem Pensionis propria auctoritate factam esse absolute Simoniacam, dicit, quod probabilius tenent plurimi cum Diana *part.* 12. *tract.* 5. *resol.* 5. Haun. *de justitia t.* 6. *tract.* 2. *n.* 564. nullo modo esse Simoniacam; Immo Cajetan. Valent. Tolet. Suarez, Rayin. Less. Castropal. Pirhing dicunt nullum esse peccatum; Pensionem jam antecedenter constitutam redimere anticipate solvendo, quia dicunt, ibi tantum emitur immunitas ab obligatione quotannis solvendi Pensionem, quæ immunitas est quid mere temporale. Idem etiam tenet Felix Potestas *tom.* 2. *par.* 2. *n.* 1381. cum Castrop. Tancr. Ant. a Spiritu Sancto contra Nav. Sotum, & alios, quia, dicit ipse, redemptio Pensionis non est emptio alicujus Juris spiritualis, sed extinctio debiti temporalis; Immo est quædam anticipata solutio, per quam non tollitur, nec dissolvitur Jus, quod Pensionarius habet ad recipiendos fructus, sed perficitur, & completur; Adeoque, qui Pensionem redimit, non emit Jus Pensionarii ad fructus, sed anticipate ei fructus, ad quos habet jus, solvit. *Hæc ille.*

Ast dato etiam, quod vendere fructus Pensio- 101
nis, retento adhuc Titulo, non sit Simonia, tamen hæc venditio non potest ad totam vitam, & pro longo tempore fieri sine Beneplacito Apostolico, cum de stylo Curiæ, qui facit Legem, & vigore Constitutionis S. Pii V. incip. *Ex proximo*, non possit Pensio vendi, aut redimi sine auctoritate Papæ, & sit contra *Extravagan. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienand.* cujus vigore fructus Pensionis non posse vendi, vel locari ultra triennium defendunt Navarr. *consil.* 11. *de rebus Eccles.* Lessius *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 122. *ad finem*, Garcias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 37. Ventriglia *tom.* 1. *annotat.* 1. *num.* 29. & *t.* 2. *annotat.* 11. §. 3. *n.* 42. & alii. Unde tenentes fructus Pensionis, & commoditatem posse vendi, intelligendi sunt, & admittendi solum per triennium, & non ultra, secundum dicta per Garciam *loc. cit. cap.* 5. *n.* 26. & *seq.* & per Ventrigliam *l. c. n.* 42. & per alios.

Pensio debet esse ita moderata, ut congrua su- 102
sten-

stentatio adhuc remaneat Beneficiato; Rota recent.
103 *part.* 5. *t.* 1. *decis.* 287. *num.* 13. Et ideo Papa solet reservare pensiones, dummodo remaneant pro titulari, seu Beneficiato duæ tertiæ partes fructuum: Rota recent. *part.* 11. *decis.* 11. *num.* 15. Quandoque tamen Pensio reservatur usque ad dimidiam partem fructuum; Rota *part.* 19. *tom.* 1. *decis.* 379. *n.* 13. Et sane juxta stylum Datariæ Beneficia solent gravari Pensione ascendente ad medietatem fructuum; Rota *part.* 4. *tom.* 3. *decis.* 536. *numer.* 6. Ultra tertiam vero, aut dimidiam partem reservari non solent Pensiones; Rota *part.* 2. *decis.* 444.
104 *num.* 1. Ita ut Pensio reservata ultra medietatem fructuum sit nulla, & pro nulla declarari debeat; Rota *part.* 16. *dec.* 342. *num.* 2. Gigas, Barbosa, Lotter. Ventriglia, Leurenius *loc. cit. q.* 484. apud La Croix *l. c. num.* 1133. dicentes Pensionem excedentem determinatam quantitatem corruere totam.

105 Hinc clausula solita apponi: *Dummodo pensio tertiam partem, seu medietatem fructuum non excedat*, operatur, ut Pensionarius non possit agere ad Pensionem, nisi prius eamdem clausulam verificaverit, etiamsi Titularis consenserit Pensioni; Rota *part.* 11. *dec.* 288. *nu.* 4. *&* 5. *part.* 8. *dec.* 24. *num.* 2. *&* 3. *part.* 17. *dec.* 24. *num.* 33. *&* 34. Quia dicta clausula qualificat reservationem Pensionis, ita ut non mereatur executionem, antequam eadem qualitas fuerit justificata, seu pensio possit exigi, donec a Pensionario non fuerit justificatus non excessus; Rota *part.* 10. *dec.* 3. *n.* 5. 7. *&* 8. Dicta enim clausula in reservatione Pensionis apposita reddit illam conditionalem; Rota *par.* 17. *dec.* 41. *nu.* 11. Immo non solum reddit illam conditionalem, sed etiam onus probandi transmittit in Pensionarium; Rota *part.* 3. *dec.* 747. *num.* 1. Et sic Pensio reservata cum dicta clausula nullatenus sustinetur, nisi prius illa verificata fuerit; Rota *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 135. *num.* 1. Qua non verificata, corruit reservatio Pensionis; Rota *part.* 11. *dec.* 187. *num.* 10.

106 In impetratione, & impositione Pensionis facienda est mentio, quod Beneficium sit alia Pensione gravatum; Rota *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 49. *n.* 7. Reservatio enim Pensionis super Beneficio alia Pensione gravato plerumque denegatur, vel difficiliter conceditur a Papa; Rota *part.* 16. *dec.* 69.
107 *num.* 4. Pensio autem reservata, nulla facta mentione primæ antecedenter impositæ super eodem Beneficio, dicitur subreptitia, & nulla; Rota *part.* 2. *decis.* 666. *n.* 2. *&* *dec.* 739. *num.* 1. *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 119. *n.* 2. *part.* 7. *dec.* 169. *n.* 1. *part.* 10. *dec.* 107. *n.* 15. *part.* 16. *dec.* 69. *n.* 4. & sæpe alibi; Panimol. *dec.* 136. *num.* 54. cum aliis ibi citatis. Et quidem nulla est ipso Jure, non ope exceptionis, adeo ut nec reviviscat, ubi prima Pensio cesset, etiamsi secunda Pensio motu proprio fuerit reservata; Rota *part.* 7. *dec.* 169. *nu.* 1. 2. *&* 3. Immo corruit in totum. Rota *par.* 7. *cit. dec.* 169. *nu.* 1. *par.* 17. *dec.* 279. *num.* 15. Garcias *de Benefic. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 561. Parisius *de Resignat. Benefic. lib.* 6. *qu.* 2. *num.* 4. Caputaquen. *decis.* 312. *num.* 3. *&* 4. *part.* 2. Panimol. *decis.* 136. *numer.* 54. & alii passim.

Pensio legitime imposita, est a Beneficiato sub 108
mortali solvenda, quia acceptando Beneficium Pensione gravatum, censetur contraxisse cum Pensionario, & se obligasse ad solutionem. Rota recent. *par.* 1. *dec.* 176. *n.* 1. *par.* 3. *dec.* 110. *n.* 14. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastic. univers. cap.* 11. *num.* 70. cum pluribus ibi citatis, Leurenius *in Foro Beneficial. par.* 3. *quæst.* 544. La Croix *lib.* 4. *n.* 1159. cum Azor. Garcia, Barbosa, Castropal. ibi citat. & alii passim.

Si pensiones non sint solutæ a proprio Benefi- 109
ciato, tenentur ejus heredes, & si hi non possint, & Pensionarius probet se fecisse debitas diligentias pro obtinenda Pensione suis temporibus, tenetur successor in Beneficio solvere ipsas ensiones decursas, non solutas ab antecessore, & ad id datur actio Pensionario contra ipsum. Rota *in una Canariensi Pensionis* 15. *Jan.* 1597. *cor. Gypsio*, *in Hispalensi Pensionis* 16. *Decemb.* 1577. *coram Card. Blanchetto*, *&* *in Oseensi*, *&* *Barbastrensi Pensionis* 19. *April.* 1609. *coram Card. Lancellot.* & sæpissime in aliis citatis, *in Neritonensi Pensionis* 10. *Jun.* 1611. *coram Gregorio XV.* impressa per Farinac. *dec.* 352. *n.* 2. *par.* 2. *recent.* & per Bellarmin. *dec.* 507. *n.* 1. & per Campanil. *in divers. Jur. Canon. Rubric.* 11. *cap.* 24. *n.* 20. & sic tenent Gratian. *discept. Forens. cap.* 9. *n.* 59. Garcias *de Benefic. par.* 1. *cap.* 5. *n.* 199. Panimol. *dec.* 134. *n.* 33. *&* *seq.* Barbosa *loc. cit. num.* 72. Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 19. *n.* 5. *&* 14. *disc.* 31. *n.* 8. *disc.* 33. *n.* 4. *disc.* 87. *n.* 2. *&* 7. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 11. §. 2. *a nu.* 42. cum plurimis ibi adductis, & alii passim. Et ratio est, quia onus solvendi Pensionem videtur esse impositum non hujus, vel illius anni fructibus, sed quibuscumque usquedum solvatur Pensio. Tum quia Papa videtur ab initio ad hoc obligasse Beneficiatum, & Successores in Beneficio gravato. Et sic Successores tenentur ad solutionem Pensionis decursæ, non tamquam debitum proprium, sed tamquam debitum Beneficii. Rota recentiorum *part.* 16. *decision.* 231. *numero* 14.

Pensionario moriente ante terminum solvendæ 110
Pensionis, Beneficiarius tenetur solvere heredibus pro rata fructuum perceptorum, vivente Pensionario. Rota apud Coccin. *dec.* 327. *nu.* 1. & apud Cavaler. *dec.* 129. Panimol. *decis.* 134. *num.* 25. *&* *seq.* Riccius *in praxi par.* 3. *resol.* 468. *n.* 1. Bellet. *Disquisit. Cleric. par.* 1. *tit. de Bonis Clericor.* §. 18. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 7. *&* 8. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 81. *n.* 23. *disc.* 138. *nu.* 10. *de Pensionib. disc.* 28. *n.* 3. *&* 4. & alii passim dicentes hoc idem servandum esse, quando Camera Apostolica, mediante spolio, defuncto succedit; debetur enim Cameræ, ubi adest usus spoliorum. Panimol. *dec.* 134. *n.* 32.

Annus pro solvenda Pensione incipit currere a 111
die constitutæ pensionis, & terminat eadem die sequentis anni. Rota *part.* 15. *recent. decis.* 356. *num.* 3. Leurenius *loc. cit. quæst.* 561. La Croix *loc.*
cit. num. 1164. & alii communiter. Locus, in quo 112
solvi debet pensio, est ordinarie, ubi situm est Beneficium, & ubi fructus percipiuntur, nisi aliter in Litteris reservationis sit dispositum, Leurenius *loc.*

loc. cit. qu. 562. Bartol. Garcias, Corrad. Castrop. citati, & secuti a La Croix *loc. cit. num.* 1164. & alii passim.

113 Pensio imposita in pecunia solvenda est in pecunia debita, nec Beneficiatus liberatur solvendo aliam, per textum in *l.* 2. §. *Mutui datio ad fin. ff. Si certum petatur*; ubicumque enim deducta est qualitas in stipulationem, ea est præstanda; nec potest solutio fieri in diversa, per textum in *l. Cum quid ff. Si certum petatur*, per Baldum *in d. l.* 2. §. *Mutui datio n.* 3. & in terminis Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 1. *q.* 39. *n.* 172. *& seq.* Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 26. & alii passim. Vide verb. *Moneta n.* 19.

114 Esset tamen admittenda solutio in alia specie pecuniæ, quando esset penuria qualitatis monetæ promissæ, & debitæ, & quando Pensionarius nullum damnum reportaret ex mutatione, sed omnino conservaretur indemnis. Rota *in una Cremonensi Pensionis* 15. *Iul.* 1589. *coram D. Orano*, *arg. cap. Olim* 20. *& cap. Cum Canonicis* 25. *de Censibus*, Ventriglia *loc. cit. n.* 26. Lotter. *loc. cit. num.* 174. *&* 175. & alii communiter. Vide verb. *Moneta n.* 20.

115 Pensio simpliciter, & distincte constituta, & reservata in Ducatis, aut in Scutis, nulla facta mentione, an sint Ducati de Camera, vel monetæ usualis; an sint Scuti aurei, vel argentei; solvenda est in Ducatis, seu Scutis monetæ usualis regionis, & exiguioribus, & minus gravantibus Beneficiatum, per textum *in leg. Nummis indistincte legatis* 75. *ff. de Legatis* 3. ibi: *Nummis indistincte legatis*, *hoc receptum est*, *ut exiguiores legati videantur*, *si neque ex consuetudine Patrisfamiliæ*, *neque Regionis*, *unde fuit*, *neque ex contextu testamenti possit apparere*; *leg. Semper in obscuris de Regul. Juris*, ubi in obscuris, quod minimum est, debetur, & in dubio semper pro Debitore judicandum est, *l.* 1. §. *Cui certum*, *& leg. Cum certum*, *ff. de aur. & argent. legat.*

116 Si autem ex usu, vel ex Regione, vel ex contextu Litterarum reservationis possit haberi interpretatio, de qua specie Summus Pontifex intellexit, tunc in illa specie facienda est solutio, per textum expressum *in cit. leg. Nummis* 75. *de Legatis* 3. *Communis* cum Ventriglia *loc. cit. num.* 28. Vide ipsum ibi multa adducentem ad rem *sub num.* 29. *&* 30.

117 Pensio reservata in Ducatis Cameræ, si solvatur in Curia, debet solvi in Ducatis auri de Camera, & pro eis Scuta auri in auro cum additione unius Julii juxta formam Litterarum Apostolicarum: si autem solvatur extra Urbem in aliis Regionibus, ubi difficulter reperiuntur aurea, sufficit, quod fiat solutio in alia moneta valoris æquivalentis. Rota *part.* 4. *tom.* 1. *decis.* 430. *num.* 1. & sæpe alibi, Ventriglia *loc. cit. num.* 27. & alii passim. Vide verb. *Moneta num.* 20. Aurea autem de Camera æstimantur in ratione Juliorum quatuordecim, nec ab eorum valutatione recedendum est de tempore gratiæ. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 488.

119 *num.* 1. Quomodo autem solvenda sit Pensio, quando valor monetæ, qui erat tempore reservationis pensionis, fuit alteratus, & mutatus? Vide dicta sub verb. *Moneta a n.* 13. *ad* 17.

Pensio exigi non potest ante expeditionem Litterarum Apostolicarum; & si ante fuerit exacta, redditur nulla, stante Decreto in reservatione apponi solito: *Vigore Litterarum Apostolicarum desuper conficiendarum*, *nec ante*; *alias præsens reservatio sit nulla*. Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiastic. citat. cap.* 11. *num.* 98. La Croix *lib.* 4. *num.* 1168. Card. de Luca *de Pension. disc.* 22. *num.* 3. *disc.* 29. *num.* 3. *disc.* 30. *num.* 9. *disc.* 40. *num.* 7. *disc.* 44. *num.* 9. *de Benefic. disc.* 64. *num.* 10. *& Comm. aliorum*. Rota *part.* 2. *recent. decis.* 392. *numer.* 1. *part.* 3. *decis.* 78. *num.* 4. & sæpe alibi. Dicuntur 121 autem Litteræ expeditæ, quando sunt plumbatæ. Rota *part.* 3. *decis.* 68. *sub num.* 4. & sæpe alibi; Barbosa *loc. cit. num.* 100. cum pluribus ibi citatis. Debita tamen Pensio post expeditas Litteras, est 122 solvenda a die reservationis, non autem a die expeditionis ipsarum Litterarum, quamvis expeditio sit in conditione posita. Rota *recent. part.* 5. *tom.* 2. *dec.* 539. *n.* 16. Leurenius *loc. cit. qu.* 585. Card. de Luca & alii.

Pensionarius sub onere non faciendi fructus 123 suos, sed restituendi, tenetur quotidie recitare Officium B. M. V. ex Constitutione 135. S. Pii V. incip. *Ex proximo*. Barbosa *loc. cit. num.* 11. cum pluribus ibi citatis; Ventrigl. *tom.* 2. §. 2. *num.* 86. & alii communiter, dicentes Pensionarios teneri ad recitationem Officii B. M. V. sub eadem pœna, sub qua Beneficiati tenentur ad recitationem Officii Divini. Satisfacit tamen Pensionarius si recitet 124 Officium Divinum, & omittat Officium B. M. V. Barbosa *loc. cit. num.* 13. Ventriglia *loc. cit. num.* 86. Bonacina *de Horis Canonicis disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 10. & alii passim. Insuper Clericus 125 in Sacris, vel habens Beneficium, & Pensionem satisfacit suæ obligationi unica recitatione Divini Officii, etiamsi omittat Officium parvum B. M. V. Barbosa, Ventriglia, Bonacin. locis citatis, & alii passim. Pensionarius, cujus auctoritate Aposto- 126 lica est redempta pensio in totum, non obligatur ad Officium B. M. V. quia S. Pius obligat solos Pensionarios, qualis hic non est, cum dimiserit totaliter Jus Pensionis auctoritate legitima Papæ. Bonacina *loc. citat. num.* 11. La Croix *lib.* 4. *numer.* 1156. Barbosa *loc. cit. sub num.* 14. & alii. Secus autem, si auctoritate propria admittat tan- 127 tum aliquas anticipatas solutiones, quia hic revera remanet adhuc Pensionarius, cum adhuc retineat Jus Pensionis. La Croix *loc. cit. n.* 1156. & alii passim.

Quando Pensio est reservata in capite, seu 128 persona unius in commodum, & utilitatem alterius, ille dumtaxat ad Officii recitationem obligatur, in cujus commodum Pensio reservata est. Barbosa *loc. citat. numer.* 12. Bonacina *loc. citat. numer.* 7. Ventriglia *loc. citat. num.* 86. & alii passim.

Pensionarius ex redditibus Pensionis impositæ 129 super Beneficio tenetur pro rata concurrere ad Ecclesiæ reparationem, sicuti tenetur ipse Titularis, seu Beneficiatus; Nisi Pensio ita imposita fuerit, ut ab omni prorsus onere libera solvatur. Panimoll. *decis.* 6. *adnotat.* 8. *num.* 53. Navarr. *consil. unico de Eccles. ædificand.* relat. per Barbos. *de Offic. & po-*

& potest. Episcop. allegat. 64. *num.* 18. Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 11. §. 2. *num.* 1. *& sequ.* cum pluribus ibi citatis. Rota recent. *part.* 9. *tom.* 2. *de-*
130 *cis.* 343. *num.* 32. Nisi enim Papa exemerit Pensionem a quibuslibet oneribus, & impositionibus, tenetur Pensionarius ad onera, quæ in dies imponuntur super Beneficiis. Rota recent. *part.* 3. *de-*
131 *cis.* 407. *num.* 3. Immo ubi agatur de Pensionibus super Beneficiis Religionis Hierosolymitanæ impositis, Pensionarius, etiamsi sit Cardinalis, tenetur ad onera ejusdem Religionis. Rota *ibidem nu-*
132 *mer.* 16. Prout in casu contributionis tenetur Pensionarius contribuere pro rata pensionis. Rota *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 23. *num.* 4. Adeoque tenetur ad solutionem decimarum, & onerum præstandam Principi, nisi fuerit specialiter derogatum. Rota *part.* 5. *tom.* 1. *dict. decis.* 23. *num.* 31. Atque etiam concurrere debet ad necessarias impensas reparationum. Rota *part.* 19. *tom.* 2. *decis.* 343. *num.* 32.
133 Unde generaliter tenetur Pensionarius pro rata Pensionis contribuere ad omnia onera Beneficii, nisi Papa addiderit, quod pensio sit omnino libera, immunis, & exempta: Azor. Barbosa, Lotter. Leuren. citati, & secuti a La Croix *lib.* 4. *num.* 1158.

134 Pensionarius habens Pensionem ultra valorem 60. Ducatorum auri de Camera, tenetur deferre vestes Clericales Talares sub pœna privationis; Sixtus V. Constitut. 92. incip. *Sacrosanctam*.

135 Pensionarius habens pensionem solitam concedi Clerico, gaudet privilegio Fori, etiamsi non deferat Habitum, & Tonsuram. Sic Barbosa *de Offic. & potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 12. *num.* 8. cum pluribus aliis ibi citatis, asserens id decidisse Sac. Congregationem Concilii, *& de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 57. *num.* 151. ubi affert præcisum Decretum Sacræ Congregationis Concilii, & testatur se vidisse, & legisse ejus Originale, *& in Summa Apostolic. decis. verb. Pensio n.* 4. ubi expresse dicit, quod Pensionem obtinens habetur pro Clerico Beneficiato ad effectum privilegii, & Fori exemptionis, & refert sic decidisse Sacram Congregationem Concilii *sub die* 18. *Decembris* 1595. & item *in Portugallien.* 10. *Aprilis* 1622. Sperell. *decis.* 66. *num.* 34. ubi etiam ipse asserit sic decrevisse Sacram Congregationem Concilii, ob quam decisionem varii sentientes contrarium se retractarunt, & novissime D. Riccius *in sua Synopsi Decretorum Sacræ Congregationis Immunitat. verb. Pensionarius num.* 1. præcisis his verbis afferens Decretum ejusdem Congregationis, ibi: *Pensionarius censetur Beneficiatus ad effectum fruendi privilegio Fori, etiamsi non incedat in Habitu, & Tonsura. Perusina* 20. *Febr.* 1652. *lib.* 4. *Decret.*
136 *Paul. pag.* 175. Contrarium tamen, scilicet non gaudere privilegio Fori Pensionarium, nisi deferat Habitum, & Tonsuram, sustinent Azeved. *lib.* 1. *num.* 5. *vers. Sed an Pensio tit.* 4. *lib.* 1. *novæ recopil.* Flamin. *de Resignationibus lib.* 1. *q.* 11. *num.* 70. Garcias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 70. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. *num.* 6. & alii apud Barbosam *in cit. allegat.* 12. *num.* 8. afferentes etiam pro se aliam Decisionem Sacræ Congregationis, & novissime Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 14. ubi dicit sic decrevisse *Sacr. Congreg. Concil.* 6. *Jun.* 1622. & late idem Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad d. tom.* 2. *a n.* 150. *ad* 154. ubi etiam pro se allegat plures Doctores, inter quos Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 232. dicens ibi adducere ad id declarationem Sacræ Congregationis Concilii; Qui tamen Fagnanus, si ibi attente legatur cum declaratione dictæ Sacræ Congregationis, immo & cum declaratione Sanctissimi, aperte favet nostræ sententiæ, ipsamque tuetur contra sententiam oppositam defensam a Monacell. & ab aliis supracitatis, ut ibi videri potest, & ea, quæ diximus supra *n.* 8. adeoque &c.

Pensionarius, qui habet Indultum retinendi 137
pensionem, etiamsi non incedat in Habitu, & Tonsura Clericali, & Matrimonium contrahat, non censetur dispensatus ad militiam, ad quam si transeat, amittit Pensionem, quia talis dispensatio nequit supplere defectum provenientem ex militia, quæ est in diversa specie impedimenti, nempe illius, per quod exercentur, seu exerceri possunt sæva, unde indiget sua speciali dispensatione, alias statim ac efficitur miles, Beneficium, & Pensionem amittit. Rota *coram Celso decis.* 69. *num.* 16. *&* 17. *& num.* 22. ubi ampliat locum habere, etiam re integra, antequam sæva exerceat, militiam deserat, & primævum statum reassumat; ita respondit quoque *Sacra Cong. Conc. in Niciensi* 19. *Decembr.* 1648. 18. *pag.* 563. & tenet Card. de Luca *de Pensionibus disc.* 46. *num.* 3. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 14. *formul.* 7. *num.* 11. & alii passim.

Item Pensionario pro obtinenda pensione obstat 138
Officium militis levis armaturæ. *Sac. Cong. Concil. in Romana Indulti* 7. *Decembr.* 1720. ad quem effectum concedi non solet sanatoria. *S. Cong. Conc. d. die ad* 2. *dub. quam deinde concessit die* 22. *Mar.* 1721. Sic refert Ursaya 1. *Miscellan. Sacro, & profano lit. P. n.* 245.

An, & quando Pensionarius teneatur, vel 139
non, pensionem minuere, seu remittere? Vide verb. *Locatio a numer.* 37. *ad* 47. & sicuti ibi de Locatore, discurre hic, salva proportione, de Pensionario.

An Pensionarius teneatur eodem modo, ac Be- 140
neficiatus superfluos fructus pensionum in pios usus expendere? Variant Doctores. Negat absolute La Croix *l.* 4. *num.* 1157. cum Covarruv. Menoch. Tusc. Vasquez, Ricc. Nald. Gallet. Lugo, Binsf. Redoan. Azor. Reginald. Gigant. Trullench. Vallens. Tabern. Leurenio, ibi citatis. At Mastrius *Theolog. Moral. disp.* 14. *num.* 77. Thom. Hurtad. *respons. moral. lib.* 2. *num.* 649. Molina *tom.* 1. *de justitia, & jure tract.* 2. *disp.* 145. & plures alii affirmant valde probabiliter ad id obligari. (*)

Ad-

(*) Cum pensiones ex redditibus bonorum Ecclesiasticorum, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, Pensionariis obveniant, dubitari non potest, quin illi, quod ipsis superest in pios usus erogare teneantur.

141 Advertendum est, quod Pensio reservata Clerico habitum, & Tonsuram Clericalem non deferenti, & etiam carnales nuptias cum pluribus successive, aut cum vidua ineunti amittitur ob transitum ad sæcularem militiam. Sic expresse *Sacra Congregat. Conc. in Ulixbonen. Orientalis Pensionis* 23. *Novemb.*
142 1737. Quod procedit etiam in terminis Equitum levis Armaturæ Custodiæ Corporis Summi Pontificis destinatorum, ut resolvit *eadem Sacra Congreg.*
143 *in Romana Indulti* 7. *Decemb.* 1720. Ad hoc enim ut Pensio retineatur post assumptam sæcularem militiam, necesse est ut ad id, ultra supradictum Indultum, specifica dispensatio obtineatur, ut declaravit *eadem Sac. Congregatio in Niciensi* 19. *Decembris* 1648. & coram Celso *decis.* 69. *num.* 16. 17. 19. & 22. Nec ad id solet concedi sanatoria; *Eadem Sacra Congregatio in d. Romana Indulti* 7. *Decembr.* 1720. *ad* 2. *dub.* pro Equite levis Armaturæ, quamvis ipsi postea ex speciali gratia fuerit concessa *die* 22. *Martii* 1721. Vide *Thesaurum Resolutionum S. Cong. Conc. ad annum* 1737. *in d. Ulixbonen. Orientalis Pensionis*, ubi ab Eminentissimo Card. Cavalchino, tunc ejusdem Secretario plurima sapientissime, ac eruditissime suo more adducuntur ad rem.

Pensionum abolendarum pacta contemporanea resignationi Beneficiorum, & earumdem Pensionum reservationibus damnantur, & annullantur. Bened. XIV. tom. 1. Constit. 30. incip. *In sublimi* §. 3.
145 Pensionum abolitiones, & cassationes obtentæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii annullantur. Idem *ibidem*.

Additiones ex aliena manu.

146 Per promotionem ad Episcopatum non modo cessant pensiones, sed & evanescit indultum eas transferendi; Rota *in Tricaricen. pensionis* 8. *Junii* 1735. §. 4. *coram Eminentiss. Crescent.* inter impressas *decis.* 234. *num.* 3. & *in Imolen. pensionis* 21. *Junii* 1748. §. 7. *cor. bon. mem. Vicecomit.*

147 Quod si in Indulto dictum sit: *Decernentes, prædicta omnia, & singula, præsentesque litteras &c. nec non quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit &c. nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestræ mutationem*; intelligitur Papa fecisse potestatem Indultario transferendi pensiones, non obstante promotione ad Episcopatum; Rota *in Imolen. pensionis* 22. *Junii* 1748. §. 8. *coram bon. mem. Vicecomite.*

148 Quid si promoto indultario ad Episcopatum in decreto consistoriali dictum sit: *Pensiones annuas quoad viveres obtinere, retinere, & percipere, & de illis disponere libere, & licite valeres*? Prævaluit opinio, quod his verbis tributa intelligatur facultas retinendi, non item transferendi pensiones. Vide *Rotam in d. Tricaricen. pensionis* 8. *Junii* 1735. §. 4. & *plur. sequent. coram Eminentiss. Crescent.* inter impressas *decis.* 134. *num.* 4. & *plur. sequent.*

149 Votantes Signaturæ Justitiæ fruuntur indulto transferendi pensiones. Num autem hoc indulto frui possit aliquis de votantibus Signaturæ Justitiæ, qui sententia Judicis ob crimina fuerit relegatus, privatus advocatia Consistoriali, & Clericatu Cameræ, ad quem ascenderat, & de quo vivæ vocis oraculo dictum fuerit, *ut in futurum non describeretur in albo Prælatorum*? Affirmat Rota *in Romana pensionis* 7. *Junii* 1743. *coram clar. mem. Tanario*, inter impressas *decis.* 268. idque ex ea potissimum ratione, quod ille haud desierit esse Prælatus.

De eo etiam quæri solet, an sustineatur translatio pensionis ab Indultario facta, si pridem 150
is Titulari promiserit, se non esse translaturum? Confer Rot. *in Aretina pensionis* 16. *Junii* 1721. & 2. *Martii* 1722. *coram bon. mem. Gamaches*.

PERCUSSIO. Vide verb. *Excommunicatio*, *art.* 12. *a n.* 2. *ad* 6.

PEREGRINI. Vide verb. *Lex art.* 3. *a n.* 18. *ad num.* 15.

PERJURIUM. Vide verb. *Accusatus a num.* 31. *ad* 43. verb. *Juramentum art.* 1. *a n.* 13. *usque in finem*, verb. *Mendacium a n.* 17. *ad* 21. verb. *Pœna art.* 2. *a num.* 176. verb. *Restrictio mentalis per tot.* verb. *Reus n.* 26.

PERMUTATIO BENEFICIORUM. Vide verb. *Resignatio*, seu *Renuntiatio Beneficiorum*.

PERQUISITIO.

Perquisitio frumenti Ecclesiasticorum in locis immunibus a Nuncio demandata Ministro Laico improbatur; & injungitur, ut deputet personam Ecclesiasticam non diffidentem Ministris Abundantiæ. *Sacra Congregatio Immunit. in Florentina* 9. *Februar.* 1694. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 71. 1

Perquisitio in Molendinis, & in aliis locis Commendæ Religionis Hierosolymitanæ, Appaltatoribus non est licita, nisi mediante Ministerio Curiæ Ecclesiasticæ habentis facultatem a Sacra Congregatione. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Auximana* 25. *Julii* 1643. *lib.* 4. *Decret. Paul. pag.* 18. 2

Perquisitiones scripturarum, & rerum factæ a Fiscali Nunciaturæ in Conventu, seu Cella Regularis prætensi Monetarii, sunt nullæ, & cum Sanctissimo pro facultate Nuncio utendi rebus, & scripturis sic extractis, & prosequendi processum etiam super asserta moneta contra d. Regularem carceratum a Curia Laica, & statim remissum in carceribus Nunciaturæ. *Ead. Sac. Congregat. Immunit. in Neapolitana* 29. *Maii* 1696. *lib.* 2. *Decr. Valleman. pag.* 26. 3

Vigore Litterarum perquisitionis rerum furatarum Vicarius non consignet Judici Sæculari res, & pecunias, quæ non sunt expressæ, & indicatæ inter res furatas, sed ipsas consignet cui 4

de Jure. *Eadem Sacra Congregatio Immunitat. in Neapelitana* 15. *Junii* 1688. *lib. Decret. Martel. pag.*306.

5 Permittitur perquisitio furti pecuniarum commissi a Ministris Domus Sanctissimæ Annunciatæ, ut prætenditur, absconditi in Monasterio Monialium; facienda tamen per Episcopum, vel aliam personam Ecclesiasticam; *Ead. Sac. Congregat. Immunit. in Trojana* 11. *Januar.* 1626. *lib. Scripturarum Veterum pag.*91.

6 Datur facultas perquirendi Thesaurum in Ecclesia ad effectum consignandi cui de Jure, facta tamen obligatione de reducendo omnia in pristinum. *Ead. S. Congreg. Immun. in Capuana* 6. *Maii* 1664. *lib. Decret. Rocci pag.*553.

7 Datur facultas perquirendi, & extrahendi instrumenta ad usum conficiendi aleas in locis immunibus, etiam in Monasteriis Regularium, non tamen mulierum. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Romana* 12. *Junii* 1678. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.*1612.

8 Datur facultas Episcopis status Mediolan. perquirendi fraudes, & res repositas in locis immunibus in præjudicium Appaltatorum in forma, etiam Domibus Regularium, & illius vigore procedant, & provideant per viam præcepti tantum, non autem per viam Edicti. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Mediol.* 23. *Sept.* 1659. *lib. Decret. Rocci pag.*210.

9 De mandato Sanctissimi datur Eminentissimo Archiepiscopo facultas ad annum perquirendi res furatas; res, uti dicitur *di contrabbando*, res dolose Decoctorum, & res Administratorum substantiæ pupillorum in locis immunibus quibuscumque (exceptis Monasteriis Monialium, & Conservatoriis) & consignandi Judici sæculari, ut de ipsis disponat, prout de Jure, recepta promissione prius, & juramento non utendi rebus sic extractis pro corpore delicti. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Mediol.* 13. *Aug.* 1696. *lib.*2. *Decret. Vall. pag.*168.

10 Datur facultas, annuente Sanctissimo, perquirendi Eminentiss. Legato in omnibus locis immunibus (exceptis Monasteriis Monialium) fraudes contra Appaltatores Tabacchi; Dummodo in faciendis istis perquisitionibus utatur Ministerio personæ Ecclesiasticæ cum solitis cautelis. *Ead. Sacra Cong. Immun. in Ferrarien.* 14. *April.* 1693. *lib.*1. *Decret. Vallem. pag.*39.

11 Conceditur facultas perquirendi in locis immunibus bona spectantia ad spolium, & extrahendi in forma. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Ferent.* 7. *Maii* 1659. *lib. Decret. Rocci pag.*86.

12 Dantur A.C. Litteræ perquisitionis in forma contra bona Episcopi debitoris pensionis, excepta Cathedrali, & Palatio Episcopali. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Callien.* 31. *Jul.* 1674. *lib.* 1. *Decret. Altov. pag.*977.

13 Dantur Litteræ perquisitionis in forma A. C. pro rebus, seu frumentis, ac penoribus Episcopi ad favorem Pensionarii dicti Episcopi. *Eadem S. Congr. Immun. in Romana, seu Nolana* 21. *Octobr.* 1679. *lib.*2. *Decr. Altov. pag.*1863.

Dantur A. C. Litteræ Perquisitionis in forma 14
contra Episcopum, qui fraudulenter transtulerit omnia sua bona in locis immunibus ad effectum satisfaciendi Eminentissimo Cardinali Creditori pensionis. *Eadem Sacra Congregatio Immun. in Terracinen.* 8. *Septemb.* 1675. *lib.*1. *Decret. Altov. pag.*1144.

In casu, quo Parochus debitor cujusdam Sa- 15
cerdotis conservabat omnia omnino bona sua in domo Parochiali, conceduntur Episcopo litteræ Perquisitionis, & extractionis ad favorem Creditoris, attento, quod jam obtinuerat mandatum executivum contra Parochum. *Eadem Sac. Congr. Immun. in Tyburtina* 19. *Septemb.* 1708. *lib. Decret. Marefusci*.

Contra Debitores, qui fraudulenter transtule- 16
runt omnia bona sua in diversis locis immunibus, conceditur Episcopo, ut possit perquirere, & extrahere ea ad effectum consignandi, facto inventario, Judici competenti, ut de iis disponat, prout de Jure. *Eadem Sacra Congregatio Immunit. in Catacen.* 6. *Octobr.* 1708. *lib.*2. *Decret. Marefusci, in Neapolitana* 19. *Septembris d. A. & lib.*

Censurati ob Perquisitiones eorum jussu factas 17
in Ædibus Canonicalibus absolvuntur in forma privata: qui vero illas fecerunt, quatenus petant, absolvuntur in forma Ecclesiæ. *Ead. Sacra Cong. Immun. in Florentina* 9. *Febr.* 1694. *lib.*2. *Decr. Altoviti pag.*103.

PERSONATUS. Vide verb. *Beneficium artic.* 1. *num.* 27.

PESTIS.

Jubente Sanctissimo injungitur Archiepiscopo 1
Neapolitano publicare Edictum pœnale, ne aliqua persona Ecclesiastica sæcularis, & Regularis audeat tempore suspicionis Pestis ingredi Civitatem Neapolitanam, absque speciali licentia ejusdem Archiepiscopi gratis concedenda. *S. Cong. Immun. in Neapolitana* 20. *Jun.* 1606. *lib.* 5. *Decret. Paul. pag.*100. apud Riccium verb. *Edicta Ecclesiastica num.*10.

Et injungitur Nuncio, ut quinque Canonicos 2
Lateranenses, qui fuerunt ingressi, puniat rigorose, nec non Abbatem, qui illos recepit. *Eadem Sacra Cong. Immun. ib.*

Datur facultas extrahendi personas, & res sus- 3
pectas morbo pestilentiali. Unde fuit prorogata ad decennium talis facultas extrahendi personas, & res suspectas morbo pestilentiali. *Ead. S. Congreg. Immun. in Meliten.* 26. *Mart.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallemani pag.*179.

Regulares, qui tempore Pestis absque Bene- 4
placito Apostolico solvunt Scuta duo millia pro construendis Lazaretis, incidunt in pœnas contentas in Decreto de rebus Ecclesiæ non alienan-

nandis. *Eadem Sacra Congregatio Immunitat. in Florentina 21. Januar. 1631. lib. 2. Decret. Paul. pag.*72.

5 Similiter Regulares, qui sine dicta facultate tempore pestis concedunt, vel consentiunt concessioni Conventuum pro usu Lazareti, incidunt in Excommunicationem. *Eadem Sacra Congreg. Immun.* apud Riccium verb. *Pestis*.

6 Quomodo Episcopi residere, & ministrare Sacramenta debeant, & possint tempore pestis: Vide verb. *Episcopus art. 3. num.* 12. *& seq.*

7 Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis Parochialibus; Possunt tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, & si non resederint, contra eos procedendum est, servata forma Concilii Tridentini *cap.* 1. *in fine sess.*23. *de reform. Sac. Congregat. Conc. in Mediol.* 10. *Octob.* 1576. apud Barbosam *in Summa Apostolic. dec. verb. Parochus quoad residentiam n.* 16.

8 Parochi tempore Pestis an teneantur etiam ministrare Eucharistiam Peste infectis? Variant Doctores. Molfesius enim, Major, & alii apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 174. *& part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 53. Lohner *in Instruct. 6. par.* 3. *de Eucharistia art.* 3. *quæst.* 5. Gobat *tract.* 4. *num.* 414. & alii, docent, Parochum tempore pestis non teneri ministrare Eucharistiam, quia cum ejus vita requiratur ad alia Sacramenta magis necessaria, etiam aliis conferenda, non videtur esse propter aliquos exponenda tanto periculo in administratione Sacramenti, utilis quidem, sed minus necessarii. Econtra Suarez, Fagundez, Tolet. Navarr. Sotus, Herinq. Villalob. Filliuc. Silvester, Nugnus, Marchant. Mancin. Tabiena, Sa, Castropal. Lugo, Busemb. Aversa, Cardenas, Verivys apud La Croix *lib.* 6. *par.* 1. *num.* 484. dicunt, Parochum teneri, sive per se, sive per alium, Eucharistiam ministrare omnibus licite petentibus, etiam peste infectis, quia peste infecti habent Jus illam petendi, & sunt in gravi necessitate spirituali illam suscipiendi, licet forte Sacramentum Pœnitentiæ susceperunt; cum nihilominus valde infestentur a Dæmone, indigeantque viribus spiritualibus, quas hoc Sacramentum causat; possetque ipsis etiam per accidens causare primam gratiam, si non haberent; Unde revera saltem per alium, si possit haberi, tenerentur parochi Eucharistiam ministrare peste infectis; Si vero in aliquo loco non adesset alius Sacerdos, qui in defectum Parochi posset substitui, tunc ipse Parochus ad id non tenetur, quia non deberet, ministrando aliquibus Eucharistiam, exponere se periculo destituendi totum populum, eumque relinquendi sine aliis magis necessariis Sacramentis; nam necessitas Communitatis prævalet necessitati privatæ, & inter duo mala majus est evitandum, & minus eligendum; *cap. Duo mala* 1. *dist.* 13.

9 Idem pariter est dicendum de obligatione Parochorum administrandi peste infectis extremam Unctionem, sive per se, sive per alios, quando possint haberi; secus autem non, uti mox dictum est de Eucharistia; Vide verb. *Extrema Unctio num.* 43. *&* 44.

Pestis causa qui absfuerunt, quotidianæ distributiones illis non debentur, nisi probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi darentur absentibus ex justa causa. *Sac. Congr. Conc.* apud Barbosam *in Summa Apostolic. dec. verb. Pestis num.* 2. 10

Pestis occasione Canonicus absens non lucratur distributiones quotidianas, nisi pestis grassetur, & probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi dari consueverunt absentibus ex justa causa; Quando autem dicatur pestis grassari, ut sit justa causa absentiæ, relinquendum est arbitrio Episcopi. *S. Cong. Conc. in Mediol.* 9. *Novembris* 1630. apud Barbosam *loc. cit. num.* 3. *&* 4. 11 12

Cautelæ adhibendæ a Parochis, & eorum Vicariis pro se conservandis in administratione Sacramentorum tempore pestis, traduntur a Reiffenstuel *lib.* 3. *Decretal. tit.* 4. *num.* 106. Vide *ibi*. 13

* Pestis tempore quid agi liceat, vel secus, circa administrationem Sacramenti Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, vide in singulis eorum articulis. 14

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quæstio est anceps inter Doctores, in qua nihil certe decernitur. *De Synodo Diœces. lib.* 3. *cap.* 19. §. 19. *nov. edit.* 15

In ordine ad ministrandam Eucharistiam non esse omnem Ecclesiæ ritum servandum, qui modo ab Ecclesia præscribitur, docet immortalis memoriæ vir Muratorius Tract. de Peste, sed ab Episcopi judicio expetendum esse quid a singulis præstari posset, ut minus periculose, sed decenter ministretur, quod etiam rescriptum fuit ad postulata Vicarii Apostolici Juliæ Cæsareæ. *De Synod. Diœcesan. ibidem* §. 26. 16

Tuto posset Episcopus judicare tempore pestis, quod Eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accpienda, ut ipsi per se ori illam inducerent. *Ibid.* §. 27. 17

Extrema Unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo, quomodo fieri solet cum unus tantummodo sensus inungitur. *Ibid.* §. 29. 18

Licet autem judicio Episcopi in eo casu inungere ægrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossypium oleo Sacro imbutum. *Ibid.* §. 30. 19

PHISIOGNOMIA. Vide verb. *Superstitio num.* 24.

PIGNUS.

QUÆ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari; *L. Pupillus*, §. *Eam rem*, *ff. Quæ res pignori*. Quare res Ecclesiæ, & etiam mobilia pretiosa non nisi concurrente legitima causa, & accedente licentia Sedis Apostolicæ, vel Episcopi respectu mobilium minoris pretii, vendi possunt. *Instit. Eccles. 69. §. 5.*

Alia: Vide verb. *Hypotheca*, per tot.

PILEOLUS.

1 PIleoli usus in Missa etiam extra Canonem concedi non potest ab Episcopo, sed solum a Papa. *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. 3. Jan. 1590. & die 17. Jun. 1595. & Sacr. Congr. Rit. 24. April. 1626.* & colligitur *ex c. Nullus 56. de consecr. dist. 1.*

2 Nullus etiam Episcopus Pileolo uti potest in Missa sine Sedis Apostolicæ licentia. *Sacra Congreg. Rit. 3. Januar. & 24. April. 1626.* apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Pileolus num. 1.*

3 Qui assistit in Choro Missæ Conventuali, non potest portare Pileolum per totum Canonem; In aliis vero Divinis Officiis uti potest; *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in una S. Angeli 5. Novemb. 1602.* apud Nicol. *in Floscul. verb. Pileolus num. 2.* Alii vero dicunt hoc Decretum esse Sacræ Congregationis Rituum, ut videre est apud La Croix *lib. 6. par. 2. num. 2055. Decret. 55.*

4 Pileolo uti non possunt Parochi, tam de die, quam de nocte ministrantes infirmis Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, neque prætextu invaletudinis. Sic respondit *Sac. Congr. Rit. in Romana 13. Aug. 1695. & 2. Januar. 1696.* parocho Sancti Laurentii in Damaso apud Monacell. *tom. 4. supplement. ad 3. tom. num. 9. & 10.*

5 Alia. Vide verb. *Birretum*.

6 Immo neque in Choro potest portari Coma fictitia, seu, ut vulgo dicitur *Perucca*. *Sac. Congreg. Conc. in una Bergomensi 9. Dec. 1690. lib. 5. Decret. fol. 765.* ubi rejecit instantiam Abbatis Petri Nigroni Canonici Cathedralis deferendi Comam fictitiam in Choro sub prætextu frigiditatis, & subtilitatis aeris, apud Monacell. *tom. 4. supplement. ad tom. 1. num. 261.*

7 Et tanto minus Coma fictitia, seu Capillitium adscititium potest deferri, & retineri in actu celebrationis Missæ, ut expresse prohibuit Innocentius XI. ut patet ex Decreto de ejus mandato publicato *in Diœcesi Colon. die 21. Mart. 1689.* quod refertur sub verb. *Missa art. 9. num. 4.* Vide *ibi*, & apud Reiffenstuel *lib. 3. Decretal. tit. 1. n. 93.* ubi refertur consimile Decretum publicatum de mandato Innoc. XII. *die 18. Sept. 1692.*

Quinimmo Clerici deferentes Comam fictitiam, vulgo *Perucca*, possunt excommunicari, si sint Beneficiati, vel in Ordinibus Sacris Constituti, ut habetur *in Concil. III. Constantinopolitano Canon. 96.* Et hanc pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ contra Beneficiatos, & in Sacris constitutos deferentes Comam fictitiam, sustinendam, & imponendam esse declaravit Sacra Congregatio nonnullorum Cardinalium specialiter a Papa deputata *in Vigilien. Synodi 18. Maii 1695. in responsione ad 28.* Contra vero ceteros Clericos Minorum ordinum esse procedendum juxta dispositionem Concilii *sess. 23. cap. 6. de reform.* apud Monacell. *tom. 1. in Appendic. annotat. ad Litter. Encyclicam Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium super exercitiis indecentibus Ecclesiasticorum num. 20.* 8

Et quod Capillitium adscititium permittendum non sit Ecclesiasticis personis, decrevit novissime *Sacra Congreg. Conc. in Melphit. 8. Aug. 1722.* quod fuit expresse pariter prohibitum in Urbe de mense Februarii 1725. de mandato Sanctissimi D. N. Benedicti XIII. ut refert Ursaya *in Miscellan. Sacro, & profano 1. litt. C. num. 52.* & habetur in Concilio Romano ab eodem Summo Pontifice celebrato anno 1724. *sub tit. 16. de vita & honestate Clericor. cap. 3.* ubi expresse statuitur, quod *Comam fictitiam, vulgo Perucca, aut Cerchietti numquam adhibeant*. 9

Alia ad rem. Vide verb. *Coma fictitia per tot.* & verb. *Missa art. 9. a num. 2. ad 4.* 10

PLACITUM REGIUM.

MIra sunt quæ de Placiti Regii necessitate, ut Apostolicæ quævis litteræ vim habeant, post Stockmansium, & Van-Espenium Kaperus quidam celebris Scriptor tradidit. Sed rem a Zallwein Benedictino Germano, ab aliisque nostro ævo diligenter perpensam non multis explicabimus. Utar autem statim Zallweinii verbis, qui *T. 1. Principior. Jur. Eccl. p. 377.* ait. „ Quantum ad illud placitum regium si rem bene examinemus, comperiemus, quod omnes discordiæ circa receptionem Bullarum, & Decretorum exortæ inde suam trahant originem, quod sciant & Doctores, & Magnates, hoc *Placitum Regium* ex suggestione Politicorum esse susceptum. Ex hoc ipso enim audaciores fiunt, ut omnia decreta, quæ suo palatui non sapiunt, sugillare, carpere, & vilipendere non curent. Certe in illis Provinciis, in quibus *Placiti Regii* usus non viget, nihil tale unquam, aut raro fuit auditum. Fœtus politicorum est istud *Placitum Regium*, qui adulandi, placendi, atque jurisdictionis & propriæ, & suorum Principalium ampliandæ studio, & fortassis occulto livore, invidia, & odio, quo in auctoritatem ecclesiasticam feruntur, nescio quæ pericula, præjudicia, & damna bono publico metuenda 1

„ fin-

„ fingunt, & suis Principibus sub speciosissimis „ rationibus ante oculos ponunt „.

2 Hæc ne perperam dicta videantur, sunt a nobis uberius explicanda, ac confirmanda. *Fœtum Politicorum* Auctor *Placitum Regium* dixit; sed addere omnino debuit extremis tantum sæculis editum. *Stockmansius* eo loci, in quo tantum *boni sensus Febronius* deprehendit, egregie fallitur, dum *Populum* Placiti Regii *moribus ab omni memoria adsuetum* vocat. Feralis ejus Schismatis, quod ab *Urbano VI.* ad *Constantiense* Concilium Ecclesiam crudelissime dilaceravit, tempore vetustior non est isthæc *memoria*. Indicent Stockmansius, Van-Espenius, & cæteri id genus Regiæ dignitatis assentatores, vel unum ex tot Imperatoribus, Principibusque rerum ante illud Schisma potitis, indicent, qui Apostolicas litteras suo, ut evulgarentur, consensu indigere contenderit. Quæ lex, aut rei, de qua agebatur, natura, aut tumultuum, qui inde timeri poterant, caussa cum Reipublicæ statu conjunctior, quam *Siriciana* illa, qua Majores Clerici ab Uxoribus abstinere jubebantur. *Ab omni Ecclesiastico honore*, ni parerent, *Apostolicæ Sedis auctoritate dejecti*, atque a *venerandis adtrectandis mysteriis* perpetuo prohibiti (1)? Neque tamen cuiquam in mentem venit, Principis, ut ea promulgaretur, expectandum adsensum. Idem de ceteris Pontificum, ac Conciliorum legibus dicas, quæ ad *Urbanum VI.* prodierunt. Sed quo gravius est, in magnis illis, quæ a nono sæculo ad quartidecimi initia *Romanis* Pontificibus cum Imperatoribus, Regibusque fuere, dissidiis Apostolicas in hos Constitutiones in ipso eorum imperio, regnisque promulgatas novimus, quin de Regio Placito ad illas infirmandas cogitaretur (2). *Philippus* quidem *Pulcher* in maxima illa cum *Bonifacio VIII.* controversia cavit, ne ullæ ejus Pontificis litteræ in Regnum deveherentur, *custodibus ubique adpositis*, uti in *Spondani* annalibus legimus (3); non autem promulgari illas in *Galliis* absque suo adsensu non posse dixit. Idem a 1164. cum *Alexandro III.* gesserat *Henricus Angliæ* Rex, non enim ejus litteras nullius futuras roboris, nisi sibi, aut Proceribus suis probarentur, arbitratus est, sed *sævissima*, ut idem *Spondanus* ait (4) *edicta per omnes sibi subjectas Provincias promulgavit, nempe ut omnes portus diligentissime custodirentur, ne Litteræ interdictionis Summi Pontificis ...... in Angliam deferrentur.* Quanto facilius Regio negato adsensu Pontificias Constitutiones eludere Reges ii potuissent! Sed nondum res politica ad eam absolutionem perducta erat, quam posterioribus tandem sæculis obtinuit.

Nempe suborto *Clementis VII.* adversus *Urbanum VI.* schismate, quod deinde ad *Martinum V.* 3
in *Constantiensi* Synodo electum perduravit, ne ab Antipapis, eorumque asseclis fraudes impune admitterentur, ipsi *Urbano* visum fuit pernecessarium, ut de Constitutionibus Apostolicis, an legitimæ forent, atque a vero Pontifice proficisceretur, Episcopi ante judicarent, quam exequutioni demandarentur. Principes quoque, ne populi a pseudo-Pontifice deciperentur, cavendum sibi duxerunt Bullarum examine. Quamobrem, ut in vita *Caroli VI. Galliarum* Regis narrat *Johannes Juvenalis Ursinius*, quum a. 1381. Rector *Parisiensis* Academiæ ad Professorum, ceterorumque conventuum quasdam *Urbani VI.* litteras legendas detulisset, Dux *Andegavensis* ob pupillarem *Caroli* ætatem Procurator Regni qui *Clementis VII.* partes sequebatur, graviter Rectori indignatus eum comprehendi jussit, non fuisse prætexens ab illo *Urbani* litteras Regi antea exhibitas; quod ipsum tamen historicus *Ducis in Academiæ Rectorem violentiæ* adsignat. Adeo explorata res erat, non potuisse ob hanc caussam in Rectorem veluti sontem jure animadverti. Eadem de caussa apud *Lusitanos*, teste *Garzia* de *Resende* in Chronico *Iohannis* Regis (5) moribus inductum tunc fuit, ut de Brevibus, cæterisque *Romanis* litteris ab Archicancellario cognosceretur.

Extincto tamen Schismate ubique ad antiquam 4
consuetudinem paullatim reditum fuit. Nam non solum Episcopis *Martinus V.* quam *Urbanus VI.* ipsis indulserat, de Constitutionibus Apostolicis cognoscendi facultatem eripuit, sed etiam *Carolus VII. Galliarum* Rex apud *Feuretum* (6) a. 1424. edicto sanxit, ut *Romano* Pontifici deinceps sua uti potestate, *tam in Beneficiorum Collatione, quam in Jurisdictionis Apostolicæ exequutione, modo, & forma, quibus fel. mem.* Clementis VII. & Benedicti XIII. *temporibus usus fuerat, & aliis quibuscumque usibus, & mandatis*. In *Hispania* vero idem fuisse servatum indubio argumento est *Alexandri VI.* Constitutio, quæ a. 1493. *Ferdinando V.* & *Isabella* petentibus Indulgentias omnes cum antea concessas, tum postea concedendas suspendit,

(1) Ep. I. ad Himer. Tarrac.

(2) Confer opus supra indicatum, cui Titulus: Ragioni della Sede Apostolica &c. T. I. P. II. pag. XCI. seqq.

(3) Ad ann. 1301. num. 4.

(4) Ad ann. 1164. num. 10.

(5) Cap. LXVI.: Costumavasi anticamente in questi Regni, che tutti i Brevi, e Rescritti, Lettere, e Bolle, che venivano da Roma, non si facesse di esse cosa alcuna, se non erano prima vedute, ed esaminate dal Cancelliero maggiore, e quelle, che trovava esser vere, e direttamente spedite, dava licenza, che si pubblicassero, e che avessero esecuzione, e questo era con sano, e buon rispetto, per isfuggire la falsità, di modo che le Parti non ricevessero dolosamente perdita, e danno. E principalmente perchè in tempo di Scisma essendovi più di un Papa, come molte volte si vidde, non si aveva da obbedire in questi Regni, se non al Padre Santo di Roma: Ita ille.

(6) Traité de l' abus lib. I. cap. IV.

pendit, *donec per loci ordinarium, in cujus Civitate & Diœcesi pro tempore publicabuntur, prius, & deinde per nostrum, & Sedis Apostolicæ prædictæ Nuntium in partibus illis tunc existentem, ac Capellanum Majorem eorumdem Regis, & Reginæ consilio existentem per eos ad id deputandum bene, & diligenter, an sint veræ litteræ Apostolicæ, visæ, & inspectæ fuerint*. Si enim *Hispaniarum* Regibus in more positum fuisset, ut Apostolicas Constitutiones suo examini subjicerent, numquam id ab *Alexandro* postulassent, sed suo jure quemadmodum in aliis, ita in his quoque Apostolicæ Sedis litteris usi fuissent; multoque minus in legibus, quas de hujusmodi indulgentiis ediderunt, earum cognitionem *vi Alexandrinæ Constitutionis* præcepissent (7). *Lusitani* quidem consuetudinis, quæ in Schismate obtinuerat, retinentiores fuere; sed posteaquam Innocentius VIII. a 1486. *Iohannem* Regem de illa abolenda graviter monuit (8), piissimus Rex, ut ait in ejus Chronico *Garcias* de Resende *per ubbidirli come Principe Cattolico, e per compiacerli fece tutto, come lo mandarono a chiedere. Di che il Papa, ed i Cardinali ebbero molto piacere, e molto contento, e con molte lodi li mandarono a rendere molte grazie, e di poi sino al presente si è fatto così* (9). Politicorum deinde artibus effectum est, ut quod ob schismatis caussam cœptum erat, eo deinde sublato intermissum, apud multas gentes revocaretur. Hæc Regii Placiti initia sunt, obscura illa quidem, nec satis gloriosa; ea tamen, ut nisi cæci omnino esse velimus, nihil illud ad Regiæ

(7) Vide ipsam legem apud Alphonsum Azevedum T. 1. lib. 3. tit. 6. leg. 37.

(8) Ipsas *Innocentii* ad Regem litteras adcipe = *Johanni Portugalliæ* Regi illustri = *Innocentius* &c. Carissime &c. Olim fel. record. Sixtus Papa IV. Prædecessor noster immediatus per suum Nuntium, deinde per proprium Cursorem, Celsitudinem tuam monuit, ut revocaret quædam statuta, quibus nonnulli Reges *Portugalliæ* jamdudum contra libertatem ecclesiasticam usi fuerant, ipsaque Celsitudo tua tunc utebatur: Cui cum Majestas tua respondisset, missuram se super his ad eum, supersedit in ulteriore provisione Prædecessor noster prædictus. Post paucos postea dies diem clausit extremum. Nos verò, quibus in ea re nulla alia excusatione, aut informatione opus erat, quippe qui statuta prædicta, dum in minoribus essemus, experti fuimus, caussam, sanctumque propositum Prædecessoris nostri præfati, audito adventu Oratorum tuorum, ex quibus statuta prædicta jam revocata fuisse intelligere sperabamus, prosequi, ac continuare distulimus.

Quum vero coram nobis Oratores præfati fuere, nihilque in mandatis ad nos a te in hoc se habere dixerunt, doluimus profecto pro gravitate rei, pro conscientia tua, pro expectatione nostra: doluit ipsum quoque sacrum *Romanorum* Cardinalium Collegium. Neque potuimus (credat nobis Majestas tua) sine difficultate ipsum Collegium adducere, ut differremus in re tam aperta contra ecclesiasticam libertatem pro hujus Sanctæ Sedis, ac nostro honore providere, quod Oratores præfati ad tuam Serenitatem reverterentur, ipsam de nostra ac Sacri Collegii prædicti mente, justitia, atque honestate verbo plenissimè informaturi, qui interfuerunt, & audiverunt in secreto nostro Consistorio, quàm gravia, & detestanda statuta hæc ipsi Collegio visa sunt: Neque possumus, filii carissime, satis mirari, quod Reges *Portugalliæ*, quorum plurima exstant pro fide Christi egregiè gesta, qui inter alios *Catholici* appellari volunt, non formident Censuras, ac pœnas in Bulla, quæ in *Cæna* Domini in eos, qui talia audent, publice, ne quis ignorantiam prætendere possit, legi consuevit, contentas. Quia verò ideo nos Deus licet immeritos Ecclesiæ suæ Sanctæ, ac huic Sanctæ Sedi præfecit, ut ejus honorem, dignitatemque tueamur, vigilemusque super commissum nobis Gregem: hortamur Serenitatem tuam, quam ex corde diligimus, monemus, atque requirimus (jam enim non dolemus solum, sed compatimur tot afflictis, qui ad nos clamant, quod litteræ Apostolicæ in Cancellaria tua retinentur) districteque (quoniam ignorantiam Majestas tua adlegare minime potest) in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut statutum illud, quo continetur, ne quis Tabellio, aut Notarius etiam Apostolicus cuique Judici, aut personæ ullas literas Apostolicas, publicare, intimare, aut præsentare, nisi primo impetrata a tua Celsitudine licentia, audeat: addita pœna, si instrumentum quod eas præsentaverit parti, ad quam spectat, quovis modo dederit: aliud præterea cujus vigore Officiales tui litteras (quas vulgo *tuitivas* appellant) in caussis beneficialibus concedere, ac de dictis caussis se intromittere præsumunt, revocet, casset, irritet, & annullet. Ut autem intelligamus, quid Oratorum tuorum reditus, quid monita nostra profuerint, sciamusque quid acturi sumus, tuamque, cujus etiam rationem reddituri sumus, conscientiam spectet, volumus, ut infra sex mensium spatium a die, quo Oratores prædicti ad tuam Celsitudinem redierint, computandum absque ulla dilatione, aut mora nos per litteras, aut nuntium certiores tua Majestas reddat, quod dicta statuta revocaverit, ac cassaverit, ut præfertur: sin minus causa jamdiu commissa est; pendet adhuc; fuit sæpe tua Celsitudo monita: Expectamus plus fortasse, quam debemus: prout de jure procedere, & providere necesse nobis erit. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum* &c. die 3. Februarii 1486. anno secundo.

(9) Hinc intelligis, qua fide hæc omnia *Febronius* dissimulaverit, dum ait (t. 1. p. 741.) = Quum anno 1486. *Johannes II. Lusitaniæ* Rex ad instantiam *Romani* Pontificis usum videndi, & examinandi litteras Apostolicas abolere proposuisset, Status Regni sese opposuere; remonstrantes: *non licere Regi tale jus a se abdicare in præjudicium Regni & subditorum*; *ita referente Augustino Manuel in vita Johannis II. Lib. IV.* = Regni quidem Proceres *se se opposuere*; sed frustra; quod *Febronius* callido silentio præteriit.

giæ dignitatis constitutionem spectare videamus. Quis enim sibi umquam persuadeat, sæculo primum quarto decimo inclinante, iterumque labente sæculo XVI. alibi etiam serius, Reges, Principesque sua jura cognovisse; ceteros præteritorum sæculorum Imperatores, Reges, Aulicos, tam bardos fuisse, ut quod præcipuum quoddam Majestatis decus, atque adeo præsidium esset, aut ignoraverint, aut etiam neglexerint? Sed ad Zallweinium redeamus.

5 „ Res profecto mira, quod solæ leges Ecclesiasticæ, & Bullæ Pontificiæ tam sint periculosæ, ut „ *Placito Regio*, & judicio Politicorum subjacere „ debeant, qui bonum Ecclesiæ parvi habentes solum bonum politicum ex principiis non raro Pseudo-Christianis, & rationibus futilibus, sæpe sæpius a sinistra passione agitati ob oculos habent. „ Quæso si Imperatores ecclesiastici, quos *posuit* „ *Christus regere Ecclesiam Dei*, suum quoque „ *Placitum* urgerent, quoties Decreta emanant „ Politica, quæ non raro Statui Ecclesiastico sunt „ præjudiciosa, libertatibus Ecclesiæ inimica, jurisdictioni Pontificum, & Episcoporum adversa, immo aliquoties ipsa Sancta Sanctorum invadunt, quid dicturi forent? Quod heic *Zalweinius* pseudopoliticis objicit, multo ante illum animadverterat insignis apud *Lusitanos* Canonum Doctor *Oliva*, cujus hæc sunt (10). „ Etiam Summus Pontifex posset per Constitutionem generalem præcipere, ut nullum rescriptum gratiæ impetratum a Principe sæculari exequutioni demandaretur, nisi prius apud Episcopos præsentetur, & examinetur, utrum contra Ecclesias, seu jura earum, vel Sedis Apostolicæ, aut in præjudicium spiritualis potestatis, aliquid contineat, quia non minor, sed major est ejus potestas ad hoc, quam Principis Sæcularis ad illud. Verum heu! pergit *Zallwein* „ quidquid contradicant Episcopi, reclament Pontifices, cedendum est præpotentiæ Magnatum. „ Sola *ratio status* politici instar imperiosæ *Saræ* „ dominatur: dum e contra *Ratio Status Ecclesiastici*, velut humilis *Agar* servire cogitur.

6 Sed ne quis Zellweinium Romanis partibus hac saltem in re nimis addictum fuisse obganniat, in medium adferam quæ celebres duo *Belgæ* Doctores de eodem argumento tradiderunt. Primus prodeat Franciscus Zipæus (11). Quærit ille, an *Constitutiones Apostolicæ* in Belgio *effectum habere non possint*, *nisi prævio Principum Placito*? Quid autem respondet? „ Profecto, inquit, si res, „ ut se habet, examinetur, ad nullius Constitutionis, legisve Ecclesiasticæ promulgationem „ placito principali opus esse judicabit, qui non „ ex præjudicata aliqua opinione, sed ex vero „ statuere volet; nulla enim edicta id mandant „ quoad Leges, Constitutionesve Apostolicas, „ sed quoad rescripta tantum privatis data, eaque „ non omnia, sed beneficialia tantum. Quæ „ enim reperiuntur in libro edictorum sub rubrica „ *de caussa beneficiali*, omnia tam narrativis verbis, quæ impulsivam, & finalem caussam earum Constitutionum continent, quam dispositivis, sonant de provisionibus beneficialibus „. Quam in rem edicta suæ Regionis, Pragmaticasque Sanctiones accuratissime percenset. Addit mox: „ Saltem ex his liquidum est, edicta ea omnia nonnisi ad Beneficialia, & abusus circa ea porrigi, non vero ad cursum impediendum Constitutionum Apostolicarum, quæ pro salubri regimine „ Ecclesiæ maturis, & repetitis deliberationibus „ ad tollendos abusus cum magno decore Domus „ Dei, incremento Politiæ Ecclesiæ, & augmento justitiæ sæcularis promulgantur. Beneficialia „ porro diplomata subreptione, gratia, & sordibus sæpe obtinentur, ut incommoda in his frequentia esse possint, non in illis, adeoque dispar de utrisque est ratio judicandi. Sic qui „ historias nostras scripserunt de inhibitionibus „ hujusmodi circa beneficialia meminerunt, neque ulterius. In rescriptis sane justitiæ, quæ „ nec complectitur Edictum anni 1574., dispensationibus matrimonialibus super ætate, aliisque Ordinum Sacrorum impedimentis, & similibus, nec usus quidem, seu petendi placiti „ praxis obtinuit, ut sit hactenus post integrum „ sæculum a primis edictis lapsum, & amplius „ ne quidem in Concilio *Brabantiæ* esse videtur „ formulare placiti aliud, quam pro Bullis Beneficialibus. = Pergit Zypæus: = At vero nonnemo dicet; usus habet, ut Placitum pro quocumque diplomate petatur. Jam in principio „ dixi, me seponere præjudicatum hunc, si non „ errorem, at opinionem. Et disputare, an edictum aliquod sit, quod hunc usum firmet, & „ non esse demonstravi. Sed quod plerique, qui „ *Roma* aliquid accipiunt, placitum petant, fit, „ quia ad nomen Fisci, & minas ingentium mulctarum omnes privatim horrent, nec ob sumptum paucorum aureorum, quo placitum petatur, evitandum vult aliquis quæstionem universalem; seu omnium suam privatam solius facere; disputare, inquam, num egeat placito, „ an non? Sed hæc singulorum in re sua agendi „ ratio ipsi universæ jurisdictioni Ecclesiæ præjudicium inferre non potest: ut & tota petendi „ placiti ratio, si non fit in gratiam, non præjudicium Ecclesiæ, atque Reipublicæ, omni jure, „ ratione, atque potestate destituitur =. En igitur, ut exigendi Regii Placiti ratio in Belgio non innitatur sacræ auri fami, quam recentiores quidam in Romana Curia tantopere execrantur (12).

Alter *Belga Peckius* est, insignis olim in magno Belgii 7

(10) De For. Eccles. part. 1. q. 22. n. 19.
(11) Analys. Jur. Pontif. lib. 1. Tit. Constitut. Tom. II.
(12) Equidem scio aliter *Van-Espenio* visum fuisse. Ita enim ait (de Promulg. leg. p. II. cap. 1. §. 1.) = Unius vero regii placiti usus super diplomatibus, Bullis, & rescriptis e Curia *Romana* emanantibus, adeo notorius jampridem apud Belgas fuit, ut & exteri Scriptores de hoc tamquam de „ re

Belgii Consilio Consiliarius: acrius ille in hanc consuetudinem invehitur his verbis. Quam consuetudinem, & multas alias ejusdem farinæ non posse jure satis defendi puto, & quæ libertati Ecclesiasticæ plurimum adversantur, & proinde non valent apud justos, & Catholicos Judices, *qui*

„ re notoria scribant: Atque inter alios *Lodovicus Guicciardinus* nobilis *Florentinus* in descriptione „ *Belgii* de hoc usu ita scribit; *Quod ad res ecclesiasticas attinet, easdem fere habet cum Pontifice* „ *Maximo Princeps in hac ditione conventiones, quas in Regno* Galliarum *Rex; nec Beneficium ullum,* „ *nec gratiam potest conferre, aut expedire in hanc Terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effe-* „ *ctum sortiatur absque Principis, vel Conciliorum ejus placito, atque consensu* =. Idque etiam *Hu-* „ *berti Loens, & Bertrandi Loth* testimonio confirmat =. Verum mendacia mendaciis *Van-Espenius* adglomerat: *Loensius* enim, & *Lothius* nonnisi de Beneficialibus diplomatibus, quemadmodum *Zypæus* loquuntur; ipse contra ad omnes Apostolicas Costitutiones regio Placito subjiciendas eorum utitur auctoritate. *Conventionem* deinde indicat, quæ nulla unquam fuit, nec esse potuit. Quis enim *Romanos* Pontifices tanta sibi fingat animi imbecillitate, ut generale ejusmodi privilegium, quo omnes plane Apostolicæ Sedis Constitutiones, ne dogmaticis quidem exceptis, a Regiis Ministris examinentur in maximam ejusdem Sedis contemptionem, disciplinæ infirmationem, Fidei ipsius periculum, indulgeant? Deinde si id conventione pactum, quid ergo ex regio jure idem Placitum *Van-Espenius* adcersit? Tandem quei factum, ut *Guicciardinium* hujus rei testem appellet, quem falli incompertum habere non potuit? Easdem fere habere *Belgii* Principem cum Pontifice Maximo conventiones *Guicciardinius* ait, quas in Regno *Galliarum* &c.; tum addit, *nec Beneficium ullum, nec gratiam potest* (Pontifex) *conferre* &c. Atqui Beneficialia diplomata ea cum primis sunt, quæ in *Galliis* a Regio placito immunia esse, ac semper fuisse constat; extantque ea de re diserta *Parisiensis* Senatus decreta 9. Maj. a. 1703. & a. 1730. Confer *Hericourtium Leg. eccles. Gallic. T. 1. cap. XV.* §. 7., & opus antea indicatum, inscriptumque *Ragioni della Sede Apostolica* &c. tom. 1. p. II. pag. CXII. Vel ergo non eædem sunt conventiones, vel (quod *Belgæ* negant) Beneficia poterit Pontifex in *Belgio* quoque quemadmodum in *Galliis* conferre, quin Placitum Principis ad munienda illorum diplomata postuletur. Viden? quas in ambages consulta quædam temeritas, ac *Romanæ* Sedis proculcandæ libido *Van-espenium* conjecerit? Sed ut *Van-Espenius* manifestius refellatur, libet exscribere quæ *Eustachius Jansenius* in Epistola altera ad *Jo. Christianum Erkelium Coloniæ a.* 1713. edita hanc in rem adcurate congessit (cap. XVII. pag. 274. & seqq.)

„ Imploratum est, inquit, aliquando auxilium Brachii sæcularis ad coercendos refractarios Bullarum „ dogmaticarum, sed non requisitum *Placitum* ad earum promulgationem, ita *Morillonius* ad Cardi- „ nalem *Granvellanum* scripsit 21. Decemb. 1567. agens de Bulla *Pii V.* contra *Bajum*. *J' en ay par-* „ *lé à M. des Bavon, à fin qu' il soit prevenu, si d' avanture opus esset brachio, n' estant autrement* „ *besoin in iis, quæ sunt justitiæ d' aucun Placet.*

„ Episcopus *Tornacensis* 7. Jan. 1658. ad Inter-Nuntium ita scripsit: *Decreta Sacr. Congr. Spectantia* „ *ad librorum prohibitionem, semper fuisse continuo publicata, & in lucem edita, numquam viso pla-* *cito Regio.*

„ *Archiep. Cameræ.* 9. Octob. 1643. *Decretum Sedis Apostolicæ, quo errores D. Michaelis Bay olim* „ *condemnati sunt, fuit sine litteris Placiti regii publicatum.*

„ *Engelbertus* Episcopus *Namurcensis* anno 1643. 8. Octobris hæc ad Internuntium scrispsit = *Ad* „ *hanc diem* SEMPER VIDI LIBERE PUBLICARI *bullas absque Placito, quæ Apostolicas Beneficiorum provisiones* „ *non concernunt. Non capio, qui nonnulli velint, vel possint sustinere opus esse Placito pro publica-* „ *tione Bullarum quæ mere dogmatica fidei continent, quas certum est hactenus indiscriminatim, & sine* „ *contradictione fuisse per totum Belgium publicatas, receptas uti fuere Piana, & Gregoriana, de qui-* „ *bus est sermo* =.

„ Archidiac. Namurc. 26. Julii 1658. *La Bulle contre Jansenius a icy etè pubbliée avant aucun* „ *Placet.*

„ *Antonius Triest* Episcopus *Gandavensis* 1653. ad *Leopoldum* Archi-ducem scripsit: *le Placet ne* „ *doit avoir lieu, si non es provisions beneficiales.*

„ Unde Concilium Status in Consultatione 29. Octobris 1647. signata *Boisschot vidit*, ita habet: „ *Respectu Placiti sua Majestas a duobus circiter annis decidit Matriti hanc difficultatem, cum matura* „ *caussæ cognitione, & postquam jussisset videri, & examinari consultationes horum Conciliorum* (Priva- „ ti & Brabantini) *super illa re declarando, quod pro hac Bulla* (Urb. VIII. *in Eminenti*, in qua pro- „ hibetur liber *Jansenii*) *concernente pure articulos Fidei, & Religionis, non foret opus Placito.*

„ Difficultate iterum mota circa publicationem Decreti die 6. Sept. 1657. supra relati: Rex Catholicus „ Philippus IV. ad Marchionem de *Caracena*, tum *Belgii* Præfectum rescripsit his verbis. *Mon Cousin: ayant* „ *veu votre lettre du 3. d'Auril dernierement passè responsive à la mienne du 1. Fevrier antecedant, sur les plain-* „ *te du Nonce de sa Sainteté, concernant la publication d'un Edict de sa dite Sainteté prohibitif des certains li-* „ *vres, & ecrits de la doctrine condannée de Jansenius avec les deux consultes Des Conseils Privé, & de Brabant* „ *jointes à votre dite lettre, & le tout bien consideré, attendu même, que la matiere, dont il s'agit* „ *est purement dogmatique, n' estants les Placets requis, qu' en matiere Beneficiale & litigieuse entre* „ *Parties, j' ay bien voulu faire cette, a fin que sans sortir du stile, de ce que par de la s' est accou-*

„ *tumé*

qui timorem Domini habent, licet forte valeant apud eos, apud quos quidquid lubet, licet, & qui Ecclesiam oderunt, eamque Principibus Sæcularibus libenter in omnibus subjicerent, confusionem passuri (arrigant hic aures adversarii, & totis artubus contremiscant) *in magno illo die, quum ad judicandum eos veniet cujus sponsam heic contempserunt, & injuria affecerunt.* Hinc vel ipsi celebriores apud *Hispanos* Regiorum jurium Propugnatores *Franciscus Salgado, & Didacus Covarruvias* eam consuetudinem emollire student, cavendumque summopere ajunt, ne, nisi arctissimis circumscribatur limitibus, in maximum cedat animarum discrimen (13). Immo *Cenedo*, etsi Placitum Regium Reipublicæ utilissimum prædicat, non tamen illud in Regia jura referre audet, sed optimum fore ait, si Principes ab Apostolica Sede *Privilegium* impetrarent, ut *literæ, citationes, & aliæ omnes Bullæ obtentæ a Romano* Pontifice, antequam exequutioni mandentur in partibus, examinentur a Regis Tribunalibus (14).

8 Neque Adversarii tantam istorum in Regio Placito non tam circumscribendo, quam metuendo consensionem contemnant. *Romanum* enim Pontificem in omnibus Christiani Orbis ditionibus, atque Provinciis jus pascendi gregem sibi a Christo creditum exercere liberrimè posse, quin politicæ jurisdictioni obnoxius sit inficiabitur nemo, qui divini Primatus finem perspectum habeat. An *Petro* dictum a Christo: *pasce oves meas quo loco, & quoad tibi per Principes, eorumque Magistratus licuerit?* Minimè verò. Nulli heic limites *Pasce oves meas.* Num *Petro* dictum: *Quodcumque Principibus, eorumque, ad-Ministris indulgentibus, ligaveris super terram*

„ *tumé de faire en autres occasions de semblables matieres, vous permettiés, quele dit edict soit pu-* „ *blié, de la méme sorte, que par mon ordre ont eté publiées les autres Bulles de sa Saintité touchant* „ *les livres de Jansenius. A tant mon Cousin, Dieu vous ait en sa sainte garde. De Madrid le 13. de Juin 1659.*

Quid adhuc quæritur?

Hæc declaratio, in qua non recte dicitur (*quod Regi Catholico fuerit obreptum*) prorsus peremptoria est. Supremus Monarcha declarat, *Placita non requiri, nisi in materia beneficiali, & litigiosa inter partes*; idque non leviter sed prævia consultatione *Concilii privati, & Brabantini*, & præmissa matura deliberatione *le tout bien consideré*: insuper rationem addit: *Attendu que la matiere, dont il s'agit, est purement dogmatique.* Ex quo conficitur, non solas definitiones Fidei, sed & *prohibitiones librorum* (quale hoc decretum erat) ex declaratione regis censeri *Bullas dogmaticas*, & exemptas *a Placito*. Denique decernit, ut permittatur Decretum de 5. Septembr. 1657. publicari; *de la méme sorte, que par mon ordre ont eté publiées les autres Bulles de sa Sainteté touchant les livres de Jansenius.* Adeoque ejus Defensoribus nullum ex hac parte superesse effugium.

„ Iterato rex *Philippus* scripsit anno sequenti 12. Augusti 1660. ad eumdem *Belgii* Gubernatorem: „ *Quum tibi scripsissemus 31. Julii anni proxime elapsi ad instantiam ejusdem Nuntii probare me, ne impediretur publicatio dictæ Bullæ, eo quod esset in materia dogmatica, in qua materia censui Opus non esse Placito, atque ut dicto Internuntio, & favorem, & operam impenderes, qua publicatio opus haberet.*

„ Porro *Belgii* Gubernator ad Concilia ita scripsit: *visis, ac per suam Majestatem examinatis, quæ ex opinione vestra exhibuistis de publicatione Constitutionis suæ Sanctitatis, qua prohibentur nonnulla Folia, tractatus, & scripta spectantia ad quinque Propositiones damnatas ex doctrina Episcopi Jansenii: Significamus intentionem suæ Majestatis non esse, ut ipse expressis verbis suis nobis scripsit, ut velit ad publicationem Constitutionum Dogmaticarum a Sua Sanctitate emanatarum necessarium esse litteras Placiti obtinere. Quare cùm sufficienter appareat, dictam Constitutionem dogmaticam esse, ordinamus nomine, & ex parte suæ Majestatis, ne moveatis, aut interponatis difficultatem quamcumque adversus publicationem illius Constitutionis, aut aliarum, quæ ejusdem naturæ se possent offerre, quum visæ, & cognitæ fuerint esse tales*: Atque interea &c. *Bruxellis* 10. Dec. 1659.

„ Propter hanc postremam clausulam: *Quum visæ, & cognitæ fuerint esse tales, vués, & reconnuées étre telles* (quæ tamen non habetur in ipso Decreto Regio supra relato, sed heic in Belgio addita est) usus habet, ut Bullæ Pontificiæ exhibeantur Ministris Regiis, qui dispiciant, an aliquid contineant juribus Regiis, aut Patriæ privilegiis adversum, quo cognito absque ulla signatura de *visa*, aut alio diplomate, quod propriè *Placetum* vocant libere publicantur.

„ Multum autem interest inter *inspectionem, & Placetationem*: ista nullam in ipsam Bullam auctoritatem tribuit, sed meram ingerit notitiam; sic inspiciuntur Officialium institutiones, legatorum credentiales adventantium seu transeuntium patentes, vel salviconductus etsi inspicientes nullam de illis scriptis dispositionem habeant. *Placetum* vero est quasi confirmatio decreti, quæ & dependeret a voluntate placetantis, & sine qua Decretum nullius foret roboris, quod in *dogmaticis* locum habere non potest.

Stockmansium nunc, & *Van-Espenium*, per me licet, *Febronius* appellet; nihil equidem illorum *bono sensu* movebor, quos mendacii tot monumenta redarguunt.

(13) Adi Salgadum *de Supplic. ad Sanctiss. p. 1. c. II. n. 27. seqq.* & III. itemque de *Reg. Protect. p. 2. c. 2. n. 15. Didacum verò Covarruvias in quæstion. practic. q. 35. num. 6.*

(14) In Collect. n. v. de decretal.

terram erit ligatum, & in Cœlis? Nihil minus: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum, & in Cœlis*; generatim, & infinite dictum. Neque verò aliter fieri potuit, quum id bono unitatis fuerit constitutum. At si Apostolicæ Constitutiones non ante vim, effectumque sortiri possent, quam a Principibus probarentur, ubi illa gregis Christiani pascendi libertas? Ubi illa *quodcumque ligandi* potestas, quam Christus in *Petro Romanis* Pontificibus contulit, adseruitque? Præterea quis non intelligat; posita hujus *Placiti* necessitate Ecclesiasticam Potestatem Politicæ subdi? Quum tamen Politicam potius in iis, quæ ad spirituale regimen spectant, Ecclesiasticæ obnoxiam esse, quæ superiore capite adtulimus, Patrum, Pontificumque testimonia doceant, & ratio ipsa consentiat? Sed & ipsa imperantium in Placito Regio exigendo dissensio quantis sacram potestatem angustiis premit. Altero in Regno Beneficialia diplomata Principis consensum præstolantur: in altero immunia hæc sunt, non alia: apud *Gallos* ex Regio a. 1639. edicto Pontificia diplomata Episcopis exhiberi deberent, qui ad Regem de illis intra triduum referrent; in *Hispaniis* Regio Prætori, ita tamen, ut si hujus auctoritate eorum exequutio quandoque differtur, ac suspenditur, *Maximus Christi Vicarius Covarruvia teste* (15) *interim certior fiat, quot, & quantis afficiatur incommodis, & gravaminibus Respublica ista propter multa, quæ ab ipso falsis precibus, & suggestionibus impetrantur, quæ minime Sanctissimus Pontifex esset concessurus*. Sæpe sæpius Regum Administri quasi vadum tentaturi exiguum quid juris sibi deposcunt, ad summa mox convolant (16). Quid interim in tanta morum diversitate agant *Romani* Pontifices? Quam ineant viam, ut Apostolico muneri satisfaciant? Et credemus Christum Ecclesiæ suæ regimen plane incertum non tam Pontificum, quam laicorum hominum voluntati dimisisse? Male enimvero de Christo, ejusque in Ecclesiam suam studio sentiat, oportet, qui secum ita statuat. At Christo rei quoque publicæ tranquillitas cordi esse debuit. Quis negat? Verum quid illa periclitetur, nisi in Apostolicas Constitutiones imperium Principes exerceant? An non satis illi consultum si imperantibus liceat, quemadmodum certe licet, si quid discriminis jure metuatur, Episcopos in consilium vocare, auditisque illorum sententiis *Romanum* Pontificem de iis, quæ timentur, incommodis certiorem facere, atque ab illo expectare præsidium?

9 Sed nimirum, ut cum Zallweinio hanc Disputationem concludam (17) = si tantum haberent „ curæ zelantes isti pro decretis politicis, ne in „ bonum publicum impingant, quantum pro decretis ecclesiasticis, longè melius consultum foret *Rationi Status Politici*. Si modo aliqui Politici, de quibus pene certi sumus, quod in „ nulla alia re tantum curæ, & diligentiæ impendant, quantum in excogitandis rationibus externè speciosis, internè occulto veneno plenis: „ quatenus hoc modo potestas Ecclesiastica infringatur, & e contra Politica amplietur, hanc, „ vel illam legem Ecclesiasticam, decretum, & „ prohibitionem Pontificiam in Rationem Status „ Politici impingere asserant, satis est, ut ipsorum judicium velut Oraculum Delphicum adoretur.

De his plura vide in Opere sæpius citato, quod 10
prænotatur = *Ragioni della Sede Apostolica T. 1. p. 1.* = tum etiam apud Cardinalem *Althan* in Opusculo inscripto: *Rappresentanza alla M. C. e C. di Carlo IV. sopra la moderna pretensione del Regio Collaterale di voler esaminare, e dare il regio EXEQUATUR ad ogni genere di Bolle, e Lettere della Sede Apostolica*, = Et Illustrissimum *Bellugam* in libello supplici ad *Philippum V. Hispaniarum* Regem (*§. IV. num. 53. seqq.*) Quibus addi potest Braschius de libertate Ecclesiæ (T. II. cap. 37. seqq.) & *Zachariæ Antifebronius vindicatus* (T. IV. Diss. XII. cap. 2.)

PLAGIUM.

Plagium est crimen publicum, quo quis do- 1
lose subripit hominem liberum, vel servum alienum, sive detineat illum vinctum, aut celet, vel ei suadeat, ut a Patre, vel Domino suo aufugiat, sive vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo dominium rerum transfertur, aliis tradat, *l. 1. cum sequent. ff. & Cod. ad l. Fabiam, de Plagiariis*.

Hinc qui tale crimen committunt, Plagiarii ap- 2
pellantur, *cit. l. 1. cum sequentibus, ff. & cod. ad*
Leg. Fabiam, de Plagiariis. Et Plagiarii dicti sunt 3
a Plaga, quia Patri, & Domino magna plaga infligitur, dum ipsis liberi, & servi subtrahuntur, & surripiuntur, quo casu committi dicitur furtum, & Plagium, juxta text. *in §. Interdum, Institut. de obligat. quæ ex delict. nascuntur*, & observat Cotta *in Memor. verb. Plagiarius fol.* 450. Ursaya *Instit. Criminal. l. 2. tit. 8. n.* 216.

Tale crimen, si homo, qui subripitur, sit sui 4
Iuris

(15) Quæst. practic. q. 35. num. 6.

(16) Huc spectat, quod a. 1596. ad *Olivarium Neapoli* Proregem Clemens VIII. scribebat, esser tanto lontano dal vero, che l'*exequatur* sia immemorabile, che si sa benissimo il principio, e quando fu principiato, che colore gli fu dato, e con che occasione. Si sa, che il principio fu per le Chiese Cattedrali sole; si sa, che prima non si notava: si sa quando si cominciò a notare, prima in una cartuccia, e poi come si sia andato dilatando dai Ministri, e da' Consigli, i quali se avessero l'occhio solo a quello, che conviene, e non a dilatare sempre le fimbrie in pregiudizio della Giurisdizione Ecclesiastica, *non laboraremus*.

(17) Lib. I. pag. 378.

Juris non est proprie furtum, quia libera persona
sub nullius est dominio, *l. Item Juris*, *Institut. de*
5 *inutil. stipulat.* Si autem persona, quæ subripitur,
est adhuc sub patria potestate constituta, verum
furtum est; §. *Institut. de obligat. quæ ex delict.*
6 *nascuntur*. Et inde Patri actio furti competit: *l.*
Eum qui 14. §. *Si filius familias* 13. *ff. de furtis*, ibi:
Si filius familias subreptus sit, patrem habere furti actionem, palam est: & idem repetitur *l.* 37. *ff. eodem*.

7 Talis autem actio furti non competit Matri, ut pote potestate in prolem carenti; *l. Mater filii* 38. *ff. eod. de furt.* ibi: *Mater filii subrepti, furti actionem non habet*.

8 Pœna Plagii olim erat pœna pecuniaria, *l. final.*
9 *ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiariis*. Hodierno autem
Jure est pœna mortis, *cap. Qui furatur* 1. *de furtis*, ibi: *Qui furatur hominem, & vendiderit, convictus, morte moriatur*, juxta *l. Quoniam* 7. *& l. final. Cod. Ad Leg. Fabiam, de Plagiariis*.

10 Plagii crimen committut illi, qui modica pecunia data, vel fraudulentis suasionibus incautos alliciunt juvenes ad se adscribendum militiæ, ut observat Amenus *de delictis, & pœnis tit.* 3. §. 6. *n.* 36. ubi quod id practicari vidit in Urbe pro cujusdam Principis servitio, sed seditione facta, opus fuit ad illam sopiendam captos pristinæ libertati restituere, & refert etiam Ursaya *loc. cit. numer* 219. Quod, & novissimæ accidisse anno 1738. refertur.

Additiones ex aliena manu.

11 Ridiculus fere semper *Auctor* est, dum etymon nominis tradit; at maxime hic ridiculus est, qui: *Plagiarii* (inquit) *dicti sunt a plaga, quia Patri & Domino magna plaga infligitur, dum ipsis liberi, & servi subtrahuntur*. Vide, si lubet de etymologia hujus vocis *Antonium Matthæum de crimin. tit. de Leg. Fabia, de Plagiar. cap.* 1. *numer.* 2.

12 Illud hic non omittendum, quod is, cujus consilio plagium commissum est, plagii non tenetur. Non adversatur, quod qui Plagiario in aliqua re socius est, & ipse Plagiarius sit; *leg. penult.* §. *ultim. ff. de Leg. Fab. de Plagiar. Socium enim* (ut recte inquit *Antonius Matthæus ubi supra num.* 4. *intelligere debemus non qui consilium dumtaxat dedit, aut scalas forte commodavit, sed qui societatem sceleris contraxit, & in ipsa suppressione socius fuit*.

13 Nec refragatur quod plagiarius sit qui servo alieno persuasit, ut a Domino fugiat; Dum enim dicimus plagii non teneri eum, cujus consilio plagium commissum est, intelligimus si consilium datum Tertio sit, non item si consilium servo datum sit; *Anton. Matt. ibid.*

Responsio Auctoris.

Oh si adhuc in vivis degeret celeberrimus Ad- 14
vocatus Ursaya, ex quo dictam etymologiam desumpsi, certe pro sui defensione ostenderet, quinam magis dicendus esset ridiculus, an ipse, seu potius qui aliorum placita carpit & injuriosis
verbis Auctores ipsos lacessit. Mihi tantum liceat 15
repetere hic, quod immortalis memoriæ Pontifex Benedictus XIV. contra hujusmodi conviciatores habet in *Præfatione tom.* 1. *de Synodo Diœcesana*, §. *porro*; ibi: *nihil contumeliosa jacientes in alios, quantumvis ab opinione nostra longe dissentiant. Id enim homini christiano indignum, & honesto viro indecens existimamus, neque vero minus valide unumquemque sententiam suam tueri posse censemus, si ab aliorum contemptu, ac injuria abstineat*. Sed & audiatur laudatus Pontifex in sua Constitutione incip. *Sollicita ac provida*, §. 23. sic præcipiens: *Cohibeatur itaque ea Scriptorum licentia, qui, ut ajebat S. Augustinus lib.* 12. *Confess. cap.* 25. *numer.* 33. *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt*.

POENA.

Articulus I.

De pœnis in genere.

Pœna, ut expresse habetur in *l. Aliud* 131. 1
ff. de verbor. signif. est noxæ vindicta, ibi:
Pœna est noxæ vindicta, idest, & delictorum, sive criminum coercitio, seu vindicta in emendationem hominum constituta; *l. Si pœna* 26. *de pœnis*, ibi: *Pœna constituitur in emendationem*
hominum Pœna enim est mensura culpæ, juxta il- 2
lud *Deuteronomii* 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus, & cap. Sane* 11. *de officio Delegati*
cum similibus. Et regulariter sine culpa nemo pu- 3
nitur; *l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, *c. Joannes* 23. *& cap. Quidam* 25. *de homicid. cap. sine culpa* 23. *de Regul. Juris*, ibi: *Sine culpa*; *nisi subsit causa*)
non est aliquis puniendus. Quamvis interdum ob 4
publicum bonum puniatur quis sine propria culpa, uti fit in crimine læsæ Majestatis, ratione cujus filii etiam innocentes puniuntur in detestationem tanti paterni criminis; *l. Quisquis* 5. §. 1. *Cod. Ad leg. Jul. Majestat.* & in aliquibus aliis casibus, ubi subest justa causa puniendi etiam innocentes ad ceterorum terrorem; unde *in citat. cap. sine culpa* 23. *de Regul. juris* merito dicitur, quod sine culpa non est aliquis puniendus *nisi subsit causa*.

Pœna differt a mulcta, ut patet ex *l. Aliud* 131. 5
ff. de verbor. significat. ibi: *Inter mulctam autem & pœnam multum interest*. Pœna enim nomen est generale conveniens cuilibet criminis coercitioni,

mulcta vero nomen est speciale conveniens tantum pœnæ pecuniariæ, ibi: *Cum pœna generale sit nomen omnium delictorum coercitio, mulcta specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est: pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis, & existimationis irrogari solet.* Item pœna a lege decernitur, mulcta vero arbitrarie a Judice datur, ibi: *Mulcta quidem ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit, pœna non irrogatur nisi quæ quaque lege, vel quo alio jure specialiter huic delicto imposita est; quinimmo mulcta ibi dicitur ubi specialis pœna non est imposita.*

6 Pœna differt etiam a pœnitentia, quia hæc imponitur, ut satisfiat Deo in foro interno; pœna autem, ut satisfiat Reipublicæ in foro externo, & ideo pœnitentia non liberat a pœna, ut recte notant Abbas *in cap. De his n. 3. de accusat.* Amenus *de delictis, & pœnis tit. 1. procemial. §. 4. num. 4.* & alii, unde excommunicatus denunciatus, ut absolvatur a Censura debet subire pœnitentiam sibi injunctam ab absolvente ad satisfaciendum Ecclesiæ offensæ, & pœnam inflictam a Judice ad satisfaciendum pro delicto commisso in ceterorum exemplum, & terrorem. Item pœna infligitur invito independenter, & contra Rei voluntatem, pœnitentia autem indiget acceptatione, & consensu pœnitentis, ut recte observant Thesaurus *de pœn. part. 1. cap. 2. vers. secundo pœna,* Amenus *loc. cit. num. 6.* & alii passim.

7 Pœna in genere alia est Civilis, & alia Criminalis. Pœna *Criminalis* est, quæ tendit ad vindictam publicam, estque definita *supra n. 1.* Pœna *Civilis* est, quæ non tendit ad vindictam publicam, sed ad privatum commodum partis læsæ, quæ tamen rigorose loquendo non est pœna proprie dicta, sed solum minus proprie talis. Hæc pœna subdividitur in Conventionalem, Legalem, & Judicialem. Pœna *Conventionalis* est, quæ committitur, & præstari debet ex conventione partium, si aliquid v. g. datum, vel factum non fuerit, ut pactum *in cap. Constitutus 7. de pœnis.* Pœna *Legalis* est, quæ imponitur a Lege, vel pro reparatione damni illati, vel propter contumaciam, aut contemptum. Pœna *Judicialis* est, quæ a Judice infligitur.

8 (*) Pœna criminalis subdivitur primo in duas species: Aliæ quippe vitam adimunt, aliæ æstimationem vel minuunt, vel etiam omnino consumunt. Has pœnas explicat Callistratus in *l. 5. §. 1. 2. 3. ff. de Extraord. cognit.* (*) Deinde pœna Criminalis subdividitur in Capitalem, & non Capitalem. Pœna *Capitalis* est, per quam infertur mors naturalis, vel Civilis per mediam, vel maximam capitis diminutionem, adimendo libertatem, vel jus Civitatis, sicque pœnæ capitales sunt tres, scilicet ultimum supplicium, quæ vocatur maxima, damnatio ad metallum, quæ dicitur media, & deportatio in Insulam, quæ appellatur minima, *l. Rei capitalis 2. & l. Capitalium pœnarum 28. de pœnis, & l. Licet 103. ff. de verbor. significat.* Pœna *non Capitalis* est, qua quis salva vita naturali, & civili coercetur, uti est pœna relegationis, fustigationis, amputationis alicujus membri, stigmatis, seu bullationis, & hujusmodi; *cit. l. Capitalium 28. §. 1. ff. de pœnis.*

Pœna criminalis alia est corporalis, seu corporis afflictiva, & alia pecuniaria. Item alia temporalis, & alia perpetua, patentque omnes ex terminis. (*) Hæc diversarum pœnarum genera paucis complectitur Ulpianus in *l. 6. §. 2. ff. de pœnis.* Sunt pœnæ, quæ aut vitam adimunt, aut servitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium, aut coercitionem corporis continent, & *l. 8. ff. eod.* Aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicujus actus prohibitionem. (*) 9

Pœna in genere alia est ordinaria, & alia extraordinaria, seu arbitraria. Pœna *ordinaria*, seu Legalis est, quam lex, seu Princeps expresse, & determinate statuit, aut consuetudo induxit, seu præscripsit. *Extraordinaria* autem seu arbitraria est, quæ nulla lege, statuto, aut consuetudine est definita, sed extra ordinem a Judice imponitur juxta prudens, ac justum ejus arbitrium pro varia delictorum qualitate. Sic *in re Communis Doctorum.* 10

Item pœna in genere alia est latæ, & alia ferendæ sententiæ. Pœna *latæ sententiæ* est, quæ ipso facto, seu criminis perpetratione, & Legis, seu mandati transgressione incurritur absque sententia condemnatoria. Pœna *ferendæ sententiæ* est, quæ a delinquente non statim ipso facto seu legis, aut mandati transgressione incurritur, sed requirit sententiam Judicis condemnatoriam, debetque primum a Judice infligi. *Sic in re Doctores communiter.* 11

Ad cognoscendum an pœna sit latæ, vel ferendæ sententiæ traduntur quinque regulæ, quæ assignantur sub verb. *Lex art. 2. a num. 28. ad 35.* Vide *ibi.* 12

An quando Lex utitur verbis imperativi modi, quæ afficiunt immediate ipsam pœnam, sit latæ, vel ferendæ sententiæ? multi volunt, quod sit latæ sententiæ. Vide *d. verb. Lex art. 2. n. 32.* 13

Plurimi tamen alii tenent, quod sit solum sententiæ ferendæ. Vide *ibid. n. 33.* 14

Respondetur ad auctoritates pro prima opinione adductas. Vide *ibid. n. 34.* 15

Pœna, seu Lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam Judicis. Vide *ibidem numer. 36.* 16

Pœna, seu Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ aliam executionem externam non requirunt, obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. Vide *ibid. n. 37.* 17

Pœna, seu Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ externam executionem requirunt, non obligat in conscientia ante Judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso, nisi Lex in specie addat clausulam: *alia etiam declaratione non secuta.* Vide *ibid. n. 38.* 18

Immo secundum plurimos, etiamsi Lex addat talem clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*, vel simile, non obligat ante declaratoriam Judicis de crimine commisso, nisi in aliquibus specialibus pœnis, quæ assignantur. Vide *ibid. num. 39.* 19

Decla-

20 Declaratoria de crimine commisso requirit citationem partis, & ab ea dari potest appellatio. Vide *ibid. n.* 40.

21 Adducitur, & solvitur instantia. Vide *ibidem num.* 41.

22 Assignatur notabilis differentia inter sententiam condemnatoriam, & declaratoriam. Vide *ibidem num.* 42.

23 Assignatur quomodo, non obstante clausula *ipso facto incurrenda*, adhuc requiratur sententia declaratoria Judicis. Vide *ibid. n.* 43.

24 Assignatur, quomodo non obstante clausula *absque alia declaratione*, adhuc requiratur talis sententia declaratoria Judicis. Vide *ibidem numer.* 44.

25 Transgressores Legis incurrunt pœnam illius, etiamsi talem pœnam ignorent, exceptis tamen Censuris. *Communis*. Et ratio est, quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, adeoque nec effectum, seu ipsam pœnam; Tum quia ex praxi omnium Tribunalium Rei, & Legum transgressores puniuntur variis pœnis v. g. patibuli, gladii, combustionis, rotæ, & hujusmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint delicta a se committenda, & commissa pœnis hujusmodi subjacere.

26 Judex inferior regulariter loquendo non potest augere, vel minuere pœnas a jure statutas. *Communis*. Et ratio est, quia Judex tenetur servare æquitatem Legalem, debetque, non de Legibus, sed secundum Leges judicare; *c. In Istis* 3. *d.* 4. ibi: *In istis temporalibus Legibus, cum fuerint institutæ & confirmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*, & concordant *c. Summopere* 70. *caus.* 11. *q.* 3. *& l. Accusatorum* 1. *ff. Ad Senatus Consultum Turpillianum*, ibi: *Facti quidem quæstio in arbitrio judicantis est, pœnæ vero prosecutio non ejus voluntati mandatur, sed Legis auctoritati reservatur*.

18 Id tamen potest Princeps Supremus. *Communis*. Et ratio est, quia cum ipse Lege humana superior censeatur; *leg. Princeps* 31. *ff. de Legibus*, potest licite Reo pœnam aut minuere, vel omnino remittere, aut augere quod & interdum expedit, præsertim in delictis enormibus, & atrocibus, aliisque frequentatis, cum majorum pœnarum metu delinquentes facilius a delictis abstineant, *ut quos timor Dei a peccatis non revocat, saltem coerceat severitas disciplinæ*, textu expresso *in c. Cum in cunctis* 7. §. *Clerici sane, de election.* Unde Princeps uti non debet lenitate contra delinquentes, sed potius severitate, per lenitatem enim Rex contemnitur, Lex despicitur, & Grex inficitur: Econtra vero per severitatem Rex honoratur, Lex servatur, & Grex salvatur, ut observant Luc. de Penna *in l.* 3. *Cod. De his, qui ex publicat. collect.* & Gaballus *Resolut. crimin.* 99. *n.* 102. ac alii.

28 Et ex justis causis id potest interdum etiam Judex inferior: Ipse enim ob speciales circumstantias potest pœnas ordinarias, & a Lege præscriptas imminuere, aut aggravare. *Communis* per text. *in l. Aut facta* 16. *ff. de pœnis*, ubi inter alia dicitur, quod quantum ad hoc delicta *consideranda sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu*.

Justæ autem causæ, ex quibus eorum pœnæ a Judice inferiori augeri possunt, sunt præsertim sequentes. Prima est ratione qualitatis personæ delinquentis; *l. Aut facta* 16. §. 3. *ff. De pœnis*; quæ si ob rationem sui status obligetur ad evitanda delicta, & tamen delinquat, gravius evadit ejus delictum, graviusque est puniendum, juxta illud S. Gregorii *Homilia* 9. *in Evangelia*, ibi: *Lectio Sancti Evangelii, Fratres Carissimi, sollicite considerare nos admonet, ne nos qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab Auctore mundi, gravius inde judicemur*. 29

Secunda, ratione objecti, seu personæ offensæ; *cit. l. Aut facta* §. 3. gravius est enim offendere Deum, quam hominem, *cap. Sicut qui Ecclesiam* 17. *quæst.* 4. *cap. Vergentis, de Hæretic. Authent. Catharos eod. tit.* & gravitas delicti contra hominem commissi mensuratur a dignitate personæ offensæ. *Clementin.* 1. §. *Nec super, de pœnis*. 30

Tertia, ratione causæ; *cit. l. Aut facta*, §. 2. ubi enim nulla, aut debilis est causa delinquendi, gravius evadit delictum, quia in tali casu major arguitur perversitas voluntatis in delinquente; Unde gravius puniuntur homicidia sine ulla, aut debili causa commissa; quam cum aliqua gravi causa patrata; *cap. Sicut dignum* 6. *de homicid.* 31

Quarta, ratione advertentiæ; gravius enim delinquit, qui advertenter, & pensate delictum committit, quam qui ex perturbatione mentis ab ira, amore, furore, & hujusmodi *cit. l. aut facta* §. 2. ut patet de graviori punitione homicidii appensati, quam casualis; *cap. Sicut dignum* 6. *de homicid. & cap. Lator* 9. *tit. eodem*. 32

Quinta, ratione consuetudinis delinquendi, quia ob talem consuetudinem censetur delinquens magis deliberato animo, & iniquiori voluntate delinquere; *l. Capitalium* 28. §. 3. *&* 10. *ff. de pœnis*: *l. Nemo deinceps* 3. *Cod. de Episcopali audientia*: *c. Sicut dignum* 6. *de homicid.* 33

Sexta, ratione loci, *cit. l. Aut facta* §. 4. gravius enim evadit crimen commissum in Palatio, aut præsentia Principis, quam alibi, juxta illud *Esther c.* 7. *num.* 8. ibi: *Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea*. Et universaliter locus majori reverentia dignus auget delictum in eo commissum; *arg. c.* 1. *de pœnit., dist.* 5. *l. Sed est quæstionis in princip. ff. de injuriis* §. *Atrox, Inst. eod. tit. l. Aut facta* §. 4. *ff. de pœnis*, *l. Prætor edixit* §. *Atrocem*, *ff. de injuriis*. 34

Septima, ratione temporis, *cit. l. Aut facta* §. 5. *& cit. cap. Sicut dignum*. Sic omnia delicta commissa tempore nocturno graviora evadunt ratione talis temporis, ut patet de furto, quod ratione nocturni temporis gravius reputatur omni jure Divino, Ecclesiastico, & Civili; *Exodi cap.* 22. *numer.* 21. *capite Si perfodiens* 3. *de homicidiis leg.* 4. §. 1. *ff. Ad Leg. Aquil. leg.* 9. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis*, *l. Sacrilegii vers. Ceterum*, *ff. ad Leg. Jul. peculatus*, & sic etiam graviora sunt delicta commissa temporibus pœnitentiæ, jejuniorum, 35

rum, Festivitatum, & Divinorum Officiorum, & hujusmodi.

36 Octava, ratione modi, *cit. l. Aut facta*, §. 6. *cit. cap. Sicut dignum*; gravius enim delictum est hominem repetitis tormentis, ac lenta morte perimere, quam simpliciter necare; & gravius est homicidium proditorium, quam aperta aggressione commissum; *l. Plus est* 1. *C. de Maleficis, & Mathemat.* ibi: *Plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio*, cum similibus.

37 Nona, ratione scandali, cum enim scandalum ex se grave peccatum sit, juxta illud Matthæi, *c.* 18. *num.* 6. *Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*, si adjungatur alicui delicto ex tali adjectione gravius redditur crimen. Unde jure merito Leges tum Civiles, tum Canonicæ talia scandalosa crimina maxime aversantur, *l. Si quis filio* 6. §. 7. & 8. *ff. de injusto, rupto, irrito facto Testament. l. Qui cædem* 16. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis, cap. Consideravimus*, 10. *de election. cap. Super eo* 1. *de sent. excomm.* cum similibus. Aliæ adhuc justæ causæ augendi Reorum pœnas possent adduci, sed brevitatis gratia videndæ apud Criminalistas relinquuntur, & ad justas causas dictas minuendi & temperandi pœnas transimus.

38 Prima igitur justa causa minuendi pœnas est credulitas, & opinio non delinquendi, mitius enim punitur qui delinquendo credit se non delinquere, sed licite agere; *l. Igitur, vers. Et generaliter, ff. de liber. caus. l. Clam possidere, ff. de acquirend. possess. c. Sicut dignum* 6. *de homicid.* cum similibus.

39 Secunda est ætas delinquentis, sive tenella, & imbecillis, ut in pueris, sive ingravescens, ut in Senibus; Minores enim, & Senes delinquentes mitius puniri consuetum est; *l. Fere omnibus, ff. de Regul. Juris, l. Aut facta* 6. §. 3. *in fine, ff. de pœnis cap.* 1. & 2. *de delictis puer. c. Sicut dignum* 6. *de homic. cap. Fraternitatis dist.* 34. *c. Tanta nequitia dist.* 86. cum similibus.

40 Tertia est iracundia; delictum enim ex ira commissum mitius puniri debet; *l. Aut facta* 16. §. 2. *de pœnis, l. Abolitio* 2. *Cod. de abolitionibus, cap. Si quis iratus*, 2. *qu.* 3. cum similibus.

41 Quarta est sexus fragilitas: mitius enim puniri debent feminæ, quam viri, cum in pœnis infligendis sexus ratio habenda sit, text. expresso *in cit. c. Sicut dignum* 6. *de homicid. & in c. Indignanter* 4. *caus.* 32. *q.* 6.

42 Quinta est præstantia, & nobilitas personæ delinquentis; Nobiles enim, & digniores mitius puniri debent, quam ignobiles, & minus digni, *l. Podius*, §. 1. & *l. final. de incendio, ruina, & naufragio, l. Aut damnum* §. *In ministerium, ff. de pœnis, l. Sacrilegii*, §. 1. *ff. Ad leg. Jul. Peculatus, l. Annorum*, §. *pœna, ff. de sepulcro violato, c. final. de pœnis*, & *c. Pastoralis*, *de officio delegat.*

43 Sexta est insignis peritia delinquentis. Excellens enim, & unicus in arte non debet mori; & propter ejus excellens artificium, & eximiam industriam ei minuitur, vel in totum pœna remittitur, *l. Ad bestias* 31. *ff. de pœnis*.

Septima est ebrietas: omne enim delictum quamvis grave, & atrox durante ebrietate commissum, 44
non rigorosa pœna ordinaria, sed mitiori extraordinaria punitur; *l. Omne delictum* 2. §. 7. *verb. Per vinum, ff. de re militari, c. Sane, & c. Inebriaverunt* 25. *q.* 1.

Octava est diuturnitas temporis lapsi a die com- 45
missi delicti. Qui enim jam a multo tempore delictum commisit, non rigorosa pœna ordinaria, uti de recenti delinquentes, sed mitiori extraordinaria puniendi sunt, text. expresso *in l. Si diutino tempore* 25. *ff. de pœnis*. Variæ aliæ adhuc justæ causæ minuendi Reorum pœnas essent hic adducendæ, sed istæ etiam apud Criminalistas videndæ relinquuntur, notando solum, quod omnes illæ adductæ, si adsint, augent Reorum culpam, & pœnam; si absint, ipsam minorant.

In pœnis arbitrariis debet Judex procedere jux- 46
ta qualitatem delicti, ut sic pœna crimini commensuretur; *c. Sane* 11. *de officio Delegati, cap. Sicut dignum* 6. *de homic.* Quantum enim quis peccavit, tantum puniri debet, juxta illud *Deuteronomii cap.* 25. *num.* 3. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*, & aliud Apocalyps. *cap.* 18. *num.* 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Et ratio conclusionis est, quia arbitrium Judici relictum non sumitur pro arbitrio libero, & absoluto, ac pleno suæ voluntatis, sed pro arbitrio regulato a jure, & recta ratione, sive pro arbitrio boni viri; *arg. l. Non possunt* 12. *ff. de legibus, l. Si societatem* 6. & *l. Societatem* 76. *ff. Pro socio*.

Stante autem dubio, aut diversa juris intelli- 47
gentia, Judex debet semper in mitiorem partem declinare; *cap. In obscuris* 30. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *In obscuris minimum est sequendum, cap. In pœnis* 49. *eod. in* 6. ibi: *In pœnis benignior est interpretatio facienda, l. Factum* 155. §. 2. *ff. de regul. juris*, ibi: *In pœnalibus causis benignius interpretandum est*. Ex capite enim *Alligant* 12. *caus.* 26. *qu.* 7. expresse habetur, quod *melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem*, & in ejus Summario dicitur: *melius est errare in misericordia remittendi, quam in severitate ulciscendi*.

Cum hoc tamen, quod circa Reos in gravioribus 48
criminibus legitime convictos, non debet uti nimia clementia, juxta illud *Exodi* 22. *Maleficos non patieris vivere*, ne inde malefactores spe clementiæ, & ulterioris veniæ sensim multiplicentur in grave Reipublicæ detrimentum, sed cum istis juxta Legum severitatem cum aliquo temperamento benignitatis procedat, prout statuitur *in l. Respiciendum* 21. *ff. de pœnis*, ad hoc ut cæteri punitorum exemplo edocti, ad crimina perpetranda non prosiliant, ut *unius pœna metus possit esse multorum*, textu expresso *in l. Ut unius* 1. *C. ad Leg. Jul. Repetundarum*. Unde ad rem Seneca *de Clementia* 49
lib. 1. *c.* 22. *in princ.* sic habet: *In vindicandis injuriis tria Lex secuta est; quæ Princeps quoque sequi debet*

debet; Aut ut eum, quem punit, emendet. Aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat. Aut ut sublatis malis securiores cæteri vivant.

50 Pœna imposita in foro conscientiæ non liberat a pœna imponenda in foro fori. Clar. *quæst.* 16. *numer.* 5. *& quæst.* 60. *numer.* 21. Amenus *de delictis, & pœnis tit.* 8. §. 6. *num.* 60. & alii passim.

51 Pœnas pecuniarias, seu mulctas tenetur Episcopus applicare locis, & usibus piis, tum ex dispositione Juris *in c. Presbyteri* 2. *de pœnis*, tum ex præcepto Concil. Tridentin. *cap.* 1. *sess.* 6. *cap.* 1. *sess.* 23. *& cap.* 3. *sess.* 25. *de reform.* ut pluries decrevit Sacra Congregatio Concil. ac Episc. & Regul. apud Barbosam *de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 107. *a num.* 19. Dianam *part.* 10. *tract.* 8. *resolut.* 2. §. *Ad hæc*, Quarant. *in Summa Bullar. verb. pœnæ pecuniariæ*, Nicol. *Lucubrat. Canon. lib.* 5. *tit.* 37. *per tot.* Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap. Presbyteri* 2. *de pœnis per tot.* & tenent Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 37. *num.* 101. Conciol. *resolut. criminal. verb. Episcopus resolut.* 1. *numer.* 10. Monacell. *tom.* 1. *formul.* 13. *num.* 1. Ursaya *Instit. criminal. lib.* 4. *tit.* 5. *numer.* 196. & alii passim. Vide verb. *Episcop. artic.* 6. *a numer.* 63.

52 Pœnæ omnes, & mulctæ, sive ex Constitutionibus Synodalibus, sive ex præceptis, sive ex decretis Episcopi, vel Vicarii proveniant, sive ex stipulatione Prætoria descendant, sunt piis locis, non autem Fabricæ, vel Sacristiæ Ecclesiæ applicandæ. *Sacra Congregatio Concil. in Messanen.* apud Fagnan. *loc. cit. num.* 32. & Barbosam *in Summa Apostol. decis. verb. Pœna criminalis pecuniaria num.* 2.

53 Pœnæ pecuniariæ non possunt erogari in reparationem Palatii Episcopalis, aut domus Vicarii Generalis. Sacra Congregatio Concil. apud Fagn. *loc. cit. num.* 38. *& Sac. Cong. Episc. & Regul. in Anversana* 22. *Jan.* 1591. apud Barbosam *loc. citat. num.* 3.

54 Pœnarum, seu mulctarum nulla portio potest ab Episcopo assignari Depositario earumdem pœnarum, nec restaurationi Carcerum Episcopalium, nec pro vestiendis Apostolis, quibus lavantur pedes in die Cœnæ Domini, nec pro supplemento salarii Musicorum Ecclesiæ Cathedrali inservientium, *Sacr. Congr. Concilii in Firmana* 16. *Aprilis* 1633. apud Barbos. *loc. cit. num.* 9.

55 Nec potest Episcopus applicare pœnas pecuniarias pro Vicario Curiæ Episcopalis, aut Salario Notarii, & Ministrorum. *Sacra Congregatio Conc. in Albanen.* 5. *Febr.* 1618. apud Barbosam *loc. cit. num.* 7.

56 Nec eas pro aliqua parte applicare potest Procuratori Fiscali, Executoribus, ac Ministris Curiæ. *Sacra Congregatio Concilii in una Montis Alcini* 10. *Julii* 1610. apud Fagnan. *loc. citat. numer.* 30.

57 Nec eas assignare potest pro Birruariis Curiæ Episcopalis. *Sacra Congregatio Concilii in Januen.* 5. *Junii* 1632. apud Barbosam *loc. citat. numer.* 8.

58 Nec eas applicare potest pro expensis Tribunalis, quia hæc causa non potest dici pia; Tum quia cum expensæ hujusmodi spectent ad Episcopum, *cap. Militare* 5. *caus.* 23. *quæst.* 1. & notatur in *cap. Cum ab omni* 10. *de vita, & honestate Clericor.* talis applicatio cederet in Episcopi utilitatem, quo casu nec ipsi Ecclesiæ, vel Sacristiæ fieri potest earum applicatio, ut respondit *S. Congr.* teste Fagn. *l. c. n.* 31. *&* 37.

Nec potest Episcopus, etiam pauper, eas sibi, seu Cameræ suæ Episcopali applicare, non obstante contraria consuetudine; *Sacra Congregatio Concil.* apud Quarant. *in Summa Bullar. verb. Pœnæ pecuniariæ*, Piasec. *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 97. Barbos. *loc. citat. num.* 5. Monacel. *loc. citat. numer.* 2. *& seq.* Ursayam *loc. cit. num.* 196. 59

Unde si Episcopus vere sit pauper, vereque indigeat, debet recurrere ad Sacram Congregationem Concilii pro gratia applicationis dictarum mulctarum, quæ solet illas ad tempus permittere Episcopis vere pauperibus, vereque indigentibus, vel pro sua, & familiæ necessitate, vel pro Episcopalis Palatii refectione, & similibus, ut pluries fuisse decisum refert Zaul. *tom.* 1. *lib.* 4. *rubr.* 20. *num.* 57. & resolvit *d. Sac. Cong. Conc. in Ravellen.* 13. *Jan.* 1646. *& in Civitatis Ducalis* 27. *Maii* 1656. *ac in Narnien.* 6. *Febr.* 1700. apud Ursayam *loc. cit. num.* 198. 60

Et Episcopus mulctas pecuniarias locis, & usibus piis non assignans, sed sibi, aut suis Officialibus, & Ministris applicans sine facultate Sacræ Congregationis, non est immunis a culpa mortali, ut multis probat Monacell. *loc. cit. numer.* 3. & sequitur Ursaya *loc. cit. num.* 197. & alii; Talis enim Episcopus contemnit in re gravi Sacros Canones, ac Concilium Tridentinum, quod *sess.* 25. *de reform. c.* 3. non hortatur, neque obiter decernit, sed imperative omnibus Episcopis tam pauperibus, quam divitibus præcipit, quod mulctæ pecuniariæ *locis piis assignentur*, adeoque transgressio ex sui natura erit mortalis, cum Decreta Apostolica, & Conciliaria obligandi vim habeant etiam sub reatu peccati mortalis; *c. Nulli fas* 5. *dist.* 19. *cap. De his* 6. *distinct.* 5. *cap. Quia* 6. *dist.* 64. *c. Violatores* 5. *caus.* 25. *q.* 1. & tenet Fagnan. *in cap. Quoniam* 13. *de Constitut. num.* 22. cum Archidiacon. Geminian. Felin. & aliis ibi citatis, & *in cap. A crapula* 14. *de vita, & honest. Cleric. num.* 21. cum aliis ibi allegatis. 61

Si concedatur Episcopo applicatio pœnæ pecuniariæ pro Episcopatu, & Sacrario, sub nomine Episcopatus intelligitur Ecclesia Cathedralis, Palatium Episcopale, & omnes Fabricæ, quibus Episcopus providere tenetur: sub nomine vero Sacrarii, non solum suppellex, quæ inservit pro Ecclesia Cathedrali, sed etiam quælibet alia necessaria pro aliis Ecclesiis, Oratoriis, vel Capellis ab ipso Episcopatu, vel Cathedrali dependentibus. *Sac. Congregat. Episcopor. & Regular. in Assisien.* 17. *Maii* 1592. *& in una Montis Pelusii* 17. *Novembris* 1593. apud Pitton. *Constitut. ad Episcopos num.* 27. 62

Pœnæ, & mulctæ delinquentium in una ex duabus Diœcesibus unitis applicandæ sunt piis locis Diœ- 63

Diœcesis, cujus sunt delinquentes, & in pari necessitate pauperibus loci, ubi habitant ipsi delinquentes. *Sacra Congregatio Episcop. & Regular. in Venusina* 21. *Novembr.* 1600. apud Pitton. *loc. cit. num.*376. Barbos. *loc. cit. n.*4. *& eadem Sac. Congr. in Squillac.* 6. *Mart.* 1618. apud Monacell. *loc. cit. num.*6.

64 Si mulctæ non fuerint per Episcopum in vita applicatæ, non possunt ad minorem summam reduci per Vicarium Capitularem. Sic respondit *Sacra Congregatio Concilii in Ripana* 18. *Aprilis* 1654. *lib.* 19. *Decretor. fol.* 336. apud Ursayam *loc. citat. num.*199.

65 Pro mulctis retinendis debet ab Episcopo fieri Depositarius ipsarum. *Sac. Congreg. Episc. in Ostunen.* 3. *Septembr.* 1577. *in Spoletana* 25. *Octob.*1580. *in Andrien.* 5. *Augusti* 1602. *&* 17. *Februarii* 1645. *& Sac. Congr. Conc.* apud Fagnan. *loc. citat. num.* 32. *& seq.*

66 Et talis mulctarum Depositarius debet esse aliquis de Capitulo; *Sacra Congregatio in Messanen.* apud Fagnan. *loc. cit. num.* 32. Monacel *loc. cit. nu-*
67 *mer.* 7. Debetque cautionem præstare de bene administrando, expendendo, seu distribuendo cum mandato subscripto ab Ordinario, & reddenda ratione in fine anni coram Ordinario, & duobus Capitularibus. *Sacra Congregatio Episcop. & Regul. in Cathacen.* 17. *Febr.* 1645. *& in Minerbien.* 6.
68 *Septembris* 1652. Quorum Canonicorum alter debet eligi ab Episcopo, & alter a Capitulo. *Sacra Congregatio Episcopor. in Terracinen.* 20. *Novembris* 1654.

69 Pecunia mulctarum nullo modo retineri potest ab Ordinario. *Sacra Congregatio Episcopor. & Regul. in Andrien.* 10. *Septembris* 1596. apud Nicol. *in Floscul.* verb. *Pœna num.* 6. & sic videtur voluisse etiam *Sacra Congregatio Concil. in Messanen.* apud Fagnan. *loc. citat. num.* 32. dum Archiepiscopo Messanensi injunxit, ut pœnarum pecuniariarum Depositarium aliquem ex Capitulo con-
70 stitueret. Unde Depositarius mulctarum non debet deputari pro forma, sed ut vere, & realiter mulctæ apud eum deponantur. Monacell. *loc. citat. num.* 9. & alii id colligentes ex allatis Decretis.

71 Pœnæ, & mulctæ non observantium dies Festos pro tertia parte applicari debent accusatori, & pro quarta executoribus; S. Pius V. Constitut. incip. *Cum primum*. Fagnan. *loc. citat. numer.* 34.

72 Pœna, & mulcta interficientis Presbyterum applicanda est pro medietate Ecclesiæ, cui præfuit, & pro alia medietate distribuenda est in pauperes pro anima mortui, textu expresso *in cap. Presbyteris, de pœnis*, & ibi Canonistæ communiter.

73 Ordinarius abstinere debet a pœnis pecuniariis contra Regulares. *S. Congr. Episc. & Regul. in una Conventualium* 29. *Sept.* 1645. apud Nicol. *loc. cit. num.*7.

Additiones ex aliena manu.

Quædam sunt crimina, in quibus minor ætas 74
non minuit pœnam. Hujusmodi sunt furtum Hostiæ ex Constitutione Innocentii XI. *Ad nostri Apostolatus* confirmata a feliciter regnante Summo Pontifice in Constitutione *Gravissimum*: celebratio 75
Missæ facta a non promoto ad Presbyteratus Ordinem ex Constitutione Urbani VIII. *Apostolatus Officium* confirmata a San. Mem. Benedicto XIV. in Constitutione *Sacerdos in æternum*. Idemque obti- 76
net, si quis non promotus ad Ordinem Presbyteratus Confessiones Fidelium audiverit, *ut ex iisdem Constitutionibus*.

Adverte tamen id procedere, dummodo Reus 77
vigesimum annum compleverit. Quod si intra annum vigesimum fuerit, locus est diminutioni pœnæ, ut habetur *in mox citatis Constitutionibus*.

Quinimo attentis *iisdem Constitutionibus* aliud 78
singulare in delictis hisce occurrit, quod scilicet confessio, quam vocant *de plano*, facta scilicet a Reo in primo generali Interrogatorio nec etiam suffragatur ad pœnam minuendam.

De Episcopo quæri solet, an valeat is compo- 79
nere delicta Clericorum convertendo pœnam in mulctam aliquam pecuniariam: Varias Doctorum opiniones refert *Rosa de Resid. Episc. tit.* 4. *sect. ult. n.*57. *& plur. seq.* qui tamen pro affirmativa est; Confer etiam Romaguer. *ad Synodal. Gerunden. lib.* 3. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.*11.

Cæterum non debet temere, & sine causa Epi- 80
scopus ad compositionem devenire: *Episcopus* (inquit *Rosa ubi supra*) *debet multa observare, præsertim, ut eam tunc faciat, quando pars est concordata, & habita fuit remissio, seu exculpatio a parte offensa &c. Secundo, ut fiat ante sententiam latam, licet nunc in praxi utatur illa clausula: Salva potestate minuendi, aggratiandi &c. Qua attenta etiam post sententiam latam a Vicario potest Episcopus facere compositionem &c. Et sic Episcopus compositionem facere debet: quando hæc pecuniaria plus juvaret quam alia &c. Divitibus autem cum magna cautela, & prudentia imponenda est pœna hæc pecuniaria, quia nullam Reus prætermittit culpam, quam redimere potest auro &c. Et docent etiam hujusmodi Doctores, quod tantum facere potest hanc compositionem quando venit imponenda pœna extraordinaria, & ubi pœna non est a jure taxata; secus autem si esset statuta, vel in gravioribus criminibus, vel manifestis &c. Tandem compositionem facere debet gratia correctionis pro corrigendis excessibus & charitatis ardore &c. In visitationibus autem ab hujusmodi compositionibus abstinere debet*: Consule etiam *Squillant. de Privileg. Episcop. part.* 5. *cap.* 28. *num.*16. *& plur. sequent.*

De applicatione pœnæ pecuniariæ facienda ab 81
Episcopo, vide distinctiones, cum quibus procedunt, apud Rosa *loc. cit. & Fagnanum in cap. Presbyteri, de pœnis*.

Illud vero non est hic prætereundum, quod 82
Episcopus pœnas a Sacris Canonibus impositas,

non

non potest remittere nisi in casibus expressis; *Romaguer. ad Synodal. Gerunden. lib.* 1. *de Summa Trinit. num.* 87.

Responsio Auctoris.

83 Omnes Pontificiæ Constitutiones, quæ in his *Additionibus* adducuntur, jam allegatæ fuerunt a me, idest illa Innocentii XI. *Ad nostri Apostolatus tom.* 3. verb. *Furtum num.* 77. Illa Urbani VIII. *Apostolatus officium tom.* 5. verb. *Missa art.* 6. *numer.* 2. & 3. ubi insuper ad id allatæ fuerunt Constitut. Gregorii XIII. *Officii nostri*, & Clementis VIII. *Etsi alias*. Illa Benedicti XIV. *Sacerdos in æternum*, in verb. *Approbatio*, & in verb. *Missa num.* 10. *ad* 14. & in verb. *Surripientes numer.* 1. *ad* 4. ubi ad id allata fuit alia ejusdem Bened. XIV. incip. *Ab Augustissimo*; & illa *Gravissimum* feliciter Regnantis Summi Pontificis Clementis XIII. in verb. *Surripientes*, in qua ad id confirmat Constitutiones Innocentii XI. Alexandri VIII. & Benedicti XIV. Quæ omnia debuerat saltem adnotare D. Additor, ne videretur repetere jam tradita a me, & addere de non suo.

ARTICULUS II.

De pœnis in specie, & variorum delictorum.

1 Amputationis alicujus membri, puta manus, aurium, narium &c. pœna est, quæ solet infligi in delictis atrocibus, & præsertim quando agitur de falsantibus scripturas, armata manu insurgentibus in Officiales majores, ipsosque ferientibus, ac occidentibus, & hujusmodi. Sic solet manus abscindi Notariis falsa instrumenta conficientibus, scribis Scripturas falsas, Libellos famosos contra Principes componentibus, Militibusque suos Majores Officiales ferientibus, ac occidentibus; sicque aliis propter gravia ignominiosa facinora, nares, seu aures ad eorum perpetuum dedecus solent abscindi. Ursaya *Institut. Criminal. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 166. cum aliis ibi citatis.

2 *Berlinæ*, seu ut alii dicunt, Catenæ infamis pœna est species punitionis dari solitæ malefactoribus, eos publicæ derisioni, & ludibrio exponendo in loco, qui vulgo *Berlina* vocatur, & hæc irrogari solet furibus, incisoribus bursarum, truffatoribus, falsis testibus, meretricibus, & similibus vilibus personis. Farinac. *prax. crimin. qu.* 19. *n.* 28. Gandin. *in praxi tit. de pœnis Reorum q.* 16. Ursaya *loc. c. n.* 176.

3 *Bullationis*, seu *stygmatis pœna* est species punitionis, qua antiquitus bullabantur Rei in facie, sed hæc sublata fuit per Constantinum Imperatorem *in leg. Si quis in metallum* 17. *Cod. de pœnis*; Et quidem pia, & sancta ratione, quia, ut ibi dicitur, facies hominis ad Dei similitudinem est efformata, ideo fœdari non debet, ibi: *Facies quæ ad similitudinem pulchritudinis est cœlestis figurata, minime maculetur*. Farinac. *loc. cit. qu.* 18. *num.* 97. & *seq.* Ursaya *loc. c. n.* 182. & *seq.* & alii.

4 *Carceris pœna* possunt Rei puniri juxta eorum delicta perpetuo, vel ad tempus. Quamvis enim inventio carceris facta fuerit ad Reorum custodiam, & non ad pœnam; ex recepta tamen communi hodierna praxi, formalis carcer tam perpetuus, quam temporalis pro pœna Reis infligitur, *cap. Excommunicamus* 15. §. *final. de Hæreticis*, *cap. Quamvis* 3. *de pœnis in* 6. ibi: *Quamvis ad Reorum custodiam, non ad pœnam, carcer specialiter deputatus esse noscatur; Nos tamen non improbamus, si subjectos tibi Clericos confessos de criminibus, vel convictos (eorum excessibus, personis, cæterisque circumstantiis provida deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam.*

5 *Catenæ infamis* pœna est eadem, ac illa *Berlinæ*. Vide *supra n.* 2.

6 Confiscationis bonorum pœna est auctio universalis omnium bonorum, vel alicujus quotæ ad Fiscum, ita ut idem sit dicere confiscatio, ac applicatio, ut notat Cassan. *ad consuet. Burg. rubr.* 2. *de confiscat. n.* 2. Ursaya *loc. cit. tit.* 6. *n.* 4. & 5. cum aliis ibi citatis.

7 Fiscus autem, qui Saccus male ablatorum vocatur, a De Rubeis *in disc. ad scient.* Amat. *in princ. tom.* 3. *recent. num.* 412. dicitur bursa publica, in qua pecunia publica reponitur, illumque describit Guazzin. *de confiscat. concl.* 1. *num.* 3. ut sit vir parum placidus, omnibus invisus, Deo odiosus, & nihil in se æquitatis habens. Bajard. vero *ad Clar. quæst.* 3. *num.* 4. asserit Fiscum nihil aliud esse, quam subditorum calamitatem, & late Peregr. *de jure Fisc. num.* 1. ubi quod primo loco Fiscus erat bursa, seu crumena publica, deinde transivit in Saccum, & tandem in domum, seu Cameram, indeque appellatur *Camera*; sic expresse Ursaya *loc. citat. num.* 6. & 7. Pœna confiscationis bonorum Clericis quoque imponi potest, 8 *c. Vergentis* 10. *de Hæreticis*, *cap. Cum secundum* 19. *eod. in* 6. *cap. Super* 25. *de verbor. significat.* ita tamen ut bona confiscata applicentur Ecclesiæ, in qua Clericus Beneficium habuit, *cap. Excommunicamus* 13. §. *Damnati*, *de Hæreticis*: ibi; *Si vero Clerici applicentur* (bona) *Ecclesiis, a quibus stipendia receperunt*. Si autem Clericus nullum Beneficium habuit, bona illius confiscata veniunt ad Fiscum Ecclesiæ, vel Episcopi convertenda in pios usus. Farin. *prax. crimin. quæst.* 190. *a num.* 154. & alii passim juxta dicta *supra art.* 1. *numer.* 50. *ad* 62.

9 Damnationis in metallum, seu in opus metalli pœna erat antiquitus multum in usu, & per ipsam licet Rei vitam non amitterent, amittebant tamen libertatem, & Civitatem, juxta text. *in leg. Aut damnum* 8. *ff. de pœnis* cum aliis apud Alciat. *lib.* 2. *Parergon cap.* 39. At hodie illius loco pœna Triremium subrogata est, vulgo *Galera*, ubi Rei asperis catenis vinciuntur, & ad opus remigandi damnantur. Iul. Clar. *in Praxi quæst.* 67. & 70. Ursaya *loc. citat. numer.* 132. & *sequ.* & alii passim.

10 Degradationis pœna quid sit, & in quibus casibus locum habeat? Vid. verb. *Degradatio per tot.*

11 Deportationis pœna antiquitus satis frequens consistebat in amissione Civitatis, retentis vita, & libertate; *leg. Relegati* 4. *& leg. Inter pœnas 6. ff. de Interdictis, & Relegatis*: Hodie tamen in ejus locum successit bannum, seu exilium. Farinac. *loc. citat. quæst.* 19. *num.* 15. *&* 16. Clar. *in Prax. quæst.* 67. *num.*9. Ursaya *loc. cit. num.* 155. & alii.

12 Detrusionis in arctum Monasterium pœna antiquo jure infligi solita, *cap. Pervenit* 2. *de Adulter. cap. Inter* 10. *de Purgat. Canonic. cap. Tuæ* 6. *de pœnis* cum similibus, hodie in desuetudinem abiit, & loco illius vel Triremes, vel carceres perpetui infliguntur. Farinac. in *Prax. crimin. qu.* 119. *numer.*55. Ursaya *loc. cit. tit.* 5. *a num.* 90. *ad* 94. Fagnan. *in cap. Cum non ab homine* 10. *num.* 104. *de Judiciis*, Reiffenst. *l.* 5. *Decretal. tit.*37. *nu.* 111. & alii.

13 Exilii pœna est ejectio a Civitate, & interdum etiam a tota ditione, seu statu, quæ in præsentes dicitur *exilium*, in absentes vero *bannum*. Scann. *de Visit. carcer. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 15. Ursaya *loc. cit. num.*156. & alii passim. Vide verb. *Bannitus, Bannum*.

14 Fustigationis pœna de se clara ex ipsomet nomine est, quæ irrogari solet furibus, incisoribus bursarum, truffatoribus, falsis testibus, & similibus vilibus personis. Scann. *de visitat. carcer. lib.*1. *cap.*3. *numer.* 12. Ursaya *loc. citat. num.* 173. Farin. *loc. cit. quæst.* 19. *num.*29. Gandin. *in prax. tit. de pœn. Reor. quæst.* 16. De hac fit sermo *in leg. Ictus fustium* 22. *ff. de his, qui notantur infamia, & in leg. Fustibus* 16. *Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur*. Vide *infra num.* 22. *de verberationis pœna*.

15 Ictuum funis, seu Torturæ pœna est, quæ infligitur in delictorum vindictam, & sæpe sæpius in publico loco etiam pro levibus delictis hac pœna torquentur viles personæ, ut pro ludis vetitis, pro delatione armorum; & similibus. Ursaya *l. c. n.*179. & alii passim.

16 Immurationis pœna est, qua Rei clauduntur intra Cellam, muro obstructa porta, & relicta tantum parva fenestra ad recipiendum lumen, & altera, per quam eis subministrari possint necessaria ad victum, qua pœna puniendi sunt Religiosi hæretici; *cap. Accusatus* 8. §. *final. de Hæreticis in* 6. & Moniales ob delicta carnis consummata, & scandalosa; *Sacra Congregatio Episcopor. & Regularium in Ragusina* 16. *Martii* 1620. Nicol. *in Floscul. verb. Pœna num.*2. Ursaya *loc. citat. numer.*162. & alii.

17 Infamiæ pœna quid sit, & quos pariat effectus? Vide verb. *Infamia per tot.*

18 Inhabilitatis ad Beneficia pœna est, qua quis inhabilis, & ineptus redditur ad valide recipiendum Beneficium, Dignitatem, & Officium Ecclesiasticum, ita ut collatio ipso facto, & ante omnem sententiam sit nulla. *Communis*, & patet ex dictis sub verb. *Lex art.*2. *num.*37. ubi fuit dictum, quod pœna seu Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ nullam executionem requirunt, sed potius in negatione, & carentia, seu abstinentia consistunt, obligant statim in conscientia ante sententiam Judicis. Quinam autem inhabiles sint ad obtinenda Beneficia? Vide verb. *Beneficia art.*5. *a numer.*65. *ad* 90.

Mitræ pœna est, cum qua Reus mitratus producitur in publicum, dum fustigatur, idque pro majori ignominia, & Judices hanc pœnam infligere solent lenonibus, ut observant Vulpin. *de delictis carnis quæst.* 144. *per tot.* Peguer. *decis. crimin.* 14. Sabell. *in prax. universal.* §. *Ruffiani num.*1. Ursaya *loc. cit. tit.*5. *n.* 178. referens hac pœna punitos fuisse publice per Urbem die 16. Septembris 1711. Maritum, & Uxorem ob lenocinium ejusdem Mariti cum sua Uxore. 19

Pecuniaria pœna in hoc consistens, quod delinquens loco alterius pœnæ, vel una simul cum alia, certam summam pecuniariam solvere debeat, licite, & valide etiam a Judicibus Ecclesiasticis imponi potest. *Communis*, *arg. c. Statuimus* 54. *caus.* 16. *q.*1. *cap. Dilectus* 6. *de Offic. Ordinar. cap. Postulasti* 14. *de Judæis*, ibi: Ipsum pœna pecuniaria punias, vel alia temporali, ita tamen, ut regulariter loquendo non ipsi Judici, sed caussis piis debeat applicari, juxta dicta *art. antecedenti a num.*50. *ad* 62. 20

Privationis Beneficiorum pœna est, qua quis privatur Beneficiis, Dignitatibus, vel Officiis Ecclesiasticis rite obtentis. *Communis*. Quot autem modis, & ex quibus causis proveniat talis pœna? Vide verb. *Beneficia art.*7. *per tot.* 21

Relegationis pœna, quæ confunditur cum Exilio, seu Banno cum hac differentia; quod Relegatio restricta est ad certam Civitatem, & locum; Exilium autem, seu Bannum non sic; potest, & solet etiam adhiberi ab Episcopis contra Clericos delinquentes, ipsos relegando in aliquem certum locum suæ Diœcesis, vel etiam in exilium mittendo extra Diœcesim. *Communis* per text. *in c. Cum fortius* 1. *de calumniatoribus*, *c. Cum beatus* 8. *dist.*45. cum similibus. 22

Stigmatis, seu Bullationis pœna quid sit, & quare sublata fuerit? Vide *supra n.* 3. 23

Talionis pœna est, quæ indicta est contra calumniatores, seu falsi criminis accusatores a S. Damaso Papa *Epist.*4. *cap.* 7. & ab Adriano I. *Ep. Decret. cap.* 24. relat. *in cap. Calumniator* 2. *& cap. Qui non probaverit* 3. *caus.* 2. *q.* 3. *leg. Quisquis* 10. *Cod. de Calumniatoribus*; & est, ut Calumniator, seu falsi criminis accusator subire teneatur eas pœnas, quas de jure subire debuisset accusatus, si concludenter probatus fuisset delinquens; Et quamvis hæc pœna videatur hisce nostris temporibus abiisse in desuetudinem, ejus tamen vim innovavit S. Pius V. Constitut. incipient. *Cum primum*; Unde adhuc omnino pœna talionis infligenda est in illis locis, & Religionibus, in quibus justis de causis per suas peculiares Leges præcipitur observari, ut præcipitur observari in nostra Religione Minorum de Observantia. *Statut. Vallisolet. cap.* 7. *tit. de pœna talionis*, Amenus *de delictis*, *& pœnis tit.*5. §. 4. *verb. Calumniator num.* 17. Compend. Sanctorum *verb. Accusatio*, *Accusator*, *num.*5. 6. 8. *&* 9. *verb. Talionis pœna*, Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 1. *num.* 17. 24

Ta-

(*) Talionis pœna antiquissima est, in legibus XII. tabularum sancita: verum de qua talionis pœna hic disserat auctor non ausim affirmare. Putat sumi consuevisse a calumniatoribus: ego tamen in corpore juris civilis non invenio, quod hujusmodi pœna calumniatoribus fuerit inflicta. De hac ita *Fextus in verb. Talionis*: *Talionis mentionem fieri in XII. tabulis ait Verrius hoc modo. Si membrum rupserit, ni cum eo pacit talio esto. Neque id quid significet indicat: puto quia notum est; permittit enim lex parem vindictam.* Legis enim hic sensus est, ut eamdem pœnam quis a Judice patiatur, quam ultro intulit, ejusdem membri amissione mulctetur, quod ipse alteri rupit, quemadmodum & in lege divina *Exod. cap. 20. vers. 24. 25. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.*

Addit lex *ni cum eo pacit*, id est, nisi de injuria dicendo pactione scilicet, vel satisfactione pœnam redemerit. Cujus execeptionis humanitate Legis severitas mirum in modum mitigatur, quasi lex ipsa videatur eum qui offensus est invitare ad veniam, aut ad id saltem, ut injuriam deprecari a se permittat. Unde merito Cæcilius apud *Aulum Gellium lib. 20. cap. 1.* Favorinum de atroci Talionis hujus, ut vocat, acerbitate male disserentem ita reprehendit. *Sed quoniam acerbum queque esse hoc genus pœnæ putas, quæ, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tu-te in alio feceris? Præsertim cum habeas facultatem paciscendi, & non necesse sit pati Talionem, nisi eam tu elegeris.*

Longe severior fuerat Lex Solonis, qui, ut refert Laertius, ambos oculos erui præceperat ei qui oculum alteri excussisset. (*)

25 Triremium pœna, vulgo dicta *Galera*, est qua Rei catenis asperis, & durissimis vinciuntur, & ad opus remigandi damnantur. Raynald. *tom. 2. ad cap. 19. §. 4. n. 8.* Ursaya *loc. cit. tit. 5. n. 33.* & alii passim.

26 Verberationis, seu Flagellationis pœna quamvis plerisque in locis in desuetudinem abierit, & Clerici præsertim verberari non consueverint, teste Claro *§. final. quæst. 71. num. 2.* tamen de jure adhuc infligi potest; dummodo absque sanguinis effusione, & non enormiter, sed moderate fiat: Clericus enim alium Clericum calumniose accusans Beneficio, & Officio privari, & verberibus castigatus in exilium mitti potest, textu expresso *in cap. Cum fortius 1. de Calumniatoribus*, ibi: *Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privari Officio, & verberibus publice castigatum in exilium deportari*, *cap. In Archiepiscopatu 4. de Raptoribus*: *Pecuniaria poteris pœna mulctare, & etiam flagellis afficere moderatione adhibita, qua flagella in vindictam sanguinis transire minime videantur.* Clar. *loc. c.* Reiffenstuel *lib. 5. decretal. tit. 2. num. 10. & tit. 37. n. 104.* & alii passim.

27 Ultimi supplicii pœna consistit in separatione animæ a corpore; *l. Ultimum supplicium 21. ff. de pœnis*, ibi: *Ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur.* Dicitur etiam *Capitale*, *l. Præsenti 6. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ibi: *Capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendis.* Et etiam *Capitis*, *l. Relegati 4. ff. de pœnis*, ibi: *Pœna capitis.* Item vocatur *Pœna gladii l. Si quis 20. Cod. de his, qui accusare non possunt*, ibi: *Ultore gladio feriatur.* Item appellatur simpliciter *Supplicium* sine aliquo addito: per antonomasiam enim intelligitur pœna mortis; *l. Qui cum major natu 14. §. 3. ff. de bonis Libertorum*, ibi: *Supplicium habuit*, *l. Frater 2. ff. de Lege Pompeja, de Parricidiis*, ibi: *Supplicio affectus.*

Pœnam hanc ultimi supplicii, seu mortis naturalis, in tres dividit species Carena *de Offic. Inquis. par. 3. tit. 13. nu. 1. & seq.* In quarum prima ponit illam, quæ sequitur ex concrematione, ab excoriatione, & sectione per terram, ex dissectione in partes, ex objectione bestiis ad dilaniandum, ex reptatione, & laceratione per spinas, & tribulos, ex perpetuis vigiliis, ex lapidatione, & ex inedia. In secunda ponit illam, quæ sequitur ex furca, & ex præcipitatione. In tertia ponit illam, quæ sequitur ex capitis amputatione, & ex sanguinis per venas paulatim, & non copiose facta emissione: sic litteraliter Ursaya *loc. cit. lib. 4. tit. 1. a n. 105. ad 107.* 28

(*) Hæc omnia luculentius explicantur a Calistrato, qui pœnarum capitalium gradus distinguit. Ita ille: *Capitalium pœnarum fere isti gradus sunt. Summum supplicium esse videtur ad furcam damnatio: item vivi crematio, quod quamquam summi supplicii appellatione merito contineretur, tamen (eo quod postea id genus pœnæ adinventum est) posterius primo visum est, item capitis amputatio. Deinde proxima morti pœna; metalli coercitio. Post deinde in insulam deportatio l. 28. ff. de pœnis.*

Quamquam ultimum supplicium esse mortem solam interpretemur, ut inquit Ulpianus supra a nostro auctore allegatus, nihilominus cum multis modis inferatur, & olim inferretur, ita a nostri instituti ratione alienum non erit, ut pauca etiam attingamus super variis ultimi supplicii speciebus, quæ apud Romanos antiquis temporibus in usu erant, omissis illis, quæ hodie in usu sunt cum omnibus innotescant, & satis a nostro auctore exponantur, eo vel maxime quia pleræque parum antiquioribus dissimiles reperiuntur. Prima igitur species erat suspendium in Arbore infelici. Hujus supplicii mentionem videmus jam sub Rege Tullo-Hostilio, in lege qua creati Duumviri, qui Horatio propter cædem sororis perduellionem judicarent. Ita autem lex scripta erat. *Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocavit, provocatione certato, si vincent, caput obnubito, infelici arbore reste suspendito, ut testatur Livius lib. 1. cap. 26.* Erant autem infelices arbores, damnatæque religione, quæ nec seruntur, nec fructum ferunt, quales Populus, Alnus, Ulnus. Plin. *Hist. Natur. lib. 26.* Hanc animadversionem præcedebat verberatio, ut patet ex eodem loco Livii: Lictor, colliga manus, verberato, vel intra Pomærium, vel extra Pomærium caput obnubito &c.

Secunda species erat furca, quæ eadem fere pœnæ fuisse videtur ac superior. Alio nomine dicitur

tur patibulum. Hanc præcedebat quoque verberatio ut testatur Cic. *de divin.* §. 126. de servo quodam, qui per circum, cum virgis cederetur, furcam ferens ductus est.

Tertia species erat Crux, cujus gravior pœna, quam patibuli reputabatur. *Nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem affixos diu cruciat*, inquit, Isidorus *orig. lib.* 5. *cap.* 27. Hoc supplicium aliquando in carcere sumendum triumviro capitali committebatur, ut refert Valerius Maxim *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 2. de Alexandro quodam Fannii servo, qui sexies tortus, & a judicibus damnatus, a L. Calpurnio Triumviro in Crucem actus est. Sed etiam foras hoc supplicium quandoque sumebatur ad summam ignominiam: Unde Cicero pro Rabirio *num.* 4. *&* 10. queritur quod Labienus, adversus quem defensionem Rabirii suscipit, in Campo Martio Crucem ad supplicium civium defigi jubeat.

Quarta species recensetur Præcipitatio. Hæc pœna jam in usu fuit sub Romulo, qui teste *Dionys. Halicarnas. lib.* 2. cives non obscuros latrocinii convictos e rupe dejici jussit. Postea hanc pœnam statuit lex XII. tabularum in eos qui falsum testimonium dixissent, item in servos furti manifesti convictos: de qua re videndi interpretes ad leges XII. tabularum *tabula* 2. *cap.* 4. *& tab.* 7. *cap.* 10. Manlius quoque criminis affectati regni condemnatus a rupe tarpeja precipitatus est, ut testatur Livius *lib. 6. cap.* 20. Hujus pœnæ meminit etiam Appianus *de bello civili lib.* 3. ubi refert, orta seditione occasione alicujus Amatii, (qui cum aram Cæsari in loco ubi crematus erat, posuisset, plebemque contra Senatum concitasset, in dicta causa necatus est) quosdam ex seditiosis comprehensos, ex quibus quotquot servi erant, suspensos fuisse, ingenuos vero e Rupe præcipitatos. Refert pariter Cicero Philip. 1. & ad Atticum 13. Dolabellam in servos, & nefarios liberos cruce, & saxo animadvertisse. Præcipitatio igitur fiebat ex rupe Tarpeja, ut adhuc ex Gellio discimus noct. attic. lib. 20. cap. 1. Fiebat tamen interdum & ex illo carceris loco, qui *Robus* dicebatur, ut de familia Gracchorum refert Valerius Maximus.

Quinta species est Decollatio. Hac pœna affecti nobiles illi adolescentes fuerunt, qui de Tarquinio reducendo conspiraverant, de quibus ita Liv. *lib.* 2. *cap.* 5. *Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes..... Consules in sedem processere suam, missique lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt*. Idem de Campanis refertur apud eumdem Liv. *lib.* 25. *cap.* 15.

Sexta erat strangulatio in carcere. Hanc pœnam Prætor exequendam committebat Triumviris, penes quos cura, & summa carceris erat. Insigne eam in rem testimonium simul & exemplum pietatis in parentes habemus apud Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 7. ubi mulierem quamdam damnatam Prætor Triumviro necandam in carcere tradiderat; cum autem custos carceris eam misericordia motus non protinus strangulasset, putans inedia facile perituram, hæc Lactæ filiæ suæ (cui diligenter prius excussæ aditus ad ipsam permittebatur) deprehensa sustentari, pœnæ remissionem meruit. Salustius quoque refert Lentulo Catilinæ conjurationis socio, in ea parte carceris, quæ Tullianum dicitur, judices capitalium rerum quibus præceptum erat, laqueo gulam fregisse.

Septima species est Fustigatio usque ad internecionem, quæ pœna fuit famosorum carminum ex lege XII. tabularum. *Carmen ne liceret fieri ad alterius injuriam leges sanxerunt*, inquit Cicero Tusculanarum quæstionum *lib.* 4. Hanc ipsam legem refert, & laudat etiam D. August. *de Civit. Dei lib.* 2. *cap.* 9. Romanorum mores de cohibenda poetica licentia comparans moribus Græcorum. Vide etiam ad hanc *leg. Gothofred.* Putat Marcilius hanc pœnam fustuariam duplicis generis fuisse, unam non capitalem, alteram qua damnatus ad internecionem usque cæderetur. An hæc distinctio fuerit usque ab initio non satis constat. Certum quidem est quod Ulpianus testatur *in l.* 8. §. 1. *&* 3. *ff. de pœnis*, *nec ea quidem pœna damnari quem oportere, ut verberibus necetur*. Econtra apud Suetonium legimus perduellium *corpus virgis ad necem cædi; Sueton. in Neron. cap.* 49. quod etiam patet ex Livio *lib.* 10. *Cic. pro Rabirio perd. & Salustio in Catilin.*

Octava species fuit pœna Culei, qua plectebantur parricidæ. Apud Romanos parentem non occidere solum, sed & pulsare capitale fuit ex vetustissima Servi Tullii lege, quam ita exhibet Festus in verb. Plorare. Si parentem puer verberit . . . . puer divis parentum sacer esto. Diis enim semel devoti, seu ob aliquod facinus sacri facti a quolibet impune occidi poterant, tamquam diis criminis ejus ultoribus victima illa mactaretur. Hanc legem de pulsatione parentis denuo sancire Decemviri insuper habuerunt, maxime cum Livius auctor sit *lib.* 6. Regias quoque leges separatim Romæ habitas servatasque in multis etiam præter illa quæ in duodecim tabulis cauta fuerant. De hac re vide *Valer. Maxim. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 13. *Festum in verbo Nuptias, Auctor ad Herennium lib.* 1. Hac parricidii pœna primus affectus fuit Maleulas quidam anno circiter ab urbe condita 650, ut habetur ex eodem *lib.* 1. ad Herennium, & *Liv. in epitome lib.* 68. Omittendus super hac lege non est elegantissimus Ciceronis locus in Oratione pro Roscio Amerino *num.* 26.

Anno V. C. 654. Lex Porcia a Marco Porcio Catone Tribuno plebis lata Valerio, & Apulejo Coss. cives Romanos ab his pœnis vindicaverat, sub gravissima pœna prohibens, ne quis magistratus civem Romanum virgis verberaret, aut necaret, sed damnato exilium permitteret. Liv. *lib.* 10. *Cic. pro Rabir. Salust. in Catilin.* Sed hæc lex vergente republica, minus observari cœpit, & sub Imperatoribus exolevit. Sub his igitur, & jure pandectarum *summa supplicia sunt Crux, Crematio, Decollatio*, ut his verbis testatur Paulus *recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 14. §. 19. Constantinus cruci substituit furcam. Item *capitis pœna est, bestiis objici, vel alias similes pœnas pati, vel animadverti l.* 11. §. 3. *ff. de pœnis*. Hoc quoque ultimi supplicii genus Imperatores Titus, & Trajanus delatoribus inflixerunt, ut vetustissimæ navi

vi impositi mari ac ventis committerentur. Sveton. *in Tit. n.* 28. *Plin. Panegiric. n.* 34. quam pœnam minitabatur etiam Julius Cæsar militibus suis. Sveton. *in Jul. numer.* 26. Verum extra ordinem hoc supplicium decretum est, nec inter ordinarias pœnas referendum.

Pœnæ vero non capitales sunt relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel in insulam, vel cum in opus quis publicum datur, vel quum fustium ictui subjicitur *l.* 28. §. 1. *ff. de pœnis*. Præcipua hæc sunt, quæ ad hunc de pœnis articulum addere existimavimus. Neque enim singula, quæ de pœnis ad Pandectarum jura pertinent, recensentes, congruos additionum limites teneremus. (*)

29 Delictorum pœnæ variæ pro varietate criminum hic subnectuntur. Et primo Abigeatus pœna de jure communi varia est pro varietate circumstantiarum delicti, & personæ, ita ut aliquando ad bestias damnentur, & aliquando relegentur; *l. De abigeis puniendis* 1. *l. Abigeatus* 2. *& l. Oves* 3. *ff. de Abigeis*: Hodierna autem consuetudine puniri solent ut Fures, prout ad citatas Leges magis declarant Doctores.

30 Abortus pœnæ quæ sint; Vide verb. *Abortus per tot.*

31 Abusus in Baptismo, si committatur malitiose ex parte materiæ, aut formæ, aut intentionis, & judicialiter posset probari aliquem sic abusum fuisse ad positivum finem non conferendi Sacramentum, quamvis pœna pro tali crudeli delicto non reperiatur in jure expressa, esset tamen ultimi supplicii, quia si tali pœna puniendus est injustus homicida corporis, ut dicetur de pœna homicidii, a fortiori tali pœna puniendus esset homicida animæ. Amenus de delictis, & pœnis tit. 8. §. 1.

32 verb. 6. *Abusus in Baptismo num.* 13. *&* 14. Si abusus committatur in voluntaria, & malitiosa reiteratione Baptismi, de jure Civili est mors tam in conferente, quam in malitiose suscipiente, textu expresso in *l. Si quis* 2. *Cod. Ne Sanctum Baptisma iteretur*. Et de jure Canonico talis rebaptizans, & rebaptizatus etiam occulte sunt irregulares, *cap. Confirmandum* 65. *dist.* 50. *cap. Afris* 3. *dist.* 98. *cap. Qui in quolibet* 10. *caus.* 1. *quæst.* 7. *cap. Qui in his* 117. *& cap. Eos* 118. *de consecrat. dist.* 4. cum similibus.

33 Abusus in Confessione, si committatur a non Sacerdote excipiente Sacramentales Confessiones, prima pœna est irregularitas, *cap.* 1. *&* 2. *De Cleric. non ordinat. ministrant.* Secunda pœna est, quod taliter absolvens puniatur tamquam vehementer suspectus de hæresi, ut statuit Gregorius XIII. Constit. incip. *Officii nostri*. Tertia pœna est traditio in manus Judicis Laici, qui Reum ultimo supplicio afficiat, ut statuit Clemens VIII. Constit. incip. *Etsi alia*, & quamvis minor ætas salvet Reos ab ultimo supplicio, tamen si Reus hujus delicti superet annos 20. licet non compleverit annos 25. adhuc est morte plectendus, ut decrevit Urbanus VIII. Const. incip. *Apostolatus*

34 *officium*. Si committatur a Sacerdote absolvente pœnitentes absque Jurisdictione est Suspensio ex sententia Judicis, *cap. Placuit* 9. *q.* 2. *cap. Placuit, de pœnit. dist.* 6. cum talis se gerat ut Confessarius, & Confessarius non sit: potest insuper puniri pœna falsi, *arg. l. Eos qui diversa* §. *final. ff. Ad Leg. Cornel. de Fals.* Amen. *loc. cit. tit.* 8. §. 4. *n.* 29. & alii. Si committatur a Sacerdote absol- 35
vente a Censuris, & casibus reservatis sine jurisdictione, est Excommunicatio, privatio Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum, ac inhabilitas ad ipsa, ut jussu Clementis VIII. statuit Sacra Congr. 26. Novembr. 1602. contra omnes Sacerdotes sæculares, aut Regulares præsumentes absolvere extra mortis articulum ubique a casibus contentis in Bulla Cœnæ, aut a quinque casibus Clementinis Papæ reservatis extra Urbem, & intra Italiam. Si committatur a Sacerdote frangen- 36
te sigillum Confessionis, quas pœnas incurrat; Vide verb. *Sigillum Sacramentalis Confessionis a n.* 55.

Abusus in Eucharistia, si contumeliose, & sa- 37
crilege committatur, eam pedibus conculcando, brutis comedendam projiciendo, in sterquilinium, aut ignem injiciendo, aut cultro seu pugionibus dilacerando, & hujusmodi, est mors qualificata juxta modum, & gravitatem contemptus, & quidem severior ea, quæ debetur pro crimine læsæ Majestatis humanæ, cum longe gravius sit tale crimen læsæ Majestatis Divinæ. Si committatur per 38
sacrilegum furtum ipsius, ut furans ea utatur ad superstitiones, incantationes, aliaque sortilegia, seu illam de manu Sacerdotis ore accipiat communicare fingens, & deinde ad dictos superstitiosos, & sortilegos fines conservet, atque adhibeat, est etiam mors qualificata juxta gravitatem contemptus; sicuti si furans Sacram Pyxidem, indigne projiciat SS. Sacramentum in terram. Vide verb. *Fur*, *n.* 7. Item si furans Sacram Pyxidem ad eam 39
conflandam, ac vendendam, & occasionative etiam Eucharistiam asportet, ultimo supplicio puniatur, uti etiam morte punitur furans Sacram Pyxidem, & sacras particulas relinquens in Ciborio, Altari, aut in terra. Amenus *l. cit. tit.* 8. §. 2. *a n.* 13. *ad* 15. Vide verb. *Fur a n.* 65. Vide *infra n.* 115. Si committatur abusus per vomitum Eucharistiæ causatum ex ebrietate, seu voracitate, si talis abutens sit Laicus, debet pœnitere per 40. dies; si est Clericus, vel Monachus per 70. si vero Episcopus per 96. dies, *cap. Si per ebrietatem de consecrat. dist.* 2. Si autem abusus committatur 40
in negligenti, seu minus decenti ipsius Eucharistiæ custodia, ita ut ob talem negligentiam Eucharistia aliqua injuria afficiatur, is, cui demandata est talis custodia, debet per trimestre a proprio officio suspendi, textu expresso *in cap. Statuimus* 1. *de custodia Eucharistiæ*. *Et si per ejus incuriam aliquid nefandi inde contigerit* (ut videlicet Eucharistia fuerit a muribus corrosa, aut temeraria manu furto sublata) *ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda ..... graviori subjacere debet ultioni*, arbitrio nempe Superioris infligendæ, textu expresso *in cit. cap. Statuimus*. Si tandem 41
abusus committatur a Sacerdote, qui sine aqua & candelis accensis, vel in pane fermentato, vel vase ligneo sacrificet, tunc Officio, & Beneficio privatur; textu expresso *in cap. Litteras* 14. *de celebratione Missarum*.

Abusus

42 Abusus in Matrimonio, si committatur a Clerico in Sacris contrahente Matrimonium, pœna est Excommunicatio, & Irregularitas. Vide verb. *Matrim. quoad Impedim. art. 2. n. 6. & 7.* insuper tamquam suspectus de Hæresi potest puniri in Sancta Inquisitione pœna arbitraria Sacræ Congregationis supremæ Inquisitionis, quæ pœna aliquando ex circumstantiis facti extenditur usque ad damnationem ad Triremes. Amenus *loc. cit. tit.* 8. §. 5. *nu-*
43 *mer.* 29. Si autem committatur Polygamia variæ pro varietate abusus sunt pœnæ. Vide verb. *Polygamia a num. 27. ad* 33.

44 Abusus in Ordine, si committatur, ex quo conferatur, & suscipiatur ante legitimam ætatem, vel extra tempora, aut sine Litteris Dimissoriis, seu sine legitimo Titulo, aut sine celebratione Missæ, vel ex quo eidem conferantur duo Sacri Ordines eodem die, aut non expectatis interstitiis, variæ pro varietate abusus sunt pœnæ. Vide verb.
45 *Ordo, Ordinare, artic.* 4. *per tot.* Si committatur ex quo Ordines sint furtive suscepti, sic ordinatus non potest ministrare in taliter susceptis, nec ad superiores Ordines promoveri. Et si Episcopus protulit Excommunicationem contra furtive accedentes, solus Papa dispensare potest. Si autem Religionem ingrediatur, & in ea laudabiliter vivat, potest Episcopus, aut ejus Prælatus dispensare. Quod si Episcopus nullam excommunicationem interminavit, potest Episcopus cum illo dispensare, peracta pœnitentia imposita; *c. Veniens* 1. *c. Cum collator* 2. *c. Innotuit* 3. *de eo, qui Ordinem furtive*
46 *suscepit*. Amenus *loc. c. tit.* 8. §. 3. *num.* 19. Si committatur abusus, ex quo quis per saltum Ordinem suscipiat, ipse est suspensus ab Ordine per saltum suscepto, & non potest sine dispensatione ad alios Ordines promoveri; & ab ipsa suspensione, si promotus non ministravit in Ordine male suscepto, dispensare potest illius Episcopus, etiam cum scienter male promoto, & etiam in casu publico, ut ex Trid. *sess.* 23. *c.* 14. *de ref.* ubi Barbosa *num.* 9. Si autem ministravit, indiget dispensatione Apostolica, ut firmant Majol. Salzed. Filliuc. Riccius, Homobon. Bonacin. apud Barbos. *loc. cit.*
47 *num.* 7. Amen. *loc. c. num.* 22. & alii. Si committatur abusus, ex quo Clericus, aut Laicus ministret in Ordine Sacro, quem non habet, ipse est Irregularis respectu Ordinum suscipiendorum, & respectu ordinum susceptorum manet suspensus arbitrio Episcopi, qui potest (imposita prius pœnitentia, & ea in parte a Reo adimpleta) illam tollere; *c. Ex litteris* 2. *de Clerico non ordinato mini-*
48 *strante*. Non promotus autem ad Sacerdotium attentans Missam celebrare, aut Sacramentales Confessiones excipere (post abjurationem de vehementi, & si Clericus sit, degradationem) tradendus est Curiæ sæculari ultimo supplicio perimendus. Greg. XIII. Const. inc. *Officii nostri*; Clemens VIII. Constit. incip. *Etsi alias*; Urbanus VIII. Constit. incip. *Apostolatus Officium*. Vide *supra num.* 23. Si tandem committatur abusus, ex quo Sacerdos absque privilegio, vel necessitate plures Missas celebret eadem die, tunc talis Sacerdos fit Irregularis. *Sac. Congregatio Concil. in Placentina* 11. *Januarii* 1710. *ad primum dub.* Vide verb. *Missa artic.* 5. *numer.* 10. *& a numer.* 18. *ad* 27. ubi assignantur sufficientes necessitates celebrandi plures Missas eadem die. Et si plures Missas celebret propter solam avaritiam, & non jejunus, peccat mortaliter, & est puniendus pœna arbitraria juxta circumstantias delicti, temporis, loci, & personæ, cum id sit contra multos Canones; *cap. Ut jejuni dist.* 5. *cap. Nihil* 7. *q.* 1. *cap. sufficit, & cap. Consuluisti* 3. *cap. Te referente* 12. *de celebr. Missarum* cum similibus. Vide Amen. *loc. cit. num.* 40. *& seq.*

Abusus Sacræ Scripturæ variæ sunt pœnæ pro 49
varietate multiplicis abusus: Potest enim abusus committi in usurpatione verborum Sacræ Scripturæ ad ostendendum acumen ingenii in re lubrica aut scurrili, aut proximi contumeliosa. Vel ad irridendam simplicitatem phrasis Sacræ Scripturæ, aut Mysterium aliquod Fidei, aut Ecclesiæ institutionem. Vel ad docendum ex verbis Scripturæ perverse detortis errorem manifestum in Fide, seu moribus. Vel tandem ad producendos malos effectus per sortilegia, incantationes &c. Hinc juxta majorem, vel minorem gravitatem abusus attentis circumstantiis loci, temporis, personæ, consuetudinis scandalosæ, & mali effectus, majori, vel minori gravitate pœnarum est puniendus, ut sic pœna criminis commensuretur, *cap. Sane* 11. *de offic. delegat. cap. Sicut dignum* 6. *de homicid.* Deuteron. *cap.* 25. *num.* 3. & Apocalyp. *cap.* 18. *n.* 7. Vide *art. antec. num.* 45. cum hac semper advertentia, quod si abusus Sacræ Scripturæ sit ad inducendam, vel defendendam hæresim, debet puniri pœna Hæreticorum.

Adulterii pœna. Vide verb. *Adulterium art.* 2. 50
per. tot. & art. 3. 4. *&* 5.

Alchimistarum pœna, ut vult Amenus *loc. cit.* 51
tit. 6. *n.* 10. est de Jure Cæsareo, quod si Reus sit ingenuus, deportetur, & omnia ipsius bona publicentur: Si autem servus, ultimo supplicio afficiatur, & allegat *leg.* 1. §. *final. ad Leg. Cornel. de fals.* Et si aurum adulteratum signetur in monetam, delinquens declaratur Reus læsæ Majestatis, & igne comburendus decernitur, *l. Si quis nummos* 2. *Cod. de falsa moneta*. Concludit tamen, quod circa hoc crimen diversificantur pœnæ juxta statuta municipalia, seu consuetudines Regionum. Quæ autem sit eorum pœna de jure Canonico? Vid. verb. *Alchimia numer.* 2. *& seq.*

Alienationis bonorum Eccles. pœna. Vide verb. 52
Alienatio art. 6. per tot. & verb. *Libri a num.* 15. *ad* 23.

Ambitus pœna, cum a Laicis committitur, vi 53
aut pecunia pro obtinendis publicis Officiis ac Dignitatibus sæcularibus, est, ut convictus de hoc crimine uti vis publicæ Reus, in Insulam deportetur; *l. Nullus omnino, Cod. Ad Leg. Jul. de Ambitu*, & ut puniatur in quadruplum ejus, quod dedit pro assumendo Magistratu, vel pro illo dando accepit; *l. Sancimus* 6. *Cod. Ad Leg. Jul. Repetundar.* & ut sit infamis; *l. Hæc Lex* 1. *ff. de Leg. Jul. Ambitus*. Ursaya *Instit. crim. lib.* 3. *tit.* 2.
a n.

a n. 78. *ad* 82. Si autem Clericus circa Officia, & dignitates Eccles. reus sit hujus criminis, puniri debet pœna Simoniacorum, quæ infra assignabitur *sub n.* 197.

54 Annonæ fraudatæ pœna est, quod qui aliquid facit quo annona carius vendatur, vel impedit quominus annona in Civitatem deferatur, mulcta 20. aureorum puniatur; *l. Lege Julia* 2. *ff. Ad Leg. Jul. de Annona*. Item pœna 20. aureorum puniuntur qui monopolium faciunt, ut annona carior evadat; *l. Jubemus* 1. *Cod. de monopoliis*. Item pœna criminis stellionatus puniuntur, qui publice emunt annonam pluris quam valeat, ut ceteri ad emendam eodem pretio incitentur, & sic rerum pretium augeatur; *l. Stellionatus* 3. *ff. de crimine stellionatus*. Item pœna extraordinaria puniuntur, qui totam annonam emunt, quam reperiunt in Provinciis, ut soli possint eo pretio, quo volunt, eam deinde vendere; & si sint negotiatores, ac mercatores, interdicitur eis negotiatio, & interdum relegantur, si sint nobiliores; si autem humilioris status personæ, damnantur in opus publicum; *l. Annonam* 6. *ff. de extraordinariis criminibus*, Ursaya *l. c. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 36.

55 Apostasiæ, seu Apostatarum pœna. Vide verb. *Apostasia*, *Apostata per tot.*

56 Appellationis malæ pœna, si sit appellantium a Papa ad futurum Concilium, est Excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurrenda, quæ incurritur non solum ab appellantibus principaliter, sed etiam a dantibus circa hoc consilium, auxilium, seu favorem. *Bull. cœnæ Excommunicat.*

57 Si sit trahentium causam Ecclesiasticam ad Forum Laicum, appellando scilicet a sententia lata, aut obtinendo a Judicibus Laicis prohibitiones, aut mandata contra Judices Ecclesiasticos Ordinarios, aut Delegatos, aut impediendo executionem Decretorum Romanæ Sedis, aut quorumcumque ipsorum Judicum, est pariter Excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurrenda, quam incurrunt non tantum principales, sed etiam dantes consilium, patrocinium, & favorem. *Bull. cœnæ*

58 *Excommun.* 16. Si sit Regularium temere appellantium ad Tribunal sæculare, ultra dictam Excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra trahentes causas Ecclesiasticas ad Tribunalia Laica, Regulares sic appellantes incurrunt particulares Excommunicationes Pontificum, qui fere omnibus Ordinibus specialibus sub simili Censura vetuerunt hujusmodi appellationes, ut videre est in Compendio Privilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium, & proprio cujusque Ordinis. Et nobis Minoribus de Observantia specialiter id prohibuit inter alios Gregorius XIII. Const. incip. *Quoniam nostro* sub pœna Excommunicationis Papæ reservata ipso facto incurrenda, privationis vocis activæ, & passivæ omnium Officiorum Ordinis, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, quas pœnas incurrunt etiam omnes quomodocumque directe, vel indirecte per consilium, auxilium, aut favorem ad talem appellationem concurrentes. Et dictas

59 Gregorii pœnas incurrunt etiam appellantes ad Tribunal Episcopi, cum Constitutio, seu Breve Gregorii loquatur *de Tribunalibus sæcularibus* quale est Tribunal Episcoporum, quod non est Regulare, sed sæculare, cum Clerus alius sit sæcularis, & alius Regularis. Sanctor. *de pœnis cap.* 18. *quæst.* 3. *vers. Respondeo* 3. Amenus *loc. cit. tit.* 2. §. 3. *num.* 35. qui *n.* 36. subdit, quod appellantes ad Tribunal Episcopi licet incurrant pœnas latas a Pontificibus contra appellantes ad Tribunalia sæcularia, non tamen incurrunt Excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra trahentes causas Ecclesiasticas ad Tribunalia Laica, cum Tribunal Episcopi, licet sit sæculare, tamen non sit Laicum.

Arma prohibita deferentium pœna quoad Lai- 60
cos dependet a dispositione statutorum, ac Edictorum Principum, quæ Edicta, seu statuta aliquando mulctas pecuniarias, aliquando pœnas corporales etiam ultimi supplicii cum bonorum confiscatione pro diversitate armorum indicunt. Universaliter autem prima pœna est amissio eorumdem armorum, quamvis de hac pœna nihil loquantur Statuta, & Edicta, ut cum aliis notat Ripa *de nocturno temp. cap.* 8. *n.* 63. & 69. Amenus *loc. cit. tit.* 7. §. 1. *n.* 17. qui ante *num.* 7. dicit, quod in statu Ecclesiastico deferentes, seu etiam domi retinentes archibusillos breviores duobus palmis, vulgo *Mazzagatti*, furcis suspendendi sanciuntur, vocanturque rei criminis læsæ Majestatis, & rebellionis a Pio IV. Constitut. 49. incip. *Cum vices ejus*, & hanc Pii IV. Constitutionem confirmavit, & ampliavit ad arma breviora tribus palmis, ut pugiones, Stylos & cultellos, exceptis cultellis ad frangendum panem, S. Pius V. Constitut. 45. incip. *Cum vi-*
ces. Quas autem pœnas incurrant Clerici, & 61
Regulares deferentes, & retinentes arma, & an quoad hæc subjaceant bannimentis Laicalibus, possintque a Curia sæculari ipsis spoliari? Vide verb. *Arma per tot.*

Assassinii pœna. Vide verb. *Assassinium*, *As-* 62
sassinus per tot.

Astrologiam judiciariam profitentium pœna. 63
Vide verb. *Astrologia*, *Astrologus*, & verb. *Superstitio a num.* 40.

Bestialitatem committentium pœna. Vide verb. 64
Luxuria num. 69.

Blasphemias loquentium pœna. Vide verb. *Blas-* 65
phemia art. 2. *per tot.*

Calumniatorum pœna est, quod in primis te- 66
neatur calumniator Reo refundere expensas litis, & resarcire omne damnum eidem secutum; Farin. *in prax. crim. q.* 16. *a num.* 10. Clarus *q.* 62. *n.* 4. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 2. *num.* 6. & communis aliorum; *arg. l. Eum quem* 79. *ff. de judiciis*, *l. Properandum* 13. *Cod. eod. cap. Finem* 5. *de dolo* cum similibus. Item Calumniator evadit infamis infamia juris; *c. Si quis* 1. *caus.* 2. *quæst.* 3. *l. Præcris verba* 1. & *l. Athletas* 4. §. 4. *ff. de his, qui notantur infamia*, *l. Nostris* 8. *Cod. de Calumnia-*
torib. cum similibus. Unde incurrit etiam Irregu- 67
laritatem; ita ut neque Ordines suscipere, neque susceptos exercere valeat, *cap. Qui aliquo crimine* 5. *dist.* 5. *cap. Infames* 17. *caus.* 6. *quæst.* 1. ac fit inhabilis ad Beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, *arg. cap. Inter* 11. *de excessibus Prælat-*
cum

68 cum similibus. Item incurrit pœnam talionis; *c. Calumniator.* 2. *& c. Qui non probaverit* 3. *caus.* 2. *qu.* 3. *l. Quisquis* 10. *Cod. de Calumniatorib.* Vide *supra num.* 24. Item Clericus alium Clericum
69 calumniose accusans Beneficio, & Officio suo privari, & verberibus castigatus in exilium mitti potest, *cap. Cum fortius* 1. *de calumniatoribus* cum similibus. Vide *supra num.* 62.

70 Collusionis, seu prævaricationis pœna, quamvis sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum imponenda; *l. Sciendum* 2. *ff. de prævaricatione*, ibi: *Sciendum est, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria*, juncta *l. Accusatorum* 1. §. 7. *ac l. Et in privatis* 3. *ff. Ad Senatus consultum Turpillianum*; tamen Prævaricator etiam pœnam infamiæ
71 in specie incurrit; *l. Si is* 4. *ff. de prævaricatione*. Si autem collusio fiat super Beneficio Ecclesiastico (uti casus habetur *in cap. Audivimus* 3. *de collusione detegenda*) uterque colludentium privari debet ipso Beneficio, tum ne fraus, & dolus alicui patrocinetur, *cit. cap. Audivimus* cum similibus; tum ne delicta maneant impunita contra *l. ita vulneratus, ff. Ad Leg. Aquil. cap. ut famæ* 35. *de sentent. Excomm.* ibi: *Cum publicæ Communitatis intersit, ne crimina maneant impunita*.

72 Et hic adverte, quod *Collusio est inter Actorem, & Reum latens & fraudulenta conventio, qua interveniente, aliquando delicta manent impunita, vel etiam committuntur*, ut explicat Glossa *in cit. cap. Audivimus, verb. Collusione*. Unde Actor, seu Accusator in Judicio dicitur colludere cum Reo convento, seu accusato, si ejus partes adjuvet celando, vel dissimulando veras probationes, & falsas defensiones, seu exceptiones admittendo, vel ab accusatione omnino desistendo, ut Reus absolvatur, & pœnam ipsi infligendam evitet, ac judicium publicum reddatur illusorium, *arg. c. Scripta* 1. *c. Audivimus* 3. *c. In tantum* 1. *de Collusione detegenda*. Hæc autem Collusio a Civilistis vocatur *Prævaricatio*, quæ est verorum criminum palliatio: Prævaricari enim est vera crimina abscondere, & palliare, ad hoc ut veritas non appareat, *l. Accusatorum* 1. §. *Calumniari*, *Ad Sen. C. Turpillianum*. Ille enim prævaricator dicitur, qui aliquem de vero crimine accusat, sed veras probationes omittit, & fictitias solum adducit, ut ex eis nihil contra accusatum concludi possit; *leg. Prævaricator* 1. ibique Glossa, *ff. de*
73 *Prævaricatione*. Item Collusio a Civilistis vocatur *Tergiversatio*, quæ nihil aliud est, quam accusationis desertio, dum nempe accusator ab accusatione jam cœpta omnino desistit. Tergiversari enim in universum ab accusatione desistere est; *leg. Accusatorum* 1. *ff. Ad S. C. Turpillianum*. Vid. *num.* 208.

74 Concubinatus pœna, quamvis olim de jure Civili nulla ordinaria, & determinata, fuerit expresse statuta *l. In Concubinatu* 3. §. 1. *de Concubinis, & leg. Unic. Cod. de concubinis*, tamen hisce temporibus etiam in foro sæculari punitur, & quidem gravius, quam simplex fornicatio, scilicet pœna extraordinaria, & arbitraria Judicis; Clarus *in praxi* §. *Fornicatio sub num.* 6. Decian. *lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 38. Panimol. *decis.* 19. *n.* 28. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *num.* 62. Engel *ibid. num.* 22. & alii passim. De jure autem Canonico Concubinatus semper fuit prohibitus, & 75
specialibus pœnis punitus, tam respectu Laicorum, quam Clericorum, ut patet ex Concilio Tolet. 1. *c.* 17. Concil. *Aurelian. III. c.* 9. Conc. *Turon. IV. c.* 10. Concil. *Triburiens. I. cap.* 49. Concil. Roman. *sub Nicolao II. cap.* 13. Concil. Mediolanen. *II. tit.* 1. *Decret.* 29. Concil. Lateran. *V. sess.* 9. *in Bulla reform. Curiæ, & ex cap. Audite* 6. *dist.* 33. *cap. Concubinæ* 5. *caus.* 32. *q.* 2. *cap. Nemo* 4. *c. Dicat* 9. *caus.* 32. *quæst.* 4. *cap. Cum dilectus* 20. *de accusationibus, cap. Si Concubinæ* 55. *de sent. Excommun.* cum similibus, & specialiter Conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. Matrimon. cap.* 8. ubi contra Concubinarios Laicos sic præcise statuitur. *Grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, & in hujus magni Sacramenti singulare contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare ut huic tanto malo S. Synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, Excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum Censuris neglectis permanserint, contra eos per Ordinarios severe pro qualitate criminis procedatur: Mulieres sive conjugatæ sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinario locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra Oppidum, vel Diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur, aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.*

Ad hoc ut Ordinarius possit ferre sententiam 76
Excommunicationis contra Concubinarios, præcedere debent tres monitiones distinctæ, & separatæ, ex quibus eorum vera contumacia eliciatur non resipiscendi a peccato; Si autem Episcopus velit eos punire pœnis pecuniariis, aut aliis a jure communi, vel a Synodo statutis, non requiritur talis trina prævia monitio, sed probato concludenter crimine, potest pœnam infligere, ut declaravit *Sacr. Cong. Conc.* cujus declarationem refert Gabriel Pereira *de manu Regia part.* 2. *cap.* 34. *num.* 12. *in fine, vers. Quare*, relat. a Barbosa in Conc. Trident. *cit. sess.* 24. *cap.* 8. *num.* 4. his verbis: *Ad quartum respondetur, trinam monitionem tunc tantum esse necessariam, cum ad Excommunicationem contra concubinarios proceditur, quod si aliis pœnis a jure communi, vel a Synodo statutis Episcopus afficere velit hujusmodi delinquentes, utique trinam monitionem minime requiri.* Episco- 77
pus potest punire concubinarios, non solum pœna pecuniaria, sed etiam pœnis corporalibus, nempe carceris, fustigationis, & hujusmodi, maxime

xime si sint personæ viles, & infimæ plebis, cum ratione concubinatus reddantur infames, & ut tales repellantur ab accusando, & testificando, *arg. cap. Cum dilectus 29. de accusationibus*, juncta Glossa *ibid. verb. Concubinarius*. Amenus *loc. cit.*
78 *tit.* 4. §. 3. *num.* 17. Concubinatus crimen est mixti fori, ut tenent Barbosa in Concil. *sess.* 24. *de reform. Matrimon. cap.* 8. *num.* 5. cum pluribus ibi citatis, Amenus *loc. cit. num.* 14. cum multis ibi
79 allegatis, & alii plures. Unde sæcularis concubinarius punitus de hoc crimine a Judice Laico, potest iterum puniri ab Ecclesiastico, & sic viceversa, quia Judex Laicus procedit ad solam punitionem hujus delicti, ne crimina maneant impunita, Ecclesiasticus autem procedit ad correctionem morum pro salute animæ. Hinc cum diversi sint fines Judicum in ferenda pœna, unus post alium potest procedere, & punire, ut tradunt Pereria *l. c. num.* 22. Amenus *loc. cit. num.* 14. Barbosa
80 *loc. cit. num.* 6. & alii. Concubinarius, si moriatur in concubinatu, nullo dato signo pœnitentiæ, carere debet Ecclesiastica sepultura, & si sine pœnitentiæ signo in loco sacro fuerit sepultus, debet exhumari, & in loco profano sepeliri, *cap. Sacris* 12. *de sepulturis*, *Clementin.* 1. *de sepultur.* Amenus *loc. cit. num.* 18. cum pluribus ibi allegatis, Farinac. *loc. cit. q.* 138. *num.* 68. *& seq.* Panimol. *dec.* 59. *a n.* 11. Ursaya *loc. cit. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 220. & alii.

81 Clericorum Concubinariorum pœnæ sunt, quod ab ipsis nullus Missam audire, aut Sacramenta recipere debeat, excepto Baptismo, Pœnitentia, & Sacro Viatico, *cap. Nullus*, *cap. Præter*, *dist.* 32. Item quod si moniti non resipiscant, sint ab Officio, & Beneficio suspensi; *cap. Sicut* 4. *de cohabitat. Clericor. & mulier. cap. Quæsitum*, *cap. Vestra*, *tit. eod. c. A multis* 9. *de ætat. & qualit. præficiend. cap. Decernimus*, *cap. De his*, *cap. Presbyter distinct.* 28. *cap. Erubescant distinct.* 32. cum similibus, Concil. Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 14. *de reformat.* & quod Clerici concubinarii notorie, & publice tales sint ipso jure suspensi ab Officio, & Beneficio, ita quod si celebrent, incurrant Irregularitatem, decisum referunt Belletus *disquis. Cleric. part.* 2. *tit. de disciplin. Cleric.* §. 5. *num.* 45. Nicol. Garcias *de Benefic. part.* 7. *c.* 14. *num.* 11. *&* 15. Barbosa *in Conc. Trid. sess.* 25. *de reformat. cap.* 14. *num.* 17. & alii, *arg. cap. Is cui* 20. *de sent. Excomm. in* 6. Item si adhuc contumaciter in concubinatu persistant, sunt excommunicandi: *cap. Si quispiam* 2. *cap. Clericos* 3. *de cohabit. Clericor. & mulier.* Concilium Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14. *vers. Sed si postquam*. Et si adhuc non se corrigant, perpetuo deponuntur, textu expresso *in cap. Sicut* 4. *& cap. Si autem* 6. *de cohabit. Clericor. & mulier.* Item efficiuntur infames, & inhabiles ad Beneficia & dignitates obtinendas, *c. Infames* 6. *q.* 1. Conc. Lateranense V. *sess.* 9. *Bulla de reform. Curiæ cap.* 3. Leo X. Constit. incip. *Supernæ*. Clerici concubinarii non habentes Beneficia debent ab Episcopo puniri pœna carceris, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia aliisque modis juxta Sacros Canones. Sic expresse Conc. Trid. *cit. cap.* 14. *vers. Clerici vero*. Et tandem omnes Clerici concubinarii, si moriantur in concubinatu sine signo pœnitentiæ; carere debent sepultura Ecclesiastica, & si sine pœnitentiæ signo in loco sacro fuerint sepulti, debent exhumari, & in loco profano sepeliri; *cap. Sacris* 12. *de sepultur. Clementin.* 1. *de sepultur.* Vide *supra num.* 80.

Concussionis pœna de jure communi est ex- 82
traordinaria, & pro modo, & qualitate delicti infligenda. Glossa, *in l. Si simulato* 1. *verb. Coercet*, ubi Bartolus, & Salicet. *ff. de concussione*, Raynald. *lib.* 2. *observat. criminal. c.* 14. *num.* 92. cum pluribus ibi citatis, ubi ex aliis refert, concussores aliquando fuisse flagellatos, seu fustigatos, aliquando ad Triremes transmissos, aliquando in exilium extra Provinciam, aliquando ad privationem Officii. Ursaya *lib.* 2. *tit.* 2. *a n.* 104. ubi dicit Concussores posse puniri Civiliter, & Criminaliter. *Civiliter* mediante pecuniæ restitutione cum concussione extortæ per text. *in l. Si simulato* 1. *ff. de concussione*, & Gloss. *ibid. verb. Ablatum*. *Criminaliter* vero pœna extraordinaria.

Hic autem adverte, quod Concussio nihil aliud 83
est quam extorsio pecuniarum facta per vim, vel metum, & dicitur quasi intimoratio, quia terror, & timor incutitur ad extorquendum ab aliquo pecuniam, *l. Simulate* 1. *& Lege Concussionis* 2. *ff. de Concussione*. Raynald. *loc. cit. num.* 88. cum aliis ibi allegatis, diciturque Concussio quasi timoris incussio; Ursaya *loc. cit. num.* 73. Brugiot. *Institut. crim. lib.* 12. *tit.* 19. *n.* 30. *& seq.* Et quamvis concussio soleat committi a persona habente 84
Officium, ut quando Officialis, seu Judex indebite aliquem vexando pecuniam ab eo invito extorquet, *l. Quod evitandi* 3. *Cod. de condition. ob turpem caus.* veluti si Judex minetur honestæ mulieri processum de crimine adulterii, nisi ei pecuniam det juxta exemplum Jodoch. *in prax. crimin. cap.* 129. *de Concuss. num.* 5. Tamen potest committi a quavis alia persona, ut innuit Glossa *in l. Si simulato* 1. *verb. Oblatum.*, ubi Bartol. *ff. de Concussione*, & Farinac. *quæst.* 111. *num.* 46. Raynald. *loc. cit. num.* 98. veluti si non Judex, sed quivis alter privatus, alicui minetur se illum accusaturum de crimine aliquo non commisso, nisi sibi pecuniam det, & ideo ab ipso pecuniam extorqueat, *l. Si simulato* 1. *& l. Concussionis* 2. *ff. de Concussione*, Decian. *lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 24. Ursaya *loc. cit. num.* 76.

Adverte hic etiam, quod quamvis hæc tria, 85
scilicet *Concutere*, *Compellere*, *& Superchiare* videantur esse Synonima, ac unum & idem significare, tamen ponderata vi, & natura cujuslibet horum, intercedit inter ipsa aliqua differentia. Nam *Concutere* dicitur is, qui metum infert, & eo illato alium invitum inducit ad faciendum quod non vult, Amad. *de Syndic. num.* 165. Raynald. *l.* 1. *observ. ad cap.* 12. §. 2. *ad* 4. *n.* 22. Ursaya *loc. cit. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 242. Farinac. *qu.* 211. *num.* 42. *&* 45. ut explicat verb. *Concutere* hoc est, *intimorare*, quod significat actum intrinsecus animum perstringentem, juxta text. *in l. Sæculari* §. *Sunt quædam*, *ff. de extraordin. criminibus*. *Compellere* autem dicitur is, qui per vim aliquem repu-

pugnantem inducit ad aliquid faciendum, argumento eorum, quæ dicit Farinac. *q.* 109. *n.* 76. Raynald. *loc. cit. numer.* 21. *Compellere* significat actum extrinsecus personam attingentem, *arg. l. In eadem Lege, verb. dejecerit, ff. Ad leg. Jul. de vi pub. Superchiare* dicitur is, qui recurrit ad favorem potentis, vel alicujus factionarii ad hoc ut ope, & auxilio ejusdem inducat aliquem ad contrahendum, vel distrahendum, seu *Superchiare* dicitur is qui ad perterrefaciendum adversarium ad hoc ut desistat a lite, vel aliud faciat, superimponit domui inscriptionem alicujus potentis, vel in actis asserit domum, seu fundum esse alicujus potentis; *l. Unic. de iis, qui Potentiorum nomine titulos prædiis affigunt, vel eorum nomina in lite prætendunt; & Superchiare* significat utrumque actum, scilicet intrinsecus & extrinsecus personam attingentem, nam & incutit timorem intrinsecus, & inducit compulsionem extrinsecus; Raynald. *loc. cit. n.* 25. *&* 30. Ursaya *loc. cit. num.* 241. & alii.

86 Consortii suspecti pœnæ in Clericis, ex decreto Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 14. prohibente Clericis non solum Concubinatum, sed etiam consortium suspectum, ibi: *Prohibet Sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra retinere, aut cum illis consuetudinem habere audeant*, sunt sequentes, nempe quod si moniti a Superioribus non desistant a tali suspecto consortio, *pro prima vice priventur tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcumque, & Pensionum ipso facto*; si secundæ monitioni non paruerint *Fructus Beneficiorum ex integro amittant*; & si post tertiam monitionem adhuc perseverent, *priventur Beneficiis, & si postquam eas dimiserint, semel intermissum consortium repetere, aut alias scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicentur*; sic expresse Conc. Trid. *loc. cit.*

87 Quo ad pœnas Clericis Beneficia, & Pensiones non habentibus, & hujus criminis Reis debitas, sic statuit Concilium *loc. cit.* ibi: *Clerici vero Beneficia Ecclesiastica, aut Pensiones non habentes juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis juxta Sacros Canones puniantur.*

88 Pœna lata pro frequentantibus Monasteria Monialium, sicque Reis quodammodo suspecti consortii, si sint Clerici, est depositio, si autem Laici, est Excommunicatio, si non obstante canonica monitione non desistant, textu expresso *in cap. Monasteria* 8. *de vita & honestat. Clericor.* Si vero sint Regulares, variis aliis subjiciuntur pœnis. Vid. verb. *Moniales art.* 4. *a n.* 12. *usque in finem*.

89 Conspirantium pœnæ, si conspiratio facta sit in Principem supremum, sunt ipsæmet statutæ pro Reis læsæ Majestatis, quæ adducentur *infra n.*148.

90 Si conspiratio facta sit contra Episcopum, aut Clericum a Clericis, seu Monachis, debent deponi; si a Laicis, debent excommunicari, & omnes declarari infames, ac pœna carceris puniri. *cap. Conjurationum* 20. *c. Conspirationum* 21. *c. Si qui Clerici* 22. *cap. Si Clerici* 23. *cap. Si qui Clericorum* 24. *caus.* 11. *q.* 2. Si conspiratio facta sit 91
a Laicis contra privatam personam, est pœna arbitraria, *l. Hodie* 13. *ff. de pœnis*, Amenus *loc. cit. tit.* 2. §. 4. *num.* 8. Si conspiratio facta sit a Re- 92
gularibus contra Superiorem, vel aliquem particularem Religiosum, attendi debent pœnæ statutæ a suis specialibus respective Constitutionibus.

Dilapidationis pœna, si dilapidatio facta sit a 93
Laico habente administrationem communis pecuniæ, & bonorum alicujus communitatis, Collegii, Societatis, & hujusmodi, & contra istos tamquam dolo malo delinquentes in dilapidatione procedatur, talis damnandus est ad compensationem damni, & pro qualitate culpæ puniendus pœna peculatus; Amenus *loc. c. tit.* 3. §. 7. *num.*20. *&* 21. Vide verb. *Peculatus per tot.* Si dilapidatio 94
facta sit a Prælato sæculari absque dolo, sed sola incuria, imprudentia, aut inhabilitate ipsius, dandus est ei Coadjutor, sine quo nihil agere possit, & prohibenda est utrique omnis alienatio, *cap. Venerabili* 37. *de Offic. delegat.* & ibi Abbas *n.* 6. *&* 11. ac alii passim. Si autem facta sit ex 95
dolo, debet deponi, *cap. Apostolicas* 13. *& c. Monemus* 58. *caus.* 12. *q.* 2. Et idem dicendum est de quolibet Clerico beneficiato bona Beneficii sui dilapidante; Bernardus Diaz *pract. crimin. canon. c.* 71. Amenus *loc. cit. num.* 22. Et si dilapidatio facta 96
sit a Clerico Officiali amovibili, ut Syndico, aut Procuratore Capituli, si probetur Reus dolosus, puniendus est pœna peculatus arbitrio Judicis, Amenus *loc. cit. n.* 22. Vide verb. *Peculatus per tot.* Regulares tandem dilapidatores bonorum Conventus, & Religionis puniendi sunt juxta proprii Ordinis statuta, & Constitutiones.

Duellantium pœnæ. Vide verb. *Duellum, art.* 2. 97
per tot.

Expilatæ hereditatis pœna est arbitraria, juxta 98
facti, & personarum qualitatem, *l.* 1. *&* 3. *ff. Expilatæ hereditatis*; Card. de Luca *in Summa de hereditat. n.* 13. Ursaya *Instit. crim. lib.* 2. *tit.* 10. *n.* 54. cum aliis ibi citatis. Pro intelligentia autem cri- 99
minis expilatæ hereditatis advertendum est, quod herede non adeunte hereditatem, hereditas dicitur jacens, & nullum dominum habere dicitur; *l.* 1. §. *Scevola, ff. Si quis testam. liber. esse*, & consequenter si aliqua res hereditaria sublata fuerit, non est proprie furtum, sed ab ipso actu expilationis, & diminutionis hereditatis crimen expoliatæ hereditatis appellatur, & eas res auferens, non fur, sed expilator hereditatis dicitur: *l. Si expilatæ hereditatis* 2. *ff. Expilatæ hereditatis*, Ursaya *loc. c. n.* 54. Brugiot. *Instit. crim. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 2. ubi quod Expilator hereditatis dicitur improbior fure.

Falsariorum pœnæ. Vide verb. *Falsarius*. 100

Falsificantium monetas pœnæ. Vide verb. *Mo-* 101
neta.

Fornicationis pœna quamvis olim de jure Ci- 102
vili nulla fuerit constituta, *l. Si uxor* 13. §. 2. *ff. Ad leg. Jul. de adulter. & l. Quæ adulterium* 29. *Cod. eod.* Tamen hodie Laici fornicatores, nedum in

in Foro Ecclesiastico, & de jure Canonico, sed etiam in Foro Civili pro diversitate personarum, & circumstantiarum puniri solent pœna arbitraria. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *num.* 57. Ursaya *loc. cit. lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 221. Panimol. *decis.* 38. *num.* 13. & alii apud Farinac. *qu.* 237. *n.*36.

103 Clericorum fornicantium pœnæ ex antiquis Canonibus variæ erant, ut patet ex *Canone* 24. *Apostolorum*, *c. Presbyter & Diaconus dist.* 81. *cap. Si quis Episcopus ead. dist.* 81. *c. Presbyter* 51. *dist.*82. *c. Attendendum* 57. *qu.* 4. *c. Sicut* 4. *c. Si autem* 6. *de cohabit. Clericor. & mulier. c. Clericorum* 13. *de vita & honestat. Clericorum*. Ast hodie ex communi praxi pœna Clericorum fornicantium est arbitraria, & ad pecuniariam reduci solet, & juxta qualitates personarum, & circumstantias delicti, quandoque extenditur ad carcerationem, & potest extendi etiam ad suspensionem, & privationem Beneficii, si fornicatio fuerit notoria, & scandalosa. Abbas *in c. At si Clerici num.* 35. *de Judic.* Farin. *q.* 137. *num.* 17. & 24. Fagnan. *in cap. Non debet*, *num.* 8. *de consanguinit. & affinit.* Panimol. *decis.* 38. *num.* 6. Reiffenstuel *lib.* 3. *decretal. tit.* 2. *a num.* 49. & *lib.* 5. *tit.* 16. *n.* 58. & *seq.* Amenus *loc. cit. tit.* 4. §. 3. *num.* 13. ubi observat, quod pœna ab antiquis Canonibus statuta jam abierit in desuetudinem.

104 Furti pœna pecuniaria est, ut, si sit furti manifesti, præter rem furto ablatam solvatur quadruplum; & si sit furti non manifesti, solvatur duplum, textu expresso *in* §. *Pœnam* 5. *Inst. de obligationibus*, *quæ ex delicto nascuntur*; ibi: *Pœna manifesti furti quadrupli est . . . non manifesti, dupli*. Et concordat §. *Furti actio* 19. *Instit. eod.* & §. *Ex maleficis* 18. *Inst. de actionibus*. Pœnæ autem

105 Criminales furti præter solutionem quadrupli, vel dupli sunt, quod in primis furti condemnatus sit infamis, *l. Athletas* 4. §. *final. ff. de his*, *qui infamia notantur*. Deinde si criminaliter agitur contra

106 fures vi juris antiqui puniuntur pœna arbitraria, vel pecuniæ Fisco applicandæ, vel fustigationis, vel carceris, vel exilii, & hujusmodi pro diversitate criminum, personarum, & aliarum qualitatum, ac circumstantiarum, *l. Meminisse* 92. *ff. de furtis*, *l. Fures* 1. & *l. Sed si* 2. *ff. de furibus balneariis*, *l. De his* 1. & *l. Inter* 2. *ff. de Effractoribus*, & *Expilatoribus*. *Authent. Sed novo jure*, *Cod. de servis fugitiv. Novella Ut nulli Judicum* 134.

107 *cap.* 13. *vers. Pro furto*. Ita tamen quod pro simplici furto vetitum fuerit aliquem puniri pœna mortis, aut mutilationis, textu expresso *in citat. Authentic. Sed novo jure*, & *cit. Novella Ut nulli Judicum*.

108 Jure autem novo Cæsareo Friderici I. & Caroli V. pro furtis pœnæ graviores etiam mutilationis, & mortis sunt statutæ: Dictus enim Fridericus I. *lib.* 2. *Feudor. tit.* 27. §. 8. sic expresse statuit: *Si quid quinque solidos valens*, *aut plus fuerit furatus*, *laqueo suspendatur*: *Si minus scopis*, & *forcipe excorietur*, & *tondeatur*. Et Carolus V. *in Constitutione Crim. de pœnis furti* ubique recepta; teste Reiffenstuel *lib.* 5. *decretal. tit.* 18. *numer.* 37. sic statuit, nempe quod Furtum primum seu prima vice commissum, si sit parvum, idest quinque solidos non attingens, & simplex, idest tale quod in solo furandi actu sine concurrentia alterius delicti consistat, & non sit manifestum, puniatur pœna dupli, si fur est solvendo; si non, pœna carceris, ac debeat rem ablatam restituere; *art.* 157. Si vero hujusmodi primum simplex, & parvum furtum sit manifestum, & fur honestæ conditionis existat, spesque emendationis appareat, punitur pœna quadrupli, si est solvendo, sin minus, pœna carceris corporalis. Si autem fur vilis conditionis sit, ad numellas virgis damnatur, & relegatur, ita tamen quod uterque prius restituat rem ablatam, vel æstimationem ejus *art.* 158. Si tamen furtum primum simplex, & magnum sit, idest quinque solidos adæquans, vel excedens, arbitrio Judicis puniendus relinquitur, *articul.* 160.

Furtum secundum, seu secunda vice commissum, si utriusque valor quinque solidos non adæquat, hanc pœnam secum trahit, videlicet positionem pro numellis, relegationem, & confinationem; Si vero quinque dictos solidos excedat, pœna Judicis arbitrio imponitur, *artic.* 161. 109

Furtum tertium, seu tertia vice commissum, etiam simplex, nulla attenta quantitate, & valore rei ablatæ, pœnam capitalem habet, ita ut mas laqueo, femina autem suffocatione aquæ, vel alia simili mortis pœna, gladii verb. grat. perimatur, *art.* 162. 110

Furtum violentum vero, idest quod cum ædium effractione, vel cum telo, & armis fit, quod etiam furtum periculosum vocatur, pœna capitali, vel si circumstantiæ aliud suadeant, non capitali punitur, *art.* 159. sic litteraliter *loc. citat. numer.* 37. *ad* 41. 111

Ex dicta Constitutione Carolina *sub n.* 108. relata patet, quod furti etiam parvi tertia vice commissi pœna est mors; quod tenent Clarus §. *Furtum num.* 14. Bajard. ad Clar. *in* §. *Furtum num.* 28. 29. & 88. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 40. Mascard. *de probationib. lib.* 2. *Concl.* 838. *num.*6. Menoch. *de arbit. Judic. lib.* 2. *caus.* 295. *n.* 17. Gram. *vot.* 9. *n.* 25. & *vot.* 17. *n.* 25. Jodoch. *in practic. crim. c.* 110. *rubric. de furt. num.* 35. Pirhing *lib.* 5. *decretal. tit.* 8. *num.* 22. & *seq.* Amenus *loc. cit. tit.* 3. §. 8. *a n.* 18. *ad* 20. & alii plures tenentes, quod tria furta etiam parva pœnam mortis importent; Dummodo sint non solum re, sed etiam loco, tempore, & intentione distincta. 112

Et ex citata Constitutione Friderici I. allata *sub num.* 108. colligitur, quod pœna mortis possit infligi etiam propter unicum simplex furtum magnum, quod & innuere videtur etiam Constitutio Caroli V. allata *supra num.* 108. *in fine*, ubi dum pro uno simplici furto magno relinquit pœnam arbitrio Judicis, videtur statuere, quod si furtum tam magnum sit, ut arbitrio Judicis pœnam mortis mereatur, eam imponere possit, & sic tenent Baldus *in Authentic. Sed novo jure*, *num.* 5. *Cod. de servis fugitiv.* Covarruv. *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 5. *num.* 7. Menochius *de arbitr. Judic. cas.* 295. *n.* 9. Reiffenst. *loc. cit. nu.* 43. Amenus *loc. cit. tit.* 3. 113

§. 6. *a num.* 23. Caballus *resolut. crimin. centur.* 5. *cas.* 18. *num.* 6. cum pluribus aliis ibi citatis contra varios alios.

114 Si furtum sit sacrilegum, variis punitur pœnis pro varietate rerum, personarum, circumstantiarum, modi, temporis, ætatis, & sexus, textu expresso *in l. Sacrilegii 6. ff. ad Leg. Jul. Peculatus.*

115 Hinc furtum Sacræ Hostiæ, vel unius, vel plurium Particularum consecratarum cum Sacra Pyxide, vel sine illa, punitur pœna mortis, ut tradunt communiter Doctores, & statuit Carolus V. *Constit. Crimin. art.* 142. decernens, quod hujusmodi fures vivi comburantur, & Innocentius XI. Const. incip. *Ad nostri Apostolatus auditum* decrevit, quod tales fures confessi, aut convicti, etiam pro prima vice a Curia Ecclesiastica, seu Sancti Officii, cui hujus criminis spectat cognitio, tradantur Curiæ sæculari condignis pœnis pro criminis atrocitate puniendi, non obstante minori ætate, dummodo 20. annum attingant. Vide *supra nu.* 38.

116 Si fur vas aureum, vel argenteum cum, vel sine reliquiis, aut Calicem, vel Patenam abstulerit, vel Ecclesiam, seu Sacristiam aut gazophylacium, seu Cippum, vel capsam eleemosynarum animo furandi effregerit, aut dolosis instrumentis aperuerit, pœna corporali, vel capitali exasperata, vel mitigata pro diversitate circumstantiarum est puniendus, ut statuit Carolus V. *in cit. suâ Constit. Criminal. art.* 172. *&* 173. & concordat *l. Sacrilegii 9. & l. Hac lege* 10. *ff. Ad leg. Jul. Peculatus*, *l. Si quis* 10. *Authent. de Episcopis & Clericis*.

117 De jure Canonico furti sacrilegi pœna, si sit factum cum fractura muri, portæ, aut Sacræ Ecclesiæ, aut hujusmodi, est Excommunicatio latæ sententiæ, *cap. canonica* 107. *caus.* 11. *q.* 3. *cap. Omnes* 5. *caus.* 17. *quæst.* 4. *cap. Quisquis* 21. *eadem caus. & quæst. & cap. Conquesti* 22. *de sent. Excom.* Quæ excommunicatio post denunciationem ab Episcopo factam a Papa solum potest absolvi, *cap. Conquesti* 22. *de sentent. Excomm.* juncto ejus Summario sic dicente: *Qui cum effractione spoliant Ecclesias, excommunicati sunt, & per Papam tantum post denunciationem absolvuntur*. Amenus *loc. citat. nu.* 34.

118 Si autem furtum sacrilegum commissum sit sine ulla effractione, ejus pœna est quidem Excommunicatio, sed solum ferendæ sent. textu expresso *in cap. Conquestus* 16. *de foro competenti*.

119 Clericus fur notorius, aut furti condemnatus est infamis, *cap. Infames* 17. *caus.* 9. *q.* 1. & consequenter etiam irregularis, adeo ut ad Sacros Ordines promoveri, vel in jam susceptis ministrare non valeat. Abbas *in cap. fin. de furtis n.* 3. *&* 14. Navarr. *in Manual. c.* 17. *num.* 204. Suarez *de Censuris disp.* 48. *sect.* 2. *num.* 2. Pirhing *lib.* 5. *Decretal. tit.* 18. *num.* 2. Reiffenstuel *ibid. num.* 50. & alii; *cap. Qui*
200 *in aliquo* 5. *dist.* 51. cum similibus. Immo præter pœnam infamiæ, & irregularitatis Clericus fur notorius ab Officio, & Ordine Clericali deponi debet, *cap. Presbyter* 12. *dist.* 81. *& cap. Cum non ab homine* 10. *de Judiciis*. Et si non resipiscat, debet excommunicari, & tandem si incorrigibilis evadat, Curiæ Sæculari tradi debet, textu expresso *in cit. cap. Cum non ab homine* 10. *de Judiciis*.

121 Regulares autem fures puniendi sunt juxta proprii Ordinis statuta, ac Constitutiones.

Hæreticorum pœna. Vide verb. *Hæreticus*. 122

Homicidii simplicis voluntarii injusti pœna est 123
mors tam de Lege Divina, quam Civili humana: *Genesis enim cap.* 9. *num.* 6. habetur; *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* Levitic. *cap.* 24. *num.* 17. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur*. Matth. *cap.* 26. *num.* 52. *Qui acceperint gladium* (eoque percusserint) *gladio peribunt*. Apocal. *cap.* 13. *num.* 10. *Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*; & hæc pœna mortis in homicidas voluntarios injustos statuitur pluribus Legibus in jure Civili, & signanter §. *Item Lex Cornelia* 5. *Instit. de public. jud. l. Quoniam* 6. *Cod. de vi publica*, *l. Unic. vers. Et merito*, *Cod. de raptu virg.* Constit. Crim. Caroli V. *art.* 37. *&* 137.

Si autem homicidium voluntarium injustum non 124
sit simplex, sed qualificatum, pœna mortis exasperatur pro diversitate atrocitatis, & malæ qualitatis admixtæ, ita ut gladius augeatur in furcam, rotam, truncationem membrorum, rogum, adustionem per ferrum candens &c. juxta Constitut. Crimin. Caroli V.

Homicidium proditorium ultra exasperationem 125
pœnæ ordinariæ privat etiam jure Asyli; Vide verb. *Immunitas articul.* 2. *a numer.* 109. *ad* 116.

Homicidium assassinum ultra exasperationem 126
pœnæ ordinariæ, & excommunicationem ac depositionem ab Officio, & Beneficio ipso facto, & diffidationem perpetuam a toto populo Christiano juxta *cap.* 1. *de homicidio in* 6. privat etiam jure Asyli. Vide d. verb. *Immunitas art.* 2. *a n.* 117. *ad* 125.

Homicidium sacrilegum ratione personæ occisæ 127
præter exasperationem pœnæ ordinariæ inducit etiam Excommunicationem majorem ipso facto, juxta *cap. Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *quæst.* 4. Sacrilegium vero ratione loci sacri, in quo committitur, secum trahit etiam privationem Asyli. Vide verb. *Immunitas artic.* 2. *a numer.* 102. *ad* 107.

Pœna Parricidii proprie talis de jure Civili olim 128
erat, ut Parricida virgis sanguineis verberatus in corio insueretur, & includeretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, & in profundum maris, & vel si mare longe distet, in flumen, vel lacum projiceretur; §. *Alia deinde* 6. *Institut. de publicis judic. l. Pœna Parricidii* 9. *ff. Ad Leg. Pompejam, de Parricidiis*, *l. Unic. Cod. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt*.

Verum hæc pœna ob nimiam ejus crudelitatem 129
recessit ab aula criminali, & in ejus locum imponitur pœna ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum arbitrio Judicis, & consuetudine locorum, ac Legum municipalium exasperanda, vel mitiganda, ut tradunt communiter Criminalistæ, & signanter Ursaya, *tit.* 5. *Institut. crimin. num.* 475. Julius Clarus verb. *Parricidium num.* 5.

Pœna Parricidii improprie talis de jure Civili 130
est ordinarium homicidii supplicium; §. *Alia deinde* 6. *Instit. de public. judic. l. Lege Pompeja* 2. *& l. Pœna parricidii* 9. *ff. Ad Leg. Pompejam de parricid.* cum hoc tamen quod juxta diversas circum-

cumstantias, & locorum consuetudines pœna hæc exasperetur, vel mitigetur.

131 Parricidium autem proprie tale est homicidium, quo proles parentem, avum, aut aviam, vel parens prolem occidit, *l. Unic. Cod.* de his qui parentes, vel liberos occiderunt, *l. Lege Pompeja* 1. *& l. Pœna parricidii* 9. *ff. Ad Leg. Pompejam, de*
132 *parricid.* Parricidium vero improprie tale, ac large sumptum, est quodvis homicidium cujusvis consanguinei etiam collateralis, aut etiam affinis, & conjugis, *citat. l. Lege Pompeja* 1. *ff. Ad Leg. Pompejam, de parricid.*, & insuper homicidium Novercæ, & Sponsæ, vel Sponsi, *l. Sciendum* 3. *ff. Ad Legem Pompejam, de parricid.*

133 De jure Canonico Parricidæ olim puniebantur variis illis pœnis, quæ recensentur *in cap. Latorem* 15. *caus.* 33. *q.* 2. *& tot. tit. de his, qui filios occiderunt*. Verum tales pœnæ recesserunt ab aula: Unde in casu Parricidii Judices Ecclesiastici remittere debent Laicos Parricidas Judicibus sæcularibus pœnis Legis Civilis puniendos. Clericos vero prius juxta præscriptum Canonis deponere debent, ac degradare, sicque degradatos Curiæ sæculari consignare debita pœna puniendos, ut tradunt Pirhing *lib.* 5. *decretal. tit.* 10. *num.* 5. Reiffenstuel *ib. num.* 10. & alii.

134 Quibus pœnis subjaceant parentes, & alii procurantes abortum? Vide verb. *Abortus per totum*.

135 Parentes sine debita cautela infantes noctu in lecto cum ipsis tenentes, ac ex culpabili negligentia ipsos suffocantes, aut opprimentes tamquam Rei homicidii, seu infanticidii, licet moderatius, sunt puniendi, *cap. Consuluisti* 20. *caus.* 2. *quæst.* 4. ibi: *Monendi sunt namque & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur, unde ipsi homicidii Rei inveniantur .... Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos confliget moderatio, quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?* & concordat *cap. De infantibus* 3. *de his, qui filios occiderunt*, ubi statuitur, quod parentes contra prohibitionem infantes tenellos secum in lecto tenentes, ac ipsos ex negligentia suffocantes, aut opprimentes, trium annorum pœnitentiam, & quidem uno integro in pane, & aqua transigere debeant. Vide verb. *Mater numer.* 16.

136 De jure Canonico homicidæ injusti voluntarii subjacent Excommunicationi sententiæ ferendæ, nisi pœnitentiæ satisfactione commissum homicidii crimen deleverint, & diluerint; *c. Itaque* 20. *caus.* 24. *quæst.* 3. Et si fuerint Clerici, sunt ab Ordine, & Officio deponendi, *cap. Si Episcopus* 7. *dist.* 50. *cap. Inquisitionis* 21. *de accusationibus*; *cap. Sicuti* 6. *§. fin. de homicid. cap. Tuæ* 6. *de pœnis* cum similibus juncto Concilio Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* & in arctum Monasterium sunt detrudendi; *cit. cap. Si Episcopus, & cit. cap. Tuæ*, quæ pœna detrusionis jam abiit in desuetudinem, & mutata est in pœnam perpetui carceris, aut condemnationis ad Triremes, ut observat Farinac. *prax. crimin. quæst.* 119. *num.* 149. *&* 155. Item incurrunt ipso facto Irregularitatem a solo Summo Pontifice dispensabilem; *cap. Miror* 4. *cap. Clericum* 5. *dist.* 50. *cap. Sicut* 6. *§. Clericos, de homic. & c. De cætero* 7. *eod. Clementin. unic. eod.* juncto Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7. *& sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.* Item perpetuo inhabiles sunt ad omnia Beneficia, & Officia Ecclesiastica, Concil. Trident. *cit. sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* Ac insuper privandi sunt Beneficiis prius rite obtentis; *cap. Si Episcopus* 7. *dist.* 50. *cap. Inquisitionis* 21. *de accusat. cap. Sicut* 6. *§. Clericos, de homicid. cap. Tuæ* 6. *de pœnis, cap. Clericis* 5. *Ne Clerici, vel Monachi*; *cap. Ex litteris* 10. *de excessibus Prælator.* Tandem si Clerici homicidium iterent, gravius plectuntur, & si incorrigibiles sunt, sunt etiam anathematizandi, degradandi, & Curiæ sæculari tradendi, *cap. Cum non ab homine* 10. *de judiciis*.

Incendiariorum pœna. Vide verb. *Incendiarius*. 137

Incestus simplicis sine Matrimonio commissi 138 pœna pro Foro sæculari est ultimum supplicium, si committatur inter ascendentes, & descendentes, *arg. l. Si adulterii* 38. *§.* 2. *ff. Ad Leg. Jul. de adulter.* & ibi Glossa verb. *Gentium*, Farinac. *quæst.* 149. *num.* 14. *&* 16. Monac. *de arbitr. Judic. caus.* 502. *a num.* 2. Bajard. *ad Clarum §. Incestus num.* 3. Item si committatur inter Collaterales in primo gradu, v. g. inter fratrem, & sororem. Menoch. *loc. citat. a num.* 14. Haunoldus *de justit. & jur. tom.* 6. *tract.* 2. *n.* 347. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *n.* 7. Item quando cum incestu conjunctum est adulterium. Clarus *§. Incestus n.* 2. Haunoldus *loc. cit. num.* 245. Reiffenstuel *l. c. n.* 70.

Incestuosum Matrimonium scienter contrahentes 139 incurrunt de jure Civili confiscationem omnium bonorum, tam dotalium, quam patrimonialium, exilium, spoliationem cinguli militaris, idest privationem Dignitatis, & administrationis, & si Rei viles sint, etiam verberationem, textu expresso *in Authent. Incestus, Cod. Ad Leg. Jul. de incest. nupt.*

De jure Canonico Laici incestum simplicem si- 140 ne Matrimonio committentes sunt excommunicandi, *cap. De his, qui incesti* 9. *caus.* 35. *quæst.* 2. Et si aliquis ex conjugibus incestum committat cum consanguineo, aut consanguinea alterius conjugis, privatur jure petendi debitum conjugale, *cap. Si quis* 1. *& cap. Transmissæ* 4. *de eo, qui cognovit consanguin. uxor.* Si autem cum Matrimo- 141 nio, seu incestuosas contrahendo nuptias ipsum committant, sunt ipso facto excommunicati, *Clementin. unic. de consanguinit. & affinit.* Nec possunt amplius cum alia persona Matrimonium licite contrahere, nisi ignoranter contraxerint, *cap. Qui propinquam* 4. *caus.* 35. *q.* 2. Laici incestuosi 142 de jure canonico sunt infames ipso jure, & facto, *c. Consanguineorum* 4. *caus.* 3. *q.* 4. & *cap. conjunctiones* 2. *caus.* 35. *q.* 2. Amenus *de delictis, & pœnis tit.* 4. *§.* 6. *n.* 17.

Clerici incestum committentes deponuntur, & 143 Beneficiis privantur, *arg. cap. Si quis* 20. *& seq. dist.* 81.

dist. 81. *& cap. Si adulterium* 11. *caus.* 32. *quæst.*7. Farinac. *prax. crimin. quæst.* 149. *num.* 35. Pirhingh. *lib.* 5. *Decretal. tit.*16. *num.* 66. Reiffenstuel *ibid. num.* 74. Ac idem procedit etiamsi agatur de incestu minus proprie dicto proveniente ex cognatione spirituali, puta quia Clericus rem habuit cum filia Spirituali, quam e Baptismo levavit, aut tenuit in Confirmatione, aut audivit, ac absolvit in Confessione Sacramentali, aut commatrem, seu illius Matrem cognovit, *arg. cap. Omnes, & cap. Si quis* 9. *& cap. Non debet* 10. *caus.* 30. *q.* 1. Farinac. *loc. citat. num.* 53. *& seq.* Menoch. *loc. citat. caus.* 502. *num.* 27. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 75. Pignatell. *tom.*1. *consult.* 116. Ursaya *Instit. criminal. l.*3. *tit.* 5. *num.*130.

145 Injuriantium pœnæ de jure communi sunt extraordinariæ, & arbitrariæ Judicibus, §. *In summa* 10. *Instit. de injuriis, & l. De injuria* 45. *ff. de injuriis.* Unde pro diversitate injuriarum indici debet injurianti satisfactio erga injuriatum, quæ regulanda est juxta atrocitatem, aut levitatem injuriæ, attentis circumstantiis personarum, locorum,
146 & temporum. Condemnati actione injuriarum pœnali, sive hæc Civilis, sive Criminalis sit, incurrunt infamiam juris, tum de jure Canonico, tum de jure Civili, *cap. Cum te* 23. *de sentent. & re judicata, l. Athletas* 4. §. *final. ff. De his qui notantur infamia.* Dummodo tamen injuria, de qua condemnati sunt, fuerit atrox, ut cum communi docet Clarus §. *Injuria vers. Item condemnatus.* Vide *supra num.66. verb. Calumniatorum pœnæ*, & infra verb. *Libellos famosos componentium pœna*, & verb. *Maledictorum pœnæ*.

147 Largitionis, & receptionis munerum in Regularibus, & aliis pœnæ. Vide verb *Donatio art.* 2. *a n.*34. *verb. Moniales art.*2. *a n.* 62. *verb. Regulares art.*1. *a n.*68. *& verb. Xenia.*

148 Læsæ Majestatis pœnæ (si Reus hujus criminis sit vivens, ac præsens in manibus Curiæ, & crimen commissum sit in primo capite) sunt multæ. Primo igitur est perpetua infamia, *cap. Felicis* 4. *de pœnis in* 6. Farinac. *quæst.* 116. §. 1. *num.* 4. Ursaya *Instit. crimin. lib.* 2. *tit.* 1. *num.*145. *&* 169. Secunda est deletio armorum, & insignium ipsius Rei, atque agnationis; Gigas de *crimin. lesæ Majestat. lib.* 2. *tit. de Proditor. quæst.* 8. *num.* 2. Ursaya *loc. cit. num.*147. Amenus *de delictis, & pœnis cit. tit.* 2. §. 6. *num.* 40. *arg. l. Eorum, ff. de pœnis.* Tertia est confiscatio omnium bonorum; *l. Quisquis.* 5. *Cod. Ad Leg. Jul. Majestatis, & Authent. Bona damnatorum* §. *final. Cod. de bonis proscriptor.* Quarta est privatio omnium beneficiorum, ac privilegiorum Reo a jure Civili competentium; *l. Amissione* §. 1. *ff. de capitis diminut. l.* 1. *ff. de jurisdict. omnium judic. Extravagant. Qui sint rebelles*; ibique Bartolus verb. *Rebellanda num.* 13. 19. *&* 20. Farinac. *quæst.* 116. §. 2. *num.* 92. Amenus *loc. citat. num.* 41. Ursaya *loc. cit. num.* 149. Quinta est devastatio, & demolitio ejus domus a fundamentis, ita quod non remaneant ejus vestigia, & amplius reædificari non possit, *cap. Felicis* 5. *de pœnis in* 6. Ursaya *loc. citat. num.* 152. *&* 169. Raynald. *tom.* 1. *cap.*2. §. 1. *num.*109. Sexta est ad ultimum supplicium; *l. Quisquis* 5. *Cod. Ad Legem Juliam Majestatis*: Ursaya *loc. cit. numer.* 160. *&* 169. Raynald *loc. cit. num.* 49. Amenus *loc. cit. num.* 39. ubi quod mortis genus est per ignem, vel per dissectionem in frusta, vel per aliam atrociorem formam, ut testatur Farinacius *cit. q.*116. *n.*2.

Insuper filii talis Rei evadunt infames, amittunt Beneficia juris Civilis, arma, & insignia domus, privantur omni hæreditate, & successione sibi ex testamento, aut ab intestato obveniente; *l. Quisquis* 3. §. *Filiis, Cod. Ad Leg. Juliam Majestatis*; *l. Quando, Cod. de bonis proscriptor. Novella* 134. *cap. final.* Ursaya *loc. cit. num.*170. Amenus *loc. cit. num.*42. 149

Excipiuntur tamen a supradictis pœnis filii emancipati ante crimen Patris, ut defendit Glossa *in cap. Si quis cum militibus, in verb. Filii vero caus.* 6. *q.* 1. communiter approbata, teste Ameno *loc. citat. num.* 45. adducens pro ratione, quod filius emancipatus desinit esse de familia; *leg. Quin etiam* §. *final ff. de ritu nuptiar.* & ex aliis subdens, quod a dictis pœnis excipiuntur etiam filii adoptivi, Nepotes, & filii Clerici, & filiæ. Immo dictas pœnas *cit. leg. Quisquis* ex laudabili consuetudine hodie non extendi ad filios, testantur Angelus *in l. Fallaciter num.* 4. *Cod. de abolit.* Gigas *de crimin. læsæ Majestatis lib.* 3. *rubr. de pœnis, quas filii incurrunt q.* 23. *num.*3. Decian. *libr.* 7. *cap.* 41. *num.* 38. teste Ursaya *loc. citat. num.* 172. ubi ipse ex aliis habet, quod dictæ pœnæ non comprehendunt filios natos, antequam Pater commisisset tale delictum. 150

Si autem crimen commissum sit solum in secundo capite, tunc talis Reus punitur pœna ultimi supplicii, & confiscationis omnium bonorum; Farinac. *quæst.* 116. §. 1. *num.* 23. *&* 24. Ursaya *loc. citat. num.* 173. At pœna devastationis domus non habebit locum, minusque aliæ tangentes filiorum præjudicium; Glossa *in leg. Forum, ff. Ad Legem Juliam Majestatis*; Farinacius *quæst.* 116. *num.* 123. *& seq.* Ursaya *loc. citat. numer.* 173. *& sequ.* 151

Si Reus hujus criminis sit absens, nec haberi possit in potestate Curiæ, depingitur ejus effigies in tabella, capite ad terram verso, & pedibus furcæ suspensis cum inscriptione proditorem, & læsæ Majestatis Reum indicante; Decianus *lib.* 7. *cap.* 31. *num.*15. *& cap.* 30. *num.* 27. cum aliis ibi citatis, Ursaya *loc. cit. num.* 147. *&* 275. Amenus *loc. citat. numer.* 40. Et qui talem imaginem delet, seu aufert, pœna quingentorum aureorum tenetur; *l. Si quis id* 7. *ff. de jurisdict.* 152

Si Reus talis criminis sit prædefunctus, & crimen commissum sit in primo capite, tunc ejus memoria damnatur, declaratur infamis, ejusque bona confiscantur, atque ab illius hæredibus adimuntur; *l. Majestatis* 6. *l. Meminisse* 7. *& l. Post D. Marci* 8. *Cod. Ad Leg. Juliam Majestatis*; *l. Is qui* 11. *ff. eod.* Ursaya *l. c. n.* 164. *& seq.* Amenus *loc. cit. n.*4. 153

Si vero crimen commissum sit in secundo capite, tunc post mortem delinquentis non potest agi, nec memoria defuncti damnari, vel aliter cognosci, aut procedi contra illum, *cit. leg. Is qui* 154

qui 11. *ff. Ad Legem Juliam Majestatis*, Decianus *lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 37. *&* 38. Amenus *loc. cit. numer.* 40. Ursaya *loc. cit. num.*166. Glossa *in cit. l. Meminisse*, *verb. Meminisse*, *Cod. ad Legem Juliam Majestatis*.

155 Qua autem pœna, & a quo Judice puniendi sint Clerici, & Religiosi Rei hujus criminis, seu potius proditionis, ut volunt Clarus *quæst.* 36. *num.* 27. Farinac. *quæst.* 111. *num.* 261. & Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 124. *num.* 3. ac alii, dissentiunt Doctores: Pignatell. enim *cit. consult.* 124. *sub num.*1. *& per tot.* pluribus adductis contendit, Clericos offendentes suum Principem naturalem, seu temporalem non esse Reos læsæ Majestatis, nec posse ab eo puniri per varios Sacros Canones, & signanter per *cap. At si Clerici de judic. cap. Significantibus*, *de Offic. Delegati*, *cap. Si diligenti*, *de foro competent. c. Si Imperator dist.* 96. cum similibus referens *ibid. sub num.* 2. ex Tapia, Riccio, Genuens. Diana, & aliis, sub Clemente VIII. in quadam rebellione fuisse processum contra Clericos, & Monachos ex delegatione Summi Pontificis per Judicem Laicum Clericali charactere insignitum insimul cum Judice Ecclesiastico. Gigas vero *tract. de crimin. læsæ Majestatis rubr. Qualiter*, *& a quibus crimen læsæ Majestatis*, *committ. quæst.* 63. Decian. *prax. crimin. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 6. & alii plures sustinent, tales Clericos, ac Religiosos evadere Reos læsæ Majestatis, & posse puniri a Judice Laico, per text. *in cap. Hac constitutione* 15. *vers. Nec aliquis*, *de Offic. delegat. in* 6. *in cap. Perpendimus* 23. *de sentent. Excommunic. & in cap. Si quis Laicus* 19. *caus.* 22. *quæst.* 5. Ursaya *loc. cit. num.* 176. expresse habet, quod quia hoc crimen committi potest a Clericis, a Judice Ecclesiastico in hoc casu privari debent Beneficiis, atque degradari, juxta textum *in cap. Si quis Laicus* 19. *caus.* 22. *quæst.* 5. quem textum notabilem dicit Abbas *in cap. At si Clerici*, *in princ. de judic.* Amenus autem *loc. cit. num.* 49. concludit, quod quidquid sit de jure, scit Princeps de facto in casus contingentia, maxime si lædatur Majestas in primo capite, procedere per suos Judices, & ultimo supplicio Reos afficere. An autem bene, vel male procedant, non hominum, sed Dei judicio dimittit. Unde in tanta Doctorum diversitate concluderem pro tutiori cautela, posse consulto Summo Pontifice similes Clericos, & Religiosos degradari, & tradi Curiæ sæculari puniendos, prout de jure, ut etiam teste Pignatello, *loc. citat. num.* 6. admittunt Doctores, ut videre est apud Farinac. *in prax. quæst.* 8. *num.* 81. Episcop. Scalens. *de irregularit. c.* 14. Felician. *de censur. c.*14. Delbene *de immun. Ecclesiast. c.*6. *dub.* 5. *sect.*3. *n.*17.

156 Libellos famosos componentium, dictantium, & vulgantium pœnæ. Vide verb. *Libellus famosus per tot.*

157 Litteras alienas aperientium, lacerantium, & intercipientium pœna varia est juxta varietatem personarum, quarum litteræ aperiuntur, lacerantur, aut intercipiuntur, & etiam juxta diversitatem finis, quem intendit aperiens, lacerans, aut intercipiens. Unde quia aliquando id potest esse crimen læse *Majestatis*, aliquando crimen *falsi*, aliquando *Stellionatus*, aliquando *injuriarum*, ideo Reus puniendus est aliquando pœnis læsæ *Majestatis*, aliquando *falsi*, aliquando *Stellionatus*, & aliquando *injuriarum*. Hinc videndæ sunt pœnæ assignatæ sub propriis dictis verbis.

Litteras Apostolicas, aliasque falsificantium pœ- 158
næ. Vide verb. *Falsarius*.

Magiæ pœnæ eædem sunt ac maleficii, & sorti- 159
legii. Unde vide verb. *Superstitio num.* 70. *& seq. ac* 78.

Maledicorum pœna, si maledictum sit in per- 160
sonam privatam commissum, est, quod præter reatum peccati, & obligationem restituendi famam, maledicens sit obnoxius actioni injuriarum, & palinodiæ, seu recantationi; *arg. leg. Item* 15. §. 27. *ff. de injuriis*, *& famosis libellis*, Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 26. *num.* 5. Si maledictum commissum sit in Principem supremum, quamvis olim ejus pœna fuerit eadem cum pœna criminis læsæ Majestatis, teste Arnobio *lib. adversus gentes*, hodie tamen de jure communi nulli certæ, & determinatæ pœnæ, sed soli arbitrariæ pœnæ ipsius Principis subest; *leg. Unic. Cod. Si quis Imperatori maledixerit*. Si autem maledictum sit in ipsum Officium Principis, aut circumstantiæ aliud suadeant, tunc ad terrorem aliorum graviter puniri debet; *argument. cap.* 1. *de Maledicis*, Menoch. *de arbitr. judic. caus.*377. *n.*7. *& seq.* Reiffenstuel *loc. cit. n.*6. *&* 7.

Item quamvis consultum sit, ut Papa exemplo 161
mansuetudinis Christi remittat maledicta in solam suam personam illata; *arg. c. Inter querelas* 57. *caus.* 23. *quæst.*4. *& leg. Si quis* 10. *Cod. de Episcop. & Cleric.* juncta *cit. l. Unic. Cod. Si quis Imperatori maledixerit*, & ut practicavit S. Pius V. testibus Barbosa *in cit. cap.* 1. *n.*2. *de Maledicis*, & Reiffenstuel *loc. cit. n.*8. Tamen gravi, & exemplari pœna ad terrorem aliorum punienda sunt maledicta prolata contra ipsam Sedem Apostolicam, seu Officium, & Primatum ipsius, textu expresso *in cit. c.* 1. *de Maledicis*, ut tradunt ibi Doctores communiter.

Sic quamvis Episcopus punire non debeat ma- 162
ledictum contra solam suam personam prolatum, ut tradit Glossa communiter recepta *in cit. cap. Inter querelas*, *arg. cit l. Si quis* 10. *Cod. de Episcopis*, *& Clericis*, ibi: *Cui Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit*. Tamen arbitrio alterius Judicis pro qualitate injuriæ puniendum est, ut tradunt Hostiens. *in Summa tit. de Maledicis* §. *Alii maledicunt*, Farinac. *prax. crimin. quæst.*105. *num.*402.
Reiffenstuel *loc. cit. num.* 11. Clerici maledici pœ- 163
na est, quæ statuitur *in c. Clericus* 5. *dist.* 46. his verbis: *Clericus maledicus* (maxime in Sacerdotibus) *cogatur ad postulandam veniam, si noluerit, degradetur, nec unquam ad Officium absque satisfactione revocetur*.

Religiosi autem aliquem Ecclesiæ Prælatum ma- 164
ledicto offendentes, aut eidem detrahentes, de jure communi debent per duos menses subjacere illis pœnis, quæ juxta Regulas, seu Statuta eorum ob gravia crimina sunt imposita, textu expresso in *Clementin.* 1. §. *Quibus etiam*, *de Privil.*

Mo-

165 Monopolii pœna est, quod hujus criminis Rei puniantur perpetuo exilio, & confiscatione bonorum textu expresso *in Leg. Unic. Cod. de Monopoliis*, Ursaya *Institut. Crimin. lib.*2. *tit.*4. *n.* 12. cum pluribus ibi citatis.

166 Omittentium Sacramentalem Confessionem, & Communionem in Paschate, pœna est Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & si in hoc peccato decesserint absque signo Contritionis, est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, textu expresso *in c. Omnis utriusque sexus, de pœnitent. & remissionibus*. Tale autem Interdictum est solum sententiæ ferendæ; Unde talis Censura non incurritur, nisi a Judice competente in Reum contumacem per sententiam feratur: Privatio tamen sepulturæ Ecclesiasticæ est pœna latæ sententiæ, ut patet ex verbis citati Canonis: *Christiana careat sepultura*; Amenus *loc. citat. tit.* 5. §. 1. *num.* 11. & 12.

167 Omittentium recitationem Horarum Canonicarum, si Beneficiati sint, seu Officii Beatæ Mariæ Virginis, si tantum Pensionarii Ecclesiastici sint, pœna est obligatio ad restituendum fructus Beneficii, sive Pensionis pro omissionibus, & talis pœna subiri debet in conscientia ante quamvis Judicis sententiam. Concil. Lateranense *sub Leone X. sess.* 9. §. *Statuimus*, S. Pius V. Constit. incip. *Ex primo*, Amenus *l. cit. n.*13. Vide verb. *Officium Divinum, art.*1. *a n.*29.

168 Osculantis fæminam invitam pœna est extraordinaria, & arbitraria Judici pro qualitate personæ, loci, & intentionis; Farinac. *quæst.* 142. *num.* 161. Amenus *loc. cit. tit.* 4. §. 2. *num.* 40. Et si osculum fiat in publico ad finem injuriandi fæminam invitam osculatam, vel ejus illustrem familiam, aut aliæ adsint gravantes circumstantiæ, potest extendi pœna etiam ad ultimum supplicium, quo revera punitus fuit quidam nobilis Gallus, qui osculum rapuerat Susannæ Trivultiæ illustri fæminæ nuptæ, ut refert Bossius *tit. de extraordinariis criminibus num.* 3. & ex ipso Amenus *loc. citat. numer.* 40. ubi subdit, quod deficiente publicitate loci, ac malo exemplo, temperatur pœna.

169 Osculans ob œstrum amoris puellam in publico, puniendus est exilio, & pœna pecuniaria; Giurba *consil. crimin.* 47. *num.* 16. Amenus *loc. citat. num.* 41. Afflict. Farinac. Decian. Menoch. &
170 Caball. ab ipsis citati. Osculans in publico puellam invitam, ut ducat in Uxorem contemplatione dotis pinguis, & hoc modo impediatur Matrimonium cum alio, puniendus est pœna extraordinaria triremium; Raynaldus *Syntax. crim. lib.*1. *c.*11. §.6. *n.*3. cum Bartol. Boss. Farinac. & aliis ibi citatis, Amenus *loc. cit. n.*42.

171 Osculantis obiter Monialem pœna est extraordinaria; Farinacius *quæst.* 146. *num.*33. Decian. *tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 16. Amenus *loc. citat. tit.* 4. §. 9. *num.* 17. & 18. ubi subdit graviori pœna extraordinaria puniendum esse talem sacrilegum, si post osculum ad alios impudicos, & lascivos actus cum ipsa Moniali procederet. Et si carnalem copulam cum Moniali habeat, vel Matrimonium cum ea contrahere attentaverit, de jure Civili punitur pœna mortis, & bona delinquentis jubentur applicari Monasterio, in quo Monialis degebat; Menoch. *de arbitr. judic. casu* 389. *num.* 27. Reiffenstuel *lib.* 5. *decretal. tit.* 16. *num.* 78. per text. *in Novella* 123. *cap.* 43. & *leg. Si quis* 5. *Cod. de Episcopis, & Clericis*, & concordat *cap. Si quis rapuerit* 30. *caus.* 27. *quæst.* 1. & *cap. Si quis non dicat* 3. *caus.* 36. *quæst.* 2. Advertit tamen Farinac. *quæst.* 146. *num.* 1. quod licet pœna capitali adhuc puniatur tale Sacrilegum crimen cum Moniali committens, tamen bona illius non Monasterio Monialis, sed delinquentis hæredibus applicari solent, juncta *Authent. Bona damnator. Cod. de bonis proscriptor.* nisi raptus, aut violentia in Monialem intervenerit. De jure 172
autem Canonico sic peccans cum Moniali si sit Laicus excommunicatur, si sit Clericus, non solum Beneficio privatur, sed etiam ab Ordine depositus in Monasterium ad pœnitentiam agendam detruditur. Menoch. *de arbitr. judic. casu* 189. *num.* 24. Farinacius *loc. citat. num.* 4. & 46. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 80. *cap. Si quis Episcopus* 6. *cap. Virginibus cap.* 14. & *cap. Si quæ Monacharum* 28. *caus.* 27. *quæst.* 1. Monialis autem, quæ ad tale sacrilegium libere consensit, ad agendam pœnitentiam in arctius Monasterium detrudi jubetur; *cap. Si quæ Monacharum* 28. & *cap. Si quis rapuerit* 30. *caus.* 27. *quæst.* 1. juncta *Novella* 123. *quæst.* 43. Vel, quod convenientius est, ad perpetuos carceres sui proprii Monasterii condemnanda est; *cap. Impudicas* 11. *caus.*27. *quæst.*1. Menochius *loc. cit. num.* 12. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 81.

Parricidii pœnæ. Vide *supra a num.* 128. *ad* 173
num. 134.

Partus suppositi (idest, cum aliqua sterilis fæ- 174
mina fætum tamquam ex se natum supponit, cum revera alterius fæminæ sit; ut ex *leg. Si partus subject.* 1. & *leg. Cum suppositi partus* 10. *Cod. ad Legem Cornel. de falsis*, & *ex cap. Officii* 9. *de pœnitentiis, & remissionibus*) *ex cit. leg. Si partus subjecti*, existimat Peguer. *decis. crimin.* 80. *num.*8. esse pœnam capitalem. Basilius autem *decis.* 7. *num.* 11. dicit id esse arbitrio Judicis remittendum, qui vel pœnam minuat, vel augeat usque ad mortem pro diversitate circumstantiarum: Pœna vero partus suppositi hoc modo, si nutrix v. g. aliqua, quæ infantem opprimat alienum, eique mortuo proprium supponat, ut habetur 3. *Regum cap.* 4. de litigio duarum meretricum ante Tribunal Salomonis, secundum opinionem Alexandri *consil.* 50. *vers. Tertio per id, volum.* 1. citantis ad hoc *l. Quoniam* 7. & *leg. Plagiarii* 16. *Cod. ad Legem Fabiam, de Plagiariis*, & *leg.* 1. *ac penult. ff. eod. tit.* est ultimi supplicii; & concordat Bossius *tract. crimin. tit. de Plagiariis* allegans ad id statutum Mediolani imponens Plagiariis pœnam capitalem. Quod tamen intelligendum esse de consuetis in hoc delicto, dicit Clarus *quæst.* 68. *num.* 31. & sequitur Amenus *loc. citat. tit.* 3. §.6. *num.*39. concludens, quod citra mortem puniri deberet nutrix, quæ infantem, ut præmissum est, surriperet.

Peculatus pœna. Vide verb. *Peculatus*. 175

Per-

176 Perjurii poena olim de jure Civili erat, tamquam de crimine læsæ Majestatis, si sponte, & deliberate quis pejerasset; *Leg.* 2. *Cod. Ad Leg. Jul. Majestatis*, & sic perjuri ultimo supplicio afficiebantur, *cap. Rex debet, caus.*23. *quæst.*5. Sed hodie dictæ pœnæ abierunt in desuetudinem, & redactæ sunt ad pœnam Judicis arbitrariam, & regulariter imponitur pro perjurio pœna exilii ultra refectionem damni, & interesse faciendam illi, contra quem quis pejeravit. Glossa *in l. final. verb. Lucrum, Cod. de jurejurando* cum aliis apud Decianum *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 27. Farinac. *quæst.* 161. *num.* 36. Raynald. *tom.* 2. *cap.* 20. §. *unic. numer.* 20. *& seq.* Amen. *loc. cit. tit.* 5. §. 7. *num.*31. Ursaya *Instit. Crimin. lib.* 3. *num.* 17. De jure Canonico perjurus, si sit Laicus, efficitur infamis, & consequenter irregularitatem incurrit, *cap. Infames* 18. *causa* 6. *quæst.* 1. Si vero sit Clericus, deponendus est ab Ordine, *cap. Cum non ab homine* 10. *de judiciis*; Privandus est Beneficiis, *cap. Querelam* 19. *& cap. Tua* 11. *de jurejurando*; Atque efficitur inhabilis ad alia obtinenda, *cit. cap. Querelam* 19. *de jurejurando*. Et si fuerit Episcopus, privandus, & deponendus est; *cap. Si quis causa* 22. *q.* 5. *& cap. Cum quidam* 12. *de jurejurando*, Ursaya *loc. cit. a n.*59. *ad* 62. cum pluribus ibi citatis.

177 Plagii pœna. Vid. verb. *Plagium*.

178 Polygamiæ pœna. Vid. verb. *Polygamia*.

179 Prævaricationis pena. Vide supra *a numer.* 70. *ad* 72.

180 Rapinæ pœna, si agatur civiliter, est restitutio in quadruplum, ita ut præter rem ablatam, eamdem in triplo adhuc pretii, vel æstimationis compensare, post annum vero, non nisi ipsam rem rapina ablatam, vel æstimationem illius una cum refusione lucri cessantis, & damni emergentis restituere debeat, *princip. Instit. de vi bonorum raptor.* & concordat *l.* 1. *&* 2. *ff. eod.* Si autem agatur criminaliter, & rapina commissa sit cum armis, Raptor pœnam capitalem incurrit; *l. Penult. ad Leg. Jul. de vi public. & ordin. Caroli V. art.* 126. Et si commissa sit sine armis, pœna illius est amissio tertiæ partis bonorum, dignitatis, item & honoris cum infamia; §. *Item Lex Julia* 8. *Instit. de public. jud. l.*1. *in princip. ff. de vi privata*, juncta *l.*2. *Cod. eod.*

181 De jure Canonico pœna Raptorum est Excommunicatio infligenda ab Episcopo loci, ubi rapina committitur, etsi Raptor sit alterius Diœcesis. a qua nequit absolvi a proprio Episcopo Diœcesano, nec recipi ab eo, sed ad Episcopum excommunicantem remitti debet, nisi plene satisfecerit; *cap. De illis* 1. *de Raptoribus*. Et si Raptor in ipsa rapina moriatur, vel satisfacere nolens decedat, tamquam in peccato mortali defunctus caret Ecclesiastica sepultura; *c. Super eo* 2. *de Raptoribus*, *& c. Fures* 2. *de Furtis*.

182 Raptus pœna. Vide verb. *Matrimonium quoad impedimenta art.*5. *a n.* 148.

183 Repetundarum criminis pœna est varia pro varietate hujus delicti. Vel hoc crimen commissum est a Judice corrupto in causa criminali capitali, accipiendo pecuniam, vel aliam rem a sponte dantibus, ut hominem innocentem condemnaret ad mortem, & mors de facto est secuta, & tunc punitur pœna capitis; *l. Lex Julia* 7. §. *final. ff. Ad Leg. Jul. Repetundar.* & insuper confiscatione bonorum; *Authent. Novo jure, Cod. de pœna Judicis, qui male judicavit*, cum aliis apud Farinac. *quæst.* 111. *num.*61. *& seq.* Et si causa criminalis non sit capitalis, punitur talis corruptus Judex pœna Relegationis. Decian. *lib.*8. *cap.*39. *num.*15. *&* 19. Ursaya *Instit. criminal. lib.*2. *tit.* 2. *num.*85. Vel hoc crimen commissum est a Judice pecunia corrupto in causa Civili, & tunc punitur civiliter, & criminaliter. Civiliter condemnatur ad expensas, & damna passa per litigatorem propter ejus corruptionem, *l. de eo* 2. *Cod. de pœna Judic. qui male judicavit*, & ultra damnum, & interesse tenetur ad restituendum quadruplum ejus quod accepit; *l. Ut unius* 1. *in fine*, *Cod. Ad Legem Jul. Repetundar.* Quamvis juxta *Authent. Novo jure*, §. 1. *Cod. de pœna Judicis, qui male judicavit* sit restricta talis pœna ad triplum dati, & respective recepti, ad duplum vero simpliciter promissi, ut ex Farinac. & aliis notat Ursaya *loc. cit. num.* 90. Criminaliter autem talis Judex privatur dignitate, qua erat insignitus, & redditur inhabilis ad judicandum in futurum, ac efficitur infamis; *citat. Authent. Novo jure, & l. Judices, Cod. de dignitatibus, ac l. Eadem Lege* 6. §. 1. *ff. Ad Leg. Jul. Repetundar.* ac insuper punitur pœna extraordinaria, quæ solet esse exilii, vel durior, aut mitior juxta delicti qualitatem. Glossa *in leg. Lex Julia*, §. *Hodie, verb. Extra ordinem, ff. Ad Leg. Jul. Repetundar.* Ursaya *loc. citat. num.* 94. cum aliis ibi allegatis.

Si vero hoc crimen commissum sit ab aliquo, 184
qui pecuniam sponte dedit, ut Judicem corrumperet, & in suam voluntatem traheret, tunc iste tam in Civilibus, quam in Criminalibus tenetur eadem pœna Judicis corrupti, & insuper si Reus hujus criminis sit Actor, punitur amissione causæ, & actionis; *l. Constitut.*1. *Cod. de pœna Judicis, qui male judicavit*; Et si sit Reus, amittit jus se defendendi, & sic etiam ipse pro suo jure, & interesse causam amittit. Glossa *in cit. leg. Constitit, verb. Amittat*; Farinac. *quæst.*111. *tit.*3. *n.* 125. *&* 129. Ursaya *loc. cit. num.*100. *& seq.* Nisi tamen agatur de causa criminali sanguinis, quia tunc licitum est Reo sanguinem suum, & vexationem quoquo modo redimere; *l. Transigere* 18. *Cod. de transact.*, Ursaya *loc. cit. num.*103. cum aliis ibi allegatis.

Si autem pecunia non a sponte dantibus, sed 185
per violentiam, & concussionem recipiatur a Judice, vel ab alio Officiali, qui minetur alicui crimen, & capitale judicium, ut sub hoc prætextu pecuniam ab illo extorqueat, seu recipiatur talis pecunia ab aliquo privato minante alicui se illum accusaturum de crimine aliquo non commisso, & ideo ab eo pecuniam extorsit, tunc punitur pœna concussionis. Vide *supra a num.* 82. Conspirantes enim in accusationem, & condemnationem innocentum, & pecuniam accipientes ad non accusandum, vel non condemnandum, tenentur *Lege Cornelia, de Sicariis*, quæ est publici judicii, *lib.*1.

lib. 1. *ff. Ad Leg. Cornel. de falsis* : Et insuper *Lege Julia Repetundarum* , quæ etiam est publici judicii ; *l. Eadem Lege* 6. *ff. Ad Legem Jul. Repetundar.*

186 De Residuis criminis pœna est, quod præter restitutionem pecuniæ inique detentæ, vel non debite erogatæ solvat adhuc triplum, seu tertiam partem, ita ut qui 90. duplas male erogavit, 220. duplas restituere teneatur ; *l. Lege Julia* 4. *ff. Ad Legem Juliam Peculatus* . Et insuper Reus hujus criminis incurrit infamiam cunctis criminibus publicis debitam ; *l. Infamem* 7. *ff. de public. judic.* Et ulterius puniri debet criminaliter pœna arbitraria graviori, quam puniatur simplex furtum. Ursaya *Institut. crimin. lib.* 2. *tit.* 3. *num.*31. *& seq.*
187 cum aliis ibi citatis . Crimen autem de Residuis est delictum publicum, quo pecunia ad certum debitum usum non erogatur, sed vel retinetur vel in alium usum convertitur ; *l. Lege Julia* 4. §.3. 4. *ff. Ad Legem Juliam Peculatus*.

188 Revelationis secretorum pœnæ variæ sunt pro varietate revelantium. Si revelans sit persona privata, quæ secretum amici sibi communicatum revelet dolo malo ad perniciem ipsius amici, est pœna falsi ; *arg. leg. Pœna* 1. §. 4. *&* 6. *ff. Ad Legem Cornel. de falsis*, Amenus *tit.*5. §.6. *n.*32. cum aliis ibi citatis. Hujusmodi enim proditores amicitiæ falsarii sunt, & juxta Scotum *in* 4. *dist.*21. *q.*2. *art.*1. sunt infames.

189 Consiliarius, seu alius revelans secreta Principis sibi commissa pœnas perjurii subire debet, ut ex aliis tradit Amenus *loc. citat. numer.* 34. Et si illa panderet hostibus Principis, de jure Canonico anathema esset ; *cap. Si quis Laicus* 23. *quæst.* 5. Et si esset Clericus, deberet degradari. De jure vero Civili tamquam Reus criminis læsæ Majestatis debet ultimo supplicio affici ; *leg. Omne delictum* 6. §. 4. *ff. de re militari*, *& leg. Si quis* 38. §. 1. *de pœnis*, ubi habetur, quod hujusmodi Rei aut vivi exuruntur, aut furcæ suspenduntur.

190 Testes propalantes propria testimonia in judicio sub juramento deposita, antequam auctoritate Judicis publicentur, puniuntur pœna Judici arbitraria juxta damnum sua propalatione partum, vel Fisco causatum ; *leg. Qui*, *ff. de Testibus*. Nota-
191 rius, seu Secretarius, qui secreta Judicis partibus, vel secreta unius partis, alteri adversariæ indicat, incurrit pœnam falsi ; *leg. Pœna* 1. §. 6. *ff. ad Legem Cornel. de falsis*. Et eamdem pœnam incurrit Causidicus, qui secretum instrumentum unius partis alteri ostendit : *cit. l. Pœna* 1. §. 6. Senatores autem, & qui præsident alicui Universitati, si revelant quod pro bono Universitatis in Senatu, aut Consilio tractatum est sub secreto, privari debent Officio. Amenus *l. c. n.*35. cum aliis ibi allegatis.

192 Qui per se, vel per alios, de rebus Christianæ Reipublicæ Turcas, ac Hæreticos certiores faciunt, ac secreta revelant, incurrunt Excommunicationem in Bulla Cœnæ Papæ reservatam. *Bulla Cœnæ Excommunicat.* 7.

193 Auditores Rotæ, ac eorum Locatenentes, & Coadjutores revelantes vota, seu suffragia in causis, quæ in eorum Auditorio discutiuntur, aut suffragantium, & non suffragantium nomina, incurrunt pœnam perjurii, & Excommunicationem Papæ reservatam, Urban. VIII. in Appendice Bullarii Const.57. alias 167. incip. *Exponi*.

Revelantes quæ secreto tractantur cum Papa, 194
pœnis maximis afficiendi sunt, & confiscanda eorum bona, & aliquando ultimo supplicio puniendi. S. Pius V. Constitut. 147. incip. *Romani*.

Revelantes audita in Sacramentali Confessione 195
subjacent gravissimis pœnis. Vide verb. *Sigillum Sacramentalis Confessionis a n.*25.

Sacrilegorum pœnæ. Vide *supra a n.* 31. *ad* 50. 196
*n.*103. *a n.*114. *ad* 118. *n.* 127. 143. *& seq. n.* 170. & infra *num.* 205. *& num.* 214. & verb. *Ecclesia art.*4. *verb. Excommunicatio art.* 10. 11. *&* 12. *verb. Furtum*.

Shismaticorum pœnæ. Vide verb. *Schismatici a* 197
*num.*14.

Sepulcri violati pœna est, præter infamiam, 198
quam incurrit hujus criminis Reus, textu expresso *in cap. Sepulcri violati* 1. *ff. de sepulcro violato*, arbitraria, & subinde etiam capitalis, præsertim si corpora, vel ossa eruantur, *l. Prætor ait* 2. *l. Sepulcri violati* 6. *& l. Rei sepulcrorum* 11. *ff. de sepulcro violato*. Sepulcri autem violati crimen est, quo quis sepulcrum non tantum violat, sed etiam inde monumenta, vel alia aufert, vel cadavera effodit, & spoliat ; *l.Si sepulcrum* 2. *& l.Prætor ait* 3. *ff. de sepulcro violato*.

Simoniacorum pœnæ. Vide verb. *Simonia art.*3. 199
*a num.*4.

Sodomitarum pœnæ. Vide verb. *Luxuria a n.*60. 200
ad 63.

Sollicitantium ad turpia extra Confessionem pœ- 201
næ sunt arbitrariæ pro qualitate, & diversitate circumstantiarum ; *l. Sollicitatores* 1. *ff. de extraordinariis criminibus*, *& cap. Sollicitatores* 15. *dist.*1. *de pœnitentia*, Amenus *tit.*4. §.2. *a n.* 35. varia ad rem adducens.

Sollicitantium ad turpia in Confessione Sacra- 202
mentali poenæ ? Vide verb. *Sollicitatio ad turpia in Confessione*.

Sortilegorum pęnæ. Vide verb. *Superstitio a* 203
num. 40.

Stellionatus poena est extraordinaria, & arbitra- 204
ria ; *l. Stellionatus* 2. *& l. Stellionatus accusatio* 3.
§. 2. *ff. Stellionatus*. Stellionatus autem est quod- 205
dam crimen irregulare, vagum, atque incertum ; nam quandocumque in aliqua actione hominis injuste, & dolose facta, & quæ meretur poenalem animadversionem, deficit titulus criminis, illic Stellionatus crimen objicitur, textu expresso *in leg. Stellionatus accusatio* 3. §. 1. *ff. Stellionatus*. Et hoc crimen fuit appellatum Stellionatus ob suam varietatem, & instabilem, atque irregularem naturam, sumpta similitudine ab animali, quod vocatur Stellio, quo nullum aliud animal fraudulentius homini invidere observat Plin. *lib.*4. *cap.* 10. Animal hoc tergum habet luculentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum, est varii, & diversi coloris, & ut Coelum stellis, ita intuentium oculis apparet variis stellulis diversi

versi coloris tinctum, & transpersum, ut tradit Glossa *in cit. leg. Stellionatus accusatio* 3. *ff. Stellionatus*, & Doctores communiter, teste Ursaya *Inst. Crimin. l.* 2. *tit.* 10. *num.* 123. Duo inter alia hujus criminis afferuntur exempla *in cit. c. Stellionatus accusatio*. Primum est, si quis rem alteri obligatam dissimulata obligatione in alium per calliditatem distraxerit, & alienaverit, vel cum alia re permutaverit, aut alteri Creditori in solutum dederit. Secundum, si quis merces jam debitori obligatas avertit, quia scilicet bonas jam antea obligatas non tradiderat, postea vero ei tradidit malas, & viliores dicens eas esse illas, quas ei obligaverat. Cabal. *resolut. crimin. caus.*66. *n.* 1. *&* 3. Ursaya *loc. citat. num.* 125. Rota *part.*19. *recent. decis.* 263. *num.* 16. ubi de cedente creditum jam exactum.

206 Stupri pœna est, quod si quis vilioris conditionis stuprum sine vi committit, fustigetur ac relegetur; si vero stuprator sit melioris, ac considerabilioris conditionis, publicatione dimidiæ partis bonorum puniatur, §. *Item Lex* 2. *vers. Pœnam*, *Institut. de public. judic.* Si autem quis vi seu violenter non tantum invitam virginem violaverit, sed etiam honestam viduam, aut maritatam, punitur pœna capitis. *l. Sollicitatores* 1. §. 2. *ff. de extraordin. criminib.* Constit. crimin. Caroli V. *art.*119. Clarus §. *Stuprum* 3. *ad finem*. Farinac. *prax. crimin. quæst.*147. *n.* 6. Glossa *in cap. Pervenit* 2. *verb. Plectendus*, *de adulteriis*, *&* *stupro*, & ibi Abbas *n.*5. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.*16. §.2. *num.*48. & alii.

207 De jure Canonico qua pœna stuprator puniri debeat? Vide verb. *Stuprator num.* 6. *& verb. Dos art.* 2. *a num.* 14. *ad* 38. Addo tamen, quod si stuprator sit Clericus, præter dotationem debitam jubetur deponi, maxime si cum vi stuprum commiserit. Clarus verb. *Adulterium num.* 3. Abbas *in cap. Si seduxerit* 1. *num.* 4. *de adulteriis*, *& stupro*; *& in cap. At si Clerici* 4. *de Judic. num.* 35. Farinac. *prax. criminal. q.* 147. *num.* 62. Pirhing *lib.* 5. *decretal. tit.* 16. *num.* 43. Reiffenstuel *ibid. n.* 52. & teste Claro communis aliorum *arg. cap. Presbyter aut Diaconus* 12. *& cap. Si quis Episcopus* 13. *dist.* 81. cum similibus. Menoch. tamen *de Arbitr. Jud. cas.* 288. *num.* 6. Vallensis *tit. de stupro* §. 2. *num.* 2. & etiam Farinac. *loc. cit. num.*65. & alii, censent, stupratorem Clericum posse a Judice puniri pœna arbitraria, videlicet quandoque pœna pecuniaria, vel carceris, quandoque pœna suspensionis, depositionis, vel privationis Beneficii, prout circumstantiæ personarum, & delicti suaserint.

208 Subornationis testium ad dicendam falsitatem pœnæ variæ sunt pro varietate subornationum. Si subornatus sit testis ad offensam, & ejus falsa testificatio sortita sit suum effectum, tunc sicut pœna testis falsi est pœna talionis; *l. Lege Cornelia* 1. §. 1. *ff. Ad Legem Corneliam, de Sicariis*, ita pœna inducentis ad testificandum falsum est ad similitudinem ejus, quæ ipsi teste falso debetur. Ita Clarus, Bertazzin, Menoch. Farinac. & Caball. citati, & secuti ab Ameno *tit.*5. §.8. *n.*31. Si autem effectus non sit secutus, eo quia falso accusatus se defendit probando falsitatem testimonii, tunc & falsus testis, & subornator puniuntur pœna arbitraria; Farinac. *quæst.* 67. *num.* 9. 10. 14. 17. *&* 21. Guazzin. *defens.* 28. *cap.* 18. *n.* 3. Amen. *loc. cit. num.* 31. Item pœna arbitraria, seu extraordinaria punitur testis falsus, & subornans, si subornatio, & falsa testificatio fuit ad defensam. Clarus, Farinac. Bertazzin., & alii citati, & secuti ab Ameno *loc. cit. num.* 31. Intellige tamen hoc, quando subornatio, & falsa testificatio est ad puram defensam Rei, contra Fiscum, non autem quando est ad defensam Rei contra Accusatorem, quia tunc probando Reum innocentem probat Accusatorem ex consequenti calumniosum, & perinde est ac si testis examinaretur ad offensam Accusatoris: Unde in casu tam subornator, quam falsus testis puniendus esset, ut supra dictum est, pœna talionis, ut recte advertit Amenus *loc. cit. num.* 32.

Regulares subornantes Electores pro consequendis Officiis Regularibus incurrunt Excommunicationem latæ sententiæ reservatam Summo Pontifici, & privationem perpetuam vocis activæ & passivæ, ex Constitut. 138. S. Pii V. incip. *Pastoralis Officii*, quæ tamen Excommunicatio modo potest absolvi a Superioribus Generalibus, ubi agitur de electione Superiorum inferiorum ex declaratione Gregorii XIII. Constitut. incip. *Consuevit* edit. 8. Septemb. 1573. & dictæ Constitutiones quamvis editæ sint pro Ordine Minorum de Observantia, afficiunt tamen omnes Regulares, ut docent Pellizar. *Manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 181. *vers. Cum autem*, *& num.* 182. Amenus *loc. cit. n.* 34. & alii. Et præsertim quia Pianam Constitutionem confirmavit Clemens VIII. in decretis pro reformatione omnium Regularium Constit. incip. *Nullus omnino* §. 35. & innovavit Urbanus VIII. decreto edito a Sac. Congr. Conc. in Constitut. 26. ejusdem Pontificis, ut tradit etiam Justus Redn. *tom.* 2. *p.* 2. *tit.* 6. *num.* 16. 209

Tergiversationis pœna est extraordinaria, & arbitraria. Ursaya *Inst. crim. lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 121. cum aliis ibi allegatis per text. *in l. Accusatorum* 1. §. 7. *& in l. Si quis* 7. *in fine*, *ff. Ad Senatus consultum Turpillianum*. Vide *supra num.* 73. 210

Termini moti pœna est vel pecuniaria 50. aureorum, *l. Lege Agraria* 3. *ff. de termino moto*, vel etiam relegatio, aut fustigatio illorum, qui occupandorum aliorum finium causa id fecerint, *l. Divus Adrianus* 2. *ff. eod.* Termini autem moti crimen est, quo quis terminos, vel lapides finales dolose eruit, aufert, aut mutat, vel ut præcise noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, & suo adjiciat, *l.* 1. *& tot. tit. ff. de termino moto*, Ursaya *Inst. crim. l.* 2. *tit.* 10. *n.* 55. *& seq.* ubi multa ad rem, Reiffenstuel *lib.* 5. *decret. tit.* 18. *num.* 68. 211 212

Truffatorum pœna varia est, & regulatur a qualitatibus, & circumstantiis truffæ: aliquando enim est fustigatio, ut notat Bajarp. *ad Clarum quæst.* 70. *num.* 5. quandoque est pœna relegationis, & aliquando triremium, ut advertit Sanfel. *dec.* 42. & interdum est extraordinaria, ut observat Cortiad. *decis.* 106. *num.* 62. apud Ursayam *Instit.* 213

214 *stit. Crim. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 146. Truffa autem generaliter sumpta idem sonat, ac deceptio, fraus, seu dolose gestum, Cyriac. *controvers.* 76. *num.* 1. *&* 2. Rota *par.* 19. *rec. decis.* 473. *num.* 1. ubi quod idem est truffare, ac decipere; specialiter vero importat furtum improprium. Unde truffam committere dicitur, qui non restituit id, quod ei ad aliquem finem consignatum fuit, & etiam truffam committit, & Truffator dicitur, qui sub colore, seu prætextu mutui, commodati, conducti, vel depositi rem sibi traditam in ejus usum distrahit. Et generaliter quod qui utitur re ad alium usum, quam destinatum, dicatur Truffator, advertunt multi allegati ab Ursaya *loc. cit. a num.* 143. *ad* 145. ubi sub *num.* 146. refert ad id aliquos casus.

215 Vis publicæ pœna varia est pro varietate casuum, in quibus committitur; Si enim committatur in latrocinio, & grassatione a Latronibus, & Grassatoribus simplicibus, est pœna damnationis in metallum, vel relegationis in Insulam, *l. Capitalium* 28. §. *Grassatores*, *ff. de pœnis*; Si vero commissa sit a Latronibus, & Grassatoribus famosis, est pœna ultimi supplicii, & furcæ: *cit. l. Capitalium* 28. §. *Famosos*, *ff. de pœnis*. Et si Clericus sit hujus criminis Reus, degradatur, & in arctum Monasterium detruditur, *cap. Tuæ* 6. *de Pœnis*, Farinac. *in Fragm. verb. Clericus num.* 314. *&* 318. Ursaya *Instit. crimin. lib.* 2. *tit.* 7. *a num.* 138. & alii.

216 Si committatur in Raptu, tunc tam Raptores, quam auxiliatores, & fautores, si fuerint Laici, puniuntur ultimo supplicio; §. *Si autem per vim*, *Instit. de publicis judiciis*, *& l.* 1. *Cod. de raptu virgin. & l. Si quis*, *Cod. de Episcop. & Cleric.* qui licet loquatur de rapientibus Moniales, ex communi tamen DD. opinione extenditur etiam contra rapientes mulieres non sacratas. Insuper Raptores perdunt omnia bona applicanda raptæ mulieri, si illa sit laicalis conditionis; *l.* 1. §. *Et si*, *& seq. Cod. de raptu virgin.* ubi Glossa verb. *Diminutionem*, *& verb. Transferantur*. Si autem sit Monialis, applicanda ipsimet raptæ quoad usumfructum, donec vixerit, post mortem vero Monasterio ipsius Monialis, *l. Raptores*, §. *Bona*, *Cod. de Episcop. & Cler.* Ursaya *loc. cit. a num.* 142. cum aliis ibi allegatis. Si vero Raptores fuerint Ecclesiastici, deponuntur ab eorum Officiis, nec eis imponitur pœna degradationis, & multo minus mortis, etiamsi agatur de raptu Monialium, sed alia Judicis arbitraria regulanda a circumstantiis casus, ut late probat Bertachin. *Vot. dec.* 504. *per tot.* ubi quod die 4. Septemb. 1696. Sacra Consulta, cui S. M. Innocentius XII. commisit causam cujusdam Sacerdotis Religiosi, qui invitis parentibus rapuerat puellam honestæ conditionis, resolvit, eumdem Religiosum esse perpetuo suspendendum a Divinis, & relegandum in arctum ergastulum per decennium. Sic litteraliter Ursaya *loc. cit. num.* 146. *& seq.*

217 Si vis publica committatur in stupro Virginis invitæ, punitur hujus criminis Reus pœna capitis; *l. Sollicitatores* 1. §. 2. *ff. de extraord. crimin.* Constitut. crimin. Caroli V. *art.* 119. Vide *supra num.* 204.

Si vis publica committatur ædes, vel villas alienas cum turba armata expugnando, expilando, & bona ibidem existentia rapiendo, Rei capite plectuntur; *l. Hi qui ædes* 11. *ff. ad leg. Jul. de vi publica*. Item qui ad aliquem expellendum de possessione domus, agri, navis, & hujusmodi accedunt cum armatis hominibus, propter quam causam homicidia secuta sunt, capite puniuntur, *l. Quoniam* 9. *Cod. Ad Leg. Jul. de vi publica*. Item pœna capitis puniuntur Rei, quoties cum vi publica reperitur conjuncta causa læsæ Majestatis, veluti seditio, tumultus, rebellio, & hujusmodi, ut tradunt communiter DD. per text. *in tot. tit. ff. & Cod. Ad leg. Jul. Majestatis*. Vide *supra a num.* 248. In aliis autem casibus hodie usus, & praxis obtinuit, ut pro vi publica Rei hujus criminis extraordinaria, & arbitraria pœna puniantur, ut testantur Decian. *lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 29. Ursaya *loc. cit. num.* 150. & alii. 218

Vis privatæ pœna est, quod hujus criminis Rei puniantur publicatione tertiæ partis bonorum; §. *Item Lex Julia* 8. *Institut. de public. judic.* Usus tamen, & praxis hodie obtinuit, quod pro ea imponatur pœna arbitraria, ut observant Decian. *loc. cit.* & Ursaya *loc. cit. num.* 156. 219

Intercedit autem hæc differentia inter vim privatam, & publicam, quod vis publica sit cum armis, privata vero sine illis; §. *Item Lex Julia* 8. *Institut. de publicis Judiciis*, Raynal. *tom.* 2. *cap.* 23. §. 1. *num.* 3. Ursaya *loc. cit. num.* 2. & alii. 220

Usurariorum pœnæ. Vide verb. *Usura a n.* 88. *usque in finem*. 221

Alia de variis aliis delictorum pœnis brevitatis gratia relinquuntur videnda apud Criminalistas de ipsis ex professo tractantes. Sicuti & pœnæ impositæ pro delinquentibus Regularibus videndæ relinquuntur apud suas cujusque Religionis peculiares Constitutiones. 222

Pœna adversus baptizantes Hæbreorum filios illicito modo, & sine consensu parentum, est, quod mulctentur pro Iudicis arbitrio, & prudentia, pœna scilicet aut mitiori, aut severiori juxta circumstantias. Benedict. XIV. tom. 2. Const. 28. incip. *Postremo mense* §. 31. 223

Pœnæ contra Confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina, cum denegatione absolutionis, sunt, quod puniantur uti tradentes, & tuentes opiniones scandalosas & perniciosas, uti tales a Sede Apostolica condemnatas, & in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab Officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & si fuerint Regulares, vocis activæ, & passivæ, aliæve pœnæ decernuntur. Idem Constitut. 8. incip. *Ubi primum*. Vide tom. 2. ad verb. *Confessarius*. 224

Pœnæ contra impedientes libertatem mutui commercii inter subditos Ditionis Ecclesiasticæ, seu contravenientes Constitutioni hac de re editæ, sunt, quod incurrant omnes pœnas inflictas a 225

Pio

Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Clemente VIII. Gregorio XIV. Urbano VIII. & Innocentio X. contra extrahentes triticum, & aliud genus prohibitum extrahi extra statum, & insuper in pœnam 500. aureorum toties quoties contrafecerint. Idem Constit. 53. incip. *Quo die*, ubi plura ad id.

226 Pœnæ adversus Episcopos in propria Diœcesi non residentes, sunt omnes, & singulæ comminatæ a Tridentino, & Constitutionibus Apostolicis, amissionis scilicet quartæ partis fructuum unius anni, si sex mensibus continuis abfuerint, & aliæ quartæ partis, si absentia ad alios sex menses pertrahatur, incursus etiam in peccatum mortale, & obligationis restituendi fructus in absentia perceptos absque prævia declaratione. Idem Const. 18. incip. *Ad universæ*, ubi multa alia ad rem merito observanda.

227 Pœnæ contra imprimentes, aut publicantes libros, scripturas, & hujusmodi circa imminutionem dierum Festorum de præcepto, sunt quod contravenientes, præter librorum, & operum prohibitionem, si Laici, excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam incurrant, si Ecclesiastici usque ad Sacerdotalem gradum, pœnam Suspensionis a Divinis, in superioribus vero gradibus constituti suspensionis a Pontificalibus, & a perceptione fructuum omnium suorum Beneficiorum, atque Pensionum, quarum pœnarum relaxatio, & respective rehabilitatio Papæ reservatur. Idem Const. 63. incip. *Non multi menses*, ubi multa alia merito observanda.

228 Pœnæ jam statutæ in Presbyteros Sacrificio Missæ ad sortilegia abutentes, confirmantur, iisque additur perpetua inhabilitatio ad ipsius Missæ celebrationem. Idem *in Appendic. num. VIII. pag.* 46.

229 Pœnæ in Presbyteros, qui vigore Indulti Pontificii plures Missas in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum celebrantes, aliquid plus eleemosynæ loco acceperint, quam pro unica Missa, juxta Locorum consuetudines, aut leges Synodales percipi solet, sunt, quod contrafacientes, pœnam Suspensionis a Divinis Papæ reservatæ ipso facto incurrant; Quam tamen Episcopi jure Delegato relaxare poterunt, facta prius restitutione eleemosynæ perceptæ in pios usus ab Episcopis erogandæ; Et si dicti Sacerdotes post incursam præfatam suspensionem celebraverint, incurrant irregularitatem omnino Papæ reservatam. Idem Const. 61. incip. *Quod expensis*, ubi varia alia scitu necessaria.

230 Pœnæ in eos, qui ad Sacerdotium non promoti Missas celebrant, aut Fidelium Confessiones excipiunt, statutæ recensentur, reprobataque benigniori praxi, Apostolicarum Constitutionum vigor restituitur a Benedicto XIV. Constitut. incip. *Quam grave*, & Constit. incip. *Divinarum*, in cujus Summario sic expresse habetur: *Celebrantibus, aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decernitur ad evadendam pœnam traditionis brachio sæculari, indictam a Constitutionibus Apostolicis*; Vide ad id jam tradita a nobis verb. *Missa art.* 6. *n.* 12. 13. & verb. *Sacerdos num.* 5. ubi assignantur pœnæ statutæ etiam contra Sacerdotes abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia, vel in Sacramentali Confessione sollicitantes ad turpia; juxta Decretum Universalis Inquisitionis coram Benedicto XIV. editum, & a nobis ad litteram jam adductum in verb. *Confessarius*.

Additiones ex aliena manu.

Agere de singulis singulorum delictorum pœnis immensi esset laboris. Vide tamen, ubi res postulat, de pœnis delictorum Ecclesiasticorum *Thesaurum de pœnis Ecclesiasticis*, illustratum tamen a clarissimo *P. Giraldi Scholarum Piarum*, qui tum pœnas omissas ab ipso *Thesauro* supplevit, tum vel postmodum mutatas, vel omnino novas addidit. 231

Hic vero præterire haud possumus, male *Auctorem num.* 184. sequutum *Ursayam*, per text. *in l.* 18. *C. de Transact.* asseruisse, licere Reo in casu criminali, cui pœna sanguinis imposita sit, corrumpere judicem, ex ratione illa, quod licet *Reo sanguinem suum, & vexationem quoquo modo redimere*. 232

In mox allegata enim *leg.* 18. *Cod. de Transact.* habetur, quod accusatus de crimine capitali excepto adulterio transigere, & pacisci potest impune ut non habeatur pro confesso; idque quia quum agatur de vita hominis, non præsumitur Reus fateri delictum, sed periculi gravitate propter dubium litis eventum compulsus. 233

Non videmus autem quomodo inferri ex hac lege possit, quod valeat Reus in causa criminali, cui imposita sit pœna sanguinis, Judices corrumpere. 234

Aliud enim est transactio, aliud est corruptio Judicis. Transactio enim nil turpe in se continet, adeoque permitti potest, corruptio vero Judicis, mala in se est, adeoque numquam permittenda. 235

Responsio Auctoris.

Quomodocumque intelligatur *cit.* Lex, illam cum Ursaya sic intelligunt & explicant Bossius in *Praxi, tit. de Offic. pecun. corrupt. n.* 1. Bellegard. in *Meth. rer. crimin. tract.* 4. *quæst.* 32. *num.* 6. & Rainald. tom. 1. cap. 4. §. 6. *num.* 5. ubi sic expresse tradit; nam in *caussa capitali, licitum est reo sanguinem suum & vexationem* quoquomodo redimere; *l. Transigere, Cod. de transaction. Unde in caussa capitali satis est, quod amittat id omne, quod dedit*: Hinc *non male dicendum est*, me esse secutum tam celebres, & in his rebus versatissimos Auctores. 236

POENI-

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

Articulus I.

Quo ad ea, quæ concernunt Pœnitentiæ naturam, materiam, formam, & Ministrum.

1 Poenitentia ex Divo Isidoro *l. 6. Etymologiar. c. ult.* dicta est a nomine *Pœna*, & a verbo *teneo*, quasi idem sit *pœnitere*, ac *pœnam tenere*. Unde Pœnitens est *pœnam tenens*, & Pœnitentia est *pœnæ tenentia*, ut semper quis puniat in se ulciscendo quod commisit peccando. *Sic in re omnes Catholici*.

2 Pœnitentia dupliciter sumitur, nempe ut est vir-
tus, & ut est Sacramentum, *Communis*. Pœni-
3 tentia ut virtus, *est detestatio, ac dolor animi de
peccato quatenus est offensa, & injuria Dei, cum
intentione eam delendi, ac vindicandi, seu compen-
sandi*. Estque in re ipsa Contritio generatim sum-
4 pta, de qua infra. *Sic in re Communis*. Pœni-
tentia ut Sacramentum, est *absolutio hominis pœ-
nitentis facta certis verbis cum debita intentione
prolatis a Sacerdote Jurisdictionem habente ex insti-
tutione divina efficaciter significantibus absolutionem
animæ a peccato*. Sic Scotus *in 4. dist. 14.* Seu,
quod idem est, & captu facilius; *Est Sacramen-
tum novæ Legis, quo homo vere pœnitens, & con-
fessus a Sacerdote legitimo certa verborum forma a
peccatis absolvitur. Sic in re Communis*.

5 Pœnitentia sic sumpta est verum, & proprie dictum novæ legis Sacramentum. *Est de Fide certa inter Catholicos*; Habetur enim *Matth. 16. Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlis*, & Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*, & est expresse definitum in pluribus Conciliis, & novissime in Trid. *sess. 14. Canon. 1. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis a Christo Domino institutum, anathema sit*.

6 Unde patet, quod Sacramentum Pœnitentiæ est immediate institutum a Christo Domino: *Est de Fide certum* ex mox adducto *Canone 1. sess. 14. Conc. Trid.* Et quidem potestas absolvendi prædicta, & promissa Apostolis, adeoque Sacramentum Pœnitentiæ inchoative institutum est a Christo adhuc vivente vita mortali; *cit. c. 18. Matth.* simpliciter tamen, & absolute in effectu institutum est post Resurrectionem, *Joan. 20.* quando Christus Apostolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Sic Conc. Trid. *sess. 14. c. 1.* dicens: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit*.

Sacramentum Pœnitentiæ est omnibus post Bap- 7
tismum in peccatum mortale lapsis omnino necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto, eliciendo actum Contritionis. *Est certa, & indubitata inter Catholicos*: Habetur expresse in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 1.* ibi: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*; Unde Sacramentum Pœnitentiæ rectissime appellatur a Sanctis Patribus *Secunda post naufragium tabula* naufragis præparata, prout habetur in *cap. Secunda post naufragium tabula, de Pœnitentia dist. 1.* & a Concilio Tridentino *cit. sess. 14. Canon. 2.* ibi: *Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Sacramentum Pœnitentiæ dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, Anathema sit*.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ est, duplex, sci- 8
licet proxima, & remota. *Communis*. Materia pro-
xima sunt actus pœnitentis; videlicet Contritio, 9
Confessio, & satisfactio, de quibus infra. *Commu-
nis*. Et hi actus Pœnitentis dicuntur materia pro- 10
xima, quia proxime applicant materiam remotam
scilicet peccata Sacris Clavibus, ut per absolutio-
nem remitti possint; In omni enim Sacramento
materia proxima dicitur id, quo materia remota
proxime applicatur, ut accedente forma Sacramen-
tum proxime, & immediate perficiatur, ut ablu-
tio aquæ in Baptismo, unctio Chrismatis in Con-
firmatione, traditio Calicis, & cujuslibet respecti-
ve materiæ remotæ in Ordine, seu Ordinibus &c.
Materia remota sunt peccata actualia post Baptis- 11
mum commissa, *Communis*. Et hæc peccata di- 12
cuntur materia remota, quia non sunt proxime,
& immediate remissibilia, nisi mediantibus acti-
bus Pœnitentis proxime applicentur Sacris Clavi-
bus, ut per Absolutionem remitti possint. *Com-
munis*.

Dicitur autem notanter, materiam remotam es- 13
se *peccata actualia post Baptismum commissa*; quia peccatum Originale, & peccata actualia ante Baptismum commissa, non sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ, cum ipsa omnia deleantur per Baptismum, & Sacramentum Pœnitentiæ, tamquam secunda post naufragium tabula, institutum sit a Christo ad delenda peccata post Baptismum commissa, ut docet Scotus *in 4. dist. 4. q. 5.* cum communi Catholicorum, & expresse definivit Concilium Tridentinum *sess. 14. Canon. 1.* ibi: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit; & ibidem Can. 2.* ubi definit: *Pœniten-*

tentiam appellari secundam post naufragium tabu-
14 *lam* per verba adducta *supra n.* 7. Hinc si Judæus seu Gentilis de recenti baptizatus sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non posset absolvi, quia non afferret materiam aptam hujus Sacramenti Pœnitentiæ. *Communis*.

* An autem peccata mortalia commissa in ipsa susceptione Baptismi, sive Peccatum fictionis, ut vocant Theologi (quod est illud, quo quis adultus sine debito dolore peccatorum a se commissorum ad Baptismum forte accedit, vel accedit cum voluntate aliquod peccatum mortale committendi) sint etiam materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ, adeoque in Confessione Sacramentali explicanda, non audet affirmare Ligorius *Lib.* 6. *n.* 427. sed pro parte affirmativa stant mordicus Tamburinus *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. Felix Potestas *in Exam. Confess. Tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3039. Suarez, aliique multi cum S. Bonaventura, D. Thoma, & S. Augustino, apud Ligorium *loc. citat.* *

15 Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ est duplex, videlicet necessaria, & sufficiens. Materia remota *necessaria* est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, & nunquam legitime
16 confessum, & absolutum. *Communis*. Materia remota *sufficiens* est omne peccatum veniale, vel mortale jam rite confessum, & absolutum. *Communis*.

17 Quod peccata jam rite confessa, & absoluta sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, possintque denuo fructuose confiteri, & subjici Clavibus Ecclesiæ, ultra praxim communem piorum hominum sæpe sæpius peragentium confessiones, tum generales, tum certorum particularium peccatorum jam rite confessorum, & absolutorum habetur expresse *in Extravaganti inter communes* incip: *Inter Cunctas* §. *Ceterum*, *de privilegiis*, ibi: *Ceterum licet, sicut prædicitur, de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen, quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre*.

18 Nec valet dicere, quod peccata jam rite confessa, & absoluta, & consequenter remissa non possunt iterum confiteri, ut absolvantur, seu remittantur, cum non amplius extet, quid absolvatur, & remittatur. Non valet, inquam, quia de ratione Sacramenti per se remissivi peccatorum & collativi gratiæ, non est qood actu semper remittat peccata, sed quod per se conferat gratiam sanctificantem, quæ ex natura sua est remissiva peccati, si nondum fuisset remissum, ut patet in peccatore jam ante confessionem sanctificato per veram Contritionem, ubi licet Sacramentum Pœnitentiæ tunc nihil remittat, confert tamen gratiam natura sua remissivam peccati, si nondum remissum esset; & tale peccatum mortale jam ante confessionem deletum per veram Contritionem, adhuc est materia non solum sufficiens, sed etiam necessaria Sacramenti Pœnitentiæ secundum omnes; Adeoque a fortiori peccatum mortale jam rite confessum, & remissum, erit materia sufficiens remota, si nova accedat materia proxima, nempe nova dispositio pœnitentis, scilicet novus dolor, & nova Confessio ejusdem: Et sic quamvis Sacramentum Pœnitentiæ non sit in tali casu remissivum peccati, cum non adsit; nec collativum primæ gratiæ sanctificantis, cum jam adsit; est tamen remissivum peccati, si adesset, & collativum gratiæ secundæ, seu augmenti prioris gratiæ jam receptæ, & remissivum pœnæ temporalis debitæ peccatis jam antea remissis; idque ex opere operato, & virtute Sacramenti, & non solum ex opere operantis, seu novæ dispositionis, doloris, erubescentiæ, aliorumque actuum Pœnitentis per quos Justus meretur gratiæ augmentum, & remissionem pœnæ temporalis. Sic *Communis Doctorum* cum S. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3.

Dictæ materiæ necessariæ, & sufficienti solet addi tertia materia remota, scilicet materia *necessaria, sed non sufficiens*; Et pro tali materia assignantur peccata mortalia dubia, quæ quidem sunt materia *necessaria*, quia sunt necessario aperienda in Confessione, at non sunt materia *sufficiens*, quia sola peccata dubia sine additione materiæ certæ non sufficiunt pro obtinenda absolutione absoluta. Unde si daretur casus, quod aliquis non haberet materiam certam præteritam, nec jam confessam, & absolutam, quam adderet, tunc posset solum ei impendi absolutio conditionata, cum non possit dari sententia absoluta, & certa pro peccato dubio, sed solum dicta absolutio conditionata, quia sic consuleretur & saluti animæ pœnitentis, & reverentiæ Sacramenti, cujus vitaretur irreverentia, quæ posset oriri ex periculo, quod pœnitens careret materia, supra quam caderet absolutio Sacramentalis: Et sic Sacramentum esset nullum. (*) 19

Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt verba absolutionis a Sacerdote prolata, scilicet illa; *Ego te absolvo a peccatis tuis*, vel alia æquipollentia actum judicialem sententiæ absolventis sufficienter exprimentia; Habetur ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ubi dicit: *Forma hujus Sacramenti est: Ego te absolvo &c.* & ex Tridentino *sess.* 14. *c.* 3. ubi dicit; *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipua ejus vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. Quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; Ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria*. 20

Licet speculative loquendo sola illa duo verba *Asolvo te*, vel æquivalentia, sint de essentia formæ absolutionis, ac necessario exprimenda necessitate 21

(*) E. R. Si peccata mortalia dubia non includant certum peccatum veniale: scilicet si peccata dubia sint tam in ratione peccati mortalis, quam in ratione peccati venialis; tunc recte procedit Doctrina Auctoris. Verum si dubium sit tantum de mortali, non item de veniali incluso, & inhærenti: tunc locum habet Doctrina posita sub num. 16.

sitate Sacramenti ; Vide verb. *Absolutio art. 3. n. 2.*

22 In praxi tamen tutius tenendum est , requiri tamquam de essentia formæ Sacramentalis etiam illa verba *a peccatis tuis* , vel saltem *a peccatis* . Vide *ibid. num.* 3.

23 Aliter Confessarius peccaret mortaliter , & exponeret Sacramentum probabili periculo nullitatis sine necessitate , & contra justissimam voluntatem pœnitentis . Vide *ibid. n.* 4.

24 Absolutio est valida , sed illicita , si detur aliis verbis , quæ tamen non mutent sensum formæ ordinariæ , nec actum judicii ; & afferuntur variæ similes formæ . Vide *ibid. num.* 5.

25 Omnes dictæ , & similes formæ sunt validæ.

26 Vide *ibid. num.* 6. Sunt tamen illicitæ . Vide *ibid. num.* 7.

27 Absolutio data his verbis : *Ego te mundo a peccatis* , vel aliis verbis consimilibus , a pluribus censetur insufficiens ; Et qui eam daret sub similibus verbis , peccaret mortaliter , sicuti peccaret mortaliter qui extra casum necessitatis voluntarie relinqueret : *Ego , & in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* . Vide *ibid. num.* 8.

28 Omissio vero aliarum precum , si fiat aliqua rationabili causa , non est ne quidem peccatum veniale . Vide *ibid. num.* 9.

29 Urgente aliqua gravi necessitate , v. g. periculo mortis instantis , potest Confessarius breviter dicere : *Ego te absolvo ab omnibus Censuris , & peccatis , In nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti . Amen* . Vide *ibid. n.* 11.

30 Absolutionis verba non præcise , & nude indicant , & declarant pœnitentem esse a Deo absolutum , sed vere , & per modum sententiæ Judicialis important absolutionem pœnitentis a peccatis loco Dei a Confessario velut a Judice pronunciatam. Vide *ibid. num.* 12.

31 Absolutio non est valida , si proferatur modo deprecativo . Vide *ibid. num.* 13.

32 Alia . Vide *ibid. usque in finem*.

33 Absolutio a quibus , & de quibus dari possit , vel non possit ? Vide d. verb. *Absolutio art.* 1. *per totum* .

34 Absolutio quibus dari possit , vel non ? Vide d. verb. *Absolutio , art.* 2. *per totum* .

35 Minister Sacramenti Pœnitentiæ est solus Sacerdos . *Communis inter Catholicos* , & habetur expresse ex pluribus Conciliis , & signanter ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 6. *& Canon.* 10. & ex illo *Joan.* 20. ubi Christus solis Apostolis jam antea in ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis postquam a mortuis resurrexerat , dixit : *Accipite Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata , remittuntur eis* .

36 Licet autem solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister , non tamen quicumque Sacerdos est talis , sed solum ille , qui præter potestatem Ordinis habet etiam potestatem Jurisdictionis , idest legitimam Jurisdictionem , vel Ordinariam vel saltem delegatam . *Communis inter Catholicos* ; & clare patet ex perpetua traditione , ac sensu Ecclesiæ , & pluribus Conciliis , & præsertim ex Trid. *citat. sess.* 14. *cap.* 7. ubi expresse dicit ; *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit & verissimum esse Synodus hæc confirmat , nullius momenti absolutionem eam esse debere , quam Sacerdos in eum profert , in quem ordinariam , aut subdelegatam non habet Jurisdictionem* .

Quæ autem requirantur in Ministro Sacramenti 37
Pœnitentiæ ad valide , & rite ejus Officium exercendum ? Vide verb. *Confessarius art.* 1. *per totum* .

Ea , quæ concernunt Ministrum Sacramenti Pœ- 38
nitentiæ quoad ejus approbationem . Vide verb. *Approbatio per totum* .

Ea , quæ concernunt Ministri Sacramenti Pœni- 39
tentiæ facultatem quoad absolutionem . Vide verb. *Absolutio , per totum* .

Varia alia , quæ concernunt Ministrum Sacra- 40
menti Pœnitentiæ . Vide verb. *Confessarius art.* 4. *per totum , & verb. Sigillum* .

* Pœnitentiæ Sacramentum iis , qui morbo pe- 41
stis infecti sunt , non tenetur per se præstare Episcopus , cum ille agat per Parochos , ut causa universalis per particulares , sed Parochus omnino tenetur , quod & ratio suadet , & Decreta Sac. Congregationis approbata a Gregorio XIII. declarant ; quamquam administrare illud possit aut directe per se , aut adhibita opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati ; nam si Parochus omnino per se id agere deberet , cæteri Parochiani morbo non affecti nollent tunc a Parocho recipere Sacramenta , eo quod sibi metuerent . *De Synodo Diœces. lib.* 13. *cap.* 19. §. 7. *nov. edit.* *

Articulus II.

Quoad ea , quæ concernunt Contritionem , & Confessionem .

Contritio in communi , pro ut est genus ad 1
Attritionem , & Contritionem : *Est dolor animi , ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* . Sic expresse Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 4.

Contritio sic generatim , & in communi sum- 2
pta dividitur in Contritionem perfectam , & in Contritionem imperfectam , seu Attritionem . *Communis Catholicorum* cum Tridentino *loco citato* . Con- 4
tritio *perfecta* , quæ est Contritio simpliciter , & absolute dicta , est *dolor animi , ac detestatio peccati propter Deum summe dilectum , & super omnia , cum firmo proposito non peccandi de cetero* . *Communis* . Et dicitur *Contritio* , quia peccatorem perfecte , & proxime disponit ad gratiam sanctificantem , ipsumque peccatum omnino delet , ac veluti conterit . *Communis* ; & de hac in articulo mortis : Vide verb. *Moribundus num.* 30. Contritio 5
imperfecta , sive *Attritio est dolor animi , ac detestatio peccati contra Deum commissi propter turpitudinem peccati , vel metum Inferni , vel alterius mali , conceptus cum firmo proposito non peccandi de cetero* . *Communis* . Et dicitur *Attritio* , quia pec- 6
catorem non penitus disponit ad ipsam gratiam sanctificantem , sed solum ita disponit , ut cum Sacramento Pœnitentiæ capax sit gratiæ sanctificantis , ipsumque per se non delet , vel conterit ; sed solum quasi *atterit* , & ita applicat , ut per Sacramentum remissibile fiat . *Communis* .

Un-

7 Unde *Contritio*, & *Attritio* conveniunt in hoc, quod utraque est dolor supernaturalis cum proposito non peccandi de cetero, sed differunt inter se, & ratione motivi, & ratione effectus. Ratione *motivi* differunt, quia *Contritio* fit ex motivo Caritatis erga Deum, idest ex motivo objecti, nempe Dei summe, & super omnia diligendi, ipsumque Deum respicit quatenus in se absolute bonum atque perfectum; *Attritio* vero ex motivo Caritatis erga se ipsum, seu ex motivo timoris Inferni, vel alterius mali, quibus Deus castigare solet peccata, ac in Deum tendit quatenus nobis bonus, & nostra beatitudo. Ratione *effectus* differunt, quia *Contritio* per se remittit peccata, & justificat extra Sacramentum in re, quamvis non sine voto Sacramenti Pœnitentiæ, Unde contritus tenetur sub mortali suo tempore confiteri. *Attritio* vero quantumvis supernaturalis, per se non sufficit ad justificationem, & remissionem peccati mortalis sine Sacramento pœnitentiæ in re. *Sic Doctores communiter* juncto Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 4.

8 Difficultas autem est, an Attritio, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ, gratiamque per ipsum percipiendam sufficiat, debeat esse cum aliquo Dei amore conjuncta, & quidem hac de re multa est lis inter Theologos varie sentientes ut infra: prius tamen animadvertendum necesse arbitror hoc in puncto ad hæc usque tempora nil Ecclesiam definiisse, litemque adhuc sub Judice fore. Porro nihil decretorie pronunciavit imprimis Conc. Tridentin. ut fuse ac perdocte ostendit inter alios Tournely *in prælectionibus de Sacramento Pœnitent. quæst.* 5. *art.* 2. siquidem ex locis, in quibus S. Synodus circa dispositiones ad justificationis gratiam obtinendam necessarias mentem suam aperit, nulla extunditur definitio, nullumque decretum controversiam præmissam dirimens; quippe procul dubio in locis præsignatis, vel nullam de dilectione facit mentionem, vel si de dilectione verba facit, non est respectu attritionis ad confessionem, vel non constat, an de dispositionibus agat necessariis ad justitiam obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ, vel extra: immo dum de attritione generatim, vel de attritione in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ peragit, amor non exprimitur, ut singula percurrenti fit obvium, nec inter canones, in quibus dogmaticæ definiuntur veritates, est ullus, qui expresse statuat amorem Dei necessariam esse dispositionem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ percipiendam. Rem plene comprobat Alexandri VII. auctoritas, siquidem nil ea in re definitum fuisse in Conc. Trid. supponit, dum de anno 1667. die 5. *Maii* ad exortas inter scholæ Theologos dissentiones extinguendas, pacemque eos inter fovendas conceptis verbis prohibuit, *ne quis audeat alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*; igitur &c. Secundo nec tempestate posteriori aliquid ab Ecclesia definitum est, siquidem nulla prostat assignabilis determinatio circa controversiam: immo impræsentiarum adversi inter se Theologi permittuntur contrarie opinari. Hinc nemo inficias ibit quidquid a Theologis in diversa abeuntibus ex Trident. vel ex Eccl. ingeritur de dilectionis actu in attritione respectu Sacramenti Pœnitentiæ, id mere opinative, & ex ratiocinio Theologico proficisci.

9 Proclamant igitur aliqui, quod ut Pœnitens sufficienter dispositus extet ad Sacramenti Pœnitentiæ gratiam obtinendam, nullum necesse est expostulari in attritione amorem Dei; ac attritionis notionem non nisi esse juxta sess. 14. Trid. cap. 4. quod sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ metu conceptus; & hæc est, quam inter Scholasticos suo tempore communiorem supra testatus est Alex. VII. Alii opinavere attritionem talem haberi debere, ut bona fide contritio existimetur. Alii contendunt, & quidem communius hisce temporibus, attritionem, ut sufficiens sit ad Sacramentum, requirere Dei amorem, non sane contritionis perfectæ ex motivo caritatis & amicitiæ tendentis in Deum ut in se summum bonum, sed ex motivo spei, & amoris concupiscentiæ terminantis in Deum, quatenus nobis bonus, nostra beatitudo, & finis ultimus. Uno verbo: Necessarium in attritione adstruunt aliquem Dei amorem imperfectum, quem initialem, & inchoatum nuncupatum habent, quo Pœnitens incipiat, & inchoet diligere Deum tamquam fontem totius justitiæ, phrase accepta ex sess. 6. cap. 6. ubi Sacros. Syn. præter actus Fidei & Spei, requirit in Catechumenis ad Baptismum, ut Deum tamquam totius justitiæ fontem diligere incipiant, ac propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem. Alii nota non minus conspicui, tum ante, tum post Trident. ferventius quidem sed rigidius censuerunt, ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariam contritionem perfectam; cumque Trident. sess. 14. c. 4. de contritione imperfecta doceat, quod quamvis extra Sacr. Pœnit. ad Justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam justificationis gratiam in ipso Sacramento disponat, reponunt qui post Trident. scripsere, contritionem imperfectam admittendam esse tamquam remotam dispositionem; ceterum proximam, & immediatam fatendam esse contritionem perfectam. Verum isti ex Trident. & Eccl. minus potius sortiuntur præsidium, quam attritionis amore initiali informatæ Patroni; enim vero licet Trident. can. 4. inter actus pœnitentis, quos quasi materiam Sacramenti Pœnit. definit, contritionem enumeret, non exprimit tamen se perfectam intelligere, & alibi ne verbum quidem habet Concil. de necessitate contritionis perfectæ ad Sacrament. Pœnitentiæ, ut legenti fit palam: immo haud obscure oppositum patet ex allatis verb. sess. 14. cap. 4. pluries cit. Nec magis eis favet Ecclesia, siquidem nedum pro ipsis nullam protulit sententiam, sed ex ejusdem praxi, ut jam alibi monuimus, moraliter certum est attritionem ad

ad Sacram. sufficere; immo aliqui post Tridentinum, sententiam exigentem perfectam Contritionem erroneitatis nota inurunt, tamen numquam satis laudatum, & commendatum se in actibus contritionis perfectæ exercere, atque ad id singulariter sub munimen summi Dei divitis in omnes, qui invocant illum, confugere.

10 Ut autem, quid circa difficultatem mea fert opinio, exploratum habeas, meminisse oportet, quæ de attritione Sacros. Synod. sess. 14. c. 4. tradidit adversus veritatis hostes, nempe attritionem non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, sed esse donum Dei, impulsum Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; & quamvis extra Sacramentum, ad Justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam Justificationis gratiam in ipso Sacram. disponit; quibus positis, opinor non scrupulizandum, & ipsummet supernaturalem attritionis actum ex sui natura vel explicite, vel implicite secum semper ducere aliquem Dei amorem; movetur enim pœnitens per attritionem ad aversionem a peccatis, & conversionem ad Deum, estque ille supernaturalis dolor de peccatis, eo quia ipsis quatenus Dei offensa, debita est pœna, atque ideo ad dolendum movetur pœnitens de peccatis, prout sunt offensa Dei, cum proposito observandi deinceps illius mandata, & similia; hæc autem non videntur posse concipi absque aliquo Dei amore explicito, vel implicito, formali, seu virtuali, ac quin vehant secum dilectionem in Deum, ut avertat a pœnis, & se misericordem ostendat; unde juxta D. Aug. *lib.* 4. *de Civ. Dei cap.* 7. & S. Thomam *in supplem. q.* 3. *art.* 1. dolor in amore fundatur rei illius, de cujus jactura dolemus, igitur &c. nec non in præfato sensu varia infra posita veniunt intelligenda.

* Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum pœnitentem, ut Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtineat, sed quænam sit attritio non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, ac remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum, non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum metum pœnarum, & gehennæ absque ulla Dei dilectione. Hæc tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennæ, ut conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quæstio est anceps inter Theologos, num sufficiat attritio servilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ, & pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto: vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæstione nihil decidendum ab Episcopo monet Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV.; suadet tamen, ut doceantur Confessarii æquum esse hortari pœnitentes, ad veram & perfectam contritionem, quod & in Rituali jussu Pauli V. edito monetur. *De Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 13. *per totum*. *

Attritio in Sacramento Pœnitentiæ dicitur fieri Contritio, & *Attritus* fieri *Contritus*, non *formaliter*, quia non variatur objectum, seu motivum, cum adhuc Attritio sit ex motivo timoris Inferni, vel alterius mali, quibus Deus castigare solet peccata, sed solum *effective*, & *equivalenter*, quatenus Attritio cum Sacramento in re justificat peccatorem, sicuti Contritio cum Sacramento in voto. *Communis* cum S. Thoma *in supplement. q.* 1. *art.* 2. & Scoto *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. *ad* 2. Sporer *t.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 3. *num.* 277. *& seqq.* 11

Ut autem Attritio cum Sacramento in re sufficiat ad justificationem peccatoris, requiritur, quod procedat ex aliquo motivo supernaturali; Unde dolor mere naturalis non sufficit. Sic non sufficit dolor de peccato, eo quod propter ipsum peccator publicam infamiam incurrerit, pœna pecuniaria mulctatus fuerit, & hujusmodi. Habetur clare ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi docet, quod Attritio, quæ ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit, debet esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, qualis non est Attritio naturalis ex motivo pure humano, & naturali. Hinc merito Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnavit sequentem propositionem in ordine 57. ibi: *Probabile est, sufficere Attritionem modo honestam*. 12

Sufficit tamen dolor de peccatis ob metum pœnarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel immittendarum, v. g. Si quis doleat de peccatis propter morbum, famem, sterilitatem, bellum, aliasque similes pœnas temporales, ut a Deo inflictas, vel infligendas propter ipsa peccata; Nam talis dolor non elicitur ex motivo mere humano, & naturali, sed respicit Deum, ut justum vindicem peccati; & ultorem ejus per pœnas etiam temporales; adeoque cum sic sit elicitus ex motivo supernaturali, est dolor supernaturalis, & sufficiens. *Communior* inter Doctores, & probabilissima. Sic La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 884. cum plurimis ibi citatis, Anaclet. *Theol. moral. tract.* 14. *de Sacramentis dist.* 6. *quæst.* 4. *num.* 42. Sporer *loc. cit. num.* 243. *& seq.* Felix Potestas *t.* 1. *part.* 4. *n.* 3063. Rosignol. *de Pœnitentia p.* 1. *q.* 3. *art.* 12. *num.* 9. *& seq.* Viva *ad propos.* 57. *ex damnat. ab Innocentio XI. num.* 1. alii passim, & colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 4. ubi dicit, Attritionem supernaturalem concipi, aut ex consideratione turpitudinis peccati aut ex Gehennæ, & pœnarum metu; & insuper addit exemplum de Ninivitis, qui timore subversionis Civitatis, & mortis, quæ erat pœna temporalis, pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt, ibi: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt*. Unde merito ab Alexandro VIII. die 7. Decembris 1690. damnata fuit sequens propositio 15. in ordine ibi: *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus metus, ac supernaturalis*. 13

Et a fortiori sufficit Attritio, seu dolor de peccatis ob metum Gehennæ. *Communis*. Habetur enim 14

enim clare ex Concilio Tridentino *sess. 6. Canon.* 8. ibi: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus; vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit, & sess.* 14. *cap.* 4. ibi: *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eam ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hinc Alexander VIII. d. die 7. Decembris 1690. merito damnavit sequentem propositionem 14. in ordine ibi: *Timor gehennæ non est supernaturalis.*

15 Item sufficit Attritio ob turpitudinem peccati supernaturaliter, seu ex Fide cognitam. *Communis*. Habetur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 4. per hæc verba relata numero antecedenti, *Vel ex turpitudinis peccati consideratione*, ubi subdit, Attritionem ex tali consideratione conceptam *verum donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum*. Unde merito ab Alexandro VIII. d. die 7. Dec. 1690. fuit damnata sequens propositio 9. inter alias: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu*.

16 Item sufficit ille dolor, quo quis dolet se non dolere de peccatis, sicuti deberet, si per hoc judicet, quod de suis peccatis vere dolet, sed non tam vehementi dolore ac deberet, quia cum Sacramento Pœnitentiæ sufficit ad justificationem etiam remississimus dolor, si nihil aliud desit, quam intensio, & dummodo sit verus dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali cum absoluto proposito non peccandi de cetero. Gobat *tract. 6. n.* 111. Lessius *in Auctario verb. Confessio cas.* 2. & alii passim.

17 Non sufficit tamen dolor ille, quo quis dolet se non dolere de suis peccatis, si per hoc judicet se carere vera detestatione, & displicentia peccatorum, & potius sentire complacentiam de illis, quam odium, ac proinde dolere, quod hanc complacentiam, & affectum jam nequeat superare; Et ratio est, quia hic non est dolor, sed carentia doloris peccatorum, & venia peccatorum, seu justificatio non acquiritur per dolorem solummodo concupitum, sed per re ipsa existentem dolorem de peccatis. Gobat *loc. cit.* Felix Potestas *t. 1. p.* 4. *n.* 3068. & alii communiter.

18 Attritio etiam cognita ut talis sufficit cum Sacramento ad salutem, & justificationem. *Est Communis*. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.*14. *c.*4. dogmatice loquens per verba adducta *supra n.* 11. absolute, & simpliciter dicit Attritionem cum Sacramento disponere ad gratiam, adeoque sufficit Attritio etiam cognita ut talis, quando scilicet pœnitens certo scit, ac cognoscit se esse dumtaxat Attritum; Alias Sacramentum Pœnitentiæ non esset Sacramentum mortuorum, idest per se, ac primario a Christo Domino institutum ad remissionem peccati mortalis, & collationem primæ gratiæ Sanctificantis, si virtute ejus numquam conferretur prima gratia, sed mediante Contritione perfecta, semper supponeretur jam ante Confessionem collata, & remissio peccatorum concessa.

Attritio putata, & æstimata tantum etiam invincibiliter, quæ secundum se non sit reipsa vera Attritio, sicuti non est sufficiens ad fructuosam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ut testantur omnes, ita neque est sufficiens ad validam ejus susceptionem; Seu quod idem est: non potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, & informe quoad effectum Gratiæ, ut docent Scotus *in* 4. *dist.* 14. *q.* 5. §. *Contra istam opinionem in fine*, Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *n.* 135. Sporer *tom.* 3. *par.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 263. *cum sequentibus*, & 275. *cum seq.* Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 4. *num.* 3081. & alii Scotistæ, Gabr. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 1. *dub.* 2. & ibi Major q. 9. Vega *lib.* 13. *in Trid. cap.* 26. & 34. Vasquez *q.* 92. *art.* 2. Coninch *disp.* 4. *dub.* 5. & 11. Turrian. *disp.* 28. *dub.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 9. *nu.* 2. & *seq.* Arriaga *tom.* 7. *de Sacram. in genere disp.* 11. *sect.* 1. 2. & 3. Madernus *tract.* 4. *de virtut. & Sacramen. Pœnitent. quæst.*4. *artic.*12. *n.* 1. Rosignol. *de Sacrament. Pœnitentiæ par.* 1. *q.* 5. *art.* 14. *nu.* 2. & *seq.* Joannes Medina, Adrianus Amicus, Emmanuel Sa, Fagundez, & alii plures contra Thomistas, & Suarez, Lugo, Valent. Avers. Caspens. Henriquez, Navarr. Dianam, Bonacinam, & alios Morales. 19

Et ratio nostræ Conclusionis est, quia & Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*, & Tridentinum *cit. sess.* 14. *cap.* 4. requirunt ad hoc Sacramentum Attritionem veram, & non æstimatam, vel putatam tantum: nam Attritio putata tantum etiam invincibiliter non est vera Attritio, sicut homo pictus non est verus homo, quamvis etiam invincibiliter æstimetur, & putetur talis: Nec talis Attritio æstimata, vel putata, v. g. inefficax, naturalis tantum, &c. est donum Dei, vel impulsus Spiritus Sancti, cum non sit concepta veris motivis a Concilio *loc. cit.* assignatis, nec habeat alias conditiones, & perfectiones, quas *ibi* Concilium attribuit Attritioni sufficienti in Sacramento ad justificationem. 20

Hinc clare patet, quod Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum quoad essentiam, & informe quoad effectum Gratiæ, quia deficiente aliqua parte substantiali, & essentiali, Sacramentum ipsum est invalidum; Atqui Attritio vera supernaturalis est pars substantialis, & essentialis Sacramenti, & non mera dispositio; ergo non existente vera Attritione supernaturali, non potest existere validum Sacramentum. Major est infallibilis, admissa ab omnibus, etiam adversariis; Minor patet ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 4. ubi inter partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ as- 21

signat ipsam Attritionem veram, & supernaturalem.

22 Nec valet objicere, quod, quamvis deficiat hujusmodi Attritio secundum suum esse verum, & reale, existat tamen secundum existimationem, & apprehensionem Pœnitentis confitentis; non valet, inquam, quia Attritio requiritur secundum suum esse verum, & reale, non autem secundum meram existimationem, & apprehensionem Pœnitentis confitentis; quia, sicuti a pari, si in Sacramento Eucharistiæ adhiberetur Hostia, quæ etiam invincibiliter reputaretur triticea, & talis secundum suum verum esse reale non esset, non validum conficeretur Sacramentum, quia secundum verum esse reale deficeret pars essentialis materialis; ita si in Sacramento Pœnitentiæ adhiberetur Attritio, quæ etiam invincibiliter existimaretur, & reputaretur sufficiens, & secundum suum verum esse reale non esset talis, non conficeretur validum Sacramentum; Cum Attritio secundum suum verum esse reale non minus sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ac Hostia triticea secundum suum verum esse reale sit pars essentialis materialis Sacramenti Eucharistiæ, adeoque &c.

23 Tum quia Sacramentum Pœnitentiæ validum, est Sacramentum verum, & perfectum includens omnes suas partes essentiales cum debita intentione Ministri, adeoque est signum verum efficax practicum Gratiæ ex institutione Christi, & acceptatione, ac promissione Dei, qui est infallibilis veritatis; Atqui implicat tale signum verum efficax practicum Gratiæ sine suo signato, scilicet sine suo effectu Gratiæ: ergo implicat Sacramentum Pœnitentiæ validum quo ad essentiam, & informe, quo ad effectum Gratiæ. Major est de se clara, & Minor patet, quia alias tale Sacramentum non esset signum verum efficax, practicum Gratiæ ex institutione Christi, & acceptatione, ac promissione Dei infallibilis veritatis, quod non est dicendum.

24 Nec valet dicere, quod sicuti alia quædam Sacramenta possunt esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum, scilicet carere effectu Gratiæ ob indispositionem suscipientis, ut præsertim asseritur communiter de Baptismo, ad quem si adultus sine debita dispositione accedat, scilicet ficte sine dolore, & Fide, hic recipit Baptismum validum quo ad essentiam, & informem quoad effectum Gratiæ, quam pro tunc ratione indispositionis, seu fictionis non recipit, sed solum recipit ex post, recedente fictione, ex vi Baptismi præteriti.

25 Non valet, inquam, paritas adducta de aliis Sacramentis, & de Sacramento Pœnitentiæ, quia magna est disparitas, & differentia inter hoc, & alia Sacramenta, quia in aliis Sacramentis dispositio necessaria ad effectum distinguitur ab omnibus iis, quæ ad eorum essentiam requiruntur; At in hoc Sacramento Pœnitentiæ idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam ipsius pars essentialis, cum dolor sit ejus materia proxima; Unde alia Sacramenta, cum non includant ut partem essentialem ipsam suscipientis dispositionem possunt esse valida quo ad essentiam & informia quoad effectum Gratiæ, quia omnia essentialia includere possunt, etiamsi debitam suscipientis dispositionem non includant in ordine ad effectum Gratiæ. At non sic Sacramentum Pœnitentiæ, quod cum ipsam Pœnitentis dispositionem includat, ut partem essentialem, quoties eam includit, non solum est validum quo ad essentiam, sed etiam efficax, & formatum quo ad effectum Gratiæ; Et quoties eam non includit, non solum est inefficax, & informe quo ad effectum Gratiæ, sed etiam invalidum quo ad essentiam.

Item nec valet dicere, quod Sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum, & informe ex defectu doloris extensive, quia potest dari casus, quod quis habens tantum duo peccata mortalia disparata, v. g. Mollitiei, & Homicidii, invincibiliter oblitus peccati Mollitiei, eliciat actum doloris tantum de peccato Homicidii, ex speciali motivo, & peculiari turpitudine illius peccati in specie, illudque confiteatur; Atqui in hoc casu Sacramentum esset validum, & informe; ergo &c. Major est clara, cum casus non sit impossibilis; Minor autem ostenditur, quia in tali casu Sacramentum esset validum, cum ibi adessent omnes partes essentiales: scilicet sufficiens dolor, & Confessio de peccatis memoriæ occurrentibus, de quibus tantummodo tenetur Pœnitens dolere, & ea solum confiteri, cum nemo ad impossibile possit obligari, textu expresso *in l. impossibilium 185. ff. de Regul. Juis*, *& cap. Nemo potest 6. de Reg. Juris in 6.* Esset autem informe, scilicet sine effectu Gratiæ, quia in tali casu peccatum Mollitiei oblitum non esset remissum; nec directe, ut de se patet cum non esset confessum, nec indirecte ex vi absolutionis peccati Homicidii confessi, quia nullum peccatum remitti potest sine ullo dolore formali, aut saltem virtuali supra ipsum cadente, & in dicto casu non caderet supra peccatum Mollitiei dolor formalis, ut supponitur, nec dolor virtualis, quia dolor peccati homicidii, cum supponatur habitus ex solo speciali motivo, & ex sola peculiari turpitudine peccati homicidii, non potest virtualiter extendi ad peccatum Mollitiei penitus diversæ rationis, & speciei, cum non possit comprehendi sub illa speciali turpitudine. Unde cum in tali casu neque esset remissum peccatum homicidii confessum, ex quo, ut omnes fatentur, non possit unum peccatum mortale remitti sine alio, tunc daretur Sacramentum validum quo ad essentiam, & informe quo ad effectum Gratiæ. 26

Non valet, inquam, quia etiam admissa majori, negatur absolute minor, scilicet quod tunc Sacramentum esset validum, & informe, quia vel talis dolor esset sufficiens, ad valorem Sacramenti, vel non; Si esset sufficiens ad valorem Sacramenti, esset etiam sufficiens ad effectum & fructum Sacramenti, quia non potest esse dolor sufficiens ad valorem Sacramenti, nisi sit dolor reconciliativus cum Deo: Concilium enim Tridentinum *sess. 24. cap. 3.* dicit: *Sane vero res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo*, & dolor reconciliativus cum Deo continet implicite, & virtualiter detestationem omnium mortalium, sicuti patet 27

patet de actu perfectæ Caritatis , qui virtualiter continet detestationem omnium peccatorum mortalium , quamvis homo eorum omnium non recordetur , quia actus ille stare non potest cum affectu ad aliquod peccatum mortale ; Et sic cum talis dolor de *Homicidio* contineret in dicto casu etiam implicite , & virtualiter dolorem , & detestationem *Mollitiei*, Sacramentum non solum esset validum quo ad essentiam , sed etiam formatum , quo ad effectum Gratiæ . Si autem non esset dolor sufficiens , tunc Sacramentum non solum esset informe , sed etiam invalidum , & nullum ob defectum materiæ proximæ necessariæ , qui est dolor reconciliativus cum Deo , continens saltem implicite , & virtualiter detestationem omnium mortalium , etiam invincibiliter , & inculpabiliter oblitorum .

28 Nec valet instare , quod potest dari casus , quo quis vere doleat de aliis suis peccatis mortalibus , & ipsa confiteatur; at de aliquo non doleat , nec ipsum confiteatur, credens , & firmiter tenens ex aliquo sibi viso rationabili motivo non obligari ad dolorem , & confessionem dicti peccati , ut fertur de Adultera Matre illorum trium insignium Fratrum , videlicet Gratiani celeberrimi Compilatoris Decreti , Petri Lombardi vulgo Magistri sententiarum , & Petri Comestoris Historiæ Ecclesiasticæ eximii Collectoris, quæ cum dictos tres suos Filios ex adulterio procreasset , & postea videns , & audiens quanta nominis celebritate dicti sui Filii in Orbe florerent , quantumque commodum , & utilitatem universæ Ecclesiæ attulissent, ita gavisa fuit de tali conceptione liberorum , ut crederet stulte se acturam , si doleret de peccato , quo tantos viros pepererat ; Unde vere ipsa dolente de aliis peccatis , eaque confitente , de tali autem adulterina conceptione non dolente , nec ipsam confitente , ratione talis inculpabilis credulitatis , fuit Sacramentum vere quidem validum, sed informe, ex quo fuit sine remissione etiam illorum peccatorum , quæ cum vero dolore in Confessione aperuit , quamvis ipsa ratione talis inculpabilis credulitatis non peccaverit .

29 Non valet inquam , quia in primis dictus casus est fabulosus , ut testantur Bellarminus *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* , *verb. Petrus Lombardus* , Gobat *tract. 6. num.* 171. *cum sequentibus* , pluresque alii , & novissime docet P. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson *in sua Historia tom.* 4. *part.* 2. *fol.* 644. *primæ impressionis Romanæ* , his præcisis verbis : Fertur Petrum Lombardum , Gratianum , & Petrum Comestorem germanos Fratres fuisse ex adulterio procreatos , quorum Mater de peccato , quo tantos viros pepererat , vix dolere potuerit ; Sed hæc historiola inter aniles fabulas reponenda est , cum certissime constet, *Petrum Lombardum* Insubrem fuisse, & patria Novariensem , *Gratianum* ex Etruria in oppido *Clusio* oriundum , *Petrum vero Comestorem* natione Gallum , patria Trecensem . Qui igitur fieri potuit, ut tres illi insignes viri nationibus adeo diversis ejusdem Matris ex utero prodierint ? apage fabulam . *Hactenus ille* . Et in vita Gratiani apposita ad Calcem sui Decreti in veteribus exemplaribus habetur sic præcise : Alii tamen fatentur eos nec germanos , nec contemporaneos fuisse , etsi tempore vicinos ; Claruit enim Gratianus temporibus Henrici IV. anno Domini millesimo centesimo vigesimo , Petrus Lombardus sub Conrado Imperatore III. anno Domini millesimo quadragesimo , & Petrus Comestor sub Friderico Imperatore primo , anno Domini millesimo centesimo sexagesimo . *Hæc ibi* .

Ast dato etiam , & non concesso pro vero dicto casu , cum illum referant plures Scriptores , ut habetur in dicta vita Gratiani his verbis : Et a quibusdam prædicatur in populis hos tres , Gratianum videlicet , Petrum Lombardum , & Petrum Comestorem fuisse germanos ex adulterio natos . Quorum Mater cum in extremis peccatum suum confiteretur , & Confessor redargueret crimen perpetrati adulterii , quia valde grave esset , & ideo multum deberet dolere , & pœnitentiam agere ; Respondit illa : Pater , scio , quod adulterium peccatum magnum est , sed considerans quantum bonum secutum est , cum isti Filii mei sint lumina magna in Ecclesia , ego non valeo pœnitere . Et Confessor ad eam ; Quod tui Filii sint notabiles viri , & opera utilia fecerint Ecclesiæ Dei , non ex te , sed ex dono Dei est . Ex te autem adulterium crimen magnum , & de hoc doleas . Et si non habes tantum dolorem , quantum exigit tam horrendum scelus , de hoc tamen doleas , quod non potes dolere . *Hæc ibi* . Et referunt etiam Tiraquell. *de nobilitate cap.* 15. *num.* 52. Caramuel *in Theologia fundamentali* , & alii plures . Dato igitur , & non concesso pro vero dicto casu ; respondetur , quod si dicta Mater in dolore formali de aliis suis peccatis mortalibus non habuit etiam dolorem saltem implicitum , & virtualem de ipso suo adulterio, sed potius eum exclusit, Sacramentum nedum fuit informe , & infructuosum, sed etiam omnino invalidum , quia non habuit dolorem requisitum , & sufficientem ad valorem Sacramenti . 31 Ad valorem enim Sacramenti requiritur dolor supernaturalis , & universalis saltem virtualiter respectu omnium peccatorum mortalium . Unde si de uno solo mortali scienter non habeatur , nec scienter velit haberi dolor , peccatur gravissime , & nullum redditur Sacramentum , quia deficit materia proxima necessaria , quæ est dolor reconciliativus cum Deo , qui saltem implicite , & virtualiter debet includere detestationem omnium mortalium , etiam invincibiliter oblitorum , aut inculpabiliter ignoratorum .

30 (beside "Ast dato etiam")

32 Dicitur autem notanter *respectu omnium peccatorum mortalium* ; nam secus est de peccatis venialibus , ad quorum Confessionem licet requiratur aliquis dolor, ac propositum eadem evitandi , tamen potest haberi dolor , & remissio de uno , etiamsi non habeatur dolor, & remissio de aliis , quia venialia , cum non sint materia necessaria , sed solum sufficiens, possunt omnia , vel aliqua eorum in Confessione etiam voluntarie omitti sine ullo peccato , ut expresse habetur ex Concilio Tridentino, *sess.* 14. *cap.* 5. ibi : *Nam venialia , quibus a gratia Dei non excludimur , & in quæ frequentius labimur , quamquam recte , & utiliter , citraque omnem præsumptionem in Confessione dican-*

dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis modis expiari possunt.

33 Dolor de peccatis mortalibus commissis debet esse summus, non intensive, sed appretiative, ita ut Pœnitens nihil magis detestetur, quam peccatum, & velit potius omnia mala mundi perpeti, quam mortaliter Deum offendere. *Communis.*

34 Dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ consulto, & utilissime præmittitur Confessioni; Non debet tamen necessario Confessionem præcedere, sed sufficit, ut eliciatur in ipsomet Confessionis actu; ut patet ex communi sensu Fidelium, & recepta praxi Confessariorum, qui post auditam Confessionem solent exhortari Pœnitentes ad eliciendum dolorem, quem de facto ipsi Pœnitentes amplius pro tunc elicere curant. *Sic Doctores communiter.*

35 Debet tamen talis dolor necessario præcedere absolutionem, nec sufficit, si eliciatur post ipsam absolutionem; alias Confessio non esset accusatio, sed simplex peccatorum narratio; & absolutio non datur nisi Pœnitentibus, se de suis peccatis cum dolore, & firmo proposito accusantibus. *Communis.*

36 Non est autem necesse, quod dolor, seu Attritio eliciatur immediate ante absolutionem, vel Confessionem, sed sufficit, quod dolor sit elicitus mane, & actu non retractato Pœnitens confiteatur post quatuor, quinque, & sex horas. *Communis.* Immo sufficit etiam si quis vesperi examinans suam conscientiam eliciat actum doloris pro habenda Confessione in crastinum; hic enim actu non retractato poterit sequenti mane valide confiteri sine novo actu doloris; *Communis*: Quinimmo Tamburinus *in methodo expeditæ Confessionis lib.* 1. *c.* 2. §. 4. Gobat *tr.* 6. *num.*159. & alii, dicunt valere actum doloris elicitum non solum præcedenti vesperi, sed etiam præcedenti die; dummodo relate ad Confessionem habendam, & actus non sit retractatus, cum adhuc moraliter, & virtualiter perseveret. (*)

37 Qui in Confessione oblitus est alicujus peccati mortalis, de quo antea explicite, & formaliter non doluit, potest paulo post datam absolutionem illud confiteri, absque eo quod habeat novum dolorem, cum dolor prior virtualiter, & moraliter se extendat etiam ad peccata oblita, & perseveret, ac valeat, ac si esset novus dolor de solis peccatis oblitis: Diana *part.* 9. *tract.*3. *resol.* 50. & 51. Lugo *disp.*14. *de Pœnitent. sect.* 3. Gobat *tr.* 6. *n.*165. ubi cum Dicastillo *disp.* 2. *dub.* 12. testatur de communi.

Item si propter imminens mortis periculum absolvatur moribundus, audito tantum uno, vel altero peccato, potest, postea auditis reliquis, secundo absolvi ab illis ex vi prioris doloris moraliter permanentis, absque eo quod novum eliciat dolorem. *Citati Doctores*, & alii passim. 38

Dolor ad hoc, ut sufficiat pro valore Sacramenti, debet esse conjunctus cum proposito non peccandi de cetero. *Communis* ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. Propositum non peccandi de cetero, quamvis per se loquendo debeat esse formale, & expressum, ut tenet communior Theologorum, tamen sufficit etiam, quod sit implicitum, & virtuale, quia verus dolor reconciliativus animæ cum Deo est incompossibilis cum proposito peccandi, unde includit virtualiter propositum de non peccando de cetero, adeoque sufficit propositum virtuale, & implicitum; Scotus *in* 4. *dist.* 14. *qu.* 4. §. *Ad primum argumentum dist.*17. *q. unic. in solut. principalium*, & alibi, Felix Potestas *tom.*1. *par.*4. *num.* 3072. Leand. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 22. & alii passim. (*) 39 40

Propositum debet esse absolutum, firmum, efficax, & universale se extendens ad omnia mortalia in posterum evitanda. *Communis.* Quamvis autem propositum debeat esse absolutum, firmum, efficax, & universale, non requiritur tamen credulitas, seu existimatio, vel persuasio certa ex parte intellectus, quod quis deinceps nôn amplius sit relapsurus; Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 4. *num.* 8. Petrus Marchantius *t.* 1. *Tribunalis tract.* 4. *tit.* 3. *qu.* 3. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 14. *dist.* 6. *q.* 4. *num.* 52. Sporer *tom.* 3. *p.* 3. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 310. ubi testatur de communi, Felix Potestas *loc. cit. numer.* 3073. ubi dicit esse communem. Et ratio est; quia dolere de peccatis, & proponere de cetero non peccare, est actus voluntatis; existimare autem, seu credere, vel sibi persuadere, quod non amplius sit relapsurus, sed servaturus propositum voluntatis præsentis, est actus intellectus, qui ob cognitam humanæ conditionis fragilitatem, nostræque voluntatis mutabilitatem, & plurimas hinc inde peccandi occasiones, ex dicto dolore, & proposito voluntatis non necessario consequitur: Potest enim 41 42

(*) E. R. Doloris actus materia proxima est Sacramenti Pœnitentiæ. Materiam Sacramentorum proximam, seu applicationem materiæ remotæ (quod idem est) debere moraliter formæ conjungi, ut unum cum ipsa constituat, atque Sacramentum inde coalescat, sententia est certissima penes omnes Teologos. Qui igitur fieri potest, ut juxta Tamburinianam, & Gobatianam hypotesim, qua doloris actum hesterna die elicuisse sufficit, idem actus doloris moraliter formæ conjungatur, unumque cum ipsa constituat? Hinc hujusmodi Sententiam, atque alias huic affines eodem in numero relatas, nullatenus esse ad praxim deducendas, certo certius tenendum est.

(*) E. R. Huic Sententiæ opponimus auctoritatem, & verba Card. Bellarmini lib. 2. de pœniten. cap. 6., ubi necessitatem propositi formalis, & expliciti adstruit per totum. *Sed nobis*, inquit, *communis, ac trita a veteribus via semper visa est tutior, & commodior*; (utinam ejus semitas Casuistæ calcassent.) *Probatur igitur, ad contritionem requiri explicitum, ac formale propositum vitæ melioris.*

enim quis vere dolere, & detestari peccatum, ac vere, & absolute proponere se de cetero non peccaturum, & nihilominus timere, aut existimare, immo certe credere se ob dictas rationes non omnia mortalia evitaturum, sed in hoc, vel illud peccati genus iterum relapsurum. Unde si Pœnitens dicat: *Omnino quidem doleo ac firmiter propono in posterum abstinere, interim tamen scio quod iterum faciam, iterum labar, jam toties expertus &c.* is tamquam bene dispositus præmissa confirmatione, & consolatione debita absolvendus est, quia sensus verbi *iterum faciam* est tantum indicativus, seu enumerativus ex parte intellectus; Secus autem, si sensus esset optativus ex parte voluntatis, significans scilicet actualem aliquem affectum voluntatis ad peccatum in futuro, quod valde notandum est, ut ex communi expresse notat, & docet Sporer *loc. citat. n.*310. (*)

43 Circa sola peccata venialia, sicuti in Sacramento Pœnitentiæ requiritur supernaturalis dolor, & detestatio eorum, ita requiritur propositum absolutum saltem virtuale, & implicitum vitandi ipsa venialia confessa, vel saltem unum, vel alterum ipsorum, quia Pœnitens debet habere voluntatem efficacem absolute vitandi id omne, de quo sperat absolutionem, alioquin non esset vere Pœnitens. Dicitur autem notanter *Vel saltem unum, vel alterum ipsorum*, quia licet peccet venialiter qui confitetur alia venialia, de quibus non habet verum dolorem, & propositum sufficiens; si tamen de illo uno, vel altero vere Pœnitens proponat efficaciter illud vitare, valet Sacramentum secundum communiorem Doctorum, quamvis aliqui defendant contrarium.

44 Quantum ad Confessionem Sacramentalem plures exortæ sunt Hæreses, & præcipue tres hic adducuntur, & confutantur. Prima docet Confessionem Sacramentalem non esse a Deo institutam, sed esse merum humanum inventum. Auctor hujus falsitatis fuit quidam Petrus Hispanus Oxomensis in Salmantina Universitate Thologiæ Professor, qui postea hanc Hæresim, & alias, quas evomuerat, retractavit. Ad hunc inter alios accessit Calvinus, qui *libro tertio Institutionum cap.*4. §.7. sic expresse habet: *Miror qua fronte ausint contendere Confessionem, de qua loquuntur, Juris esse Divini, cujus equidem justissimum esse usum fatentur, sed quem possumus evincere olim fuisse liberum; Certe nullam de ea statutam fuisse Legem aut Constitutionem ante Innocentii III. tempora, eorum quoque Annales narrant*, Et infra: *Itaque ipsis testibus, nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo injectus est ab Innocentio III. laqueus, & imposita confitendi necessitas; Atque ut de tempore taceam, sola verborum barbaries fidem Legi abrogat; Nam quod jubent boni Patres omnem utriusque sexus quotannis semel proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepide excipiunt hoc præcepto teneri solos hermaphroditos, ad neminem vero spectare, qui sit vel mas, vel fœmina.* Et in suo Tridentini supra omne venenum pestifero antidoto dicit, nullum post annos mille a Christo nato fuisse in Ecclesia Confessionis usum, donec, inquit, *Innocentius III. cum pauculis Cornutis bestiis* (hoc nomine appellat Sacros Antistites in Concilio Lateranensi congregatos) *laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt.* 45

Ast hæc Hæresis facile evincitur ut manifesta falsitas, tum ex variis Sacræ Scripturæ locis, tum ex Conciliis. Fuisse enim Sacramentalem Confessionem a Christo Domino institutam, habetur expresse ex illo *Joann.* 20. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, ex quibus verbis stat clarum, præcepto Divino ordinatam esse Confessionem Sacramentalem, cum non possint peccata remitti, nisi ea cognoscantur, & judicialiter subjiciantur Clavibus, seu Confessioni Sacramentali, ut advertit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. Et quod semper fuerit in usu usque de tempore Apostolorum, habetur ex ipsis actibus Apostolicis *cap.* 19. ibi: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Item ex 2. *Ad Corinth. cap.* 5. ibi: *Dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur &c.* Item ex Epistola Catholica Jacobi Apostoli *cap.* 5. ibi: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Item ex Epistola prima Joannis Apostoli *cap.* 1. ibi: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.*

Evincitur falsitas talis Hæresis etiam ex Conciliis, & signanter ex Concilio Laodiceno *Canon.* 2. ibi. *His, qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant Orationi, Confessioni, ac Pœnitentiæ malorum suorum, perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati tempus Pœnitentiæ tribuendum est.* Item *ex Canone* 102. *Sextæ Synodi*, ibi: *Oportet autem eos, qui solvendi, & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit ad eam conversationem promptum studium, & sic morbo convenientem adferre medicinam.* Item *ex Canone* 8. *Concilii* 1. *Cabilonensis*, ibi: *Ut pœnitentibus a Sacerdotibus, facta Confessione, indicatur Pœnitentia, universitas Sacerdotum noscitur convenire.* Item *ex Canone* 32. *Concilii II. Cabilonensis*, ibi: *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt; Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, & corpore,* 46

(*) E. R. Laxissimæ doctrinæ hoc in numero traditæ Apostoli verba oppono, ad Rom. cap.8. scribentis: „ Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. „

re, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit Confessio, scilicet ut & ea confiteantur, quæ per Corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur. Consimiliter habetur ex plurimis aliis Conciliis, & præsertim ex Conciliis Generalibus, Lateranensi sub Innocentio III. *cap.* 21. Constantiensi *sess.* 8. Florentino *in Instructione Armenorum*, & Tridentino, *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere.* Et infra circa finem subjungit: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod Jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Et eadem *sess.* 14. *Canon.* 6. definit sic: *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

47 Secunda Hæresis est Montani, & Novati cum aliis docentium, *quod lapsis a Deo venia petenda, & non ab Ecclesiæ Sacerdotibus venia speranda sit*; ut refert Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 21. & Layman. *lib.* 5. *cap.* 7. *sub num.* 1. §. *Tertium.* Et hæc Hæresis, quod non sit necessarium confiteri peccata Sacerdoti, sed soli Deo, a quamplurimis etiam modernioribus Hæreticis, ut Lutheranis, Calvinistis, & aliis secuta fuit, & sequitur in dies. Ast fa-
48 cillime evincitur, quia ex quo *Joannis* 20. Christus tradiderit Sacerdotibus facultatem remittendi, & retinendi peccata peccatoribus, hoc ipso implicite obligavit peccatores ad iisdem subjicienda propria peccata; alias frustranea esset talis potestas, si non esset obligatio peccatorum peccata sua iisdem subjiciendi; Cum Sacerdotes hoc interioris Fori judicium lapsis necessarium, incognita causa, sive incognitis criminibus, a Reo particulatim non explicatis, exercere nequaquam possint. Alia enim ratione Sacerdotes cognoscere nequeunt, quænam peccata sint remittenda, & quæ retinenda: Unde Concilium Tridentinum *sess.* 4. *cap.* 5. dixit: *Quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes, sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint, quo pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient: Constat enim Sacerdotes Judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent*; & *Canon.* 3. *ejusdem ses.* 14. definit sic: *Si quis dixerit, verba illa Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica semper intellexit; Detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit*: & *Canon.* 6. sic: *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem &c.* Vide reliqua verba *supra num.* 46.

Nec valet objicere, quod Nectarius Patriarcha 49
Constantinopolitanus, & S. Joannes Chrysostomus ejus Successor absolute docent Confessionem non esse faciendam Sacerdoti, sed soli Deo; Immo ipse Nectarius Confessionem fieri solitam Sacerdoti penitus abrogavit ob scandalum ortum ex confessione nobilis cujusdam fœminæ, quæ se accusaverat patrati cum Diacono Sacrilegii in Ecclesia, ubi Domino suplicatura diutius morabatur ex Pœnitentiarii mandato, ut referunt Socrates *lib.* 5. *cap.* 19. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 16. Nicephorus *lib.* 12. *Histor. cap.* 28. & ex ipsis alii passim.

Non valet, inquam, quia Nectarius abrogavit 50
solum Confessionem peccatorum occultorum publicam, non autem Confessionem Sacramentalem auricularem, secretam. Cum enim tunc Pœnitentiarius, audita secreto peccatorum Confessione quorumdam, interdum publicationem consuleret in satisfactionem, ubi consentirent Pœnitentes, ut expresse insinuat Origenes *homil.* 2. *in Psal.* 37. ibi: *Circumspice, inquit, diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum ...... si intellexeris talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat &c.* hanc tantum peccatorum publicam expositionem, seu manifestationem sustulit Nectarius, ut sic auferret causam dicti scandali, quod a Confessione non auriculari, & secreta, ut patet, sed a publica ortum fuerat: Hocque evidenter ostendit Socrates *cit. lib.* 5. *cap.* 19. ibi: *Mulier, inquit, longius in confitendo progressa, alterius culpæ seipsam insimulat, docet, Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse, ob quod facinus hoc modo patefactum* (adeoque per Confessionem publicam) *Diaconus ab Ecclesia ejectus est, tumultus inde in populi multitudine excitatus*: Et sic quemadmodum Nectarius non Confessionem Sacramentalem privatam, & auricularem, sed publicam abrogavit; Etiam S. Chrysostomus passim Confessionem publicam carpit, privatam autem, & auricularem nusquam reprehendit, ut late ex propriis ipsius verbis ostendit Doctissimus Cardinalis Bellarminus *t.* 3. *Controvers. de Pœnit. l.* 4. *c.* 15. *per tot.* Vide ipsum *ibi*, & *cap. antecedenti*, ubi abunde satisfit objectionibus, quæ adducuntur ab Hæreticis de facto Nectarii, & dictis S. Joannis Chrysostomi.

(*) Confer Natalem Alexandrum *Dissert.* XIV. 51
in Hist. Eccl. sec. XIII. & XIV., quem Joannes Guill. Janus in animadversionibus ad Historiam Confessionis auricularis Wittembergæ anno 1716. editis frustra refellere conatus est, Jacobum Boileau in *Historiam Confessionis auricularis* Parisiis anno 1683. vulgatam, Dionysium Sammarthanum in libro Gallice scripto, cui titulus *Traité de la Confession* ibidem anno 1685. impresso, & Hieronymum

mum Benedictum Portam in Opusculo italice inscripto: *Della Confessione auricolare, o sia Sagramentale, Dissertazione Teologica, Dommatica, Storica, Critica in Venezia MDCCLXXX.* De facto autem Nectarii legi possunt, *Sententia Venerabilis Domini Joannis Hasselani Sacræ Theologiæ in Academia Lovaniensi quondam Professoris super facta Nectarii Episcopi Constantinopolitani circa sublationem Confessionis Præsidentibus Concilii Tridentini exhibita* Tom. XX. Collectionis Conciliorum Edit. Venetæ anno MDCCXXXIII. col. 397. seqq., Joannis Dominici Mansi *De Confessione auriculari ex facto Nectarii non improbanda*, & Francisci Antonii Zachariæ *De Pœnitentia Constantinopoli sublata a Nectario* Diatribæ Thesauri Theologici Tom. XI. Venet. anno 1763. pag. 286. seqq. Quod demum spectat ad S. Joannis Chrysostomi testimonia, quibus hæretici abutuntur, illud hic unum a me esse animadvertendum censeo a Frontone Ducæo, & Montfauconio ostendi Homilias duas in Psal. L. ex quarum altera verba quædam nobis adversarii opponunt, S. Joanni Chrysostomo non esse tribuendas. Vide Montfauconii Monitum in easd. Homil. Tom. V. Opp. Chrysostomi pag. 570. & seqq. (*)

52 Tertia Hæresis docet, quod quamvis admitteretur necessitas Confessionis Sacramentalis, adhuc tamen ante ipsam Confessionem non esset necessaria conscientiæ discussio, & omnium suorum peccatorum examinatio, & hanc docuit Lutherus
53 cum aliis, & sequuntur Hæretici passim. Ast hæc Hæresis aperte evellitur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 5. ubi dicit, *oportere a Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in Confessione recenseri*, & ibidem *Canon.* 7. ubi necessitas talis discussionis, seu examinationis indicatur, ibi: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino confiteri omnia, & singula peccata, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur ..... anathema sit.* Insuper hæc Hæresis evincitur etiam ratione, quia de Iure Divino debemus confiteri omnia peccata mortalia, non solum secundum diversitatem specificam, sed etiam secundum numericam, & circumstantias mutantes speciem, ut definivit Concilium Tridentinum *cit. Can.* 7. *sess.* 14. sed hoc non possumus præstare, nisi præmittamus diligentem discussionem, & examinationem propriæ nostræ conscientiæ, & peccatorum, in quæ lapsi sumus: ergo &c.

54 Confessio Sacramentalis, ut supra a Christo instituta, & necessaria peccatoribus ad justificationem, & salutem recte sic definitur: *Est legitima, & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis facta coram Sacerdote legitimo ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem.* *Sic in re Comm.*

Ad constituendam, seu faciendam legitimam, & 55
perfectam Sacramentalem Confessionem sexdecim communiter assignantur qualitates, seu conditiones, quarum aliquæ pertinent ad substantiam, & aliæ ad modum, & perfectionem, quæ omnes his versiculis continentur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Prima igitur conditio, seu qualitas est, quod 56
sit *simplex*, idest, quod non sit composita ex inutilibus, & impertinentibus verbis, seu historiis, sed simpliciter veritatem, & statum conscientiæ uti vere est, aperiat.

Secunda, quod sit *humilis*, idest sine auda- 57
cia & jactantia, ita ut Pœnitens non solum interne coram Deo cognoscendo sua crimina se humiliet veniam suppliciter impetraturus, sed etiam externe coram Confessario humiliter explicans eadem peccata, absolutionem ab ipso accepturus.

Tertia, quod sit *pura*, idest nullo pravo fine 58
affecta, sed cum animi puritate, & sola intentione consequendi finem Sacramenti, nempe recuperandi Dei amicitiam, & propriam justificationem.

Quarta, quod sit *fidelis*, idest sincera, sine ul- 59
la deceptione, & mendacio, referens certa pro certis, & dubia pro dubiis, prout vere sunt, & ipse Pœnitens ipsa cognoscit.

Quinta, quod sit *frequens*, idest ut frequenter 60
quis confiteatur, quæ conditio requiritur tantum ex consilio, & ad melius, & perfectius esse, nam circa hanc nullum adest præceptum, (*) nisi de Confessione annua, de qua infra. (**)

Sexta, quod sit *nuda*, idest non palliata, & 61
vestita certis verborum ambagibus, quibus peccata obscurentur, ne eorum gravitas a Confessario plene percipiatur, sed sit clara, & distincte peccata explicans sine ulla diminutione, & æquivocatione.

Septima, quod sit *discreta*, idest fiat verbis di- 62
scretis, & honestis apud discretum, & prudentem Confessarium, qui sciat discernere inter lepram, & lepram, ac debita remedia, & consilia præbere.

Octava, quod sit *libens*, idest voluntaria ex 63
proprio animo; ita ut non coacte, sed sponte fiat cum animo vere confitendi, ac recipiendi Sacramentum.

Nona, quod sit *verecunda*, idest cum pudore, 64
ita

(**) Vide novas Additiones ad hunc Articulum.

(*) E. R. Adest quidem præceptum diutius non permanendi in statu lethalis culpæ, seseque ad Deum quantocius convertendi. Si quis autem gratiam recuperare non posset, nisi per Pœnitentiæ Sacramentum, defectu perfectæ Contritionis, quæ hominem ante Sacramenti susceptionem justificet: nonne pro isto verum adesset præceptum confitendi frequentius, quam semel in anno?

ita ut Pœnitens corde, & ore debeat præferre verecundiam, ne sicut fabulam, aut historiam impudenter narret peccata sua.

65 Decima, quod sit *integra*, idest, quod omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, prius non confessa, tam in specie, & numero, quam quoad omnes circumstantias mutantes speciem aperiantur, ut expresse habetur ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *& Canon.* 7.

66 Undecima, quod sit *secreta*, idest sine teste, & coram solo Sacerdote, quæ propterea dicitur Confessio *auricularis*, quæ ordinarie fit ad aures Sacerdotis, ne quid ab aliis percipiatur, quamvis possit aliter fieri, modo quia sit solus cum solo. Et quod debeat esse secreta habetur *ex cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de pœnitentiis, & remissionibus*, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Secreto apud solum Sacerdotem, & Canon.* 6. ibi: *Secrete soli Sacer-*
67 *doti*. Non esset tamen invalida Confessio, si ex aliqua necessitate, aut alia de causa publice, seu aliis audientibus fieret, quia, ex institutione Christi, Confessio secreta ita est præcepta, ut publica nec sit præcepta, nec prohibita, ut habetur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Cæterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua Lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda*.

68 Duodecima, quod sit *lacrymabilis*, idest saltem cum lacrymis cordis, videlicet cum vera displicentia, atque interno dolore, de peccatis cum firmo proposito saltem virtuali non peccandi de cetero, unde *lacrymabilis* hic idem importat ac *dolorosa*.

69 Tertiadecima, quod sit *accelerata*, idest quod post commissum peccatum non diu differatur ipsius Confessio, si commode fieri potest; quamvis hoc sit solum consilium, & non præceptum, cum nullum præceptum inveniatur circa tempus Confessionis faciendæ, nisi Divinum pro tempore mortis (*) & Ecclesiasticum de ipsa facienda semel in anno.

70 Quartadecima, quod sit *fortis*, idest cum animi constantia; ita ut nullo motivo humano sinat Pœnitens se retrahere a Confessione omnium suorum peccatorum, sed vincat omnes tentationes, superet omnes difficultates, & timorem, seu pudorem retrahentem a Confessione penitus destruat, & extirpet.

71 Quintadecima, quod sit *accusans*, idest, quod Pœnitens sibi imputet peccata sua, & se solum reum accuset, non autem inaniter se excuset alteri ea imputando, v. gr. Dœmoni, malis sociis, complexioni, Cœlo, Fato, & hujusmodi.

72 Sextadecima, quod sit *parere parata*, idest, quod Pœnitens accedat cum animo obediendi Confessario in omnibus iis, in quibus tenetur ipsi obedire, videlicet in ordine ad evitandas proximas peccatorum occasiones, ad faciendas debitas restitutiones, & hujusmodi, nec non ad acceptandam, & implendam Pœnitentiam.

Ex supradictis sexdecim conditionibus, seu qualitatibus bonæ, & perfectæ Confessionis solæ tres 73
sunt necessariæ ad valorem Sacramenti, nempe fidelitas, dolor, & integritas; Aliæ autem pertinent solum ad modum, & perfectionem ipsius. *Communis*.

Quoad fidelitatem, & dolorem nihil remanet 74
addendum, cum de se satis pateant, & satis de ipsis, & præsertim de dolore sit dictum supra. Quoad integritatem autem varia adhuc remanent 75
addenda, & præsertim quod ipsa integritas est duplex, scilicet materialis, & formalis. *Communis*. Integritas materialis in eo consistit, quod 76
Pœnitens declaret omnia omnino mortalia secundum numerum, speciem, & circumstantias, ita ut nullum ex mortalibus nondum confessis remaneat aperiendum. *Communis*. Integritas formalis 77
in eo consistit, quod Pœnitens omnia illa peccata mortalia exprimat, quæ hic, & nunc potest, & tenetur exprimere, licet aliquod ex necessitate, vel impedimento non exprimat cum voluntate illud postea exprimendi, necessitate, aut impedimento cessante. *Communis*.

Confessio, ut sit valida, debet semper esse in- 78
tegra saltem integritate formali, adeoque, qui vel unicum mortale sponte, & sine justa causa omittit in Confessione, committit grave Sacrilegium, & Sacramentum non suscipit, cum talis Confessio sit invalida, *Communis*, & patet ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ubi expresse dicit: *Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicinam non curat, & Canon.* 7. per verba mox adducenda.

Item per se, ac regulariter loquendo Confessio 79
debet semper esse integra integritate materiali. *Communis*, & patet ex Concil. Trid. *cit. sess.* 14. *cap.* 5. *& Canon.* 7. ibi: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.... anathema sit*.

Dicitur autem notanter *per se, & regulariter* 80
loquendo, quia per accidens, & in quodam casu extraordinaria Confessio potest esse valida cum sola integritate formali absque integritate materiali. *Communis*. Præceptum enim Divinum de facienda Confessione peccatorum integra, integritate materiali, non obligat cum impotentia physica, vel morali, cum ad impossibile nemo obli-

(*) Vide nostras Additiones ad hunc Articulum.

obligetur, textu expresso *in l. Impossibilium* 185. *ff. de regul. Juris*, *&* *cap. Nemo potest 6. de Regul. Juris in 6.*

81 Causæ excusantes ab integritate materiali Confessionis generatim tres assignantur, scilicet inculpata ignorantia, seu oblivio, impotentia physica, & impotentia moralis ob grave damnum proprium, vel alienum, tam corporale, quam spirituale alioquin secuturum. *Communis.*

82 Ratione inculpatæ ignorantiæ, seu oblivionis excusantur omnes illi, qui præmisso sufficienti examine, non recordantur alicujus peccati mortalis, aut ignorantia invincibili penitus ignorant illud esse grave peccatum. *Communis.*

83 Ratione impotentiæ physicæ excusantur omnes illi, qui aliqua impotentia physica omnino impediuntur ad integre confitendum, sive impotentia oriatur ex parte Confessarii, sive ex parte Pœnitentis, ut si immineat periculum mortis Pœnitentis, & per hoc non habeat tempus confitendi integre omnia sua peccata. Vel periculum sit, ne Confessarius amittat usum loquelæ ante integram omnium peccatorum Confessionem. Item si in periculo naufragii, grassantis pestis, subiti prælii, incendii, & hujusmodi immineat multitudo moribundorum, qui nequeant singuli integre confiteri, sufficit illis aliqua peccata breviter aperire. Immo in hujusmodi casibus, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul aliquod peccatum confiteri, & omnes simul absolvi cum illa formula: *Ego vos absolvo &c.* Quinimmo si aliter fieri non possit, sufficit in simili casu dicere in genere *se esse peccatores*, aut etiam signo aliquo exteriori Pœnitentiam suorum peccatorum ostendere, & absolutionem Sacramentalem petere, ut fit in repentinis præliis; ubi milites jamjam præliaturi, vel genuflexione, vel manuum conjunctione, vel pectoris tunsione Pœnitentiam ostendentes, & absolutionem petentes, a Confessario omnes simul absolvuntur sub hac forma: *Ego vos absolvo a peccatis vestris &c.*

84 Item ab integritate materiali Confessionis excusatur mutus, qui uno, vel altero peccato explicato per nutus, vel si neque hoc facere possit, signo doloris de suis peccatis, v. gr. percutiendo pectus, edito, absolvi potest; Si tamen hic scribere sciat, expedit, ut sua peccata in scriptis Confessario exhibeat, ad quod teneri probabilius, & tutius dicunt Doctores magis communiter.

(*) Ex his est S. Thomas qui lib. IV. sententiar. Dist. XVII. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 3. in respons. ad secundum scribit. „ In eo, qui usum linguæ „ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius „ linguæ, sufficit, quod per scriptum, aut nutum, „ aut interpretem confiteatur, quia non exigitur „ ab homine plusquam possit: quamvis homo „ non debeat baptismum accipere nisi in aqua, „ quia aqua est omnino ab exteriori, & nobis ab „ alio exhibetur: sed actus confessionis est a nobis, & ideo quando non possumus uno mo„ do, debemus secundum quod possumus con„ fiteri „. (*)

85 Item ab integritate materiali Confessionis excusatur vir ignarus idiomatis, non habens Confessarium peritum suæ linguæ; Is enim tempore præcepti, aut alterius necessitatis potest absolvi, quamvis non integre percipiatur, cum ipse faciat quod moraliter potest. Is autem, quamvis urgen- 86 te præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis, non teneatur confiteri per Interpretem, & excusetur tunc ab observatione dicti præcepti Ecclesiastici, ex quo Ecclesia non præcipiat nisi Confessionem secretam, nec velit obligare ad Confessionem per interpretem cum tanto incommodo, & jactura aliquali propriæ famæ, ut docet Scotus *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 4. Cajetanus *in summa verb. Confessio condit.* 11. Navarrus *in cap. Fratres n.* 86. *dist.* 5. *de Pœnitent.* Toletus *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Valentia *disp.* 7. *qu.* 11. *punct.* 1. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 6. *num.* 5. Bonacina *de Sacram. Pœnitent. disp.* 5. *qu.* 5. *sect.* 2. *punct.* §. 2. *proposit.* 11. *n.* 22. Rosignol. *de Sacrament. Pœnitent. par.* 1. *qu.* 4. *art.* 6. *n.* 6. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 14. *dist.* 7. *quæst.* 1. *num.* 23. & alii passim: Tamen in periculo mortis, si dubitet non posse verum Contritionis actum elicere, tenetur, non quidem præcepto Divino, sed ex præcepto Caritatis erga se ipsum per Interpretem confiteri, ut sic una cum Attritione, & Sacramento Pœnitentiæ evitet æternam damnationem, & procuret salutem animæ suæ. Sannig *dist.* 19. *de Confession. q.* 2. *n.* 6. *&* 7. allegans Scotum *in* 4. *dist.* 17. *q. unic.* Henricx *disp.* 3. *de Confessione q.* 7. *n.* 91. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 23. Canus *Prælection.* 6. *de Pœnitent.* Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 5. Bonacina *loc. cit. n.* 23. *vers. Addo fieri posse*, Rosignol. *loc. cit. num.* 7. & alii.

(*) Vide testimonium S. Thomæ in Addit. ad n. 83. relatum, ex quo eruitur, juxta S. Doctorem non in solo mortis articulo peccatorem ad id teneri, sed etiam aliis temporibus, & præcipue ne diu versetur in statu culpæ lethalis, ut animadvertit Cuniliati. De Sacram. Pœnitentiæ §. IV. n. XVI. (*)

Ratione impotentiæ moralis ob grave damnum 87 proprium, vel alienum, tam corporale, quam spirituale alioquin secuturum, excusantur ab integritate materiali Confessionis omnes illi, qui ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter, & prudenter timent sibi, aut Confessario, vel tertiæ personæ aliquod grave damnum corporale, vel spirituale: Sic quando Pœnitens rationabiliter timet aliquod suum peccatum a Confessario fore revelandum, aut tali scientia contra se esse usurum in grave ipsius præjudicium spirituale, vel corporale, tunc potest alia peccata confiteri, dicto peccato prætermisso alteri Confessario postea aperiendo, quia pro tunc censetur moraliter impotens ad tale peccatum confitendum, cum præceptum Divinum positivum confitendi integre non obliget cum tanto incommodo, sed cedat præcepto Legis naturæ de conservanda propria fama, & avertendis propriis damnis, & periculis gravibus spiritualibus, & corporalibus. Item si femina ex jam expertis, vel aliis probabilibus causis, ex peccati carnis confessione rationabiliter timet fore sollicitandam a Confessario juvene, non bonæ fa-

mæ, & hujusmodi; tunc, si non habeat copiam alterius Confessarii, potest illud peccatum omittere, & alia confiteri. (*)

88 Item ob damnum alienum, nempe ipsius Confessarii, vel *Corporale*, ut si ex mora Confessionis integre audiendæ timeat probabiliter esse inficiendum tempore pestis, occidendum, vel male tractandum ab infidelibus, aut Hæreticis tempore persecutionis, comburendum tempore subiti incendii, naufragandum tempore naufragii, & hujusmodi; tunc, audito uno, vel altero peccato, abrupta Confessione, potest Confessarius Pœnitentem absolvere ab omnibus peccatis. Vel etiam ob damnum *spirituale*, ut si ex Confessione alicujus peccati carnis prudenter timeatur Confessario periculum ruinæ spiritualis, seu si ipsemet Confessarius nequeat alteri Confessario confiteri aliquod suum peccatum absque læsione sigilli Sacramentalis, uti si invalide culpabiliter absolvisset aliquem simoniacum, incestuosum, & hujusmodi, & non posset confiteri nisi illi, qui facile cognoscat quisnam sit ille simoniacus, incestuosus &c. tunc potest illud peccatum prætermitti alteri Confessario aperiendum.

(*) Verum circa prædictas causas cum P. Billuart in compendio Theologiæ de Sacram. Pœnitentiæ Dissert. VI. §. 1. tom. 3. pag. mihi 285. est „ observandum 1. ut in his casibus licite fiat celatio peccati, hæc quatuor debere concurrere. „ Primum, quod periculum scandali, vel impotentiæ sit grave & bene fundatum. Secundum, „ quod non possit haberi alius Confessarius, cui „ absque periculo, seu damno possit pœnitens integre confiteri. Tertium, quod Confessio non „ possit commode differri puta quia urget præceptum Confessionis seu Communionis annuæ, „ vel quia non potest omitti Missa, seu Communio sine scandalo, vel etiamsi pœnitens peccato mortali gravatus deberet diu a Confessione „ abstinere. Quartum, quod illud vel illa sola „ peccata omittat, quæ judicaverit illi periculo „ vitando necessaria: unde si timeat damnum ex „ confessione fornicationis, & non intentionis, „ accuset intentionem omisso actu externo. Observandum 2. peccata ex justa causa celata, „ cessante causa, debere accusari in sequenti confessione, ut satis fiat præcepto divino de confessione omnium peccatorum mortalium „. (*)

90 Non excusat tamen ab integritate materiali Confessionis magnus Pœnitentium concursus, ob quem non licet facere dimidiatam Confessionem; Unde Innocentius XI. *die 2. Maii 1679.* inter alias merito damnavit sequentem propositionem 50. in ordine, ibi: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.*

91 Quantum ad peccata, quæ propter supradictas causas licite in Confessione retinentur, non requiritur dolor Contritionis ad eorum remissionem, sed sufficit dolor Attritionis, & propositum illa confitendi, cessante causa, seu impotentia, quia per directam Sacramentalem absolutionem cadentem supra peccata confessa, jam indirecte Pœnitens absolvitur etiam a non confessis ob justam causam. *Communis*. Dicitur autem notanter, quod *sufficit dolor Attritionis, & propositum illa confitendi, cessante causa, seu impotentia*: quia ea peccata, quæ antea ob justam causam, seu impotentiam non potuit quis confiteri, debet postea data opportunitate in proxima confessione exprimere, & directe Clavibus Ecclesiæ subjicere, ut ab ipsis directe absolvatur. Hinc Alexander VII. *die 24. Septembris 1665.* merito inter alias damnavit sequentem propositionem 11. in ordine, ibi: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

Pœnitens habens mortalia, & venialia, non peccat contra Confessionis integritatem, si prius confiteatur uni Confessario mortalia, & postea alteri bonam opinionem de ipso habenti nimia verecundia affectus confiteatur sola venialia; peccata enim venialia non sunt materia necessaria, unde Pœnitens non tenebatur ad integrandam Confessionem ipsa confiteri primo Confessario, ut expresse docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. ibi: *Taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*; Et mortalia respectu posterioris Confessarii, cum supponantur rite confessa, & absoluta a priori, pariter non sunt materia necessaria, sed solum sufficiens, quæ citra culpam reticeri potest. Sic Bonacina, Leander, Arsdekin citati, & secuti a Felice Potest. *t.* 1. *p.* 4. *n.* 3106. & alii passim. 92

Ab integritate materiali Confessionis non excusat infamia propria, aut complicis apud solum Confessarium: Quoad primam partem est *Communis*; quoad secundam autem quamvis Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 49. Volpi *resol.* 150. *num.* 7. Navarr. *in Manual. cap.* 7. *num.* 3. & alii plures dicant, excusare ab integritate materiali Confessionis infamiam complicis apud Confessarium, adeoque teneri Pœnitentem tacere illud peccatum ad servandam famam proximi cum proposito illud postea confitendi, habita copia alterius Confessarii, cui ignotus sit complex, quia, dicunt, præceptum de servanda fama proximi, cum sit juris Divini naturalis fundatum in illo principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, magis urget, quam præceptum de integritate materiali Confessionis, cum sit Iuris Divini positivi; tamen contrarium est tenendum, scilicet non debere Pœnitentem illud peccatum tacere, sed confiteri, si non extante alio Confessario, qui complicem ignoret, non possit ipse aliter peccatum, vel circumstantiam mutantem speciem explicare, quin complicem manifestet. Sic expresse docet S. Bernardus *in opusculo de formula vitæ honestæ*, (sive Auctor ejus Opusculi S. Bernardo perperam tributi tit. *Varia, & brevia* 94

(*) E. R. Excusat impotentia moralis tunc tantum, quando urget necessitas emittendæ Confessionis.

brevia documenta pie, & religiose vivendi num. 1.) ibi: *De nullo prorsus sinistre loquaris quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum*. Et sic tenet Scotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *litt.L.* S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Alensis, Gerson. Suarez, Vasquez, Coninch, Filliucius, aliisque relatis Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 12. Lugo *disp.* 16. *sect.* 8. *num.* 394. Tumburin. *Opuscul. exped.Confess. lib.*2. *cap.*9.§.2. Sporer *tom.*2. *par.* 3. *cap.* 3. *sect.* 1. *num.* 471. Henno *tom.* 2. *tract. de Pœnitent. disp.* 5. *quæst.* 9. *conclus.* 8. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3111. Leander *de Pœnitentia tract.* 5. *d.* 5. *quæst.* 61. Durandus, Paludanus, Major, Almainus, Becanus, Amicus, Aversa, Caspensis, & alii citati, & secuti a Mastrio *Theol. moral. disp.* 21. *quæst.* 7. *art.* 4. *num.* 181. ubi dicit hanc esse communiorem, & probabiliorem opinionem, quam de facto defendunt plurimi alii, & recentiores passim. Et ratio est, quia, si non teneremur confiteri peccatum hoc unico timore infamandi complicem apud illum Confessarium, sequeretur quod conjugati non tenerentur ad confitenda peccata commissa in casu Matrimonii, quando uterque est Confessario notus, hoc autem non est dicendum, adeoque &c.

95 Nec valet adductum fundamentum pro opinione contraria ab Adversariis, quod nempe sit præceptum Juris Divini naturalis de non infamando proximo, adeoque non posse violari ob servandum præceptum de integritate materiali Confessionis, quod est solum Juris Divini positivi. Non valet, inquam, quia occultum proximi peccatum alteri manifestari est solum contra præceptum Juris Divini naturalis in duobus casibus, ut recte notant Becanus *cap.* 36.*qu.* 2. Mastrius *loc.c. n.*185. & alii nempe quando fit sine rationabili causa, & quando fit ex intentione infamandi proximum; in nostro autem casu nulla adest intentio infamandi proximum manifestando complicem, sed hoc fit sola justa intentione, & causa integre confitendi, quia Deus obligat ad manifestandum peccatum in specie, quæ exprimi nequit sine manifestatione personæ complicis; Tum quia ratione sigilli, quo Confessarius obstringitur, & ratione obligationis Pœnitentis integre confitendi, nulla sequitur infamatio complicis apud Confessarium per talem directam ipsius manifestationem factam solummodo ad proprium peccatum exprimendum, quod etiam innuit Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *litt. L.* ut notat Mastrius *loc. cit.* adeoque &c.

96 Pœnitens habens peccata reservata, si in urgente necessitate celebrandi, vel communicandi non habeat copiam Confessarii valentis a reservatis absolvere, tenetur pro servanda integritate Confessionis ipsa peccata reservata una cum non reservatis confiteri Confessario inferiori, etiam non habenti facultatem absolvendi a reservatis. Sic expresse S. Thomas *qu.* 9. *supplem. art.* 2. *ad* 4. ubi dicit: *Etiamsi Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur Pœnitens ei omnia confiteri*. Henno *loc. c. conclus.* 6. ubi dicit hanc esse fere communem opinionem inter Doctores, Volpi *resolut.* 63. *num.* 11. Felix Potestas *tom.* 1. *par.*4. *n.*3121. Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *qu.* 9. *art.* 3. *num.* 241. & apud ipsum Suarez, Lugus, Coninch. Amicus, Aversa, Bonacina, Pontius, & alii recentiores, & Summistæ passim, dicentes Sacerdotem peccatis reservatis obstrictum, si necessitatem habeat celebrandi, nec copiam habeat Confessarii approbati pro reservatis, posse, & debere Confessario non approbato pro reservatis omnia peccata sua confiteri, ut directe a non reservatis, indirecte vero, & consecutive a reservatis, absolvatur cum onere, & obligatione adeundi postea Superiorem pro absolutione directa reservatorum; non desunt tamen, qui contrarium sentiant.

(*) Quemadmodum traditur in Addit. ad Theol. Moral. P. Cuniliati tract. XIV. pag. mihi 86. seq. „ Tres sunt circa hanc difficultatem inter Theologos opiniones. Prima eorum est, qui putant, „ confitenda esse Confessario, communi cætera præter reservatum peccata, quæ dum directe absolventur, reservatum absolvetur indirecte. Secunda docet tunc confitendum esse peccatum „ reservatum cum aliis sive venialibus, sive mortalibus, vel nondum remissis, si quibusdam forte gravatur pœnitens; vel jam remissis, si alia „ non habeat, ut sic absolvatur, directe quidem „ a non reservatis, indirecte vero a reservatis, „ nisi, ajunt aliqui, hæc adnexam habeant censuram. Tertia demum vult, ut eo in casu pœnitens se gerat perinde ac qui Confessarii copiam non habet; proinde ut acrem contritionis „ actum præmittat, & absque confessione celebret. Prima opinio, cui Alexander adhæsit, „ quæque Majori, & Soto probabilis visa est, communiter rejicitur a Theologis, & dubio procul „ est contra mentem D. Thomæ, qui in Suppl. „ q. 9. art.2. ad 4. asserit, quod, *si Sacerdos non* „ *possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius* „ *culpæ cognoscat &c.* Secunda placuit Suaresio „ aliisque pluribus quos secutus est Fromageu „ *cas.* 2. *n.* 4. *p.* 495. Hi has præsertim asserunt rationes. 1. cum quilibet sibi peccati mortalis „ conscius teneatur Confessionem præmittere Communioni, credibile non est Ecclesiam sic instituisse reservationem, ut tunc a peccatis absolvi nequeat, directe quidem a non reservatis, „ & indirecte a reservatis, malleque eum cum „ incerta contritione non confessum celebrare, „ quam Confessionem Communioni præmittere. „ 2. quia ad valorem Sacramenti necesse non est, „ ut Confessor jurisdictionem habeat in omnia „ peccata mortalia, quibus reipsa ligatus est pœnitens, cum constet, eum qui non reservata „ quædam confessus est, & reservatum aliquod „ ex inculpata oblivione retinuit, ab omnibus valide absolvi, cum nemo propter invincibilem „ ignorantiam reprobari possit. Tertiam demum „ amplexati sunt Sylvius *in Supplem.* q.20.*art.*2., „ *Ethicæ Amoris* Auctor lib. 4. n. 2730., Pontas „ v. *cas. reserv. n.* 21. & Collator Andeg. *Tom.* 1. „ *pag.* 356. Et huic etiam Auctor subscripsit tum „ in prima, tum in tertia Editione, ut videre est „ infra, nempe Cap. IV. §.4. n. XI. Præcipua autem „ hujusce opinionis momenta in medium affert

Contin.

„ Contin. *Prælect. Theolog. Honorati Tournely Tractatu de Pœnit. part. 2. cap. 8. sect. 6. n. 570. & seqq.* Et hæc sunt. 1. quia si posset pœnitens cuipiam pro reservatis non approbato, propter gravem aliquam celebrandi, vel communicandi necessitatem confiteri, ei etiam qui nullatenus approbatus erit, in eodem casu poterit confiteri. Quidni enim pia mater Ecclesia in uno non secus ac in alio casu jurisdictionem conferre dicatur? Profecto ubi de sola præsumptione agetur, quæ quisque pro priori casu afferet, hæc alius pro posteriori merito sibi afferre videbitur. Atqui tamen postrema hæc præsumptio citra grave periculum admitti non potest. 2. Generatim decernit Synodus Tridentina sess. 14. cap. 7. *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam jurisdictionem non habet*; quod quidem quantum ad reservatos casus attinet, *non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo*, vim habere declarat. Atqui Sacerdos in præsenti casu nullam etiam subdelegatam jurisdictionem habet. Non ab homine; cum supponamus nihil hoc in puncto a Superioribus fuisse constitutum. Non a jure, cum jus, Tridentinum scilicet, quo nullum in ista materia clarius habetur, solum a generali regula casum mortis excipiendo, ceteros casus omnes in eadem regula inclusisse censeri debeat. En, *subdit*, præcipua hujusce opinionis momenta, quæ præcedentis sententiæ rationes adæquant, vel excedunt. Prima enim, quæ e pia Ecclesiæ voluntate deducitur, non magis pro præsenti casu probat, quam pro similibus prope innumeris, in quibus nativa quadam commiseratione id factum esse velimus, quod nec Christus, nec Ecclesia factum voluerunt. Secunda vero evincit quidem, in hoc nostro casu fieri potuisse, quod in casu oblivionis inculpatæ factum est; at non probat, id reipsa factum esse. Et sic utrumque opinionis fundamentum satis convellitur, ut ea tranquillo animo teneri vix possit. Legatur etiam *Instit. Th. tom. 5. tract. de Pœnit. cap. 9.* §. 2. q. 3. ubi asserit optandum esse, ut Superiores in eo casu reservationem suspendant, cum id possint, neque hinc periclitetur disciplina. Et revera non paucos Episcopos ita se gerere postea refert „. Tertiæ ex his opinionibus P. Cuniliati in prima Theologiæ suæ editione adhæsit in Tractatu de Sacramentis in particulari de Pœnitentia §. 4. iterumque in tertia editione rejecta moderatione, qua in secunda illam proposuerat. Causam porro cur moderationem illam rejecerit hanc affert §. cit. num. XI. pag. mihi 161. scribens: „ Cum deinde perpenderim Decretum Clementis VIII., in quo jubetur ut in nullo casu absolvat a casibus reservatis, qui caret tali facultate; *In nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis*, idque vetetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, si quis absolvat; propterea corrigo in hac tertia editione, quod emendaveram in secunda; & confirmo standum esse doctrinæ supradictæ in prima editione scriptæ. Accedit, id quod asserit illustrissimus, & doctissimus vir Nicolaus Terzagus Episcopus Narniensis in suo Opere Italico, cui titulus: *Istruzione pratica sopra l'amministrazione del Sagramento della Penitenza*, editionis Venetæ pag. 343. qui, dum esset Romæ, vidit idem approbari in Sacra Pœnitentiaria, quæ sustinuit, Confessarium, qui sine facultate super reservatis absolveret pœnitentem, ad evitandum scandalum, vel ob aliud motivum, aut impedimenti, aut necessitatis; sustinuit, inquam ipsum incurrisse in excommunicationem Papæ reservatam, et si celebrasset, incurrisse irregularitatem. Quo præclaro testimonio confirmatur validius doctrina data in prima nostra editione, & exploditur emendatio facta in secunda „. (*)

Non potest superior sine urgente causa absolvere tantum a reservatis, & quo ad reliqua remittere Pœnitentem ad inferiorem; Ita Silvester, Victoria, Canus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Becanus, Caspensis, Amicus, Bonacina, Brancatus, Faber, & alii Recentiores passim citati, & secuti a Mastrio *loc. c. n.* 238. contra Cajetanum, Navarrum, Sotum, Valentiam, & alios; Et ratio est, quia integritas Confessionis est de Jure Divino, quod omnino servandum est, nisi aliter permittat urgens, & rationabilis causa v. g. periculi mortis, amissionis loquelæ, damni notabilis & similium, quæ non minus ex parte Absolventis contingere possunt, quam ex parte Pœnitentis; & in his casibus tantum, aliisque similibus assignatis *supra à n.* 77. quæ deobligent ab integritate Confessionis, potest Superior dimidiare Confessionem absolvendo solum a reservatis directe, & indirecte a non reservatis cum obligatione Pœnitentis adeundi, cum possit, Confessarium inferiorem, ut etiam directe absolvatur ab aliis non reservatis. 97

(*) Huc accedit, quod si Superior hic; & nunc audire integram Confessionem non potest, potest reservationem auferre, & facultatem inferiori Confessario a reservatis absolvendi impertiri. (*)

An autem Pœnitens, sic absolutus a reservatis a Superiore, adeundo Confessarium inferiorem pro absolutione directa a non reservatis, debeat reconfiteri cum ipsis etiam reservata jam confessa, & absoluta, variant Doctores. Cajetanus enim, Navarrus, Sotus, Valentia, & alii dicunt teneri talem Pœnitentem reconfiteri etiam reservata jam dimissa; At probabilius id negant, & defendunt contrarium, Mastrius *loc. c. num.* 239. & omnes Auctores numero antecedenti citati, & ab ipso secuti pro nostra sententia; Et ratio est, quia sicuti quando Pœnitens ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili, aut alia justa de causa ex enumeratis *supra a n.* 76. aliquod peccatum in Confessione omittit, non tenetur simul cum illo etiam alia jam directe confessa, & absoluta reconfiteri, cum datur opportunitas alterius Confessionis, quia ipsa jam supponuntur rite confessa, nec cadunt sub voto alterius Confessionis, sicuti illud omissum ex dicta oblivione, seu ignorantia, aut justa causa, ita a pari non tenetur talis Pœnitens in Confessione non reservatorum apud Confessarium infe- 98

inferiorem reconfiteri etiam reservata jam absoluta a Superiore, cum ipsa supponantur vere, & rite confessa, & absoluta.

99 Nec valet objicere cum adversariis, quod *ex cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de pœnitentiis*, *& remissionibus* omnia peccata sunt integre confitenda saltem uni Sacerdoti, adeoque etiam reservata jam dimissa a Superiore deberi cum non reservatis reconfiteri a tali Pœnitente apud Confessarium inferiorem, ut sic omnia peccata sint integre confessa uni Sacerdoti. Non valet, inquam, quia auctoritas allata *ex cap. Omnis utriusque sexus*, debet intelligi de integritate materiali, alioquin semper cum oblitis, & ex justa causa non confessis essent etiam reconfitenda jam rite confessa, & absoluta, quod non est dicendum; Unde Confessio facta Superiori de solis reservatis est integra materialiter ob justam aliquam causam, & tunc absolutio est valida directe dimittens peccata reservata, adeoque in nostro casu talis Pœnitens absolutus a reservatis a Superiore, non tenetur postea inferiori Confessario reconfiteri etiam ipsa reservata jam confessa, & absoluta directe, cum non reservatis solum indirecte, & nondum directe absolutis.

100 Sicuti etiam qui justa de causa in aliquo casu urgentis necessitatis, v. g. tuendi famam, vitandi scandalum, & hujusmodi, non extante Confessario approbato pro reservatis, fuit absolutus a Confessario non approbato pro reservatis, directe a peccatis non reservatis, & indirecte, & consecutive a reservatis juxta dicta *supra num.* 91. non tenetur denuo confiteri Confessario pro reservatis etiam peccata non reservata, a quibus fuit directe absolutus a Confessario approbato pro reservatis, sed tantummodo tenetur reconfiteri peccata reservata, a quibus fuit absolutus solum indirecte, ut sic etiam reservata directe subjiciantur clavibus Ecclesiæ, ut directe absolvantur; Et ratio est, quia peccata non reservata jam fuerunt directe confessa, & absoluta, nec adest obligatio bis directe subjiciendi eadem peccata Confessioni; Sic Mastrius *loc. cit. num.* 239. *in fine*, *& num.* 241. cum omnibus adductis *supra num.* 91. contra Vasquez, & alios citatos ab ipso Mastrio *loc. c. n.* 240.

(*) Vide additiones ad num 94., atque ad illa, quæ in ipsa ex Clementis VIII. decreto constituta sunt, quæ numero hoc, & duobus superioribus ab Auctore nostro ex Mastrio docentur, exige. (*)

101 Ad integritatem Confessionis requiritur, ut Pœnitens omnia mortalia confiteatur, tam quo ad speciem, quam quo ad numerum in eadem specie. *Communis*; & habetur expresse a Concilio Tridentino, *sess.* 14. *cap.* 5. *& Canon.* 7. ubi anathematizantur tenentes contrarium; Unde autem

103 sumatur distinctio specifica, & numerica peccatorum. Vide verb. *peccatum a num.* 26. *ad* 34.

103 Pœnitens igitur debet in Confessione exprimere numerum omnium suorum mortalium peccatorum, de quibus post diligens examen recordatur, dicendo v. g. toties sum furatus, fornicatus, mentitus, & hujusmodi; Si autem certus numerus non occurrat, debet exprimere numerum verisimilem, dicendo v. g. se quinquies, sexies, aut septies, vel circiter plus, minusve, tale peccatum commisisse, seu in tali peccato continuasse tanto tempore, illud committendo tot, vel tot circiter vicibus, plus, minusve per mensem, hebdomadam, vel diem.

Item ad integritatem Confessionis requiritur, 104
ut pœnitens confiteatur, non solum omnia peccata mortalia, tam quo ad speciem, quam quo ad numerum in eadem specie, sed etiam circumstantias speciem peccati mutantes. *Communis*, & habetur expresse ex Concilio Tridentino, *cit. sess.* 14. *cap.* 5. *& Canon.* 7. ibi: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.... Anathema sit.*

An autem sint a Pœnitente necessario explicandæ, 105
& confitendæ etiam circumstantiæ solum aggravantes? Variant Doctores: At hic pro clariori resolutione notandum est, quod circumstantiæ peccati dicuntur ejusdem peccati particulares, & accidentales conditiones, & affectiones, eo quod vel actum peccati, vel ejus objectum accidentaliter afficiant, & quasi circumstent. *Sic in re Communis*.

Circumstantiæ septem enumerantur in hoc vulgari 106
versu contentæ

Quis, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*,
Quomodo, *Quando*.

Ubi, ut vides, per ly *Quis* denotatur qualitas, 107
seu conditio personæ, v. g. in peccato fornicationis an sit persona libera, an conjugata, an voto Castitatis ligata; in peccato furti an sit pauper, vel dives, & hujusmodi.

Per ly *Quid* denotatur res, circa quam, seu 108
objectum, circa quod fit peccatum, v. g. in furto an sit multum, an parum, an res sacra vel profana; in percussione, seu occisione an percussus, seu occisus sit Clericus, sit Pater, vel Mater; & hujusmodi.

Per ly *Ubi* denotatur locus, in quo fuit com- 109
missum peccatum, v. g. in peccato carnis an sit commissum in loco sacro, vel profano, an in loco privato, vel publico, & hujusmodi.

Per ly *Quibus auxiliis* denotantur concomitan- 110
tia, seu coadjuvantia ad peccatum; vel instrumenta, & media ad ipsum, v. g. in provocanda ad malum muliere, an quis sit usus mediis magicis, instrumentis prohibitis, personis innocentibus sic ad malitiam edoctis, & hujusmodi.

Per ly *Cur* denotatur finis peccantis, v. gr. in 111
furto, an sit quis furatus ad malum finem, ut ad fornicandum, ad se inebriandum, ad ludendum, vel ad sublevandam suam paupertatem, & hujusmodi.

Per ly *Quomodo* denotatur modus, quo commis- 112
sum fuit peccatum, v. g. in furto, an violenter, an dolose, an palam, an occulte, an effractione, an falsa clavi, & hujusmodi.

Per ly *Quando* denotatur tempus, quo com- 113
mis-

missum est peccatum, v. g. in furto, an sit factum
tempore belli, famis, necessitatis, an sit fa-
ctum quando quis erat dives, vel pauper, an
in gravi, an in extrema necessitate, & hujus-
modi.

114 Tales circumstantiæ aliæ sunt mutantes speciem,
& aliæ simpliciter aggravantes intra eamdem spe-
115 ciem. *Communis*. Circumstantiæ mutantes speciem
sunt illæ, quæ actui novam, & diversam speciem
malitiæ contra aliam virtutem afferunt, quando
scilicet circumstantia addita actui ex se habet pro-
priam specialem malitiam, ac deformitatem distin-
ctam a malitia propria specifica ipsius actus pec-
cati, & sic transfert actum ex materia unius vitii,
& peccati in materiam alterius vitii, & peccati,
ut clare patet in peccato carnis, quod si commit-
tatur inter personas solutas, est simplex fornicatio
contra virtutem Castitatis tantum; si committa-
tur a persona, vel cum persona conjugata, est
adulterium contra virtutem Justitiæ; si committa-
tur a persona, vel cum persona Sacra, est Sacri-
legium contra virtutem Religionis; si committa-
tur inter personas consanguineas, vel affines, est
incestus contra virtutem Pietatis; & sic de aliis.
116 *Communis*. Circumstantiæ simpliciter aggravantes
intra eamdem speciem sunt illæ, quæ non
transferunt malitiam peccati ad aliam speciem,
sed solum intra eamdem speciem eam au-
gent, vel minuunt, uti sunt major, vel minor
intensio actus peccaminosi, major, vel minor du-
ratio ipsius, major, vel minor quantitas materiæ,
& hujusmodi, ut patet clare in peccato furti, qui
enim heri furatus est decem, & hodie centum,
ejusdem speciei peccatum furti committit; at ho-
die gravius furtum committit, quam heri, & sic
est circumstantia solum aggravans, & non mutans
speciem. *Communis*.

117 Circumstantiæ aggravantes, aliæ sunt notabili-
ter aggravantes, & aliæ parum, seu leviter aggra-
118 vantes. *Communis*. Circumstantæ notabiliter ag-
gravantes sunt illæ, quæ secundum communem
conceptum augent notabiliter gravitatem peccati,
v. g. in peccato furti addit quis circumstantiam no-
tabiliter aggravantem, si furetur supra quantitatem
requisitam ad peccatum mortale aliam quantitatem
simul, & semel considerabilem æquivalentem plu-
ribus peccatis mortalibus intra eamdem speciem in
gravitate, ut si non solum furetur decem scuta,
sed etiam mille, & bis mille. *Communis*. Et his
119 addi possunt aggravantes in infinitum, quæ scili-
cet materiam venialem transferunt in mortalem;
sic esset mendacium cum gravi damno Proximi;
& dicuntur aggravantes in infinitum eo quod le-
thalis gravitas quasi infinite distat a peccato venia-
li. Circumstantiæ parum, vel leviter aggravantes
sunt illæ, quæ secundum communem conceptum
non nisi modice, & parum augent gravitatem pec-
cati, ut si furto pervenienti ad mortale addatur
solum modica quantitas, v. gr. unus solus ju-
lius, unus solus obulus, & hujusmodi. *Com-
munis*.

120 Ex supradictis circumstantiis sunt necessario con-
fitendæ illæ, quæ mutant speciem, ut certum est
apud omnes, & jam resolutum est supra nec non
aggravantes in infinitum, ut de se patet. Item
certum est apud omnes, quod non sunt neces- 121
sario confitendæ circumstantiæ parum, seu leviter
aggravantes. De circumstantiis autem notabiliter
aggravantibus variant, ut supra dictum est, Do-
ctores. Non esse tales circumstantias necessario 122
confitendas tenent S. Thomas *in* 4. *dist.* 16. *qu.* 3.
art. 2. *quæstiuncul.* 5. *in corpore*, & *dist.* 41. *quæst.*
1. *art.* 4. *in corpore*. S. Bonaventura, Sanctus An-
toninus, aliique probatissimi Auctores plusquam
45. quos refert, & sequitur Diana *part.* 1. *tract.*
7. *resol.* 1. *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 67. Lugo *de Pœ-
niten. disp.* 16. *sect.* 3. Sporer *tom.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *sect.*
1. *num.* 407. ubi dicit, hanc opinionem esse satis
tutam, & valde probabilem, citatque pro hac plu-
rimos alios Doctores, inter quos Scotum *in* 4. *dist.*
17. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 14. *dist.* 7. *qu.*
3. *num.* 49. ubi dicit, quod Scotus *in* 4. *dist.* 17. §.
De secundo libertatem suis reliquit hanc, vel con-
trariam sententiam tuendi, Mastrius *Theolog. mo-
ral. disp.* 21. *num.* 174. & 175. citans plurimos alios,
Rosignolus *de Pœnitent. part.* 1. *quæst.* 4. *art.* 14. *n.*
1. cum aliis ibi citatis, Stoz *l.* 1. *part.* 1. *a num.* 83.
citans etiam plurimos alios, Moya, Dicastill. Bo-
nacina, Albertus Magnus, Durandus, Caspensis,
Vasquez, & alii plures.

Et ratio potissima pro hac sententia est, quia 123
Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. & *Canon.* 7. ubi exacte
tradit, & docet, quid confitendum sit, solummo-
do meminit obligationis confitendi omnia, & sin-
gula peccata mortalia, & *circumstantias, quæ spe-
ciem peccati mutant*; ergo sufficienter innuit non
esse necessario confitendas circumstantias solum
aggravantes, alioquin non processisset doctrina-
liter, sed valde mance; sicuti, inquit Lugo *de
Pœnitent. dist.* 16. *num.* 108. qui doctrinaliter pro-
cederet, explicaret necessitatem confitendi pec-
cata, & semper adderet quæ mortalia sunt, suf-
ficienter doceret venialia non necessario esse con-
fitenda, adeoque &c. Tum quia Tridentinum *citat.
cap.* 4. expresse subjungit: *Nihil aliud in Ecclesia
a Pœnitentibus exigi*.

Tales circumstantias esse necessario confitendas 124
defendunt alii Auctores gravissimi, quorum 25.
referunt Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 1. *par.* 3. *tract.*
4. *resol.* 67. & Aversa *quæst.* 10. *sect.* 8. & apud Ma-
strium *loc. citat. num.* 174. idem tenent, Alensis,
Altisiodorensis, Major, Marsilius, Suarez, Conin-
chius, Nugnus, Sanchez, Fagundez, Henriquez,
Amicus, Abellius, & recentiores alii; & ex Sco-
tistis Hiquæus, Faber, Aretinus, Henno *tom.* 2.
tract. de Pœnit. disp. 5. *quæst.* 6. *concl.* 3. Felix Po-
testas *tom.* 1. *par.* 4. *cap.* 4. *num.* 3143. ubi citat Sco-
tum *in* 4. *dist.* 17. *quæst. unic. de* 2. *art. litt. N.* his
verbis: *Nec solum peccata, sed circumstantias pec-
catorum notabiliter aggravantes includit dictum præ-
ceptum*, quamvis ab aliis Scotus citetur in con-
trarium, qui tamen revera talis non est, sed ve-
re dubius, ut patet ex præcisis suis verbis *in* 4.
dist. 17. *nu.* 20. ibi: *Non est ita certum, quod oper-
teat illas*, scilicet circumstantias aggravantes, *con-
fiteri, tamen tutum, & utile id fieri*, & sic tenent
plures alii Scotistæ, Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 32.
num. 39. vocat hanc verissimam sententiam, Bonæ
spei

spei *de peccatis d.* 4. *a num.* 85. ubi *num.* 122. dicit, sententiam hanc non esse quidem de Fide, attamen, attentis locutionibus Tridentini, videri manifeste induci ex principiis Fidei, oppositam autem infirmis valde, & parum Tridentino consonis inniti fundamentis; Sic apud la Croix *lib. 6. par.* 2. *n.* 977. ubi hanc sententiam fuse propugnat, citatque pro ista plurimos alios Doctores, & solvit argumenta, quæ adducuntur pro contraria sententia: & hanc uti probabiliorem, communiorem, & tutiorem amplectimur, præsertim si circumstantiæ notabiliter aggravantes ad malitiam substantialem actus concurrant ratione materiæ majoris, aut objecti multiplicati, ut tenent etiam Sporer *loc. cit. nu.* 109. *cum sequent.* Petrus Marchant. *Tribun. par.* 1. *tract.* 2. *tit.* 3. *quæst.* 4. Suarez *de Pœnitent. disp.* 22. *sect.* 3. Layman *l.* 1. *tract.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. Esparsa *q.* 9. *articul.* 4. *ad* 8. & alii plures apud ipsos.

125 Et ratio nostræ conclusionis est, quia illæ peccatorum circumstantiæ sunt necessario confitendæ, quæ notabiliter alterant Judicium Sacramentale; quibus scilicet cognitis, aliter agere debet Judex Sacramentalis, quam si ignotæ sint, cum peccata in Confessione ita sint explicanda Confessario, ut is de eorum qualitate, & quantitate possit recte judicare, & convenientem Pœnitentiam, & medicinam ac obligationem præscribere, ut insinuat Conc. Trid. *cit. sess.* 14. *c.* 5. ubi statuens necessario confitendas esse circumstantias, quæ peccati speciem mutant, hanc ipsam dat rationem præcisis his verbis: *Quod sine illis peccata ipsa neque a Pœnitentibus integre exponantur, neque Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint & Pœnam, quam oportet, imponere.* Atqui dictæ circumstantiæ notabiliter aggravantes eodem modo, & sæpe multo magis, quam circumstantiæ speciem mutantes, alterant, & immutant Judicium Sacramentale, ut *sine illis neque peccata ipsa a Pœnitentibus integre exponantur*, nec a Judice Sacramentali rite judicari possint; ergo tales circumstantiæ sunt necessario confitendæ, cum Tridentinum licet explicite, & aperte solum exprimat circumstantias speciem mutantes, tamen per ipsam allegatam rationem innuit implicite voluisse comprehendere etiam dictas circumstantias notabiliter aggravantes. Major est certa, & admittitur ab omnibus. Probatur minor, quia dictæ circumstantiæ notabiliter augent malitiam ideoque etiam notabiliter alterant, & mutant Judicium Confessarii: immo sæpe multo magis, quam circumstantiæ speciem mutantes; clare enim patet quod major est malitia, & magis alterat Judicium Sacramentale furari v. g. mille Florenos extra locum Sacrum, quam furari solum decem in loco Sacro, licet hæc circumstantia furandi solum decem *in loco Sacro* mutet speciem, & illa furandi mille *extra locum Sacrum* aggravet tantum. Item major est malitia, & magis alterat Judicium judicis Sacramentalis furari mille aureos, quam furari casulam exigui valoris, quamvis circumstantia furti casulæ, utpote rei sacræ, mutet speciem & circumstantia furti mille aureorum solum notabiliter aggravet. Item major est malitia & magis alterat & mutat Judicium Judicis Sacramentalis priusquam homo occidatur, ipsi amputare brachia, & pedes, oculos effodere, nasum comburere, ventrem aperire &c. & postea ipsum occidere, quam unico solo ictu gladii ipsum occidere in Ecclesia, licet circumstantia occisionis cum priori amputatione brachiorum, & pedum, oculorum effossione, nasi combustione, ventris aperitione &c. solum notabiliter aggravet: ergo etiam ipsæ circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt necessario confitendæ, tum ut recte, & integre percipiantur peccata a Judice Sacramentali; tum ut juxta eorum gravitatem imponatur ab ipso debita, & proportionata Pœnitentia, seu satisfactio peccatoribus, uti patet etiam ex Canonibus Pœnitentialibus, qui habentur in fine Decreti Gratiani, & dantur art. seq. n. 49. in quibus designantur notabiliter diversæ Pœnitentiæ pro peccatis ejusdem speciei ob solas diversas circumstantias, ut patet in casu 21. 22. 37. 38. & alii.

Tum quia si circumstantiæ sic notabiliter aggravantes non essent necessario confitendæ, sequeretur, quod Confessarius non posset injungere majorem Pœnitentiam majoribus peccatoribus, quam minoribus: sed hoc non est dicendum, ergo &c. Minor de se patet: Major autem clare ostenditur, quia in tali casu Confessarius non posset imponere majorem Pœnitentiam furi unius millionis aureorum, quam furi unius aurei; Incendiario villæ integræ, quam Incendiario paucarum segetum; foventi odium, vindictam, desiderium impurum per quindecim annos, quam illis adhærenti per solum quadrantem, cum possent eodem modo peccatum suum exprimere dicendo in primo casu *commisi furtum mortale*, in secundo, *nocui proximo notabiliter*, & in tertio *habui odium grave*, *desiderium impurum*, & hujusmodi, quæ omnia, ut vides, sunt absurda, adeoque &c. 126

Confirmatur nostra Conclusio auctoritate Catechismi Romani jussu S. Pii V. conscripti, & ex Decreto Concilii Tridentini editi, qui *c. 9. de Pœnitentia* sic præcise habet: *Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt*; Et infra subjicit: *Hæc igitur, ut diximus, enumeranda sunt; quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt*, & concordat *c. Considerent* 1. *de Pœnitent. dist.* 5. ubi inter alia dicitur, quod Pœnitens debet considerare qualitatem criminis, quantum in eo perseveraverit, & ut agnoscat augmentum peccati, consideret cujus ætatis fuerit, cujus sapientiæ &c. *quia*, inquit, *omnis ista varietas confitenda est*. 127

Ad rationem autem pro opinione contraria adductam *supra num.* 118. respondetur, quod licet Concilium *citat. sess.* 14. *cap.* 5. expresse mentionem fecerit solum de obligatione confitendi circumstantias mutantes speciem, implicite tamen satis indicavit esse necessario confitendas etiam circumstantias notabiliter aggravantes, ut patet ex ipsamet allegata ratione ab eodem Concilio per sua præcisa verba adducta *supra num.* 123. Ex confirmatione, *in fin. num.* 121. nihil sequitur ad rem, quia ibi 128

ibi Concilium, ut patet ex contextu, & observant Lugo, La Croix *loc. cit.* & alii, solum dicit, nihil exigi præter confessionem mortalium, quæ Pœnitens agnoverit post diligens examen, nec ibi nullum habet sermonem de circumstantiis mutantibus speciem.

(*) Postremo, ne quem auctoritas S. Thomæ pro opposita opinione citati commoveat, adeatur Daniel Concina, Theologiæ Christianæ tom. IX. de Sacram. Pœnitentiæ lib. I. dissert. IV. cap. VI. ubi ostendit S. Thomam adversariis non favere. Etenim in lib. IV. sent. dist. XVI. quæst. III. art. 2. in resp. ad quæstiunc. 5. recitata opinione illorum qui statuebant, *quod non sint de necessitate confitendæ nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt*, e vestigio subdit: „ Et hoc probabilius est, sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt, cujus ratio est, quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumstantiæ quæ aliam peccato speciem non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non peccati mortalis, non sunt de necessitate confessionis, tamen easdem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus dictum est „. De S. Antonino quoque Petrus Ballerinius in 3. parte summæ Theologicæ ejusd. tit. XIV. cap. IX. not. 10. „ Tandem S. Antoninus tit. 17. §. 4. hanc, quam nunc statuimus, obligationem confitendi circumstantias multum aggravantes aperte defendit, quum Confessorem *debere interrogare non solum de mortalibus, sed etiam de circumstantiis, quæ eos gravant, vel alleviant*, aliquot authoritatibus statuit „.

129 Circumstantia consuetudinis, quamvis per se loquendo non sit necessario aperienda (*) in Confessione, ut recte docent Suarez, Vasquez, Regin. Bonacina, Aversa, Lugo citati, & secuti a La Croix *lib. 6. par. 2. n. 968.* Reiffenstuel *Theol. Moral. tract. 17. dist. 7. q. 3. n. 53.* & alii; tamen interdum per accidens obligatur Pœnitens ad talem circumstantiam consuetudinis aperiendam, & signanter, quando a Confessario, ut rectum Judicium formare valeat de dispositione ipsius Pœnitentis interrogatur; unde Innoc. XI. *die 2. Mart. 1679.* merito inter alias damnavit sequentem propositionem 58. in ordine, ibi: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

130 Peccata mortalia dubia sunt necessario confitenda, sub dubio tamen: S. Thomas *in 4. dist. 1. q. 2. ad 3.* S. Bonaventura *ibid. par. 2. art. 1. q. 2.* Alensis *par. 4. qu. 77. membr. 2. art. 5.* Sporer *loc. cit. n. 392.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 54. & seq.* Felix Potestas *tom. 1. par. 4. cap. 3. numer.* 3040. & satis *Communis* contra paucos. Et ratio est, quia ex Conc. Trid. *cit. sess. 14. cap. 5.* confitenda sunt, prout sunt in conscientia, seu prout occurrunt memoriæ, adeoque sicuti peccata certa confitenda sunt necessario ut certa, quia sic occurrunt memoriæ Pœnitentis, ita dubia propter eamdem rationem, alias Pœnitens se exponeret periculo peccandi, & errandi circa integritatem Confessionis.

Qui confessus est peccatum aliquod mortale, 131
ut dubium, si postea reperiat illud certum, seu certo illud commisisse, tenetur illud denuo ut certum confiteri. *Sic Communior Doctorum*; adeout, Dicastillus *disp. 9. dub. 2. n. 141.* dicat, oppositum esse inauditum in Ecclesia Dei, Sanch. *in Decal. lib. 1. c. 10. n. 69.* Carden. *in Crisi disp. 51. num. 6.* Moya *tom. 4. disp. 1. q. 6. n. 1.* dicunt hanc opinionem esse certam, & communi praxi totius Ecclesiæ conformem, & absolute tenent Mendo *d. 10. num. 70.* & plurimi alii apud ipsum, Lugo *disp. 16. a nu. 77.* ubi postquam pro utraque parte rationes attulit, concludit se ab hac, utpote communi, nolle recedere. Felix Potestas *loc. cit. n. 3045.* Henno *loc. cit. disp. 5. q. 8. concl. 2.* Turrian. *de Pœnit. q. 9. art. 2. disp. 26. dub. 6.* Hurtad. *de Sacram. disp. 9. de Pœn. diffic. 7.* Diana *par. 2. tract. 4. resol. 91.* Rosign. *de Pœnit. par. 1. q. 2. art. 1. n. 21.* La Croix *lib. 6. par. 2. a n. 615.* cum pluribus ibi citatis, ubi solvit insuper argumenta contraria, & plurimi alii contra Arriagam *disp. 31. de Pœnit. sect. 6.* Spor. *loc. cit. num. 397.* & alios ab ipso citatos, & adductos a la Croix *loc. cit.* Et ratio nostræ conclusionis est, quia ex Trid. *cit. sess. 14. cap. 5.* peccata debent sic exponi Confessario, ut de ipsis possit efformare rectum judicium, & peccatori congruentem imponere Pœnitentiam, seu satisfactionem: Atqui Confessarius diversum efformat judicium circa peccatum certum, ac circa peccatum omnino dubium, ergo &c. Tum quia peccata sunt confitenda, uti sunt in conscientia Pœnitentis; ex eodem Conc. Trid. *loc. cit.* Dictum autem peccatum confessum solum ut dubium jam nunc est certum in conscientia Pœnitentis, nec ut certum est adhuc confessum, adeoque ut tale debet iterum confiteri, quamvis jam fuerit confessum ut dubium.

Qui confessus est peccatum mortale tamquam 132
certum, quale tunc putabat esse, quamvis postea judicet esse dubium, non tenetur iterum confiteri tamquam dubium, quia qui absolvitur a peccato certo, magis absolvitur a peccato dubio, cum sententia lata in illud ut certum afficiat, & exæquet totam rationem dubii quodammodo inclusam, & superatam in ratione certitudinis. *Communis*.

Item qui confessus est peccatum integre prout 133
commissum est, & prout erat in sua conscientia tempore Confessionis, quamvis pro tunc, & ipse, & Confessarius dubitaverit, an esset mortale vel veniale; non tenetur illud iterum confiteri, licet postea ipse, vel Confessarius comperiat, seu agnoscat fuisse mortale, quia jam integre suum manifestavit peccatum, nec ex modo confitendi determinavit Confessarium ad falso judicandum; Nec est necesse ad Confessionis valorem, quod Pœnitens, vel Confessarius sciat determinate peccatum confessum esse mortale, vel veniale; unde quamvis per accidens judicetur esse veniale, quando est mortale, adhuc valida est Confessio; dummodo

(*) Vide Append. num. 55.

modo Pœnitens dixerit factum peccaminosum , sicuti tunc in conscientia novit. Stoz. *lib.* 1. *par.* 5. *num.* 170. La Croix *loc. cit. num.* 619. Tamburin. *de Confessione lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 26. Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 68. Dicastill. *d.* 10. *numer.* 248. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3044. Bosco *d.* 7. *sect.* 8. *num.* 147. ubi dicit esse communem.

134 Pœnitens non potest , nec licite, nec valide confiteri Confessario absenti per litteras, aut nuncium, & ab eo absolvi , etiamsi reperiatur in articulo mortis , vel impotens ad accedendum ad illum . Scotus *in* 4. *dist.* 17. *quæst. unic. litt. Z.* & communis aliorum , & colligitur *ex cap. Quem pœnitet* 88. *de Pœnitent. dist.* 1. & expresse ex Clemente VIII. Const. incip. *Sanctissimus*. Vide verb. *Absens* , *art.* 4. *num.* 1.

135 Sic etiam invalida esset absolutio , si Confessarius Pœnitentem præsentem audiret , & postea per litteras eum absentem absolveret . Vide *d. verb. Absens* , *n.* 2.

136 Valida autem est Confessio , si per litteras Pœnitens mittat peccata Confessario absenti , qui ea legat , & huic factus præsens dicat : *Accuso me de peccatis illis , quæ scripsi , & peto absolvi* ; Sicuti etiam si præsens peccata scripta det Confessario legenda , & postea dicat , *de istis peccatis hic scriptis me accuso , & peto absolvi* . Non est tamen hoc faciendum sine rationabili causa . (*) Vide *dict. verb. Absens* , *num.* 3.

137 Immo volunt multi , hoc extra casum necessitatis esse illicitum . Vide *dict. verb. Absens* , *numer.* 4. * Confer num. 7. & 8. cum nostris adnotationibus . *

138 Confessio ex traditione , consuetudine , & usu Ecclesiæ debet regulariter , & ordinarie esse vo-
140 calis . *Communis* ex Concilio Florentino *in Decreto Eugenii IV. ad Armenos* , *ex Extravagant. Inter cunctas* , *de privilegiis* ubi habetur : *Nisi articulus necessitatis occurrat* , *Sacerdoti facienda est oris Confessio* , *prout scriptum est* : *corde ad justitiam creditur* , *ore autem fit Confessio ad salutem* , *& ex cap. Quem pœnitet* 88. *de Pœnitent. dist.* 1. ibi : *Præcepit Dominus mundandis* , *ut ostenderent ora Sacerdotibus* , *docens* , *corporali præsentia confitenda peccata* , *non per nuncium* , *non per scriptum manifestanda* , *quia si per vos peccatis* , *per vos erubescatis* ; *erubescentia enim ipsa partem habet remissionis*.

140 Unde graviter peccaret qui sine justa causa signis , vel nutibus solum confiteretur . *Communis*
141 cum Sporer *loc. citat. numer.* 489. Si perpetuo mutus possit scribere , aut si hoc non possit , possit saltem nutibus , & signis sua peccata in particulari aperire , cessetque periculum publicationis , teneatur ita scripto , nutibus , vel signis confiteri non tantum ex præcepto Divino in articulo mortis , sed etiam ex præcepto Ecclesiastico semel in anno . *Communis* , cum Sporer. *loc. cit. num.* 491. quamvis tamen extra articulum mortis non pauci id negent . Repugnante tamen S. Thoma , cujus locum in Addit. ad num. 84. attulimus.

Confessio est necessario reiteranda , quoties est 142
invalida , quod ex duplici capite accidere potest , scilicet ex parte Confessarii , & ex parte Pœnitentis . *Communis*.

Ex parte Confessarii invalida est, & reiteranda Con- 143
fessio , 1. Si Confessarius formam omisit , aut substantialiter vitiavit , vel intentionem actualem , aut virtualem absolvendi non habuit. 2. Si Confessarius non habeat Jurisdictionem 3. si Confessarius habeat jurisdictionem impeditam per Censuram , utpote si fuit excommunicatus vitandus , quatenus est publice denunciatus , vel notorius percussor Clerici. 4. Si nullum prorsus peccatum intellexit , quia tunc practice non habuit materiam , quam absolveret . *Communis*. (**)

Ex parte Pœnitentis est invalida , & reiteranda 144
Confessio , 1. Si Pœnitens confessus est sine dolore requisito , aut cum defectu alterius partis essentialis . 2. Si Pœnitens confessus est sine vero proposito se emendandi , seu cum voluntate adhuc peccandi mortaliter . 3. Si Pœnitens voluntarie , & culpabiliter tacuit in Confessione aliquod peccatum mortale , aut in re gravi , & necessaria mentitus fuit , verum negando , aut falsum dicendo . 4. Si Pœnitens in ipsa Confessione peccavit mortaliter , ut si eam fecit ad finem mortaliter malum cum injusta infamatione , vel detractione proximi , & hujusmodi . 5. Si Pœnitens mortaliter negligens fuit in examinanda sua conscientia de commissis peccatis . *Communis*.

Valida est (***) & non iteranda Confessio bona 145
fide facta Confessario quantumvis indocto , & ignaro , etiamsi inter mortale , & veniale discernere nequeat , immo etiamsi putasset aliquod peccatum esse veniale , quod tamen est mortale ; quia ad valorem Confessionis sufficit notitia peccati in communi , seu confuso , videlicet quod Pœnitens habeat peccatum . Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 121. Leander *tractat.* 9. *disc.* 5. *quæst.* 74. Tamburin. *lib.* 2. *cap.* 10. §. 3. Sporer *loc. cit. numer.* 496. cum Suarez , Sanchez , Layman ibi citatis , & alii passim . Invalida tamen , & iteranda 146
esset Confessio , si scienter , & ex malitia fiat cum eo , ut peccata discernere nesciat , & Pœnitenti mederi , ut oportet , non possit ; quia tunc Confessio ratione indispositionis , & malitiæ Pœnitentis fuisset mortaliter mala , & Sacrilega , adeoque tota repetenda esset . *Citati Doctores* , *& alii communiter*.

Item valida est , & non iteranda Confessio bo- 147

(*) E. R. Vide adnotationem adjectam verbo *Absens* .

(**) E. R. Adderem V. Si Confessarius ea , quæ ad Pœnitentiæ Sacramenti administrationem necessaria sunt , penitus ignoraverit . Etenim S. Carolus *in Instructionibus Confessorum* , inter ea quæ Confessiones nullas , atque iterandas constituunt , reponit ex parte Confessarii . *Si quæ sunt ad hoc Sacramentum ministrandum necessaria* , *penitus ignoraverit* .

(***) De opinionibus ab Auctore nostro numero hoc , proximisque propositis , vide Appendicem num. 57.

na fide facta Confessario surdastro, semidormienti, vel distracto, qui aliqua peccata etiam mortalia non intellexit sine omni culpa Pœnitentis, quia essentia, & effectus Sacramenti consistere potest absque integra, & specifica explicatione peccatorum, si ea absque ulla culpa Pœnitentis vere dispositi omittatur. Quod si Pœnitens postea advertat, tenetur in sequenti Confessione ea sola repetere, quæ probabiliter judicat, aut cognoscit non fuisse audita, & percepta. Sporer *loc. cit. numer.*497. cum supracitatis, Felix Potestas *l. c. n.*3173. & alii passim.

148 Si autem Pœnitens post talem Confessionem nesciat, quænam sint illa peccata, quæ Confessarius non audivit, vel non percepit, tenetur tunc repetere totam Confessionem, si illa sit brevis, & paucorum peccatorum, quia tunc prudenter debet, & potest dubitare, quod nulla intellexerit, aut perceperit. Si autem Confessio fuit prolixa, & multorum peccatorum, tunc non tenetur omnia repetere, sed satis erit se accusare in communi de illis peccatis mortalibus, quæ Confessarius non audivit, seu non percepit, quia in tanta multitudine peccatorum non potest prudenter dubitare, quod nulla intellexerit, aut perceperit; Diana *part.*4. *tract.*4. *resol.*198. Leander *tract.*5. *disput.*5. *quæst.* 86. Lugo *disp.*16. *a num.*607. Illsung *n.* 149. Sporer *loc. citat. numer.*497. Tamburin. *loc. citat. cap.* 10. §. 3. *num.* 5. Felix Potestas *loc. citat. numer.* 3174. *cum sequentibus*, ubi *sub num.* 3176. recte subjungit, quod Pœnitens tunc debet determinare materiam, quantum fieri potest, v. g. dicendo: *scio, vel dubito, an Confessarius audierit unum meum grave peccatum, vel aliqua gravia peccata, & nescio quale, vel qualia fuerint, sed tempore illo solebam confiteri tales, vel tales species peccatorum.*

149 Qui culpabiliter in Confessione aliquod peccatum mortale tacuit, & postea in aliis subsequentibus Confessionibus inculpabiliter est oblitus illius Sacrilegii, non tenetur ad omnes istas subsequentes Confessiones iterandas, quando talis Sacrilegii, seu sacrilege factæ Confessionis recordatur, sed solum tenetur ad iterandam illam, in qua per culpabilem reticentiam illius mortalis peccati sacrilegium commisit, quia aliæ Confessiones bona fide factæ post Confessionem illam sacrilegam, & invalidam, ratione bonæ fidei, & inculpabilis oblivionis illius sacrilegii jam fuerunt validæ, & fructuosæ. *Communis*.

150 Qui certus de mortali in Confessione omisso negative dubitat, an illud omiserit ex verecundia, an ex justa causa, tenetur cum illo reliquorum mortalium Confessionem repetere, quia certus est de præcepto confitendi hæc peccata, & dubitat de adimpletione, cum dubitet de valore Confessionis; Debito autem certo non satisfit per solutionem ita incertam, cum possessio stet pro debito; Moya *d.* 1. *quæst.* 8. *numer.* 17. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numer.* 1212. & alii plures contra paucos alios oppositum sentientes.

151 Qui inculpabiliter omisit in Confessione aliquam circumstantiam, etiam speciem mutantem, si talis circumstantia seorsim sufficienter declarari possit, non tenetur repetere totum peccatum, & multo minus totam Confessionem præteritam; La Croix *loc. citat. numer.* 1209. cum communi aliorum.

Qui culpabiliter fecit Confessionem invalidam, 152
undecumque provenerit invaliditas, tenetur totam Confessionem repetere. *Communis*. Si talis Confessio invalida, & sacrilega reiteretur apud Con- 153
fessarium diversum a primo, tunc debent necessario repeti apud hunc omnia, & singula mortalia distincte, & in particulari, ac si nunquam fuissent confessa, exprimendo sacrilegium, quod fecit. *Communis*.

Si autem Confessio invalida repetatur apud 154
eumdem Confessarium, & hic adhuc habeat distinctam memoriam peccatorum sibi confessorum, satis est, si Pœnitens defectum Confessionis aperiat, & in genere addat; *Etiam me accuso de omnibus peccatis in tali Confessione Sacrilega tibi confessis*. *Communis Doctorum*. Immo id verum est, 155
etiamsi Confessarius eorum peccatorum singillatim in specie, & numero non recordetur; Dummodo saltem confuse recordetur status Pœnitentis, ut convenientem Pœntentiam, medicinam, ac remedia præscribere possit. *Sic satis Communis sententia* cum S. Antonino, Navarro, Toleto, Emanuele Sà, Vasquez, aliisque citatis Layman *c.* 9. *n.* 6. Sporer *loc. cit.* n.103. La Croix *l. c. n.*1216. Felix Potestas *loc. cit. n.*3168. Mastrius *Theol. moral. disp.*1. *q.*8. *n.*198. cum pluribus aliis citatis, & alii passim.

Item hoc verum est, & sufficiens in repetendis 156
multis, & plurimis Confessionibus invalide factis apud eumdem Confessarium, sive invaliditas proveniat ex defectu doloris, sive ex defectu integritatis, sive ex aliis capitibus: Non enim opus est, ut Confessarius distincte, & in specie recordetur omnium illorum peccatorum sibi confessorum in dictis omnibus Confessionibus, sed sufficit, quod recordetur in confuso, & in communi status, ac vitæ Pœnitentis, quam tunc ducebat. Nec est necesse, quod Pœnitens omnia peccata repetat distincte, & singillatim, sed sufficit, quod in compendio, & generatim de omnibus se accuset, & defectus corrigat, dicendo verb. gr. *Accuso me de omnibus illis peccatis, quæ tibi confessus sum in cunctis sacrilegis Confessionibus tribus ab hinc annis usque ad hanc, a quo tempore bis ordinarie omni mense sacrilege confessus sum, & communicavi, quia reticueram malitiose istud peccatum, vel non habui verum dolorem, & propositum*, & hujusmodi: Sic enim Confessio adhuc erit formaliter integra, & Confessarius, ut supponimus, sufficientem notitiam habet, ac memoriam peccatorum, quæ absolutioni Sacramentali modo subjiciuntur. Ita Navar. Silvester, Vasq. Valentia, Henriquez, Toletus, Bonacina, Reginaldus, Layman, Caspensis, Aversa, & alii passim citati, & secuti a Mastrio *loc. citat. num.* 198. Sporer *loc. citat. numer.* 503. Felix Potestas *loc. citat. numer.* 3170. La Croix *loc. citat. a num.* 1216. cum pluribus aliis.

Si vero Confessarius nequidem in confuso, & in 157
com-

communi recordetur status, ac vitæ pœnitentis quam tunc ducebat, aut Pœnitentiæ a se ipsi impositæ, tunc Pœnitens tenetur saltem ita distincte repetere peccata in aliis Confessionibus confessa, ut ex ipsis, & aliis modo confessis possit iterum formare judicium saltem confusum de statu Pœnitentis, & ipsi congruam injungere Pœnitentiam; Lugo *disput.* 16. *num.*642. Aversa *quæst.* 10. *sect.* 20. La Croix *loc. citat. num.* 1218. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3168. Cum Divo Th. Mastrio, Bonacina, Navarr. & aliis ibi citatis.

158 Præceptum Confessionis tum Divinum, tum Ecclesiasticum obligat omnes Fideles peccato mortali obnoxios, adeoque etiam Hæreticos, & pueros doli capaces. *Communis*.

159 Præceptum Divinum Confessionis obligat per se potissimum in articulo mortis, ac quolibet ejus morali periculo, idest quando quis infirmus est infirmitate mortali, vel est adjudicatus morti, vel ingreditur periculosum mortale bellum, aut periculosam navigationem; seu quando mulier tenera est proxime paritura, vel alias est jam experta habere partus difficiles, & periculosos, & hujusmodi. *Communis*. Et ratio est, quia non est assignabile aliud tempus, in quo hoc Divinum præceptum potius obliget, quam in mortis articulo, seu periculo, a quo pendet nostra æterna salus, propter quam Sacramentalis Confessio instituta est & præcepta, juxta Concil. Trident. *sess.* 24. *Canon.* 6. ibi: *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit*: Tum quia nisi tunc saltem homo peccato mortali obnoxius confiteatur, nunquam implebitur præceptum, aut certe homo exponet se periculo certo, vel probabili nunquam implendi hoc Divinum præceptum, cum, secuta morte, amplius adimpleri non possit, adeoque &c.

160 Per accidens autem præceptum Divinum de habenda Confessione Sacramentali obligat, quando sumendum est aliud Sacramentum respectu eorum, qui sibi conscii sunt peccati mortalis, & præsertim quoties sumendum est Sacramentum Eucharistiæ, juxta illud Apostoli 1. *Ad Corinth. cap.* 11. ibi: *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de calice bibat*. Unde quandoque etiam per vitæ decursum, atque extra articulum, & periculum mortis obligare Divinum præceptum Confessionis Sacramentalis colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. ubi sic habet: *Unde cum a Sanctissimis, & Antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a Divino mandato alienam, inventum humanum esse atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse dicere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod Jure Divino necessarium, & institutum esse intellexerat. Sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur*. Ex quibus verbis clare colligitur, quod Ecclesia semper intellexerit, Præceptum Confessionis, quandoque extra mortis articulum, & periculum obligare Jure Divino, & cum tempus illud non fuerit præcise; & expresse determinatum a Christo Domino, illud designavit Ecclesia statuendo, quod *omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*. Sic expresse *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnitentiis, & remissionibus*. Sic Mastrius *Theolog. Moral. disput.* 21. *quæst.* 8. *art.* 1. *num.* 160. cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 10. *dist.* 3. *quæst.* 1. *num.* 11. & 12. La Croix *libr.* 6. *part.* 2. *numer.* 2023. & alii passim.

Præceptum Confessionis Ecclesiasticum obligat omnes Fideles, etiam Hæreticos, & pueros doli capaces ad semel saltem in anno confitenda omnia peccata sua mortalia. *Communis*, & habetur expresse ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. celebrato, & relato *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *de Pœnitentiis, & remissionibus*, ibi: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*. Et definivit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *Canon.* 8. ibi: *Si quis dixerit, Confessionem peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam a piis abolendam, ut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, & ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit*. 161

Dicitur notanter in conclusione, *omnia peccata sua mortalia*, quia nullum datur præceptum, ne Ecclesiasticum quidem, obligans omnes Fideles ad Confessionem peccatorum venialium. *Communis* cum Sporer *loc. cit. num.* 371. contra aliquos antiquos, & habetur clare ex Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Venialia, quibus a Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*. Quamvis autem non habentes ullum peccatum mortale nullo præcepto obligentur per se ad Confessionem annuam venialium, tamen, quia qui sub prætextu carentiæ peccati mortalis, omitterent penitus Confessionem, non leve præberent fundamentum sinistræ suspicionis, censetur per accidens ad ipsam obligari ratione scandali, quod semper fere timendum esset. Sic Escobar, & alii apud Sporer *loc. cit. num.* 527, Eo vel maxime, quod S. Bonaventura, Abulensis, 162 163

sis, Richardus, Nugnus, Rhod. aliique apud Avers. *quæst.* 15. *sect.* 3. dicunt, habentes tantum venialia nihilominus obligari ad Confessionem annuam, quia Ecclesia absolute præcipit Confessionem, adeoque, si non habeant mortalia, tenebuntur ad confitenda venialia, quam sententiam vocat probabilem Gobat *in Experient. tract.* 4. *numer.* 340.

(*) Huc pertinent quæ habet S.Thomas in lib.IV. sent. dist. XVII. quæst. III. art. I. quæstiunc. 3. ad 3. scribens: „ Dicendum quod ex vi sacramenti „ non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex „ institutione Ecclesiæ, quando non habet alia „ quæ confiteatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia, quod „ patet ex hoc, quod dicit, quod debet omnia „ peccata confiteri, quod de venialibus intelligi „ non potest, quia nullus omnia confiteri potest: „ & secundum hoc etiam ille, qui non habet „ mortalia, non teneretur ad confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se „ ostendat absque conscientia mortalis esse, & „ hoc ei pro confessione reputatur „. (*)

164 Qui pluries in anno confessus est peccata sola venialia, si die ultima anni peccat mortaliter, vel recordetur peccati mortalis non confessi, tenetur illa ultima die confiteri ad satisfaciendum præcepto, cui necdum satisfecit, cum Confessio venialium non sit materia præcepti. Vasquez, Reginaldus, Layman, Bonacina, Lugo, Arriaga, Aversa, Castropalaus, cum la Croix *l.* 6. *part.* 2.
165 *d.* 2040. & alii passim contra paucos. Qui tamen mortale peccatum anno præcedente commissum, & per oblivionem omissum, hoc anno confessus est, satisfecit præcepto, quia licet tale peccatum remissum esset indirecte, adhuc tamen erat materia necessaria hujus Confessionis, ut remitteretur directe. La Croix *loc. cit. n.* 2041. & alii pas-
266 sim. Qui per annum saltem semel confessus est mortale dubium cum venialibus, satisfecit præcepto, nec tenetur iterum confiteri, quamvis postea incidat in mortale certum, quia erat obligatio confitendi illud peccatum dubium, adeoque posuit materiam præcepti, Lugo *disp.* 15. *num.* 169. Dicastill. *dist.* 7. *num.* 135. La Croix *loc. cit.* & alii passim.

167 Annus pro implendo hoc præcepto secundum Vasquez, Nugnum, Silv. Castrop. Lug. Rhod. Dicastill. Gorm. Bosc. & alios cum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 81. computandus est a die prima Januarii usque ad ultimam Decemb. quia nomine anni per præceptum expressi in communi acceptione intelligitur illud tempus, quod a prima die Januarii decurrit usque ad ultimam diem Decembris; Secundum autem Sotum, Navarrum, Suarex, Coninch, Layman, Fagundez, Bonacinam, Arriag. Avers. Tannerum, & alios computandus est a Paschate ad alterum Pascha, ita ut, qui post Paschalem hanc Confessionem in peccatum mortale lapsus est, ejus Confessionem usque ad sequens Pascha differre possit, & non amplius, citra peccatum mortale. Et hæc opinio est communior, & Ecclesiasticæ consuetudini conformior, ut recte notant Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. Coninch *disp.* 5. *dub.* 6. Tannerus *disp.* 6. *q.* 7. Layman *cap.* 5. *n.* 8. Sporer *loc. cit. n.* 534. & alii. Et de facto id confirmat praxis Ecclesiæ, siquidem eo solo tempore Pastores a Fidelibus suis Confessionem peccatorum intra annum commissorum exigere solent; *arg. Extravagant. Vices illius, de Tregua, & pace*, ubi dicitur, *De Jure* (idest *cap. Omnis utriusque* 12. *de Pœnitentiis, & remissionibus*) *tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti*.

Præceptum annuæ Confessionis potest per se 168 adimpleri in quocumque anni tempore, nec obligat per se tempore Paschali, sed solum per accidens, ratione Communionis Paschalis, quam Confessio peccatorum mortalium necessario præcedere debet. *Sic communior, & probabilior sententia* cum Soto, Victor. Henriq. Sa, Vasquez, Valentia, Coninch, Bonacina, Layman, Filliuc. Castropal. Lug. Dicastill. Arriag. Tamburin. Bosc. Gorm. citatis, & secutis a La Croix *loc. cit. n.* 2042. Sporer *loc. cit. n.* 535. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 10. *dist.* 3. *quæst.* 2. *n.* 15. & 16. & alii passim contra P. Sot. Suarez, Fagund. & alios; Et ratio est; quia Concilium Lateranense *in cit. cap. Omnis utriusque sexus* aliter statuit de annua Confessione, & aliter de Sacra Communione: De Sacra enim Communione statuit, quod ad minus in Pascha suscipiatur: *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*; De annua Confessione vero, quod saltem semel in anno habeatur: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur*: Quæ verba nisi ad alienum sensum torqueantur, satis clare significant tempus præcepti pro Confessione esse totum annum, ut recte intelligunt La Croix *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. cit.* aliique supracitati.

Nec obstat communis consuetudo confitendi in 169 Paschate, & quod tunc Pastores soleant a suis fidelibus Parochianis exigere testimonium Confessionis, & quod *in cit. Extravagant. Vices illius, de Tregua, & pace*, dicatur quod *de Jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti*, quia legenti contextum patet, mentem Pontificis fuisse tantum dicere, quod saltem semel in anno debeat Parochianus recognoscere Parochum, quod si alias non fecerit, debeat in Paschate, de quo ideo specialiter meminit, quia tunc solent omnes confiteri, & qui est in mortali, per accidens tenetur ratione Communionis, cujus dignæ perceptioni, habita copia Confessarii, præmittenda est Confessio Sacramentalis, nec sufficit sola Contritio de commisso peccato mortali, pro ut declaravit Concilium Trident. *sess.* 13. *cap.* 7.

Unde si quis sive culpabiliter, sive ob legitimum 170 impedimentum in Paschate non est confessus, is tenetur postea per anni decursum confiteri, quia hoc præceptum urget toto anno. Sic Doctores citati. Qui toto anno non confitetur sine justa cau- 171 sa, peccat mortaliter, quia transgreditur præceptum in re gravissima. *Communis*. Insuper qui cul- 172 pabiliter non confitetur semel in anno, vivens inter-

interdicitur ingressu Ecclesiæ, & moriens privatur Ecclesiastica sepultura, *citat. cap. Omnis utriusque*
173 *sexus* 12. *de Pœnitentiis, & remissionibus*. Ipse tamen non adimplens præceptum annuæ Confessionis non est ipso Jure interdictus, sed interdicendus. Unde, si ante declarationem moriatur, non est privandus Ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum Synodale in contrarium. Vide verb. *Eucharistia num.* 24. *& verb. Pascha n.* 19. *&* 20.

174 Qui sive justa, sive injusta de causa Confessionem annuam omisit, tenetur postea confiteri, cum primum commode poterit. Sic Sporer *l. c. num.* 536. ubi dicit esse hanc communiorem, & sibi omnino veram sententiam cum Navarro, Suar. Coninch. Layman Gobat. & aliis, quam ut probabiliorem defendit etiam La Croix *lib.6.par.2. num.* 2046. cum plurimis ibi citatis contra S. Antoninum, Silvestrum, & alios non paucos. Vide verb. Pascha *num.* 21. *&* 22.

175 Quo quis diutius differt Confessionem ultra annum, probabilius est eo gravius peccare, quia longius recedit ab intentione præcepti jubentis Confessionem fieri saltem semel quolibet anno; Dilationem tamen illam esse unicum peccatum continuatum, tenent Valentia, Coninch. Nugnus, Laym. Diana, Silvest. & alii cum Aversa apud La Croix *l. c. n.* 2044. Sporer *l. c. n.* 536. & plures alii contra Bonacinam, Vasq. Suarez, & alios volentes, talem peccare toties mortaliter, quoties occasionem commodam confitendi oblatam negligit.

176 Qui pluribus annis jam elapsis non est confessus, confitendo prima, vel secunda die, vel alia hujus currentis anni, valet hæc sua unica Confessio, tam pro hoc anno, quam pro omnibus annis præteritis, quia per unicam hanc Confessionem obtinet finem præcepti, qui est reconciliatio cum Deo per Confessionem omnium mortalium eousque commissorum. La Croix *loc. cit. num.* 2047. cum Aversa, Bosco, Gorm. ibi citatis, Sporer *loc. cit. num.* 533. Lugo *disp.* 15. *n.* 180.
177 & alii. Si autem adhuc ante finem hujus anni relaberetur in mortale, probabilius obligaretur ad iterum confitendum hoc anno, quia priori Confessione censetur satisfecisse obligationi præcedentis anni, cujus obligatio necdum erat sublata; adeoque, si iterum peccaret mortaliter, cum nova adveniret obligatio per novum peccatum, iterum confiteri obligabitur; La Croix *loc. cit. num.* 2047. cum Suarez, Nugn. Coninch, Hurtad. Filliuc. Bonacina, Laym. Aversa ibi citatis, Sporer *loc. cit. num.* 536. ubi cum Coninch & Layman omnino certam putat hanc sententiam, quidquid negent alii.

178 Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis non satisfit per Confessionem voluntarie nullam, & scienter invalidam, & sacrilegam. Unde Alexander VIII. die 24. Septebr. 1665. inter alias merito damnavit sequentem propositionem 14. in ordine, ibi: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ*.

179 Præcepto annuæ Confessionis potest satisfieri confitendo, tum proprio Parocho, tum aliis Confessariis, legitime approbatis, sive sæcularibus, sive regularibus. *Communis*. Quamvis enim esset olim obligatio confitendi proprio Parocho, ex quo Concilium Lateranense relat. *in cap. Omnis utriusque sexus* dicat, *Confiteatur proprio Sacerdoti*, tamen nunc certo satisfaciunt, qui confitentur Regularibus legitime approbatis, ut patet ex Bulla 22. Leonis X. incip. *Dum intra mentis arcana* §. 6. Bulla 48. Pauli III. incip. *Licet debitum*; Item ex Extravag. Joan. XXII. inc. *Vas electionis, de Hæreticis*, item ex Extravag. Bened. XI. inc. *Inter cunctas, de privilegiis*, Item ex Constitutione Clementis VII. incip. *Significatum fuit nobis* cum similibus. Unde Alexander VIII. *die* 21. *Augusti* 1690 merito damnavit sequentem propositionem 20. in ordine, ibi: *Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ*. Non suf- 180
ficit tamen Confessio facta Regulari, qui pro approbatione se præsentavit Episcopo, & fuit injuste reprobatus, ut expresse habetur ex sequenti propositione 13. in ordine, inter merito damnatas ab Alex. VII. *die* 24. *Septembr.* 1665. ibi: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*.

Alia. Vide verb. *Absolutio*, verb. *Approbatio*, 181
verb. *Confessarius*, verb. *Sigillum*.

* Moriturum, qui, antequam incidat subitus 821
ægritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, & postquam supervenit Confessarius nullo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior & tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolute; hæc enim tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus & ambigua contritionis signa præbuit. *De Synodo Diœc. lib.*7. *cap.*15. §.8. *nov. edit.*

Si vero ex nullo testimonio constet, illum ante 183
casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse, & petiisse Confessionem, adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christiane vixerit; nam acta Christianæ vitæ totidem sunt voces, quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, & contritionem exhibuerit; & nisi sint præsentes actus pœnitentis, per vitam illam antea christiane actam præcessisse dicendi essent, & tunc pro præsentibus haberi, quemadmodum præsens censetur contritio ante subitum mortis casum præmissa. *De Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 15. §. 10. *nov. edit.*

Sunt etiam qui velint, neque iis negandam ab- 184
solutionem sub conditione, qui licet male vixerint, tamen Catholicam Fidem retinuerunt, & pro Catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxior videtur. *Ibid.* §.13.

AR-

Articulus III.

Quoad ea, quæ concernunt satisfactionem Sacramentalem, seu Pœnitentiam.

1 Satisfactio Sacramentalis est solutio, seu compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam consistens in operibus bonis, & pœnalibus a Confessario taxatis in Sacramento Pœnitentiæ. *Est in re Communis.*

2 Effectus satisfactionis Sacramentalis est remissio pœnæ temporalis, quia ipsa præter generalem virtutem satisfactoriam cujuscumque boni operis in gratia facti ex opere operantis, habet virtutem specialem ex opere operato compensandi, & delendi partem pœnæ temporalis peccatis debitæ, quam non haberet, si illud opus esset voluntarie assumptum, aut aliunde impositum. *Communis* ex Concil. Trident. *sess.*14. *c.* 3. *&* 8. *& Canon.* 12. 13. 14. *&* 15. Cum enim sit pars integralis Sacramenti a Christo specialiter instituta ad satisfactionem pœnæ, debet virtute Sacramentali habere aliquem effectum ex opere operato, quem alias non haberet.

3 An autem satisfactio Sacramentalis a Confessario imposita remittat totam pœnam temporalem peccatis debitam, ita ut satisfactione peracta, nihil amplius remaneat Pœnitenti luendum in Purgatorio? Variant Doctores. Affirmativam sententiam tenent Major, Sotus, Medina, Hurtadus, & alii apud Mastrium *in Theol. moral. disp.*21. *num.* 267.

4 Oppositam negativam sententiam tamquam probabiliorem, & communiorem defendunt Suarez, Vasquez, Lugo, Bonacina, Aversa, Meratius, Valentia, Nugnus, Reginaldus, Caspensis, & ex Scotistis Aretinus, & alii passim citati, & secuti ab ipso Mastrio *loc. cit. numer.* 267. Et ratio hujus nostræ probabilioris, & communioris sententiæ est, quia admissa contraria sententia, sequeretur, quod quicumque decederet ex hac vita paulo post Confessionem, Pœnitentia peracta, nullas omnino pœnas luere deberet in Purgatorio, quod est alienum a communi sensu Ecclesiæ; Sic enim negligerentur penitus Indulgentiæ, & alia opera bona; Tum quia nullus Confessarius quantumvis prudens, & doctus certo scit, qua mensura puniantur peccata in Purgatorio, & quanta pœna cuicumque peccato correspondeat, & qualis satisfactio Sacramentalis correspondeat tantæ pœnæ Purgatorii, adeoque ut recte argumentatur Mastrius *loc. c.* non potest inferri, ut prætendunt adversarii, quod per satisfactionem a Confessario taxatam etiam prudenti judicio juxta peccatorum gravitatem, tollatur omnis pœna peccato debita, ita ut Pœnitenti, peracta satisfactione, nihil in Purgatorio luendum remaneat.

5 Unde dicendum est, quod per satisfactionem Sacramentalem non remittitur tota pœna temporalis, sed eo major vel minor pœna remittitur, quo major, vel minor fuerit satisfactio, & quo majori, vel minori dispositione fuerit adimpleta. Sic Mastrius *loc. citat. num.* 268. Henno *tom.* 2. *tract. de Pœnitent. disp.* 6. *quæst.* 5. *conclus.*3. Lugo *disput.* 25. *num.* 26. *&* 27. La Croix *lib.*6. *part.* 2. *num.* 1237. & alii. Et ratio primæ partis est, quia, si parva satisfactio remittit ex opere operato aliquid pœnæ temporalis, quia virtute Clavium est ad id elevata, plus sine dubio remittet satisfactio major, cum sit etiam secundum se totam elevata. Ratio autem secundæ partis est, quia, sicut idem Sacramentum cum majori dispositione susceptum plus de Gratia confert, ut expresse docet Concil. Trident. *sess.*6. *cap.*7. ubi loquens de adultorum justificatione per Sacramenta, dicit, illos justitiam recipere *secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*, ita & hæc pars Sacramenti plus de pœna remittit, quando fit cum majori dispositione; & e contra minus remittit, quando fit, seu adimpletur cum minori dispositione; Est enim discurrendum de effectu satisfactionis Sacramentalis proportionate ad effectum Sacramentorum.

An vero satisfactio Sacramentalis, ut effectum suum sortiatur, debeat necessario adimpleri a Pœnitente in statu Gratiæ, vel etiam sufficiat ad talem effectum, quamvis adimpleatur in statu peccati mortalis? Tres sunt Doctorum sententiæ. Prima absolute negat, satisfactionem Sacramentalem in statu peccati adimpletam suum sortiri effectum, non solum pro eo tunc, sed nec etiam postea, remoto obice peccati, & succedente statu Gratiæ, & pro hac citantur D. Thom. Richardus, Capreolus, Adrianus, Valentia, Ledesma, Hurtadus, & alii quamplures apud Mastrium *loc. cit. num.*276. & apud La Croix *lib.* 6. *par.*2. *num.* 1245. Secunda absolute affirmat, satisfactionem Sacramentalem in statu peccati mortalis adimpletam etiam tunc suum sortiri effectum, remittendo scilicet pœnam illi proportionatam, non obstante tali statu peccati mortalis, in quo adimpletur. Sic Scotus *in* 4. *dist.*15. *q.* 1. *num.*26. quem secuti sunt, non solum Scotistæ omnes, tam veteres, quam recentiores, sed etiam Gabriel, Marsilius, Medina, Navarrus, Vasquez, Diana, Amicus, & alii quamplures apud Mastr. *loc. cit. num.* 276. *& seq.* ubi hanc late propugnat, & apud La Croix *loc. citat.* Tertia, media via procedens, negat quidem satisfactionem Sacramentalem in statu peccati mortalis adimpletam sortiri suum effectum, nempe remissionem pœnæ pro tunc, scilicet statu peccati mortalis; At vero affirmat talem suum effectum sortiri postea, ablato obice peccati mortalis, seu recuperato statu Gratiæ. Sic Cajetanus Petrus Soto, Henriquez, Suarez, Coninchius, Lugo, Aversa, & alii recentiores apud Mastrium *loc. cit. num.* 276. Layman *lib.*5. *tr.* 6. *cap.* 15. *numer.*15. cum aliis ibi citatis, Rosignolus *de Pœnitentia part.* 1. *quæst.* 5. *art.* 11. *num.* 7. *&* 9. cum aliis ibi citatis, Viva *ad prop.* 18. *Alexand. VIII. num.* 14. & alii plures, & ex Scotistis Sporer *tom.*3. *part.*3. *cap.*4. *quæst.* 1. *num.* 140. *& seq.* Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3190. *& sequent.* Et hæc opinio videtur jam communior, & probabilior. 6

Unde probatur specialiter, quod, durante statu peccati mortalis, satisfactio Sacramentalis non sortiatur suum effectum, quia effectus primarius satis- 7

satisfactionis Sacramentalis est remissio pœnæ temporalis; sed existens in peccato mortali pro eo tempore, quo in eodem existit, non potest mereri talem remissionem, ergo &c. Major est certa. Probatur minor, quia, qui dignus est pœna æterna, non est dignus, ut obtineat remissionem pœnæ temporalis, cum non possit remitti temporalis, nisi; prius remissa culpa mortali, pœna æterna ipsi debita commutata sit in pœnam temporalem, & sic sola ipsa pœna temporalis luenda supersit, adeoque &c. Tum quia remissio pœnæ temporalis, est effectus secundarius Sacramenti, ideoque pendere videtur a permanentia effectus principalis, ac primarii, qui est remissio culpæ mortalis per infusionem Gratiæ sanctificantis.

8 Item probatur specialiter, quod ablato obice peccati mortalis, seu recuperato statu Gratiæ, satisfactio Sacramentalis sortiatur suum effectum, quia satisfactio injuncta a Confessario virtute Clavium, ut definitur a Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. est pars Sacramenti Pœnitentiæ, & confert ad perfectam peccatorum remissionem in ordine ad pœnam temporalem pro eisdem debitam; sed Sacramenta, quæ suum producunt effectum ex opere operato, si illud non obtinent, extante obice, obtinent postea, eodem obice ablato, & remoto: ergo hoc idem dicendum est de satisfactione Sacramentali, quæ ut pars Sacramenti operatur virtute Clavium, & ex opere operato, adeoque licet satisfactio Sacramentalis adimpleta in statu peccati mortalis non potuerit pro tunc sortiri suum effectum, stante obice peccati mortalis; ipsum tamen suum effectum sortietur, recedente, seu remoto obice dicti peccati mortalis; alias non causaret dictam remissionem pœnæ temporalis ex opere operato. Ex occasione autem num. 7. & 8. non omittendum, bona opera ratione peccati lethalis alia esse mortua, & alia mortificata. Prima sunt quæ fiunt in peccato mortali, quod est mors animæ; unde dicuntur nasci mortua, & reviviscere impossibilia. Secunda sunt, quæ facta fuerunt in gratia, quæ est vita animæ; iis tamen accessit peccatum mortale, ob quod rationem meriti ad vitam deperdunt æternam, utpote tamen nata viva, recedente lethali reviviscunt: Hinc prodiere versus:

Illa reviviscunt, quæ mortificata fuere.
Vivere non possunt, quæ mortua nata fuere.

Bona autem opera mortua, licet non prosint ad vitam æternam, nec per pœnitentiam reviviscant, juvant tamen ad alia, juxta versus Glossæ *cap. quod quidam* 5. *de Pœnitentiis, & remiss. verb. Pœnitentia.*

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ.
Cor faciunt humile, & minuunt tormenta gehennæ.

9 Satisfactio, seu Pœnitentia Sacramentalis adimpleta, seu peracta in statu peccati mortalis sufficit ad integritatem Sacramenti, & ad implendum præceptum Confessarii de persolvenda Pœnitentia. *Communis*. Et ratio est, quia Confessarius præcipit opus, & non modum, & ipse Pœnitens illud implet quo ad substantiam, cum ponat totum opus præceptum: Tum quia talis est communis sensus, & praxis Fidelium, qui nec solent Pœnitentias in statu peccati peractas repetere, nec a Confessariis obligari ad ipsas repetendas.

10 Confessarius per se loquendo tenetur sub gravi injungere Pœnitenti aliquam satisfactionem, seu Pœnitentiam. *Communis*, & patet ex verbis præceptivis Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere*. Unde idem Concilium *citat. sess.* 14. *cap.* 3. *& Canon.* 4. enumerat satisfactionem inter partes Sacramenti Pœnitentiæ.

11 Et quidem licet satisfactio in esse exhibito, seu in actuali executione posita, sit solum pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ; satisfactio tamen in voto, idest propositum saltem implicitum satisfaciendi, potest dici pars essentialis ipsius se tenens ex parte materiæ proximæ, in quantum hoc sublato (idest si Pœnitens tale propositum saltem implicitum non haberet, sed contrariam voluntatem) non conficeretur Sacramentum, cum qui contritus, vel attritus confitetur, debeat habere etiam votum, & propositum satisfaciendi, idest solvendi pœnam post absolutionem remanentem: nam si peccator tale propositum saltem implicitum non haberet, sed potius voluntatem contrariam, Sacramentum non conficeretur. Scotus *in* 4. *dist.*16. *quæst.*1. *litt. E.* Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 21. *quæst.*11. *art.*1. *num.* 264. *& in* 4. *disp.* 5. *num.* 569. cum aliis, Felix Potestas *t.*1. *par.* 4. *numer.*3180. & alii.

12 Hinc Pœnitens sub gravi obligatione ex genere suo mortali tenetur acceptare, & implere Pœnitentiam rationabilem obligatorie impositam a Confessario, ita ut, qui nullam penitus acceptare vellet, non posset absolvi, quia non esset dispositus, nec verum dolorem haberet. *Sic Communissima Doctorum sententia omnino vera, Conciliis conformis, & in praxi omnimode tenenda*: teste Sporer *loc. c. num.* 547. contra Medinam, Sotum, Cajetanum, Silvestrum, Armillam, Navarrum, & paucos alios.

13 Probatur nostra Conclusio ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. ubi ex verbis Christi *Matt.* 18. *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis*, & Joannis 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt*; concludit in Confessariis esse potestatem ligandi, non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam ac satisfactionem, ibi: *Habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nostræ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam in præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem; Nam claves Sacerdotum, non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum con-*

concessas antiqui Patres, & credunt, & docent: Ex quibus verbis clare patet, non posse Pœnitentes rationabilem Pœnitentiam respuere, cum in Judice potestas imponendi supponat in reo obligationem acceptandi. Unde hæc veritas temerarie jam negaretur, inquit Suarez; Immo Victoria, & quidam alii volunt esse de Fide, ob cit. Conc. Trid. textum, ut notat Henno *tom. 2. tract. de Pœnitentia disp. 6. q. 2. concl.* 1.

14 Nec valet objicere, quod etiam Scotus *in 4. dist. 15. q. 1. §. De secundo principali, & dist. 19. §. Ad quæstionem, litt. D.* uti a pluribus etiam Scotistis intelligitur, & citatur, teneat Pœnitentem posse Pœnitentiam non acceptare, & absolvi, si dicat velle pœnam solvere in Purgatorio. Non valet, quia Scotus tantum vult absolvendum esse ex caritate Pœnitentem, qui ex nimia animi fragilitate respueret omnem Pœnitentiam peccatis condignam, si aliunde esset dispositus, ubi non vult *omnem Pœnitentiam simpliciter*, sed *omnem Pœnitentiam condignam*, ut satis explicat *in Reportat. Col. dist. 19. q. 1. n.* 14. indicans quod alibi loqueretur de eo qui nollet recipere Pœnitentiam *ullam, de quacumque imposita, quæ esset condigna*, ut expresse notant Henno *loc. c. conc.* 1. & Herincx *disp. 4. de satisfact. num.*15. Sanning *dist.*12. *quæst.* 2. *n.* 10. & 11. Reiffenstuel *tract.* 14. *distinct.* 10. *quæst.* 1. *num.*12. & alii; Tum quia, ut recte observat Mastrius *in Theolog. moral. disp.* 21. *qu.* 11. *art.* 3. *numer.* 282. certum est etiam de mente Scoti simpliciter, & absolute loquendo Pœnitentem obligari ad acceptandam, & implendam Pœnitentiam sibi rationabiliter a Confessario impositam; nec posse licite illam respuere; & satisfactionem in Purgatorio implendam reservare, quia *cit. dist.* 19. Scotus dicit Pœnitentem teneri Pœnitentiam acceptatam adimplere sub pœna peccati; quæ obligatio nulla esset, nisi potestas ligandi obligationem induceret, in qua potestate fundatur hæc obligatio ex parte pœnitentis, non autem in sola ipsius acceptatione, ut innuit Scotus illis verbis: *Tunc enim obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntarie submisit*: quibus verbis significat hanc obligationem oriri ex impositione ipsa, & jussione Confessarii, ne dicatur potestas Confessarii coarctata, & subjecta ad consensum ipsius Pœnitentis, ut solum possit obligare, quando alter vult obligari. Hæc Mastrius *loc. citat. num.* 282.

15 Potest tamen Pœnitens ex aliqua rationabili causa, v. g. quia ipse commode secundum suum statum, & conditionem peragere nequit, licite hanc, vel illam in particulari Pœnitentiam respuere, veluti sibi non convenientem, ac rogare Confessarium, ut aliam mitiorem, sibique convenientiorem imponat, ut docet Scotus *in 4. dist. 15. qu. 1. litt. M.* & communis Doctorum, quia ex Tridentino *cit. sess. 14. cap.* 8. Pœnitentiæ a Confessario injungendæ debent esse salutares, & convenientes statui, seu facultati Pœnitentium, ibi: *Pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares, & convenientes Pœnitentias injungere.*

16 Pœnitens tenetur satisfactionem, seu Pœnitentiam acceptatam adimplere, & quidem sub gravi peccato, si sit gravis, & pro gravibus peccatis, sub levi autem, si sit levis & pro peccatis venialibus, aut mortalibus jam antea confessis, & remissis. *Communis*. Et quidem prima pars de gravi obligatione eam adimplendi, si Pœnitentia sit gravis, & pro gravibus peccatis imposita, patet *ex cap. Omnes utriusque sexus* 12. *de Pœnitentiis, & remissionibus*, ubi cuilibet Pœnitenti præcipitur, quod injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. Et ratio est, quia cum Pœnitentia gravis sit quid notabile, tum ex parte materiæ, tum ex radice impositionis, quæ sunt gravia peccata, tum etiam ex parte Confessarii imponentis, qui censetur velle obligationem proportionare materiæ, stat certum, quod Pœnitens ad eam graviter obligatur: Secunda autem pars de levi obligatione eam adimplendi, si Pœnitentia sit levis, & pro peccatis venialibus, aut mortalibus jam antea confessis, & remissis imposita, de se patet, quia cum Pœnitentia ex omni assignato capite sit levis, non est unde graviter obliget, cum etiam hic levitas materiæ excuset a mortali.

(*) Vide Appendicem num. 60. Quæ pariter proximis numeris traduntur, ad probatiorum Theologorum dogmata exigi omnino debent. (*)

Pœnitens tenetur implere Pœnitentiam tempore, vel termino sibi a Confessario præfixo, & determinato. *Communis*. Potest tamen talis termini dilatio facile excusari a mortali, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam præstandam, quam in tempus præfixum, & determinatum: Hinc Doctores recte a mortali excusant eum, qui jussus a Confessario jejunare hac die Veneris, v. gr. differt in diem Veneris sequentem; Item si jussus communicare singulis mensibus mense finito, differt ad sex, vel octo dies, præsertim ex causa, quamvis levi. Diana *par. 9. tract. 7. resol.* 57. Sporer *loc. c. num.* 577. & alii passim. 17 18

Si terminus a Confessario præfixus non sit, tenetur Pœnitens Pœnitentiam implere quam primum commode moraliter potest. *Communis*, quia cum adimpletio seu executio Pœnitentiæ sit pars integralis, non potest sine justa causa diutius differri; Unde quamvis sit leve peccatum ipsam adimpletionem Pœnitentiæ differre ad duos, vel tres, aut quatuor, vel quinque dies plus minusve, tamen peccatum grave erit, si nimium, & ad longum tempus differatur, præsertim si prævideatur impotentia, seu oblivio eam adimplendi, aut si Pœnitentia implenda ipsa dilatione minuatur, uti esset, si alicui essent pro Pœnitentia impositæ certæ quotidianæ perpetuæ preces, ut quinque Pater, Corona, Rosarium, & hujusmodi; Tunc enim ad octiduum sine justa causa a mortali excusant plerique apud Spor. *loc. c. num.* 578. ubi addit, quod ipse aliquid amplius concederet, reprobatque Dianam dicentem *loc. c.* Pœnitentiam sine mortali differri posse usque ad annum, quod tamen ultra Dianam tenent etiam Leander, Escobar, Henriq. Fernand. & alii apud Felicem Potest. *loc. citat. n.* 3188. 19 20

Pœnitens potest adimplere Pœnitentiam, quando adimplet aliud opus præceptum, modo Pœnitentia, & aliud opus se invicem non excludunt, Unde dum quis v. g. audit Missam de præcepto, 21

potest

potest recitare certas preces sibi pro Pœnitentia injunctas, quia hæc invicem se non excludunt, cum dictæ preces, seu Rosarium, vel Officium etiam libere, & non pro Pœnitentia recte recitentur, dum auditur Missa de præcepto. *Communis* ex universali praxi Fidelium.

22 Pœnitens satisfacit Pœnitentiæ sibi injunctæ, ita ut nihil repetere teneatur, si rem injunctam integre adimpleat, quamvis non intendat, immo nec cogitet tunc implere Pœnitentiam, & satisfacere suæ obligationi; Sporer *loc. citat. num.* 180. cum aliis ibi citatis. Vide verb. *Officium Divinum art.* 2. *num.* 17. *& seq.*

23 Pœnitens tenetur per seipsum Pœnitentiam implere, ita ut nec auctoritate propria, nec Confessarii possit eam implere per alium, Mastrius *in Theol. mor. dis.* 21. *n.* 287. & apud ipsum Vasquez, Coninch, Lugo, Amicus, Aversa, Bonac. & alii passim. Et quidem, quod propria auctoritate id facere nequeat, habetur ex propositione 15. inter merito damnatas ab Alex. VIII. *die* 24. *Septembris* 1665. ibi: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat.* Quod autem neque id facere possit auctoritate Confessarii, colligitur clare ex Tridentino *sess.* 14 *cap.* 3. ubi pro materia proxima hujus Sacramenti statuuntur tres actus, *Contritio, Confessio, & Satisfactio* Pœnitentis solum, & non alterius, ibi: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio; qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

24 Pœnitens non tenetur adimplere Pœnitentiam ante absolutionem, aut communionem. *Communis.* Unde merito Alexander VIII. *die* 4. *Decembris* 1690. damnavit inter alias propositionem 16. in ordine, ibi: *Ordinem præmittendi Satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio natura rei idipsum quodammodo dictante.* Item damnavit propositionem 17. in ordine, ibi: *Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.* Item damnavit propositionem 22. in ordine, ibi *Sacrilegi sunt judicandi, qui Jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis Pœnitentiam egerint.*

25 Quando Pœnitens sive inculpabiliter, sive culpabiliter oblitus est Pœnitentiæ sibi impositæ, quamdiu non recordatur, nec memorem Confessarium consulere potest, tunc cessat ejus obligatio illam adimplendi, nec tenetur Confessionem repetere, ut aliam Pœnitentiam recipiat. Unde si culpabiliter oblitus sit, v. g. ob voluntariam nimiam dilationem in ipsa adimplenda, satis erit confiteri dictam culpabilem oblivionem, ut contra Richardum, Silvestrum, & quosdam alios docent Paludan. *in* 4. *d.* 17. *q.* 5. *art.* 3. *in fine*, Cajetanus verb. *Confessio iteranda, verb. Ex parte satisfactionis*, Coninc. *disp.* 10. *dub.* 6. *numer.* 86. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 15. *nu.* 17. *verb. Sed quid?* Vasquez, Lugo, & alii communiter cum Sporer *loc. cit. n.* 552. Et ratio est, quia præceptum Confessarii non plus obligat, quam aliæ leges, & præcepta, quæ dum ignorantur, obligare nequeunt; Merito tamen consulunt citati Doctores expedire, ut Pœnitens, qui sive inculpabiliter, sive culpabiliter, oblitus est Pœnitentiæ, in sequenti Confessione petat sibi imponi aliam congruam peccatis, quæ confiteri solet. Longe enim melius est satisfacere in hac vita, quam in alia. (*) Vide Appendicem citatam n. 63. (*)

Pœnitens invalide absolutus non tenetur Pœnitentiam adimplere, quia tenetur postea Confessionem repetere, & inde novam Pœnitentiam peragere. 26

Pœnitentiæ injungendæ debent esse aliquo modo proportionatæ delictis, salutares, & convenientes Pœnitentium dispositioni, facultati, & utilitati. *Communis* ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares, & convenientes Pœnitentias injungere.* 27

Unde graviter peccant Confessarii, qui absque ulla justa causa ex mera conniventia, affectu, vel respectu humano levissimas, seu nimis leves injungunt Pœnitentias pro gravibus peccatis, v. gr. pro peccatis carnalibus aliquot Pater, & Ave; Et si tali conniventia ansam præbeant licentius peccandi, eorum peccatorum participes fiunt, ut expresse habetur ex Tridentino *loc. cit.* ubi sic præcise prosequitur: *Ne si forte indulgentius cum Pœnitentibus egerint, levissima quædam opera pro gravissimis delictis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* 28

In Pœnitentiis injungendis hos duos fines præ oculis semper habere debent Confessarii; primo nempe ut, quantum fieri potest, Pœnitentia injuncta sit ad aliquam saltem castigationem, & vindictam peccatorum, & secundo, ut aliquo modo conducat ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis contra relapsus medicamentum, ut expresse præscribit Tridentinum *loco citato* his verbis: *Habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam in præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* 29

Confessarii dictos duos fines præ oculis habentes possunt quandoque etiam leviores Pœnitentias pro qualitate, dispositione, & statu Pœnitentium imponere, quia ut loquitur idem Tridentinum *cit. sess.* 14. *cap.* 8. Tribunal Pœnitentiæ non est Forum iræ, vel pœnarum, ibi: *Nec propterea existimarunt Sacramentum Pœnitentiæ esse Forum iræ, vel pœnarum.* Et S. Joan. Chrysost. *homil.* 43. *cap.* 23. *Matthæi* relatus *in cap. Alligant.* 12. *caus.* 26. *quæst.* 7. sic expresse dicit: *Si erramus modicam Pœnitentiam imponentes, non ne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? Ubi Pater largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, cur Sacerdos austerus? Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus; Audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem.* Et S. Greg. Nazianz. *Ortion.* 26. sic habet; *Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leviter & humane, non ut hostis, neque ut durus,* 30

durus, & rigorosus Medicus. Sanctus Franciscus Salesius agens de Pœnitentiis imponendis sic dicit: *Confessarius melleis & consolatoriis verbis imponere debet Pœnitentias.... & petere semper debet ab eo, an Pœnitentiam injunctam libenter faciat? Quia, si videret eum angustiari, rectius faceret aliam ei leviorem imponendo*. S. Carolus Borromeus *in Instruct. Pœn. par.* 4. *pag.* 523. sic docet *Si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet Pœnitentiam sibi injunctam peragere? alioquin eam mutabit, aut minuet*. S. Antoninus *par.* 3. *tit.* 17. *cap.* 20. sic hortatur: *Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum Pater, & aliud leve*. Unde ibidem dicit: *Si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quod liberatum a Gehenna transmittat ad Purgatorium*. Et Gerson. *part.* 2. *Operum in regul. moral.* sic recte concludit: *Tutius est eum parva Pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in Infernum*.

31 Unde hic assignantur in specie præcipuæ aliquæ causæ, propter quas levior Pœnitentia, quam alioquin peccata mereantur, possit licite a Confessariis imponi. Prima est infirma Pœnitentis dispositio, & fragilitas, sive corporis, sive animi, ob quam prudenter timetur majorem etsi justissimam non impleturum. Secunda est, quando in Pœnitente apparet extraordinaria magna contritio, qua jam multum expunxit de debitis pœnis, quippe quæ per seipsam potest sola totam abolere pœnam. Tertia est, quando Pœnitens lucratur Jubilæum, vel aliam Indulgentiam plenariam; tunc enim non cogitur Pœnitens, nisi leviorem acceptare Pœnitentiam, quæ se habeat per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias. Henriq. *lib.* 7. *c.* 17. *n.* 2. Suar. *disp.* 38. *sect.* 10. *nu.* 10. & *disp.* 59. *sect.* 2. *n.* 7. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 15. *n.* 12. Spor. *l. c. num.* 545. qui *n.* 538. addit justam causam diminuendi Pœnitentiam esse etiam, quando Pœnitens lucratur, vel lucrari solet Indulgentias, etiam non plenarias (Vide Append. nu. 64.) Quarta est gravis infirmitas Pœnitentis, ob quam, si jam desperata sit ejus salus, & plus ab ipso exigi non possit, expedit ei saltem injungere, ut Sacrosanctum Jesu nomen ter, vel quinquies ore proferat; vel si non possit ore proferre, saltem corde concipiat, & invocet, & inde moneatur, ut Pœnitentiæ loco ipsam suam infirmitatem, & mortem impendentem Deo offerat in satisfactionem pro peccatis suis, idque in unione Passionis, & mortis Christi; Item moneatur, ut de bonis suis eleemosynas largiatur, Missas celebrari curet; Si autem non sit desperata ejus salus, est ei imponenda congrua Pœnitentia, quæ si forte pro gravitate criminum gravior esse debeat, injungi ei debet, præstanda postquam convaluerit.

32 Opera pro Pœnitentia Sacramentali regulariter injungenda consistunt generice *in Jejunio, Oratione & Eleemosyna*; Sicut etiam peccatum in genere distinguitur in tria membra, scilicet in peccatum, seu Concupiscentiam carnis, in Concupiscentiam oculorum, & Superbiam vitæ; 1. *Joan.* 2. Hinc Scotus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. recte notat, quod singulis peccatis sic in genere distinctis correspondeant de congruo propriæ satisfactiones in genere, scilicet Peccato carnis *Jejunium*, sub quo comprehenduntur omnes pœnalitates, ac afflictiones, seu mortificationes corporales, disciplinæ, Cilicia, humi cubationes, peregrinationes, & hujusmodi: Peccato Superbiæ, & ceteris spiritualibus *Oratio*, quæ & humiliat Spiritum Deo, & roborat contra peccata; & sub Oratione comprehenduntur omnes actus Religionis, ac Virtutum Theologicarum, ut actus Fidei, Spei, & Caritatis, seu amoris Dei, Contritionis, laudis Divinæ, adorationes, genuflexiones, Ecclesiarum visitationes, & hujusmodi; Peccato circa Concupiscentiam temporalium, scilicet Avaritiæ, & hujusmodi, *Eleemosyna*; sub qua comprehenduntur omnia opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, omnesque actus Caritatis erga proximum. Idipsum habet Rituale Romanum *tit. De Sacramento Pœnitentiæ*, ibi: *Quare curet* (Minister) *quantum fieri potest, ut contrarias peccatis Pœnitentias injungat, veluti Avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, Superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia &c.*

Pro satisfactione, seu Pœnitentia Sacramentali, potest nedum injungi opus bonum externum, sed interdum considerato Pœnitentis statu, etiam opus bonum internum, v. g. actus Fidei, spei, Caritatis, Oratio mentalis, meditatio Mortis, Judicii, Inferni, Passionis Christi, & hujusmodi, quia ex una parte hi actus in ordine ad Sacramentum satis sensibiles fiunt per externam injunctionem Confessarii, & acceptationem Pœnitentis, & plerumque se sensibiliter produnt signis, & motibus sensibilibus; & ex altera parte sunt opus aptum ad satisfaciendum, & plurimum utile Pœnitenti; immo sæpissime multo magis, quam opera externa, ut docet experientia. *Est fere communis* contra paucos. 33

Pro Pœnitentia imponi potest etiam opus aliunde præceptum, v. g. Jejunium in Quadragesima. *Communis*. Et ratio est, quia tale opus, ultra quam quod potest esse meritorium gratiæ, potest etiam esse satisfactorium pœnæ, cum, non obstante priori præcepto, adhuc sit liberum, & consequenter virtute Clavium elevari potest ad satisfactionem Sacramentalem. Et tunc in illud cadet duplex obligatio, una præcepti, alia Sacramenti. Unde tale opus omittens, v. g. Jejunium in Quadragesima, deberet utriusque præcepti circumstantiam confiteri, quia contraheret duas malitias specie distinctas; Transgrederetur enim præceptum intendens obedientiam, seu temperantiam, & præceptum Confessarii intendens satisfactionem, & sic justitiam. *Communis*. 34 35

Ordinarie tamen, cessante justa causa, non sunt imponenda pro Pœnitentia opera aliunde jam præcepta, & debita, sed opera supererogatoria, & aliunde indebita. Unde si Confessarius aliud non exprimat, aut ex ejus verbis, aut aliis circumstantiis contrarium non appareat, semper est intelligenda Pœnitentia de opere non præcepto, & aliunde indebito, adeoque, si injungat auditionem 36

Missæ

Missæ in die Festo, tenetur Pœnitens audire duas. *Communis*.

37 Potest Confessarius interdum, modica Pœnitentia imposita, etiam reliqua Pœnitentis opera, tam debita, quam libera determinato aliquo tempore facienda, v. g. toto hoc mense, tota hac Quadragesima, toto hoc anno auctoritate Clavium elevare, & imponere in Pœnitentiam Sacramentalem. Immo hoc quandoque expedit magnis peccatoribus, quibus propter fragilitatem, vel occupationes condigna pro peccatis Pœnitentia imponi non potest; Marchant. *Trib. par.* 1. *tract.* 4. *tit.* 7. *q.* 4. Sporer *l. c. num.* 567. *& seq.* & ipsis testibus, *Communis aliorum*. Et ratio est, quia sicuti potest Confessarius imponere Pœnitentiam totius anni in certo opere debito, vel indebito ita etiam potest imponere in pluribus atque omnibus bonis operibus, quæ Pœnitens tali tempore facturus est, v. g. elevare in satisfactionem Sacramentalem omnia jejunia totius Adventus, totius Quadragesimæ, Officium Divinum totius anni, omnes eleemosynas fieri solitas, omnes auditiones Missarum fieri consuetas, & hujusmodi.

38 Potest pro Pœnitentia injungi Oratio, Eleemosyna, vel aliud opus bonum applicandum pro animabus Purgatorii. Lugo *disp.* 25. *sect.* 4. *num.* 62. Sporer *loc. cit. num.* 570. Diana *par.* 3. *tract.* 24. *resol.* 54. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 30. Henno *loc. cit. q.* 7. *petes* 5. Felix Potestas *loc. cit. num.* 3194. & communior aliorum cum Catechismo Romano *p.* 2. *c.* 5. *q.* 63. contra paucos alios. Et ratio est, quia talis caritativa applicatio operis boni in suffragium defunctorum habet rationem satisfactionis ex duplici capite. I. quantum est ex opere operato illius operis per Sacramentum elevati in applicationem ipsius Pœnitentis. II. quantum est ex opere operantis applicantis fructum satisfactorium, & impetratorium dictis animabus, ut proinde ea obligatio sic applicandi non impediat, sed merito Caritatis, & misericordiæ etiam augeat satisfactionem propriam Pœnitentis. Tum quia si Confessarius potest imponere pro satisfactione eleemosynam corporalem dandam pauperibus hujus sæculi, cur non potest eleemosynam spiritualem pauperibus, & animabus Purgatorii?

39 Pœnitentia regulariter imponenda est post audita peccata ante datam absolutionem, quia sic Ordo Judicii, & Justitiæ vindicativæ melius servatur, & omnes partes materiales Sacramenti subjiciuntur Sacerdotis absolutioni tamquam parti

40 formali Sacramenti. *Sic Communis Doctorum*, & universalis praxis Ecclesiæ. Ceterum fatentur omnes, posse etiam imponi Pœnitentiam post datam absolutionem, non solum quando Confessarius est oblitus eam imponere ante absolutionem, sed etiam aliquando ex studio, & voluntate, quia talis ordinis nulla apparet necessitas, vel obligatio; Tum quia satisfactio imposita paulo post absolutionem censetur moraliter fieri in ipso Sacramento, sicuti imposita ante absolutionem; In Jure enim quæ incontinenti fiunt simul esse videntur.

41 Pœnitentiam sibi a Confessario impositam non potest Pœnitens commutare in aliud opus etiam evidenter melius, quia inferior nunquam potest commutare in melius opus a Superiore præceptum: Pœnitens autem Judicio Confessarii tamquam Superioris se subjecit: adeoque tenetur stare ejus sententiæ. *Communis* contra paucos.

Pœnitentiam commutare potest, non solum ille Confessarius, qui ipsam imposuit, sed etiam quicumque alius æqualem potestatem habens, quia idem est Tribunal, idem Judicium ejusdem potestatis; & quamvis diversi in individuo sint Ministri, eorum tamen potestas est ejusdem rationis in omnibus, cum secundus Confessarius se habeat ut successor prioris in eodem Tribunali. *Communis*. 42

Dicitur autem notanter *æqualem potestatem* habens, quia Confessarius non habens potestatem in casus reservatos non potest commutare Pœnitentiam pro reservatis ab alio impositam, quia non potest Confessarius commutare Pœnitentiam, quam non potest imponere; sed non potest imponere Pœnitentiam pro reservatis, cum non possit ab illis absolvere: ergo nec potest talem Pœnitentiam commutare. *Sic communior, & probabilior sententia Doctorum* contra Vasquez, Henriquez, Fernandez, Navarrum, Bonacinam, & quosdam alios probabiliter tenentes contrarium, ex quo reservatio illorum peccatorum per primam absolutionem sit jam ablata, adeoque alius inferior Confessarius respectu illius Pœnitentis jam habeat sufficientem Jurisdictionem in illa peccata. 43

Commutatio Pœnitentiæ, si fiat ab eodem Confessario qui illam posuit, potest etiam fieri extra Confessionem; dummodo duret adhuc Sacramentum moraliter, id est dummodo Confessarius adhuc habeat notitiam saltem confusam Confessionis, & status pœnitentis. *Communis*. Et ratio est, quia quamdiu durat moraliter Sacramentum, commutatio censetur ad idem Judicium pertinere, & intra illud fieri; Confessarius enim ex peracto Judicio adhuc memor Confessionis, & status Pœnitentis virtualiter retinet potestatem mitigandi, & commutandi pœnam ad petitionem, & preces ipsius Pœnitentis. 44

Si autem Confessarius omnino oblitus esset Confessionis, & nullam penitus retineret notitiam status Pœnitentis, non posset Pœnitentiam commutare, nisi repeteretur Confessio, seu saltem Pœnitens rememoraret in confuso sua peccata, quia Confessarius non potest sententiam ferre, nisi cognita causa. *Sic Communior, & tutior sententia* Henno, Scoti, Valentiæ, Sporer, Suarez, Coninch. & aliorum cum Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 14. *n.* 16. ubi addit, quod secundum hanc probabiliorem sententiam repetenda sit quoque confessio penes eumdem Confessarium adhuc retinentem memoriam peccatorum, seu status pœnitentis, si commutatio postuletur, elapso longo tempore a peracta Confessione, v. g. trium, vel quatuor dierum intervallo, quia cum prioris Sacramentalis Confessionis Judicium legitime absolutum fuerit, & cum eo posterior Pœnitentiæ impositio ob temporis intervallum nullum ordinem gerat, sequitur non fore hanc Pœnitentiam Sacramentalem, seu pertinentem ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi de novo Sacramentalis Confessionis, & absolutionis Judi- 45

judicium instituatur. Sic sane probabilissime Layman tutiora suadens, ut fatetur etiam Sporer *l. c. num.* 586. quamvis ipse cum aliis contrariam sententiam, ut probabilem, & tutam teneat, & defendat, uti tenet & defendit etiam Lugo *disp.* 25. *n.* 112. & alii plures.

46 Si commutatio Pœnitentiæ fiat a Confessario diverso ab illo, qui illam imposuit, debet necessario fieri in Confessione, alias, si fieret extra Confessionem, non esset Sacramentalis, & consequenter nulla, quia Confessarius nullam habet Jurisdictionem Sacramentalem in Pœnitentem, nisi dum sedet ut in Tribunali Pœnitentiæ. *Communis & certa*.

47 An autem ad hoc, ut posterior Confessarius possit in nova Confessione commutare Pœnitentiam prius ab alio impositam, necesse sit, quod ipsi repetantur, & explicentur a Pœnitente illa præterita peccata jam confessa, ob quæ prior Pœnitentia fuit imposita? Variant Doctores; Navarrus enim *in Manual. cap.* 6. *num.* 22. Tamburin. Tolet. Henriquez, Rodriquez, Emmanuel Sa, & quatuordecim citati a Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 53. *& p.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 241. Sporer *loc. cit. num.* 580. & alii tenent, probabile esse, posse posteriorem Confessarium in nova Confessione commutare illam Pœnitentiam, etiam non auditis præteritis peccatis, ob quæ fuit imposita; quia posterior Confessarius cum sit Judex, & Medicus, potest de tota causa simul judicare juxta præsentem statum, & dispositionem Pœnitentis, pro ut magis videbitur expedire; De tota autem simul causa sufficienter judicat, quando etiam, non repetita pristina Confessione, judicat hic & nunc Pœnitenti non expedire talem Pœnitentiam, sed magis expedire aliam.

48 Communior tamen, & sine dubio probabilior, & tutior sententia, teste ipsomet Sporer *loc. cit. n.* 588. cum Suarez, Coninch, Layman & aliis tenet, non posse Confessarium posteriorem commutare Pœnitentiam, nisi auditis saltem in confuso peccatis prioribus. Sic etiam Lugo *disp.* 25. *num.* 107. cum aliis ibi citatis recte nотans etiam quod ex Auctoribus, qui pro prima sententia afferuntur, multi non eam docent universaliter, sed solum quando subest aliqua gravis, & rationabilis causa. Mastrius *Theolog. moral. disp.* 21. *num.* 295. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 14. *dist.* 10. *q.* 1. *num.* 17. Felix Potestas *loc. cit. q.* 3. *conclus.* 2. *verb. Hic autem controvertitur*, & plurimi alii; Et ratio nostræ conclusionis est, quia Confessarius, ut Judex, non potest ferre sententiam, nisi cognita causa; in nova autem Confessione quamvis cognoscat causam præsentem, non cognoscit tamen causam præteritam; adeoque non potest disponere de sententia præterita, nisi notitiam saltem in confuso habeat causæ præteritæ. Tum quia Pœnitentia, quam posterior Confessarius imponit pro prioribus peccatis, est Sacramentalis, ergo debet esse pars Sacramenti; sed non potest esse pars Sacramenti, ergo &c. Probatur minor subsumpta, quia non potest esse pars hujus Sacramenti secundi, cum non possit esse pars hujus Sacramenti ea satisfactio, quæ non imponitur pro peccatis confessis in hoc Sacramento, & quorum non datur absolutio; nam satisfactio sequitur Confessionem, & absolutionem; Neque potest esse pars prioris Sacramenti, quia non est ex præcepto, & impositione primi Confessarii, qui fuit ejus Minister, sed ex præcepto, & impositione secundi, seu posterioris Confessarii, qui in dicto casu non est Minister prioris Sacramenti; ergo ea satisfactio imposita a secundo, seu posteriore Confessario, non est pars illius prioris Sacramenti, adeoque &c. (*) Hinc adversa opinio probabilis censeri non potest. (*)

Adducuntur hic Canones Pœnitentiales, quorum notitia viris Ecclesiasticis est valde necessaria. 49

Sunt enim quædam regulæ directivæ ad Pœnitentias delinquentibus imponendas.

Considerandum est de Canonibus Pœnitentialibus; ad quorum intelligentiam prænotandum est, quod sicut est in scientiis practicis, quæ versantur circa opera, quod sermo in universali est incertus, & dubius, sed cum applicatur ad singularia, incipit quodammodo habere certitudinem, ut qui non considerat circumstantias particulares, potius deviet, quam se rectificet, ut patet in medicina, & scientia morali; Sic est intelligendum in proposito, quod Canones instruunt in generali quomodo est Pœnitentia imponenda: sed descensum ad singularia Presbyteris discretis relinquunt, qui considerant circumstantias Personarum attendentes ad Canones, sicut ad regulas directivas, quia si contra Canones imponant, non recte imponunt. Nulli ergo Presbytero licet facere aliquid, quod possit Patrum regulis obviare *dist.* 38. *Nullius*. In Canonibus autem maxime determinatur Pœnitentia quo ad tempus, & magis quam quoad modum: quia illa determinatio est certior, & communior; Hæc Bonaventura. Ut ergo scias qualiter deceat procedere arbitrium Presbyteri, nota regulariter sicut dictum est supra; septennis est pro peccato mortali Pœnitentia imponenda, & hoc non tantum propter temporis diuturnitatem, sed magis propter significationem. In veteri enim lege Maria soror Moysi lepra percussa separata fuit extra castra VII. diebus, *Num.* 12. Maria significat pœnitentem: Interpretatur enim amarum mare. Hæc pœnituit VII. diebus, sed nunc pœnitet VII. annis, quod significatum est *Ezech.* 4. Diem pro anno dedi tibi.

Si quæratur quare Pœnitentia sit aggravata, cum Lex nova sit Lex misericordiæ? Respondi. quod hic est major ingratitudo propter majorem gratiam, & major contemptus propter majorem dignitatem novæ Legis, in qua Christi Sanguis est effusus, & gravius peccatum propter statum peccantis, qui debet esse perfectior. Et ulterius satisfactio in Lege nova debet esse perfecta, ut in pristinum statum reducat; Et quia Sol in una die non redit in idem punctum, sed in anno, ideo dies conversus est in annum. Rursum, quia perfectum remedium est in Lege nova, ideo annus multiplicari debet per septem, propter septem dona Spiritus Sancti recuperanda, & propter septem dotes, scilicet tres animæ, & quatuor corporis obtinendas. Hujusmodi autem Pœnitentia non est omnibus imponenda, nec tamen est infirmanda, sed est insi-

insinuanda, ut cognoscatur, quam gravis est culpa. Hæc Bonaventura. Licet autem pro singulis peccatis criminalibus sit statuta talis Pœnitentia, debet tamen imponi magis, vel minus aspera, prout majoritas, vel minoritas criminis cum ceteris circumstantiis hoc exposcit, ut in sequentibus patet. A prædicta namque regula excipiuntur plurimi casus, in quibus propter dignitatem peccantis, vel criminis enormitatem imponitur pœnitentia major, aliquando etiam ex variis causis minor. Ad hoc ergo quod Presbyter circa Pœnitentias disponendo cautius arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per Canones certæ Pœnitentiæ imponuntur, quos scilicet Canones tenetur Presbyter scire, ut dictum est supra. Sunt autem isti.

Primus est, quod si Presbyter fornicationem fecerit, Pœnitentiam X. annorum faciat hoc modo, scilicet quod sit inclusus, sive a ceteris in aliquo loco remotus, sacco indutus, & humi prostratus misericordiam Dei jugiter implorans, primis tribus mensibus a vespere in vespera pane, & aqua utatur, exceptis Dominicis diebus, & festis præcipuis, in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus, de illo exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum scandalizetur. Et per hoc videtur, quod in publico crimine loquatur: Post hoc, resumptis viribus aliquantulum, unum annum, & dimidium in pane, & aqua expleat, exceptis Dominicis, & aliis præcipuis Festis, in quibus vino, sagimine, ovis, & caseo poterit uti: Finito sic primo anno, & dimidio, particeps sit Corporis Domini, & ad pacem veniat, & ad Psalmos cum aliis fratribus canendos in Choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen Altaris non accedat, sed minorum Ordinum tantum Officia gerat, deinde usque ad completionem septimi anni tres legitimas ferias, scilicet secundam, quartam, & sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui sunt quinquaginta, in pane, & aqua jejunet. Secundam tamen feriam uno Psalterio, vel denario, si sit operarius, redimere poterit. Et sic cum septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare; ita tamen quod in tribus annis sequentibus sine ulla redemptione omni sexta feria in pane, & aqua jejunet. Et eadem Pœnitentia imponenda est Presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depositionem inducunt. Probantur autem hæc omnia 82. *dist. Presbyter si fornicationem*; quod intelligunt quidam de simplici fornicatione, alii forte melius secundum Rayn. de adulterio, vel incestu; puta, quia cognovit conjugatam, consanguineam, vel affinem.

Secundus casus est, si Presbyter cognovit Filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel in Baptismo, vel in Confirmatione tenuit, vel quæ sibi confessa fuit, debet Pœnitentiam agere XII. annis, & etiam debet deponi, si crimen sit manifestum, & peregrinando XV. annis pœniteat, & postea Monasterium intret, tota vita sua moraturus ibidem. Episcopus vero, qui talia commisit, pœniteat XV. annis. Ipsa vero mulier debet omnia relinquere, & res suas pauperibus dare, & conversa usque ad mortem in Monasterio Deo servire, 30. *qu.* 1. *Si quis Sacerdos, & cap. Non debet*.

Tertius est, quod quicumque Filiam suam spiritualem, vel Matrem cognoscit, septem annis pœniteat, & similiter ei consentientes, 30. *q.* 3. *Non oportet*.

Quartus est, quod qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de præsenti, ipsa dimissa 40. diebus jejunet in pane, & aqua, & sequentibus septem annis pœniteat. *De sponsa duorum; Accepisti*.

Quintus est, quod qui cognoscit duas commatres, vel sorores, sive uxor vivat, sive non, ad minus VII. annis pœniteat, licet plus deberet, 30. *q.* 4. *Si Pater*.

Sextus est, quod qui cognoverit Monialem, sive devotam, X. annis pœniteat, & similiter ipsa secundum formam traditam 27. *q.* 1. *De filia, & cap. Devotam*, in quorum 1. *c.* dicitur, quod si filia Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi post votum solemne contraxerit Matrimonium, non admittitur ad communionem, nisi marito defuncto Pœnitentiam egerit, si autem eo vivente decesserit, & Pœnitentiam egerit, & communionem petierit, tantum in fine vitæ recipiet eam; in 2. c. dicitur, quod Devota peccans non est recipienda in Ecclesia, nisi peccare desierit, & desinens egerit Pœnitentiam X. Annis, postea recipiatur ad communionem, & antequam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat.

Septimus est de eo, qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel Matrem, & Filiam, vel Amitam & Neptem, pœniteat VII. annos, si autem scienter, perpetuo privetur conjugio, 34. *q.* 1. *Si quis cum duabus*.

Octavus est, quod qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, pœniteat V. annis 31. *q.* 1. *Si qua fuerit vidua*.

Nonus est, quod qui contra naturam peccavit, si sit Clericus, debet deponi, vel Religioni tradi, si corrigibilis appareat, ad perpetuam Pœnitentiam peragendam. Si vero sit Laicus, a cœtu Fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus, *De excess. Prælat. Clerici*. Hoc enim vitium majus est, quam cognoscere Matrem, 32. *q.* 7. *Adulterii*; & hæc August. Adulterii, inquit, malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu fornicatio. Pejus enim est cum Matre, quam cum aliena uxore concumbere, sed omnium horum pessimum est, quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti. *Hæc Aug.* Quocumque autem modo tale factum exerceatur, præter quam inter virum, & fœminam ordinate, & in vase debito, vitium contra naturam, & sodomiticum judicatur, ut dicit Rayn.

Decimus est, quod qui coierit cum brutis pœniteat plusquam VII. annis, & similiter pro incestu, 33. *q.* 2. *Hoc ipsum*.

Undecimus est, quod Presbyter qui interest Clandestinis nuptiis triennio suspendatur, & si culpa

culpa exegerit, gravius puniatur. *De cland. despons. Cum inhibitio*.

Duodecimus est, quod qui votum simplex violaverit, pœniteat 3. ann. 27. *dist. Si vir*.

Decimus tertius est, quod qui excommunicatus celebraverit, debeat triennio pœnitere, & per 2. 4. & 6. feriam a vino, & carnibus abstinere, 11. *q*.3. *de His*. De pœna vero degradati celebrantis habetur *dist*.50. *Accedens*.

Decimus quartus est, quod homicida voluntarius sine spe restitutionis deponatur, & pœniteat VII. annis 50. *dist. Miror*.

Decimus quintus est, quod homicida casualis pœniteat V. ann. & hoc secundum Rayn. si culpa casum præcessit, aliter non, nisi forte ad cautelam, *dist*.50. *Eos*, *&* *duobus cap. seq.*

Decimus sextus est, quod si quis fecerit homicidium propter necessitatem evitabilem pœniteat II. ann. *dist.* 50. *cap. De his Clericis*, quæ licet si inevitabilis esset, in nullo sibi imputaretur, 50. *dist. Quia te*. Quod verum est quoad culpam, sed bonum esset, quod pœniteret quoad cautelam, & innocentiam suam Ecclesiæ ostendendam, *De homicid. cap*.2. §. *ult.* Et secundum Rayn. forte distingui potest in homicidio necessario, sicut in casuali, & utrum culpa præcesserit necessitatem, vel non. *Arg. dist.* 50. *De his*, *De homicid. Interfecisti*. Sed si quis per infamiam committat homicidium, non ei imputatur, 3. *quæst.* 9. *Judicas*: quin etiam, qui intuitu disciplinæ incaute percutiendo occiderit, deponitur, *De homic. Presbyterum* 15. *quæst*.1. *Si quis non iratus*. Sed qui ligatum latronem interficit, deponitur, *de homic. Suscepimus*. Qui autem latronem occultum occidit, quum vivum comprehendere potuit, 40. diebus non intret Ecclesiam, & alias pœnitere debet, *De homicidio Interfecisti*. Qui vero Paganum, vel Judæum occidit, pœniteat 40. diebus *dist*.50. *c. Qui vere odii.*

Decimus septimus est, quod matricida pœniteat X. ann. secundum formam satis aperte traditam 33. *quæst*. 2. *Latorem*. Uxoricidæ vero gravior pœnitentia debet imponi. Talis enim, & qui Dominum occidit, numquam equitat, nec vehiculo portatur, nec Matrimonium contrahit usque ad X. ann. carnes non comedit, nec vinum bibit, & alia, quæ habetur 33. *quæst*. 2. *Admonere*, *&* *cap. Quicumque*. Imponitur autem Pœnitentia major uxoricidæ, non quia illud peccatum sit gravius isto, sed quia homines proniores sunt ad occidendum uxores, quam Matres; Majus enim peccatum est occidere Matrem, quam uxorem occidere, ut dicit Bonaventura *in* 4. *sent.* & communiter omnes Doctores Guliel. vero Durand. tenet contrarium *in Repertor.* pro eo quod uxoricidæ imponitur Pœnitentia major. Mihi autem magis placet sententia aliorum; Sed qualem Pœnitentiam agere debent qui filios occidunt? Resp. Aut est certum, quod ipsimet interfecerunt, & sic debet eis imponi Pœnitentia major, quam pro alio homicidio; *Arg. de his, qui filios occiderunt, cap. ult. in text. & gl. & de homicid. Cum juramento*, *De pœn. dist*. 1. *Aut facta*. In hoc tamen casu vir uxorem recuperat, quam coactus abjuraverat, & ipsa Pœnitentiam agit secundum arbitrium Episcopi, ita quod si habet alios filios, pacifice gubernare possit eos uxor, c. Intelleximus, eod. tit. quod si virum non habet, induci debet, ut intret Religionem, ad quod si non potest induci, tutius est ei dare licentiam nubendi, ut *eod. Tit. c. Veniens*. Et hoc quando timetur de incontinentia, alias non, ut patet 33. *quæst*. 1. *In adolescentia*. Et si pater sit Clericus, ab officio Altaris debet perpetuo abstinere, & ei gravior quam Laico, non tamen publica (nisi veniat in publicum) Pœnitentia debet imponi, *de pœn. Quæsitum*. Aut certum est, quod non interfecerunt sponte, nec in culpa fuerunt, sed casu fortuito contigit; & sic de stricto jure in nullo tenentur. *Arg. De homicid. Ex litteris* 2. *c. Joannes*; *& c. ult.* Nisi velint ad cautelam pœnitere. In dubio tamen præsumitur, quod non hoc ex certa scientia, sed potius ex incuria provenerit; *De præsumpt. Afferte*. Aut certum est, quod non exhibuerunt omnem diligentiam, quam potuerunt & debuerunt, & sic culpa præcessit casum. Et si sit gravis culpa, ut si posuit puerum in medio utriusque, secundum arbitrium Pœnitentiarii imponitur Pœnitentia V. vel VII. ann. 50. *dist. Si qua fœmina*, *& cap. seq. & cap. si quis sponte*, occulta, si sit occultum, publica, si sit publicum; & major si in lecto suffocetur, quam si in cunis, & major Presbytero Greco, quam Latino, ut habetur *De pœnit. Quæsitum*, & licet dispensetur quoad Pœnitentiam, quæ est arbitraria, ut dicitur *ibidem*, non tamen quoad Ordines propter homicidium, quod est delictum enorme, & indispensabile, *dist.* 50. *Miror*. Si autem culpa, quæ præcessit casum, sit levis, ut si posuit puerum in eodem lecto, longe tamen a se, imponitur pœnitentia 3. ann. Secundum hoc intellige illud cap. de infantibus, de his, qui filios occiderunt; Monendi ergo sunt parentes, quod tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne qualibet negligentia interveniente opprimantur, & suffocentur, *ut* 2. *quæst*.5. *Consuluisti*. Et hoc modo distinguit Host. Ber. cap. de infant. de his, qui filios occiderunt, Quid de illis, qui filios, vel servos suos infantes, vel etiam adultos languidos relegata pietate exponunt? idest extra se ponunt ante Ecclesias, ut aliqui moti misericordia colligant eos? Resp. Tales graviter peccant, quia cum ignoretur sæpe consanguinitas expositorum, contrahere possent Matrimonium cum sorore, vel consanguinea; ideo exponens tenetur de hoc peccato pœnitere, & est puniendus, sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur. *De pœnitent. Officii* secundum Host. Talis enim secundum Rayn. est tamquam homicida judicandus, qui hominem sibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Consideratis tamen circumstantiis, & utrum ob hoc mors secuta fuerit, vel non fuerit, Pœnitentia moderanda erit. Erunt autem tales irregulares secundum Rayn. si mors inde sit secuta, quia scilicet fuerunt in culpa eos exponendo, vel alimenta negando; tamen secundum Rom. si in nulla culpa fuissent, quia forte nec eleemosynas quærendo, nec aliter eos alere possent, irregulares non essent, nec peccarent.

Deci-

Decimus octavus est, quod qui Presbyterum interfecit, pœniteat XII. ann. *De Pœnitent.& rem. c.2.* De Pœnitentia vero ejus, qui occidit Monachum, vel Clericum, Subdiaconum, vel Diaconum, habetur 17. *quæst.4. Qui occiderit.* De pœnitentia autem ejus, qui machinatur in mortem Domini sui, vel in regimen ejus, habetur 23. *quæst. ult. cap. Si quis.*

Decimus nonus est, quod qui injuste alium ad mortem accusat 40. diebus in pane, & aqua per VII. ann. jejunet, & hoc si accusatus sit occisus. Si autem tantum membrum perdiderit, triennio pœniteat, *de accus. Accusasti.* Host. vero, & Joan. de Deo in jejunando intellexerunt, quod primus pœniteat per VII. ann. quolibet anno jejunando 40. diebus in pane, & aqua, secundus vero per tres ann. Guil. vero Duran. intellexit, prout littera magis sonat, scilicet quod primus jejunabit 40. diebus in pane, & aqua, sive continue, sive interpolate, & per VII. ann. jejunabit, & pœnitebit, non tamen in pane, & aqua, sed ad arbitrium Presbyteri: secundus vero per tres Quadragesimas, prima ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, tertia ante S. Johannem, has enim instituit B. Petrus, ut habetur in Chronicis. Jejunabit autem tunc in pane, & aqua; probantur hæc secundum Host. 22. *q. 5. c. 1. 2. & 3.*

Vigesimus est, quod perjurus 40. diebus in pane, & aqua jejunet, & VII. ann. seq. pœniteat, & semper debeat esse in pœnitentia, scilicet interiori; *6. quæst.1. Quicumque.*

Vigesimus primus est, quod qui compulsus conditionaliter a Domino scienter pejerat, si liber sit, 40. diebus in pane, & aqua, & hoc secundum Gl. intellige vel continue, vel interpolate, pœniteat VII. ann. seq. non tamen in pane, & aqua, ut dicit Gl. Si vero servus sit ejus, qui eum coegerit, tribus Quadragesimis, & legitimis feriis, scilicet 2.4. & 6., 22. *quæst.5. Qui compulsus.*

Vigesimus secundus est, quod qui pejerat in manu Episcopi, vel in Cruce consecrata, pœniteat 3. ann. Si vero in Cruce consecrata, uno anno. Qui vero coactus, & ignorans ignorantia juris, & postea cognoscit, pœniteat tribus Quadragesimis; 22. *quæst.5. c. 2.* Qui vero coactus pro vita redimenda, vel qualibet causa, vel necessitate pejerat (quia corpus plusquam animam dilexit) tribus Quadragesimis pœniteat, *ead. q.5. cap. Si quis coactus.* Alii inducunt 3. ann. & unum ex his in pane, & aqua.

Vigesimus tertius est, quod qui falsum scienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus 40. pœniteat in pane, & aqua & VII. seq. ann. nunquam sit sine Pœnitentia, scilicet interiori. Alii etiam si conscii fuerint, similiter pœniteant; 22. *q.5. Si quis convictus.*

Vigesimus quartus est, quod qui mensurat in falsa mensura, 30. diebus in pane, & aqua jejunet. De contrah. empt. Ut mensuræ. De pœna vero falsarii Litterarum habetur extr. *cap. Ad audientiam, c. Ad falsariorum, & de verb. sign. Novimus.*

Vigesimus quintus est, quod qui frangunt Pœnitentiam solemnem, sive redeundo ad crimina priora, vel similia, sive redeundo ad negotiationem, vel militiam sæcularem, quæ sibi fuerint interdicta, sola inter Ecclesiam Fidelibus oratione junguntur, a communione suspenduntur, a Catholicorum conviviis separantur, & pœnitere debent X. ann. & communicent in fine, 33. *qu. 2. de his vero, & de pœnit. dist. 5. Si quis vero.*

Vigesimus sextus est, quod qui canit Missam, & non communicat, debet uno anno pœnitere, & interim Missas non cantare. *De cons. dist. 2. Relatum.*

Vigesimus septimus est, quod Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla Altaris, pœniteat X. annis, & mensibus V. Diaconus vero triennio, & dimidio. *De consec. d. 1. Nemo per ignorantiam.*

Vigesimus octavus est, quod qui committit sacrilegium Ecclesiam violando, vel Chrisma, sive Calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit, pœniteat VII. annis. Primo anno extra Cœmeterium, quod violavit, consistat. Secundo anno ante fores Ecclesiæ. Tertio in Ecclesia, & in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha, vel Natali, non offerat, nec communionem accipiat. Quarto anno cummunicabit, & in illo, & in V, & VI. & in VII, tribus feriis a carnibus, & vino abstineat jejunando, 12. *q. 2. De viro.* Comburens autem Ecclesiam, XV. annis pœniteat, & eam restituat, 17. *q. 4. cap. Si quis.* De pœna vero raptoris, sive furis rei Ecclesiasticæ, & de pœna furis, & effractoris tam Clerici, quam Laici, habetur, *cap. Pecunia, & cap. Si quis Clericus ead. caus. 17. q. 4.*

Vigesimus nonus est, quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, a communione triennio separentur, & similiter filii si sint in culpa. Si tamen filii secundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique, scilicet quoad pœnam Ecclesiæ, sed non quoad reatum ex quo dederunt operam in contrarium, *31. qu. 3. Si quis parentes, arg. de pœn. d. 1. Si cui.*

Trigesimus est, quod qui blasphemaverit publice Deum, vel aliquem Sanctorum, & maxime Beatissimam Virginem Mariam, illi debet Episcopus hanc Pœnitentiam injungere, scilicet ut VII. diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto, dum Missa cantatur, existat, & ultimo illorum dierum Dominicorum pallium, & calceamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & septem præcedentibus sextis feriis in pane, & aqua jejunet Ecclesiam nullatenus ingressurus; & quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel saltem unum reficiat, si potest, & si non potest, hæc pœna in aliam commutetur: quod si renuerit agere omnia supradicta, interdicatur sibi Ecclesia, & in morte privetur Ecclesiastica sepultura. *De maled. Statuimus.* Item blasphemus, si dives fuerit, 40. alioquin 30. vel 20. & si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetæ poena mulctetur, nullamque misericordiam in hoc habi-

habiturus, ut dicitur *ibidem*, scilicet quin solvat quinque solidos, quos si non habet, currat per Civitatem, vel commutetur in poenam aliam temporalem. Hæc autem poena solvetur ei, qui condemnat, idest Potestati sæculari: Hanc enim poenam temporalem præcepit Papa imponi per Potestatem temporalem; quod si neglexerit, per Episcopum præcipitur cogi. *Hæc Host.* Habet autem prædicta poena locum secundum Gof. cum quis blasphemat non ex ira, vel ebrietate, vel dementia, quia tunc cum eo mitius ageretur, 2. *q.* 3. *Si quis iratus*. Secundum vero Host. hæc poena est specialiter inducta contra eos, qui Deum blasphemant ex ira; Non enim aliquis de levi blasphemat Deum, nisi iratus. Tanta tamen posset esse iracundia, quod æquiparetur dementiæ, & tunc illud quod dicit Gof. locum posset habere. *Hæc Host.*

Quod si quis juret per caput, vel per ventrem vel capillum; Resp. Host. quod si faciat hoc affirmando, vel jurando, non habet locum hæc poena: Secus est si faciat hoc detestando, vel vituperando, licet iratus. Item secundum Gof. & Host. hæc, quæ dicuntur de poena temporali, fiunt Judice pro tribunali sedente. In Judicio autem animæ Presbyter discretus molliendo rigorem dispensare poterit ex causa circa poenam spiritualem superiorem, 29. *q.* 7. *Pœnitent. Hæc Host.* Item blasphemus Clericus, maxime Presbyter cogatur ad veniam postulandam: quod si noluerit, degradetur *d.* 46. *Cler.*

Notandum vero, quod blasphemus secundum Leges est decapitandus, ut *in Auth. Ut non lux contra nat. circa med. coll.* 6. Secundum vero Canonem antiquum Clericus erat degradandus, & Laicus excommunicandus, 22. *qu.* 1. *Si quis per capillum*. Hodie vero Laicus aget Poenitentiam supradictam, scilicet illius Canonis *Statuimus*, & hoc si publice blasphemavit. Si enim occulte, non poenitebit publice, ut puto: Clericus vero hodie est corrigendus poena arbitraria, & occulta, non illa, quæ est publica. Clericus enim publice non debet poenitere. Si autem rebellis fuerit, vel sæpius hoc commiserit, locum habet poena Legis; scilicet ut Laicus decapitetur in Foro Civili, & in Canonico anathematizetur, idest, ingressus Ecclesiæ sibi interdicatur, & in morte privetur Ecclesiastica sepultura. Clericus vero degradetur. *Hæc Host. tit. de maled.*

Trigesimus primus est de Presbytero, qui revelat Confessionem, quod de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinari. *Pœnit. dist.* 6. *Sacerdos*.

Trigesimus secundus est, quod qui in dicendis Horis Canonicis, & aliis Officiis Divinis discrepat a consuetudine propriæ Metropolitanæ Ecclesiæ, VI. mensibus privatur communione, si hoc accidat ex contemptu 12. *d. de his*.

Trigesimus tertius est, quod Episcopus, qui ordinat sine justa causa Clericum invitum, aut reclamantem, vel penitus invitum, absolute suspenditur uno anno, 74. *dist. Episcopus*.

Trigesimus quartus est, quod Episcopus, qui correctionem de venditione Ministeriorum dissimulat, 2. mensibus, Presbyter 4. Diaconus 3. Subdiaconus, & ceteri ad arbitrium Judicis poenitere debent, 1. *quæst.* 1. *Quidquid invisibilis*.

Trigesimus quintus est, quod sortilegus 40. diebus poeniteat. *De sortil. In tabulis*.

Trigesimus sextus est, quod qui videt in astrolabio, poeniteat 2. ann. *De sort. Ex tuarum*.

Trigesimus septimus est de stilla Sanguinis Altaris cadentis super terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Presbyteri, debet Presbyter poenitere 40. diebus; si cecidit super pallio Altaris, poeniteat 4. diebus, *de cons. dist.* 2. *cap. Si per negligentiam*.

Trigesimus octavus est, quod si aliquis evomit Eucharistiam propter ebrietatem, & voracitatem, si Laicus, poeniteat 40. diebus, si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus pœniteat 70. diebus, si Episcopus pœniteat 90. diebus; Et debet evomitura comburi, & juxta Altare collocari. Si vero causa infirmitatis evomuerit, 7. diebus pœniteat. *De cons. dist.* 2. *Si per ebrietatem*.

Trigesimus nonus est, quando mus corrodit, vel comedit Corpus Christi; de Pœnitentia hujus casus vide *cap. Qui bene* 94. *dist.* 2. *de consecrat.*

Quadragesimus est, quod qui domum, vel aream voluntarie succendit, sublata, vel incensa omnia restituat, & 3. ann. pœniteat. *De injur. Si quis domum*. Canon tamen dicit quod si ex odio, vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, nec absolvi, donec satisfecerit, & juraverit, quod ignem de cetero non apponet. Imponitur autem sibi, ut Hierosolymam, vel in Hispaniam vadat in Dei servitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & ab Officio Episcopali per annum abstineat, 23. *quæst.* 8. *Pessimam*. Hodie autem postquam sunt denuntiati non possunt nisi per Sedem Apostolicam absolvi, tract. *De sent. excom. Tua nos*. Immo text. loquitur de incendiariis indistincte postquam sunt publicati, & Ber. hoc idem dicit expresse, & Gratian. *ext. de sent. excom. in* 6. *Quicumque* & Gof. licet Rom. contrarium dicat. Secundum autem Leges qui in Civitate data opera incendium fecerit, si sit humilis, subjicitur bestiis; si sit in aliquo gradu, decapitatur, vel in insulam relegatur, *ff. de incend. ruin. naufrag. l. fin.* Qui vero alibi, ut Villis, vel Castris remissis ibidem ædes positas combusserit, si hoc dolo fecerit, comburitur. Et hoc intelligendum cum Host. si sit humilis. Si autem hoc ex sua negligentia contigerit, resarciet damnum, vel si minus idoneus sit, parum, vel leviter castigetur, & nomine ædium omne ædificium continetur, ut ibidem dicitur: *Qui ædes*.

Quadragesimus primus est, quod qui dederit, vel acceperit communionem ab Hæretico, & nesciverit hoc esse prohibitum ab Ecclesia, & postea intelligit, pœniteat uno anno, si autem scivit, & neglexit, pœniteat X. ann. vel secundum quosdam 7. vel secundum alios 5. Qui vero permittit Hæreticum Missam celebrare in Ecclesia Catholica per ignorantiam juris, pœniteat 40. diebus; Si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & pro consuetudine

dine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut Hæreticus, si sit impœnitens, alioquin pœniteat X. ann. Si autem relicta Ecclesia ad Hæreticos transierit, & alios ad hoc induxerit, pœniteat XII. ann. 3. extra Ecclesiam, 7. inter audientes, 2. extra Communionem, & sic XII. anno communionem, sive oblationem percipiat, 24. *qu.* 1. *Si quis dederit*.

Quadragesimus secundus est, quod patronus qui res Ecclesiæ dilapidat, uno anno pœniteat, 16. q. 7. *cap. Filiis*.

Quadragesimus tertius est, quod qui domum suam magicis, & incantationibus lustrat, vel aliud facit, & qui ei hoc consuluit, annis V. pœniteat, *6. q. 8. qui divinationes, & c. Non liceat*.

Quadragesimus quartus est, quod qui pacem cum proximo suo non facere jurat, anno uno pœniteat, & ad pacem redeat, 22. *q.* 4. *Qui Sacramento*.

Quadragesimus quintus est, quod pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro Pœnitentia regulariter 7. anni, & similiter pro fornicatione, licet non ita aspera Pœnitentia injungitur, 22. *q.* 1. *Prædicandum* 33. *q.* 2. *Hoc ipsum*.

Quadragesimus sextus est, quod qui scienter rebaptizatur, 7. ann. pœniteat, & feria 4. & 6. in pane, & aqua jejunando, tres quadragesimas faciat, & hoc si fecit pro Hæresi introducenda. Si autem pro munditia, 1. pro salute corporis obtinenda, *tract. de Apost. cap.* 2. tribus annis pœniteat. *De cons. dist.* 4. *Qui bis*, & talis, qui bis baptizatur, vel confirmatur, fit de foro Ecclesiæ, & cogitur fieri irregularis *dist.* 84. *Dictum est*. De pœna autem talium habetur *De cons. dist.* 4. *eos*, cujus capituli sententiam prætermitto gratia brevitatis.

Quadragesimus septimus est, quod qui uxorem adulteram cognoscit, antequam pœniteat, 3. ann. pœniteat, *cap. Si quis*, *6. caus.* 32. *q.* 1. Qui vero cognoscit eam pœnitentem, ante pœnitentiam peractam, pœniteat 2. ann. *c. Si quis* 4. *caus.* 32. *q.* 1. Quomodo vero Pœnitentia injungenda sit mulieri partum alterius supponenti, vel etiam de non suo viro concipienti, habetur *de Pœnit. & rem. Officii*.

Ad regulas igitur prædictas inspiciendo potest studiosus indagator procedere ad pœnitentias pro diversis criminibus secundum Canones imponendas, & ex causa consideratis circumstantiis, ut dictum est supra, moderari poterit eas, & licet ab ipso omnes circumstantiæ sint diligenter attendendæ, principaliter tamen qualitates personæ, & præcipue utrum sit persona obnoxia alicui aliquo vinculo servitutis. Nam circa tales personas cavere debet pro posse Presbyter, ne talem pœnitentiam eis imponat, per quam illis, quibus sunt adstrictæ, præjudicium fiat, maxime circa conjugatos, unde si servus sit, & amore peccaverit, obediens Domino suo in atrocioribus, est mitius puniendus 22. *q.* 5. *qui compulsus*, obedire tamen non tenebatur in talibus, 11. *q.* 3. *Si Dominus*. Si autem voluntarie peccaverit, corpore punietur, etiam acrius, quam alius, 24. *q.* 1. *Qui contra pacem*. Nec est servo injungenda peregrinatio, per quam Dominus ejus, qui non est in culpa, illius servitio defraudetur. *De sent. excomm. Relatum*. Si vero liber sit, tota Pœnitentia Canonis, si potest facere, debet imponi, 26. *q.* 7. *Sacerdos Pœnitentiam*: sed ex causa poterit eam Presbyter moderari.

Considerandum etiam erit, utrum sit Persona nova in Fide, quia novis in Fide minor debet etiam Pœnitentia imponi, *de Pœnitent. & rem. Deus qui*. Et similiter considerandæ erunt aliæ personarum circumstantiæ, de quibus ad præsens supersedeo gratia brevitatis.

Sciendum autem, quod in foro Pœnitentiali dicuntur legitimæ feriæ 2. 4. & 6. *Dist.* 82. *Presbyter*, *de cons. dist. 3. jejunia*. Aliqui tamen ut dicit Rom. pro secunda feria ponunt Sabbatum.

Insuper notandum est, quod si Pœnitentia in pane, & aqua imponatur non habenti panem, potest loco panis leguminibus, & pisciculis vesci, & etiam aliis, si necessitas illud requirat, *de Pœnitent. & rem. Licet in text. & gl. alias non licet*.

Notandum etiam secundum Joan. Si Pœnitentia sit imposita a Canone, liberatur quis a jejunio dando Denarium, vel legendo Psalterium propria auctoritate. Innoc. vero dicit, quod jejunia necessaria, ut quatuor temporum, & hujusmodi, non possunt redimi, nisi subsit rationabilis causa, voluntaria vero redimi possunt etiam sine auctoritate Superioris.

Ad hoc etiam nota; quod ubi imponitur Pœnitentia aliquot annorum, sive Quadragesimarum, nec additur quomodo quis debeat pœnitere, hoc relinquitur arbitrio Præsbyteri, cum Pœnitentiæ sint arbitrariæ, ut dictum est supra. Ipse enim Presbyter arbitrabitur eam per ferias legitimas faciendam, secundum *can.* 50. *dist. De his Clericis*, *de hom. cap.* 2. & in multis aliis jur. & sic intelligitur illud *De accus. Accusasti*, & *de spons. Dilectus*, & similia. *Expliciunt Canones Pœnitentiales.*

Subnectitur hic pœnitentia solita imponi ob vio- 50
latam Immunitatem Ecclesiasticam, prout habetur ex variis Decretis ejusdem Sacræ Congreg. collectis a D. Petro Andrea Riccio in sua Synopsi verb. *Pœnitentia*.

Quando Ecclesia violata non potest reintegra- 51
ri, vel quia extractus fuit occisus, vel quia Reus in Ecclesia ipsa fuit occisus, vel ex alio actu irretractabili, in absolutione a Censuris imponitur pro Pœnitentia eleemosyna facienda Ecclesiæ violatæ, convertenda, vel in vas Sacrum, vel in lampadem argenteam, vel in supellectilem ad perpetuam rei memoriam. *Sacra Congregatio Immunitat. in Salernitana* 28. *Octobris* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 110. *in Rossanen.* 26. *Maii* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 128. *in Mutinen.* 17. *Januarii* 1640. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 118. *in Neapolitana* 5. *Martii* 1641. *d. lib. pag.* 140. *in Pinnen.* 16. *Decemb.* 1664. *lib. Decret. Rocci pag.* 607. *in Vicana* 16. *Iunii* 1673. *in lib.* 1. *Decret. Alt. p.* 813. *in Meliten.* 16. *Februar.* 1676. *ibi pag.* 1064. *in Papien.* 5. *Martii* 1675. *ibi pag.* 1071. *in Chelmen. in Polonia* 29. *Maii* 1696. *lib.* 2. *decr. Vallem. pag.* 25.

Sic occidentes existentem in Campanili Ecclesiæ 52

absol-

absolvuntur, facta prius eleemosyna Ecclesiæ violatæ. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Feretrana 3. Octobris 1673. lib. 1. decret. Alt. pag. 851.*

53 In absolutione a Censuris ob extractionem dolosam imponitur salutaris Pœnitentia, sed non in enumerata pecunia, data jam reintegratione Ecclesiæ, & satisfactione Partis. *Eadem Sacra Congr. Immun. in Hydruntina 22. Octobris 1692. lib. Decret. Grimaldi pag. 213.*

54 Prævia eleemosyna Ecclesiæ spoliatæ in summa arbitrio Archiepiscopi, & præcepto de non accedendo saltem per quinque annos ad Terram Longobucis, Archiepiscopi arbitrio Milites Campaneæ absolvuntur publice præ foribus Ecclesiæ, impositis gravibus, & publicis Pœnitentiis. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Rossanen. 2. Octob. 1703. Decret. Vall. pag. 524.*

55 Rex Catholicus pro reparatione Immunitatis Ecclesiæ S. Laurentii Excurialis violatæ per extractionem violentam Marchionis de Valensuele elargitur, intuitu omnium culpabilium ad hoc, ut possint obtinere absolutionem a Censuris incursis, eleemosynam viginti quatuor mille *Pezze da otto*, ut dicitur, applicandam in confectione Reliquiarii pro Reliquiis S. Laurentii apponendi in dict. Ecclesia ad publicam, & perpetuam rei memoriam. *Ead. Sac. Congr. Immun. in Toletana 18. Febr. 1678. lib. 2. Decret. Alt. pag. 1533.*

56 Ad complacendum simpliciter Majestati Regis Catholici instantis apud Sanctissimum, quod Gubernator, & alii declarati excommunicati ob extractionem violentam mulieris ab Ecclesia, & deinde fustigatæ per Civitatem, Sanctissimus permittit, ut possint absolvi, non adimpletis conditionibus, seu Pœnitentiis appositis in facultate eos absolvendi, nempe quod Gubernator abstineret per unum mensem ab exercitio suorum Officiorum, ut se gereret tamquam excommunicatum, ut solveret Ecclesiæ violatæ centum duplas, & alii aliam summam, solum quod ad pœnam pecuniariam remisit ad arbitrium omnino Episcopi. *Eadem Sac. Congreg. Immunit. in Placentina 20. Martii 1700. lib. 2. Decret. Vallem. pag. 275.*

57 Aliquando Violatori Immunitatis Ecclesiast. in absolutione a Censuris imponitur Pœnitentia visitandi septem Ecclesias Urbis. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Beneventana 7. Maii 1630. lib. 2. Decret. Paul. pag. 39.*

58 Aliquando imponitur Pœnitentia Gubernatori in absolutione a Censuris habens tractum successivum ratione exempli. *Ead. Sac. Congr. Immun. in Aprutina 9. Aug. 1639. l. 3. Decret. Paul. p. 39.*

59 Ministri, & Satellites Regiæ Audientiæ absolvuntur in forma publica, & impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus ob extractionem. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Beneventana 13. Decemb. 1692. lib. 1. Decr. Vall. part. 10. in Cosentina 28. Maii 1695. d. l. p. 192. & alibi.*

60 Attento accessu ad Urbem remittitur Censuratus Ordinario, ut absolvat impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus. *Eadem Sac. Cong. Immun. in Avers. 19. Aprils d. A. & l. p. 183. in Alben. 4. Maii 1700. lib. 2. Decret. Vall. pag. 285.*

61 Prævio consensu Partis, & obligatione de parendo Mandatis Ecclesiæ super restitutione extracti facta alteri Ecclesiæ, tamquam spoliatæ, impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus, & præstita obligatione jurata de non amplius incurrendo in similia ob extractionem Confugiti factam ab Ecclesia Parochiali, absolvitur Potestas Oppidi N. private, sed servata forma, alii vero in forma consueta, & publice. *Eadem Sac. Congr. Immun. in Regien. 3. Sept. 1695. l. 1. Dec. Vall. p. 214.*

Arbitrio Emin. Episcopi, prævia erogatione eleemosynæ Ecclesiæ spoliatæ in summa ab eodem Eminentissimo arbitranda, servata forma, & impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus absolvitur Gubernator ob extractionem. *Eadem Sac. Cong. Immun. in Aversana 17. Maii 1695. l. 1. Decr. Vall. p. 191.* 62

Prævia cautione quatenus possit dari per Oratorem, attenta ejus paupertate, sin minus prævia obligatione de reficiendis damnis, absolvitur in forma consueta ob extractionem Confugiti ab Ecclesia, impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus. *Ead. Sacra Congreg. Immun. in Sab. 16. Nov. 1695. d. l. p. 157.* 63

Injungitur Episcopo, qui vigore facultatis absolverat Judicem Censuratum ob violatam Immunitatem, cum Pœnitentia salutari, ut removeat Pœnam privationis Officii, uti improportionatam. *Eadem Sacra Congreg. Immun. in Balneor. 16. Dec. 1630. l. 2. Dec. Paul. pag. 57.* 64

Censurati ob attentatam extractionem ab Ecclesia absolvuntur impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus. *Eadem Sacr. Cong. Immun. in Minerbin. 26. Decemb. 1693. lib. 1. Dec. Vall. pag. 96. in Sutrina 20. Augusti 1695. d. lib. pag. 210.* 65

Baroncellus, & Socii Executores Curiæ Laicæ ob dolosam extractionem absolvuntur, impositis gravibns Pœnitentiis salutaribus. *Eadem Sac. Congreg. Immun. in Hydruntina 22. Octob. 1692. lib. Decr. Grim. p. 213. in Spoletana 20. Februar. 1694. lib. 1. Decret. Vall. pag. 106. in Nucerina 22. Junii dict. Ann. & lib. pag. 130.* 66

Officiales Regiæ Audientiæ Salerni absolvuntur arbitrio Episcopi in forma Ecclesiæ, impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus ob carcerationem exempti. *Eadem Sac. Cong. Immun. in Caputaquen. 24. Julii 1684. lib. 1. Decret. Vall. pag. 136.* 67

Item Affictuarii, & Executores Curiæ Laicalis, qui carceraverant operarios cujusdam Parochi. *Eadem Sac. Congregat. Immun. in Theanen. 1. Martii 1694. ibi pag. 170. in Urb. 12. Decembr. 1693. d. lib. pag. 93. in Theanen. 4. Sept. 1703. lib. 3. Decr. Vall. p. 512. in Milit. 20. Februar. 1694. lib. 1. Decr. Vall. pag. 106.* 68

Notarius, qui scribendo processum cooperatus est ad carcerationem Sacerdotis factam de ordine Judicis Laici absolvitur impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus. *Eadem Sac. Cong. Immun. in Placentin. in Hispania 24. Februar. 1694. d. lib. p. 107. in Egitanien. 23. Januar. 1694. ibi pag. 101.* 69

In forma Ecclesiæ impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus Executores Curiæ Laicæ ob tentatam Carcerationem Cursoris Curiæ Episcopalis absolvuntur. *Eadem Sacra Congregat. Immunitat. in Anglon. 19. Jul. 1695. d. lib. pag. 203.* 70

Sa-

71 Satellites Regiæ audientiæ ob vexationes Clerico illatas absolvuntur in forma publica impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Cosentina* 28. *Maii* 1695. *l.* 1. *Decr. Vall. p.* 192.

72 Ministri, & Officiales Curiæ Laicæ ob recognitionem corporis delicti, etsi ignoranter, ut asserunt, factam super Sacerdote occiso, absolvuntur impositis gravibus Pœnitentiis salutaribus. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Alatrina* 13. *April.* 1696. *d. l. p.* 182.

73 Birruarius percutiens Religiosum absolvitur, impositis gravibus, & publicis Pœnitentiis salutaribus in forma Ecclesiæ arbitrio Episcopi, & adimpletis conditionibus expressis in Litteris sub die 23. Decembris præteriti. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Brundusina* 7. *Aprilis* 1694. *l.* 1. *Decr. Vallemani pag.* 115.

74 In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici
possunt latinos absolvere, debent tamen uti for-
ma absolutionis in Concilio Generali Florentino
præscripta. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 57.
75 incipient. *Et si Pastoralis* §. 5. Extra necessitatis
casum prudentiæ & arbitrio Ordinariorum relin-
quitur, ut Presbyteri Græci Albanenses Latino-
rum etiam Confessiones excipere valeant. Idem
76 *ibid.* Sacerdotes Græci Conjugati possunt, & Cu-
ram suscipere Parochiarum, & Parochianorum suo-
rum confessiones audire. Idem *ibid.*

77 In Pœnitentiæ Sacramenti administratione damnatur, & prohibetur sub gravissimis pœnis perversa praxis introducta exquirendi a pœnitentibus complicum nomina, & denegandi absolutionem, nisi illa manifestent. Idem t. 2. Constitut. incip. *Ubi primum*. Vide *tom.* 2. verb. *Confessarius*, & verb. *Complex*.

APPENDIX

Sive novus de Pœnitentia Articulus Romani Theologi.

1 Novum, Amice Lector, tibi offero de Pœnitentia articulum, ne nimium distrahi cogaris notulis, & animadversionibus, quas variis secundi, & tertii articuli locis, subjiciendas monuere Censores; & ut per certa, ac peritioribus Theologis nostris probata principia, securiorem, ac veram de hominis per pœnitentiam reconciliatione, doctrinam, proponam, & explicem. Si quæ vero a Lucio nostro asserta, aut falsa, aut minus tuta pronuncio, ne putes, me probo, atque docto viro, fratrique meo dilectissimo detractum quidpiam voluisse. Moveor enim ad ita scribendum, cum ut Censorum jussa faciam, tum etiam indito quoque mihi veritatis amore, ac studio quodam, quo ferri me sentio ad vulgandam, ac omnibus, quoad fieri possit, explicandam puriorem Ethicam Christianam, ac tutam æternæ salutis viam: Et opiniones, quas noto, non Patris Lucii sunt, sed Lacroixii, Vivæ, Tamburini, Sporerii, aliorumque hujus furfuris Auctorum, quorum ipse opiniones fideliter recenset. Ut autem ad rem veniam, primum de dolore, deinde de confessionis integritate, ac demum de satisfactione disputabo.

I. Ut autem intelligas, quinam, & qualis esse 2
debeat dolor necessarius ad obtinendam per pœnitentiam remissionem peccatorum, operæ pretium duxi perspicue exponere, in quo virtus pœnitentiæ consistat, quæ teste Tridentina Synodo *sess.* 14. *cap.* 4. ad impetrandam veniam peccatorum quovis tempore necessaria fuit; & quæ necessariam illam dispositionem constituit, quæ in pœnitente desideratur, ut per absolutionem Sacramentalem justificationem obtineat. Est itaque virtus Pœnitentiæ, *sincera hominis ad Deum conversio, qua peccata commissa detestatur, & odio habet propter Deum, cum gravi animi dolore, & cum firmo proposito deinceps non peccandi, sed malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendandi, & spe
veniæ a Dei misericordia consequendæ*. Dubitari non 3
potest, quin pœnitentia virtus sit proprie dicta: quæ enim divina lege præcipiuntur, ad virtutem proprie dictam pertinent. Nil vero frequentius in sacris litteris præcipitur, quam de perpetratis flagitiis pœnitentia. Ezechielis 18. habetur: *Convertimini, ait Dominus Deus, & agite pœnitentiam de omnibus iniquitatibus vestris*: Matthæi 3. *Pœnitentiam agite .... facite fructus dignos pœnitentiæ*. Et, ut alia mittam, Lucæ 6. legitur: *Cœpit Jesus prædicare & dicere*: *Agite pœnitentiam*. Deinde dolor de peccatis eo modo, & fine conceptus, ut extrema declinet, nequit non esse virtutis actus, ut inquit S. Thomas 3. *part. q.* 85. *art.* 1. qui enim lætantur cum male fecerint, peccant, ac peccant itidem, qui ita dolent, ut in desperationem se conjiciant, ut Cain, & Judas. Dolor ergo ad leges æquitatis, & Christianæ moderationis mensuram conceptus, actus virtutis est. Virtus autem hæc non generalis, sed peculiaris est, & revocatur ad justitiam commutantem. Nam pœnitentia dolet de malo commisso, quatenus est offensa Dei, cujus læsum jus reparare conatur. Violati vero alterius juris compensatio, ad justitiam commutantem attinet. Cum vero pro illata Deo injuria ad æqualitatem satisfacere, atque compensare peccator nequeat, cum sit incapax, ac debeat tantum, quantum potest, ac Deus exigit, compensare, ideo a Theologis non pars subjectiva, sed potentialis tantum justitiæ commutantis appellatur.

II. Virtus autem hæc non acquisita est humanis 4
actibus, ut justitia, fortitudo &c. sed gratuito infusa a Deo est, ut sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, & caritas. Hæc enim veritas aperte revelata in Scripturis est. Jerem. XXXI. dicitur: *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*; Ezechiel sic Deum loquentem inducit: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri .... & dabo vobis cor carneum .... & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Hinc Concil. Trident. *sess.* 6. *can.* 8. hanc veritatem definivit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema*

thema sit. Illa enim virtus infusa dicitur, inquit S. Thomas 3. *part. q.* 85. *art.* 5. quam Deus in nobis sine nobis, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus, in primis producit. Ejusmodi est habitus pœnitentiæ, ut ex Scripturarum testimoniis constat.

5 III. Pœnitentia hæc necessaria est necessitate medii, & necessitate divini præcepti, ut ex divinis Scripturis patet; Matth. 4. inquit: *Cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum*. Item Lucas *Act.* 3. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*; Iterum Lucas in Evang. *cap.* 13. inquit: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*.

6 Adducta testimonia, & alia plurima, quæ brevitatis studio omitto, necessitatem tum medii, tum præcepti evincunt. Nam illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo obtineri finis nequit. Porro æterna salus, quæ est hominis finis, ita a pœnitentia pendet, ut sine ea haberi non possit. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*. Hanc veritatem definivit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. his verbis: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & animi dolore detestarentur*. Pœnitentia igitur ante omnem legem scriptam fuit peccatoribus necessaria ad salutem, atque adeo necessaria necessitate medii, & quidem intrinseci, cum sit natura sua cum fine conjuncta. Quamobrem Tertullianus *lib. de pœnit. cap.* 11. ait: *Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis a principe generis humani auspicata, post condemnatum hominem, post ejectum e paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, jam inde in semetipso pœnitentiam dedicasset*. Accedit etiam evidens ex ipsa naturæ lege depromptum argumentum. Nam homo per peccatum fit a Deo aversus; Deum injuria afficit; legis transgressione Deum ipsum contemnit; ac secundum incommutabiles providentiæ, ac justitiæ leges, fit iræ ac divinæ vindictæ obnoxius. Ergo ut Deo reconcilietur, converti per pœnitentiam ad ipsum debet, compensare quantum potest illatam injuriam, sese paratum exhibere ad legem, & Dei voluntatem faciendam, ac punire in semetipso peccatum, per quod divinæ justitiæ iram atque vindictam subire oportebat. Idem enim exigunt incommutabiles divinæ providentiæ, & justitiæ leges, secundum quas homo, hominisque voluntas divinæ voluntati perfecte subjecta esse debet, ac summum Deo honorem deferre.

7 IV. Gradus, per quos pervenimus ad pœnitentiæ virtutem, sex a Theologis designantur cum S. Thoma 3. *part. q.* 84. *art.* 5. ubi hæc habet: *Dicendum, quod de pœnitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo quantum ad habitum; & sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult.* Converte nos Domine ad te, & convertemur. *Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus caritatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert*. Eamdem doctrinam confirmat Tridentina Synodus *sess. 6. cap. 6.* atque facile Sacrarum scripturarum oraculis comprobamus. Nam Joannis 15. Christus ait: *Sine me nihil potestis facere*, & c. 4. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; quamobrem Concil. Trident. *sess.* 6. *can.* 3. ita definivit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia*
conferatur, anathema sit. Dogma itaque catholi- 8
cum est, veram pœnitentiam a Dei operatione, sive Sancti Spiritus impulsu initium sumere. Se-
cundo huic succedit fidei motus. Ad Hebræos 9
enim 11. Paulus scribit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit*. Est enim fides virtutum omnium fundamentum, religionis principium, conversionis peccatoris initium, ac prima justificationis radix.
Hæc præcedit pœnitentiam, non vero constituit, 10
nec ejusdem pars est, ut perperam commenti sunt
Novatores. Fidem sequitur timor servilis; cum 11
enim per fidem Deus exhibeatur remunerator bonorum, ac malorum vindex, qui iis paravit æterna supplicia, fide posita, terror in peccatore oritur æternorum suppliciorum; quo terrore utiliter concutitur, ut ait Tridentina Synodus, & a peccatis
retrahitur. Timorem hunc non esse malum, sed 12
utilem adversus hæreticos facile demonstramus, nam a superno fidei motu oritur, atque a peccato hominem revocat; quamobrem in sacris litteris commendatur, atque præcipitur. Nam Ecclesiastici 1. habetur: *Timor Domini expellit peccatum: Nam qui sine timore est, non poterit justificari*. Et Christus Dominus Matthæi 10. *vers.* 28. hunc timorem præcipit, *Timete eum*, inquiens, *qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam*.
Quartus gradus est motus spei, quam concipi- 13
mus, dum servili illo timore concussi ad divinam misericordiam confugientes, confidimus Deum nobis propter Christum propitium fore: qua spe erecti vitam, & mores emendare constituimus. Quin-
tus motus est caritatis, quo peccatum displicet 14
pœnitenti secundum seipsum, & quatenus Dei summe boni offensa est, vel propter suam turpitudinem, non suppliciorum metu: *Sicque Deum tamquam justitiæ fontem diligere incipit*, ut loquitur Tridentinum. Pœnitens enim superna illa spe erectus, ad peccati turpitudinem, ac summam Dei bonitatem attendens, peccatum detestatur, quod Dei

Dei offensa est, & ob propriam turpitudinem, *quod ad caritatem pertinet*, ut ait S. Thomas *3. p. quæst.*
15 85. *art. 5. ad* 1. Atque hinc sextus oritur gradus, qui motus timoris filialis appellatur; quo pœnitens Deum tamquam patrem optimum revereri incipit, atque ob reverentiam erga beneficentissimum Parentem offensæ illatæ satisfactionem offert, atque in seipso peccatum punire constituit.

16 V. Motus isti, quos ex Tridentino, & S. Thoma descripsi, non sunt omnes ita absolute necessarii, ut omnes explicite, & formaliter requirantur; Sed posito gratiæ prævenientis motu, qui semper est formaliter necessarius, cæteri in unico formali actu comprehendi valent. Potest enim unico instanti peccator converti, ut patet in conversione Sancti Pauli Apostoli. Ideo autem Tridentinum, & Sanctus Thomas post alios Patres ejusmodi actus in œconomia pœnitentiæ enumerant, quia juxta consuetum divinæ providentiæ cursum hoc ordine concurrunt ad justificationem. Motus isti veri meriti rationem ad justificationem obtinendam non habent, prout præcedunt justificationem: nam gratia ipsa justificans, est principium meriti. Porro motus isti, qui justificationis gratiam præcedunt, sunt dispositiones veluti materiales, quæ nobis consentientibus, & per Dei gratiam operantibus, in animam introducuntur, & iisdem ad justificationis gratiam per merita Christi Jesu obtinendam præparamur. Quæ doctrina traditur a Synodo Tridentina *sess. 6. capit.* 8. his verbis: *Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.*

17 VI. Hactenus de pœnitentiæ virtute hominibus in mortale aliquod peccatum lapsis quovis tempore necessaria; ut ex dictis liquet, atque ex definitione Concilii Tridentini *sess.* 14. *c.* 1. Nunc de
18 pœnitentiæ Sacramento agendum est, quod a Christo Domino institutum est, ut per juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito, & confesso remittantur peccata post baptismum commissa. Singulari hoc beneficio, quo Ecclesiam suam Christus Dominus ornavit, atque munivit, potestatem faciendo Sacerdotibus remittendi per absolutionem Sacramentalem peccata, homines peccatores a virtutis pœnitentiæ exercitio non liberantur, sed novo potius titulo, novoque incitamento ad illam exercendam ferventius stimulantur. Tum quia Sacramenta ad perficiendas, non ad infirmandas virtutes destinata sunt; tum quia, hæc, peculiaria beneficia cum sint, homines adstringere debent ad gratum quoque animum ob nova suscepta beneficia exhibendum per ferventius virtutis exercitium; tum demum, quia, cum in pœnitentiæ Sacramento ad alios virtutis actus, per quos homo ad reconciliationem disponitur, addita sit peccatorum confessio, quæ effectu verecundiæ, atque confusione inde orta, plurimum confert ad detestationem peccati, facile intelligere est Christum Dominum voluisse, ut institutum a se Sacramentum pœnitentiæ, novos stimulos afferret ad detestanda peccata, ac ferventius exercendam pœnitentiæ virtutem. Sacramentum ergo pœnitentiæ institutum a 19
Christo Domino fuit ad fovendam perficiendamque virtutem pœnitentiæ, non vero ad attenuandam, & ad supplendum per virtutem clavium perfectæ contritionis defectum. Audiantur verba Catechismi Concilii Tridentini *part. 2. de pœnitentia* §. 46. *Ut enim hoc concedamus*, inquit, *Contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit?* Hæc est contritio caritate perfecta, qua justificatur peccator absque actuali Sacramenti susceptione, cum solo illius voto. De imperfecta vero subdit: *At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum rationi consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni Cœlestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex Fidei Catholicæ doctrina, omnibus credendum, & constanter affirmandum est: Si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, & si hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari: ut merito a sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clavibus aditum in Cœlum aperiri: de quo nemini dubitare fas est, cum a Florentino Concilio decretum legamus, Pœnitentiæ effectum esse absolutionem a peccatis.* Vides ergo, Sacramentum pœnitentiæ fovere, atque perficere virtutem, atque virtutis conatus augere potius, quam infirmare debere, in eo vero ipsius beneficium repositum esse, ut vehementis, acris, intensæque contritionis defectum suppleat, conferendo absolutionis beneficio justificationem etiam illi, qui non vehementem, acrem, & intensam, sed remissam, & imperfectam Contritionem habeat. Hac ratione faciliorem reddit communitati credentium remissionem peccatorum, cum valde difficile sit vehementem, acrem, intensumque illum contritionis motum concipere, quo extra Sacramentum homines justificentur. Hæc notata, ac
fusius explicata sunt, ut videas, quam inepte phi- 20
losophentur, qui pro extollenda clavium virtute, ac efficacia Sacramenti, obligationem ineundæ pœnitentiæ ita in peccatoribus minuunt, ut disponi illum posse credant ad absolutionem recipiendam sine ullo divini amoris actu, quo se a creaturis aversi, & conversi ad Deum profiteantur.

Sacramentum pœnitentiæ suam, ut Sacramenta 21
reli-

reliqua, materiam habet. Hæc vero duplex est, remota, & proxima. Materia remota sunt peccata detestanda, & destruenda; Nam sicut ligna ignis materiam dicimus, quia igni consumenda subjiciuntur, ita Theologi peccata, quæ clavium virtuti, ac pœnitentiæ Sacramento supponuntur, ut deleantur, materiam Sacramenti pœnitentiæ appellant. Peccata vero, quæ post Baptismum committuntur, proprie materiam Sacramenti Pœnitentiæ constituunt; Mortalia materiam necessariam, venialia vero materiam tantum sufficientem; cum absque confessione Sacramentali, aut ejus voto, atque Sacerdotis absolutione remitti possint. Media autem, quibus remissio peccatorum venialium confertur, sunt fervor caritatis, Sacramenta vivorum, & Sacramentalia, quatenus sint cum motu detestationis peccatorum conjuncta, ut confessio generalis, tunsio pectoris, & oratio Dominica: vel cum motu reverentiæ in Deum, resque divinas, ut Benedictio Episcopalis, aspersio Aquæ Benedictæ, Oratio in Ecclesia consecrata, & alia hujusmodi. Dixi *cum detestatione peccatorum conjuncta*, quia remitti numquam possunt peccata etiam venialia, quandiu voluntas illis adhæret; quamobrem ait S. Thomas, ne Martyrium quidem venialia peccata delere: *Si actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem*. Sacramentalia ergo, ac vivorum Sacramenta ad venialium remissionem conducunt, quatenus *inclinant*, inquit idem Doctor Angelicus, *animam ad motum Pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, implicite, vel explicite.*

22 VIII. Materia proxima hujus Sacramenti vocantur actus Pœnitentis, per quos delenda peccata subjiciuntur potestati clavium, ac satisfactione puniuntur. Sunt autem hujusmodi actus, cordis contritio, oris confessio, atque operis satisfactio. Primum de contritione, deinceps de confessione, ac demum de satisfactione dicemus. Hic tamen obiter notare juvat, tres antedictos actus a Florentina Synodo non Materiam, sed *quasi materiam* appellari, quia Scotistæ, aliique Theologi, ac viri gravissimi, ajunt quidem, tres illos actus necessario in Sacramento pœnitentiæ requiri, ut Sacramentum ex effectu sit integrum, sive esse materiam, circa quam proxime, & objective poenitentia occupatur; sed negant ad integritatem substantialem pertinere, aut intrinsece Sacramentum ipsum componere; Doctor enim Subtilis *in* 4. *dis.* 14. *q.* 4. *& dis.* 16. *q.*1. hujus Sacramenti essentiam in sola absolutione reposuit, itaut, quatenus ritus sensibilis est, pro materia, quatenus vero remissionem peccatorum significat, haberi pro forma debeat. Nec opinio hæc fuit unquam ab Ecclesia improbata, aut censura ulla notari potest.

23 IX. Contritio, inquit *Trid. Syn. sess.* 14. *c.* 4. quæ primum locum inter actus poenitentis habet: *Animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Perpende quæso Concilii declarationem. Ait, contritionem, quæ necessaria est ad præparandum hominem in Sacramento poenitentiæ ad remissionem peccatorum, detestationem peccatorum, propositum non peccandi *sive novæ vitæ propositum, & inchoationem* continere atque exprime-
re. Vide ergo 1. num sustineri possit illa Proba- 24
bilistarum opinio, quæ ait, non requiri in poenitente propositum expressum de non peccando de cætero, sed implicitum sufficere, illud scilicet, quod dolor ipse, ac detestatio peccatorum in se involvit. Nam Concilium duo hæc expresse postulat, ut poenitens detestetur peccatum, & propositum habeat non peccandi de cætero; cessationem a peccato; & vitæ novæ propositum. Satis ergo superque declarat, necessariam in poenitente esse expressam peccati detestationem, ac expressum quoque propositum non peccandi de cetero, quod novæ vitæ inchoationem contineat. Concilii ergo menti repugnat benigna illa Casuistarum opinio, quæ solum implicitum propositum sufficere affirmat. 2. Num novæ vitæ propositum, & inchoatio haberi possit sine caritatis initio. Cum enim caritas, & amor Dei vita hominis spiritualis sit, cujus privatio mors spiritualis hominis nuncupatur, non videtur hominem poenitentem novam inchoare posse vitam, quin aliquem in se Dei amorem, atque caritatis initium habeat; & quin primum, omnium maximum Dei mandatum servare incipiat. Sed de iis paulo infra.

X. Contritio ab eodem Concilio *cap. citato*, 26
dividitur in perfectam & imperfectam. Perfectam 27
vocat, quæ ex caritate perfecta concipitur, quæ etsi hominem Deo reconciliat priusquam etiam hoc Sacramentum actu suscipiat, declarat tamen reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto non esse adscribendam: imperfectam vero, quæ
attritio dicitur, eam, quæ *vel ex turpitudinis pec-* 28
cati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur; Hæc, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem sed etiam donum Dei est, & Spiritus Sancti, impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo Poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiæ impetrandam disponit.
Ad imperfectam contritionem sive attritionem quod 29
attinet, observare necesse est primum, attritionem naturalem, id est quam rationes mere naturales excitant, & quæ solis naturæ viribus concipitur, non sufficere, etiam cum Sacramento Poenitentiæ, ad hominem Deo reconciliandum; opposita enim opinio damnata fuit ab Innocentio XI.
Deinde nequidem attritionem illam sufficere, qua 30
quis doleat de peccato, quatenus offensa Dei &c. si peccandi voluntatem, & peccati affectum non exclu-

excludat; attritio enim necessariam ad reconciliandum hominem in Sacramento Poenitentiæ detestationem secum ferre debet de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero , ac vitæ veteris odium & vitæ novæ propositum, & inchoationem: ubi vero peccandi voluntas, & peccati affectus non excludatur, verum non peccandi propositum deest, verum peccati odium desideratur, nec efficax propositum adest, neque efficax novæ vitæ inchoatio, ut consideranti patet. Denique observare est, attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, atque ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, utilem esse, atque ad justificationem disponere, ut est a Concilio Tridentino adversus Lutheranos definitum. Idque constat etiam ex iis, quæ supra nos de timore disputavimus. At aliud est, utilem esse, atque disponere ad justificationem, & aliud sufficientem esse. Nam fides utilis sane est, atque disponit, sola vero non sufficit; spes quoque inter utiles dispositiones recensetur , sed nec hæc etiam cum fide conjuncta sufficit. Etsi ergo dolor ex metu illo conceptus utilis sit, atque disponat, non inde perspicue sequitur, dolorem hujusmodi cum ipsa fide, & spe conjunctum sufficientem esse ad hominem Deo reconciliandum in Sacramento. Quamobrem jure meritoque disputant Theologi, num attritio necessaria in Sacramento Pœnitentiæ, sine Dei amore saltem inchoato sufficiens sit ad justificationem obtinendam.

32 XI. Supervacaneum autem existimo disputare, num in Sacramento requiratur contritio perfecta: falsam enim opinionem id asserentem communi-
33 ter omnes Theologi existimant. At neque in Concilio Tridentino, neque alio Ecclesiæ Decreto hæc sententia proscripta unquam fuit. Præfatam sententiam gravissimi Theologi ante Concilium Tridentinum propugnarunt: Hugo a S. Victore *lib.* 2. *de Sacram. par.* 15 *cap.* 8. Richardus Victorinus *lib. de potest. absolvend. cap.* 7. Robertus Pullus *de Sacram. p.* 5. *c.* 13. Innocentius III. *in Psalm.* 2. *pœnit.* Guillelmus Antisiodorensis *in Sum.* Albertus Magnus *in* 4. *sentent. distinct.* 17. *&* 18. Alexander Alensis *par.* 4. *Sum. qu.* 8. *memb.* 1. S. Raymundus *lib.* 3. *de pœnitent.* §. 8. Vincentius Bellovacensis *lib.* 8. *specul. Histor. cap.* 34. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 81. *par.* 1. *art.* 2. *q.* 1. S. Bernardinus Senensis *tom.* 2. *Serm.* 27. *de confess.* Gabriel Biel *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 11. *artic.* 2. Alphonsus Tostatus *cap.* 5. *Defensorii*, Guillelmus Pepinus *serm.* 5. *in Cœna Domini*, inquit: *Regula generalis Theologorum est, quod Confessor neminem debet absolvere, quem non credit verisimiliter a Deo absolutum.* Nemo Theologorum tribus integris sæculis ante Tridentinum notam hæresis huic sententiæ impendit, neque in Conciliis Lateranensi IV. Lugdunensi II. Viennensi, Constantiensi, Basileensi, Florentino de eadem querela aliqua mota fuit. Immo nec ipsum Concilium Tridentinum aliquam in eamdem censuram tulit, ut testatur Cardinalis Pallavicinus *lib.* 4. *hist. cap.* 10. atque gravissimi Theologi, qui eidem Concilio interfuere, Andreas Vega, *lib.* 13. *in Concil. Trid. c.* 33. Richardus Tapperus, ut colligitur ex historia *Conc. Trid. lib.* 2. *cap.* 10. Dominicus Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *artic.* 2. Relata sententia de
perfecta contritione, quæ culpam deleat, non ita 34
facile cum potestate clavium componi valet; quamvis hæc duo variis viis consociare illius Auctores studeant. Idcirco omnes Theologi jure nunc hanc sententiam rejiciunt, non quod sit ab Ecclesia peculiari decreto proscripta; sed quia reipsa falsa est, & clavium potestati derogare videtur. Si plura hac de re cupis, legas P. Drue *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3.

XII. Hæc præmittenda duximus, ut facilius Le- 35
ctores intelligant, quænam cavenda, ac aliqua reprehensione digna habeantur *in* 2. *&* 3. *articulo de pœnitentia*. Itaque *numero* 13. *secundi articuli*
exponitur, atque probatur eorum opinio, qui cum 36
Lacroixio, aliisque benignioribus Theologis tuentur, *sufficere in pœnitentia dolorem de peccatis ob metum pœnarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel immittendarum*; qui ergo de peccato ea unice de causa doleat, quia timet, vel morbum gallicum, vel carcerem, vel famem, vel infamiam, vel gravem infirmitatem, quam peccati causa a Deo inflictam, vel infligendam credat, satis superque paratus est ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ justificationem. Ita ne, mi Luci, fideles pœnitentes instruendos putas? Nihil aliud ab homine exposces, qui ad te peccata manifestaturus accedat? At Innocentii XI. decreto sancitum est, non licere, ubi de valore Sacramenti agitur, sequi opinionem probabilissimam, relicta tutiori. Igitur cum, te fatente, probabilitatis lineam non excedat assertio de sufficientia hujus timoris, ut Pontificio decreto obsequaris, cogeris obligare pœnitentem ad novum, & perfectiorem dolorem concipiendum. Sed quid, si levissima etiam sit probabilitas? Nam graviores Theologi opinionem istam pro laxa, atque falsa omnino habent. Et quidem jure atque merito ita opinari videntur. Primum, quia Concilium Tridentinum, utilem attritionem describens ex metu pœnarum conceptam, ait *ex gehennæ, & pœnarum metu*. Alias ergo pœnas cum gehenna conjungit, hoc est cum pœna æterna, quæ propria peccati mortalis pœna est, quæque per fidem unice proponitur, non vero per sensus, perque rerum sensibilium amorem, quo ad aversanda, & timenda mala temporalia trahimur. Deinde Concilium Tridentinum dolorem disponentem ad justificationem in Sacramento ex supernaturali motivo, atque ex superno S. Spiritus impulsu, concipi oportere declarat. Supernus vero Divini Spiritus impulsus, hominem a terrenis, & temporalibus retrahit, atque ad cœlestia, & æterna vocat, & dirigit. Id adeo certum est, ut in controversiam revocari nequeat. Dum ergo homo detestando peccatum, sistit in timore, vel carceris, vel infamiæ, vel morbi gallici, aut etiam temporariæ mortis, qua se a Deo punitum iri metuat, dubitari prudenter poterit, timorem illum non esse ex impulsu supernæ gratiæ, sed ex proprio potius, & humano illo amore, quo natura hominis impetu quodam mala hæc refugit, & aversatur. Atque hæc nostra conjectura consona est Christi Domini sententiæ, qui Matthæi 10. utilem Discipulis suis timorem demonstrans, inquit: *Nolite*

lite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam. Monet itaque Servator noster, ne timorem illum concipiamus, & foveamus, qui pro objecto habeat mala temporalia, quorum mors extremum est, sed illum tantum, quo a gehenna, & æterna pœna retrahimur. Quorsum vero hoc, nisi quia timor ille infirmæ semper, aut ferme semper humanitatis est motus; hic vero superni illius Spiritus, qui per fidem æternas pœnas demonstrat, & quo ad Cælestia, & æterna dirigimur? Et sane debita peccato mortali pœna æterna est, non temporaria; qua de causa apposite Concilium Tridentinum pœnarum metum cum metu gehennæ copulavit; scilicet, ut intelligeremus, primarium hominis peccatoris objectum timoris, æternas esse pœnas, pœnas vero reliquas, veluti illius consectaria. Non diffiteor, utilem esse posse hujusmodi timorem, cum retrahere aliquo modo hominem a peccato possit, ac excitare illum ad æternas pœnas considerandas, quarum timore intimius, atque validius concutitur. Sed hunc tantum timorem sufficere, probare nullo modo possumus. Distinguat ergo Lucius *inter utilem, & sufficientem*: non enim quæcumque utilia sunt, ea sufficiunt ad justificationem obtinendam. Nec ad rem facit Ninivitarum, quod ipse affert, exemplum: ii enim utiliter timore concussi dicuntur a Concilio Tridentino; sed quis dicat, timorem tantum pœnæ temporalis concepisse, cum Jonas Civitatis exterminium, mortem, ac divinam illis minitatus fuerit vindictam, & cum ex iis concepto timore utiliter concussi fuerint? Videndum etiam qua ratione utiliter concussi fuerint. Non alia sane ratione, nisi quia ex hujusmodi timore moti sunt ad considerandam Divinam misericordiam, in qua spem veniæ collocaverunt, & ad considerandam Divinam justitiam, cujus deinceps amore conversi sunt de via sua mala, hoc est facti sunt aversi a creatura, & conversi ad Creatorem, qua unice via obtinere tunc poterant justificationem. Accedit etiam, quod de Ninivitis legatur: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala &c.* Deus porro nullam rationem habet operum in ordine ad justificationem, nisi procedant ex fide, quæ per dilectionem operatur. Ut enim ait S. August. *serm. 88. alias 50. de Verbis Domini c. 2. Adde caritatem, prosunt omnia; detrahe caritatem, nihil prosunt cætera.*

37 XIII. Non solum dolorem ob metum poenæ temporariæ insufficientem habemus ad justificationem obtinendam; sed dubitamus etiam de sufficientia doloris ex solo metu gehennæ concepti, aut ex turpitudinis peccati consideratione, si initialis ille amor non accedat, quo homo aversus a peccato & creatura, & conversus ad Deum esse incipiat, & quo novam illam vitam inchoet, quam a Tridentina Synodo commemoratam diximus. Et cum in Sacramentis conficiendis, tutam sectari teneamur viam post laudatum Innocentii XI. decretum, contendimus, teneri Confessarios ad hortandos poenitentes, ut conentur, ex aliquo saltem initiali Dei amore, dolorem de peccatis concipere. Si opinio hæc asserens probabilis sit, nemo dubitat ad id teneri. Quid vero, si probabilior quoque sit? At ita se res habet, ut facile quisque intelliget, dum serio attendat ad vera, atque solida Theologiæ principia. Nos hic pauca primum dicemus de servili timore gehennæ, ac de dolore ex turpitudinis peccati consideratione, deinde de initialis amoris necessitate.

XIV. Jam diximus servilem gehennæ timorem 38
bonum, atque utilem esse motum, quo scilicet homines utiliter concutiuntur, ac retrahuntur a
peccatis. Ostendendum nunc est, utilem hujus- 39
modi timorem ad justificandum hominem cum Sacramento neutiquam sufficere. Id autem ostenditur primo, quia nova est, nec duobus sæculis vetustior doctrina, quæ asserit sufficientem esse hujusmodi timorem, ut docet Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 7. c. 12. num. 6.* inquiens: *Quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam jam tum attritionem nuncupabant, attritionis tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis, aliunde excitatum, quam ex motivo caritatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei.* Si nova est in Theologia doctrina de sufficientia timoris servilis; ergo suspecta, & minus tuta; cum vera doctrina sit ea, quam per manus Patrum ex Apostolis a Christo Domino deductam, Ecclesia, atque antiquiores Theologi acceperunt. Deinde dolor disponens ad justificationem ex Concilio Tridentino loco supra citato debet excludere voluntatem peccandi; cum voluntate enim peccandi vera virtus poenitentiæ consistere nequit; atqui dolor ex metu gehennæ, sive gehennæ timor, quod idem est, voluntatem peccandi non excludit, timor enim, ut pluries docuit Augustinus, ac alii tradidere Patres, *manum cohibet, non animum.* En verba Augustini *Concione 25. in psalm. 118. Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas.* Similia habent Gregorius Magnus *in lib. Moral. cap. 27.* atque alibi, S. Bernardus *Epist. 11.* aliique Patres. Ex Theologis sufficienter S. Thomas, & S. Bonaventura: Doctor enim Angelicus 2. 2. *q. 19. art. 9.* ait: *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus S. licet sit a Spiritu S.* quia, ut Augustin. dicit *in lib. de natura, & gratia c. 57. potest habere annexam voluntatem peccandi: dona autem Spiritus S. non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine caritate* S. Bonaventura 3. *sententiarum dist. 34. q. 1. de timore num. 59.* affirmat, *metu suppliciorum æternorum, & Divinæ justitiæ, hominem cessare a peccatorum perpetratione, sed non omnino a voluntate & quæst. 2. num. 65.* expresse ait, *manere voluntatem peccandi in habitu & radice* in eo, qui a
peccato abstineat ob timorem poenæ. Timor er- 40
go hujusmodi voluntatem peccandi non excludit.
Denique dolor, quo homo ad poenitentiam, & 41
justificationem præparatur, cordis conversionem secum ferre debet: ut enim per peccatum fit homo aversus a Deo, & conversus ad creaturam, ita

ita per poenitentiam aversus a peccato, & a creatura fieri debet; & conversus ad Deum; *Offensa peccati mortalis*, inquit S. Thomas 3. *part. quæst.* 86. *art.* 2. *procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo, per conversionem ad aliquod bonum commutabile, unde requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, & proposito emendandi*. Atqui conversio hæc solo timore gehennæ fieri non potest, tum quia conversio hæc debet esse motus contrarius conversioni ad creaturam; motus autem huic conversioni contrarius, non est nisi conversio ad Deum per amorem: hinc S. Thomas *lib.* 4. *contra Gentes c.* 71. *Mens nostra*, inquit, *debite ad Deum converti non potest sine caritate*. Tum etiam quia non habetur vera ad Deum conversio, quin illi restituatur, quod per injuriam ablatum fuit. Itaque cum homo peccando debitum Deo amorem creaturis tribuerit; manifestum est, non posse ad reconciliationem disponi, nisi avertendo se a creaturis, ac se convertendo per amorem ad ipsum Deum. Et sane perridicula res videtur, hominem, qui peccavit detrahendo Deo debitum amorem, reconciliationem cum eo per poenitentiam exposcere, & ne quidem amoris initium reddere eidem oportere. Tum demum quia impossibile est converti hominem ad Deum posse, quamdiu in ipso homine prædominans creaturæ amor incalescat, hic enim amor malus cum sit, nequit cum vera ad Deum conversione componi, & cum hujusmodi conversio aliqualem a creatura aversionem, & debitam humanæ voluntatis Deo subjectionem secum ferre debeat, manifestum est, cum prædominante sui ipsius amore conciliari in homine non posse: atqui quamdiu ex solo gehennæ metu homo de peccato dolet, in se ipso creaturæ, ac sui ipsius prædominantem amorem gerit; nam sine amore, qui vita cordis est, esse homo non potest, ut Auctor libri de substantia dilectionis, & S. Fulgentius *lib.* 1. *ad Monim.* aperte tradunt. Ergo cum in homine amor Dei non statuatur, necesse est, ut Creaturæ amor prævaleat. Et sane, undenam metus mali in homine oritur, nisi ex prædominante sui ipsius amore, quo quidquid ei malum exhibetur, aversatur,
41 & fugit? Ex quo apparet, hominem per timorem retrahi potius a Deo, quam eidem per debitam obedientiam subjici, ac per actum voluntatis ad ipsum converti. Opus ergo est dilectione aliqua, qua amare incipiat Divinam bonitatem atque justitiam, ut homo ad Deum conversus dicatur. Audiat ergo Lucius noster Alexandrum Alensem, qui *in* 4. *qu.* 17. *art.* 6. hæc de servili timore habet. *Dico, quod timor est principium remotum* (poenitentiæ) *quia ex hoc quod pœnam timet, desistit ab actione peccati, sed nondum justificatur. Sed post incipit* (pœnitens) *moveri in Deum per amorem, & sic timor est principium remotum, amor vero propinquum*. Et in Speculo animæ: *Timor*, inquit, *semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis dimittit peccatum facere solummodo ratione pœnæ*. Et in libro *de* 7. *donis Spiritus S. cap.* 1. *Timor servilis non mutat voluntatem in bonum, licet criminis impediat executionem*. (*) Disponit itaque timor, sed non sufficit ad justificationem obtinendam, sicut fides, & spes disponunt, sed non sufficiunt.

XV. Venio nunc ad attritionem ex turpitudine 42
peccati conceptam. Triplex in peccato turpitudo concipitur, 1. in eo consistit, quod peccatum v. g. furti res sit in humana societate probrosa, & ignominia plena. 2. Peccato ipsi intima est in quantum peccatum natura difforme est, & honestati, ac rationi, animæque nostræ pulchritudini contrarium, atque ita furtum turpe sua natura est. 3. Denique peccati turpitudo in oppositione consistit peccati cum justitia, & sanctitate Dei; dubitari enim non potest quin turpe sit, quod Dei sanctitati ejusque æternæ legi contrarium est. Jam vero, si quis de peccato doleat, quia sibi propriæque æstimationi noxium est, non peccatum, sed propriæ famæ jacturam detestatur, & gemit. Itaque conversus ad Deum dici nequit. Item qui peccatum detestatur, quia honestati repugnat, ac propriæ animæ pulchritudinem deformat, nec alio altiori motivo de patratis iniquitatibus affligitur, is constituit in se ipso finem suum, ideoque vere pœnitens dici nequit; immo novum peccatis suis superbiæ crimen addit; Audi Augustinum *lib.* 5. *de Civitate Dei cap.* 20. *Cum anima*, inquit, *in se delectatur, nondum re incommutabili delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum Superior sit Deus*. Superest ergo, ut solus ille dolor vere ad justificationem in Sacramento obtinendam disponat, qui ex turpitudinis peccati consideratione concipitur, quatenus Deo, fonti sanctitatis infinitæ displicet, ejusque incommutabili justitiæ contrarium est. Non potest vero hic dolor esse, sine aliquo Dei amore, immo ex amore ipso, velut ex causa ac principio nascitur, quod erit ex iis, quæ dicenda supersunt, certissimum.

XVI. Contritio ergo imperfecta, sive attritio, 43
quæ hominem proxime disponit ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ, amorem Dei sive caritatem initialem, qua Deum diligere incipiat veluti omnis justitiæ fontem, necessario ferre secum debet. Ne a sodalium meorum doctrina recessisse videar, præter Alensis, & S. Bonaventuræ auctoritates, supra recensitas, in medium hic afferre duxi, primum S. Bernardini Senensis, deinde Doctoris subtilis sententias: Ille itaque ait: *Qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damnatio ex propria culpa, cessaret & contritio illa. Licet ad veram contritionem concurrat dolor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans: unde, etsi in peccatore initiet timor* pœ-

(*) Hactenus allata S. Augustini, ac Theologorum testimonia de timore illo servili sunt, qui *serviliter servilis* dicitur, quo pœna tamquam principale malum timetur, atque adeo, qui illo percellitur, ita est comparatus, ut si nulla sibi peccanti pœna immineret, a peccato non abstineret.

pœnæ, superveniens tamen amor talem timorem debet repellere. Scotus vero *in 4. Sententiar. distinct.* 18. *Contritio ad hoc ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiæ, oportet, quod sit voluntaria detestatio, & debita circumstantia finis: quod homo pœniteat, non solum propter timorem pœnæ, sed timore filiali* ..... Et ibidem *dist.* 20. *quæst. unica*, inquit: *Ad hoc, quod displicentia valeat, & sit ordinata, oportet, quod sit debite circumstantiata, & maxime circumstantia finis, & principii active principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum .... oportet non solum timere judicem, sed diligere: ut enim dolere possit commissa*, (Judex Deus) *arbitrii libertatem quærit, non necessitatem, cari-*
44 *tatem non timorem*. In hanc opinionem propensos fuisse Tridentinos Patres facile patet, licet enim controversiam hanc definire noluerint, ut habemus ex ejusdem Concilii historia, tamen præferre voluisse videntur opinionem adstruentem necessariam esse aliquam Dei dilectionem, ut homines proxime ad justificationem disponantur, habent enim *sess. 6. cap. 6.* homines adultos justificari, *Dum peccatores se esse intelligentes a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*. Si hæc desiderantur in Baptismo, quanto magis in pœnitentia, quæ a Tridentinis laboriosus baptismus nuncupatur? Atque hinc apparet, injuria Auctorem Bibliothecæ *num.* 14. secundi articuli concludere ex Tridentino, sufficientem esse timorem servilem in Sacramento pœnitentiæ, quia Patres dixerant, per hunc peccatorem *utiliter concuti*: Qua enim ratione utiliter concutietur, expositi Concilii verbis declaratur. Fides Deum veluti supremum Judicem exhibet peccatori, qui per æterna supplicia puniri velit homines lethali culpa gravatos: hæc repræsentatio timorem in homine excitat suppliciorum, per quem a peccato eorumdem causa retrahitur, & qui amorem in hominem excitat concupiscentiæ, quo Deum sibi propitium, ac bonum fore optat: tum spes sequitur, quæ amori concupiscentiæ, sive desiderio antedicto juxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. *qu.* 25. *art.* 2. *addit quemdam conatum, & quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum*, quo sensu Concilium dixit, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi per Christum propitium fore: elevato denique in spem animo, Deus summe bonus, & summe justus exhibetur, quo fit, ut contritus homo, diligere divinam bonitatem, & justitiam incipiat, Deum nempe veluti totius rectitudinis, sive justitiæ fontem, & hujusmodi amor est novæ illa vitæ inchoatio, de qua Tridentinum loquitur, & efficax novæ vitæ propositum, quod consistere in homine sine Dei summe boni dilectione non potest.

45 XVII. Ex his facile liquet, quam æqua sit censura Cleri Gallicani, dum hanc propositionem proscripsit in Comitiis Generalibus anno 1700. celebratis: *Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta, & supernaturalis est*, ait enim: *Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit*; deinde vero suam doctrinam ita explicat: *Post absolutas propositionum censuras, supersunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda.*

Et quidem de dilectione Dei sicut ad Sacramentum baptismi in adultis, ita ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus; hæc duo in primis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda, & docenda esse duximus.

Primum, ne quis putet, in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem eam, quæ fit caritate perfecta, antequam actu suscipiatur, hominemque Deo reconciliet; alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipiat diligere Deum, tamquam omnis justitiæ fontem.

Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, se se excitet, ac provocet.

Placet etiam caveri a Sacramenti pœnitentiæ administris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: Neque pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit: graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, vel eo solo quod certis incerta præponant.

XVIII. Afferendæ hic essent ad id magis com- 46
probandum Scripturæ, ac Patrum auctoritates; at eas de industria omittimus, cum legere quisque illas possit apud satis obvios auctores, qui easdem collegere. Videantur Carolus Witasse, Laurentius Berti, Auctor de re Sacramentaria, Daniel Concina, aliique doctissimi Recentiores, qui hanc controversiam in suis operibus Theologicis fusim pertractant. Nobis enim sat est argumenta indicare, quæ Patres, antiquioresque Theologi suggerunt. Primum itaque sit; Lex ipsa naturæ po- 47
stulat, ut homo qui peccando pervertit Divinæ providentiæ ordinem, Deum offendit, ejusque inimicus evadit, dum eidem Deo reconciliari desiderat, ita in se ipsum redeat, ut serio, atque efficaciter proponat, restitutum velle turbatum per ipsum Divinæ providentiæ ordinem, compensatam Deo illatam injuriam, ac conciliatam iterum sibi Dei amicitiam. Quis enim dicat, conversum ad Deum peccatorem esse, si servatum nolit stabilitum a Divina justitia ordinem, si compensare pro illata injuria recuset, si denique inire cum Deo amicitiam enixe non optet? At efficaciter non vult servatum constitutum ordinem, qui amare saltem non

non incipit Deum tamquam totius justitiæ fontem scilicet tamquam eum, per quem totius rectitudinis ordo constitutus est; si non incipiat diligere ipsum tamquam summum bonum, cum rectus ordo exposcat, ut Deus super omnia toto corde diligatur: neque pro illata Deo injuria vult efficaciter compensare, qui sublatum Deo debitum amorem, ac creaturis tributum, eidem Deo iterum restituere efficaciter non constituat: qui vero Deum amare non incipit, qua summum bonum est, non vult profecto efficaciter eidem debitum restituere amorem: nec demum inire cum Deo amicitiam efficaciter desiderat, qui eum initiali saltem amore amicitiæ non diligit. Deinde, Scripturæ in homine pœnitente exigunt; *Ut revertatur ad Deum in universo corde suo, & tota anima sua*, 3. Regum 8. atque 1. Joannis 3. ajunt: *Eum qui non diligit, manere in morte*. Quomodo vero in universo corde suo, & in tota anima sua reversus ad Deum homo dici potest, si saltem amare ipsum non incipiat? Scimus enim nonnisi per amorem cor & animam hominis ad Deum reverti. Quomodo deinde novam vitam inchoasse dicetur, ut Concilium Tridentinum in pœnitente postulat, qui non diligendo maneat in morte, si saltem per initium caritatis non incipiat diligere Deum? Reliqua facile patent ex dictis.

48 XIX. Ex iis, quæ dicta sunt, facile colliges, amorem qui requiritur in pœnitente, secundum Tridentini definitionem, non esse amorem concupiscentiæ, & spei, sed amorem amicitiæ, ac saltem caritatis initium. Id enim cum ex eo constat, quod amor concupiscentiæ spem præcedat, ut diximus, & quod Concilium præter fidem, & spem, alium virtutis actum exposcat: *Quo diligere incipiat Deum tamquam omnis justitiæ fontem*; tum etiam ex eo, quod propositum novæ ineundæ vitæ involvere secum debeat efficax desiderium servandi primum, & maximum mandatum diligendi scilicet Deum super omnia. Efficax autem hujusmodi desiderium, aut dilectionis initium est, aut dilectionem ipsam secum necessario trahit, per quam homo dicitur novam inchoare vitam. Non est ergo audiendus Honoratus Tournely, qui de amore concupiscentiæ, & spei locutos fuisse Tridentinos Patres affirmat, nec etiam P. Gabriel Antoine, qui postquam probavit necessitatem initii caritatis, ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, concludit, sufficere amorem, quo Deus diligatur *præcise ex motivo spei, seu concupiscentiæ*.

49 XX. At inquiunt, in Sacramento pœnitentiæ *hominem ex attrito fieri contritum*, ut universim Theologi affirmant; id vero dici non posset, si ex motivo caritatis concipi deberet dolor prærequisitus; tunc enim ante absolutionem contritus homo esset. At audiant doctissimum Theologum Alphonsum Vivaldum, qui *in Candelabro aureo, tit. de attritione q.* 8. rem ita exponit: *Quotiescumque invenitur in Doctoribus, quod attritio fit contritio, vel attritus cum Sacramento fit contritus, intelligendum est de attritione perfecta, de illa nimirum, qua propter Deum pure dolemus de peccatis; sed non ita fervide, & super omnia, ut par erat*. Audiant Joannem Viguerium *Instit. de Sacram. pœnit. c.* 16. §. 4. *tit. de Contritione*: *Si attritio dicatur dolor de peccatis voluntarie assumptus propter timorem servilem .... ut scilicet sit detestatio peccatorum propter metum pœnæ, vel propter Deum non summe dilectum; tunc attritio numquam fit contritio, nec ex attrito aliquis fit contritus, nisi ad hunc sensum, quod post attritionem venit contritio: sicut dicimus, ex mane fit meridies, & ex injusto fit justus consecutive: sic postquam aliquis fuit attritus, fit contritus, attritione desinente propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor filialis, vel Deus summe dilectus: & hæc fuit opinio S. Thomæ in* 4. *Si vero attritio dicatur dolor voluntarie assumptus propter Deum summe dilectum, sed non cum sufficienti, & requisita intentione, sive gradu, puta quia non est ex toto corde, & ex tota mente &c. sicut cum motus naturalis a principio fit remissus, & in fine velocissimus; & tamen est idem motus, qui successive perficitur: sic attritio ista per continuationem, vel applicationem absolutionis fit contritio; & sic intelligitur id, quod a Doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attrito fit contritus*.

XXI. Sed iterum ajunt, qui Deum amat, spiritualiter vivit: præmisso ergo amore Dei super omnia, quid Sacramentum præstabit? Qua ratione pœnitentia vere dici Sacramentum mortuorum poterit? Respondet Auctor Summæ Alexandrinæ, varios esse vitæ spiritualis gradus: *Habet illa exordium suum, progressum, perfectionem. Amor vitæ cordis est. Amor inchoatus est initium vitæ spiritualis: amor provectus est progressus vitæ spiritualis; secundum illud S. Augustini*: Inchoata caritas, inchoata justitia est: perfecta caritas, perfecta justitia est: *Peccator itaque imperfecte contritus, sive attritus, Deumque, ut omnis justitiæ fontem, diligere incipiens, vivit vita inchoata, quæ dispositio est ad vitam perfectam, ex caritate perfecta & a Sacramento ipsam conferente procedentem. Duplicis hujus vitæ distinctionem approbavit Pius Quintus Sanctissimus Pontifex, cum Michaelis Baii Propositionem sexagesimam tertiam his verbis conceptam inter alias damnavit*: Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei Pœnitenti, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur qui vere justificatur, & palmes vivus in Christo rite efficitur, commentitia est, & Scripturis minime conveniens judicatur. *Et quamvis ante susceptionem Sacramenti, seu ante Absolutionem Sacramentalem vivat Pœnitens, seu vita inchoata & imperfecta, cum imperfecte contritus est, seu vita perfecta, cum perfectam Contritionem habet; Pœnitentia nihilominus Sacramentum est mortuorum, quia peccatores vivificat per dispositiones, vel partes sibi prævias, sibique connexas, quæ etiam efficaciam ab ipsa mutuantur*. 50

XXII. Cum itaque valde probabile sit, hominem ex motivo caritatis dolere oportere de peccatis, ut sufficienter dispositus sit ad justificationem obtinendam in Sacramento pœnitentiæ, & cum hæc tutior sit via, quæ ad salutem peccatores perducit, manifestum est, post Innocentii XI. Decretum, Confessores omnes teneri ad hortandos 51

dos pœnitentes suos, ut pro viribus conentur dolorem ex hoc motivo concipere ante quam absolutionem recipiant, secundum monitum S. Caroli
52 Borromæi in edita pro Confessariis instructione. Ad tollendos vero hac de re scrupulos, animadvertendum duximus, ex motivo caritatis detestari peccata etiam illos, qui doleant ex eo, quod a Deo separari timeant, ejusque beatifica visione privari. Ii enim Deum tamquam omnis justitiæ fontem gratis amore casto diligunt; ut docet S. Augustinus *serm.* 78. *alias* 19. *de verbis Apostoli c.* 10. quia qui amant videre Deum suum, timentque hac visione privari, divinam justitiam amant, sive Deum tamquam omnis justitiæ fontem. Item qui Deum diligunt ut bonum suum, ac æternam suam beatitudinem, illum amicitiæ, non concupiscentiæ desiderio expetunt; nam non deprimunt Deum ad commodum suum, quod amoris concupiscentiæ proprium est; sed eum ita diligunt, ut se illi omnino subjiciant, illi obediant, & in illo tamquam in suo ultimo fine requiescant. Idem etiam constat ex S. Augustino in *Psalm.* 34. ubi ait: *Exigitur a te, ut eum gratis colas, non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna*. Hinc S. Bernardus *serm.* 8. *de diversis* invicte probat, mercenarium non esse hominem, qui Deum diligat ut finem suæ beatitudinis, *& qui paternæ inhiat hæreditati, eamque toto affectu expetit, & expectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur, inquiens*: Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces &c. Nam anima Dei amore sive caritate mota, *tota*, inquit, *pergit in Deum, unicumque ei, ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur*. Et Hugo a S. Victore *l.* 2. *de Sacram. cap.* 8. perspicue demonstrat, purum Dei amorem non excludere desiderium Dei, quatenus beatitudo nostra est, sed necessario hujusmodi desiderium involvere, quia diligere nil aliud est, quam illud velle habere, quod diligimus. Item, qui dolent, quod Deum, ut par est, non diligant, ac magis ipsum diligere cupiunt, jam Deum, ut omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac proinde sufficienter contriti censendi sunt ad absolutionem Sacramentalem recipiendam. Nam desiderium amoris initium amoris est. Hinc Guillelmus Parisiensis *l. de Sacram. pœnit. cap.* 6. inquit: *Qui quærit amare Deum, utique jam amat Deum, licet nondum ex amore, quem quærit. Cum enim quærat amare Deum, utique desiderat amare Deum: qui autem desiderat, amat. Amat ergo amare Deum, & non amat illud, nisi propter Deum*. Tandem, qui firmum & efficax propositum habeant non peccandi de cetero, etiam ii Deum amare firmo proposito secum ipsi constituunt. Proponunt enim servare maximum mandatum, amandi scilicet Dominum Deum ex toto corde; illum igitur amare incipiunt. Nonne enim vero fur est, quisquis gerit furandi propositum? Nonne adulter est, quisquis firmum adulterandi propositum concepit? Nonne avarus, sive amator pecuniæ est, quisquis firmo proposito decrevit pecuniam amare? Eadem igitur ratione Dei amator est, quisquis firmo proposito decrevit Deum amare. Quisquis autem peccatum sincere detestatur, & deinceps non peccare decrevit, Deum amare sincere desiderat ac firmiter decernit. Quomodo enim illum veteris amoris pœniteret, qui novo amore succendi non inciperet? Quomodo creaturarum cupiditatem detestaretur, qui cor suum non devoveret Creatori? Quomodo diceret, *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*, qui una non diceret, *Legem autem tuam dilexi*?

XXIII. Hæc quantum ad cordis contritionem, 53
quibus unum addendum superest, ut recte Lectores intelligant, quæ minus tuta in secundo Articulo reputantur. Num. 16. Auctor ex Gobat, & Lessio ait, sufficere ad justificationem in hoc Sacramento etiam remississimum dolorem, dummodo verus dolor sit ex motivo supernaturali. Si dolor hujusmodi peccati affectum excludat, non dubito, quin sufficiat; cum quandoque sensibilis apparere possit dolor *remississimus*, quia motivum remotissimum apparet nocumento sensibili, re tamen vera talem potest in animo, & ratione dispositionem habere, quæ peccati affectum excludat. At non adeo facile probanda in usu est hujusmodi doctrina, cum gravem Tridentini Patres dolorem exposcant, cumque peccatum mortale, quod maximum malorum est, gravissimum in sui detestationem dolorem requirat. Quamobrem opinio illa de remississimo dolore suspecta esse potest.

XXIV. In eod. art. num. 91. ait Auctor, non 54
peccare Pœnitentem contra integritatem Confessionis, si uni Confessario mortalia, & postea alteri *bonam opinionem de ipso habenti, nimia verecundia affectus, confiteatur sola venialia*. Stat utique Confessionis integritas, sed cum hac via Pœnitens graviter peccandi periculo se exponat, hujus doctrinæ usus non probandus, sed damnandus est. Audiatur Auctor Summæ Alexandrinæ *de Sacram. pœnit. num.* 102. ubi ait: *Hypocrisis est, & periculo peccandi mortaliter se exponit, qui duo eligit Confessarios, quorum uni venialia dumtaxat, alteri vero lethalia peccata aperiat*. Peccat enim ille contra sinceritatem Pœnitentiæ Sacramento debitam; & inanis gloriæ studio inflammatus, suæ potius famæ, & existimationi, quam animæ saluti, & gloriæ Dei consulit: ac præterea exponit se periculo frequentioris prolapsionis in peccata mortalia, si Confessarium adeat, vel imperitum, vel cui est ignotus, qui proinde opportuna Pœnitentiæ, & satisfactionis remedia non applicet; *Can. consideret, dist. De Pœnitent.* Qui autem ita est affectus, ut Confessario suo mortale peccatum non aperiret, si alterius Confessarii copiam non haberet, procul dubio peccat lethaliter.

XXV. Num. 127. probat Auctor P. Vivæ, alio- 55
rumque opinionem, qui ajunt, circumstantiam consuetudinis per se loquendo aperiendam in Confessione non esse, sed per accidens tantum, dum scilicet de ea pœnitens a Confessario interrogetur. At doctrina hæc falsa visa est nostris Theologis, ac omnino improbanda. Hæc enim circumstantia peccati gravitatem plurimum auget. Nam Christus Dominus Lucæ 11. de recidivo loquens:

quens ait: *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, & S. Thomas 1. 2. *q.*98. *ar.*2. probat eum, qui peccat ex habitu, & consuetudine, *peccare ex certa malitia*; & in 4. *dist.*22. *q.* 1. *art.* 3. refellens contrariam opinionem; inquit, *Sed ex hac opinione videtur relinqui, quod non possit plene recidivantis morbo remedium adhiberi; multa enim expediunt ad spiritualem salutem recidivantis, quæ non sunt necessaria innocenti; ut scilicet circa eum major cautela adhibeatur*. Et sane an non pœnitens ad Sacrum Ministrum accedere tenetur, tamquam ad Doctorem, ad Judicem, ad Medicum? Quomodo ergo muneri satisfaciet suo, si consuetudinis vitium non aperiat Doctori, qui salutariter instruat, Judici, qui æquam de eo sententiam ferat, Medico, qui salutarem medicinam præscribat? Nisi enim pœnitentiæ Ministro status pœnitentis apprime sit cognitus, is antedicta officia rite, & salutariter exercere non potest. Vitiosa ergo consuetudo ad statum peccatoris aperiendum necessario manifestanda est; quod innuere procul dubio voluit Innocent. XI. dum hanc propositionem damnavit: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*; ac clarius constat ex nota, quam eidem affinxit Clerus Gallicanus anno 1700. per hæc verba: *Falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegis favet, Christianæ simplicitati, Ministrorum Christi judiciariæ potestati, Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni ac fini derogat*. Eccur quæso interroganti peccandi consuetudinem fateri pœnitens cogitur, nisi quia consuetudo hæc *certam malitiam habet*, ut loquitur S. Thomas, nisi quia peccatum est Ecclesiæ clavibus subjiciendum, nisi quia morbus est animi, cui Medicus spiritualis apte medicinam designare, ac tribuere debeat? Nam quæ peccata non sunt, nec pœnitens manifestare tenetur, nec adigi ad ea confitenda a Con-
56 fessario potest. Quoniam hic de circumstantia agimus, placet etiam adnotare, & refellere, quod num. 148. scribit, de eo qui circumstantiam speciem mutantem inculpabiliter omiserit, quam ita debeat postea in alia Confessione aperire, ut non teneatur fateri peccatum, si sola declarari circumstantia possit. Quis namque sanæ mentis homo concipiat fieri id rite posse? Quin enim iterum peccatum dicatur, quodnam judicium de circumstantia ferri potest? Et quomodo circumstantia peccati malitiam explicabit, cui sit satisfactio injungenda, nisi peccatum ipsum declaretur.

57 XXVI. De Confessionis integritate periculo non carent, quæ num. 143. ejusdem secundi articuli exposita, atque probata sunt: nempe dum scripsit; *non iterandam Confessionem bona fide factam*, vel Confessario ita ignaro, & indocto, ut inter veniale, & mortale peccatum discernere nequiverit; immo etsi existimarit veniale, quod mortale peccatum esset, vel Confessario surdastro, semidormienti, & distracto, qui aliqua peccata etiam mortalia non audierit, modo in eo nulla pœnitentis culpa intercesserit. Nolo hic cum Lucio disputare de speculatione, & num theorice sustineri hæc doctrina possit. Usum doctrinæ perniciosum assero, ac non modo non consulendam, sed ne scribendam quidem fuisse ab Auctoribus arbitror, ne apud imperitos vulgata pravam illorum consuetudinem foveret, qui de industria imperitos, aut surdastros Confessarios adeunt, ut minori cum verecundia peccata fateantur; ut facilius, & quin de dispositionibus necessariis interrogentur, absolutionem obtineant; & ut etiam minima injungatur ipsis pro satisfactione pœnitentia. Hæc sane indicia cum sint, pœnitentes aut dispositos non esse, aut saltem parum de dispositione sollicitos, periculi plena sunt. At hæc sunt, quæ expositam numeris illis doctrinam fovent. Quamobrem illis in casibus prudentem Confessarium consulere oportere ait pœnitentes, ad iterandam confessionem. Nam quis sanæ mentis homo, qui doctorem adierit pro rei suæ familiaris instructione obtinenda, atque hunc omnino ea de re imperitum repererit, alium peritum, & doctum non quærat? Quis est, qui postquam Judicem adierit pro domesticæ rei causa expedienda, illumque adeo ignarum repererit, ut quæ ipsius causa sit, non intelligat, alium Judicem non inquirat, si liceat, qui causa cognita pro justitia decernat? Quis denique erit, qui gravi morbo pressus, dum Medicum advocaverit, qui nec morbum agnoscat, nec præscribere aptam medicinam sciat, alium non accersat Medicum peritum, & doctum, qui pro morbi qualitate decernat? At pœnitentes ad Sacros Ministros accedere tenentur veluti ad doctores, qui eosdem instruant, & moneant; veluti ad judices, qui eorumdem cognita de æterna salute causa æquam sententiam ferant, ac debitam satisfactionem decernant; veluti denique ad Medicos, qui adversus animi morbos, salutares, atque aptissimas medicinas præscribant. Quæ cum ita se habeant, quis hominem pœnitentem, qui ad eum accesserit Ministrum, quem ineptum omnino norit ad salutarem instructionem, ad rectum justumque judicium ferendum, atque ad debitam ei medicinam designandam, non moneat & consulat, ut doctum adeat & peritum Ministrum, ut ab eo exposcat salutarem, juxta miseram sui conditionem, instructionem, rectum de patratis a se peccatis judicium, ac proficuas pro istis deinceps præcavendis medicinas? Deinde dum pœnitens se a Confessario deceptum agnovit, an non alium adire tenetur, qui ipsum recte instruat? Dum vero tam ignaro Ministro confessus sit peccata sua, ut mortale pro veniali peccato habuerit, jam scit se in hoc fuisse deceptum, ac prudenter existimat, se in reliquis quoque deceptum fuisse. Ad surdastros vero, semidormientes, & distractos quod spectat, si pœnitens dubitet plura non audivisse peccata, fatentibus omnibus, iterare confessionem debet. At hæc dubitatio non adeo facile excludi potest, ut consideranti patet, quamobrem non adeo facile vulgata est probanda Auctoris assertio, cum admodum difficile sit poenitenti scire, quodnam sit peccatum, quod non audierit; & cum facile opinio hæc ansam præbere possit minus fervidis hominibus adeundi suspectos hujusmodi Confessarios. Hactenus de his, quæ secundo articulo continentur. Pauca nunc addemus circa tertium articulum, qui est *De Satisfactione*.

XXVII. Sa-

58 XXVII. Satisfactio, voluntaria est pœnæ perpessio ad compensandam injuriam Deo illatam, ipsumque placandum, cum firmo proposito peccata in posterum omni studio vitandi. Hanc injungere pœnitentibus tenetur Sacerdos: pro viribus enim conari debet, ut integrum sit pœnitentiæ Sacramentum, quod sine satisfactione integrum proculdubio non esset. Concilium Tridentinum *sess.* 15. *c.* 8. hæc habet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur.* Et S. Carolus Borromæus, in Instructionibus Sacramenti Pœnitentiæ: *Injunget*, inquit, *Pœnitentiam pro culpæ, & personæ ratione: ita ut superbis humilitatis opera: carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat: in oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem, & vespere orationi vacent; feria secunda, & aliis certis feriis pro Defunctis orent; certis item definitisque diebus devote visitent Stationales, & præcipuæ devotionis Ecclesias, & Altaria, præsertim in Quadragesima, & in Adventu: Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanæ consectantibus, eam Pœnitentiam imponant, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem, quam per Compatres in Baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando: in qua precatione firmo stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterum atque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se adversarios esse, & professi sunt, & profitentur perpetuo.*

59 XXVIII. Hæc autem pœnitentiæ sunt genera a Sanctis Viris accepta, & Ecclesiasticæ disciplinæ Interpretibus, quæ pro peccatorum ratione adhiberi etiam nunc poterunt, attenta etiam personarum qualitate.

Ut Pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret, pedes item lavet.

Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, &, cum per facultates potest, alat certo præscripto tempore.

Ut se per aliquot dies in Monasterium aliquod, aliumve remotum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & Sabbato jejunet; vel etiam vescatur solum pane, & aquæ potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetant, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in modum crucis, certo tempore, & hora præfinita, ante Crucem, aliamve Sacram Imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquamdiu jaceat, cubetve.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat.

Ut statos Psalmos Pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio.

Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ devotionis visitet.

XXIX. Satisfactio itaque pars integralis Sacramenti est, ac suscipienda a Pœnitente est, ut peccatum in se puniendo Deo satisfaciat. Si pars integralis est Sacramenti, facile patet, non posse a Pœnitente sine gravi culpa omitti, etiamsi levis sit, vel pro levi culpa a Confessario injuncta. Licet enim venialia peccata, vel mortalia jam confessa non necessaria, sed tantum sufficiens materia sint hujus Sacramenti, tamen posito quod confiteri ea Pœnitens velit, & Sacramentum suscipere, partes, quas Sacramentum requirit, sub gravi culpa adimplere tenetur. Sunt vero satisfactiones partes Sacramenti. Gravitas vero illius obligationis, non a levi, vel gravi satisfactionis materia, sed a Sacramenti natura repetitur, ut observat optime Elizalde. Quamobrem corrigendus Ferraris est n. 16. oppositum asserens, & ob eamdem rationem improbandum videtur, quod n. 22. asseritur de eo, qui sine animo satisfaciendi pro injuncta pœnitentia opera illa fecerit, quæ injuncta a Confessario fuerant. Nam qui animo non contendit satisfacere oneri a Sacro Ministro injuncto, atque ita integrum perficere Sacramentum, opus efficit, quod nulla ratione ad Sacramentum refertur; sola enim facientis voluntate ad illud refertur; ergo opus illud integra pars Sacramenti haberi non potest; præsertim cum præsumatur alia de causa ab homine factum, qui secum ipse constituerit alio voluisse tempore pro injuncta pœnitentia opus illud suscipere. 60

XXX. Ac multo minus ferri potest, quod num. 34. adstruitur, scilicet imponi posse pro pœnitentia opus aliunde præceptum. Audiatur Gabriel Antoine *de pœnitent. art.* 3. *q.* 3. ubi ait, non posse hæc opera licite imponi, si Pœnitens possit alia præstare. Quia ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. *Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam, & castigationem.* At opera jam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam, & castigationem peccatorum præteritorum: nam etiamsi nulla peccata commisisset pœnitens, teneretur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restitutio injuriæ, 61

riæ, & damni compensatio, ac fuga occasionis peccandi non sunt satisfactiones vindicativæ.

62 Porro Confessarius censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantia colligi queat, nam hæc est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat jejunium, Pœnitens non satisfacit jejunando uno die, in quo ex præcepto Ecclesiæ, vel ex voto tenetur.

63 XXXI. Duo quoque alia in articulo de satisfactione supersunt animadversione digna. Primum occurrit in n. 25. ubi eximitur ab onere iterandæ confessionis Pœnitens, qui inculpabiliter, vel culpabiliter injunctæ pœnitentiæ oblitus, eamdem prætermiserit; sed sufficere asseritur, *ut in alia confessione petat sibi imponi aliam congruam pœnitentiam pro peccatis, quæ confiteri solet.* Nam quanam ratione poterit congruam pro peccatis pœnitentiam recipere, nisi peccata sua Confessario manifestet? Et quomodo Confessarius causa cognita pœnitentiam præscribet, ut jubet Tridentina Synodus, si peccata ipsi non ostendantur per eorumdem confessionem? Tenetur ergo Pœnitens ille iterare Confessionem; sicuti etiam iterare confessionem debet, qui pœnitentiam commutari velit ab alio Confessario rationabili de causa, cum hic non possit judicium ferre, nisi causa cognita, cumque debitam pro peccatis vindictam decernere, atque aptam medicinam præscribere nequeat, quin cognita per confessionem peccata sint, ac status pœnitentis exploratus: quamobrem dum ab eodem Confessario quoque pœnitentiæ commutatio exquiritur, si hic confusam saltem peccatorum memoriam, ac status pœnitentis notitiam non servet, etiam ipse cogere pœnitentem debet ad confessio-
64 nem iterandam. Alterum occurrit n. 31. ubi inter caussas minuendi pœnitentiam, Jubilæum, & indulgentia recensetur: id vero jam refutatum est in nostra de Indulgentia appendice. Ac refelli quoque ex eo potest, quia Seraphicus Patriarcha Franciscus, lumine cœlesti perfusus, intellexit ex 24. millibus hominum Assisium confluentium, quatuor, aut sex, ni fallor, lucratos fuisse Indulgentiam illam Plenariam. Debitum satisfactionis exhibendæ Deo certum, & liquidum est, & jure divino solvendum; Indulgentiarum assecutio incertissima: & pauci sunt qui eas assequantur: Debitum autem certum solutione incerta non extinguitur. Rogo ergo benignos nostros Theologos, ut observent, & intelligant, clavium potestatem, Sacramenta, & indulgentias non ad extenuandas virtutes, nec ad impediendum virtutis exercitium sed in subsidium imbecillitatis nostræ, & ad fovendam, roborandam, perficiendamque virtutem fuisse a Christo Domino hominibus concessa.

Ad præfatum Articulum Animadversiones Auctoris.

IN hoc articulo R. *Theologus* inter alia carpit sub *n. 36.* eorum opinionem, qui cum Lacroixio, aliisque benignioribus Theologis tuentur sufficere in pœnitente dolorem de peccatis ob metum pœnarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel *immittendarum*; & progrediens asserit ad rem non facere allatum a me Ninivitarum exemplum. Ast tamen Ninivitarum exemplum ad id affertur ab ipsomet Conc. Trid. sess. 14. c. 4. & a Ben. XIV. *de Syn. diœc. l. 7. c. 13. n. 3.* & a Theologis passim, quos inter illud affert practicissimus Monacel. *in formular. Legal. pract. par. 2. tit. 16. formul. 2. n. 15. editionis Romanæ ann.* 1706. ubi sub *n.* 13. dicit, quod dicta sententia est tuta, & sub *n.* 16. allegatis pro ipsa S. Thoma, Scoto, Suarez, aliisque pluribus magni nominis Theologis, subjungit: Et tandem eam probat, & admittit Ecclesia, quod non permitteret, si tuta non esset, exponendo periculo invaliditatis Sacramentum cum damno tot animarum, adeoque non includitur (ut falso prætendit noster Theologus) in propositione prima ex damnatis ab Innocentio XI. quæ dicit; *Non est illicitum in Sacramentis, relicta tutiore &c.* quia decretum loquitur de propositionibus mere probabilibus, & non de nostra quæstione, super qua adest specificum decretum Alexandri VII. supra relatum quo præcipit, quod nullus audeat illam censura Ecclesiastica taxare, donec a S. Sede hac in re fuerit definitum aliquid. Hæc ad litteram ille, qui egregium suum opus satis, superque probatum absque ulla minima censura Romæ typis tradidit. Decretum autem Alexandri VII. quod jam fuit allatum supra *n.* 8. a me, refertur etiam a benedicto XIV. *l. c. n.* 9. ubi subjungit: *Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut Instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate*: Adhuc quippe sub judice lis est, adhuc impune pro una, & altera sententia dimicatur. Et deinde refert Card. Gottum non requirentem in Pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ assequendam, & Claudium Frassen, opera, & cura Patris Caroli Jacobi Romilli Ordinis Minorum Conventualium Generalis Ministri Romæ typis recusum, strenue defendentem, attritionem ex solo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiscentiæ, seu affectu spei conceptam, modo supernaturalis sit, omnemque excludat voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum in se derivandum: relatisque aliis *in cit. cap.* 13. hinc inde diversa sentientibus, sic sub dict. nu. *9.* expresse concludit: Hinc recte intulit Berti Theologus *tom. 7. lib. 34. cap. 5.* nihil hactenus a Sede Apostolica de hac quæstione decisum, sed libertatem cuique datam ex præfatis opinionibus eam eligendi, ac docendi, quam maluerit. Et tamen Theologus noster indebite hic arguit me,

quam-

quamvis Ego supra *num.* 10. sic expresse tradam: Quibus positis, *opinor*, *non scrupulizandum*, & *ipsummet supernaturalem attritionis actum ex sui natura*, *vel explicite*, *vel implicite secum semper ducere aliquem Dei amorem*: Movetur enim pœnitens per attritionem ad aversionem a peccatis, & conversionem ad Deum, estque illi supernaturalis dolor de peccatis, eo quia ipsis, quatenus Dei offensa, debita est pœna, atque adeo ad dolendum movetur pœnitens de peccatis, prout sunt offensa Dei, cum proposito observandi deinceps illius mandata, & similia. Hæc autem non videntur posse concipi absque aliquo Dei amore explicito vel implicito, formali, seu virtuali, ac quin vehant secum dilectionem in Deum, ut avertat a pœnis, & se misericordem ostendat; unde juxta D. August. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 7. & S. Thomam in suppl. *quæst.* 2. *art.* 1. dolor in amore fundatur rei illius, de cujus jactura dolemus. Igitur &c. Necnon in præfato sensu varia infra posita intelligenda sunt. Quæ omnia, si attente, & integre, ut debuerat, percurrisset Theologus, ut juste pro similibus mandat Benedictus XIV. in Constit. *Sollicita*, *ac provida* §. 18. a dicta injusta censura se abstinere debuisset. Insuper Benedictus XIII. *in Appendic. ad Concilium Romanum*, *Instruct. par.* 3. *del dolore* sic expresse tradit: Interrogat Pœnitens: quale di questi due dolori è necessario per la Confessione?

Respond. Confess. *Il sentimento oggi comune è, che il dolore o contrizione perfetta è buona, ma non necessaria per la Confessione; bastando il dolore imperfetto, cioè l'attrizione, o pura già spiegata di sopra, o al più quella, che è congionta con qualche amor. benevolo verso Dio; il che rimane ancora indeciso sin' ora dalla Santa Sede.*

2 Circa autem id, quod ibi sub *n.* 43. allegat Theologus ex Scoto in 4. *dist.* 18. & 20. *quæst. unica*; videatur celeberrimus noster Mastrius fidelissimus Scoti interpres in 4. *disp.* 5. *q.* 6. *art.* 1. *nu.* 137. & *seq.* & *art.* 2. *fere per tot.* & signanter sub *n.* 134. *dicti primi articuli*, ubi sic expresse tradit. Et hic notandum est, sub nomine pœnarum non solum comprehendi pœnam æternam Inferni, sed etiam pœnas temporales Purgatorii, & hujus vitæ, v. g. pestis, famis, & belli, vel alterius damni, quo Deus sæpe punit peccata etiam in hac vita, & quidem Deus minatur, & pœnas æternas, & temporales hujus vitæ ad homines deterrendos; ut ex metu pœnæ fugiant culpam, ac proinde timor hujusmodi laudabilis est, ac honestus, etiam metus pœnæ temporalis; hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem terroribus plenam, pœnitentiam egerunt; Ubi tamen advertendum est, pœnam hujusmodi metuendam, ut *a Deo inflictam*, *vel infligendam*, prout expresse trado ego per verba supra adducta *art.* 3. *nu.* 10. ubi in fine sic insuper concludo: Nec non *in præfato sensu varia infra posita veniunt intelligenda*. Quæ omnia si attente observasset, ut debuerat Theologus, non potuisset indebite, & injuste redarguere me sic dicendo: *Ita ne mi Luci fideles pœnitentes instruendos putas*? Cum ego non sic instruendos Fideles pœnitentes putem, ut falso putat Theologus dicendo: *qui ergo de peccato ea unica de causa doleat, quia timet* &c. Ego enim non ea unica de causa admitto sufficientiam illius doloris, sed volo, quod insuper includat aliquem Dei amorem, saltem initialem, ut patet ex præcisis verbis supra relatis, non obstante, quod dictum amorem Dei initialem negent requiri clarissimi Auctores, ut Card. Gottus, Frassen noster supra relati, Henno noster, & plurimi alii, ut eruditis, omnibusque satis superque compertum est; & Bened. XIV. vetet Episcopis aliquid decernere, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate &c.; & Clarissimus Pater Berti asserat libertatem cuique datam ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit. Et en, en mi Theologe, quomodo ego Lucius fideles pœnitentes instruendos putem: quod a me sic traditum, si attente, & totum in omnibus, ut debueras, observasses, certe non sic indebite, immerito, ac injuste censurasses. Insuper quoad Scotum pro se allegatum a nostro Theologo, videatur classicus noster Scotista Henno *tom.* 2. *tr. de pœnitentia*, *disp.* 4. *q.* 6. *art.* 6. ubi diversimode, ac Theologus, Scotum adducit, & per propria verba ipsum explicat. Et quoad id, quod sub dict. *n.* 43. subjungit Theologus, nempe: *In hanc opinionem propensos fuisse Tridentinos Patres facile patet*, contrarium sentit, ac refert Henno *loc. citat. art.* 4. *conclus. unica*, *ibi*: Probatur tertio sic ex historia Tridentina Pallavicini *lib.* 12. *c.* 10. ubi refert, postquam formatum fuisset decretum, ubi de attritione dicebatur: *cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat*, reformatum esse ad instantiam Episcopi Tudetani, qui monuit, *falso dici*, *hujusmodi dolorem sine amore vix concipi posse*: ergo evidens est ex mente Tridentini, non includi aliquem Dei amorem in præfata attritione. Hæc ille, *qui in art.* 5. *seq.* adducendo cum sua solutione objectionem ex eodem Card. Pallavicino productam sic prosequitur.

Dices ex Pallavicino supra n. 26. Tridentinos 3
Patres jussisse expungi ex c. 4. hæc verba: *verum etiam sufficere*, scilicet attritionem, *ad Sacramenti hujus institutionem*, & hoc ad instantiam Episcopi Tudetani monentis circa sufficientiam attritionis non convenire Doctores: ergo signum est, quod non crediderunt, esse dispositionem proximam.

Resp. 1. Pallavicinum solam instantiam illius 4
Episcopi referre tamquam causam motivam illius deletionis, quia illa sola favebat suæ opinioni, quæ ultra attritionem, aliquem Dei amorem requirebat. Verosimilius est tamen, motos fuisse Patres, maxime a rationibus sequentibus, ac primo, quod modus ille loquendi esset improprius, quum pars non dicatur proprie sufficere ad constitutionem totius. Secundo & præsertim, ne fieret præjudicium sententiæ Doctoris subtilis admittentis, in sola absolutione consistere totam essentiam hujus Sacramenti: quod colligo ex eodem Pallavicino *n.* 27. ubi tradit, diligenter examinatum fuisse, quibus verbis actus pœnitentis declararentur partes hujus Sacramenti sine præjudicio opinionis Scoti,

ti, quam Florentinum reliquerat intactam, & tandem resolutum est, quod dicerentur *quasi materia*. Quidni etiam illa verba exponi curaverunt, ut salva maneret ejusdem Doctoris sententia, alias condemnanda.

5 Resp. 2. Quis melius potuit nosse Tridentini mentem, an Pallavicinus, qui ex actis mortuis 120. annis a Concilio Celebrato suam texuit historiam, an illi, qui Tridentino interfuerunt, materiam proposuerunt, discusserunt, ventilarunt, resolverunt? Ecce tamen ex his nonnulli, qui tantum abest, ut dicant, Concilium abstraxisse per illam expunctionem a difficultate hic agitata, ut ex Pallavicino colligunt Vanroy, Henricus a S. Ignatio, & alii, quin econtra fortiter sustineant, doctrinam suam, quæ nostra est, doctrinam esse Concilii: Immo adhuc viventibus Tridentinis Patribus, docuerunt Paulus a Palatio circa ann. 1564. Michael a Palatio Frater ejus circa ann. 1579. Molina circa ann. 1584. conclusionem nostram esse a Tridentino definitam. *Alii a Tridentino esse approbatam, Tridentino consonam, a Tridentino determinatam, contrariam autem repugnare Tridentino*. Mirum autem esset, Concilii Patres superstites videntes serpere hanc nostræ conclusionis doctrinam, ut Concilii auctoritate munitam per omnes Europæ Academias (verba sunt P. Notau,) & tamen nullus dixerit, falso Tridentini auctoritate muniri, nullus, Concilium indecisam reliquisse hanc controversiam. Fieri ne potuit, ut nullus se objecerit torrenti scriptorum abutentium auctoritate Concilii in re tanti momenti? Numquid prævidere poterant, quod ex eorum silentio dicturi essent aliqui (quod de facto accidit) *hanc doctrinam esse evidentem, practice tutam, practice veram, doctorum fere unanimem, certam inter auctores Catholicos &c. Unde*

6 Concludo, quod etsi Patres illi non crederent forte decisam, sciebant tamen, fuisse in Concilio ita communem, ita receptam, ac tanti momenti, & ponderis, ut non crederent, fere universali Scriptorum multitudini esse contradicendum; alias prorsus inexscusabiles fuissent. Unus quippe, aut alter eorum, qui Concilio interfuerunt, sustinuerant etiam postea alicujus amoris necessitatem, sed cum viderent Patres superstites, hoc nullatenus obstare torrenti doctrinam suam in doctrina Concilii fundanti, occurrere debebant errori, manifestando, materiam præsentem nihil ex doctrina Tridentini habere roboris: quod tamen ne unus quidem eorum fecit. Immo, ut jam dicemus, Catechismos imprimi curarunt, quibus attritionem sufficere declarabatur.

7 Probatur secundo conclusio ex eodem Concilio *sess.* 14. *c.* 4. Contritio in genere est pars hujus Sacramenti: ergo & attritio; quod enim convenit generi, convenit & speciei.

8 Probatur tertio ex Catechismo Concilii, seu Romano *ad veram contritionem* tantum requirente conditiones sequentes, scilicet detestationem & dolorem peccatorum commissorum, voluntatem sinceram peccata confitendi, & pro eis satisfaciendi, firmum melioris vitæ propositum; desiderium obediendi Dei mandatis, voluntatem restituendi, denique injuriarum condonationem; atqui vere attritus sine amore Dei, cujus non meminit Catechismus, præstat illa omnia: ergo &c.

Et postea addit, quod licet Parochi possint alia 9 exigere, puta amorem Dei &c. quibus efficiant, ut *Contritio sit magis perfecta, & absoluta, verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his veræ, & salutaris pœnitentiæ ratio constare non possit*. Hujus Catechismi auctoritas magni facienda est, cum ex commissione Tridentini compositus fuerit ab iis, qui eidem interfuerunt, quique ejus mentem optime noverant, & quidem longe melius, quam omnes alii Historici, qui nonnisi ex aliorum auditu, & relatu de rebus in eo gestis scripserunt. Videatur insuper Celeberrimus P. Liberius in tract. de Pœnitent. ubi diffusissime totum probat, solvitque omnes objectiones.

In eod. articulo de Pœnitentia *n.* 48. asserit *Theologus*: Non est ergo audiendus Honoratus Tournely, qui de amore concupiscentiæ, & spei locutos fuisse Tridentinos Patres affirmat. Nec etiam Gabriel Antoine, qui postquam probavit necessitatem initii Caritatis, ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, concludit, sufficere amorem, quo Deus diligitur *præcise ex motivo spei, seu concupiscentiæ*; Bone Deus! Theologus hic jam bis anno scilicet 1752. & 1757. Theologiam moralem celeberrimi Patris Gabrielis Antoine Romæ cum debitis approbationibus, sine ulla sua censura quoad hæc, typis tradiderat ipsum sequens in omnibus; modo in editione promptæ meæ Bibliothecæ (quod ad eum non pertinebat,) vult, Antoine non esse audiendum, dum concludit, sufficere amorem, quo Deus diligitur *præcise ex motivo spei seu concupiscentiæ*, non reflectens, quod sic militat contra se ipsum, qui cum eadem ipsissima conclusione bis Romæ typis tradiderat ipsam Antoine Theologiam, adeoque volendo, non esse in hoc audiendum Antoine, vult implicite nec audiendum esse seipsum, qui jam bis, tamquam factam suam ipsam conclusionem sine ulla censura probaverit, typis ipsam tradendo, ut jacet. Et a fortiori non est ipse Theologus audiendus, cum dicit, Antoine sic conclusisse ad declinandam fortasse aliquorum invidiam, quod non parum detrahit nedum aliis, sed & ipsimet Antoine, quasi ad declinandam aliquorum invidiam voluerit ipse contra propriam conscientiam a veritate declinare, cum ipse tamen potius suam conclusionem censuerit magis veram, quam illam adversariorum, sciendo, suam esse suffultam tum ratione intrinseca, tum extrinseca tot classicorum Auctorum Romæ, & alibi cum debitis approbationibus sine ulla censura impressorum, a laudato Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 3. allegatorum, & passim ab aliis, quamvis non desint contrarium sentientes; eo vel maxime quod nullorum invidiam poterat sic concludendo incurrere, cum inniteretur decreto Alexandri VII. dicentis, talem conclusionem hodie inter Scholasticos communiorem videri, & vetantis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ neutram ex contrariis circa id sententiis aliqua censura, injuria, aut contumeliæ nota taxare, donec a S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum.

11 Ibidem *numer.* 53. notat, & asserit *Theologus*. Auctor *num.* 16. ex Gobat, & Lessio ait, sufficere ad justificationem in hoc Sacramento etiam remississimum dolorem, dummodo verus dolor sit ex motivo supernaturali. Si dolor hujusmodi peccati affectum excludat, non dubito, quin sufficiat, cum quandoque sensibilis apparere possit dolor remississimus. Sed ad quid hæc nota Theologi, cum sit hæc ipsissima mea conclusio dicendo *ibi* sic: *Si nihil aliud desit, quam intensio, & dummodo sit verus dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali cum absoluto proposito non peccandi de cætero*. Nonne clarissime ego ostendo, dolorem hujusmodi debere excludere affectum peccandi.

12 Ibidem *num.* 54. notat, & censurat *Theologus*, quod Auctor *num.* 95. dicat, non peccare pœnitentem contra integritatem Confessionis, si uni Confessario mortalia, & postea alteri bonam opinionem de ipso habenti nimia verecundia affectus confiteatur sola venialia &c. Ast hæc mea conclusio, prout jacet, idest non peccare pœnitentem præcise contra integritatem Confessionis, est suffulta auctoritate Concilii Tridentini: peccata enim venialia non sunt materia; Unde pœnitens non tenetur, ad integrandam Confessionem, ipsa confiteri primo Confessario; ut expresse docet dictum Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi: *Taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*. Vide tradita a me *ibi*, & Auctores a me allegatos, ultra quos id tenent etiam Suarez, Layman, Enriquez, Raynaud. Lugo, Castrop. Dicastill. Diana, Burgh. Gormaz, & reliqui omnes, teste Arriaga, *dist.* 31. *num.* 23. & La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1186. & etiam Pontas, verb. *Confessio casu* 26. adducens ad id Tridentinum a me citatum.

13 Ibidem *numer.* 55. notat, & asserit *Theologus*. Probat Auctor *num.* 127. Pat. Vivæ, aliorumque opinionem, qui ajunt, circumstantiam consuetudinis per se loquendo, aperiendam in Confessione non esse, sed per accidens tantum, dum scilicet de ea pœnitens a Confessario interrogatur: & dicit *ibi* Theologus, quod est manifestanda necessario talis consuetudo; quod innuere proculdubio voluit Innocentius XI. cum hanc propositionem damnavit; *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Ast, si ut prætendit Theologus, id innuere proculdubio voluerit Innocentius XI. in damnata propositione, certe dictam sententiam non amplius tradidissent tot celebres Auctores, qui adhuc post dictam damnationem eam defendunt, ac propugnant, sciente, & non contradicente S. Sede, ut præter recensitos in conclusione, pergunt adhuc eam libere sustinere celeberrimi Salmanticenses *tr.* 1. *cap.* 8. *punct.* 4. *num.* 67. citantes insuper Castropalaum, Dianam; Liberius de *Sacram. Pœnit. tract.* 5. *disput.* 5. §. 4. *num.* 78. cum plurimis aliis; & alii passim, ut revera id propugnant adhuc plures classici Theologi, ut eruditis compertum. Eo vel maxime, quod Ego dico, quod quamvis circumstantia consuetudinis per se loquendo non sit necessario aperienda in Confessione, tamen interdum per accidens obligatur pœnitens ad talem circumstantiam consuetudinis aperiendam, quæ obligatio præsertim urgere potest, cum pœnitens cognoscit, quod Confessarius ex reticita tali circumstantia consuetudinis, non satis percipiat suum statum pro formando recto judicio de sua dispositione ad obtinendam absolutionem.

Ibidem *nu.* 56. notat, & ait *Theologus*: Placet 14
notare, ac refellere, quod Auctor *nu.* 148. scribit de eo, qui circumstantiam speciem mutantem inculpabiliter omiserit, quam ita debeat postea in alia Confessione aperire, & non teneatur fateri peccatum, si sola declarari circumstantia possit. Quis namque sanæ mentis homo concipiat, quod fieri id rite possit? Ast nedum quis, sed quilibet homo sanæ mentis concipere potest, fieri id rite posse. Si enim quis voto castitatis obstrictus heri confitens, & inculpabiliter non reflectens ad circumstantiam sui voti dixisset: *Fui fornicatus*, satisfaceret hodie dicendo, *se graviter peccasse contra votum castitatis*, quia jam expressit utramque malitiam, & una potest sine altera intelligi, ut sic posse intelligi tradunt Henno *de Pœnit. disp.* 5. *q.* 9. *conclus.* 2. Sporer *tom.* 3. *cap.* 3. *n.* 406. Clericatus de Pœnit. *dec.* 26. *n.* 20. cum plurimis aliis, Navarr. Enriq. Sanchez, Bonac. Arriaga, Bosco cum La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1135. *& cit. n.* 1209. testans insuper de communi, quos tam sanæ mentis fuisse puto, ac possit esse noster Theologus.

Ibidem *num.* 57. notat, & dicit *Theologus*: De 15
Confessionis integritate periculo non carent, quæ *n.* 142. *&* 143. ejusdem articuli secundi exposita, atque probata sunt, nempe dum scripsit: *non iterandam Confessionem bona fide factam vel Confessario ita ignaro, & indocto, ut inter mortale, & veniale discernere nequeat, vel factam Confessario surdastro, semidormienti, vel distracto, qui aliqua peccata, etiam mortalia non intellexit sine omni culpa pœnitentis*. Sed ad quid aliud tenetur pœnitens pro integritate Confessionis, quam cum omnimoda prævia requisita dispositione omnia sua peccata bona fide confiteri? Quilibet enim Confessarius approbatus censendus est idoneus, nisi certo constet de opposito, quod in casu præsenti nullimode constat pœnitenti bona fide tali Confessario confesso, sicuti etiam ei non constat, quod Confessarius fuerit surdastrus, semidormiens, vel distractus, dum, ut cantat mea conclusio, pœnitens est ei bona fide confessus; aliter, stante Theologi opinione, ponerentur inter non paucas angustias pœnitentes, qui possent dubitare semper de sufficienti scientia Confessarii, aut de ejus distractione, semidormitione, aut semisurditate. Staret quidem Theologi opinio, si id pœnitens mala fide egisset, prout jam ego expresse conclusi *ibid. n.* 143. falso a Theologo notatus, fortasse ex errore Typographi loco 144. ubi ego insuper sic subjungo: quod si pœnitens postea advertat, tenetur in sequenti confessione ea sola repetere, quæ probabiliter judicat, aut cognoscit, non fuisse audita, cognita, ac percepta, & *n. seq.* 145. alia superaddo ad rem ibi videnda, & observanda.

Ibi-

16 Ibidem *num. 60.* notat, & ait *Theologus*: Circa tertium articulum de satisfactione, quemadmodum corrigendus Ferraris est *num. 16.* asserens oppositum, & ob eamdem rationem improbandum videtur, quod num. 22. asseritur de eo, qui sine animo satisfaciendi pro injuncta pœnitentia, opera illa fecerit, quæ injuncta a Confessario fuerant. Ast quod improbandum videtur nostro Theologo, approbatur, & traditur expresse ab innumeris fere Theologis classicis Auctoribus, ut patet ex a me adductis *ibi* & sub verb. *Intentio a num.* 50. *ad* 54. & ex traditis novissime ab eruditissimo D. Alfonso de Liguori nell' istruzione, e pratica per li Confessori italico idiomate impressa in Venezia 1759. nella Stamperia Remondini, *ubi c. 6. ponto* 3. *§. 1. dell' obbligo di sentir la Messa*, *num.* 27. sic expresse concludit: Inoltre basta l' aver l' intenzione di adempire l' opera comandata, e non importa, che non s' abbia intenzione di soddisfare al Precetto: onde chi già avesse ascoltata la Messa, ben ha soddisfatto, benchè non avesse saputo, esser quello giorno di festa (e lo stesso dicesi de' voti, giuramenti, e Penitenza Sagramentale, purchè l' opera promessa nel voto, o ingionta per penitenza non si applichi per altro fine) anzi soddisfa, sebbene avesse avuta espressa intenzione di non voler adempire il precetto, secondo la sentenza comunissima, e più probabile del Suarez, Lessio, Sanchez, Castrop. Tournely, Pontas, Valenza, Vasquez, La Croix, Salmaticensi. La ragione è, perchè chi volontariamente adempie l' opera comandata, necessariamente ancora già soddisfa al Precetto: ed ivi scioglie anche l' obbiezione. Et idem etiam expresse concludit *nell' Appendice* 3. *art.* 3. *§.* 2. *num.* 75. *ibi*. Communissime autem & probabilius cum Suarez, Castropal. Lessio, Tournely, Pontas, Vasquez, & La Croix cum aliis, non requiritur intentio satisfaciendi obligationi; immo recitans, implet, etiamsi positive intendat nolle implere, quia implens non potest non implere, quum satisfactio non pendeat a sua, sed a voluntate legis Ecclesiasticæ.

17 Ibidem *num.* 61. notat, & subjungit *Theologus*: ac multo minus ferri potest, quod *num.* 34. adstruitur, scilicet imponi posse pro pœnitentia opus aliunde præscriptum. Audiatur Gabriel Antoine de Pœnit. *art.* 3. *q.* 3. Ast audiantur, & videantur etiam plurimi alii classici Auctores aliter sentientes, & signanter Petrus Colet. *de satisfactione cap.* 7. *§.* 3. *conclus.* 4. qui licet non mollioris Ethices Auctor, sic expresse concludit: *Potest Minister opera aliunde præcepta in satisfactione injungere. Clericatus de Sacram. Pœnit. dec.* 34. *num.* 10. dicens primo, *quod possunt imponi opera, quantumvis alias debita ex præcepto, ut auditio Missæ die festo, jejunium in Quadragesima. Henno tract. de pœnit. disp.* 6. *quæst.* 7. *ibi*: Petes 3. *An possit imponi opus aliunde præceptum?* Resp. *affirmative cum Theologis communiter*; Reiffenstuel *tom.* 2. *tract.* 14. *dist.* 10. *quæst.* 2. *num.* 28. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *de Pœnit. cap.* 4. *num.* 3192. *ibi*: *Potest imponi pro pœnitentia opus alias debitum ex præcepto, voto, v. g. jejunium in Quadragesima*; Mastrius Theolog. Moral. dist. 21. quæst. 11. n. 172. Aretinus, Poncius, & alii Scotistæ; Roncaglia, Lugo, Amicus, Aversa, Liberius, Suarez, Busembaum, Sporer, & novissime laudatus Alfonso de Liguori *loc. citat. cap.* 16. *pont.* 4. *num.* 53. *ibi*: *Può bene anche darsi in penitenza qualch' opera, alla quale il Penitente è già obbligato, come di sentir la Messa nella Festa, digiunare nelle Vigilie, secondo anche comunemente dice Soto, Layman, Sanchez, Valent. perchè tal' opera essendo soddisfattoria, allora si eleva per mezzo del Sagramento al merito di soddisfazione Sacramentale*; & sic alii communiter in sensu meæ conclusionis; Legantur enim attente, quæ ego trado *ibi n.* 34. 35. *&* 36. ubi sic concludo: *Ordinarie tamen, cessante justa causa, non sunt imponenda pro pœnitentia opera aliunde jam præcepta, & debita, sed opera supererogatoria, & aliunde indebita*. Hinc censeant eruditi lectores, an id fieri possit, ac debeat a nostro Theologo.

Ibidem *numer.* 63. notat, & asserit *Theologus*. 18
Animadversionis digna occurrunt: Primum *n.* 25. ubi eximitur ab onere iterandæ Confessionis pœnitens, qui inculpabiliter, vel culpabiliter injunctæ pœnitentiæ oblitus, eamdem prætermisit, sed sufficere asseritur, *ut in alia Confessione petat, sibi imponi aliam congruam pœnitentiam pro peccatis, quæ confiteri solet*. Alterum occurrit *num.* 31. ubi inter causas minuendi pœnitentiam, Jubilæum, & Indulgentia recensentur. Id vero jam refutatum est in nostra de Indulgentia Appendice. Ast dignetur benignus, & eruditus Lector ponderare rationes, & Auctores a me sub dict. *num.* 25. allatos, pluresque alios idem sentientes, & signanter cit. D. Alfonso de Liguori, qui in suo opere italice impresso novissime *ann.* 1759. *c.* 6. *ponto* 4. *§.* 1. *num.* 59. sic tradit expresse: Si dimanda per 2. A che sia tenuto il penitente, che si hà dimenticata la penitenza? Altri come Bonac. S. Antonin. &c. vogliono, che sia tenuto a ripetere la confessione per far intiero il Sagramento. Ma comunemente e molto, e forsi più probabilmente lo negano Suarez, Vasquez, Layman, Castropal. ed altri, e ciò ancorchè colpevolmente se ne fosse scordato, come dicono Soto, Nav. Lugo, Salm. La Croix, Holam. &c. perchè in tal caso da una parte la penitenza si è renduta impossibile, e dall'altra è molto dubbia la legge, se debbano ripetersi i peccati già una volta direttamente assoluti, affin di dare intiero il Sagramento; dignetur que etiam benignus, & eruditus Lector ponderare rationes, & Auctores a me sub dict. *num.* 31. allatos, & a me tradita sub verb. *Indulgentia artic.* 3. *num.* 4. *ad* 8. inclusive cum S. Thoma, S. Bonavent. aliisque plurimis classicis Doctoribus ibi allegatis; & omnibus attentis, atque integre perpensis, pronunciet, an animadversione digna sint ibi a me tradita cum tot celeberrimis Auctoribus; vel potius a Theologo notata? Eo vel maxime quod eruditissimus P. Ubaldus Giraldi cum suo Maschat *Institutionis Canonicæ, Editionis Romanæ* 1757. *tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 5. sic expresse concludit: *Pœnitentia minor imponi potest, si eo die occurrit aliqua indulgentia, præsertim plenaria, dummodo* Pœni-

Pœnitens ad eam lucrandam necessaria præstet. Quamvis ipse, quod mirum est, unus ex Revisoribus probaverit indebitam censuram nostri Theologi.

19 (*) Hic subjicere juvat, quæ Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana lib. VII. cap. XIII. habet. Igitur cum ipse num. IX. cavendum Episcopis esse dixisset, *ne in suis Synodis, aut in instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritionis mere servilis ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate*, quem ejus locum Ferraris num. 1. attulit, num. X. subdit: „ Non ideo prohibentur Episcopi Confessarios monere, ut pœnitentes ad veram, & perfectam Contritionem hortentur, & excitent: id siquidem faciendum suadent etiam præcipui Auctores, qui pro sufficientia doloris ex solo metu gehennæ, steterunt, uti *Suarez*, *Gamachæus*, *Comitolus*, quorum testimonia supra retulimus. Et, quod magis est, ita fieri præcipit Rituale Romanum, jussu *Pauli V.* editum *tit.* 18. Confessario injungens, ut, audita Pœnitentis Sacramentali Confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, *opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibeat, & ad dolorem, & Contritionem efficacibus verbis adducere conetur*: cui consonat Rituale Argentinense, editum a Cardinali *de Rohan*, *tit. de Pœnit.* §. 1. ubi hæc habentur: *Cæterum Pœnitentes suos admonere non cessent Confessarii ne se putent securos in Sacramenti Pœnitentiæ perceptione, si præter fidei, & spei actus non incipiant diligere Deum, tamquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur Sacrosancta Synodus Tridentina*. „ Quoniam vero Ferraris noster num. 13. ut evincat, ex propositione n. LVIII. inter damnatas a Ven. Innocentio XI. minime educi, circumstantiam consuetudinis a Pœnitente semper esse manifestandam, confugit ad Auctores, qui adhuc post dictam damnationem, illam opinionem tuentur, eamque ab ipsis *sciente, & non contradicente S. Sede* propugnari animadvertit, in Lectorum memoriam revocandam esse ducimus propositionem num. XXVII. ex damnatis ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni; debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem*, referendaque verba, quæ in Decreto Ven. Innocentii XI. auctoritate edito die 2. Martii anno 1679. leguntur, nempe: „ Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare. „ Ex his enim plane efficitur, traditas a Theologis opiniones non eo præcise tutas censeri posse, quod ipsas Apostolica Sedes non damnaverit. Tanti quoque facienda non est recentiorum Theologorum, ac præsertim illorum, qui Probabilismi systema propugnant, ac sequuntur auctoritas, ut traditas ab illis opiniones, licet ab aliis gravioribus & auctoritatis, & rationis momentis oppugnentur, amplectamur, ac tueamur. Hæc si præ oculis Lectores habuerint, facile perspicient, quæ pro se Auctor noster a num. 14. affert, infirma esse, ac opiniones, quas confirmare nititur, jure a Romano Theologo notatas fuisse, & reprehensas. (*)

POENITENTIA PUBLICA.

INitium solemnis hujus Pœnitentiæ repetendum 1
videtur ab ipsis Apostolis, cum jam Paulus 1. Cor. 5. legatur incestuosum quemdam Corinthium tradidisse *Satanæ in carnis interitum*, quod excommunicationis quoddam & publicæ pœnitentiæ genus fuisse veteres existimant. De usu certe ejus Sæculo II. & III. dubitari nequit; adeo clara sunt testimonia Irenæi L. 2. C. 9. Tertulliani L. de Pœnit. C. 9. & Cypriani Ep. 52. ad Antonianum. Neque tamen statim a principio eadem, quæ deinceps invaluit, fuit disciplina, seu rigorem, seu diuturnitatem pœnitentiæ attendas. Etenim Sec. 1. paulo ante memoratus Corinthius, vix anno pœnitentiæ evoluto, Ecclesiæ communioni est restitutus, ut constat ex C. 2. Ep. 2. ad Corinth. quam post annum ab Epist. 1. elapsum Paulus scripsit. Et (Irenæo teste L. 3. C. 4.) Cerdo hæresiarcha Sec. II. pluries a sua apostasia reconciliationem obtinuit. Nathalius etiam Episcopus, ab hæreticis ad defectionem inductus, ut primum sacco indutus, & cinere conspersus ad pedes Zephyrini sub initium Sæculi III. Papæ, se provolvit, continuo pacem, & communionem recepit, quod refert Eusebius L. 6. Hist. C. ult.

Severitatis hujus Canonicæ disciplina non prius, 2
quam sub medium Sæculi III. inducta est, ut colligitur ex Cypriani Ep. 52., in qua scribit, communi Episcoporum suffragio constitutum, *ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur ..... sed traheretur diu pœnitentia*. In hunc finem, cum antea pœnitentiæ tempus & modus Episcopi arbitrio definirentur, institutæ sunt solemnes Pœnitentium stationes, ac singulis attributa laboriosæ satisfactionis opera; idque tum ad fideles in officio vitæ Christianæ continendos: tum ad occurrendum Montanistarum, & Novatianorum criminationibus, quibus Catholicos de nimia in lapsos facilitate incusabant. Cæterum hæc ipsa pœnitentiæ solemnitas circa finem Sæculi IV. primum quidem Constantinopoli a Nectario, haud multo post dein in plerisque etiam aliis Orientalibus Ecclesiis, in Occidente vero non prius, quam Sæc. VII. abrogata est; hinc sequentibus Sæculis, tametsi quandoque pro publicis delictis publica imponeretur pœnitentia, prior attamen ille quoad temporis diuturnitatem & stationes canonicas rigor integre observatus non legitur.

Erat solemni huic pœnitentiæ illud peculiare, 3
quod non a quolibet, nec quibusvis peccatoribus injungi posset. Nimirum 1. a solo Episcopo, vel Presbytero speciatim ad id muneris deputato imponebatur pœnitentia publica, & quidem solemni ritu,

ritu, neque nisi in *Capite Jejunii*, seu Feria Cinerum: unde & mos eo die cineres accipiendi profluxit. Ritum hunc videre est apud Martene de antiqua Eccl. discipl. C. 17. ubi ex complurium Ecclesiarum Manuscriptis Codicibus varios ejus Ordines describit. Idem refertur in Pontificali Rom. Clementis VIII. Tit. de expuls. publice Pœnitentium. Præcipua autem ejus capita hæc fere sunt. Pœnitentibus templum ingressis, & coram Episcopo prostratis, ac peccatum suum palam confitentibus, primum imponebatur cinis cum dicto; *Memento homo, quia pulvis es &c. age pœnitentiam, ut habeas vitam æternam*. Aspersi dein aqua lustrali, post manuum impositionem, ciliciis benedictis induebantur; tum, recitatis prius Psalmis Pœnitentialibus, & compluribus aliis precibus, ad fores Ecclesiæ deductos ejiciebat Episcopus dicens: *Ecce ejicimini vos hodie a liminibus S. Matris Ecclesiæ &c.* respondente Choro: *In sudore vultus tui vesceris pane &c.* Postremo jam ejectos, & extra Ecclesiam genibus flexis gementes commonuit Episcopus de pœnitentiæ operibus, de misericordia Dei, utque non prius, quam Feria V. in Cœna Domini, ad Ecclesiam redirent; quo sermone finito, ac Episcopo cum reliquis Fidelibus in Ecclesiam revertente, mox ejus valvæ ante oculos Pœnitentium claudebantur.

4 Quod vero ad personas pœnitentiæ huic subjectas attinet: in primis Clerici majores (quales sunt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi) saltem a Sæculo IV. ei non erant obnoxii, ut colligitur ex Conc. Carthaginensi V. an. 398. Can. 11. item Leonis M. Epist. ad Rusticum Narbon. & Isidoro L. 2. de Eccl. Offic. C. 16. Num autem antea subjecti fuerint, controversum est, nec certi quidquam statui potest. Perinde de Clericis Minoribus aliqui controvertunt: tametsi eos Felix III. sub finem Sæculi V. Pontifex in Ep. 7. solemni pœnitentiæ subjiciat; iisdem nihilominus a Conc. Toletano IV. an. 633. Can. 29. eadem cum Clericis majoribus pœna dictatur. Ego existimo, uti in aliis, sic & in hoc non eamdem fuisse in omnibus Ecclesiis disciplinam, hancque ipsam apud eosdem progressu temporis non raro variatam. Illud ex laud. Can. Toletano est certius: saltem sub initium Sæculi VII. constitutum fuisse, ut quilibet Clericus a solemni pœnitentia exemptus, in locum ejus *ab honore dignitatis depositus Monasterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum luat*.

5 Sed nec Fidelibus reliquis omnia promiscuè peccata, quantumvis gravia, solemni hac satisfactione expianda erant. Non certè occulta; nam Innocentius I. in Ep. ad Exuperium disertè ait: *Non habent latentia peccata vindictam*, intellige publicam. Idem colligitur ex S. Cæsarii Hom. I. in Quadrag.; item Concilii Neocæsariensis ann. 314. Can. 4. cum primis autem Augustino. Verba Sancti Doctoris sunt Serm. 16. de verb. Dom. *Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit, ... prorsus non prodo, nec negligo, corripio in secreto &c.* & ibid. infra: *sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur, ... nos non prodimus malum, sed in secreto arguimus*. Unde Hom. ult. inter 50. in peccatore publicæ pœnitentiæ subjiciendo requirit delictum, quod *non solum sit in gravi malo, sed etiam in scandalo aliorum*, proinde publicum. Nec tamen etiam gravia quælibet publica delicta solemni hac pœnitentia castigabantur: verum, certa dumtaxat, & quidem communiter idololatria, homicidium, & adulterium; reliqua fere arbitrio Episcoporum designabantur, ut adeo in hoc quoque pro Ecclesiarum varietate variam fuisse disciplinam fateri oporteat. Quodcumque interim peccatum fuerit, propter quod pœnitentia publica acta est, pœnitentes hujusmodi a Clericorum Ordine in perpetuum arcebantur, ut constat ex Siricii Papæ Ep. 1. C. 14. cui pœnæ num etiam illi, qui vel demissionis studio, aut ad vindicandas occultas culpas (quod legimus a quibusdam factum) publicis pœnitentibus se sponte ac ultro adjunxerunt, subjecti fuerint? certi quod dicam, nihil reperio.

Tria vero in ritu publicæ Pœnitentiæ observatu digna sunt: pœnitentium Stationes, tempus singulis præfinitum, & pœnæ intra hoc tempus usitatæ. I. Ac Stationes quidem, seu gradus, pœnitentia solemnis complectebatur quatuor: fletum videlicet, auditionem, substrationem, & consistentiam; hinc pro varietate eorum pœnitentes alii dicti flentes, audientes alii, vel substrati, aut demum consistentes. Qui in prima Flentium statione versabantur, pro foribus Templi manebant prostrati, ibique, sacco induti & cinere conspersi, delictum suum coram Episcopo, vel alio Pœnitentiario, imo & Fidelibus omnibus palam confitebantur; quin etiam, Templum ingredientium pedibus multo cum gemitu advoluti, eorum preces & suffragia exposcebant. Isthinc verò colligas: Confessionem publicam repetitis vicibus fieri consuevisse; primum videlicet in impositione pœnitentiæ, ac rursum in hoc Flentium gradu. Audientium statio fuit in Narthece, seu Templi vestibulo, ubi cum Cathechumenis & infidelibus audiebant Psalmorum cantus, Scripturæ lectionem, & sermones Episcopi, quo per hæc ad veram pœnitudinem disponerentur; Missæ autem Cathechumenorum interesse non permittebantur. Substratis in ipso Templi ambitu a Porta usque ad ambonem locus erat; hic inter gemitus & suspiria flentes subjiciebantur manuum impositioni, quam Episcopus cum Clero faciebat, orans simul pro illis, eisque benedicens: dum denique, peracta Cathechumenorum Missa, ante Offertorium e Templo ejicerentur. Atque hic pœnitentium gradus omnium erat laboriosissimus; in eo quippe plurima pœnitentiæ opera obeunda erant: unde etiam hujus gradus pœnitentes potissimum absoluto Pœnitentium nomine veniebant. Consistentes demum intra ambonem & cancellos in Templo locum occupabant, ac integro Missæ Sacrificio, & reliquis communibus precibus intererant; a panis tamen & vini oblatione, ac etiam Eucharistiæ participatione excludebantur, dum solemniter reconciliarentur.

Uti universim toti pœnitentiæ sic & Stationibus 7
non

non erat lege communi certum præfinitum tempus, ut constat ex Conc. Carthaginensi III. quod Can. 3. statuit: *ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur*. Inde non raro factum, ut alii uno, alii duobus, imo & pluribus annis in quavis statione detinerentur: aliquando autem ab una Statione, prætermissa media, ad aliam transferrentur. Singulare severitatis exemplum est ex Basilio, qui in Ep. ad Amphiloch. Can. 76. de Homicidæ pœnitentia ita decrevit: *Qui sua sponte interfecit, & post pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit.. Viginti autem anni sic in eo dispensentur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem annis cum iis, qui in Substratione orant, egredietur. In quatuor autem annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps; tum demum, iis expletis, erit Sacramentorum particeps*.

8 Quodcumque interim hoc tempus fuerit, intra illud variis pœnitentiæ operibus vacandum erat. Præter peculiares autem illas pœnas, quæ singulis pro gravitate delicti ab Episcopo imponebantur, communes omnibus fuisse leguntur sequentes: Confessio publica; privatio Eucharistiæ; attonsio capitis & pullæ vestis, ac cilicii gestatio; orationum, humiliationis, jejuniorum, & aliarum corporis afflictationum frequentatio; abstinentia a conviviis, & balneis; a Clero & Ordinibus in perpetuum exclusio. His imo in quibusdam Ecclesiis (præsertim Romana, Gallicana, & Africana) etiam aliæ adjungebantur pœnæ: cum videlicet publicè pœnitentes a contrahendo Matrimonio, aut jam conjugati ab ejus usu prohiberentur; arcerentur a militia sæculari, quo magis Deo, & pœnitentiæ vacarent; agere Susceptores in Baptismo & Confirmatione vetarentur &c.

9 Pœnitentiam solemnem integre peractam sequebatur solemnis reconciliatio, cui ex veterum disciplina suus speciatim erat Minister, certumque præfinitum tempus, & peculiaris cœremonia. Et ad Ministrum quod attinet, quamvis urgente necessitate (hoc est in articulo mortis) Sacerdoti cuilibet fas fuerit publice pœnitentes reconciliare: regulariter attamen id a solo Episcopo præstabatur. Certe publica illa reconciliatio, quæ solemni ritu in Ecclesia fiebat, ita Episcopo fuit propria, ut a nemine alio, nisi forte ad id muneris peculiariter delegato unquam ministrari potuerit. I. Cap. Sed nec tempus ejus erat arbitrarium. In Ecclesia Romana ad id designatam fuisse Maj. hebd. Feriam V, constat ex Innocentii I. Ep. ad Decent C. 7. Sacramentario Gregorii, & Ordine Rom. Eumdem diem observatum in Gallia juxta præscriptum Conc. Cabillonensis Can. 47. item in Anglia, Germania, plurimisque Provinciis aliis docent Ordines Missalium, ab erud. Martene relati de ant. Eccl. discipl. C. 22., & passim Ritualia, ac Pontificalia. Unde peculiare id erat Ecclesiæ Mediolanensi, & Hispanicæ, quod reconciliationem hanc in Parasceve Sabbathi Sancti peragerent, ut ex S. Ambrosii Epist. 33. & Conc. Toletani IV. Can.70. colligitur; quamquam & in hoc subinde variaverint.

Porro solemnis hujus reconciliationis ritus copiose describitur in Not. & Observ. a Cl. Menardo factis ad Sacramentarium Gregorii Magni; item apud Cl. Martene L. 1. de ant. Eccl. Rit. C. 6. art. 5. ac rursum apud eumdem in Tract. de ant. Eccl. discipl. C. 22. §. 2. in compluribus Ordinibus de reconcil. Pœnit. Nos præcipua dumtaxat ejus capita referemus ex Clementis VIII. Pontificali Romano, & quidem retentis, quoad licet ejusdem verbis. Juxta hoc igitur Tit. de Reconcil. Pœnit. in Feria V. Cœnæ Domini. I. Pontifice cum Clero coram Altari Psalmos Pœnitentiales, & Lytanias recitante, Pœnitentes ante fores Ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes in manibus cereos extinctos. Sub Lytaniis ipsis ad verba, *Omnes SS. Patriarchæ &c.* item *Omnes SS. Martyres &c.* duo Subdiaconi cereos accensos deferentes egrediuntur ad Pœnitentes, ac primum dicunt: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem &c.* vice altera autem: *Dicit Dominus: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum*; hisque dictis extinguunt cereos, & revertuntur. Rursum ante verba, *Agnus Dei &c.* egreditur Diaconus cum majore cereo accenso, & in ostio Templi ad Pœnitentes conversus canit Antiphonam: *Levate capita vestra: ecce appropinquabit redemptio vestra*. Tum ex Diaconi cereo accenduntur pœnitentium candelæ, Diaconoque cum illuminato cereo revertente dicitur: *Agnus Dei &c.* II. Lytaniis terminatis, Episcopo in faldistorio considenti Archidiaconus ab ostio Templi præsentat & commendat Pœnitentes; quos subinde cum toto Clero accedens Episcopus primum exhortatur de divina Clementia, de veniæ promissione &c. dein finito sermone canit Antiphonam: *Venite, venite filii &c.* Mox Pœnitentes ostium Ecclesiæ ingressi prosternuntur ad pedes Episcopi, nec multo post ab eodem deducuntur in Ecclesiam, Archipresbytero interim nomine pœnitentium dicente: *iniquitates meas ego cognosco &c.* Episcopo autem concludente: *Dico vobis, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. III. Ad medium Ecclesiæ deducti Pœnitentes flectunt continuo genua, Episcopus vero ad illos conversus inchoat Antiphonam: *Oportet te Fili gaudere, quia Frater tuus mortuus fuerat, & revixit &c.*, recitatisque dein Psalmis quibusdam, & Orationibus compluribus, aspergit eos aqua lustrali, & incensat dicens: *exurgite qui dormitis, exurgite a mortuis, & illuminabit vos Christus*. Postremum, data singulis indulgentia, omnes simul solemni absolutione reconciliat, & elevatis manibus benedicit. In quibusdam præterea Missalium Ordinibus a Cl. Martene relatis legitur, Episcopum singulis reconciliatis manum imposuisse, ac etiam pacis osculum dedisse cum dicto: *Pax tecum*. Peracta solemni hac cœremonia crines, & barbam, quam durante Pœnitentia nutrire moris erat, deposuerunt reconciliati: sacco item, & cilicio dimisso, cultioribus, & mundioribus vestibus induti sunt; quin

quin etiam in quibusdam Ecclesiis hoc die apud Episcopum lautiore cœna excipiebantur, ut notat Martene ex antiquo Pontificali Ecclesiæ Pictaviensis.

POENITENTIARIA APOSTOLICA.

Poenitentiarius Major.

1 Poenitentiariæ facultates late traduntur a Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 95. incipient.
2 *Pastor Bonus*, Pœnitentiariæ Apostolicæ facultates Sede vacante absolvendi a quibuslibet Censuris, & dispensandi in foro Conscientiæ, & ad tempus perseverant juxta disposita ab eodem *ibi-*
3 *dem* §. 51. Pro foro tamen externo conquiescit, præterquam quo ad Regulares, & Moniales, & quo ad absolutiones cum reincidentia. Idem *ibidem* §. 53.

4 Pœnitentiariæ Apostolicæ Officiales sunt Major Pœnitentiarius, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator, Procuratores, seu Secretarii tres, & Scriptores Ordinarii itidem tres cum additione unius Procuratoris, & unius Scriptoris. Idem Constitut. 66. incip. *In Apostolicæ Pœnitentiariæ* §. 2. *per tot.* ubi assignantur eorum qualitates, munera, & emolumenta, & alia eos
5 concernentia. Et §. 21. statuit de Signatura Pœnitentiariæ, interessentia Officialium, methodoque in ea servanda.

6 Ad Pœnitentiariæ Apostolicæ Scriptorum Officium non debent admitti, qui alienis servitiis, vel alteri incompatibili Officio addicti sint. Idem
7 tom. 1. Constitut. 41. incip. *Quamvis*. Iisdem injungitur, ut Procuratores, seu Secretariorum Offi-
8 cia frequententent. Idem *ibidem*. Pœnitentiariæ Apostolicæ Secretarii, seu Procuratores, ipsius Officii praxim didicisse debent in prævia executione mu-
9 neris Scriptoris. Idem *ibid.* Tam Procuratores, quam Scriptores, per Concursum eligendi sunt. Idem
10 *ibid.* Pœnitentiario Majori R. E. Card. injungitur præmissorum executio. Idem *ibid.*

11 Poenitentiariæ expeditiones omnes secreto, & gratis fiunt. Idem cit. Constit. incip. *In Apostolicæ* §. 22.

12 Pœnitentiariæ emolumenta unde sumenda, & quomodo administranda, assignat Idem *ib.* §. 29.
13 *& seq.* Superflua applicantur Hospitio pauperum invalidorum de Urbe. Idem *ibid.* §. 33. Pœniten-
14 tiariæ Archivium publicum, & secretum, omni diligentia disponendum & custodiendum constituitur. Idem *ibid.* §. 37. *& seq.*

15 Major Pœnitentiarius unus ex S. R. E. Cardinalibus debet esse Presbyter, & in Theologia Magister, seu Decretorum Doctor a solo Romano Pontifice per Litteras eligendus. Ipso e vita discedente tempore Sedis vacantis, tunc a majore numero Cardinalium per secreta suffragia eligendus est alius Cardinalis Pro-Pœnitentiarius ad ejusdem Sedis vacantis tempus. Idem *ibidem* §. 3. *&* 4. Præ-

cipuum Majoris Poenitentiarii munus consistit in 16
recto, ac prudenti exercitio facultatum sibi concessarum. Et in quatuor diebus Majoris hebdomadæ, Dominica quidem Palmarum in Basilica Sancti Joannis in Laterano, Feria vero quarta in Basilica S. Mariæ Majoris, & quinta, & sextis feriis in Basilica Vaticana S. Petri Fidelium confessiones in Sede ad id constituta excipere, nec non capita pie sese submittentium Virga Pœnitentiarii tangere; Indulgentiam centum dierum ipsis impartiendo, juxta facultatem eidem concessam in alia Constit. incip. *Pastor Bonus*. Præterea tribus anni 17
diebus, videlicet Feria quarta Cinerum (qua die ipse Cineres capiti Summi Pontificis, Cardinalium cæterorumque assistentium inspergit) & mane Feriæ sextæ in Parasceve, & die Commemorationis Fidelium Defunctorum, solemni ritu rem Divinam in Pontificia Capella peragere. Et ad hæc Roma- 18
no Pontifici in supremo vitæ agone constituto ad spiritualem eidem in tali articulo ferendam opem, assistere; Idem *ibid.* §. 5.

Major Poenitentiarius Minores Poenitentiarios in 19
tribus Basilicis Urbis in Ecclesia Lauretana, ac pro anni Sancti tempore in Basilica S. Pauli, aliisque Urbis Ecclesiis deputat, *ibid.* §. 6. Majori Pœniten- 20
tiario assignantur emolumenta centum scutorum auri pro quolibet mense, & aliorum 200. annuorum monetæ e superfluis Pœnitentiariæ emolumentis. Idem *ibid.* §. 8. *&* 9.

Pœnitentiarius Major potest consulere Papam 21
etiam in prohibitis, & ei de vivæ vocis oraculo asserenti est fides habenda. Idem in cit. Constitut. 95. incip. *Pastor Bonus* §. 5. Pœnitentiarii Ma- 22
joris facultates a pluribus Pontificibus concessæ colliguntur & ordinantur ab eodem *per tot. dict. Constitutionem*. Absolvit enim a peccatis, & cen- 23
suris. Idem *ibid.* §. 16. Dispensat super irregulari- 24
tate. Idem *ibid.* §. 17. Convalidat titulos Benefi- 25
ciorum condonando, seu componendo quo ad fructus male perceptos. Idem *ibid.* §. 20. Remittit, 26
seu condonat alia male percepta, & habilitat ad percipiendum. Idem *ibid.* §. 25. Relaxat, seu com- 27
mutat juramenta, vota, & onera. Idem *ib.* §. 28. Regulares habilitat, absolvit, & transitus eisdem 28
concedit de una ad aliam Religionem. Idem *ibidem* §. 31. Et eadem respectu Monialium. Idem 29
ibid. §. 36. Dispensat in Matrimonialibus super im- 30
pedimentis impedientibus occultis, revalidat dispensationes male obtentas etiam legitimando prolem. Idem *ibid.* §. 39. Dat facultatem Minoribus 31
Pœnitentiariis. Idem *ibid.* §. 47. Concedit Indul- 32
gentiam centum dierum in tactu Virgæ. Idem *ibidem* §. 50. Commissiones Majoris Pœnitentiarii, 33
vel Pro-Pœnitentiarii non expirant eo decedente, vel ab Officio cessante. Idem *ibidem* §. 49. Pœni- 34
tentiarii Minores in Basilicis Urbis & in Æde Lauretana deputantur a Cardinali Majori Pœnitentiario cum facultatibus ipsius arbitrio. Idem cit. Constitut. 66. incip. *In Apostolicæ Pœnitentiariæ* §. 6. Vide dictas duas Constitutiones *Pastor Bonus*, *& In Apostolicæ Pœnitentiariæ*, ubi declarantur supradictæ facultates, & plurima alia statuuntur ad rem.

Ad Pœnitentiarium Majorem pertinet supplere 35
negli-

negligentiam, tam Ordinariorum Localium, quam Regularium Superiorum Monialium, in deputationibus Confessariorum in casibus a Concilio Tridentino præscriptis, aliisque recensitis in Constitutione 66. incip. *Pastoralis*. Idem citat. Constitut.
36 incip. *Quamvis*. Pœnitentiarius Major, etiam vacante Apostolica Sede, Monialibus deputare nequit Confessarios, qui ab Ordinariis locorum pro Monialibus expresse approbati non fuerint. Idem *ibidem*.

37 Pœnitentiariis Minoribus Basilicæ Lateranensis Ordinis Minorum Reformatorum, inopia laborantibus, annui redditus augentur in scutis ducentis, ex Officio Sigillatoris Poenitentiariæ Apostolicæ dismembratis. Idem Constitut. 39. incip. *Laboranti-*
38 *bus*. Item in aliis scutis centum ex redditibus Pœnitentiariæ arbitrio Pœnitentiarii Majoris alias per-
39 missis. Idem *ibidem*. Præterea eorum Collegio assignantur mulctæ ejusdem Officii Pœnitentia-
40 riæ. Idem *ibidem*. Hujusmodi assignatio declaratur, quod facta fuerit eorum Collegio per modum eleemosynæ. Idem Constitut. 31. incip. *Decet*.

Alia ad rem, vide verb. *Dispensatio a num. 68. ad fin.*

POENITENTIARIUS. Vide verb. *Canonicus art. 9. n. 45. ad 49.*

POLLUTIO. Vide verb. *Luxuria a num. 35. ad 45.*

POLYGAMIA.

---

1 Polygamia, seu Uxorum pluralitas duplex esse potest, scilicet successiva, & simultanea.
2 *Communis*. Polygamia successiva est, quando quis successive plures habet Uxores. *Commu-*
3 *nis*. Et hic si duas successive habuit, dicitur *Bigamus*, si tres, dicitur *Trigamus*, si quinque, dicitur *Quintogamus*, si octo, dicitur *Octogamus*, & sic loquendo de aliis, textu expresso in *cap. Ape-*
4 *riant* 11. *caus.* 31. *qu.* 1. Polygamia simultanea est, quando quis simul plures habet Uxores. *Commu-*
5 *nis*. Et hæc simultanea pluralitas Uxorum est vera, & propria Polygamia, de qua in præsenti est
6 sermo. Et quidem pluralitatem Uxorum successivam validam esse, & licitam, altero conjugum mortuo, est communis Catholicorum sensus contra Montanistas, & Novatianos olim secundas nuptias damnantes, & expresse habetur *ex* 1. *Ad Corinth.* 6. ibi: *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit; Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino*. Et 1. *Ad Timoth. c.* 5. vult Apostolus *Viduas juniores nubere*. Et *c. Aperiant* 11. *caus.* 31. *q.* 6. dicitur expresse: *Ego nunc libera voce proclamo non damnari in Ecclesia Bigamiam, immo nec Trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & ultra; quomodo & secundo Marito recte nubere*. Et hoc supponitur pro certo, & indubitato *tot. tit. de secundis nuptiis* 21. *lib.* 4. *Decret.*

Polygamia, seu pluralitas simultanea Uxorum, 7
est Jure Divino prohibita. *Est certa de Fide* & qui contrarium assereret, esset Hæreticus reputandus. *Sic Catholici omnes ex Canon.* 48. *Apostolorum*, ex Concilio Niceno 1. *c.* 25. *&* 26. Ex Innocent. I. *Epistola* 36. Ex Syricio *Epistola* 1. *cap.* 4. *ut in cap. De conjugali* 27. *quæst.* 2. Ex Cœlestino I. *in cap. Videtur nobis* 35. *quæst.* 6. Ex Concilio Toletano I. *cap.* 17. Ex Alexandro III. *in Appendic. cap.* 15. *&* 25. Ex Nicolao I. *ad consulta Bulgarorum cap.* 15. Ex Innocentio III. *in cap. Gaudemus* 8. *de divortiis*, ubi ad hoc dicit unam tantum costam in unam tantum fæminam conversam fuisse, & non plures in plures; Ex Concilio Florentino in *Dec. pro Armenis*. Ex Concil. Coloniensi sub Paul. III. *part.* 1. *cap.* 41. Ex Concilio Moguntino sub eodem in *Decretis Fidei cap.* 36. Et ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *Can.* 2. ubi sic est definitum: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit*; & hoc aperte colligitur ex verbis ipsius Christi *Matth.* 19. *& Marc.* 10. ubi expresse docet esse adulterum eum, qui, *dimissa Uxore*, ducit aliam; quod non esset, si vivente priori, alia quoque esset Uxor ejus legitima. (*)

In Lege veteri Polygamia, seu pluralitas Uxo- 8
rum, fuit licita, & permissa Divina dispensatione ab ipso Deo indicata primis aliquot Patribus, deinde illorum verbo, aut exemplo ad cæteros perventa. *Communis* cum Scoto in 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 2. S. Thoma, & S. Bonaventura *ibid.* Bellarmino *l.* 1. *de Matrim. c.* 11. *proposition. quarta*, & aliis passim. Et probat Scotus *ex Genes.* 16. *&* 25. de Abrahamo, qui habuit Uxores Saram, Agar, & Ceturam; De Jacob, qui habuit Uxores Rachelem, & Liam; & de David 2. *Reg.* 5. qui plures habuit Uxores: Credibile autem non est, quod hi Sancti Patres ducendo plures simul Uxores fecerint aliquid illicitum, sed potius credendum est, quod illas non accepissent, nisi fuisset illis Divina dispensatione, seu inspiratione concessum, & in casu paucitatis Fidelium procreantium prolem, ut hoc modo plures mulieres ab uno fæcundarentur, & sic proles ad Divinum cultum propagaretur, & multiplicaretur. Et de facto Moyses *in Deuteronomio cap.* 21. tamquam de re nota, & passim licita loquitur dicens: *Si fue-*

(*) Accedat vel ipsorum Protestantium Principum severitas adversus impium Theophili Aletei, seu Liseri librum inscriptum *Polygamia triumphatrix*. Nam non modo Brunsmanus Danus eum acerrime confutavit, edito a. 1671. libro *Monogamiæ victricis*, sed etiam Danorum Rex Cristiernus V. præter execrabilis operis damnationem, illius quoque auctorem a toto suo Regno exulare jussit.

fuerint alicui duæ Uxores, una dilecta, altera odiosa. (*)

9 Polygamia autem, seu potius *Polyviria* plurium virorum cum una Uxore nunquam nec in Lege veteri fuit licita, & permissa. *Communis* cum Sancto Augustino *lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 12. & lib. de bono Conjugator. cap. 17.* S. Thoma *in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 7.* Scoto *in 4. dist. 17. & 26.* Bellarm. *loc. cit.* Et ratio est, quia hæc Polygamia, seu potius *Polyviria*, adversatur fini primario Matrimonii, qui est propagatio prolis, & educatio ejusdem, & ex plurium virorum concubitu cum eadem muliere, vel nunquam proles progignitur, vel non nisi rarissime, ut notavit S. Augustinus *in lib. de bono Conjug. c. 17.* & docet experientia de meretricibus.

10 An autem potuerit Deus in Lege veteri, & possit nunc dispensare in hac Polygamia, seu *Polyviria*, nempe plurium virorum cum una Uxore? Variant Doctores; Negativam sententiam defendunt Bellarminus *cit. l. 1. de Matr. cap. 11. proposit. 2.* Rosignol. *in universas de Matrim. controversias contract. XV. de Matrim. 11. prænot. 15. num. 5.* citans ibi S. Augustin. *l. 3. de Doctrina Christiana cap. 12. & lib. de bono Conjugator. cap. 17.* S. Thomam *in 4. dist. 33. qu. 1. art. 1. ad septimum*, & sic tenent plures alii, ex eo quia hæc Polygamia, seu *Polyviria* plurium virorum cum una Uxore, sit contra prima principia Juris naturæ, nec per ullam mutationem circumstantiarum possit fieri bona, cum repugnet omnibus finibus Matrimonii; In iis autem, quæ sunt contra principia Juris naturæ, non potest Deus dispensare; secus non essent prima principia Juris naturæ,
11 adeoque &c. Affirmativam sententiam, nempe posse Deum in hac Polygamia, seu *Polyviria* dispensare, tenent communius, & probabilius Doctores, ut tenet, & testatur Mastrius *in Theol. mor. disp. 20. quæst. 3. n. 53.* Et ratio est, quia Deus dispensare potest in aliis quoque præceptis Juris naturæ, ut in fornicatione, furto, homicidio, & similibus, ut docet Scotus *in 3. dist. 36.* adeoque etiam in hoc dispensare posset, cum non sit præceptum urgentius istis; Tum quia Deus in tali casu posset res ita disponere, ut ex hujusmodi Polygamia, seu *Polyviria*, non sequerentur illa inconvenientia, ob quæ a Lege naturæ est prohibita, atque ideo tali dispositione facta Lex naturæ non obligaret; Tum quia, quod sit contra Jus naturale, non obstat, quin Deus id concedere possit, quia non est contra Jus naturale stricte sumptum, & primario, sed tantum late sumptum, & secundario, ut distinguit ipsum Jus naturale Scotus *in 4. dist. 17. & dist. 26.* & repetit *dist. 33. quæst. 1.* Mastrius *loc. cit. nu. 52.* & alii plures; Tum etiam quia, ut docet Scotus *in 3. dist. 36.* & sequitur Hurtad. *disp. 9. dis. 2.* cum pluribus aliis recentioribus, ipsius Dei concessione, & dispensatione, quæ est Juris declaratio, desinit esse contra Jus naturæ, quia desinit esse contra Jus mariti, cum Deus ut supremus corporum Dominus possit uxori facultatem concedere, ut valide, & absque injustitia in Maritum, aliis quoque Maritis suum tradat corpus; Sicuti etiam concessione Divina facta alicui, ut alterum occidat vel ejus bona accipiat, occisio illius, & bonorum acceptio desinit esse injusta, & contra Jus naturæ, quia Deus est supremus Dominus bonorum, & vitæ omnium; *arg. cap. Gaudemus 8. de Divortiis*.

Circa Polygamiam, seu pluralitatem simultaneam uxorum, sicuti de facto Deus in Lege veteri dispensavit, ut satis ostensum fuit *supra num. 8.* ita posset, si vellet, dispensare etiam nunc in lege Evangelica. *Communis* cum S. Thoma *in 4. dist. 73. qu. 1. art. 2. in corpore*, Scoto *loc. cit.* Rosignol. *num. 5.* & alii passim: Unde non indiget probatione. 12

Nullus autem homo, neque Summus Pontifex dispensare potest circa utramque Polygamiam, scilicet tam viri cum multis uxoribus simul, quam Uxoris cum multis simul viris. *Communis*. Et ratio est, quia Polygamia est Jure Divino prohibita, ut patet ex dictis *supra numer. 7.* sed nullus homo dispensare potest in Lege Dei, cum inferior nequeat dispensare in lege superioris, *cap. inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de major. & obedient. Clement. Ne Romani, de election.* adeoque &c. (1) 13

Ad evitandam Polygamiam, & contrahendum secundum Matrimonium ob mortem alterius Conjugis requiritur, & sufficit certitudo saltem moralis de morte ejusdem conjugis. Barbosa *in cap. In præsentia 19. de spons. num. 7.* Abbas *ibid. num. 6.* Alexander de Nevo *num. 22.* Mascard. *de probationibus conclus. 1074.* Guttierez *pract. l. 2. quæst. 8. nu. 4. & seq.* Reiffenstuel *lib. 4. decret. tit. 21. num. 7.* Rosignol. *loc. cit. num. 6.* cum aliis ibi citatis, Bosco *disp. 12. sect. 12. concl. 2. num. 22.* Sanchez *de Matrimonio lib. 2. disp. 46. num. 6.* cum pluribus ibi citatis, Layman *lib. 5. tractat. 10. par. 3. cap. 3. numer. 1. & 2.* ubi testatur de communissima aliorum. 14

Probatur igitur prima pars, quod requiratur certitudo, & non sufficiat solum dubium, aut probabilis opinio de morte alterius Conjugis, nec ejus absentia plurium annorum, *ex cap. Dominus 2. de* 15

(*) An autem etiam ante diluvium ob eamdem propagandi humani generis necessitatem, quæ post diluvium polygamiam dispensante Deo induxit, Deus Patriarchis, aliisque polygamiam permiserit, ut Mersennius docuit *in Gen.*, vide ch. P. Merlin. dissertationem a Patribus Trevoltiensibus excusam in suis a. 1736. Ephemeridibus mense Julio P. II. 25. 80.

(**) Videant ergo qui Socratis auctoritate ducti legem a Valentiniano I. editam ferunt, *ut cuicumque volenti liceret uxores duas habere legitimas*, videant, inquam, quam fidem ea Socratis narratio mereatur. Confer P. Niccolai *lection. & dissert. Biblicarum* T. III. p. 170. *seqq.*, ubi etiam disputat, an Ethnicis quoque veteris legis tempore licuerit ex divina dispensatione plures simul uxores legitimas habere.

2. *de secundis nuptiis*, ubi Lucius III. universis Christianis in captivitate Saracenorum positis sic respondit: *Sane super Matrimoniis, quæ quidam, ex vobis (nondum habita obeuntis Conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus*. Et ex *cap. In præsentia 19. de sponsalibus*, ubi Clemens III. sic respondit Cæsaraugustano Episcopo: *In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis nequeunt continere; petentes aliis Matrimoniis copulari. Consultationi ergo tuæ taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium Canonice convolare. Nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum*. Ex quibus Sacris Canonibus clare constat, requiri certitudinem ad secundas nuptias celebrandas, seu secundum Matrimonium contrahendum.

16 Probatur secunda pars, quod scilicet sufficiat certitudo moralis, ut tenent omnes Doctores citati numero antecedenti. Scotus *in 4. distinct. 22. quæst. unic. art. 5.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quæsit. 2. punct. 2.* & alii passim, *arg. cap. Cum jam bellicam 1. caus. 34. qu. 2.* ibi: *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit*, ubi ly *non esse existimabatur*, vere & realiter non plus importat, quam certitudinem moralem, & *cap. final. §. Porro ut lite non contestata*: ibi: *Tamdiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur*, ubi ly *verosimiliter præsumatur*, plus sane non significat, quam certitudinem moralem. Et colligitur etiam ex *Instructione pro examine illorum, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi Domini Card. Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum*, relata a Monacell. *tom. 3. Append. ad Formular. Instructione 6.* ubi *num. 12. in fine* sic habetur: *Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de Jure communi possunt admitti; dummodo sint legitimæ, & sufficientes*.

17 Probatio autem legitima, & sufficiens, seu moralis certitudo de morte conjugis habetur: Primo, si de ea testetur Parochus, quia hujus testimonium, ex libro Baptismi, Matrimoniorum, & Mortuorum sufficienter probat; Ex præscripto enim, & auctoritate Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 1. & 2. de reform. Matrimon.* industria, & Fides Parochi est electa ad conscribendum talem librum, adeoque indubitanter fides tali libro adhibenda est. Mascard. *de probationibus conclus. 673. num. 1. & seq.* allegans plurimos alios, Pax Jordanus *tom. 3. tit. de Fide instrument. num. 48.* citans Rotam *dec. 321. num. 3. par. 1. novis.* Reiffenstuel *loco cit. num. 10.* & alii passim.

18 Secundo, si constet de tali morte publice, & authentice, idest per attestationem, aut instrumentum publicum, vel authenticum a Magistratu Ecclesiastico, Politico, aut Militari datum, vel a Notario publico, vel alia persona in publica auctoritate constituta confectum. Hæc omnia plene probant, ut docet Mascardus *de probationibus conclus. 1101. n. 5.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 11. & Communis aliorum*.

Tertio; si adsint duo testes de visu; Isti enim ordinarie plene probant, *ex l. Ubi numerus, ff. de testibus*, quæ canonizata est *in cap. Si testes §. Ubi, num. 4. quæst. 3.* quo utroque in loco dicitur: *Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt*; Concordat textus *in c. Licet universis 23. de testibus*, ubi Papa Alexander III. sic expresse dicit: *Mandamus, si inter vos . . . emerserit quæstio non minus, quam duorum, vel trium virorum, qui sint probatæ vitæ, & fidelis conversationis testimonium admittatis, juxta illud Dominicum* (Matth. cap. 18. & Luc. cap. 17.) *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum; Quia licet quædam sint causæ, quæ plures, quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur*, & quid simile habetur *in c. In omni negocio 4. de testibus*, ubi expresse dicitur, *quod duorum hominum testimonium verum est*. Censentur autem ad præsens testes de visu, non solum qui conjugis morti vere præsentes fuerunt, vel illum mortuum viderunt propriis oculis, sed etiam qui ejusdem sepulturæ, aut exequiis die tertia, septima, & trigesima interfuerunt, & consanguineos illius viderunt, & audierunt talem Conjugem mortuum, sepultum, & hujusmodi &c. Mascardus *de probationibus conclus. 1077.* Gobat *tract. 9. num. 312.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 12.* 19

In similibus casibus etiam parentes, consanguinei, & affines sufficiens testimonium ferre possunt, utpote ordinarie magis, quam alii conscii de morte suorum conjunctorum; *arg. l. De tutela 7. Cod. de in integrum restitutione*. Sic post Jo: Andream Mascard. *loc. cit. num. 3.* Reiff. *l. c. n. 13.* & alii passim; Exceptis tamen ad id interesse habentibus, uti sunt ipsimet Conjuges superstites, quia in propria causa nemo idoneum testimonium ferre potest; *l. Nullus. ff. de testibus, & l. Omnibus, C. eod.* Gobat *loc. cit. numer. 310.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 13.* & alii. 20

Quarto, si cum uno teste de visu, aut cum fama, & rumore, vel cum pluribus testibus de auditu concurrant alia verosimilia indicia, & conjecturæ de morte conjugis, v. g. si casu e ponte, muro, vel navi in flumen deciderit, nec amplius apparuerit, & quamvis diligenter in tali flumine inquisitus; minime repertus fuerit; si periculosam navigationem, aut prælium ingressus, vel in loco, ubi pestis, aut fames grassabatur, diu moratus, jam a longo tempore non compareat, & interim scitur in talibus occasionibus plures naufragio, gladio, contagiosa lue, aut penuria periisse, & hujusmodi; per ipsa enim & similia fit sufficiens probatio; *arg. l. Ult. Cod. De probation. l. indicia certa, Cod. de rei vindic. l. 3. §. Ejusdem, ff. de testibus, l. Heredes palam §. Sed si notam, ff. de testa-* 21

testamentis, *l. Cum proponeretur*, *ff. de Legatis* 1. *l.* 1. §. *final. ff. de verbor. obligat.* cum similibus, *cap. Si testes* §. *Sæpe* 4. *quæst.* 3. *cap.* 1. *de appellationibus*, *c. Præterea* 27. *de testibus*, *cap. Illud quoque XI. de præsumptionibus* cum similibus; Ea in specie tenent Gobat *loc. cit. nu.* 314. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 14. Guttierez *de Matrimonio c.* 51. *num.* 2. & alii plures.

22 Immo Abbas *in cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus n.* 6. & ibi Hostiensis *in fine*, Angelus, Veracrux, & alii, volunt etiam unicum testem de visu facere sufficientem probationem de morte Conjugis; *arg. cit. cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus*, ubi statuitur, quod mulieres nequeant contrahere aliud Matrimonium, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum*, ubi per ly *certum nuntium*, videtur designari unum testem de visu deponentem; Quod admittit etiam Farinac. *in praxi criminal. par.* 5. *quæst.* 140. *num.* 73. casu quo Conjux obierit in loco ita distanti, ut facile nequeant aliæ probationes haberi, quod cum hac limitatione recipit etiam Sanchez *citat. disput.* 46. *num.* 12.

23 At ille Sanchez *ibidem* cum Bartolo, Emmanuel, & aliis docet, probabilius non valere unicum testem, nisi concurrant aliqua adminicula, aut conjecturæ ex recensitis *supra num.* 21. Quod & tenent Rosignol. *loc. cit. num.* 6. *in fine* cum aliis ibi citatis, Guttierez *de Matrimonio cap.* 51. *num.* 2. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 15. Barbosa *in cit. cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus num.* 3. & alii recte intelligentes dicta verba *Certum Nuntium* non in masculino, sed in genere neutro, ita ut significent *certa nova*, seu certam relationem, non autem certam personam, quia una sola persona quantumvis legitima & idonea relationem de Jure certam non facit, nec sufficienter probat, *l. Jurisjurandi*, *Cod. de testibus*, ibi: *Manifeste sancimus*, *ut unius omnino testis responsio non audiatur*, *etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat*, ubi proinde Summarium refert illud vulgatum *Vox unius*, *vox nullius*: Concordant *c. Si testes* §. *Jurisjurandi* 4. *quæst.* 3. *cap. admonere* 33. *quæst.* 1. ubi Stephanus Papa V. generaliter inquit: *Nec Evangelium*, *nec ulla Divina*, *humanaque Lex unius testimonio quempiam condemnat*, *vel justificat*, *cap. Veniens* 10. *de testibus*, ibi: *Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus*, *c. Licet universis* 23. *eod.* ibi: *Nulla est tamen causa*, *quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur*.

24 Item nec sufficit sola fama ad probandam mortem Conjugis sine aliquo ex indiciis, adminiculis, aut conjecturis relatis *supra nu.* 21. quia sola fama sine adminiculis, & indiciis non facit plenam probationem; Fama enim sæpe est fallax, teste experientia, nam *dictum unius facile sequitur multitudo*, ut dicit expresse Innocentius III. *in c. Cum in juventute* 12. *de purgatione Canonica*. Et tenent Barbosa *in citat. cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus numer.* 3. cum plurimis ibi citatis, Sanchez *cit. disp.* 46. *num.* 15. Rosignol. *loc. cit. num.* 6. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 18. Glossa *in cap. si testes* 4. *quest.* 3. *verb. Fama*, Maschardus *de probationibus*, *conclusion.* 754. ubi testatur de communi.

Item nec sufficit sine aliquo ex dictis adminiculis, aut conjecturis absentia alterius Conjugis ad multos annos; Sanchez *cit. disp.* 46. Guttierez *loc. citat. numer.* 3. Silvester verb. *Matrimonium* 8. *quæsit.* 13. Navarr. *c.* 22. *num.* 53. Rosignol. *loc. citat. num.* 6. & alii passim, per textum *cit. cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus* relat. *supra num.* 15. ibi: *Absentes ultra septennium .... Quantocumque annorum numero ita remaneant*. 25

Quandonam autem ex supradictis habeatur sufficiens certitudo moralis de morte conjugis? spectat ad Judicem Ecclesiasticum suo prudenti judicio, attentis omnibus circumstantiis locorum, & temporum, & personarum, judicare; Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 47. *nu.* 7. Guttierez *t.* 2. *pract. qq. quæsit.* 8. *n.* 9. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 1. Reifffenstuel *loc. cit. n.* 9. Abbas *in cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus*, *num.* 6. & alii passim per textum *in l.* 3. §. *Ejusdem*, *ff. de testibus*. Quæ Lex canonizata est *in cap. Si testes* 3. *caus.* 4. *quæst.* 3. ibi: *Sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur*, *alias numerus testium*, *alias Dignitas*, *& auctoritas*, *alias veluti consentiens fama confirmat rei*, *de qua quæritur*, *fidem*. *Hoc ergo solum tibi rescribere possum summatim* (*alloquitur Judicem Imperator*) *non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligare debere*, *sed ex sententia animi tui te existimare oportere*, *quid aut credas*, *aut parum probatum tibi opinaris*. *Et cit. cap. si testes* 3. *caus.* 4. *qu.* 3. ibi: *Confirmabitque Judex motum animi sui ex argumentis*, *& testimoniis*, *quæ rei aptiora*, *& veritati proximiora esse compererit*. *Et cap. Præterea* 27. *de testibus*, ibi: *Etenim circumspectus Judex atque discretus motum animi sui ex argumentis*, *& testimoniis*, *quæ rei aptiora esse compererit*, *confirmabit*. 26

Polygami in Jure Civili etiam ab Imperatoribus Gentilibus infamiæ nota, aliisque pœnis afficiuntur; *l. Prætoris verb.* 1. *ff. de his*, *qui notantur infamia*, *l. Neminem* 2. *Cod. de incestis*, *& inutilibus nuptiis*: Bellarmin. *lib.* 1. *de Matrim. cap. X. in fine*, & alii passim. 27

Polygami, nedum in Jure Civili, sed potissimum in Jure Canonico infames declarantur, textu expresso *in cap. Nuper* 4. *de Bigamis non ordinandis*; ibi: *Unde illum comitatur infamia*, *qui duas simul uxores habet*. 28

Polygami condemnantur ad Triremes per quinquennium; vel si falsos produxerunt testes ad probandam mortem prioris conjugis, ad septennium, prout late docet Carena *part.* 2. *de Polygamis tit.* 5. §. 12. cum plurimis aliis, Rosignol. *loc. cit. n.* 11. 29

Quinimmo Urban. VIII. *die* 20. *Jul.* 1627. Const. incip. *Magnum in Christo* decrevit, quod ii, qui mentito nomine, vel cognomine, prima uxore vivente, secundam ducunt; præter pœnas, quas ordinarie incurrunt Polygami, damnentur ad triremes in perpetuum, & si fuerint inhabiles, fustigentur, & ad carceres perpetuos damnentur; Si vero pro qualitate, & enormitate criminis majores pœnas meruerint, etiam Curiæ Sæculari arbitrio Sacræ Congregationis Cardinalium Generalium Inquisitorum puniendi tradantur. 30

Poly-

31 Polygami tamquam suspecti de Hæresi debent abjurare de levi, vel de vehementi, proutt fuerint, vel leviter, vel vehementer, de Hæresi suspecti; Carena *loc. cit.* §. 11. *per tot.* Rosignol. *loc. cit. n.* 11.
32 & alii passim; Unde crimen polygamiæ spectat ad Forum Ecclesiasticum, sive ad Inquisitores Hæreticæ pravitatis, privative quoad Judices sæculares. Rosignol. *loc. cit. n.* 11. cum aliis ibi citatis; & late Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 113. *per tot.* & præsertim *n.* 3. ubi dicit, quod generatim observatur per totam Italiam, & Europam, ac ubicumque sunt Inquisitores Fidei, quod ex hujusmodi Hæresis suspicione Officium S. Inquisitionis procedat contra ducentes secundam uxorem, vivente prima; Quod ab anno 1625. usque ad hanc diem semper in suprema, & universali Inquisitione fuit habitum pro constante, itaut contra Judices Laicos prætendentes causam Polygamiæ ad se spectare, privative, quoad Ordinarios, & Inquisitores, processerit tamquam contra impedientes S. Officium, præsertim *die* 18. *Jan.* 1601. & *die* 30. *Sept.* 1604.

33 Polygamus, qui Polygamiæ pœnitentiam, seu pœnam triremium jam explevit, non potest cum secunda uxore denuo Matrimonium contrahere, quamvis prima legitima uxor decesserit, nisi habeat dispensationem Apostolicam, quia obstat ei impedimentum criminis. *Sac. Cong. Conc. in S. Severi* 10. *Jun.* 1704. ut refert Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *n.* 30. & Ursaya *in Miscellaneo Sacro, & profano* 1. *litt. P. num.* 227.

Additiones ex aliena manu.

34 Quomodo sit probanda mors conjugis, ut permittantur secundæ nuptiæ, non male hic expendit *Auctor*. Sed confer etiam *Naurat de vita, & morte hominis Theorem.* 50. *per tot.* tum *Albic. de Inconstant. in Fid. cap.* 36. *n.* 90. & *plur. seq.*

35 Polygamia non esse delictum mixti Fori, sed unice pertinere ad Judicium Ecclesiasticum, vel Tribunal Inquisitionis, vel Ordinarium, pluribus probat *Albic. de inconstantia in Fide dict. cap.* 36. *a num.* 1. *ad plur. seq.*

36 Quid autem si Polygamus in Tribunal Inquisitionis exceptionem opponat nullitatis prioris matrimonii a se contracti, an remittenda sit causa ad Ordinarium, ita ut prius de exceptione hac sit cognoscendum?

37 Varias Doctorum opiniones, tum praxim Supremæ Inquisitionis affert *Albic. de Inconstant. in Fid. dict. cap.* 36. *n.* 108. & *plur. seq.*

38 Gravior quæstio est, an puniri in S. Officio possit qui pendente lite super validitate primi matrimonii, contraxit secundum matrimonium.

39 At consule etiam de hac quæstione eumdem *Albic. de Inconstant. in Fid. cap.* 36. *numer.* 118. & *seq.*

40 Ex Constitutione Urbani VIII. cui initium est: *Magnum*, Polygami, qui falsis testibus deceperunt Curiam Ecclesiasticam ad obtinendam licentiam contrahendi secundum matrimonium, damnandi sunt ad Triremes in perpetuum, vel si sunt inhabiles, publice sunt fustigandi, & damnandi in perpetuum quoque sunt ad carceres; quinimo ex circumstantiis possunt arbitrio Supremæ Congregationis Universalis tradi brachio Sæculari.

Verum hanc Constitutionem emanasse ad terrorem inde liquet, quod vix elapsis decem annis ab ejus promulgatione, Suprema Congregatio Archiepiscopo Beneventano rescripsit, Polygamos, qui ad suum statum liberum probandum usi haud fuerunt falsis testibus, damnandos esse ad triremes per quinquennium; polygamos vero qui usi sunt falsis testibus ad probandum suum liberum statum, ad triremes per septennium esse damnandos, & falsos Testes damnandos esse ad triremes ad quinquennium, vel brevius tempus pro varietate circumstantiarum. Et ita semper postea servatum est. 41

Non immerito dubitari potest, an hæc pœna obtineat contra Polygamos, qui non falsis Testibus, sed falsis scripturis usi sunt? 42

PONTIFICALIA.

Pontificalia exercere, & Pontificaliter celebrare de Jure potest Episcopus in locis exemptis suæ Diœcesis. *Sac. Congr. Rit. in Ferrarien.* 20. *Jun.* 1600. *teste* Aldan. *in Compendio Canon. resol. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 15. 1

Pontificalia exercens Episcopus in Ecclesiis Regularium Baldachinum erigere potest. *Sacr. Cong. Episc. & Reg. die* 10. *Jun.* 1603. 2

Pontificalia exercens Episcopus extra Cathedralem, non Presbyteros simplices, sed Canonicos Cathedralis inservientes adhibere debet. *Sac. Congr. Rit. die* 2. *Aug.* 1631. penes Aldan. *d. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 16. Vide tamen verb. *Assistentia*, *n.* 25. 3

Pontificalia exercere in Ecclesiis Suffraganeorum absque licentia Episcopi Ordinarii prohibitum est Archiepiscopo per Concil. Trident. *sess.* 6. *de reformat. cap.* 5. *S. C. Episcop. & Regul. die* 18. *April.* 1599. apud Aldan. *d. l.* 2. *tit.* 8. *n.* 17. 4

Pontificalia exercere non potest Suffraganeus datus Episcopo post illius mortem Sede vacante Capitulo contradicente, *Sacr. Cong. Conc. in Vilnen.* 22. *Febr.* 1631. referente Sellio *in Selectis Canon. c.* 21. *n.* 3. 5

Pontificalia exercens Episcopus in aliena Diœcesi de Ordinarii loci expressa licentia potest Ordines conferre, etiam suis propriis Diœcesanis, non obstante Conc. *c.* 5. *sess.* 6. *de reform. S. Cong. Conc.* de qua Sell. *d. c.* 21. *n.* 5. 6

Pontificalia exercere in loco exempto, & Jurisdictionis non Episcopi, sed inferioris, non potest Episcopus vocatus etiam ab ipso inferiore sine licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines esset locus ille, etiamsi ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, ad administrandum Sacramentum Confirmationis; Dummodo locus ipsius exempti sit intra fines Diœcesis alicujus, ita ut non sit nullius, quia tunc posset; *S. Cong. Conc.* cujus meminit Armend. *in add. ad recop. Leg. Navarræ l.* 1. *tit.* 18. *l.* 7. *ae Episc. n.* 68. apud Barbosam *in summ. Apost. dec. verb. Pontificalia n.* 7. 7

Pon-

8 Pontificalia exercere non potest alienus Episcopus de licentia Patriarchæ in Diœcesi alicujus Episcopi Suffraganei sine ipsius licentia, *Sac. Cong. Conc.* apud Barbosam *in Summa Apostolic. dec. verb. Pontificalia n.* 8.

9 Alia. Vide verb. *Episcopus art.* 4. *& art.* 7.

10 Episcopus, & Præpositus Militiæ S. Georgii M. in Bavaria Pontificalia exercere solummodo possunt in Ecclesia, in Ædibus Ducalibus & Electoralibus sita, & Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata, & exempta, atque immuni ab omni Ordinarii Episcopi loci Jurisdictione. In quibuscumque autem aliis Ecclesiis, nullo pacto, nisi de Ordinarii Locorum permissu, toties quoties occasio postulaverit, sub pœnis juxta Canonicas sanctiones inflictis exercere valent. Bened. XIV. tom. 1. Const. 32. incip. *Militares*, §. 6.

12 Pontificalium usus, quo quis ex privilegio gaudeat, non probat illius exemptionem ab Ordinaria jurisdictione. Idem tom. 2. Constitution. 40.

13 incip. *Causarum*. Ideo in cap. *Ut Apostolicæ*, *de privileg. in 6.* distinctio fit inter Prælatos Pontificalibus utentes, qui exempti sunt, & eos, qui non sunt exempti. Idem *ibid.*

(*) *Additio Nova.*

14 Quæ pertinent ad usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum habes verb. *Abbas* num. 31. in quo refertur Decretum a S. Rituum Congregatione circa usum istum emanatum die 27. Septembris 1659. & Declaratio ejusdem Decreti pro Congregatione Casinensium die 20. Julii 1660. Itaque hic tantum subjiciemus Epistolam Encyclicam, quæ inter Constitutiones Selectas Benedicti XIV. part. 1. est num. xxxi.

Innovatio Decreti Alexandri PP. VII. circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum.

„ Reverendiss. Domine uti Frater Sanctissimus Dominus Noster pro diuturno, quo gubernat Ecclesiam, zelo ac sollicitudine, animo reputans, quod ea, quæ a longo tempore fuerunt statuta, quamquam, opportunissima, & necessaria, ita tamen decursu temporis in desuetudinem abeant, & in oblivionem ut penitus tandem negligantur: ac proinde varios abusus animadvertens inolevisse ad versus Decreta a San. Mem. Alexandro VII. constituta, præsertim circa usum Pontificalium in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita coram eodem Pontifice anno 1659. Idem Sanctissimus Dominus Noster nedum opportunum, sed plane necessarium duxit præscribere, sicut reapse præscripsit, quod non solum fieret nova prædictorum Decretorum in memorata Congregatione editorum impressio, sed etiam quod ad omnes locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur (quorum unum etiam Amplitudo tua hisce adnexum recipiet); ad hoc, ut pro munere, quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras easdem affectos esse decet, exactam eorumdem Decretorum observantiam urgeant, & compleant; Eoque magis quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus, etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico Indulto eis licitum esse Ecclesiasticam Supellectilem benedicere; Et Sacra Congregatio mandavit usque ab anno 1660. tale Indultum authenticum ex Archivo Apostolico desumptum exhiberi, & interim abstinere, nunquam huc usque fuit ostensum, & diu felix, ac incolumis vivat. Romæ 31. Martii 1744. Amplitudinis Tuæ.

Uti Frater.

C. Card. de Marinis Præfectus.

T. Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.

PONTIUS PILATUS.

Pilatus, quis, & unde esset, variant Auctores. 1
Quidam ipsum dicunt Romanum, & alii Italum. Petrus Comestor sustinet fuisse Gallum a Delphinatu, & Theophylactus natum in Ponto. Calmet in Dictionario verb. *Pilatus* hæc habet: (1) Pontius Pilatus, cujus genus & patria latent; quamvis Romanus, vel saltem Italus vulgo credatur; vir erat ingenio fervido, & pervicaci, avarus, insatiabilis sententias venditans, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras cædes, sævissimam crudelitatem, etiam contra innocentes exercens. Is cum sederet pro tribunali in examine causæ Domini Nostri Jesu Christi, per internuncium a sua uxore monitus fuit, ne se in caussa justi illius hominis immisceret: *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: nihil tibi & justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Matth. 27. 19.

De hoc somnio uxori Pilati immisso an divini- 2
tus, vel a diabolo, non conveniunt Doctores. S. Ignatius Martyr *Epist.* 8. *ad Philipp.* vult, somnium illud a diabolo fuisse immissum, quia metuebat, ne Christi morte regnum suum everteretur, ibi: *Cacodæmon terrebat mulierculam uxorem Pilati, turbans eamdem in somnis, & ut a crucifigendo cessaret, moliebatur, quia sentiebat suam perniciem.* Et idem sentit Beda in Matth. At Origenes, Theophylactus, Euthimius, Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus tenent, somnium illud divinitus immissum fuisse, ut antequam injustissima Christus damnaretur sententia, hoc quo-

(1) Sunt, qui velint Arretii exstare antiquam Pilati domum. Fabulæ hujus origines explicat P. Bernardinus Vestrinius Scholarum Piarum T. 11. suarum epistolarum Theologicarum *ep.* 37. Confer Zaccariam in historia litteraria Italiæ T. 11. p. 11.

quoque somnio illum esse innocentem aperte constaret. Sic apud Card. Lambertin. deinde Benedictum XIV. in Opere *de Festis D. N. J. C. nu.* 242. ubi etiam refert, quod dicta uxor Pilati vocaretur, ut tradunt aliqui, *Claudia Proconsula*; & Cornelius a Lapide testatur, quod apud Græcos sit in Sanctorum numero adscripta. Pilatus autem
3 suorum scelerum pœnas luit; damnatus enim ad perpetuum carcerem Viennæ in Gallia, quam urbem popularis Viennensium traditio fert, suam fuisse patriam, in tantas angustias redactus, eo furoris devenit, ut necem sibi consisceret; Eusebius *lib.* 2. *cap.*7. Orosius *lib.*7. *cap.*5. apud Calmet *loc. cit.* Ado Viennensis Episcopus in *Chronico* apud Lambertin. *loc. cit.*

P O R T A.

1 Episcopus facit claudere portas habentes aditum immediate ad Ecclesiam. *Sacr. Congreg. Immun.* 20. *Novembr.* 1640. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 133.

2 Janua domus positæ super Sacristiam locatæ Laicis, si habeat aditum ad ipsam Sacristiam, claudenda est. *Sacra Congreg. Immun. in Reatina* 4. *Decemb.* 1628. *lib.* 1. *Decret. Paulucci pag.* 115.

3 Injungitur Ordinario, ut faciat claudere januam apertam a Debitore, per quam sibi aditum aperuit ad Ecclesiam in fraudem Creditorum. *Sacr. Cong. Immun. in Cosentina* 26. *Febr.* 1636. *l.* 2. *Decret. Paul. pag.* 243.

4 Injungitur Episcopo, ut januam Domus Laici tendentem ad Ecclesiam claudere faciat ad vitandam inconvenientiam ob confugium male viventium. *Sacr. Congr. Immun. in Urbevetana* 7. *Maii* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.*89. *in Theanen.* 30. *Mart.* 1677. *lib.* 2. *Decretor. Alt. pag.* 1581. *in Bojanen.* 15. *Jul.* 1679. *lib. cit. pag.* 1699.

5 Similiter Janua e Monasterio habens ingressum ad Molendinum, a quo patet aditus ad viam publicam, est claudenda ad fraudes vitandas. *Sacra Congr. Immun. in una Civitatis Castelli* 13. *Mart.* 1663. *libr. Decretor. Rocci pag.* 464.

6 Janua Domus Ecclesiæ Commendæ Equitum Hierosolymitanorum, per quam patet aditus ad ipsam Ecclesiam, quatenus locetur Laicis, claudatur. *Sacra Congregat. Immunit. in Asculana* 17. *Septembr.* 1680. *lib.* 2. *Decretor. Alt. pag.* 2049.

7 Claudatur Janua Sacristiæ, per quam habetur exitus extra Civitatem. *Sac. Cong. Imm. in Sorana* 2. *Jun.* 1693. *lib. Decret. Vallemani pag.* 51.

8 Episcopus mandet claudi aditum ad Cœmeterium, & eo clauso, declaret Domum contiguam Ecclesiæ, & Cœmeterio non gaudere Immunitate. *Sacra Congregat. Immun. in Alatrina* 1. *Martii* 1700. *lib.* 3. *Decretor. Vallemani pag.* 276.

9 Episcopus absque facultate Apostolica nulliter absolvens ab excommunicatione effractores januæ Ecclesiæ, tenetur illis notificare se absque facultate absolvisse. *Sacr. Cong. Immun. in Bobien.* 2. *Mart.* 1700. *ibi pag.* 275.

Injungitur Episcopo, ut cryptas, & aditus subterraneos a Domibus privatorum ad Ecclesias, & loca immunia claudere faciat. *Sacra Cong. Imm. in Aquilana* 9. *Mart.* 1632. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.* 115. apud D. Riccium *in sua Synopsi verb. Episcopus quoad Immunitatem num.* 50. 10

Janua, per quam habetur aditus ad Ecclesiam claudenda est; *S. C. C. in Eugubina* 2. *Jun. &* 4. *Augusti* 1736. non obstante transactione, & concordia cum quadam Societate Lanariorum facta a Dominis de Tundis. Sic apud Thesaurum Resol. S. C. C. tom. 7. 11

PORTIO, PORTIONARII CATHEDRALIUM.

Portio, quæ sit in Ecclesia, erigi non potest in Præbendam Pœnitentialem, sed Præbenda Canonicalis: at si non essent Præbendæ, sed fructus omnes in distributionibus quotidianis consisterent, tunc distributiones habebuntur pro Præbenda. *Sac. Congr. Conc.* teste Nicolao Garc. *de Benefic. part.*5. *cap.*4. *n.*127. 1

Portiones, si perpetuo unitæ sint Dignitatibus, ita ut Portionum titulo suppresso, effectum sit unum dumtaxat Beneficium, non tenentur ii, qui tales obtinent Dignitates, ad aliud servitium, quam suarum Dignitatum. Quod si absque suppressione tituli Portiones unitæ sint Dignitatibus ad vitam obtinentium, & alias uti duo Beneficia obtineantur, utriusque Beneficii servitia præstanda sunt. *Sacr. Congr. Concil.* referente Nicol. Garc. *de Benef. par.*3. *cap.*2. *n.*509. 2

Portionarii & dimidii Portionarii vocem in Capitulo habentes sunt Capitulares; sed tunc inter Capitulares censendi sunt, cum ex Apostolico privilegio, vel ex consuetudine, aut Ecclesiæ statuto inter Capitulares connumerantur; Si autem ipsi talibus facultatibus non potiantur, Episcopus poterit contra eos absque Adjunctis procedere. *Sacr. Congreg. Concil.* penes Nicol. Garc. *in addit. ad suum tract. de Benefic. part.* 11. *cap.* 1. *num.* 219. & Rotam *decis.* 296. *num.* 1. *part.* 2. *diversor. & decis.* 708. *part.* 2. *recent.* & apud Barbos. *in Summ. Apostol. decis. verb. Portio, Portionarii Cathedralium num.*3. 3

Portionarii repræsentant Beneficiatos, seu Mansionarios, & tenentur ad omnia sicut Beneficiati. *Sacra Congreg. Rit. in Hispalen. die* 5. *Jul.* 1603. quam refert Sellius in *Selectis Canon. cap.* 35. *num.*48. 4

Portionarii, & alii Beneficiati, si in omnibus sunt æquales Canonicis, duplici ductu, sicut Canonici, thurificandi sunt, non obstante libro Cæremonialis, quia intelligitur, quando Presbyteri non sunt æquales Canonicis. *Sac. Congreg. Rit. in Cæsaraugustana de Daroca* 21. *Mart.* 1615. penes Sell. *d.* 35. *n.*47. 5

Portionarii Ecclesiæ Cathedralis, etiam animarum curam habentes, debent in Processionibus incedere 6

cedere post Canonicos, & tamquam membra non debent a corpore separari per interpositionem Rectorum aliarum Ecclesiarum. *Sacra Congr. Rit. in Turritana* 1. *Jun.* 1601. *&* 27. *Julii ejusdem anni*, *& in Terulen.* 20. *Decembris* 1601. apud Sellium *dict. cap.*35. *n.*48.

7 Portionarii perpetui Ecclesiarum Parochialium præcedere debent Portionariis amovibilibus Ecclesiæ Cathedralis in Processionibus, in quibus dantur distributiones ex redditibus Capituli Cathedralis. *S. Cong. Rit. in Terulen.* 17. *Decemb.* 1695. quam citat Sellius *d. c.*35. *n.*49.

8 Portionarii non debent quidquam alterare & æquiparare se Canonicis in vestibus. *Sac. Congreg. Rit. in Segobien.* 7. *Julii* 1612. de qua Sellius *d. c.* 35. *num.*50

9 Portionarii non comprehenduntur sub *c.6. sess.*15. *de reform.* si solum vocem in Capitulo habeant, & ideo potest Episcopus sine Adjunctis Capitularibus ad correctionem, & punitionem eorum procedere. *Sac. Congr. Concil.* quam adducit Sellius *d. c.* 35. *numer.*51.

10 Portionariis, & Beneficiatis Ecclesiæ Toletanæ prohibetur uti Habitu concesso Canonicis, sed ut antiquum Habitum retinere debeant, declarat *Sac. Cong. Rit. in Toletana* 17. *Dec.* 1605. apud Sell. *dict. c.* 35. *n.* 52.

11 Portionarii Ecclesiæ Terulen. uti de corpore illius Ecclesiæ debent insimul cum Canonicis, & aliis Ministris incedere, & præcedere Portionarios, & Vicarios aliarum Ecclesiarum Parochialium illius Civitatis. *Sac. Cong. Rit. in Terulen.* 15. *Mart.* 1603. *&* 16. *Sept.* 1606. *&* 12. *Maii* 1612. ut per Sell. *d. cap.*35. *n.*53.

Additiones ex aliena manu.

12 Sunt in Cathedralibus, & Collegiatis Beneficiarii, qui alibi Portionarii, alibi Mansionarii, alibi Hebdomadarii, & alibi aliter nuncupantur. Vide-
13 sis *Ayrer de Beneficiar. Assis.* Eorum institutio exeunte sæculo decimotertio Romæ primum facta est in Basilica S. Petri a Joanne XXI. de anno 1277. *ut ex ejus Bulla relata in collectione Bullarum S. Ba-*
14 *silicæ Vaticanæ* 1. *ad annum* 1277. Primis enim illis temporibus, quibus in Cathedralibus Ecclesiis Capitula inducta fuere, uni Canonici, si Clericos ministeriales excipias, divina officia in Choro persolvebant, majori, vel minori frequentia pro Cathe-
15 dralium diversitate. At ex quo Canonici residentiæ leges violare cœperunt, ne ipsa divina officia penitus in Ecclesiis Cathedralibus desererentur, instituti fuere hi Beneficiarii, ut vice Canonicorum eademmet divina officia persolverent, cum plena tamen ad ipsos Canonicos subjectione, servitiumque Cathedralis habitum fuit pro titulo Beneficii eorumdem, ut colligitur ex dicta *Bulla Joannis XXI.*
16 tum ex altera *Nicolai III. anni* 1279. Confer etiam *Ayrer ubi supra*. Atque exinde ea differentia nata est inter Canonicos Capitulorum Cathedralium, & hosce Beneficiarios, quod illi pro titulo habent Ecclesiam ipsam, cui *incardinati* sunt, hi vero habent pro titulo non quidem Ecclesiam ipsam, sed ejusdem servitium ab ipsis in illius Choro præstandum, *ut patet ex mox citatis Bullis.*

Ex hac ipsa ratione, quod assumpti hi Benefi- 17
ciarii sunt ad supplendas vices Canonicorum non residentium, facile colligi potest, cur secus ac Canonici ipsi, quippe quibus longe facilius absentia indulgetur, ad assiduam præsentiam, & perpetuam residentiam, neque illam otiosam, & desidiosam, sed laboriosam, qualem Canones volunt, teneantur.

Qua Beneficiariorum Chori recenti origine spe- 18
ctata, mirandum haud est, si nulla eorum fiat mentio in decretalibus Gregorii IX. & propterea dum de hujusmodi Beneficiariis disserendum occurrit, loco textus qui sane deest, allegatur communiter celebris *Glossa in cap. penultimo*, *verbo Assisios*, *de Cleric. non residen.* quæ *Glossa* post tempora Joannis XXI. & Nicolai III. scripta fuit, & quod a dictis Pontificibus in dictis Bullis traditum est de dictis Beneficiariis, applicat *Assisiis in dict. cap. penultimo* memoratis, vocatosque Assisios vult, quasi assiduos, scilicet ex eo quod in ipso assiduum, & quotidianum Chori servitium rejecerint Canonici, rariori assistentia ob dignitatem sibi reservata; quod etsi verum vocis illius etymon non sit (verum enim profert Ducange) ad rem tamen alludit.

Hi Beneficiarii non veniunt nomine Capituli, 19
neque stallum in Choro, neque vocem in Capitulo habent. Adi *Anton. Fabricium Blenyan. in prax. Beneficial. titul. de Reliq. stipend. Eccles. fere per tot.*

Eadem tamen haud est horum Beneficiariorum 20
conditio in omnibus Ecclesiis; *Idem Auctor ubi supra*. Quinimmo hi Beneficiarii in aliquibus Ecclesiis jure Collegii gaudent, & sic peragunt suas peculiares Congregationes, habent proprium, illudque distinctum Archivium, arcam communem, peculiare sigillum, stallum in Choro, tum pro capite Dignitatem. Sed hinc non sequitur, quod corpus efforment a Canonicis distinctum. Jus 21
enim Collegii solummodo tribuere iis valet facultatem se congregandi pro negotiis propriis, & de iis statuendi sine dependentia a Capitulo, tum cætera mox dicta: non item efformationem Corporis distincti, quæ in una eademque Ecclesia repugnat. Quocirca & hi Beneficiarii gaudentes ju- 22
re Collegii in reliquis Capitulo obedire debent. Confer Rot. in *Gerunden. Servitutum super bono jure* 15. *Februar.* 1731. §. *Siquidem*, *cor. clar. mem. Cincio*.

Nec ulla in Ecclesia sunt hi Beneficiarii in om- 23
nibus æquales Canonicis, & propterea thurificandi duplici ductu non secus ac ipsi Canonici, *ut vult Auctor num.* 5. allegata ex Sellio Resolutione Sacræ Congregationis Rituum *in Cæsaraugustana de Daroca*. 21. *Mart.* 1615. Possunt sane ex in- 24
veterata consuetudine esse hi Beneficiarii, qui perinde ac Canonici thurificentur duplici ductu, at non inde sequitur, quod sint, & esse possint ii in omnibus Canonicis æquales, contra ipsorum institutionem. Et in his terminis accipienda est dicta Resolutio Sac. Congreg. Rituum, si vera est; nam *Sellius* hic inter Apocryphos Auctores re-

recensendus est, observante Ursaya *tom.* 2. *part.*2. *discept.*17. *n.*37.

PORTIO CONGRUA.

1 PORtio congrua assignanda Parocho ex causa debiti Pensionum carcerato censeri debet Summa Scutorum centum argenti illarum partium. *Sac. Cong. Concil. in Albiganen.* 26. *Junii* 1626. teste Aldan. *in Compend. Can. res. lib.* 3. *num.*4.

2 Portio congrua Vicario præstanda interim, dum Parochiali de idoneo Rectore providetur, est duorum aureorum pro singulis mensibus. *Sac. Congreg. Concil.* referente Nicol. Garc. *de Benefic. par.*9. *c.*2. *num.*14.

3 Portio congrua assignanda Vicario est arbitraria Episcopo, pensata qualitate personæ, Beneficii, & loci. *Sacra Congregatio Concil.* juxta Nicol. Garc. *d. p.* 9. *c.* 2. *num.* 15. & Massobr. *in praxi habendi concursum req.* 1. *dub.* 25. & apud Barbosam *in Summa Apostol. Decis. verb. Portio congrua num.* 3.

4 Portio fructuum Parochialium Ecclesiarum vacantium constituenda Vicario curam exercenti, quousque ad novam institutionem deveniatur, referenda est ad congruam portionem, & stipendium arbitrio ordinarii ex fructibus percipiendis, nisi aliquæ personæ sint Jure obligatæ ad supplendum aliunde. *S. Cong. Conc.* teste Nicol. Garc. *d. c.*2. *num.*15.

5 Portio non detrahitur ex distributionibus quotidianis pro constructione, & sustentatione Seminarii. *Sacr. Congr. Conc. in Lucana* 5. *Jul.* 1628. *in respons. ad* 2. penes Aldan. *dict. lib.* 3. *tit.* 3. *num.*6.

6 Portio debita Seminario ratione Beneficiorum exigi potest post unionem ejusdem Beneficii factam Regularibus, qui Mendicantium privilegiis gaudent. *Sac. Congr. Conc. die* 21. *Jul.*1629. apud Aldan. *dict. lib.*3. *tit.*3. *n.*7.

7 Alia ad rem. Vide verb. *Congrua*, verb. *Vicarius Parochialis*.

PORTORIUM. Vide verb. *Gabella n.*8.

POSSESSIO.

1 POssessione sua nemo inauditus est spoliandus, quamvis illa dicatur injusta. *Sacra Cong. Rit. in Elven.* 10. *Jan.* 1604. de qua Sell. *in selectis Canon. c.*43. *n.*26.

2 Possessionis exercendi suas functiones manutentionem debet habere ille, qui per decennium præteritum illas exercuit, donec in petitorio aliter declaretur. *Sacra Congregatio Rituum in Asten.* 16. *Julii* 1605. teste Sellio *dict. cap.* 43. *num.*22.

3 Possessionem quadragenariam cum titulo, seu privilegio sustulit omnino Concil. Trident. *sess.*24. *de reform. c.* 20. *vers. Ad hæc*; *Sacr. Congr. Concil. in Theatina* 22. *Jul.* 1613. referente Sellio *d. c.* 43. *num.* 25.

4 Possessio capta a Coadjutore, vivente Coadjuto, non suffragatur post mortem Coadjuti, nisi de novo capiatur, *Sacr. Congr. Rit. in Colimbr.* 16. *Sept.* 1606. *& in Patavina* 30. *Jan.* 1616. penes Sellium *d. c.* 43. *n.*26.

5 Possessio ab obitu Coadjuti numeranda est, quamvis prior possessio per Coadjutorem capta accederet ad annos viginti. *Sac. Cong. Rit. in Bergom.* 7. *Aug.* 1627. apud Sellium *d. c.* 43. *num.*27. & apud Barbos. *in Summ. Apostol. Decis. verb. Possessio num.*5.

6 Alia. Vide verb. *Dominium art.*1. *a num.*21. *usque in finem*.

7 Possessio immemorabilis tribuit Prælato inferiori jurisdictionem intra Episcopi Diœcesim. Bened. XIV. tom. 1. Constit.76. incip. *Apostolicæ* §.2.
8 Non idem dicendum est de possessione quadragenaria cum titulo colorato. Idem *ibid.* §. 3.
9 Possessio immemorabilis solo labefactatur rumore. Idem *ib.* §. 4.

10 Possessio Beneficiorum resignatorum capienda est intra sex menses a data concessionis gratiæ, si Beneficia sint citra montes; vel intra novem, si ultra; Idem tom. 2. Constit. 10. incip. *Ecclesiastica Ministeria*.

POSSESSOR BONÆ, & MALÆ FIDEI.

1 POssessor bonæ fidei dicitur ille, qui detinet rem alienam bona fide, id est nesciens talem rem esse alienam, & probe existimans ejusmodi rem esse suam. *Communis*, per textum *in leg. Possideri* 3. §. 21. *&* 22. *& cap. Si virgo* 5. *caus.* 34. *q.*2. & similibus.
2 Possessor autem malæ fidei e contra dicitur ille, qui detinet rem alienam mala fide, idest certo sciens talem rem esse alienam, & non suam, prout fur detinet rem furtivam. *Communis*, per text. *in cit. cap. Possideri*, *& cit. cap. Si virgo*, cum similibus.

3 Possessor bonæ fidei tempore a Jure statuto potest præscribere, & sibi acquirere, & rem possessam, & fructus inde perceptos. *Communis*, per text. *in l. Bonæ fidei* §. 1. *ff. de acquir. rerum domin. l. Item veniat* §. *Præter hæredit. Instit. de usucapionibus*, *& longi temporis præscriptionibus in princip.* cum similibus.
4 Et quidem res mobiles cum titulo possessor bonæ fidei præscribit, & sibi acquirit triennio. Res vero immobiles per longi temporis possessionem: *cit. Instit. de usucapionibus*, *& longi temporis præscriptionibus*, *in princip.* ibi: *Jure civili constitutum fuerat*, *ut qui bona fide ab eo*, *qui dominus non erat*, *cum crederet eum dominum esse*, *rem emerit*, *vel ex donatione*, *aliave quavis*

quavis justa causa acceperit; ubi vides, quod fit mentio de bona fide, & justo titulo, atque ibidem loquendo de rebus taliter acquisitis, atque possessis subjungitur: *Constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (idest inter absentes viginti annis) usucapiantur*; & concordat *l. Cum nostri*
5 *unic. Cod. de usucapione transformanda*. Possessor autem malæ fidei nullo tempore potest præscribere, & sibi acquirere rem possessam, & fructus inde perceptos. *Communis*, per text. *in cap. Vigilanti 5. de præscriptionibus*, ibi: *Vigilanti studio cavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis, quoniam nulla antiquorum dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, & cap. Quoniam 20. eod.* ibi: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quam civilis*. Hinc *cap. Possessor 2. de Regul. Juris in 6.* absolute dicitur, *Possessor ma-*
6 *læ fidei ullo tempore non præscribit*. Ut recte percipiatur qualis sit obligatio possessoris, tam bonæ, quam malæ fidei, restituendi cum re possessa etiam fructus; advertendum est, quod fructus rei, alii sunt naturales, alii industriales, & alii mixti. Fructus *naturales* sunt illi, quos res ipsa ex natura sua sponte producit, nullo, seu vix ullo humano labore, vel industria cooperante, ut sunt fœtus animalium, herbæ pratorum, sylvæ cæduæ, & hujusmodi; *l. Fructus 45. de usuris*. Fructus *industriales* sunt illi, quos sola humana industria profert, & nullo modo natura rei ex se producit, quamvis concurrat ut instrumentum hominis industrii operantis, vel negotiantis, uti est stipendium, quod quis accipit, dum ipsemet ad aliquod opus, seu artefactum utitur alieno instrumento, item lucrum, quod quis reportat ex pecunia, vino, frumento, & hujusmodi ad negotiationem positis, *l. Bonæ fidei, ff. de acquirend. rerum domin. l. Si ejus, ff. de rei vindicat.* Fructus *mixti* sunt illi, ad quos producendos notabiliter concurrunt tam natura rei, quam industria hominis, uti sunt segetes, uvæ, omnesque fructus serendo, & colendo producti, vinum, oleum, caseus, & hujusmodi, quia hæc producit quidem natura rei, at debet industria hominis ad ipsa notabiliter concurrere.

7 Alii quartam speciem fructuum addunt, quos *fructus Civiles* appellant, uti sunt pensiones domorum, & navium vecturæ, mercedes, salaria, usuræ, pretia rerum elocatarum, & hujusmodi, quæ omnia in foro Civili habentur veluti fructus; non quia proprie fructus sint, sed quia ad similitudinem fructuum Jure Civili sunt constituta, ut habetur *l. Prædiorum 36. ff. de usuris*.

8 Item advertendum est, quod fructus alii sunt percipiendi, & adhuc pendentes, & alii jam per-
9 cepti. *Communis*. Fructus percipiendi, & adhuc pendentes sunt illi, qui nondum sunt collecti, sed in rebus, e quibus nascuntur, adhuc existunt, & pendent; Et tales fundo cedunt, fundumque sequuntur, ac proinde una cum fundo (deductis tamen expensis) restituendi sunt; nam *fructus pendentes pars fundi esse videntur*, ut loquitur textus in *leg. Fructus pendentes 45. de rei vindicat.* Fructus percepti sunt illi, qui jam per- 10
fecte collecti sunt, & in horreis, vel cellariis jam reconditi. Immo etiam illi, qui industria hominis sunt a solo separati, licet nondum sint in horreis, vel cellariis reconditi, *leg. Si Usufructuarius, ff. Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur*, ubi expresse dicitur: *Fructum percipi spica, aut fœno cæso, aut uva adempta, aut excussa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit*.

Fructus percepti, alii sunt adhuc extantes, & 11
nondum consumpti, & alii non amplius extantes, & jam consumpti. Fructus adhuc extantes, & nondum consumpti, sunt illi, qui adhuc existunt, & nondum a possessore conversi sunt in suos usus. Fructus non amplius extantes, & jam consumpti e contra sunt illi, qui non amplius existunt, & jam a possessore conversi sunt in suos usus. *Communis*.

A possessore rei alienæ, tum bonæ, tum malæ 12
fidei sæpe sæpius fiunt expensæ, vel pro ipsa melioranda, aut pro fructibus ex ea percipiendis. Et tales expensæ possunt esse triplicis generis, scilicet vel necessariæ, vel utiles, vel voluntariæ, & voluptuosæ. Expensæ *necessariæ* sunt illæ, quæ necessario fiunt ad conservationem rei alienæ, quæ sine ipsis, vel omnino periret, vel notabiliter deterior efficeretur, aut nullos, seu non ordinarios fructus afferret, ut reficere domum, agrum, vel vineam e tribulis mundare, fruges sub tecto conservare, & hujusmodi. Expensæ *utiles* sunt illæ, quæ fiunt ad rem utiliorem reddendam, seu ut plures fructus afferat, quam adferret, si fierent solum expensæ necessariæ, uti esset v. g. agros, & vineas ampliare, extraordinarie meliorare, novas arbores plantare, & hujusmodi. Expensæ *voluntariæ, & voluptuosæ* sunt illæ, quæ fiunt tantum ad voluptatem, vel ad ornatum, aut ad delicias, ut sunt fontes, viridaria, statuæ, & hujusmodi, quibus licet res reddatur pretiosior, & æstimabilior, tamen non ideo affert majores fructus; Unde tales expensæ non sunt, nec necessariæ, nec utiles, sed voluntariæ, & voluptuosæ.

Res aliena apud possessorem, sive bonæ, sive 13
malæ fidei potest crescere, & decrescere dupliciter, videlicet, aut *intrinsece*, & in se, & secundum suam substantiam, ut si vitulus fiat bos, pullus equinus fiat equus, bos, seu equus de macro fiat pinguis, & sic plus valeat; Vel e contra de pingui fiat macer, & de juvene robusto, & forti fiat senex, & debilis, & sic minus valeat. Aut *extrinsece* quoad solum valorem, ut si modius tritici modo valeat quatuor scutis, deinde ob penuriam, vel multitudinem ementium valeat sex, seu octo, deinde psopter abundantiam, vel paucitatem ementium valeat solum quatuor, seu quinque. *Communis*.

His notatis, & bene perceptis resolvitur, quod 14
possessor malæ fidei tenetur restituere rem mala fide possessam, si adhuc extet, aut si non extet, quantum ex illa factus est ditior. *Communis*, ac

15 *certa*. Item possessor malæ fidei tenetur restituere etiam omnes fructus naturales ex re aliena perceptos, sive adhuc extent, sive jam consumpti sint. *Communis*, per textum *in leg. Si fundum* 17. *Cod. de rei vindicatione*, ibi: *Tam fundum vestrum* ...., *quam fructus, quos cum mala fide percepisse fuerit probatum, aditus Præses Provinciæ restitui jubebit*; *leg. Certum est* 22. *Cod. eod.* ibi: *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare*, & concordat textus *in* §. *Si quis a non Domino* 35. *Instit. de rerum divisione*, ibi: *Qui alienum fundum sciens possederit... cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogi-*
16 *tur restituere*. Insuper possessor malæ fidei tenetur restituere, non solum fructus perceptos, sed etiam qui a Domino honeste percipi potuissent. *Communis*, per textum in *leg. Fructus non modo percepti* 33. *de rei vindicatione*; *& l. Si de possessione*, 4. *Cod. Unde vi*, ibi: *Reum causam omnem præstare oportet, in qua fructus etiam, quos vetus possessor percipere potuit, non tantum quos prædo percepit, venire non ambigitur, & cap. Gravis* 11. *de restitutione spoliator.* ubi Papa loquens de restitutione fructuum percipiendorum clarissime id ipsum insinuat his præcisis verbis: *Sed quos* (*si eis possidere fuisset licitum*) *possessores veteres percepissent reddi faciatis eisdem*.

17 Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus mere industriales. *Communis*. Et ratio est, quia ad eum spectant fructus, cujus est causa fructificans, sed fructus mere industriales non sunt effectus rei alienæ, utpote omnino sterilis, ut supponitur, sed solius hominis industrii operantis, vel negotiantis, ergo fructus mere industriales ex re aliena non sunt restituendi a possessore malæ fidei, cum isti non sint fructus suæ malæ fidei, & iniquitatis, sed solius suæ industriæ: Hinc qui mala fide possidens pecuniam alienam, exponit eam cum lucro ad ludum, ad negotiationem, ad censum &c. non tenetur hoc lucrum restituere, quia pecunia est res de se sterilis, & lucrum inde acquisitum est mere industriale. Si autem Dominus pecuniæ, si ipsam habuisset, & ipsa usurus fuisset ad lucrum quærendum, tenebitur quidem possessor malæ fidei compensare lucrum speratum, at non per modum fructus, sed per modum interesse, & lucri cessantis, ut fatentur omnes.

18 Possessor malæ fidei tenetur restituere fructus mixtos quoad illam partem, quæ respondet naturæ rei, non autem quoad illam partem, quæ respondet suæ industriæ; seu quod idem est, possessor malæ fidei tenetur restituere fructus mixtos, sed detractis expensis, & æstimatione suæ industriæ. *Communis*. Et ratio est, quia fructus rei sequuntur rem, & fructus industriæ sequuntur industriam tamquam suam causam; adeoque cum fructus omni jure spectent ad eum, cujus est causa fructificans, & causa fructificans fructus mixtos partim sit natura rei, & partim industria hominis, sunt pro rata concursus dividendi inter Dominum rei, & possessorem industrium.

19 Idem per eamdem dictam rationem dicendum est de fructibus vocatis, ut supra, Civilibus; Si quis enim mala fide possidens alienam navim, domum, seu alienum Equum, Camelum, & similia, ea locavit pro pretio, pretium istud spectat ad Dominum rei, detractis tamen, si quæ factæ sint a possessore malæ fidei, expensis. *Communis*.

Idem pariter est dicendum de eo, qui mala 20
fide possidens alienum torquem aureum, ipsum elocavit pro pretio; Hoc enim pretium restituendum est domino torquis, cum non sit fructus industriæ locantis, quia torques non habet se veluti instrumentum, per quod operetur industria ipsius malæ fidei possessoris, seu veluti domus, quæ elocatur; adeoque sicuti tenetur restituere pretium acceptum pro elocatione domus alienæ mala fide possessæ, ita etiam tenetur restituere pretium acceptum pro elocatione torquis mala fide possessi. *Communis*, teste Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.*2. *sect.*2. *n.*78.

Possessor malæ fidei potest in restitutione dedu- 21
cere expensas necessarias factas circa rem, & fructus. *Communis*, textu expresso in *l. Domum*, *Cod. de rei vindic.* Et ratio est, quia dominus ipse dictas expensas facere debuisset. Tum quia fructus non habent rationem fructus, nisi deductis his expensis, *l.* 36. §. *final. ff. de heredit. petit.* adeoque &c.

Item possesor malæ fidei potest in restitutione 22
deducere etiam expensas utiles. *Communis* cum Sporer *loc. cit. num.* 82. Quamvis enim in *l. Adeo* 7. §. *Ex diverso*, *ff. de acquirendo rerum dominio*, possessori malæ fidei negetur actio ad illas repetendas, tamen est Lex pœnalis, quæ non obligat in conscientia ante sententiam Judicis; Tum quia rigor illius Legis mitigatus est per *l. Plane* 38. *de hereditatis petitione*, ibi: *Sed benignius est in hujus quoque persona* (*scilicet malæ fidei*) *haberi rationem impensarum*; *non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere. Plane potest in eo differentia esse, ut bonæ fidei quidem possessor omnimode impensas deducat, licet res non extet, in quam fecit, sicut Tutor, vel Curator consequuntur; prædo autem non aliter, quam si res melior sit*. Unde etiam in *leg. Fundus* 51. *ff. Familiæ Herciscundæ*, absolute dicitur: *Nullus casus intervenire potest, qui hoc genus deductionis* (*scilicet expensarum*) *impediat*. Et ratio est, quia tales expensæ cesserunt in commodum, & utilitatem domini rei, adeoque, quamvis possessor malæ fide cum utilitate rem domini gesserit, ex æquitate Juris naturalis etiam ipsi compensandæ sunt dictæ utiles expensæ.

Item possessor malæ fidei potest in restitutio- 23
nem deducere expensas voluntarias, seu voluptuarias factas in ornatum separabilem a re mala fide possessa. Quæ enim ab ipsa re sine sui damno separari possunt, ut portæ, fenestræ, statuæ; horologia, insignia, & hujusmodi alienis ædibus, seu prædiis affixa, licite auferuntur etiam a possessore malæ fidei, ut omnes concedunt, teste Spor. *loc. cit. num.* 85. Si autem sine damno rei separari 24
nequeant, Molina, Lessius, Sayr. & alii apud La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 222. dicunt, in foro conscientiæ posse deduci etiam tales expensas voluntarias,

tarias, & voluptuarias factas in dictum ornatum, non separabilem; quia res per illas facta est pretiosior, potestque pluris vendi. Unde videtur iniquum, ut quis ditescat ex damno alterius contra jura in *l. Jure naturæ* 206. *ff. de Reg. Juris*, ibi: *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem*, & *in cap. Locupletari*, 48. *de Reg. jur. in 6.* ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*. Sanchez tamen, Layman, Rebell. Castropal. & alii apud eumdem *ibidem* tenent, deduci non posse tales expensas voluntarias, & voluptuarias factas in ornatum non separabilem, quia Dominus injuste cogeretur ornatum illum emere.

25 „ (*) Neque obstat, *ut inquit Cuniliati tract.* IX. *de* VII. *Decal. Præcepto cap.* V. §. VI. *n.* II. *Tom.* I. *pag.* 382. *seq.*, quod illa melioramenta voluptuosa reddant rem æstimabiliorem, & pluris valituram, si vendatur a domino; quia in primis iniquus possessor hæc volens fecit, & prævidere poterat, se in restituendo illa esse amissurum; unde ipse voluit esse sui damni causa. Secundo, quia cum hujusmodi melioramenta non raro multas expensas requirant, teneretur dominus contra suam voluntatem subjici notabili bonorum suorum jacturæ, si reus esset compensandus, vel pro magna portione emeret rem suam, si solvere pro melioramentis deberet. Tertio, quia per accidens est, quod rem illam melioratam vendere velit, ut utilitatem ex melioramentis reportet: immo evenire potest, quod neque illam vendere, neque locare possit, & interea suis bonis privetur. Proinde non est discedendum ab opinione communiori, & probabiliori, cum fundamenta adversæ opinionis nil aliud concludere valeant, nisi conveniens esse, ut dominus aliquid remittat iniquo possessori pro dictis melioramentis; quod & nos fatemur: Si vero nolit, nihil omnino possessor ille sibi retinere poterit; quippe quod, ut dixi, ipse solus sit sui damni totalis causa „.

26 Possessor malæ fidei tenetur restituere rem alienam cum omni suo incremento, tam intrinseco, quam extrinseco. *Communis*. Et ratio est, quia quando res crescit, suo Domino crescit, adeoque, cum possessor malæ fidei non sit Dominus rei alienæ mala fide possessæ, non potest esse Dominus ejus augmenti, vel majoris valoris, & consequenter tota res aliena, quomodocumque creverit, est ita restituenda Domino vero, & proprio: Sic v. g. si apud possessorem malæ fidei pullus equinus, seu vitulus juvenis jam adolevit, & crevit, vel impinguatus est, si vinea meliorata, si in argo, in viridario multæ adauctæ sint plantæ arborum, & hujusmodi. Item si interim pretium rei alienæ, v. g. frumenti, vini, equi, bovis &c. propter raritatem similium, & multitudinem emptorum creverit, quantumcumque creverit, totum spectat ad Dominum, ut docent omnes communiter.

27 Si res aliena apud possessorem malæ fidei aucta sit augmento intrinseco, debet fieri restitutio secundum optimum statum, quem in manu ejus habuit, quamvis fortasse augmentum illud apud suum dominum habitura non fuisset. *Communis*, textu expresso *in l. In re furtiva* 8. *de conditione furtiva* §. 3. ibi: *Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, quæritur. Placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit, maxime cum deteriorem factam fur dando non liberatur, semper enim moram fur facere videtur*. Sic verb. grat. qui furatus vitulum, seu bovem macrum, & postea factum bovem adultum, seu pinguem consumpsit, vendidit, vel sua culpa perire, aut deteriorari permisit, tenetur restituere pretium, vel æstimationem bovis adulti, seu pinguis secundum optimum statum, quem talis bos habuit apud ipsum furem, seu possessorem malæ fidei, quamvis fortasse apud suum Dominum manens bos ille numquam accepisset illud augmentum, nec illum Dominus deduxisset ad illum optimum statum, sed antea consumpsisset, perdidisset, vendidisset. Et ratio est clara, quia talis bos, quando fuit in illo optimo statu apud possessorem malæ fidei, erat res Domini sui, ergo secundum illum optimum statum spectabat ad Dominum, cum totum incrementum intrinsecum, & optimus status rei inhærens, una cum ipsa re ad Dominum spectet, adeoque possessor malæ fidei tenetur restituere pretium, vel æstimationem bovis adulti, seu pinguis secundum illum optimum statum, quem semel talis bos habuit apud ipsum possessorem malæ fidei, quamvis fortasse manens apud suum Dominum nunquam ad tale intrinsecum incrementum, seu optimum statum pervenisset.

E contra autem, si talis vitulus, seu bos macer apud Dominum suum manens adolevisset, 28
seu impinguatus fuisset, sicque incrementum multum intrisecum recepisset, quod de facto apud possessorem malæ fidei non recepit ob ejus negligentiam culpabilem, vel quia statim adhuc vitulum, seu bovem macrum consumpsit, seu vendidit, tenetur possessor malæ fidei reddere æstimationem secundum summum illum valorem, ad quem Dominus dictum vitulum, seu bovem macrum certo, vel probabilius deduxisset, seu vendidisset, & hoc ratione damni emergentis, & lucri cessantis. *Communis*.

Si res aliena apud possessorem malæ fidei au- 29
cta sit augmento, seu valore solum extrinseco, debet fieri restitutio secundum valorem majorem, quo ipsi Domino valuisset, si ei injuste ablata, aut detenta non fuisset. *Communis*. Sic v. g. si Dominus fuisset rem suam venditurus tempore, quo summum valorem habebat, tunc clare patet, furem, seu possessorem malæ fidei teneri restituere summum illum valorem, quia in summo illo
valore damnificavit Dominum. Item fur, seu pos- 30
sessor malæ fidei tenetur restituere illum summum valorem, si dominus ex quo tempore currentis talis summi valoris carendo sua re injuste a possessore malæ fidei possessa, v. gr. tritico, debuit emere aliud illo summo valore, quia sic malæ fidei possessor fuit causa, quod tantum damnum injuste emersit Domino rei, adeoque totum compensare
debet. *Communis*. Item tenetur fur, seu posses- 31
sor

sor malæ fidei restituere illum valorem, quamvis Dominus rei, v. g. tritici, non fuisset venditurus triticum, nec aliud sibi empturus tempore dicti summi valoris, sed eo tempore ipse consumpsisset, vel donasset amico, qui fuit injusta causa, ne Dominus re sua, scilicet *suo tritico*, eo tempore uteretur; Dominus enim non solum passus est carentiam *tritici*, sed etiam passus est damnum carendo *tritico*, ejusque usu, quando usus erat majoris æstimationis, sive pro se, sive pro aliis; adeoque possessor malæ fidei debet reddere tantum, quantum tunc valebat ille usus, nec satisfacit reddendo nunc simile *triticum*. Sic Lugo *disp.* 18. *sect.* 6. *numer.* 123. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2. §. 7. *num.* 9. Illsung *t.* 4. *d.* 3. *n.* 164. Petschacher *de restitutione par.* 221. Sporer *loc. cit. num.* 151. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *num.* 234. & alii contra Vasquez, Turrian. & alios.

32 Si Dominus rei consumpturus, vel alienaturus erat rem suam eodem tempore, quo fur, seu possessor malæ fidei eam consumpsit, tunc possessor malæ fidei, seu fur, tenetur solum restituere tantum, quanti pro eo tunc valebat ipsa res, quia Dominus plus non est damnificatus, quam in va-
33 lore, qui tunc erat. *Communis*. Quamvis Dominus consumpturus, vel alienaturus fuisset rem suam tempore minoris valoris, ante tempus majoris valoris, quo ipsam consumpsit, vel alienavit possessor malæ fidei, adhuc ipse possessor malæ fidei tenetur restituere ipsum totum pretium majus, currens tempore, quo eam consumpsit. *Communis, & certa* cum Tamburin. *loc. cit. nu.* 13. & Sporer *loc. cit. nu.* 153. Et ratio clara est, quia res adhuc existens illo tempore aucti valoris, est adhuc Domini sui, & non possessoris malæ fidei, & consequenter in valore crevit Domino, & non possessori malæ fidei, cum res Domino suo crescat adeoque, si illo tempore majoris aucti valoris injuste a possessore malæ fidei consumatur, vel vendatur, totum illud pretium majoris valoris est ab ipso restituendum Domino rei, etsi non ratione
34 damni majoris, tamen ratione Juris Dominii. Item quamvis Dominus conservaturus fuisset rem suam usque in tempus, quo minus valeret, possessor malæ fidei adhuc teneretur restituere totum pretium, seu illum majorem valorem currentem pro tempore, quo ipse injuste rem consumpsisset, vel alienasset. Sic Lugo *loc. cit. nu.* 126. cum aliis ibi allegatis, Sporer *loc. cit. num.* 155. La Croix *l. cit. num.* 223. Petschacher *de restit. pag.* 223. Tamburin. *loc. cit. num.* 13. ubi hanc vocat verissimam, licet oppositam sententiam teneat Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 16. *n.* 105. & ex illo Layman *l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *nu.* 6. & alii. Et ratio nostra satis urgens a priori est hæc, quam affert Sporer *loc. cit.* quia, dicit, quando possessor malæ fidei, seu fur rem alienam consumpsit injuste, tunc statim absque mora ratione injustæ consumptionis tenebatur ex justitia restituere totum valorem, seu pretium, quantum eo tempore res valebat, & non quantum valitura erat postea, decrescente ejus pretio; Res enim tunc in toto suo valore erat Domini, & non possessoris malæ fidei, seu furis & postea jam absumpta non poterat amplius decrescere Domino, immo nulli, adeoque possessor malæ fidei semper restituere debebit eumdem valorem majorem illius temporis, quo rem consumpsit, vel alienavit; Tum quia si possessor malæ fidei, seu fur posset sibi retinere excessum illum majoris pretii, reportaret lucrum, & ditesceret ex duplici suo delicto, scilicet ex furto, seu injusta detentione, & ex injusta rei alienæ consumptione, quod nullimode potest dici secundum justitiam, & rectam rationem, quia, ut habetur in *l. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. De Reg. Juris*, ibi: *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*. *Ne*, ut dicitur *in cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*.

Si dubitetur ad quodnam tempus, scilicet majoris, vel minoris valoris Dominus rem suam 35
fuisset servaturus, nisi a possessore malæ fidei fuisset inique detenta, & consumpta? Vasquez, Azorius, Reb. & alii censent, esse tunc judicandum in favorem Domini, & totum valorem majorem esse ipsi restituendum, eo quod in dubio inclinandum sit in favorem innocentis, cujus conditio melior est; At Lugo *disp.* 19. *num.* 133. Lessius *loc. cit. num.* 109. Tamburin. *loc. cit. numer.* 7. Petschacher *loc. cit. p.* 227. Illsung. *loc. cit. num.* 165. Dicastill. *d.* 2. *num.* 17. La Croix *loc. cit. num.* 576. Sporer *loc. cit. num.* 159. & alii probabilius docent media via esse incedendum, & pro ratione dubii esse restituendum secundum judicium prudentum, quia pro damno incerto non debet restitui tantum, quantum pro damno certo; Dubietas enim, & incertitudo imminuit æstimationem lucri, & damni.

Nec valet dicere, quod in dubio est judicandum 36
in favorem innocentis, adeoque totum valorem majorem esse restituendum Domino innocenti. Non valet, inquam, quia hoc verum est solum, quando adest possessio pro innocente, quæ in hoc casu non adest, cum necdum extiterit major valor. Vel quando res dividi non potest, neque utrique parti satisfieri, quod utique in hoc casu potest.

Immo possessor malæ fidei nec tenetur credere 37
Domino, se rem suam fuisse servaturum, seu venditurum tempore majoris valoris, nisi accedant aliæ circumstantiæ, & conjecturæ, quibus certo cognosci possit talis veritas: Unde si certitudo haberi non possit, & adhuc res maneat dubia, erit adhuc restituendum solum secundum proportionem dubii, & majoris, vel minoris apparentis veritatis. Sic Sporer *loc. cit. n.* 160. & Diana, Lugo, Tamburin. Lessius, Turrian. Petschacher citati, & secuti a La Croix *loc. cit. n.* 576.

Possessor malæ fidei tenetur compensare omne 38
damnum emergens, & lucrum cessans Domino ex iniqua detentione rei suæ. *Communis*. Possessor enim malæ fidei tenetur restituere ad æqualitatem arithmeticam justitiæ commutativæ, ita ut Dominus tantum recipiat, & habeat quantum habuisset, si res sua injuste detenta non fuisset; ad hoc autem requiritur, ut de se patet, compensatio omnis damni emergentis, & lucri cessantis.

Pos-

39 Possessor malæ fidei debet suis expensis restituere rem mala fide possessam in loco, ubi Dominus eam haberet, si inique detenta, aut destructa non fuisset, *Communis*; Per restitutionem enim Creditor debet reduci ad æqualitatem, ita ut nullum patiatur damnum, aut gravamen ex injusta detentione, aut destructione rei suæ; Ad hoc autem requiritur, ut sine ulla sua expensa rem suam recipiat in loco, ubi eam haberet, si inique detenta, aut destructa non fuisset, alias per restitutionem non reduceretur ad æqualitatem.

40 Possessor bonæ fidei tenetur restituere rem bona fide possessam statim ac cognoscit esse alienam, & quamprimum commode fieri potest. *Com-*
41 *munis*, *ac certa*. Possessor bonæ fidei tenetur rem bona fide possessam restituere ipsi Domino, etiamsi non repetat ob ignorantiam, vel aliam causam, quæ non denotet implicitam remissionem. *Communis*; quia cum sciat rem esse alienam, & cujus sit, jam eum urget præceptum restitutionis. Et
42 probabilius tenetur eam rem restituere ipsi Domino, & non furi, seu alteri possessori malæ fidei, quamvis aliter suum pretium datum pro ejus ver. grat. emptione recuperare non possit. Sporer *loc. cit. n.*120. cum plurimis ibi adductis. Vide verb.
43 *Contr.Empt.art.*2. *n.* 6. (*) Revera tamen est etiam probabile, quod talis possessor bonæ fidei possit talem rem reddere furi, aut alteri possessori malæ fidei ad pretium suum recuperandum, seque indemnem servandum; Sporer *loc. cit. n.* 121. cum
44 plurimis ibi citatis. Vide verb. *Contr.Empt.art.*2.*n.* 7. Nec talis possessor bonæ fidei restituendo talem rem Domino potest ab ipso repetere expensum pro ea, textu expresso *in l. Mater* 3. *Cod. de rei vindic.* ibi: *Rem tuam a possessore, etiam non oblato pretio, vindicare poteris*. Vide d. v.*Contr.Empt.ar.*2. *n.* 22. *&* *n.* 10. & resolve ut *ibi*.

45 Possessor bonæ fidei incipiens dubitare solum per leves rationes, vel leves conjecturas, an res sit sua, vel aliena? non tenetur examinare veritatem, sed tuto pergit possidere, quia nemo tenetur inquisitionem contra se ipsum instituere ex levibus solum rationibus, & conjecturis. Sic expresse Sporer *loc. cit. num.* 91. addita ratione, quod sicut ipse Superior non tenetur, & forte non potest ex levibus conjecturis moveri ad inquirendum contra te v. g. sic multo minus nec tu contra teipsum; perge ergo in possessione tua. *Hæc ille*.

46 Si autem possessor bonæ fidei incipiat dubitare ob graves, & probabiles rationes occurrentes; tenetur omnino inquirere, & examinare veritatem, adhibita diligentia humana, morali, ordinaria, majori, vel minori prout res possessa incipiens esse dubia majoris, vel minoris fuerit momenti. *Communis*; Et ratio est, quia dubitans ob graves, & probabiles rationes, an res sit sua, vel aliena? si omittat inquirere veritatem, desinit esse possessor bonæ fidei, cum prudenter timere debeat, ne sua possessio sit injusta, forte talis sibi appaitura post factam debitam inquisitionem ad indagandam veritatem, adeoque, ne se exponat periculo detinendi injuste rem alienam, sicque peccandi peccato injustitiæ pergendo possidere cum conscientia practice dubia de validitate, & honestate suæ possessionis, debet omnino inquirere, & examinare veritatem pro deponendo tali practico dubio, ut sic inde licite, & tute possideat, si repererit rem possessam esse vere suam; vel restituat, si compererit esse alienam.

Quod si post factam talem inquisitionem nequeat reperire veritatem, & deponere tale dubium, tunc potest ipsam rem possessam licite, & juste retinere uti suam, *Communis*, per textum *in l. Nemo* 126. §. 2. *ff. de Regul. Juris*, ibi: *Cum de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis*, *l. In pari causa* 128. *ff. eod.* ibi: *In pari causa possessor potior haberi debet*; *cap. Quod autem* 5. *De Jurepatronat.* ibi: *Melior est conditio possidentis*, *c. In pari* 65. *de Reg. Juris in* 6. ibi: *In pari delicto, vel caussa potior est conditio possidentis*. 47

Si facta debita diligentia adhuc perseveret possessor bonæ fidei in tali dubio, & interim compareat Dominus, tenetur ei restituere rem extantem; Si autem rem jam consumpserit, vel alienaverit, & postea compareat Dominus, tenetur solum restituere quantum inde factus est ditior; Sic ex communi Covar. *Reg. Possessor*, *part.* 2. §. 5. *&* *Reg. Peccatum p.* 3. *princ. num.* 4. Vasquez *disp.* 66. *c.* 7. Silvester verb. *Restitutio* 3. *q.* 7. *dicto* 3. Suarez *t.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 14. Molina *t.* 1. *art.* 2. *disp.* 25. *&* 36. Layman *lib.* 1. *tract.*1. *c.* 5. *n.*21. Sanchez *l.*2. *de Matr. disp.*41. *n.* 12. Sporer *loc.cit. n.* 95. & alii passim. 48

Unde si quis alius talem rem dubiam a dicto possessore bona fide possessam æque dubitet, vel probabiliter putet esse suam, non potest eam sine Judicis auctoritate auferre, & si auferat, injustum ei damnum infert, & ad integram restitutionem tenetur; Sanchez *lib.* 2. *de Matrimonio disp.* 41. *n.* 26. Navarr. *cap.* 17. *n.* 117. Layman *l. c. n.* 21. Sporer *l. cit. n.* 94. & alii. Et ratio est, quia dum res incerta est, seu partium jura obscura sunt, interim ordinarie loquendo est præsumptio pro possessore ex Juris dispositione, uti clare constat ex §. *Retinendæ possessionis* 4. *Instit. de Interdictis*, ibi: *Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi ejus res* 49

(*) In Addit. ad cit. num. Lectores ad illa, quæ P. Cuniliati docet cap. cit. in Addit. ad num. 25. hujus Articuli §. IV. num. V. rejecimus. Hic vero iisdem, quo rectius de controversia ista judicare possint, auctores sumus, ut legant, quæ tradit Antoine de justitia & jure cap. V. quæst. XIV. resp. 2. ubi demonstrandum sibi proponit, illum, *qui rem furtivam emit bona fide nesciens nec dubitans esse furtivam*, teneri *eam restituere domino etiam non repetenti*, *nec* posse *reddere furi*, *ut pretium datum recipiat*, *nisi certo sciat ab eo rem domino restitutum iri*, ostenditque, ab homine, qui furi rem emptam reddat, illam in pejori statu poni, cum eamdem privet *statu intermedio meliore*, *quem acquisiverat*, *qui undecumque proveniat*, *spectat ad rem*, *proindeque dominum rei*.

res non sit, qui possidet, si modo Actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio, propter quam causam, cum obscura sunt utriusque jura, contra peccatum judicari solet.

50 Possessor bonæ fidei, qui, bona fide durante, ita rem alienam consumpsit, ut nihil omnino remanserit, in quo factus sit ditior, nihil restituere tenetur. *Communis*, per textum *in l. Bona fides 136. ff. de Reg. juris*, ibi: *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est*: Cum enim talis res, durante bona fide, consumpta, sine ulla culpa contra justitiam fuerit consumpta, non est unde oriatur obligatio restitutionis. Vide verb.*Contr.Empt.art.2.n.4.*

51 Si vero possessor bonæ fidei non ita in totum rem alienam consumpserit, quin remaneat aliquid in quo factus sit ditior, id restituere tenetur, quamprimum advertit sibi provenisse præcise ex re aliena, & non ex industria, *Communis*, per textum *in l. Item veniunt 20. §. 6. D. de hereditatis petitione*, ibi: *Eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque adeo dumtaxat quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos*, scilicet ad restitutionem, ubi Glossa ait: *Hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in jure, ut bonæ fidei possessor ad id tantum, quod ad se pervenerit, teneatur.*

52 Possessor bonæ fidei cognoscens rem esse alienam, non tantum ipsam, sed etiam fructus rei naturales, & mixtos quoad eam partem, quæ respondet naturæ rei, restituere tenetur, solum tamen adhuc extantes. *Communis*, textu expresso *in l. Certum est 22. Cod. de rei vindicatione*, ibi: *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare; bonæ fidei vero, extantes.* Concordat *l. Fructus percipiendo 45. De usuris*, ibi: *Fructus percipiendo Uxor, vel Vir ex re sibi donata suos facit, illos tamen, quos suis operis acquisierit (veluti serendo) nam si pomum decerpserit, vel ex silva cæciderit, non fit ejus, sicut nec cujuslibet bonæ fidei possessoris, quia non ex facto ejus is fructus nascitur.*

53 Dicitur autem notanter *solum tamen adhuc extantes*, quia si, bona fide durante, eos consumpsit, vel donavit vel perdidit, ad nihil tenetur, ratione absumtionis nisi in quantum inde factus sit ditior; *l. Senatus consultum 1. Cod. De petitione hereditatis*, ibi: *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint*; *l. Sed & si lege 25. ff. De hereditatis petitione §. 11.* ibi: *Consuluit Senatus bonæ fidei possessoribus, ne in totum damno afficiantur, sed in id dumtaxat teneantur, in quo locupletiores facti sunt*; *l. Illud 40. §. 1. ff. eodem*, ibi: *In bonæ fidei autem possessore hi tantum veniunt in restitutione, quasi augmenta hereditatis, per quos locupletior factus est.*

54 Possessor bonæ fidei non tenetur restituere dictos fructus naturales, sive adhuc extent, sive eos consumpserit, & ex ipsis factus sit ditior, si eos bona fide possedit per integrum triennium, antequam a vero Domino una cum fundo repeterentur, quia censetur eos præscripsisse; *Instit. de usucapionibus, & longi temporis præscriptionibus in princip.* ibi: *Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium...... usucapiantur*, & concordat *l. Sequitur 4. §. Fructus, ff. de usurpationibus, & usucapionibus, & l. Cum nostri unic. Cod. De usucapione transformanda*; Covarruv. *lib. 1. variar. resolut. cap. 3. n. 7.* Menoch. *de recuperand. possess. remed. 15. n. 588.* Reiffenstuel *l. 2. Decr. t. 13. num. 14.* & alii passim.

Bonæ fidei possessor semper, etiam sine titulo, facit suos fructus industriales; *cit. l. Fructus percipiendo 45. ff. De usuris, §. 35. Inst. de rerum division.* ibi: *Si quis a non Domino, quem Dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaque qualibet justa causa æque bona fide acceperit; naturali ratione placuit, fructus quos percepit, ejus esse pro cultura, & cura. Et ideo si postea Dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest*; Sic expresse Fagnan. *lib. 2. Decret. in cap. Gravis 11. de restitutione spoliat. num. 45.* cum triplici Glossa ibi citata, & plurimis aliis adductis; 55
Ubi *nu. 56.* addit, quod si habeat titulum, tunc fructus omnes, etiam naturales non consumptos facit suos; & ita intelligi debet textus *in l. Bonæ fidei emptor 46. ff. de acquir. rerum Dominio*, ubi dicitur: *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia, & opera ejus provenerunt, sed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco Domini pene est*; & plurimis adductis dicit sic hodie communiter sentire modernos, nec obstare textum *in l. Fructus percipiendo 45. ff. de usuris*, jam adductum *supra nu. 51.* quia, inquit, textus ille intelligi debet de fructibus naturalibus extantibus, quos bonæ fidei possessor, etiam cum titulo, facit suos, non autem de consumptis; producitque rationem; Vide ipsum *ibid.* & Reiffenstuel *lib. 2. Decretal. tit. 13. a num. 135. ad 141.* ubi dictos textus *in l. Bonæ fidei emptor 46. ff. de acquirend. rerum domin. & in l. Fructus percipiendo 45. ff. de usuris* explicat, & conciliat. 56

Possessor bonæ fidei, etiam sine titulo, facit suos fructus Civiles, quos facto, provisione, seu diligentia sua percepit, eo quod ipse laboravit, & ei solvens liberatur, ut *in l. Si urbana prædia 55. De condictione indebiti*. Innocent. *in c. In lit. 5. de restit. spol. n. 3. in fine vers. Nisi forte*, Bartolus *in l. Ex divers. ff. De rei vindicat. n. 5.* Fagnan. *loc. cit. n. 49.* Butrius, Ancharan. & Bero apud ipsum a fortiori id concludentes; Nam si malæ fidei possessor tales fructus civiles facit suos, licet revocabiliter, quia tandem tenetur illos restituere, ergo multo magis bonæ fidei possessor sine titulo. 57

Possessor bonæ fidei non tenetur restituere ullos fructus ante litem contestatam consumptos, si ex eis non sit factus ditior; Glossa *in cit. cap. Gravis 11. de restitutione spoliator. verb. Fructus*. Abbas *ibid. n. 6.* Barbosa *ib. n. 8.* Reiffenstuel *loc. c. n. 142.* & ipso teste, communis aliorum, per textum *in l. Sed & loci 4. §. 2. ff. Finium regundorum*, ubi generaliter, & absque distinctione inter fructus industriales, & naturales, vel inter bonæ fidei possessorem cum titulo, aut sine titulo expresse dicitur 58

citur: *Aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, aut mala fide, & condici oportet*; & concordant textus *in l. Senatus consultum* 1. *Cod. de petitione hereditat. l. Sed & si lege* 25. *ff. de hereditatis petitione; l. Illud* 40. *ff. eodem*, adducti *supra n.* 52. quibus, ut patet, statuitur possessores bonæ fidei de fructibus consumptis teneri solum restituere id, in quo ditiores facti sunt; Unde a sensu contrario recte infertur eos ad nihil teneri, quando non sunt facti ditiores; ut colligitur ex *l. Utrum autem* 23. *ff. De hereditatis petitione*, ubi expresse deciditur, quod bonæ fidei possessores nec teneantur ad pretium, nisi quatenus facti sunt locupletiores.

59 Possessor bonæ fidei, re per Dominum evicta, tenetur restituere universos fructus ejus post litem contestatam consumptos. *Communis*, per expressum textum *in l. Certum est* 22. *Cod. de rei vindicatione*, ubi dicitur, quod possessor bonæ fidei fructus ante litis contestationem perceptos soleat cum ipsa re præstare extantes, post litis autem contestationem universos; ibi: *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero, extantes; post litis autem contestationem, universos*; Et ratio est, quia talis possessor quoad fructus post litem contestatam perceptos, & consumptos incipit esse possessor malæ fidei, & concordat textus *in l. Et ex diverso* 35. §. 1. *ff. de rei vindicat. l. Ædiles etiam* 25. §. 8. *ff. de Ædilitio Edicto*, & §. *Et si in re* 2. *Institut. de Officio Judicis*, ubi expresse dicitur: *Post inchoatam autem petitionem etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti, consumpti sunt*.

60 An autem possessor bonæ fidei teneatur ad restituendos omnes fructus ante litis contestationem consumptos, quando ex eis factus est ditior? Conveniunt Doctores, quod teneatur ad restitutionem fructuum naturalium quoad excessum factæ locupletationis, deductis prius omnibus factis expensis; Et id satis patet ex dictis *supra num.* 53. &

61 57. & magis patebit ex mox dicendis. Quantum autem ad fructus industriales, & civiles discrepant Doctores inter se. Plurimi enim, & quidem probabilius, communius, & tutius docent, quod possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus, etiam industriales, & civiles ante litis contestationem consumptos, in quantum ex eis factus est ditior. Sic Bartolus *in l. Et ex diverso* 35. *de rei vindicatione num.* 6. & 7. Antonius Butrius *in cit. cap. Gravis* 11. *de restitutione spoliatorum n.* 12. *col.* 3. *circa med. vers. Bartolus dicit*, Abbas *ibid. num.* 6. Fagnan. *ib. nu.* 57. Covarruv. *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 3. *num.* 6. *conclus.* 3. Alexander *consil.* 21. *num.* 10. *l.* 4. Jason *l. Si me, & Titium nu.* 1. *ff. Si certum petatur*, allegans alios, Sanchez *l.* 2. *in Decal. cap.* 23. *num.* 76. & *seq.* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 153. Pontas *in suo Dictionario verb. Restitutio casu* 9. & plures alii, per text. *in l. Item veniunt* §. 6. *ff. de heredit. petit.* ibi: *Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos esse, l. Si & rem, & pretium* 22. *l. Utrum autem* 23. *l. Sed & si lege* 25. *ff. de hereditatis petitione, l. Nam hoc naturæ* 14. *ff. de condictione indebiti*, cum similibus. Et ratio est, quia possessor bonæ fidei tenetur vero Domino comparenti restituere fructus, etiam industriales adhuc extantes, ut habetur, *ex cit. l. certum est* 22. *ff. de rei vindicatione*, ibi: *Bonæ fidei vero extantes*, cum similibus. Atqui fructus illi, ex quibus possessor bonæ fidei factus est ditior, licet secundum se ac substantiam suam sint consumpti, nihilominus adhuc extant, & perseverant in illo augmento, per quod possessor factus est ditior, ergo tale augmentum (deductis prius expensis) reddi debet vero Domino rei, cum quælibet res Domino fructificet; Tum quia: *Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*, ut expresse dicitur *in l. Nam hoc naturæ* 14. *ff. de condictione indebiti*, & *in l. Jure naturæ* 206. *ff. De Regul. Juris*, ibi: *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem*: & *c. Locupletari* 49. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*; Unde cum Leges dicunt possessorem bonæ fidei non obligari ad restitutionem hujusmodi fructuum, quando eos consumpsit, istud intelligendum est secundum hanc opinionem de iis fructibus, qui sic consumpti sunt, ut neque in natura sua, neque in pretio suo ullatenus perserverent.

Multi autem alii satis probabiliter tenent, non 62 obligari possessorem bonæ fidei ad restituendos fructus industriales, & civiles ante litis contestationem consumptos, quamvis ex eis factus sit ditior; Sic Glossa *in l. Et ex diverso* 35. *de rei vindicatione, vers. De consumptis*, dicens expresse, quod bonæ fidei possessor *de fructibus consumptis nullo modo tenetur, quia lucrifacit eos pro cultura, & cura*, & hujus Glossæ doctrinæ communiter acquiescere Doctores fatetur Bartolus *ibid.* §. *Sequitur in Glossa*, quamvis ipse postea teneat oppositum; Joannes Garcias *tom.* 17. *Tractatuum tract. de expensis c.* 23. *n.* 40. Cynus *in l. Non est, Cod. Familiæ Herciscundæ*, Baldus *in l.* 2. *Cod. De usur. & fructib. legat.* Angelus & Imola *in l. Sequitur* §. 1. *ff. de usurpationibus, & usucapionibus*, & plures alii, quos pro hac sententia citat Joann. Garcias *l. c.* & Sanchez *l. c.* ubi appellat hanc sententiam valde probabilem, uti eam censent etiam Abbas *in cit. cap. Gravis n.* 6. Pontas *l. c. casu* 9. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 151. & *seq.* per text. *in l. Fructus percipiendo* 5. *ff. de usuris*, ibi: *Fructus percipiendo Uxor, vel Vir ex re sibi donata suos facit, illos tamen, quos suis operis acquisierit (veluti serendo) nam, si pomum decerpserit, vel ex Silva cæciderit, non fit ejus, sicut nec cujuslibet bonæ fidei possessoris, quia non ex facto ejus is fructus nascitur*, quibus verbis satis evidenter videtur ostendi, quod possessor bonæ fidei suos omnimode faciat fructus industriales, seu civiles, tamquam debitos ipsius industriæ, labori, ac diligentiæ; *Illos tamen quos suis operis acquisierit, veluti serendo*. Econtra autem suos non faciat fructus mere naturales, quia non sunt fructus de ejus labore, industria, ac diligentia, *Quia non ex facto ejus is fructus nascitur*; Item per textum *in* §. 35. *Instit. De rerum division.* ibi:

ibi: *Si quis a non Domino, quem Dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet justa causa æque bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura, & cura; Et ideo si postea Dominus supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest*; Quibus verbis satis indicatur naturali ratione possessorem bonæ fidei sibi totaliter acquirere fructus industriales, seu civiles pro ejus erga ipsos adhibita cultura, & cura, nec eos debere restituere Domino comparenti, si ipsis consumptis, inde factus sit ditior; Et Leges numero antecedenti pro contraria opinione adductæ, & aliæ consimiles, quæ videntur dicere possessorem bonæ fidei teneri restituere id, in quo ex fructibus ante litis contestationem consumptis, factus est ditior, intelligendæ sunt solum de fructibus naturalibus, & nullatenus de industrialibus, uti notat ipsamet Glossa *in cit.* §. 35. *Institut. de rerum divisione*, *verb. Fructus*.

63 Possessor partim bonæ, partim malæ fidei si bona fide cæpit, sed mala fide superveniente consumpsit, tenetur ex re accepta restituere pro tempore bonæ fidei; sed a tempore malæ fidei tenetur etiam ex injusta acceptione ad omnia damna. *Communis*, per textum *in l. Qui bona fide* 23. *ff. de acquirendo rerum dominio* §. 1. *cap. Si virgo* 5. *caus.* 34. *q.* 2.

64 Possessor partim bonæ, partim malæ fidei, qui prius mala fide possedit, & consumpsit partem rei mala fide possessæ, & postea cum titulo apparenter justo bona fide consumpsit reliquum, si inde cognoscat se verum Jus non habuisse, tenetur ex injusta acceptione ad restitutionem pro tempore malæ fidei, & a tempore bonæ fidei tenetur tantum ex re accepta, quia mala fides præcedens non fuit causa posterioris damni, seu consumptionis reliqui factæ tempore bonæ fidei, cum dicta mala fides fuerit jam purgata per hanc supervenientem bonam fidem; Unde nunc Dominus non patitur damnum ob iniquam perceptionem, sed ob consumptionem bona fide subsequutam, & sic in ordine ad posterius tempus bonæ fidei idem est moraliter, ac si non præcessisset mala fides.

65 Qui prius percepit, & possedit mala fide, sed nihil consumpsit, nisi postquam supervenit bona fides, non tenetur restituere nisi ex re accepta quantum factus est ditior, quia influxus perceptionis, & possessionis iniquæ in damnum Domini interruptus fuit per bonam fidem supervenientem, qua juste fructus illos retinuit, & inde consumpsit, quæ bona fides, & justa retentio fuit causa, quod illi fructus consumerentur, & quod Dominus patiatur damnum non ex injusta perceptione sed ex justa retentione, bona fide subsequuta. Unde juxta dicta numero antecedenti Dominus nunc non patitur damnum ob iniquam perceptionem, sed ob consumptionem bona fide subsequutam, adeoque &c.

66 Qui bona fide percepit fructus, si supervenit mala fides, antequam consumantur, vel quamdiu ex illis manet ditior, jam ex tunc tenetur restituere id totum Domino; Et si non restituat, tenebitur postea ratione injustæ detentionis ad totum damnum inde vero Domino postea sequutum.

Successor possessoris malæ fidei, si succedat 67
ut heres immediatus, & rem ab hoc acceptam consumat etiam bona fide, neque inde factus sit ditior, tenetur adhuc restituere ex injusta acceptione non sua, sed sui antecessoris rem, & fructus, & compensare omnia damna, & lucra cessantia ex mala fide antecessoris orta, quantum vires hereditatis patiuntur. Sic Afflict. *decis.* 240. *numer.* 10. ubi refert, quemdam heredem a Concilio Neapolitano condemnatum fuisse ad restitutionem fructuum ad exonerandam conscientiam defuncti, Fagnan. *l.* 2. *Decretal. in c. Gravis* 11. *de restitutione spoliator. a n.* 130. *ad* 134. cum Bartol. Abbat. Bero, Ruin. Socin. ibi citatis, & alii passim; Et ratio est, quia tunc bona fides heredis non sibi prodest, quia cum succedat in jus omne Defuncti, & in omnibus ejus personam repræsentet, ut *in Authent. de Jurejurand. a morient. præstit.* sequitur, ut succedat quoque in vitium, ac malam fidem Defuncti, quæ propterea sibi etiam nocet, ut habetur *in l. Litigator* 2. *Cod. de fructibus, & litium expensis*, ubi postquam statutum est, possessorem post litem contestatam teneri de fructibus perceptis, & percipiendis, statim subjungitur; *Heredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est*, & *in l. Cum heres* 11. *ff. De diversis temporalibus præscriptionibus*, ubi expresse habetur; *Cum heres in jus omne Defuncti succedit, ignoratione sua Defuncti vitia non excludit*, & in fine subjungitur: *Neque enim recte defendetur, cum exordium ei bonæ fidei ratio non tueatur*, & in terminis docet Glossa in *l. Sequitur* §. *Fructus*, *in verb. Non fuerit*, *ff. De usurpationibus, & usucapionibus* reddens rationem, quia heres vitiorum & culpæ Defuncti est successor: *l. Si ego emi* 11. §. 2. *ff. De publiciana in rem action.* & *cit. l. Cum heres* 11. *ff. de diversis temporalibus præscript.* Et totum hoc etiam ve- 68
rum esse de heredibus mediatis probabilius docent Lugo, & alii cum La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *numer.* 490.

Si successor possessoris malæ fidei succedat ei, 69
non ut heres, sed alio nomine, v. g. ut Legatarius, Donatarius, emptor, & hujusmodi, non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta. Si quis enim a malæ fidei possessore emerit, aut dono acceperit bona fide, tunc talis bona fides in successore prodest ad fructuum acquisitionem, potesque ipse successor cum bona fide præscribere, quia non facit unam cum illo personam, & censetur succedere tantum in Juribus realibus, non autem in vitiis personalibus, unde non est inspiciendum exordium personæ, a qua causam habuit, quia in illius vitium non succedit, ut colligitur *ex d. l. Si ego emi* 11. §. 2. *ff. de Publiciana in rem actione*, ubi textus constituit differentiam inter successorem singularem, & universalem, & ibi hoc tenuit Glossa in *verb. sed heres*; Abbas in *cit. cap. Gravis* 11. *de restitut. spoliator. n.*10. Bero *ibidem n.*38. Fagnan. *ibidem n.*135. Menoch. *de recuperand. possess. remed.* 15. *n.* 120. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 238. & alii passim.

Alia

70 Alia, Vide verb. *Dominium*, verb. *Contr.Emption.* verb. *Restitutio*.

Additiones ex aliena manu.

71 Possessor bonæ ne, an malæ fidei præsumi debeat, utilis disquisitio est. Possessorem autem tametsi titulo destitutum bonæ fidei esse præsumendum, si jus commune non contradicat, nec alius appareat antiquior possessor, communis est sententia, ut videre est apud Vasquium *controvers. illustr. lib.* 2. *cap.* 79. *numer.* 15. *&* *cap.* 81. *num.* 8.

72 At Fachineus *controvers.jur. lib.* 8. *cap.* 42. communem hanc sententiam impugnat; tenetque bonæ fidei possessorem præsumi eum haud posse, qui titulo careat; idque quia *omnes scire debent, quod suum non est, ad alios modis omnibus pertinere*; *l. ultim. C. Unde vi*.

73 De possessore autem bonæ fidei notissima est Regula illa juris: *Bona fides tantum possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est*; *l.* 135. *ff. de Reg. Jur.*

74 Et sane quidem par est bonæ fidei possessoris, & domini ratio in actionibus excipiendis, quæ est & in actionibus exercendis. Amissa possessione uti dominus rei vindicatione, ita & possessor bonæ fidei Publiciana actione adversus tertium agit; *l.* 1. *ff. de Publician.*

75 Par ratio est, etsi de utilitate rei disseratur, Possessor enim bonæ fidei, non secus ac dominus, de re disponere potest, *L.*25. §. 1. *ff. de usur. L.* 48. *ff. de Acquir. rerum domin.* §. *Si quis a non*
76 *domino*, *Instit. de rer. divis.* Immobilium demum, sive possessor bonæ fidei, sive dominus, judicio sisti, damnique infecti satisdare non cogitur; *L. penult.* §. 7. *ff. Qui satisd. cog. L.* 9. §. *penult. ff. de damn. infect.*

77 Modus vero huic exæquationi positus est verbis illis; *Quoties lex impedimento non est*. Non una vero est Interpretum sententia de *hoc modo*. Vide eas apud Jacobum Gothofredum in *comment. ad hanc leg.* 136. *ff. de Regul. Jur.* qui ita de eo sentit: *Primo igitur* (inquit) *ponamus exemplum in Sen. Cons. Syloniano, eoque odioso*: *Ibi scilicet domini appellatio non continetur, qui servum bona fide possedit non magis, quam usumfructum solum habuit, leg.* 1. §. 2. *ff. de Senat. Consulto Sylonian. Secundo ponamus in actione ex edicto de servo corrupto, quæ utique bonæ fidei possessori non competit, seu hoc edicto agere non potest, ut idem Ulpianus istud edictum interpretans definit. leg.* 1. *de serv. corrupt. quæ potissimum species hic mihi placet una cum sequenti. Tertio ponamus, & in edicto de Religiosis, ad quod pertinent tres proxime sequentes Regulæ, & de quo Paulus egit, lib.* 27. *Id edictum diserte domino dat actionem in eum, qui mortuum in locum alienum intulit, vel inferre curavit, non vero bonæ fidei possessori*; *l.* 2. §. 1. *ff. de Religios.*

78 Sed nec male exemplum meo judicio in fructibus poni potest. In fructuum enim ratione non semper bona fides tantum præstat, quantum veritas. Quare caute idem Jurisconsultus Paulus in *leg.* 38. *ff. de acquirend. rer. dom.* scripsit: *Quod ad fructus attinet, bonæ fidei emptorem loco domini PENE esse*. Exempli grat. bonæ fidei possessor restituere cogitur domino supervenienti fructus extantes, necdum consumptos. Sed, & quidquid Paulus addat itidem de fructibus naturalibus, Pomponius tamen in *leg.* 45. *ff. de usur.* & hos denegare videtur bonæ fidei possessori.

Latissimus hic se offert campus disserendi de fructibus, quos suos facit bonæ fidei possessor; Sed 79
ne nimius sim, vide, qui rem pro dignitate tractant, Stryk. in *usu modern. Pandect. lib.* 6. *tit.* 1. §. 12. & *plur. seq.* ubi de eo etiam discutit, an Judex possit ex officio adjudicare fructus ab Auctore non petitos, & Bohemer. *introduct. in jus digestor. lib.* 6. *tit.* 1. §. 11. *& seq.* 80

De possessore bonæ fidei quoad recuperationem impensarum adi quoque Stryk. in *usu modern. Pandect. lib.* 5. *tit.* 1. §. 16. *& seq.* 81

Et demum quando possessor bonæ fidei, talis esse desinat, tradit idem Stryk. in *usu modern. Pandect. lib.* 9. *tit.* 5. §. 14. 82

POSTLIMINIUM.

Postliminium est Jus amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristinum restaurandæ. *Sic in re Communis*, per textum in *l. Postliminium* 19. *ff. de captivis postliminio, & redemptis ab hostibus*. 1

Postliminii Jus non habet locum in Officiis minoribus Regularium, ad quæ Regulares non assumuntur per electionem Canonicam, sed sunt Obedientiarii, & ad nutum superiorum amovibiles. *Communis per textum in cap. Cum ad Monasterium* §. *Tales*, *vers. Nec alicui*, *de statu Monachor.* Habet tamen locum Postliminii Jus in Prælaturis electivis, etiamsi non sint perpetuæ, sed ad certum tempus, puta ad biennium, triennium, & sexennium; quia Prælati sic Canonice electi, eo tempore durante, Juris ordine non servato, & sine justa, & rationabili causa removeri non possunt; textu expresso *cap. Monachi* §. *Priores*, *de statu Monachorum*. 2 3

Et de facto Postliminium habet etiam locum in Officiis ad certum tempus solum duraturis, ut patet in Officio Tutelæ; Licet enim Officium Tutoris non sit perpetuum, sed temporale, & finiatur pubertate, ut *Instit. de Atiliano Tutore*, §. *Ab hostibus*, tamen reversus recipit tutelam Jure Postliminii, ut expresse dicitur in *cit.* §. *Ab hostibus*, ibi: *Nam reversus recipiebat Tutelam Jure Postliminii*. Quo Jure alia quoque omnia recuperat, ut ibi notat Glossa, *in verb. Jure Postliminii*, sicuti quilibet alius reversus ab hostibus, ut est textus expressus in *l. Postliminii* 5. *ff. de captivis, & postliminio*, §. 1. ibi: *Omnia restituuntur ei Jura, ac si captus ab hostibus non esset*; *l. Cum duæ* 14. *ff. eodem*, ibi: *Cum duæ species postliminii sint, ut aut nos revertamur, aut aliquod recipiamus, cum filius revertatur, duplicem in eo causam esse oportet postliminii, & quod pater eum reciperet, & ipse* 4 5

 Jus

Jus suum, *l. Hostes*, 24. *eodem*, ibi: *Ab hostibus autem captus .... postliminio statum pristinum recuperat*, *&* *Institut. Quibus modis Jus patriæ potestatis solvitur*, §. *Si ab hostibus*. Unde & munia Civilia recuperat; *l. Liber captus* 17. *Cod. de Postliminio reversis*, *l. Libertus* 17. *ff. Ad municipalem*, §. 6. & incolumia cuncta ei servanda sunt; *l. Diversarum*, 20. *Cod. de Postliminio reversis*, *vers. Reddantur*, ibi: *Quibus Jure Postliminii etiam veterum responsis incolumia cuncta servanda sunt*.

6 Postliminii Jus secundum Canones locum non habet quantum ad hoc, ut Christiani capti ab hostibus eorum servi efficiantur, ut erat cautum de Jure Civili, ut §. *Servi*, *Instit. de Jure personar.* sed bene quantum ad hoc, ut recuperent omnia, quæ prius habebant, ut clare constat *ex cap. Prima actione*, 14. *caus.* 16. *q.* 4. *&* *cap. Cum per bellicam*, 1. *caus.* 34. *quæst.* 1. & tenent communiter
7 Doctores, & sic semper fuit judicatum. Et signanter in casu Patris Joannis Cheron Provincialis Carmelitarum Vasconiæ, qui rediens a Capitulo Generali in Urbe celebrato, *die* 31. *Maii* 1648. fuit in Mari captus a Turcis, & cum Generalis Ordinis de illius captivitate certior factus fuisset, creavit Vicarium Provincialem; sed eo conquerente, quod Vicario nomine non posset Provinciam gubernare, & Regularis observantia multum periclitaretur, cumque nulla spes subesset redemptionis Patris Cheron, comitia Provincialia indixit, in quibus, *die* 8. *Maii* 1650. idem Vicarius in Provincialem electus est, sed *die* 16. *Aprilis immediate præcedentis* antiquus Provincialis præter spem redemptus Romam perrexit, & postulavit sibi reddi Provincialatum, sed, Generali renuente, recursum habuit ad Sanctissimum D. N. reque a Sanctitate sua ad Sacram Congregationem Episcop. & Regular. delata, tametsi nonnulli Regulares contenderent electionem secundi Provincialis fuisse legitimam, nec Provincialem redemptum posse Provincialatum repetere, ut in specie P. Lezana in suis consultationibus, *consult.* 42. Nihilominus Sac. Congregat. mandavit Generali Ordinis, ut Patrem Cheron in possessione Provincialatus manuteneret, & ad liberum illius exercitium restitueret, & reintegraret, electionem novi Provincialis cum omnibus inde sequutis cassando, & annullando, contrariis non obstantibus. *Die* 12. *August.* 1650. Sic refert Fagnan. *lib.* 5. *Decretal. in cap. Per tuas*, 32. *de Simonia num.* 46.

8 Immo etiam secundum Leges Civiles, capti a Piratis, vel Latronibus liberi permanent, ut expresso habetur, in *cit. leg. Postliminium*, 19. *ff. De Captivis*, *&* *Postliminio*, §. 2. ibi: *A Piratis, aut Latronibus capti, liberi permanent*, & ideo retinent omnia sua Jura, & postliminium non est illis necessarium, ut expresse dicit textus in *cit. l. Hostes*, 24. *ff. eodem*, ibi: *Et ideo qui a Latronibus captus est, servus Latronum non est, nec Postliminium illi necessarium est*.

Additiones ex aliena manu.

[Num dictio juris postliminii, tum legis Corneliæ hodie obtineat, vide apud Stryk in *usu modern. Pandect. lib.* 49. *tit.* 15. §. 1. 9

POSTULATIO PRÆLATORUM.

POstulatio proprie dicta, & quantum ad propositum, est alicujus personæ ad Prælaturam, seu Dignitatem Ecclesiasticam erga Superiorem directa petitio, ut eam dispensative ad- 1
mittere dignetur. *Est in re Communis*; Unde, ut 2
vides, Postulatio est de persona aliquo impedimento aut defectu laborante, ratione cujus non est eligibilis, ac propterea opus habet dispensatione, ut si quis non sit procreatus de legitimo Matrimonio, *cap. Innotuit* 20. *de electione*, vel quia non habet legitimam ætatem, aut similem defectum patiatur, quem Superior non tenetur dispensative admittere ex Justitia, sed solum ad dispensandum cum eo, atque ad ejus admissionem concedendam quandoque movetur ex Gratia, *cap. Bonæ memoriæ* 3. *de Postulatione Prælatorum*, & Glossa *ibi*, *verb. Gratia*.

Hinc Postulatio potissimum differt ab Electione, quia Electio est personæ habilis sine dispensatione ad Dignitatem, ut patet ex ejus definitione tradita sub verb. *Electio art.* 3. *num.* 3. Postulatio vero est personæ aliquo defectu, vel impedimento laborantis, ratione cujus non est eligibilis sine dispensatione; Ac proinde Postulatio innititur Gratiæ, Electio Juri, ut notat Glossa commu- 3
niter recepta in *cap. Unico verb. Eligo postulando*, 4
de Postulatione Prælat. in 6. Postulatio enim nullum tribuit jus Postulato, utpote ex aliquo defectu inhabili, quem Superior non tenetur dispensative admittere ex Justitia, sed solum ex Gratia, *cap. Bonæ memoriæ* 3. *de Postulatione Prælatorum*, juncta Glossa *ibidem verb. Gratia*. Electio autem, si sit canonice celebrata, & ab Electo acceptata, tribuit Jus ipsi Electo ad Prælaturam, seu Dignitatem, & ei, si dignus, & idoneus sit, ut supponitur, ex Justitia debetur, *cap. Postquam* 3. *de electione*, & docet communiter recepta Glossa *ad Rubricam tituli de Postulatione Prælatorum in* 6.

Postulatio est duplex, scilicet solemnis, & non 5
solemnis. Postulatio solemnis est, quando postulatur quis ab eo Superiore, qui potest in impedimento, seu defectu Postulati dispensare, & de hac procedit tradita superius definitio Postulationis: Postulatio *non solemnis*, seu simplex est, quando quis postulatur ab eo Superiore, qui non potest dispensare super impedimento, seu defectu Postulati, sed solum licentiam, seu consensum concedere potest ad Postulati promotionem, ex quo Postulatus subsit ejus jurisdictioni, nec possit sine ejus licentia, aut consensu promoveri,

ri, ut si Religiosus a Capitulo, seu Canonicis eligatur in Episcopum, debet simpliciter, seu non solemniter postulari a suo Prælato, seu Superiore Regulari pro habenda ejus licentia, ut Religiosus electus, seu eligendus possit in sui electionem consentire, & sic transire de Monasterio ad Episcopatum, quod sine dicta sui Superioris licentia, seu consensu Religiosus nullimode potest, *cap. Si Religiosus* 27. *cap. Si Abbatem* 36. *de election. in* 6.

6 Postulare possunt omnes illi, qui possunt eligere, *Communis* per text. in *cap. Ad hæc* 1. §. *Licet, de Postulat. Prælator. cap. Bonæ memoriæ* 3. §. *Mandantes, tit. eod. cap. Bonæ memoriæ* 4. §. *Cæterum, tit. eod. cap. Innotuit* 20. *de electione*, ubi electio, & postulatio quo ad Jus suffragandi æquiparantur, & qui eligere possunt, etiam postulare permittuntur.

7 Postulari possunt, generatim loquendo, soli illi, qui propter aliquem dispensabilem Canonicum defectum eligi non possunt, & cum dispensatione habiles sunt ad promoveri. *Communis*, per textum, in *cap. Unico de Postulatione Prælatorum in* 6. Postulatio enim est inventa in subsidium Electionis, ut sic illi, qui secundum Canones eligi non possunt, saltem postulari, atque ex Superioris Gratia dispensative promoveri valeant, quando cæteroquin Ecclesiæ utiles esse futuri dignoscuntur; unde quando potest fieri Electio, nequit fieri Postulatio, cum hæc duo sibi invicem adversentur; *cap. Unic. de Postulat. Prælat. in* 6. *& ibi* Glossa communiter recepta *in verb. Eligo Postulando*.

8 Dicitur autem notanter *propter aliquem dispensabilem Canonicum defectum eligi non possunt*, quia duplex datur defectus, seu inhabilitas, scilicet dispensabilis, & indispensabilis: Defectus, seu inhabilitas *dispensabilis* est ille, seu illa, in quo, seu in qua Superior potest, & solet dispensare, ut est defectus natalium in illegitime natis *cap. Innotuit* 20. *de electione*; Item defectus Sacri Ordinis ad Prælaturam requisiti, *cap. Dudum* 22. *de electione*; Item defectus ætatis, *Extravag. Unic. de Postulation. Prælator.* Vinculum etiam alterius Episcopatus, *cap. Etsi unanimiter* 6. *de Postulat. Prælatorum*, & hujusmodi alii defectus dispensabiles, qui non impediunt, quominus Postulatus possit cum utilitate, & ædificatione populi præfici, & Prælati munus obire, de quibus late Joan. Andreas *in cit. cap. Etsi unanimiter* 6. *de Postulatione Prælatorum num.* 4. *& seq.* Defectus, seu inhabilitas indispensabilis est ille, seu illa, in quo, seu in qua Superior non potest, vel non solet dispensare ad Prælaturam obtinendam, ut est morum infamia, Hæresis, insordescentia in Excommunicatione, suspensione, seu interdicto, ut *in cap. Ad hæc* 1. *de Postulatione Prælatorum*; Item si defectus, seu inhabilitas sit talis, in quo, seu in qua dispensari non solet, ut si quis sit bigamus, spurius, aut ex damnato coitu procreatus, ut colligitur *ex cap. Nisi cum pridem* 10. §. *Personæ vero, de renunciat.*

In Postulatione ad Superiorem directa oportet exprimere omnes hujusmodi defectus, seu inhabilitates, etsi dispensabiles in Postulato existentes; alioquin Postulatio erit irrita, ut colligitur ex *citat. cap. Innotuit* 20. *de electione*; Si enim taceatur unus solus defectus, dispensatio veluti subreptitia corruit in totum, *arg. cap.* 1. *de ætat. & qualitat. in* 6. & tenent Doctores communiter. 9

Episcopus consecratus, immo Episcopus solum confirmatus, licet nondum consecratus, nequit eligi ad alium Episcopatum, sed solum potest postulari. *Communis* per textum expressum *in cit. cap. Etsi unanimiter* 6. *de Postulatione Prælatorum* ibi: *Cum eligi nullo jure potuerit, sed potius postulari*; Episcopus enim, licet solum confirmatus cum contraxerit spirituale Matrimonium cum sua Ecclesia, *cap. Inter corporalia* 2. *cap. Licet* 4. *de translatione Episcopi*, non potest ad aliam Ecclesiam sine Papæ auctoritate transferri, aut propria temeritate transire; *cap. Cum ex illo* 1. *cap. Inter corporalia* 2. *cap. Quanto* 3. *cap. Licet* 4. *de translatione Episcopi*. Potest tamen eligi Episcopus nominatus, seu electus ante factam suam confirmationem; quia licet fœdus conjugii spiritualis inter Episcopum, & Ecclesiam in electione sit initiatum, adhuc tamen nondum est ratum, seu perfecte contractum, cum ratum primo fiat in ejus confirmatione; per textum *in cit. cap. Licet* 4. *de translatione Episcopi*. Item Episcopus, qui renunciavit Episcopatui, eligi potest ad aliam Episcopalem Ecclesiam, nec debet postulari, quia talis non est amplius alligatus alicui Ecclesiæ, cum vinculum prioris Ecclesiæ per renunciationem legitime factam, & acceptatam, sit jam penitus dissolutum. *Communis*. 10 11 12

De Episcopis Titularibus est pariformiter discurrendum, ac de cæteris aliis Episcopis; Unde dicti Episcopi Titulares non sunt eligendi, sed postulandi, uti alii Episcopi, cum sint veri Episcopi, sicuti alii, *arg. cap. Legimus* §. *Ubicumque dist.* 93. *cap. Pastoralis* 7. *quæst.* 1. cum similibus, & etiam inter ipsos, & Ecclesias, ad quas consecrantur, intercedat fœdus conjugii spiritualis *cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi*; adeoque dispositio loquens simpliciter de Episcopis comprehendat etiam Episcopos Titulares; quia ubi eadem ratio, eadem est Legis dispositio, *l. Illud, ff. Ad legem Aquiliam, & cit. cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcopi*. (*) 13

Item

(*) Negat tamen, Episcopos titulares postulari debere Georgius Chrystophorus Neller in dissertatione *de postulatione Prælatorum* apud Antonium Schonidt T. II. *Thesauri Ecclesiastici Juris pag.* 744. quia Titularis Episcopus non est *actu*, neque *habitu* suæ desponsatus Ecclesiæ, utpote quæ *non ens est*, neque scit aliquid de Titulari Episcopo, multo minus in eum consentit: non intelligitur autem conjugium sine sponsa *existente, sciente, consentiente*. Neque locus desponsatur cum Episcopo, sed *Ecclesia* viva, quæ est in tali loco, ut sumitur ex *cap.* 21. *de elect.* Unde est tantum *desponsatus potentia*,

14 Item per eamdem rationem Cardinales Episcopi non possunt eligi ad alium Episcopatum, sed solum postulari, cum hoc generale sit de omnibus, & singulis Episcopis per superius dicta. *Communis*.

15 Cardinales autem non Episcopi, uti sunt Cardinales Presbyteri, & Diaconi, possunt eligi ad Episcopatum, non vero postulari Postulatione solemni, quamvis debeant postulari Postulatione non solemni, seu simplici pro obtinenda licentia Papæ, ut possint discedere a Curia Romana, & a suis respective Titulis, & transire ad sibi destinatos Episcopatus; Ita Abbas Panormit. *in c. Cum Ecclesia vestra* 57. *de electione num.* 15. Fagnan. *in cap. Bonæ memoriæ* 3. *de postulatione Prælatorum num.* 18. Pirhing. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num.* 11. Reiffenstuel *ibidem num.* 56. & alii passim, per textum *in cap. Ecclesia vestra* 57. *de electione*, ubi legitur quemdam Presbyterum Cardinalem fuisse electum in Episcopum; Et ratio est, quia in Cardinalibus non Episcopis cessat ratio spiritualis conjugii, ob quod Episcopi non possunt eligi, sed solum postulari ad alium Episcopatum; Unde Doctores dicentes, Cardinales non Episcopos postulandos esse ad Episcopatum, per textum *in cit. cap. Bonæ memoriæ* 3. *de postulatione Prælatorum*, intelligendi sunt, sicuti & ipse textus *cap. Bonæ memoriæ* de Postulatione simplici, & minus solemni, quæ reipsa est Electio; Quam postulationem simplicem, & minus solemnem esse necessariam in Electione Cardinalium non Episcoporum ad Episcopatum, & nos ultro fatemur, ut patet supra in conclusione, cum Cardinales habeant alas ligatas, nec possint sine licentia Papæ discedere ab Ecclesia Romana, & sui Tituli, ubi residere tenentur; *cap.* 2. *Ex gestis, de Clericis non residentibus*, & si moniti non resideant, seu discessi non redeant ad residentiam, privandi sunt, ut de facto fuit privatus Cardinalis Anastasius a Leone IV. in Concilio Romano, prout refertur *in citat. cap. Ex gestis*, ibi: *In Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis Tituli Beati Marcelli ab omnibus Canonice est depositus: eo quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, & in alienis usque hodie demoratur*.

16 Prælati, aliique Clerici, & Religiosi Episcopo inferiores eligi possunt ad alterius Ecclesiæ similem, seu superiorem dignitatem, aut Prælaturam, & etiam ad Episcopatum; Dummodo accedat Postulatio simplex, & non solemnis, seu licentia suorum respective Superiorum. *Communis*, per textum *in cap. Cum inter* 21. *cap. Dudum* 12. *de electione, cap. Si Religiosus* 27. *cap. Nullus* 28. *cap. Si Abbatem* 36. *de electione in* 6. Dicti enim Sacri Canones, aliique similes permittunt, ut alii Prælati, & Clerici, seu Religiosi Episcopo inferiores ad alias Dignitates, seu Prælaturas, & etiam ad Episcopatus eligi possint: Dummodo accedat licentia, seu consensus suorum respective Superiorum, sine qua, vel sine quo in electionem de se factam nequeunt consentire: *c. Quoramdam* 24. *c. Si Religiosus* 27. *de electione in* 6.

Postulantes non possunt amplius variare postulationem, seu ab illa recedere, postquam postulatio est eorum subscriptionibus roborata, & Superiori, v. gr. Papæ, est jam tradita, seu præsentata. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Bonæ memoriæ* 4. *de postulatione Prælatorum* §. *Nec obstabat*, ibi: *Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Summo Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, Nobis* (inquit Innocentius III. Papa) *frequenter illuderent, & judicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur*. 17

Possent tamen postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere, si Superior cum ipsis ad id consentiret, non obstante tali Præsentatione facta, nec non contradictione postulati; *arg. cit. cap. Bonæ memoriæ* 4. *de postulatione Prælatorum*, ac notant Abbas *ibid. n.*12. Fagnan. *ib. n.*50. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *n.*21. & alii passim, quia tunc cessaret ratio illudendi Superiori, nec postulatus haberet, unde juste conquereretur, cum nullum adhuc esset ipsi jus quæsitum. 18

Item Postulantes possunt variare postulationem, seu ab illa recedere, quamvis jam fuerit publicata, vel etiam ad Superiorem destinata; Dummodo ipsi actualiter, nec dum fuerit tradita vel præsentata; Colligitur *ex cit. cap. Bonæ memoriæ* 4. §. *Nec obstabat, de postulat. Prælatorum*, & tenent *ibi* Abbas *num.* 11. Barbosa *ibidem numer.* 14. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 17. & alii passim; Per dictam rationem, quod postulatus non habet, unde juste conqueratur, cum per dictam postulationem, nullum adhuc jus acquisierit ratione suæ inhabilitatis nondum a Superiore dispensatæ. 19

Immo per eamdem rationem possunt Postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere, quamvis talis postulatio fuerit jam ipsi postulato præsentata, & ab eo jam præstitus fuerit conditionatus consensus; si tamen necdum fuerit præsentata, & tradita Superiori. Engel *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *n.* 4. Reiffenstuel *ibid. n.* 18. Passerinus *c.*24. *de election. q.*9. *n.* 17. Baldus *in c. Postulationem* 5. *de postulat. Prælat. n.*2. insuper addens hoc ipsum esse verum, quamvis promiserint se non variaturos. 20

Non

tia, destinatione, & effectu suo, & Romani Pontificis; neutiquam *actu*, vel *effectu*. Sola autem providentia, & destinatio Papæ non facit spirituale conjugium, ne dicamus, hoc contrahi mox cum quacumque Ecclesia, cui, etiam renitenti, Papa præficeret Episcopum. Fatemur equidem, Episcopos titulares esse *veros Episcopos, vere consecratos, dignitate Episcopis actualibus pares, habere votum decisivum in Concilio generali*: negamus, eos esse *in vero spirituali conjugio*, cum careant *Clero, & Subditis Christianis*, ut loquitur *Clem.* 5. *de elect.*, adeoque sponsa. Postulationis autem necessitatem non inducit *veritas Ordinis, & caracteris Episcopalis*, sed *veritas Conjugii spiritualis*.

21 Non possunt tamen in foro conscientiæ postulantes variare postulationem, seu ab illa recedere absque gravi, & justa causa, quia talis variatio, seu recessio, ultra quam quod solet parere graves discordias, & inimicitias, cedit in præjudicium honoris, & reputationis postulati, habetque in se contumeliam; *arg. l. Si vero §. final. ff. Qui satis dare cogantur*, & notant Baldus *in cap. Publicato* 58. *de electione num.* 3. Reiffenstuel *loc. citat. num.*19. Passerin. *loc. cit. q.*9. *num.* 19. *&* 20. recte addens, quod si postulatus de consensu postulantium fecerit aliquas expensas, teneantur ad earum restitutionem, si sic injuste varient postulationem, cum sit penitus illicitum variare, seu mutare cum alterius detrimento, *cap. Mutare* 33. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum*.

22 Postulantes ad Prælaturas scienter indignum, seu laborantem defectu indispensabili, pro ea vice sunt ipso Jure privati potestate postulandi, seu eligendi. *Communis*, per textum *in cap. Ad hæc* 1. §. *Licet, de postulatione Prælator. cap. Gratum* 2. *eod. cap. Scriptum est* 40. §. *Si vero, de electione*, cum similibus.

23 Item ipso Jure sunt pro ea vice privati potestate postulandi, seu eligendi, qui Postulationem vitio personæ cassatam, denuo innovare præsumunt. *Communis*, textu expresso *in c. Gratum* 2. *de postulatione Prælator.*

24 Postulantes ad Episcopatum minorem viginti septem annis saltem incæptis, aut Regularem cujusvis Ordinis Mendicantium, non solum sunt ipso jure privati pro ea vice potestate postulandi, & eligendi, sed etiam Beneficiis, quæ obtinent in illa Ecclesia, ad quam illum postulant, suspensi per triennium declarantur. *Communis*, textu expresso *in Extravag. Unica, de postulatione Prælat. inter communes*.

25 In similibus casibus, quando postulantes privati sunt ipso jure potestate postulandi, & eligendi, ea potestas devolvitur ad alios Capitulares licet numero pauciores, qui in tales indignas, seu defectuosas postulationes non consenserunt, sed expresse contradixerunt. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Gratum* 2. *de postulatione Prælator.* & concordant *cap. Bonæ memoriæ*

26 3. *& cap. Cum Vintoniensis* 25. *de electione*. Immo si unus tantum e Capitularibus innocens supersit, aliis omnibus mortuis, vel privatis, ille solus Prælatum eligere, vel postulare poterit, ut tradit Glossa communiter recepta *in cit. cap. Gratum, verb. pauciores*, & habetur clare *ex l. Sicut* 7. *ff. Quod cujuscumque Universitatis nomine* §. 2. ubi statuitur, quod jus, & nomen Universitatis stet, & conservetur etiam in uno, ibi: *Cum jus omnium in unum reciderit, & stat nomen Universitatis*. Gloss. *ib. verb. Nomen Universitatis, & Communis Doctorum*. Vide verb. *Electio art.*2. *n.*5. *& ar.*4. *a n.*23. *ad* 25.

27 Si Postulatio non concurrat cum electione alterius in discordia, sed sola fiat, parte una Capitularium postulante unum, & parte altera postulante alium, tunc sufficit ad ejus validitatem, & ut admitti possit a Superiore, quod sit facta a majori parte Capituli, etiam penitus invita parte minori. Abbas *in cap. Bonæ memoriæ* 3. *de Postulatione Prælatorum num.*12. Layman *ibid. num.* 5. Pirhingh *l.* 1. *Decretal. tit.* 5. *num.* 18. Reiffenstuel *ibidem num.* 22. & alii passim; Et ratio est, quia ordinarie ad gesta Capituli sufficit, quod concurrat major pars Capitularium suffragantium, per textum *in cap. Cum in cunctis* 1. *De his, quæ fiunt a majori parte Capituli, cap. Bonæ memoriæ* 3. *de Postulat. Prælator. cap. Dudum* 22. *cap. Auditis* 29. *cap. Coram* 35. *cap. Quia propter* 42. *cap. Ecclesia* 48. *cap. Cumana* 50. *cap. In Genesi* 55. *de electione, cap. Quoniam* 3. *de jurepatronat. cap. Hoc ipsum* 11. *caus.* 33. *q.* 2. *& l. Quod major, ff. Ad municipalem*.

Si autem Postulatio concurrat cum Electione 28
alterius in discordia, idest si una pars Capitularium unum postulet, & altera pars alium eligat, tunc requiritur, quod Postulantium numerus sit duplo major, quam numerus Eligentium, ita ut duæ partes, seu duæ tertiæ Capitularium in Postulationem Personæ idoneæ concurrant, seu consentiant, quibus duabus partibus concurrentibus, admittitur Postulatio unius, & rejicitur Electio alterius. *Communis*, textu expresso *in cap. Scriptum est* 40. §. *Et si partes, de electione*, juncto ejus Summario, in quo sic præcise habetur, ibi: *Si postulatio cum electione concurrit, & numerus Postulantium est duplo major, & Postulatus est idoneus, Postulatio admittitur, rejecta electione*.

Si vero in concursu Electionis cum Postulatio- 29
ne, numerus Postulantium non sit duplo major, tunc, rejecta Postulatione, Electio ab alia parte quamvis minore celebrata valet, & confirmari debet; Dummodo hæc pars Eligentium superet unam tertiam omnium suffragantium saltem per unicum votum, & aliunde Electus sit idoneus. Colligitur clare *ex cit. c. Scriptum est* 40. *de Electione*, ubi postquam Papa decrevit, quod, rejecta Electione, admittatur Postulatio, si Postulantium numerus fuerit duplo major Eligentium, statim *in* §. *Quod si*, subjungit, oppositum esse observandum, quando Postulantium numerus non reperiretur duplo major, neque Eligentes excederent unam tertiam saltem per unum votum, ibi: *Quod si ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes prædicti* (scilicet Postulantes) *minime sufficerent, sive dignus, sive indignus fuerit postulatus; tu postulatione repulsa, Electionem Plebani auctoritate nostra confirmes; Dummodo nihil obsistat eidem quod ipsum tanto præsulatu reddat indignum*; Et sic tenent *in d. cap. Scriptum est*, Innocentius, & Abbas *n.* 13. *&* 14. Barbosa *ib. num.* 1. Hostiensis *in Summa, de postulat. Prælator. num.* 13. §. *final.* Reiffenstuel *lib.* 1. *decretal. tit.* 6. *num.* 154. & alii plures; & de facto 30
fuit sic novissime observatum in famosa Controversia inter Serenissimum Josephum Clementem e Ducibus Bavariæ, & Eminentissimum Cardinalem de Furstemberg, Episcopum Argentinensem pro Electione, & Postulatione de eis respective facta ad Archiepiscopatum Coloniensem *de ann.*1688. Cum enim dictus Serenissimus, & Reverendissimus Princeps, Josephus Clemens Episcopus tunc Frisingesis, & Ratisbonensis (obtento prius eligibi-

gibilitatis suæ Indulto Apostolico) ex convenientibus viginti quatuor Capitularibus per novem vota electus fuisset in Archiepiscopum Coloniensem, ejusdem Electio per Sacram Congregationem Rebus Consistorialibus præpositam fuit tamquam Canonica, & legitima declarata *die* 15. *Septem.* 1688. & per summum Pontificem Innocentium XI. confirmata fuit *die* 20. *Septembris ejusdem anni* 1688. non obstante concursu Postulationis, per quam dictus Eminentissimus Cardinalis de Furstemberg Episcopus Argentinensis tredecim votis (nam alia duo vota dispersa erant) ad prædictum Archiepiscopatum postulatus fuisset : quæ Postulatio, omnibus mature perpensis, & luculenter discussis, fuit rejecta, & repulsa tum a dicta Sacra Congregatione, tum a præfato Summo Pontifice, ut videre est apud P. Justum Redn *tom.* 1. *Operis Canonico Politici tit.* 2. *sect.* 4. *num.* 133. ubi litteram refert & Decretum Sacræ Congregationis, & Breve Summi Pontificis, & late per totum dictum articulum secundum refert integre præfatam celebrem Controversiam digne *ibi* animadvertendam.

31 Postulatio fieri debet, & admitti potets ab eo Superiore, ad quem alias spectst Prælati confirmatio, dummodo habeat potestatem dispensandi super impedimento, & defectu Electionis ; nam admissio Postulationis vim confirmationis habet.

32 *Communis*. Sic in meo Seraphico Franciscano Minorum de Observantia Ordine, si pro una Provincia, & alia per Provinciale Capitulum legitime celebratum postuletur Pater aliquis in Ministrum Provincialem, cujus alia Electio irrita esset, & nulla ob Canonicum Extraneitatis impedimentum juxta nostra statuta per Summum Pontificem approbata *cap.* 8. §. 37. *num.* 3. admissio hujus Postulationis pertinet ad Ministrum Generalem, cum ad eumdem pertineat confirmatio Electionum Provincialium. *Clementin. Exivi, de verbor. significatione* ; Et ita est discurrendum pariformiter de aliis Regularibus habentibus consimiles quo ad hoc Constitutiones.

33 Item generatim, si quis legitime postuletur ad aliquam Ecclesiam, seu Dignitatem Episcopatu inferiorem, talis postulatio admitti potest ab Episcopis, aliisque Prælatis quibus competit potestas confirmandi Electos ad talem Ecclesiam, seu dignitatem, & qui possunt dispensare super defectu, ob quem fit Postulatio ; nam qui dispensare non potest, nec potest postulationem admittere, cum in illa requiratur dispensatio, ut patet ex ejus definitione tradita *nu.* 1. & declaratione data *n.* 2. Unde si minor 20. annis juxta *cap. permittimus Unic. de ætat. & qualitat. in* 6. vel minor 22. annis juxta Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 11. *de reform.* ad dignitatem, cui Cura animarum non est annexa, v. g. Decanatum, Archidiaconatum, fuerit postulatus, non potest Episcopus talem Postulationem admittere, quia ipse non potest dispensare in defectu ætatis jure communi Canonico requisitæ ad Ordines, vel Beneficia, ut desumitur clare *ex citato cap. permittimus, unic. de ætat. & qualitat. in* 6. & Concil. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*

34 Item Postulatio unius Episcopi ad alium Episcopatum admitti potest a solo Summo Pontifice, cum cessio & translatio Episcoporum numeretur inter causas majores, seu graviores, quæ soli Summo Pontifici sunt reservatæ ; *cap. Quod translationem* 4. *de Offic. Legat. cap. Majores* 3. *de Baptismo, cap. Ut debitus* 59. *in fine, de appellation. cap. Cum ex illo* 1. *de translatione Episcop.* cum similibus.

Superior, absolute loquendo, non tenetur ex obligatione justitiæ stricte sumptæ admittere Postulationem, etiamsi sit facta a Capitularibus unanimiter de persona idonea, sed potest Postulationem rejicere absque cujusquam injuria ; Colligitur clare *ex cap. Bonæ memoriæ* 3. *de postulatione prælatorum, vers. Attendentes*, ibi : *Cum enim quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex justitia, quam ex Gratia moveatur*, scilicet Apostolica Sedes, & *ex cap. postulationem* 5. *tit. eodem*, ibi : *Licet ergo per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus postulationem potuissemus repellere memoratam*. Sic tenent Glossa *in cit. cap. Bonæ memoriæ verb. Gratia* ; Hostiens. *in Summa de postulatione prælator. num.* 12. Gregor. Tolosan. *tract. de election. cap.* 2. *num.* 11. Pirhing. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *n.* 15. Justus Redn *tom.* 1. *Oper. Canonico-Politic. tit.* 2. *numer.* 129. & alii contra alios. Et ratio nostræ Conclusionis est, quia tota admissio Postulationis nititur Gratiæ Superioris, ut patet *ex cit. cap. Bonæ memoriæ* 3. *de postulatione prælator.* ibi : *Non tam ex justitia, quam ex Gratia*, & concordat. *cit. cap. postulationem* 5. *tit. eodem*, ubi dicitur, quod *per postulationem hujusmodi nullum Jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus postulatio possit repelli* ; adeoque &c. Tum quia admissio Postulationis continet dispensationem, cum in Postulato semper sit impedimentum, seu inhabilitas ad Prælaturam obtinendam, in quo, seu in qua Superior dispensare debet : Atqui omnis dispensatio Superioris in impedimento, vel inhabilitate, non ex justitiæ debito proprie, sed ex Gratia procedit, cum jure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam tamquam sibi debitam, *cap. Litteras* 14. *dist.* 63. ergo per Postulationem nullum acquiritur jus Postulato, & consequenter nulla etiam illi irrogatur injuria, seu præjudicium, etiamsi repellatur quævis Postulatio a Superiore adeoque Superior non tenetur ex debito justitiæ stricte sumptæ illam admittere, cum nemo invitus de suo cogatur facere beneficium, textu expresso *in capit. Precariæ* 4. *caus.* 10. *quæstion.* 2. 35

Quamvis tamen non teneatur Superior admittere talem Postulationem, ut dicebatur, absolute loquendo, & ex obligatione justitiæ stricte sumptæ ; Tamen ex debito sui Officii tenetur Superior admittere Postulationem rite celebratam, & factam ob urgentem necessitatem, vel magnam utilitatem Ecclesiæ, v. g. si Postulatus esset necessarius, vel valde utilis Ecclesiæ, seu bono communi, & hujusmodi ; Glossa notabilis *in cap. Cupientes* §. *Denique, verb. Gratia, de election. in* 6. id a simili probans *ex l.* 1. §. *penult. ff. de aqua quotid.* Alia Glossa *in cap. Ut constitueretur* 25. *verb. Detrahendum*, 36

dum, *dist.* 50. Abbas *in cap. postulationem* 5. *de postulatione prælator. num.* 2. Post Joann. Andream, & Hostiensem *in capit. Cum ad Monasterium*, *de electione*. Alexander *consil.* 80. *num.* 12. *l.* 1. Fagnan. *in cit. cap. Bonæ memoriæ* 3. *de Postulatione Prælator. num.* 66. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *sub n.* 15. Reiffenstuel *ibid. numer.* 72. Justus Redn *loc. citat. num.* 131. & alii passim; Et ratio est, quia Superior ex vi sui Officii tenetur necessitatibus, & utilitatibus commissæ sibi Ecclesiæ, & boni communis providere, & non impedire; Et si ad id quandoque necessaria sit aliqua dispensatio propter urgentem, justamque rationem, atque majorem utilitatem, erit ab ipso concedenda; Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 18. ibi: *Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum*; ergo Superior in dictis casibus tenetur talem postulationem dispensative admittere, alias si ipsam non admitteret, injustitiam committeret contra Ecclesiam, ut videtur colligi ex *cap. Postulationem* 5. *in fin. de Postulatione Prælator.* ubi Pontifex quo ad controversam Postulationem, citat ad sui præsentiam utramque contendentem partem sic concludens; *Quatenus* (utraque parte præsente) *quod justum fuerit, decernamus*; Superior enim Ecclesiæ sibi commissæ omni meliori modo ex justitia mutua providere tenetur, *c. Ne pro defectu* 41. *de election.* Immo Superior non admittendo talem legitimam Postulationem, ultra injuriam quam faceret Postulantibus, faceret injuriam etiam ipsi Postulato, si aliunde, ut supponitur, idoneus esset, *arg. cap. Pastoralis* 29. *de Jurepatron.* ubi Episcopus condemnatur ad providendum de Beneficio competenti, Clerico præsentato legitime a Patronis, & ab ipso injuste repulso, ibi: *Verumtamen constituimus, ut Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti Beneficio compellatur, quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse*.

37 Unde si Prælatus inferior habens potestatem dispensandi in defectu, seu impedimento, dictam legitimam Postulationem rejiciat, & nolit admittere, possunt Postulantes Superioris Prælati Officium implorare, ut recusantem compellat admittere; Glossa *in cit. cap. Bonæ memoriæ* 3. *de Postulatione Prælator. verb. Gratia*, Layman *ib. n.* 7. Abbas *ib. num.* 13. Pirhing *loc. citat. sub num.* 16. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 73. & alii.

38 Postulantes tenentur Postulationem præsentare Postulato quam citius commode poterunt; Et si fuerint negligentes, non præsentando infra octo dies, puniuntur, ut Electores: colligitur *ex cap. Quam sit Ecclesiis* 6. *de election. in* 6. *& cap. Cupientes* 16. §. *Ceterum*, & §. *Denique eod. in* 6. & Glossa *in d.* §. *Denique*, *verb. Consensum*, ubi sic expresse habet: *Et si Postulantes negligentes fuerint in præsentando, punientur, ut electores*; Electores autem sub gravissimis pœnis statutis *in cit. cap. Cupientes* 16. *de election. in* 6. §. *Ceterum*, tenentur Electum præsentare infra octo dies, postquam commode poterunt, ibi: *Ceterum si Eligentes Electiones ipsas concorditer, vel in discordia celebratas infra octo dies, postquam commode poterunt, Electum præsentare distulerint, ipsos, qui culpabiles in hoc extiterint &c.*

Postulatus autem post factam sibi Præsentationem Postulationis tenetur intra mensem, si velit acceptare Prælaturam, præstare consensum conditionatum, aut saltem dicere, quod non dissentiat, sed in hoc voluntati Domini Papæ se submittat, *arg. cit. c. Quam sit Ecclesiis* §. *Electus*, ibi: *Intra mensem a tempore præsentationis*, & *cit. cap. Cupientes* 16. *de election. in* 6. §. 1. ibi: *Infra unum mensem*, & §. *Denique*, ibi: *Si non dissenserint*, & Glossa *ib. verb. Consensum*, ubi sic expresse habet: *Episcopus postulatus ad Ecclesiam sic debet respondere: nec consentio, nec dissentio; sed in hoc me voluntati Domini Papæ suppono*; *c. Ad hoc*, *c. in Scripturis* 9. *caus.* 8. *q.* 1. ibi: *quod infra mensem facere debet*. 39

Pro facienda Postulatione solemni tutius, seu securius est observare formam scrutinii, qualis pro facienda Electione præscribitur *in cap. Quia propter* 42. *de election.* Cum enim Abbas Panormitan. *in cit. cap. Quia propter* 42. *de Electione nu.* 9. *qu.* 2. Innocentius *in cap. In causis* 30. *num.* 1. *de election.* Gregor. Tholosan. *tract. de elect. cap.* 2. *num.* 11. Baldus *ad Rubricam de election. num.* 4. Layman *in qq. de Prælat. election. q.* 80. & varii alii teneant etiam in solemni Postulatione necessario observandam esse dictam formam scrutinii, tutius est illam observare: *arg. cap. Si quis autem* 4. *de Pœnitent. dist.* 7. ubi ex verbis S. Augustini dicitur: *Ergo tene certum, dimitte incertum*. 40

Nihilominus non esse absolute necessarium pro Postulatione facienda, observare dictam formam Scrutinii tenent Hostiensis *in Summa tit. de Postulation. n.* 10. Fagn. *in cap. Publicato n.* 50. *de election.* Franchus *in cap. Unico n.* 3. *de Postulat. in* 6. Layman *ib. n.* 5. Silvester verb. *Postulatio quæst.* 1. Passerinus *cit. c.* 24. *quæst.* 5. *num.* 9. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 5. *n.* 21. Reiffenstuel *ibid. nu.* 59. & *seq.* & alii plures; Et ratio est, quia si eadem forma Scrutinii requireretur ad Postulationem, sicuti ad Electionem, sequeretur, quod sicuti publicato Scrutinio, non possunt variare Electores, ita nec possent variare Postulantes; hoc autem est falsum, ut patet ex dictis *supra nu.* 19. & 20. adeoque &c. Tum quia nullibi in Jure reperitur expresse requisita talis forma Scrutinii pro facienda Postulatione, sicuti pro facienda Electione reperitur expresse requisita *in cit. cap. Quia propter*, *de elect.* Et jure merito requiritur pro Electione, & non pro Postulatione, quia per Electionem acquiritur Jus Electo, *c. Postquam* 2. *de election.* cum similibus; per Postulationem autem nullum Jus acquiritur Postulato; *cap. Bonæ memoriæ* 3. & *cap. Postulationem* 5. *de Postulatione Prælatorum* per verba adducta *supra num.* 35. Unde non mirum, quod pro Electione requirantur majores solemnitates, quam pro Postulatione; sicuti ad testamentum, quia perfectior est actus, requiruntur plures solemnitates, quam ad Codicillum, utpote actum minus perfectum, adeoque &c. 41

42 Pro facienda Postulatione prohibitæ sunt, & reprobatæ a Jure Canonico sequentes formulæ nempe: *Eligo Postulando, & Postulo Eligendo*, aut *Eligo Postulandum, seu Postulo Eligendum*; Sic textu expresso *in cap. Unic. de Postulatione Prælatorum in 6.* addita *ibi* hac ratione, *cum nec vera Electio, nec vera Postulatio resultet ex ipsis, quin*
43 *sibi potius invicem adversentur.* Item reprobantur istæ formulæ: *Eligo in postulandum, vel Postulo in Eligendum*, textu expresso *in citat. cap. Unico*, addita *ibi* hac ratione: *Cum rem imperfectam signifi-*
44 *care noscantur*. Item reprobatur etiam ista formula: *Eligo, & Postulo, prout potest melius de Jure valere*, textu expresso *ibidem*, addita hac ratio-
45 ne: *Cum incertitudinem contineat*. Excipitur tamen casus, quando *probabiliter dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus, quo casu is qui sic Postulatus fuerit, & electus consensus tempore, viam Electionis, vel Postulationis, ne in incerto vagetur, eligere necessario teneatur, redeundi ad aliam (postquam unam elegerit) sibi licentia penitus interdicta*. Sic præcisis verbis Bonifacius VIII. *in cit. cap. Unico, de Postulatione Prælatorum in 6.*

46 Ubi, ut vides, in tali casu debet sic Postulatus, seu Electus tempore consensus, eligere viam electionis, vel postulationis, ne vagetur in incerto; Et una harum electa, non poterit redire ad alteram, idest si elegerit viam Electionis, non poterit amplius redire ad viam Postulationis, & si elegerit viam Postulationis, non poterit amplius redire ad viam Electionis; Consensum autem præ-
47 stare debet intra mensem post præsentationem sibi factam ex citatis Juribus, & Glos. *supra num.* 39. addita Glos. *in cit. c. Unico, de Postul. Præl. in 6. verb. Consensus*, ubi sic expresse dicit: *Quem infra mensem post præsentationem sibi factam exhibere tenetur*.

48 Alia ad rem. Vide verb. *Episcopus art.* 2. & 3.

PRÆBENDA.

1 PRæbenda suppressa, ut fructus assignentur Theologo, qui legat, & prædicet, Clerico Sæculari, & non Regulari assignandi sunt. *Sacra Cong. Rituum in Illerden.* 15. *Novemb.* 1602. quam refert Sellius, *in Selectis Canon. cap.* 52. *nu.* 11. & Barbosa *in Summ. Apostolic. Decision.* Verb. *Præbenda n.* 1.

Præbenda, quæ mutat statum, & de Diaconali effecta est Presbyteralis, debet gerere habitum Præsbyteralem, non autem Diaconalem. *Sacra Congr. Rit. in Januen.* 24. *Martii* 1612. teste Sellio *d. cap.* 42. *num.* 12. Barbosa *l. c. num.* 3. 2

Præbenda Præsbyterali vacante, poterit Episcopus eam conferre illi, qui Diaconalem, seu Subdiaconalem habet, & has uni, qui ætatem habeat pro his obtinendis. *Sacr. Congr. Conc.* penes Nic. Garc. *de Ben. p.* 7. *cap.* 4. *num.* 26. Barbos. *loc. cit. num.* 3. 3

Præbenda in mensibus reservatis Sedi Apostolica vacans non potest erigi in Præbendam Pœnitentialem. *Sacra Congreg. Conc.* apud Nicol. Garc. *de Benefic. p.* 5. *cap.* 4. *num.* 127. Barbos. *loc. cit. num.* 5. 4

Præbenda post Concilium primo vacans, si non fuit in Pœnitentialem erecta, potest optari, sed si ante optionem Episcopus erexit, erectio prævalet, etiamsi postea optaretur. *Sacr. Congr. Conc.* apud Nicol. Garc. *de Benefic. part.* 5. *c.* 4. *num.* 129. & apud Barb. *in d. Summ. Apost. decis. verb. Præbenda n.* 4. (1) 5

PRÆBENDA THEOLOGALIS, & POENITENTIALIS.

PRæbendæ Theologalis ad erectionem requiritur actualis deputatio, & ideo si in provisione Præbendæ non fuit facta actualis deputatio, non potest provisus compelli obire munus lecturæ; *Sacr. Congreg. Conc.* teste Nicol. Garc. *de Benefic. p.* 5. *cap.* 4. *numer.* 155. & apud Barbos. *in Summ. Apostol. decis. verb. Præbenda Theologalis num.* 1. 1

Præbendæ Theologalis erectio locum non habet in ea, quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa Præbenda, quam dimittere Canonicus novissime optat, huic muneri unita, & affecta remaneat. *Sacr. Congreg. Concil. in Saonen.* 6. *Junii* 1592. penes Nicol. Garc. *in addit. ad suum tract. de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 130. & Barb. *loc. cit. num.* 2. 2

Præbendæ Theologalis deputatio non habet locum in Ecclesiis Regularibus, ubi Ecclesiæ non sunt distinctæ, nec Ecclesiæ numeratæ, prout est Eccle- 3

(1) T. III. *Thesauri Jur. Eccl.* ab Antonio Schmidt collecti exstat p. 224. seqq. erudita ipsius collectoris Schmidt dissertatio *de varietate Præbendarum in Ecclesiis Germanicis*, ubi multa habes apud nos minus obvia, *c.* 6. de Præbendis *Protestanticis*, itemque *c.* 7. de præbendis *Laicis*, quarum aliquæ Imperatorum beneficio hodieque per *Litteras* dictas *panis*, *panis* a Laicis obtinentur. Agitur ibi etiam de Præbendis Regiis. Verum cum hujusmodi Præbendas *Regias* appellari nonnulli velint, quod Reges, & Imperatores in præcipuis olim Ecclesiis ipsi in numerum Canonicorum adlecti fuerint, ut Reges Hispaniæ, & Angliæ atque Imperatores in Italia quoque nostro, ut in Romanis Basilicis S. Joannis, & S. Petri Henricus VII. a. 1311., & Carolus V. a. 1530. conferri poterit Tomo V. ejusdem *Thesauri Schmidtiani pag.* 89. *seqq.* Nelleri dissertatio *de Imperatoribus Præbendatis Regiis*, de quibus tamen a. 1738. egerat Buderus in *historia Canonicatuum Imperialium, Regumque Germaniæ, sive Præbendæ Regiæ*.

Ecclesia Cathedralis Pampilonensis, sed cogendi sunt Monachi, ut provideant de Lectore idoneo Theologiæ, qui publice legat, non solum ipsis Monachis, sed omnibus aliis audire volentibus. *Sacr. Congreg. Conc. in Pampilon. 9. Septemb.* 1753. apud Barb. *loc. cit. num.* 3.

4 Præbendæ Theologalis collatio erectæ post Concilium spectat ad eum, ad quem ante Concilium spectabat, scilicet ad Capitulum, & institutio ad Episcopum. *Sacra Congreg. Conc. in Toletana* 24. *Septembris* 1592. apud Barbosa *loc. cit. num.* 5.

5 Præbenda Theologalis Ecclesiæ Cathedralis conferri Regulari non potest. *Sacr. Cong. Episcop. & Regul.* 28. *Jun.* 1583. quam refert Sell. *in Select. Canon. c.* 16. *num.* 42.

6 Præbendam Theologalem habens diebus, quibus legit, habendus est tamquam præsens in Choro, non modo pro illis Horis Matutinis, & Missa solemni, sed etiam pro tota die, ac distributiones quotidianas percipere debet. *Sacra Congr. Conc.* testibus Armendar. *in addit. ad recop. legum Navarræ lib.* 2. *tit.* 23. *l.* 2. §. 2. *de resident. Can. num.* 68. Nicol. Garc. *de Benefic. par.* 3. *cap.* 2. *n.* 218. apud Barb. *l. c. n.* 6.

7 Præbendam Theologalem obtinens, si legere ullo modo nolit, poterit Episcopus illum cogere comminationibus pœnarum, sequestrationibus fructuum, assignatione portionis de eisdem fructibus alteri, qui ipsius loco legat: demum crescente contumacia, ad alias pœnas etiam privationis devenire poterit, factaque privatione ad corroborandum Concilii Decretum Episcopus declarare debet talem Præbendam, & Canonicatum affectum fuisse, & esse ex Concilio pro Sacræ Scripturæ Lectore: tunc eligat personam idoneam, quæ id munus per se ipsam exequi valeat, & illi per Ordinarium Collatorem hujusmodi Præbenda conferatur. *Sacr. Congreg. Concil. in Majoricen.* apud Sellium *in Sel. Can. cap.* 8. *num.* 12. & Barb. *loc. citat. num.* 7.

8 Præbenda Theologalis non est Dignitas, & ideo primum locum eam obtinens relinquere debet antiquioribus Canonicis. *Sacra Congreg. Conc. in Mediol.* apud Barb. *loc. cit. n.* 8.

9 Præbenda optari non potest, quæ fuit erecta, & deputata in Theologalem pro Theologo a sequenti Canon. *Sacr. Congr. Conc.* teste Nicol. Garc. *de Benefic. p.* 5. *c.* 4. *n.* 132.

10 Præbenda tam Theologi, quam Pœnitentiarii, etiam postquam est effectum sortita, non subjacet optioni. *Sac. Cong. Conc.* 12. *Februar.* 1601. quam cit. Nicol. Garcia, *de Benefic. in addit. p.* 5. *cap.* 4. *n.* 122.

11 Præbendam Theologalem obtinens non est admittendus ad Jus optandi competens Canonicis. *Sacr. Cong. Conc.* quam adducit Nicol. Garc. *in add. ad p.* 5. *c.* 4. *n.* 134.

12 Præbendam Theologalem obtinens non potest illam dimittere, & aliam optare ad instar aliorum Canonicorum. *Sac. Cong. Conc. die* 7. *Jun.* 1601. apud Barbosa *loc. cit. n.* 12.

13 Præbenda Theologalis, vel Pœnitentiarii, sicut non potest ab aliquo Canonico optari, cum detur per electionem, prævio examine, ita Theologus, vel Pœnitentiarius non est admittendus ad Jus optandi. *Sac. Cong. Conc. die* 12. *Febr.* 1601. quam refert Sell. *d. cap.* 8. *num.* 13.

Præbenda Theologalis, dum vacat, potest Episcopus fructus applicare alicui personæ, quæ suppleat munus legendi. *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in Camer.* 8. *Febr.* 1594. penes Sellium, *d. cap.* 8. *n.* 15. & Barb. *loc. c. n.* 14. 14

Pœnitentiarium providere de prima Præbenda non est in optione Episcopi, licet ratione Curæ Animarum videatur esse magis necessarium, sed potius de ipso providere debet prius Theologum propter verba Concilii *sess.* 5. *c.* 1. *de reform.* Verum si magis expediens in aliquo loco particulari fuerit judicatum, ut prius de Pœnitentiario provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica ad omnem difficultatem tollendam. *Sac. Congreg. Conc. in Civitatis Castellanæ* 17. *Novembr.* 1629. quam refert Sellius *in Select. Canon. c.* 26. *n.* 40. 15

Collatio Præbendæ uniendæ Officio Pœnitentiarii ab illis fieri debet, ad quos antea spectabat: Unde si contingat in mense Apostolico Officii Pœnitentiarii, & unitæ Præbendæ vacatio, vel alias Præbenda esset reservata, vel affecta, electio personæ hujusmodi Pœnitentiarii pertinet ad Papam: *Sacr. Congr. Conc.* teste Nicol. Garcia *de Benefic. par.* 5. *c.* 4. *n.* 144. 16

Alia ad rem; Vide Tom. II. verb. *Canonicus*, *Art.* 1. 2. 4. 17

PRÆCEDENTIA.

Præcedentiarum Controversias in Funeralibus, & Processionibus componere potest Episcopus brevi manu, summarie, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii; *Sacra Congregatio Conc.* testibus Franc. Leone *in Thesaur. Fori Eccles. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. Campan. *in diversorio Juris Can. rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 120. Armend. *in addit. ad recop. Legum Navarræ lib.* 1. *tit.* 14. *l.* 24. §. 31. *de process. num.* 10. Modern. Hisp. *de Regia protect. tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 9. *num.* 15. Lezana *in summ. qu. Regul. tom.* 3. *verb. Episcopus quoad Regulares num.* 13. & Barbosa *in Summ. Apostol. dec. verb. Præcedentia num.* 1. 1

Præcedentia semper Dignioribus danda est. *Sac. Cong. Rit. in Sancti Severini* 1. *Sept.* 1607. quam refert Sellius *in Selectis Canon. cap.* 47. *n.* 5. & Barbosa *loc. cit. n.* 2. 2

Præcedentia inter Episcopos nulla alia ratione regulatur, nisi electionis, seu provisionis, ut qui prius electus, seu provisus fuit de aliquo Episcopatu, alteri postea electo, seu promoto præcedat. *Sacra Congregatio Rituum in Segobien.* 31. *Martii* 1609. penes Sellium *d. cap.* 46. *num.* 6. Et de præcedentia inter Episcopos, & Protonotarios participantes Pius II. Const. 4. incip. *Cum servare*, *pridie Id. Jun.* 1459. apud Laert. Cherub. *in Bullar. tom.* 1. *p.* 316. 3

Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provinciali- 4

cialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis, non autem secundum Dignitatem Ecclesiarum. *Sacra Congregatio Conc. die 9. Aprilis* 1596. referente Sellio *d. cap.* 46. *num.* 7. & Barbosa *loc. citat. num.* 4.

5 Præcedentia semper debetur Canonicis Ecclesiæ Cathedralis supra Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, etiam in associandis Funeribus propriæ ipsius Collegiatæ Parochiæ. *Sac. Congr. Rit. in Prænestina Cavarum* 28. *Aug.* 1618. de qua Aldan. *in Compendio Canon. res. lib.3. tit.6. n.* 3. & Barbosa *loc. citat. num.* 5.

6 Præcedentia in Processionibus, & Funeralibus danda est Canonicis Ecclesiæ Cathedralis. *Sacra Congregatio Rit. in Ripana* 30. *Julii* 1616. apud Aldan. *dict. tit.* 6. *num.* 4. & Barbosa *loc. citat. num.* 6.

7 Præcedentia debetur Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ supra Collegium Parochorum, & aliorum Presbyterorum etiam ipsius Civitatis, dum occasione Synodi, vel alterius similis causæ simul conveniunt. *Sac. Cong. Rit. in Faventina Brisiguellæ* 12. *Mart.* 1616. attestante Sellio *d. cap.*47. *n.*8. & Barb. *loc. cit. n.*7.

8 Præcedentia inter Curatos Ecclesiarum Parochialium non ratione Regulæ, sed ratione antianitatis, seu prærogativæ Ecclesiæ Parochialis, Curatis danda est. *Sacr. Congregat. Rit. in Asten.* 21. *Martii* 1609. teste Sellio *d. cap.*47. *n.* 9. & Barbosa *loc. cit. num.* 8.

9 Præcedentia semper debetur Clero sæculari supra Regulares, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis; *cap. Alia* 6. *caus.* 16. *quæst.* 1. cum similibus. *Sac. Congreg. Rit. in Firmana Terræ Sanctæ Victoriæ* 31. *Martii* 1618. cujus meminit Joann. Maria Novar. *in Lucerna Reg. verb. Præcedentia num.* 4. *&* 5. Hinc *Eadem Sacra Congregatio Rit. die* 3. *Augusti* 1602. decrevit, & ordinavit, ut in generalibus Processionibus Fratres, seu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, & Presbyteri, seu Clerici Sæculares subsequantur, & ultimum locum teneant, nec mixtim cum Regularibus incedant, & Clemens VIII. in sua Constitut. incip. *Quæ ad removendum* 5. *Novembris* 1603. ex voto ejusdem Sacræ Congregationis declaravit, Clerum Sæcularem in omnibus locis, etiam in propriis Ecclesiis, Conventibus Patrum, Monachorum, & Religiosorum quorumcumque in universo Regno Castellæ, & Legionis præferendum esse, & præcedere debere, quam Clementis VIII. Constitutionem observari mandavit Greg. XV. in sua Constit. incip. *Alias a felicis, die* 3. *Aug.* 1622. quæ reperiuntur impressæ apud recollectionem Apostolicarum Constitutionum, quam imprimi curavit Status Ecclesiasticus Regnorum Castellæ, & Legionis. Sic apud Barbos. *loc. c. n.9.*

10 Præcedentia inter Presbyteros sumitur ex antianitate Ordinis, non ex gradu Doctoratus, quia Presbyteratus Ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus. *Sac. Congregat. Rit. in Mediolanen.* 29. *Nov.* 1603. *& in Messanen. Taurinen.* 20. *Jun.* 1609. *& in Panormit.* 15. *Maii* 1610. *& in Terræ Coniglionis in Sicilia* 19. *Mart.* 1611. *& in Fanen. Sancti Constantii* 4. *Jul.* 1615. *& in Catanien.* 30. *Januarii* 1616. *& in Nucerina Terræ Gualdi* 19. *Januar.* 1619. *& in Cephaluden. ac Catanien. eadem die, & in Messanen. Terræ Gagliani* 20. *April.* 1619. *& in Catanien.* 22. *Aug.* 1620. *& in Cephaluden.* 30. *Mart.* 1621. quarum meminit Sellius *dict. cap.* 47. *num.*10. Beneficiatus in Ecclesia sui Beneficii præcedentiam habere debet supra alios Beneficiatos in eadem Ecclesia non Sacerdotes. *Sacra Congregat. Rit. in Nullius Provinc. Florentinæ de mense Januar.* 1633. quam refert Bonfadin. in *Thesaur. Eccles. dec. resol.*32. *num.*10. & Barbosa *loc. cit. num.*10.

Præcedentia antianitatis inter ejusdem Ordinis Milites servanda est, non autem inter milites diversi Ordinis. *Sac. Cong. Rit. in Meliten.* 9. *Maii* 1609. penes Aldan. *d. tit.*6. *num.*7. Barbosa *loc. cit. num.*11. 11

Præcedentia inter Balivos Capitulares, & Milites Magnæ Crucis Religionis Hierosolymitanæ per antianitatem, & non per aliam rationem est discutienda. *Sacr. Congregat. Rit. in Meliten.* 12. *Aug.* 1608. teste Aldan. *d. tit.*6. *n.*8. & Barbosa *loc. cit. num.* 12. 12

Præcedentia Advocatorum Consistorialium est ante alios Advocatos Romanæ Curiæ. Sixtus V. Constit. 62. incip. *Sacri* 10. *Kal. Sept.* 1587. apud Laert. Cherub. in *Bullario tom.* 2. *pag.* 588. alias *pag.* 477. in noviss. impress. & Barbos. *loc. citat. num.* 13. 13

Præcedentia Canonicorum Sæcularium Ecclesiæ Lateranensis est ante Canonicos S. Petri de Urbe. S. Pius V. Constitut. 94. incip. *Infirma* 12. *Kal. Januar.* 1596. apud Laert. Cherub. *tom.* 2. *pag.* 296. alias *pag.*223. in noviss. impress. & Barbosa *loc. cit. num.* 14. 14

Præcedentiam habent Canonici S. Georgii in Alga quoad Canonicos Congregationis Lateranensis, S. Pius V. Constitut. 127. incip. *Cum alias* 11. *Kalend. Junii* 1571. apud Laert. Cherub. *d. tom.* 1. *pag.* 340. alias *pag.* 255. & Barbosa *loc. citat. num.* 15. 15

Præcedentiam habent Canonici Regulares Lateranenses quoad Monachos Cassinenses. S. Pius V. Const. 75. incip. *Romanus, pridie Idus Octob.* 1568. apud Laert. Cherub. *d. tom.*2. *pag.*272. Immo etiam ante omnes alios Regulares post Clerum Sæcularem; idem S. Pius V. Const. incip. *Cum ex Ordinum* 10. *Kal. Jan.* 1570. apud Laert. Cherub. *d. tom.*2. *p.*342. alias *pag.*243. in noviss. impress. & Barbosa *loc. cit. num.* 16. 16

Præcedentiam Fratrum Prædicatorum quoad alios Fratres Mendicantes, & etiam non Mendicantes post Clerum Sæcularem, & antiquos Ordines Monachales statuit S. Pius V. Constitut. 75. incip. *Divina* 27. *Augusti* 1578. apud Laert. Cherub. *dict. tom.* 2. *pag.* 267. Clemens VIII. Constit. 13. incip. *Inter cætera* 25. *Sept.* 1592. referente Joann. Maria Novar. *lucerna Regul. verb. Præcedentia num.* 16. & illarum meminere Fr. Emman. *qu. Reg. tom.* 1. *quæst.* 35. *art.* 1. Piasec. *in praxi Episcop. part.* 3. *cap.*3. *pag.* 210. Scortia in *relect. Summorum Pontificum Const. epit.*156. *theorem.* 393. Michael Ferrus *de præcedent. Ecclesiast. q.*45. *num.*3. & Barb. *loc. cit. num.*17. 17

Præ-

18 Præcedentia inter Regulares de suburbiis, & territorio Romano servatur sicut in ipsa Urbe. *Sacr. Congregat. Rit. in Tusculana 2. Mart.* 1631. de qua Sellius *d. cap.*47. *num.*11. Nam ad tollendas omnes lites, & controversias in materia Præcedentiarum debet servari id, quod in Alma Urbe omnium Magistra servatur. *S. Congr. Episc. & Regul.* 26. *&* 30. *Aug.* 1593. referente R.P.D. Sperello in *dec. For. Ecclesiast. dec.*76. *num.*16. & Barbos. *loc. c. num.* 18.

19 Præcedentia inter Monachos servatur juxta Bullam Gregorii XIII. *Sacr. Congregat. Rit. in Saxoferraten. Nucerinæ Diœcesis* 16. *Maii* 1614. penes Aldan. *dict. tit.* 6. *num.* 10. & Barbosa *loc. citat. num.* 19.

20 Præcedentiam habent Monachi Cistercienses reformati Ordinis B. Mariæ Fulien. ante Ordines Mendicantes. Clemens VIII. Constitut. 56. incip. *Regis, Non. Febr.* 1599. apud Laert. Cherub. in *Bullar. tom.*3. *pag.*72. alias *pag.*53. & illius meminit Mich. Ferr. *de præcedent. Ecclesiast. q.* 4. *n.*5. & Barbos. *loc. c. n.*20.

21 Præcedentiam Monachis semper, & ubique tribuere debent Fratres Mendicantes. *Sacra Congregat. Rituum in Monopolitana* 23. *Mart.* 1619. teste Aldan. *d. tit.* 6. *num.* 12. & Barbosa *loc. citat. num.* 21.

22 Præcedentiam habent Fratres Minores S. Francisci de Observantia ante Fratres Minores Conventuales, Leo X. Constitut. 26. incip. *Licet 6. Decemb.* 1517. apud Laert. Cherub. *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 520. alias *pag.* 429. in noviss. impress. & Barbosa *loc.cit. num.* 22.

23 Præcedentia inter Fratres etiam Observantes, & Tertiarios S. Francisci servatur juxta Bullam Gregorii XIII. ut ii præferantur, qui prius in loco Controversiæ Monasterium, & locum obtinuerunt. *Sacra Congregat. Rituum in causa Montis feltri* 3. *Octobr.* 1613. *& in Cosentina* 1. *Mart.* 1614. *& in Terracinen.* 3. *Septembris ejusdem anni*, *& in Rossanen. Terræ novæ* 14. *Februarii* 1615. *& in Agrigentina Terræ Mari* 4. *Aprilis ejusdem anni*, *& in Meliten.* 15. *Julii* 1617. *& in Spoletana* 8. *Augusti* 1618. *& in Oritana Terræ Frattæ* 28. *Septemb.* 1619. *& in Tudertina Terræ Altaris* 1620. De quibus Aldan. *d. tit.*6. *num.*13. & Barbosa *loc. cit. num.* 23.

24 Præcedentia inter simplices Presbyteros debetur antianis, nisi Presbyteri minores suppleant vices, & munus Parochi. *Sacra Congregatio Rituum in Prænestina Præcedentiæ* 13. *Augusti* 1701. apud Monacell. *tom.* 4. *Supplement. ad tertium tom. num.* 100.

25 Protonotarius ratione hujus Dignitatis non præcedit in Choro, & functionibus aliis Presbyteris antianis, quamvis in Ecclesia non adsint distributiones. *Sacr. Congr. Rit. in Nullius Phasani Præcedentiæ* 24. *Januar.* 1688. apud Monacell. *loc. cit. num.*101.

26 Secus tamen si incederet in Habitu Protonotarii, ut declaravit *Eadem Sacra Congregatio in alia Ventimilien.* 13. *Sept.* 1670. apud Monacell. *loc. citat. num.*301.

27 In Processionibus, quæ fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, præcedentia debetur Beneficiatis ejusdem supra Parochos. *Sac. Cong. Rit. in Taurinen.* 2. *Octob.* 1683. Et licet contrarium decisum reperiatur *in alia Bituntina* 21. *Aug.* 1688. in qua præcedentia data fuit Parochis supra Beneficiatos Cathedralis, hoc venit, quia Parochi Bituntini habent stallum in Choro, & sunt de Gremio illius Capituli, ut positive se recognovisse testatur Monacell. *loc. c. n.*104.

Præcedentia, quæ debetur Parochis perpetuis, eadem debetur Parochis, & Curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis Parochorum perpetuorum, ut respondit *S. C. Conc. in una Comensi* 27. *Mart.* 1706. 28

Et hoc procedit etiam in eorum Substitutis, & Subrogatis, *Sac. Cong. Rit.* 20. *Jan.* 1691. apud Monacell. *loc. cit. n.*106. 29

Præcedentia inter Regulares utriusque sexus incipit a die Professionis, non Habitus, non obstante quolibet prætextu, & contraria consuetudine. *Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in Ravennatensi* 12. *Septembr.* 1588. *in Augustinian. Lombardiæ* 7. *Januarii* 1650. *& in alia Observantium* 21. *Augusti* 1654. apud Nicolium in *Flosculis verb. Præcedentia num.* 15. Et pro Monialibus est Decretum *a Sacra Congregat. Concil. in Paduana, de anno* 1608. apud Barbos. in *Summa Apostolic. decis. verb. Præcedentia num.* 29. Quod scilicet præcedentia inter Moniales a die Professionis, non autem receptionis Habitus Regularis, debetur; quatenus vero duæ insimul Professionem emitterent, illa, quæ prius admissa fuerit, præcedere debet, & si eodem tempore ad Habitum admissæ fuerint, data etiam Professionis paritate, quæ prius in Capitulo acceptata fuerit procedese debet. *Hæc ibi*. 30

Si duo profiterentur eodem prorsus temporis momento, & eodem quoque tempore fuissent vestiti, data paritate Professionis, præcedit qui prius acceptatus fuit, licet in eodem Capitulo; *Sacra Congregatio Episcoporum & Regul. in Assisiensi* 13. *Martii* 1603. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15. 31

Etiamsi Professio facta fuisset in alio Monasterio. *Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Mexicana* 3. *Januar.* 1594. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15. 32

Licet quis vellet cedere Juri suo. *S. Cong. Episc. & Regul. in Assis.* 30. *Octob.* 1600. apud Nicol. *loc.c. sub num.*15. 33

Non obstante qualibet contraria consuetudine, quæ declaratur abusus. *Sacra Congregatio Episcopor. & Regular. in Neapol.* 23. *Nov.* 1592. *in Anconitana* 14. *Jun.* 1595. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15. 34

Qui Professionem nulliter emissam ratificavit, non nisi a tempore ratificatæ Professionis præcedentiam metitur, prout declaravit, & censuit *Sac. Cong. Conc.* 1. *Octob.* 1672. *in dubio Præcedentiæ*. Quod Decretum refert Card. Petra *in comment. ad Constit. Apostol. tom.*4. *circa Constit.* 8. *Eugen. IV. sub num.* 17. 35

Ex gratia concessa fuit præcedentia a Sacra Congregatione a die completi anni Novitiatus, dum 36

dum per Novitium non steterat, quominus Professionem emitteret. *Sac. Cong. Episcop. & Regul. in una Vallisumbrosianor.* 14. *Novemb.* 1657. *& in una Augustinianor.* 24. *Julii* 1654. apud Nicol. *loc. cit. sub num.* 15.

37 Præcedentia in Professis ante tempus bona fide incipit a fine 16. annorum. *Sac. Cong. Episc. & Reg. in una Basilianensium* 13. *Novemb.* 1647. apud Nicol. *loc. cit, n.* 16.

38 In Laicis factis Clericis per Breve, incipit a die Professionis Clericalis. *S. C. Episcop. & Regul.* 26. *Febr.* 1649. apud Nicol. *loc. c. num.* 16. & Lantusch. *Theatr. Reg. verb. Præcedentia n.* 3. ubi affert Decretum ad litteram.

39 In Novitiis, durante Novitiatu, præcedentia desumitur a die Habitus. *Sac. Cong. Episc. & Regul. in Forosempronien.* 1. *Januar.* 1601. apud Nicol. *loc. cit. num.* 17.

40 Novitii Clerici in Ordine Minorum de Observantia, & Reformatorum non præcedunt Laicos Professos. Sic *Sac. Congregat. Episcop. & Regul.* 8. *Augusti* 1663. apud Lantusch. *in Theatro Regular. verb. Præcedentia num.* 1. his verbis: *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcopor. & Regular. præposita. Audito Commissario Generali Ordinis hujusmodi statuit, atque decrevit dictis Novitiis quousque Professionem emiserint, tam in publicis, quam in privatis functionibus ultimum locum deberi. Romæ* 8. *Augusti* 1653. *M. Card. Ginettus H. Archiepiscop. Patracen. Secretarius*, & refert etiam Matthæucc. *loc. cit. num.* 10. Quoad Novitios tamen Minimorum refert Pignatell. *tom.* 10. *consultat.* 56. *num.* 8. *&* 9. quod relata in Sacrorum Rituum Congregatione per Cardinalem Franciottum Controversia a Fratribus Conversis, & Oblatis Professis Ordinis Minimorum excitata, ex quo ipsi præcedentiam sibi deberi præsumerent supra Novitios Clericos, qui nondum Professionem emiserant. *Eminentissimi Domini visis, ac mature perpensis partium Juribus, censuerunt præcedentiam deberi Novitiis Clericis supra Laicos juxta dispositionem Juris communis, & Constitutiones editas a Capitulis Generalibus Romano, & Massiliensi, & ita ubique, & in toto Orbe servandum esse mandarunt sub pœnis in contravenientes, vel non acquiescentes per Regulæ Constitutiones decretis, aliisque arbitrio Sacræ Congregationis. Die* 25. *Sept.* 1615. *Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sachetus. Franciscus Maria Phebæus Congregationis Sacr. Rit. Secretarius.*

41 Clerici, & Choristæ præcedunt Conversis licet Professione antiquioribus. *Sacra Congregat. Episc. & Regul. in Fulginaten.* 19. *Octobr.* 1621. apud Nicol. *in Flosculis verb. Præcedentia sub num.* 15. Et expresse Urbanus VIII. in suo Brevi incipiente *Cum sicut*. In quo sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda prohibetur, ne Laici Ordinis Minorum, etiam ratione antiquioris receptionis ad Habitum, vel Professionis primo emissæ, Clericos, tam in publicis, quam in privatis ejusdem Ordinis functionibus præcedere audeant; Qua Censura ligantur quoque Superiores id permittentes. Vide apud Lantusch. *in Theatro Regular. verb. Præcedentia num.* 2. ubi per extensum refert totum dictum Urbani VIII. Breve dat. 16. *Novembris* 1642.

Clerici Religionis ministrantium infirmis in quibusvis actibus, Laicis ejusdem Ordinis etiam antiquioribus Professione præferuntur, ut expresse statuit Alexander VII. in suo Brevi incip. *Alias emanavit, dat.* 5. *Decemb.* 1662. relat. per extensum a Lantuscha *in additione ad Theatrum Regul. verb. Præcedentia n.* 2. 36

Præcedentia Fratribus Minoribus de Observantia de una ad aliam Provinciam incorporatis debetur a die tantum suæ incorporationis; Sic expresse statutum est in Capitulo Generali *de ann.* 1625. *tit. pro Cismontana Familia*, ibi: *Qui sua sponte, licet obtenta prius licentia, ad alienam Provinciam transierunt, Fratres tam incorporati, quam incorporandi, in ea locum, ordinem, & præcedentiam a die tantum incorporationis suæ, non autem a die receptionis Habitus, aut emissæ Professionis teneant, & habeant*, quæ Statuta fuerunt in forma specifica confirmata ab Urbano VIII. Const. 49. incip. *Sacrosanctum*. Et hoc est intelligendum, etiamsi Religiosus incorporatus in alia Provincia denuo redeat ad suam primam, ibique, ubi primum Habitum sumpserat, reincorporetur. Sic expresse multis adductis docet Pignatell. *t.* 10. *consult.* 62. *per tot.* & ex ipso Matthæuc. *Officialis Curiæ ultimæ impressionis Venetæ cap.* 37. *n.* 9. per textum *in c. Mandamus* 2. *caus.* 19. *qu.* 2. ibi: *Mandamus, & universaliter interdicimus, ne quis Canonicus Regulariter professus Monachus efficiatur: Quod si Decreto nostro contrarie præsumens agere tentaverit, ad Ordinem Canonicum, præcipimus ut redeat... Et ultimus in Choro maneat: & cap. Intelleximus* 12. *de ætate, & qualitate*, ibi: *Ne quis Canonicus Regularis...... efficiatur Monachus, & si factus fuerit, ad Canonicatus Ordinem revertatur, ultimus in Choro manendo*. Hinc non poterit Definitorium Provinciæ, in qua ipse primo Habitum sumpserat, illum reincorporare cum privilegio præcedentiæ a die susceptionis Habitus, cum sit contra dictum statutum a Summo Pontifice confirmatum, in quo nullus inferior Romano Pontifice dispensare potest; *c. Inferior* 4. *dist.* 21. *c. Cum inferior* 16. *de majorit. & obedient. Clementin. Ne Romani, de electione*. Sic. cit. Doctores, & alii. 43

Regulares inter se præcedunt secundum Ordinem præscriptum in Bullla Gregorii XIII. quæ quantum ad præsens hic affertur. 44

Tenor igitur dictæ Constitutionis est: *Exposcit* & infra *De Nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus, inter se de præcedentia hujusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & causæ præmissorum occasione ortæ jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac Juris præcedendi sunt positi, quibuscumque reclamationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis in Processionibus, tam publicis, quam privatis præcedere debeant.*

Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi inter Fratres

tres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiæ, Confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis præcedere debeant, ita ut si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium fundari in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus, prius erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu Domum in loco habuerit, præcedat.

Præterea quia inter prædictos Ordines plerumque alia in Processionibus, & alia in Conciliis Generalibus, & aliis actibus publicis, sive privatis, ratio circa modum præcedendi servatur, nolumus per præsentes prærogativis dictorum Ordinum quoad præcedentias hujusmodi, quæ propriis Ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur, præjudicium generare. Sicque per quoscumque &c. non obstantibus &c. Romæ 25. *Julii* 1583.

45 Insuper affertur ad hoc alia consimilis Constitutio Urbani VIII. confirmans Decreta Sacræ Congregationis, utpote ad mentem dictæ Constitutionis Gregorii XIII.

„ Nuper pro parte Dilecti filii Blasii a Cheri-
„ sio, Procuratoris Generalis Patrum Ordinis Mi-
„ norum Sancti Francisci, Conventualium nuncu-
„ patorum, Nobis expositum fuit, quod dictus
„ Ordo gravatur admodum litibus occasione præ-
„ cedentiæ cum aliis aliarum Religionum Regula-
„ ribus in Processionibus, ex quo etiamsi alias a
„ Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus ne-
„ gotiis Regularium Præpositis, diversis in præfa-
„ ta materia præcedentiæ Litteris emanatis, unam
„ videlicet contra ejusdem Ordinis de Observantia
„ nuncupatos Arbenses, aliam contra Servorum
„ B. Mariæ Virginis Soanen., nec non duas Litte-
„ ras contra Prædicatorum respective Ordinum
„ Fratres Cassanen. & Ferentinos, obtinuerit te-
„ noris subsequentis videlicet. Arbi All'Arcivescovo.

Pare, che sia nata differenza della precedenza tra cotesti Frati di San Francesco Conventuali, ed Osservanti, allegando ogn'uno di loro alcune ragioni, per le quali si persuadono di dover precedere agli altri, le quali essendosi diligentemente considerate nella Congregazione di questi miei Illustrissimi Signori preposti da Nostro Signore sopra le cose de' Vescovi, e Regolari, s'è risoluto, etiam con il parere degl' Illustrissimi Protettori di tutte due le Religioni, di far scrivere a V. S. che occorrendo più simili differenze, le termini senza alcuna eccezione nell' istesso modo, che quel Convento tenga il primo, e più degno luogo, che è più antico nella Città, secondo che si è fatto sin' ora, per quanto si presuppone. Imperciocchè questo mezzo usato altrove è stato tale, che ha finito ogni controversia, come si spera, che farà anche così per mezzo della prudenza, e destrezza di V. S. Dio &c. Roma 6. Marzo 1528.

Al Vescovo di Soana, o suo Vicario. *Avendo inteso questi miei Signori Illustrissimi, che in cotesta Città sono in disparere di precedenza li Frati de' Servi con quelli di S. Francesco Conventuali, hanno voluto, che io faccia sapere a V. S. che nella precedenza di questi Mendicanti secondo il parere di Nostro Signore s'attende solamente l' antichità de' loro Conventi, cioè che precedino quelli, che prima hanno ottenuto i Monasteri ne' luoghi, ove è nata la differenza, e perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima sono venuti ad abitare in cotesta Città, che sarà appunto conforme a quello, che s'è risoluto, ed osservato in altri luoghi &c. Roma li* 24. *Maggio* 1583.

Al Vescovo di Cassano. *Fu dato in Congregazione un memoriale dal Procuratore Generale de' Frati Conventuali di S. Francesco a nome del suddetto Monastero di Castrovillari di cotesta Diocesi, nel qual si doleva, che alcuni Padri di S. Domenico, che poco fa hanno pigliato luogo nella medesima Terra, pretendevano nelle azioni pubbliche di precedergli, non ostante, che già siano* 350. *anni, che quel Monastero di S. Francesco è fondato, e sapendosi, che Nostro Signore altre volte aveva dichiarato, come si doveva procedere in simili casi, questi miei Signori Illustrissimi vollero, che se ne dasse conto a Sua Beatitudine, la quale ha commesso, che si scriva a V. S. che faccia avere la prerogativa, ove nascano queste novità, alle Religioni, che sono più antiche nel luogo, il che farà V. S. intendere a' detti Padri di S. Domenico, ed opererà, che così s' eseguisca. Roma li* 24. *Maggio* 1583.

Ferentino al Vescovo. *Nella differenza, che verte tra cotesti Frati di S. Domenico, e quelli di San Francesco per conto della precedenza, la Sacra Congregazione vuole, che s'osservi per l' avvenire quello, che è stato osservato tra loro per lo passato, sin tanto che non sia destinato altro, ed inclina, che conforme al moto proprio di Gregorio XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima anno avuto il luogo nella Città; ed i Decreti, che si allegano per parte de' Frati di S. Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni da quelle, che possono militare così. Questa è la mente di questi illustrissimi miei Signori, ed ella doverà eseguire, e Dio &c. Roma il* 1. *Giugno* 1604.

„ Attamen in casibus occurrentibus eædem Litteræ reputantur provisiones particulares, non autem Declarationes Generales; dictique Fratres Conventuales nova semper judicia iisdem de rebus subire coguntur. Quare d. Blasius Procurator Generalis, Nobis humiliter supplicare fecit, ut circa prædictarum Litterarum observantiam per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium providere, ac alias, & infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur &c. præinsertas Litteras ab eisdem Card. alias utcumque in casibus particularibus emanatas, cum innitantur Justitiæ motus proprii Gregorii XIII. hac de re editi, & sint conformes Declarationibus Sac. Conc. Trid. ac Rituum Congregationum, ut qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant, & ubi non probatur, aut non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiæ, esse generaliter observandas, ubicumque contigerit de eadem præcedentia dubitari, Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipi-

cipimus, & mandamus. Decernentes &c. non obstantibus, &c. 18. Decembris 1639.

36 Constitutio Gregorii XIII. comprehendit etiam PP. Ordinis Prædicatorum, adeo ut in materia præcedentiæ in processionibus, etiam quoad ipsos sit procedendum ad præscriptum dictæ Gregorianæ, cum etiam respectu dictorum Patrum vigeat motivum, propter quod Gregorius XIII. edidit dictam constitutionem, nempe ob sedandas lites, & controversias, quæ in dies oriebantur occasione præcedentiæ, vel Jure præcedendi in Processionibus, ut innuitur in procemio dictæ Constitutionis. Tum quia etiam ex mox adducta Const. Urb. VIII. constat expresse, etiam contra ipsos fuisse editam sine ullo dubio Constitutionem Gregor. XIII. & revera comprehendere etiam PP. undequaque dignissimos Prædicatores, seu Dominicanos, & dictas Constitutiones Gregorii XIII. & Urbani VIII. moderari quoad hoc Constitutionem Sancti Pii V. incip. *Divina*, & Constitutionem Clementis VIII. incip. *Inter cætera* restringi ad loca Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ; ut plurimis adductis late probat Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 138. *per tot.* & Matthæuc. *loc. cit. num.* 3. & alii. Hinc Sacra Congregatio deinceps, ubicumque casus evenit, respondit juxta dispositionem dictæ Constitutionis Gregorianæ, & præsertim *in una Arben. die* 13. *Mart.* 1582. *in Cassanen.* 24. *Maii* 1583. *in una Ferentina die* 1. *Junii* 1704. *in una Jesuitarum die* 15. *Julii* 1616. *in una Conventualium die* 13. *Novembr.* 1637. *in una Augustinianorum die* 8. *Octobris* 1645. ut observat Pignatell. *loc. cit. numer.* 14. & idem confirmavit Urbanus VIII. in allata Constitutione *supra num.* 47. & utriusque Pontificis Litteras expresse servari mandavit *dicta sacra Congregat. Episcopor. & Regular. die* 6. *Octobris* 1645. his verbis: *Sacra Congregatio censuit servandas esse Litteras Greg. XIII. & Urbani VIII. ea de re editas, ut qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant & ubi non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiæ, & ita ab his, ad quos spectat, servari mandat, & præcipit*: & sic refert Lantuscha *loc. c. num.* 10. & Matthæucci *loc. cit. sub n.* 3. ubi subjungit: Ceterum ubi est consuetudo, quod Regulares præcedant inter se, ratio originis Religionis, & non fundationis Conventus est servanda, ut respondit *Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Forolivien.* 23. *Febr.* 1693. Item dicta Constitutio comprehendit etiam Monachos, nempe quod Monachi præcedant inter se secundum ordinem præscriptum in Bulla Gregorii XIII. incip. *Exposcit*, & adducta *supra n.* 44. Sic *Sac. Congr. Rit. in Saxoferrat. Nucerinæ Diœcesis* 19. *Maii* 1614. *& in alia causa Monachorum* 29. *Novembris* 1618. & idem pluries declaravit Sac. Congr. Episc. & Regul. ut referunt Pignatell. *loc. cit. num.* 22. & Barb. *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. Univ. c.* 43. *a nu.* 183. ubi varias ejusdem Congregationis in casibus occurrentibus datas declarationes ad litteram adducit.

48 Regulares Conventus de recenti fundati in loco, in quo adest alter ejusdem Ordinis Conventus, gaudent eadem præcedentia, qua gaudent Fratres illius antiquioris sui Ordinis Conventus; Sic expresse habetur ex declaratione, & responsione Sac. Rit. Congreg. ad sequens dubium ei propositum his verbis:

„ Pro parte Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Observantiæ Sac. Rit. Congregationi expositum fuit, quod cum in pluribus locis, & Civitatibus Orbis inveniantur duo, & aliquando plura Monasteria ejusdem Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, & in publicis, & privatis Processionibus circa modum præcedendi, dubitetur, qui loco incedere debeant Fratres Monasterii novissime fundati in eodem loco, seu Civitate? An in ultimo loco, ut aliqui opinantur, juxta tempus fundationis sui Monasterii, disjuncti, & separati a Fratribus ejusdem Ordinis antiquioribus, qui ab antiquo Monasterium habuerunt in eodem loco, seu Civitate, vel potius uniti, & conjuncti cum Fratribus ejusdem Ordinis incedere, & procedere in publicis, & privatis Processionibus debeant?

Audita relatione Illustrissimi, & Reverendissimi Card. de Monte, cui hæc causa commissa fuerat, Eadem Sac. Congregatio respondit, & declaravit juxta Constit. fel. rec. Greg. XIII. quæ incipit: Exposcit &c. Præcedentiam dandam esse Ordini, qui prius in loco Monasterium habuit, & non tantum illi Monasterio, ita ut in illo loco per fundationem primi Monasterii acquiratur anterioratus ejusdem, sed etiam cuilibet alii posterius fundato ejusdem Ordinis. Idem quoque servandum, quando præcedentia competit ex quasi possessione, & Jure præcedendi in terminis dictæ Constitutionis, & quando concurrant ad Processiones, tam publicas, quam privatas omnes ejusdem Ordinis Fratres uniti, & non divisim debere procedere, ita ut post Crucem Fratres strictioris Observantiæ, sive discalceati, seu Recollecti, vel Reformati uniti immediate incedant, & post illos Fratres de Observantia dicti, si juxta Regularia Ordinis statuta, vel ex quasi possessione, & Jure præcedendi præcedentiam habent. Alioquin in præcedentia servetur etiam inter ejusdem Ordinis Fratres anterioritas fundationis Monasterii cujuscumque. Neque Monasteria alterius Ordinis debere, neque posse impedire frui dicto Jure præcedendi, neque ordinem incedendi pervertere, & ita in causa prædicta eadem Sac. Rit. Congr. declaravit, & servari mandavit. Die 3. Jun. 1617.

M. Mar. Episcop. Hostien. Card. Gallus.

Et hoc procedit non solum quando Fratres modernioris Conventus incedunt simul sub Cruce antiquioris Conventus; sed etiam quando incedunt soli sub propria Cruce. Sic expresse decrevit Sac. Rit. Congr. ut infra: 49

Salernitana Præcedentiæ.

Orta alias controversia inter Fratres Reformatos ex una, & nonnullos Regulares Civitatis Salernitanæ partibus ex altera, de, & super præcedendi Jure in publicis Processionibus, & Funeralibus, quando Reformati non incedunt cum Familia Min. Observ. Sac. Rit. Congr. die 10. Dec. 1629. *Respondit*, Præcedentiam semper dandam esse Fratribus Refor-

Reformatis, sive soli de per se, & sub propria Cruce, sive cum Familia, & sub Cruce Minor. Observantium processionaliter, sive in funeribus incedant, & ita ubique servari mandavit: Cui Decreto non acquiescentes Patres S. Augustini, B. Mariæ de Carmelo, S. Francisci de Paula, & B. Petri de Pisis, ac B. Joannis Dei litis consortes existentes in Civitate Salerni, quotiescumque incedant sub propria Cruce, & sine Fratribus Observantibus de Familia, adiverunt Sacr. Congreg. Rit. ut declarare dignaretur, cui danda sit præcedentia, & proposita iterum causa die 21. Apr. 1640. per Emin. D. Card. Rondininum, pluries citatis, & auditis in Jure, & in facto Procuratoribus Generalibus Ordinum ambarum partium, Eminentiss. Patres Sac. Rit. Congregationi præpositi confirmandum esse prædictum Decretum 1629. censuerunt, sed cum Patres S. Aug. & litis consortes, ut denuo revideretur hujusmodi quæstio, instanter supplicassent, placuit Eminentissimis Dominis novam audientiam eis concedere, unde tertia vice proposita præfata causa per eumdemmet Eminentiss. D. Card. Rondininum, & acerrime utraque parte informante, Sacr. Rit. Congr. stetit in decisis.

Die 15. Decembris 1646.

A. A. Card. Capponius.

Item aliud consimile in materia dictæ Præcedentiæ emanavit novissime Decretum a Sacra Rit. Congregatione *die* 8. *Martii* 1700. quod fuit confirmatum ab Innocentio XII. *die* 4. *Junii* 1700. ut infra.

„ Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Card. Sacris Ritibus Præpositorum in causa præcedentiæ inter dilectos Filios Fratres Provinciæ S. Didaci novæ Hispaniæ in Indiis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum ex una, & Fratres Provinciæ Sanctissimi Nominis Jesu Ordinis Eremitarum S. Augustini ex altera, partibus, vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

„ Mexicana præcedentiæ. Cum sub die 13. Martii proxime effluxi in causa Præcedentiæ inter Patres Discalceatos strictioris Observantiæ Sancti Francisci Provinciæ S. Didaci ex una, & Patres Augustinianos Provinciæ Sanctissimi Nominis Jesu ex altera partibus, super executione Decretorum Sacræ Rituum Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem Patrum Discalceatorum S. Francisci alias editorum, & signanter lati sub *die* 3. *Junii* 1676. & per Litteras in forma Brevis datas 19. *Junii ejusdem anni* a san. mem. Clem. PP. X. approbati, ac confirmati in Regno Mexicano ultimo loco agitata. Sacra eadem Rituum Congregatio super infrascripto dubio ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Petruccio relato, videlicet:

An Fratribus Discalceatis strictioris Observantiæ Ordinis Sancti Francisci, non solum Processionibus solis, & sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, disputationibus, concurrentia Prælatorum, aliisque actibus, tam publicis, quam privatis, interveniente, vel non interveniente familia de Observantia, competat præcedentia supra Fratres S. August. tam in voce, quam in scriptis, partibus acerrime informantibus auditis, responderit: in casu, de quo agitur, Præcedentiam competere Patribus Discalceatis S. Francisci, ac amplius dubium proponi vetuerit: „ Et nihilominus „ non acquiescentes Patres Augustiniani institerint „ præter ordinem pro declaratione supradicti re- „ scripti: Sacra eadem Rituum Congr. *die* 8. *Maii* „ *currentis* 1700. *Partibus auditis, referente Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Petruccio, respondit, Fratres Augustiniani pareant, & perpetuo acquiescant, & ita decrevit, & servari, ac exequi mandavit.*

Alderanus Card. Cibo.

„ Cum autem, sicut dilectus pariter Filius Josephus Montoro prædicti Ordinis Fratrum de Observantia Discalceatorum Professor, ac Sacræ Theologiæ Lector, nec non Tribunalis Sac. Inquisitionis Qualificator, ac dictæ Provinciæ Sancti Didaci Custos, & Procurator, nomine dilectorum etiam Filiorum Ministri Provincialis, & Definitorum ejusdem Provinciæ Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, perpetuumque desuper Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini supradictis silentium imponi, ac tandem ejusmodi diuturnam controversiam finiri summopere desideret, Nos ipsis &c. supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac perpetuum prædictis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Aug. silentium super præmissis imponimus. Decernentes &c. sicque &c. irritum &c. non obstantibus &c.

„ Romæ 4. Junii 1700.

Unde, ut vides, Præcedentia debetur Fratribus Minoribus Discalceatis, Recollectis, & Reformatis, aliisque de Corpore Observantium, etiamsi sint posteriores in loco controversiæ; Dummodo in eo loco priores ad alios Regulares, & in possessione præcedenti fuerint Observantes; Quoties enim in eadem Civitate, seu Oppido existunt plures ejusdem Ordinis Conventus diversis temporibus fundati, antiquioritas unius influit, & communicat præcedentiam omnibus aliis ejusdem Ordinis quomodolibet posterioribus, ut præcisis verbis censuit Rota *die* 21. *Aprilis* 1690. *in Hispalen. Præcedentiæ coram Emerix Decano decis.* 16. *num.* 4. ex impressis apud Monacell. *part.* 2. *Append.* addens, quod sic expresse disponit eadem Bulla Gregorii XIII. §. *Quando vero*, ibi: *Si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Men-*

Mendicantibus Monasteria, aut Domus prius erecta, & instituta sunt, ille Ordo, qui Monasterium, seu Domum in loco habuerit, præcedat: & inhærendo illius Bullæ dispositioni tradunt Card. de Luca *de Præeminent. disc.* 25. Lantuscha *in Theatro Regular. verb. Præcedentia num.* 11. *&* 13. *in fine*; Novarius *in Summa Bullar. comment.* 96. *num.* 11. Bordon. *Oper. moral. in Theat. Præcedentia nu.*478. Ac respondit *Sac. Rit. Cong. in Salernitana Præcedentiæ sub die* 3. *Jun.* 1617. Et summa quidem ratione, nam alias scinderetur unitas Ordinis, ac non levia scandala orirentur in populo, ut advertit Card. de Luca, *d. disc.*15. *de Præeminent.* Sic expresse Rota *loc. cit.*

Quæ Rota *decis.* 7. *num.* 8. inter impressas apud eumdem Monacell. *loc. cit.* enervat insuper objectionem, & paritatem adductam in exemplis PP. Carmelitarum, & Augustinianorum Discalceatorum præcedentiam desumentium solum a fundatione propriorum Conventuum, quamvis sint ejusdem Ordinis cum aliis Carmelitis, & Augustinianis: Rectissime enim ibi respondet Rota, quod Patres Carmelitæ, & Augustiniani Discalceati sunt quidem ejusdem Ordinis, sed non ejusdem corporis cum aliis Carmelitis, & Augustinianis Calceatis, cum semper incedant separati ab illis sub propria Cruce, & regantur a diversis Superioribus, nec eligi possint ad munera aliorum Carmelitarum, & Augustinianorum Calceatorum; At Fratres Discalceati, Recollecti, & Reformati, non solum sunt ejusdem Ordinis, sed etiam absolute faciunt unum Corpus cum Observantibus, cum incedant sub illorum Cruce, recognoscant eumdem Superiorem Generalem, & eosdem Definitores Generales &c. Vide apud Monacell. *loc. cit. decis.* 16. *in Hispalen. Præcedentiæ coram Emerix Decano*, *decis.*17. *Eadem coram Caprara*, *dec.*19. *Eadem coram Emmanuel. dec.*20. *Eadem cor. Molines*, in quibus omnia ad rem optime resolvuntur.

50 Item Regulares succedentes de recenti in Conventum eis cessum ab aliis Religiosis ejusdem Ordinis gaudent Præcedentia, qua super alios gaudebant Religiosi primo ipsum inhabitantes. Sic late probant Ursaya *tom.* 2. *part.* 3. *discept.* 11. *per tot.* referens plures Rotæ decisiones, & decreta Sacræ Rituum Congregationis, & signanter Decretum emanatum per viam legis *die* 17. *Junii* 1627. relat. *ibi num.* 24. sub his verbis: *Procuratore enim M. O. R. narrante eidem Sacræ Congregationi Fratres Observantes Reformatos pati controversiam circa præcedentiam quasi nuper adscitos in Civitate; Cum tamen ingressi sint, & habitent in Monasteriis Familiæ, ideo supplicavit provideri, & Sacra Congregatio Rituum referente Cardinali Millino, mandavit dari omnino præcedentiam dictis Reformatis*. Et concordat Pignatell. *tom.* 4. *consultat.* 19. *num.* 13. ubi postquam probavit, quod quando antiquior Conventus conceditur aliis Regularibus, in istos transferuntur omnes prærogativæ antiqui Conventus, ait: *Et in hac specie admisit Sacr. Congreg. Rit. declarando præcedentiam deberi Fratribus Minoribus strictioris Observantiæ ratione Conventuum eisdem cessorum per Fratres Minores Observantes*. Et ipse Ursaya, qui *loc. citat. discept.* 11. *in Pennen. Præcedentiæ pro P. P. Reformatis Terræ Laureti cum P. P. Capuccinis ejusdem Oppidi* dixerat causam pendere adhuc indecisam, postea *in Miscellaneo* 1. *Sacro*, *& Profano litt. P. num.* 258. *a Sacra Congregatione Episcopor. & Regular. Ponente Card. Casono*, *resoluta fuit contra Capuccinos*.

Religiosi diversorum Conventuum ejusdem Ordinis præcedunt inter se juxta anterioritatem Conventuum, quando quilibet Conventus erigit propriam Crucem juxta Decretum Sacræ Congregationis Rituum adduct. *supra num.* 48. Et sic Rota 21. *Aprilis* 1690. *in d. Hispalen. Præcedentiæ coram Emerix Decano* §. *Neque*, Lantuscha *loc. cit. num.*11. Matthæucci *loc. cit. sub num.* 7. & alii passim; Minores tamen de Observantia ubique, & in omnibus gaudent Præcedentia super omnes Reformatos, ut novissime statuit Benedictus XIII. Constit. incip. *Pastoralis Officii*, quæ hic ad litteram datur. 51

„ Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei. „ Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis Officii „ nobis divinitus injuncti sollicitudo nos admo„ net, ut omni cura ac studio ad ea jugiter in„ tendamus, per quæ Christifidelium sub suavi „ arctioris Religionis jugo mancipatorum, ube„ resque bonorum operum fructus, benedicente „ Domino, proferre jugiter satagentium quieti, „ & tranquillitati consulitur, & quæ Religiosum „ eorum propositum turbare possunt, removean„ tur, ut nulla re præpediti, ac sublatis animo„ rum dissidiis, & æmulationibus juxta Regula„ ria suorum Ordinum Instituta in pacis amœni„ tate gratum Altissimo impendant famulatum, „ felicioribusque in dies in via Domini proficiant „ incrementis. Cum itaque, sicut accepimus, „ tametsi Fratres Ordinis Minorum Sancti Franci„ sci de Observantia, Excalceati, Recollecti, ac „ Reformati respective nuncupati cum Corpus „ Religionis, ac Ordinem insimul constituant, „ atque sub uno, eodemque Capite, & Ministro „ Generali, etsi sub diversis Constitutionibus in „ Ecclesia Dei militent, antiquus tamen usus, „ ac generalis prope consuetudo invaluit, ut ipsi „ Fratres de Observantia ubique nedum in Gal„ liarum, Hispaniarum, Port. & Algarbiorum Re„ gnis, ac universa Germania, verum & in hac „ Alma Urbe nostra, ac reliqua passim Italia, „ ubi fel. rec. Gregorii XIII. Prædecessoris nostri „ Constitutio super Præcedentia edita maxime vi„ get, eosdem Fratres Excalceatos, Recollectos, „ & Reformatos in Processionibus, aliisque tum „ privatis, tum publicis actibus, & functionibus „ quibuscumque, nulla habita ratione majoris, „ vel minoris antiquitatis suorum Conventuum, „ præcedant, solumque aliquot ab hinc annis, „ pro parte dictorum Fratrum Reformatorum non„ nullæ quæstiones super ejusmodi præcedentia „ memoratis Fratribus de Observantia in quibus„ dam Italiæ Provinciis motæ fuerunt sub obten„ tu, quod quidam eorum Conventuum tempore, „ & fundatione illis Fratrum de Observantia fo„ rent priores, licet in reliquis ejusdem Italiæ „ Provinciis Fratres de Observantia prædicti præceden-

„ cedentiam præfatam pacifice obtineant, etiamsi „ eorum Conventus post alios Fratrum Reformatorum inibi erecti reperiantur; Nos considerantes ejusmodi controversias inter Fratres dicti Ordinis, qui vota sua in spiritu humilitatis, „ & paupertatis Domino exhibere profitentur, minime decere, ac turbas in eumdem Ordinem „ non sine scandalo, ac mutuæ inter eos caritatis „ detrimento invehere posse, adeoque illas omni „ ratione recidere, unamque, ac certam hac in „ re formam ab omnibus Fratribus Reformatis „ prædictis servandam præscribere volentes, nec „ non Gregorii Prædecessoris Litterarum prædictarum tenorem, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & „ sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes, motu proprio, & ex certa scientia, „ maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quascumque causas, lites, seu controversias inter Fratres de „ Observantia, & Reformatos prædictos super „ præcedentia præfata ubilibet, & coram quibusvis Judicibus quomodolibet motas, ac pendentes ad Nos harum serie avocamus, illasque penitus, & omnino extinguimus, ac supprimimus, & perpetuum desuper silentium imponimus; Utque deinceps idem usus, ac mos, qui „ in Urbe præfata, ac alibi inter Fretres de Observantia, & Reformatos servatur, ac retinetur, in universa Italia observari, & retineri debeat, quod scilicet dicti Fratres de Observantia „ ubique in Processionibus, aliisque actibus tam „ publicis, quam privatis digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ac ipsos Fratres Reformatos præcedant, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium „ statuimus, & ordinamus. Districte in virtute „ Sanctæ Obedientiæ, & sub Excommunicationis „ majoris latæ sententiæ eo ipso per contrafacientes incurrenda pœna omnibus, & singulis Fratribus Reformatis Ordinis prædicti nunc, & pro „ tempore existentibus inhibentes, ne deinceps „ super præmissis, eorumve occasione Fratres de „ Observantia hujusmodi molestare, inquietare, „ perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, „ vel præsumant. Sicque per quoscumque Judices „ Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, „ & alios quoslibet quacumque auctoritate, & „ potestate fungentes & functuros, sublata eis, „ & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si „ secus super his a quoquam, quavis auctoritate „ scienter, vel ignoranter contigerit attentari, „ decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus, „ Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis locorum Ordinariis per præsentes, „ motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se vel alium, seu alios, ubi „ & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum de Observantia fuerint requisiti, eis efficacis defensionis præsidio assistentes, „ faciant auctoritate nostra præmissa juxta præsentium continentiam, & dispositionem observari: „ Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, Censuras, „ & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, „ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus dictis Gregorii Prædecessoris litteris, „ ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de „ jure quæsito non tollendo, aliisque quibusvis „ Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, „ nec non Ordinis, ac Fratrum Reformatorum „ prædictorum, illorumque Conventuum, Domorum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, „ & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis „ derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & „ aliis Decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus etiam iteratis vicibus concessis, „ approbatis, & innovatis; Quibus omnibus & „ singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de „ verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis „ alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus „ omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro „ plene & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad „ præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, „ quod interdici, suspendi, vel excommunicari „ non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & de verbo ad verbum &c.

„ Volumus autem, quod præsentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides, tam in Judicio, „ quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel „ ostensæ.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quarta Febr. millesimi septingentesimi vigesimi sexti, Pontificatus „ Nostri anno secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

Locus ✠ Annuli Piscatoris.

52 Regulares Conventus conatu, seu violentia Turcarum, vel Hæreticorum, aut hostili furore suppressi, & postea ipsis restituti, gaudent pristina præcedentia, & recuperant omnia primæva Jura; Sic enim in facti contingentia fuit resolutum *a Sacra Rit. Congregatione die 6. Decembris 1645. in Augustana Præcedentiæ* inter Minores Conventuales, quorum Conventus fuerat ab Hæreticis Lutheranis Augustæ suppressus) & Fratres Minores de Observantia, qui post Conventualium expulsionem Conventum in dicta Civitate obtinuerant; Et fuit decretum, Præcedentiam tam in Processionibus publicis, quam in eis, quæ fiunt in tumulandis Cadaveribus Defunctorum, & in sessionibus, aliisque similibus, deberi Conventualibus postea restitutis. Et quidem merito, quia cum dictus Conventus fuerit injuste, & violenter suppressus, nunquam Conventuales fuerunt privati sua legitima possessione præcedendi, licet per aliquod tempus caruerint exercitio, adeoque ex capite Justitiæ illam recuperare potuerunt; *l.Final. Codic. Si per vim; & l. Clam possidere §. Qui ad nundinas, ff. de acquirend. vel amittend. possess.* In similibus enim casibus redintegratio retrotrahitur ad tempus primæ erectionis, cum currat in istis natura Postliminii, quod rem in pristinum statum reponit, ut patet ex dictis verb. *Postliminium per tot.* & signanter *num.* 7. ubi Pat. Joannes Cheron Provincialis Carmelitarum a Turcis captus, & postea liberatus, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium fuit manutentus in possesssione sui Provincialatus, cassata alterius Provincialis electione. Et sic tenet Rota *coram Merlino decis.* 302. *num.* 2. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 183. *num.* 12. Menoch. *de recuperand. possess. remed.* 10. *num.* 111. Gratian. *discept.* 1545. *num.*9. *& sequent.* Capon. *disceptat.* 345. *tom.* 5. & alii passim.

53 Secus autem, si fuerit motu proprio Papæ suppressus, & postea ex mera gratia a Sancta Sede restitutus; Tunc enim præcedentia in Processionibus, & aliis actibus debetur Regularibus præexistentibus, quia talis restitutio habetur pro nova fundatione. Sic *Sac. Congreg. Rit. in Senogallien.* 21. *Januarii*, *&* 1. *Septembris* 1696. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 19. *num.* 14. Nisi restitutio fiat plenarie quoad omnia, de quo textus *in cap. Quamvis* 8. *de rescriptis in* 6. alias nequaquam, ut ibi in littera: *Cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris præjudicio alieni*: Quia licet dicti Regulares sint primi ratione Conventus, ad quem restituti fuerunt, sunt tamen secundi respectu ad restitutionem, & novam gratiam, adeoque nisi Pontifex in litteris restitutionis expresserit eos restituere etiam quoad præcedentiam, non possunt præcedentiam prætendere, ut ponderat Gloss. in *cit. cap. Quamvis, verb. Præsupponatur in fine*, ibi: *Nisi aliud Papa diceret in restitutione, videlicet quod me restituit ad datam, & prioritatem temporis, & vult gratiam meam valere perinde ac si revocata non fuisset, etiam quoad prioritatem temporis*. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 183. *num.* 10. *& seq.* & alii passim.

Regulares in Processionibus incedunt post Confraternitates Laicorum, & post eos in digniore loco Clerus sæcularis. *Sac. Congregat. Rituum in Messanen.* 7. *Augusti* 1621. apud Sellium in *Select. Canonic. cap.* 25. *num.* 17. Barbosa *Summ. Apostolic. decis. verb. Regulares quoad præcedentiam num.*5. 54

Regulares in suburbiis, & territorio Romano servant præcedentiam, sicuti in ipsa Urbe. *Sac. Cong. Rit. in Tusculana* 2. *Mart.* 1613. *& in Anagnina* 20. *Jun.* 1626. apud Lantusch. in *Theat. Regul. verb. Præcedentia*, ubi per extensum refert dicta Decreta. 55

Regulares in Processionibus debent Clerum sæcularem anteire, nec cum Clero sæculari mixti incedere valent. *Sacra Congregatio Rituum in causa Castellæ, & Legionis* 30. *Augusti* 1592. *& in Legionen.* 24. *Septembris* 1605. *& in Neapolitana* 7. *Julii* 1612. apud Barbosa *in Summa Apostolicar. decis. verb. Regulares quoad præcedentiam num.*7. 56

Regulares non possunt prætendere præcedentiam super Parochum Regularem, quando inter alios Parochos procedit in Processionibus. *Sacr. Congreg. Rit. in Asten.* 23. *Novembris* 1602. apud Sellium *cit. cap.* 25. *num.* 18. & Barbosa *loc. citat. num.* 8. 57

Regulares debent locum digniorem in Processionibus cedere Clero sæculari, licet Prior Regularium deferat in Processione Reliquiam. *Sacra Congregat. Rit. in Senogallien. Montis Bodii* 24. *Septembr.* 1605. *&* 23. *Januar.* 1610. apud Barbosa *loc. cit. num.*9. Præcedentia enim supra Clerum sæcularem debetur solis Regularibus paratis deferentibus in Processione Reliquias, non tamen cæteris non paratis. *Sacr. Congregat. Episcop. in Juvenacen.* 4. *Septemb.* 1693. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *num.*32. 58

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Episcoporum. Vide verb. *Episcopus art.*4. *&* 7. 59

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Vicarii Generalis. Vide verb. *Vicarius Generalis art.* 3. 60

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Canonicorum. Vide verb. *Canon. art.*7. *&* 8. 61

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Coadjutorum. Vide verb. *Canonicus artic.*10. *& verb. Coadjutor*. 62

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Vicarii Foranei. Vide verb. *Vicarius Foraneus*. 63

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Confraternitatum. Vide verb. *Confraternitas art.*6. 64

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam Magistratus. Vide verb. *Magistratus*. 65

Quoad ea, quæ concernunt præcedentiam generatim. Vide Pignatell. *tom.*5. *consult.*12. *per tot.* ubi *n.*81. habet ut infra. 66

In disputationibus publicis Romæ observatur fere semper hic præcedentiæ ordo. Si inter invitatos ad arguendum aliquis sit Prælatus, hic ratione dignitatis est primus argumentator. Secundus Regularis Thomista. Tertius Regularis Scotista, vel alterius Religionis, aut Sæcularis. Si vero Prælatus nullus arguat, serventur privilegia con- 67

concessa a Summis Pontificibus, præsertim Thomistis, & Scotistis repræsentantibus propriam scholam. Unde primus Arguens est Regularis Thomista, secundus Regularis Scotista, tertius ad libitum, nisi forte tam Prælatus, quam Thomista, & Scotista velit resumere tertium argumentum, quod reputatur specialis honor; Doctores autem sæculares, etiam actu legentes, cum non repræsentent propriam scholam, cedere debent Thomistis, & Scotistis.

68 His adde quod Canonici Clerici, ubi Præbendæ non sunt distinctæ in Presbyterales, Diaconales, ac Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione, non sunt præferendi Canonicis Presbyteris, etiam postquam ipsi Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes, & tunc nec ipsis competit reintegratio, seu præcedentia adversus Canonicos Sacerdotes, & posteriores receptione; cum jus semel adeptum ex Sacerdotio, nunquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine, quam abusum imperceptibilem declaravit *Sacr. Congr. Rit. in Sutrina Præcedentiæ die* 27. *Augusti* 1707. & alibi sæpissime, ut refert Scarfantonus ad Ceccoperium *part.*1. *in animadv. ad tit.* 11. *sub n.*16. & refert etiam Monacell. *part.*4. *in supplement. ad III. Tomum n.*108. & Piton. *de Sacris Rit. tom.*2. *n.*1632.

69 Canonici Collegiatæ capitulariter incedentes in omnibus sunt præferendi Parochis, & etiam Parocho Ecclesiæ Matricis. Sic expresse *Sacra Rit. Congregatio anno* 1666. *mense Augusti in respons. ad* 1. *dub.* apud Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 74. & novissime *in Januensi* 19. *Jul.* 1710. ubi cum Parochi Urbani prætenderent præcedentiam supra Collegiatam insignem S. Mariæ Vinearum, proposito dubio: *An Canonicis dictæ Collegiatæ debeatur præcedentia adversus Parochos Urbanos*: Sacra Rituum Congregat. ad relationem Eminentissimi Barberini *sub die* 19. *Julii* 1710. *ad* 1I. *dub.* respondit: *Affirmative*, ut refert Ursaya, qui in hac causa egregie scripsit ad favorem ejusdem Collegiatæ *tom.* 1. *pag.* 1. *discept.* 6. *sub num.* 192. Et iterum confirmavit stando *in Decisis anno* 1716. 19. *Julii*, ut refert eruditissimus Nicolaus Coleti in additione ad Ughellum *in Italia Sacra tom.* 4. *Provinc.* 8. *de Januens. Episcop. pag.* 836. Et pluries firmavit etiam Sacra Rota, & signanter *part.* 17. *recent. decis.* 87. *in Burgen. Præeminentiar. coram Rondinino num.* 4. ubi plura adducit merito videnda.

70 Quæ præcedentia debeatur Missionariis Ord. Min. de Observantia pro Sanctis Locis, & aliis; Vide verb. *Privilegium art.*1. *n.*31.

71 Attendenda est hic Constitutio Bened. XIII. incip. *Militantis Ecclesiæ*, edita 25. Junii 1727. in qua confirmatur Constitutio S. Pii V. super præcedentia Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini in Processionibus, & in aliis actibus publicis, & privatis, statuendo quod ipsi, ubi interesse contigerit, statim ipsum Clerum Sæcularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo præcedunt, dum vero præcedendo præcedunt, illum immediate sequi debeant.

Observanda est Constitutio Innocent. XIII. incip. *Dudum*, edita 5. Julii 1725. qua statuitur, ut 72 Fratres Laici de Observant. Reform. ac Tertii Ordinis in Regno Siciliæ præstent juramentum, vel votum emittant coram testibus cedendi Clericis præcedentiam, nec Superiorem Ordinis prædicti possint imposterum Laicos, seu Conversos quoscumque ad Professionem admittere, nisi prius ab ipsis emisso tali voto, vel juramento; Injuncta Superioribus contrafacientibus privationis Officii, & vocis activæ, & passivæ pœna ipso facto incurrenda; Laicis vero, seu Conversis sine prædicto voto, seu juramento profitentibus, nullitatis Professionis. Et interim Superiores ejusmodi Laicos, seu Conversos compellant ad observantiam Litterarum Urbani VIII. hac de re emanatarum 16. Novembris 1642. in quibus statuit præcedentiam deberi Clericis sub pœna excommunicationis contra ipsos, & Superiores contrafacientes circa dictam præcedentiam, & non obstante quocumque prætextu anterioritatis Vestitionis, & Professionis, & consuetudinis.

Præcedentiæ non semper a personali dignitate 73 desumuntur; Abbates enim simplices aliquando præcedere possunt Superioribus Generalibus sui Ordinis, præsertim extra actus Monasticos. Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 98. incip. *Inter plures*, §. 16. ubi affert exempla promiscuæ præcedentiæ. Nempe, inter Canonicos Basilicarum Urbis quum 74 aliqui sint Episcopali, & Archiepiscopali Dignitate insigniti, hi quidem reliquos omnes Canonicos præcedunt: Vicarius autem repræsentans personam Cardinalis Archipresbyteri, qui Basilicæ caput est, quamvis idem simplex Prelatus sit absque Ordine Episcopali; tamen in Choro, & in omnibus actibus Capitularibus, prædictos Canonicos Episcopos præcedit. Extra Chorum vero, & extra actus Capitulares, infra eosdem incedit, & sedet. Idem pariter procedit in Collegio Advoca- 75 torum Consistorialium inter Advocatos Episcopali dignitate insignitos, & Decanum Collegii, qui uti caput, quamvis plerumque simplex Clericus existat, in actibus Collegialibus ipsi præcedit, extra vero, in omnibus decedit.

Præcedentiæ inter Græcos, & Latinos desumun- 76 tur ab Ordine, antianitate, aut dignitate personali. Idem Constitut. 57. incip. *Et si Pastoralis*, §. 9. Præcedentia inter Episcopos & Gubernatores 77 Prælatos, aut Vicelegatos Ditionis Ecclesiasticæ stabilitæ sunt ab eodem Pontifice Constitut. 18. incip. *Quod Apostolus*, & in *Appendic. tom.* 2. *numer.* 2. *pag.* 6. Vide *ibi* late de omnibus. Præce- 78 dentiæ Ordo inter votantes signaturæ Justitiæ, & Gratiæ servandus præscribitur ab eodem Pontifice tom. 1. Constitut. 9. incip. *Militantis Ecclesiæ*, nempe, quod Votans, prius in suo respective Tribunali admissus, alteri in suo posterius admisso præcedat. Et si contigerit, ambos alterius Signa- 79 turæ Votantes eodem die in suo respective Tribunali admissos fuisse, præcedentia detur illi, qui in Prælatura quacumque antiquior, & prior reperitur. Verum cum aliquis Votans alterius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali charactere insignitus, sive Protonotarii Apostolici dignitate ornatus, sive

sive quocumque alio ejusdem Romanæ Curiæ munere, vel Officio decoratus reperiatur, præcipit; ut nulla habita Signaturæ Justitiæ, aut Gratiæ Votantis ratione, illa dumtaxat præcedentia illæsa re-
80 maneat, quæ Votanti alias debetur. Et denique statuit, hujusmodi præcedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturæ Justitiæ, & Gratiæ Tribunali adscriptus fuerit, a primæva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturæ Tribunali admissione esse repetendam, & definiendam.

81 Quoad præcedentiam hic juvat adducere, quæ tradit eruditissimus Franciscus Maria Pitonius Advocatus Romanus, Episcopus Imeriæ, & Benedicti XIII. Auditor, *in parte tertia disceptat.* 57. *num.* 14. ubi in Summario sic præcise habet: *Parochus Regularis Ecclesiæ Matricis præcedit Parocho Ecclesiæ Sæcularis eidem subditæ*, & sic *etiam Clerus Regularis Ecclesiæ Cathedralis quoad Clerum sæcularem Ecclesiarum inferiorum*, & in corpore, *sub eodem num.* 54. ita pariter præcise: Ex quo principio decisam habemus illam quæstionem, an Parochus Regularis Ecclesiæ Matricis præcedere debeat Parocho Ecclesiæ Sæcularis in quibuscumque processionibus, & functionibus publicis; licet enim de jure præcedentia competat Parocho, & Clero Sæculari supra Regularem; id tamen procedit, ubi uterque Clerus, & Parochus interveniunt tamquam Personæ de Ordine, & hierarchia Ecclesiastica in genere inter se coæquales, secus autem ubi Parochus, & Clerus Regularis interveniat tamquam repræsentans Ecclesiam Superiorem, nempe aut Cathedralem, aut Matricem: hoc enim casu non intrat ratio ordinis hierarchici circa præcedentiam Cleri Sæcularis supra Regularem, sed ratio superioritatis, & respective subjectionis, ne detur absurdum, quod subditus præcedat Superiorem; dum tali casu Regularis dicitur intervenire in figura, & repræsentantia Superioris, & sic præcedit, ut, quidquid dixerit Pignat. *consult.* 26. *tom.* 4. bene firmavit Cardin. de Luca, *de præeminent. discurs.* 51. *numer.* 20. Ansald. *in annotat. ad decis.* 55. *num.* 17. & ego obtinui in una Melevitana *præeminentiarum in Sac. Congregat. Rituum* 27. *Februarii* 1723. *in respons. ad dub. secundum ad relat. Eminent. D. Card. Gualterii*, ubi scribendo pro PP. Dominicanis Ecclesiæ Parochialis B. Mariæ de Portu Salvo Civitatis Vallettæ, obtinui resolutionem, quod Parocho Regulari supradictæ Ecclesiæ Regularis tamquam Matricis competeret præcedentia supra Parochum Ecclesiæ Parochialis Sæcularis Sancti Pauli in quibuscumque Processionibus Generalibus, & functionibus Episcoporum, juxta quam resolutionem, Me scribente, judicavit etiam Rota *in Nullius Calaguritana juris ingrediendi Chorum super manutentione* 10. *Maii* 1723. §. *aut vero*, *coram Reverend. Patre Domino Cerro*.

82 Et revera sapientissimus, & practicissimus Cardin. de Luca loco ab ipso citato sic præcise habet: His ita constitutis, de consequenti nimium planam esse dicebam responsionem ad objectum præcedentiæ debitæ Clericis sæcularibus supra Regulares ex deductis supra *dict. discurs.* 24. *& alibi*, quod scilicet conclusio sit in suo casu verissima, sed male ad rem applicata: procedit etenim, quando Clerici sæculares, & Regulares diversarum Ecclesiarum inferiorum æque subditarum in functionibus interveniunt, adeo ut aliam non faciant figuram, nisi illam, quam proprius Ordo, propriæque Ecclesiæ qualitas præbeat, cum tunc dicta distinctio hierarchica intret. Secus autem ubi aliqui Regulares interveniant tamquam repræsentantes corpus Cathedraticum, ut sequitur in illis Cathedralibus, vel Metropolitanis, quæ sint Regulares, juxta recensitas supra *dict. discurs.* 3. *& sequent.* sive tamquam repræsentantes Ecclesiam Superiorem, & constituentes unum corpus cum Prælato Regulari, ut in istis Ecclesiis Monasterialibus contingit, quoniam tunc non intrat d. ratio ordinis hierarchici, sed intrat altera Superioritatis, & subjectionis respective, & ne detur absurdum, quod subditus præcedat Superiorem, quodque membra inferiora præcedant caput. Ideoque Monachi Benedictini seu Cassinenses, vel Canonici Regulares Lateranenses hodie in Urbe occupant suum locum in ratione antiquitatis, sed quando erant Canonici Ecclesiæ Lateranensis, occupabant primum locum supra universum Clerum Romanum cum similibus, atque in hoc versantur adeo frequentia modernorum æquivoca, quæ eorum cibus quotidianus esse videntur intelligendi, & practicandi conclusiones in abstracto, sive in littera, non reflectendo ad hujusmodi distinctiones, & circumstantias, ex quibus applicatio pendet, in qua totum est punctum.

Præcedentia inter Parochos debetur illi, qui 83
prior fuit assumptus ad regimen suæ Parochialis: de jure enim is præcedit, qui in labore est antiquior instar Militiæ; *l. Nemo* 2. *de Officio Magistri Officior. l. Tirones* 4. *Cod. de Tironib.* Cyriac. *controvers.* 201. *num.* 44. Seraphin. *decis.* 326. *nu.* 3. Pignatell. *tom.* 6. *consultat.* 67. *num.* 1. ubi refert, quod id resolvit *Sac. Rit. Congregatio in Maceratensi præcedentiæ*, referente Eminentiss. Sacchetto, atque habetur in Statuto Cleri Romani *capit.* 2. §. 6.

Quilibet autem Parochus in propria Ecclesia 84
omnibus aliis Parochis præcedit, excepto Capitulo Cathedralis, quia secluso hoc casu de interventu Capituli Cathedralis respectu præcedentiæ, quilibet in domo sua regulariter dicitur major. *L. Nihil omnino* 4. *& ibi* Glossa final. *Cod. de Palatinis sacrar. largition.* & expresse cum aliis Rota *recent. par.* 1. *decis.* 616. *num.* 3. Rectores autem Ecclesiarum in propriis Ecclesiis dicuntur esse in propria domo, *cap. duo* 23. *quæst.* 4. Abbas *in cap. Venerabilem*, *de elect. nu.* 19. cum aliis relatis per Gonzalez *ad Regul.* 8. *gloss.* 6. *num.* 102. Quinimmo 85
in ea sunt Reges, & Imperatores: Unde etiam Rex existens in aliena domo, debet cedere Domino, ut notat Decian. *Consil.* 67. *num.* 12. *&* 13. *volum.* 2. Solorzan. *in allegat. pro supremo Concil. Indiar. super præcedent. num.* 92. Besold. *dissert. de præcedent. cap.* 3. *n.* 15. & expresse Pignatell. *tom.* 3. *consultat.* 17. *num.* 14. Vide tom. 8. in Appendice, Decreta Sac. Congreg. Concil. in *Maceraten. Jurium Parochial. in respon. ad* 6. *&* 7. *dub.*

Prior enim in propria Ecclesia, etiamsi sit aliis 86
Parochis inferior, dicitur pro se habere juris assisten-

stentiam in præcedendo cæteris aliis, ad text. *in cit. l. Nihil omnino, Cod. de Palat. Sacr. largit.* & *ibi* etiam Glossa final. Decian. *consil. 63. nu. 12. & sequent. volum. 2.* & Rota *in Calaguritana præeminentiarum de victoria 16. Novemb. 1591. coram Penia.* Abbas *in cap. Postulastis num. 8. de concess. Præbend.* Geminian. *in cap. A collatione num. 7. de appellat.* Put. *decis. 104. num. 4. 5. & 6. lib. 3. in correct.* allegat. a Rota *recent. par. 5. tom. 1. dec. III. num. 6. & 27.* & ita expresse resolvit *Sac. Rit. Congregatio in Asculana 23. Maii 1641.* apud *Pignatell. tom. 7. consultat. 46. num. 6.* ubi expresse dicit, quod prædicta eo magis locum habent in Ecclesia propria, etiamsi Parochus alter sit dignior, citans ad id, Abbatem, Gonzal. & Gratian. & asserens id sæpius declarasse eamdem *Sac. Cong. Rit.* Et ad hoc facit etiam, quod nec Episcopo extra suam Ecclesiam, & Diœcesim conveniunt ea, quæ proprio Episcopo in sua Ecclesia, & Diœcesi debentur, ut declaravit *ead. Sac. Rituum Congregatio in Policastren. 21. Augusti 1694.* hi verbis: *Episcopo extra suam Diœcesim, & in loco, in quo non habet jurisdictionem, non conveniunt ea, quæ proprio Episcopo in sua Ecclesia, & Diœcesi debentur*: Sic apud Pignatell. *tom. 3. consult. 54. num. 3.*

87 Attendenda tamen semper in his legitima consuetudo, quæ in materia præcedentiæ inducitur per decem annos, eaque præscribitur. Ciriac. *controv. 201. num. 169.* Pignatell. *tom. 6. consult. 67. num. 5.* cum pluribus ibi allegatis. Rota *in Mutinensi præcedentiæ 25. Junii 1683. & par. 5. recentior. decis. 483. numer. 1.* Etiamsi sit contraria juris dispositioni, cum ipsa habeatur pro jure, & prævaleat etiam ipsi juri Ciriac. *loc. cit. n. 171.* Seraphin. *decis. 964. num. 1.* Gregor. *decis. 224. num. 2.* Sperell. *decis. 36. num. 4.* Pignatell. *loc. cit. num. 3.* Et Rota *in dict. Mutinens.* accedente præsertim scientia, & patientia adversarii, Greg. *decis. 417. num. 2.* Coccin. *decis. 26. num. 3. & decis. 31. n. 6.* apud Post. *de manutenent.* Pignatell. *loc. cit. n. 3.* Rota *recent. par. 2. decis. 716. num. 3.* quæ consuetudo nec interrumpitur per reclamationem, in qua quis succubuit. Rota *recent. par. 4. tom. 2. decis. 214. nu. 2. & 3. & par. 29. tom. 1. decis. 99. nu. 10. & sequent.* Et actus quamvis unicus tribuit quasi possessionem manutenibilem in materia præcedentiæ. Rota *recent. par. 11. dec. 320. num. 14. & par. 14. decis. 148. numer. 8.* Præsertim constito de bono jure. Rota *recent. par. 17. decis. 156. n. 13.* Licet secus sit, ubi actus sit æquivocus, Rota *recent. par. 11. decis. 320. numer. 32.*

88 * Parochus loci, ubi quis obiit, cadaver associans semper habet præcedentiam supra alios, quoadusque est intra limites Parœciæ suæ. *Institut. Ecclesiast. 105. §. 54.*

Additiones ex aliena manu.

89 Consuetudinem utramque paginam facere in subjecta materia præcedentiæ, proverbii loco dici solet.

90 Nihilo tamen minus gravis est quæstio, an sit servanda consuetudo, per quam minus dignus præfertur magis digno? Varii in varias abierunt sententias; Rota vero processit hac cum distinctione, ut si agatur de præferendo minus digno *in omnibus actibus*, stari minime debeat huic consuetudini; sin vero res sit de prælatione minus digni magis digno *in aliquibus tantummodo actibus*, recedi haud possit ab hac consuetudine. Vide Decisiones *in Capuana, seu Casertana Processionum super præcedentia 10. Martii 1743. §. 8. cor. bon. mem. de Vais*, & *17. Junii 1746. §. 8. cor. Eminentiss. Elephant.* ubi, quod procedit, tum si triginta, vel quadraginta annorum, tum & maxime si centenaria, vel immemorabilis sit consuetudo. 91 92

Sed dubitari non immerito potest, an hæc distinctio locum sibi vindicare queat, ubi ex dispositione expressa Ritualis, vel Cæremonialis Episcoporum, magis dignus obtinere debeat præcedentiam supra minus dignum in actu particulari? Sacrum Tribunal Rotæ etiam in hoc casu admittere videtur mox dictam distinctionem, in mox allegatis decisionibus; sed præter causæ illius necessitatem: nam ut habet *Decisio diei 17. Junii 1746. §. 7.* præcedentia in illo casu non descendebat ex Rituali, vel Cæremoniali. Magis arridet sententia eorum, qui hoc in casu tenent, servandam haud esse consuetudinem, ex Decreto irritante, quo munitæ sunt Constitutiones confirmatoriæ Ritualis, & Cæremonialis; *Sperell. decis. 179. num. 34. & plur. sequent.* Confer *& Clericat. de Benefic. disc. 68. num. 6. & plur. sequent.* 93 94 95

De præcedentia, ubi res postulat, consule *Jacobum Gothofredum de jure præcedentiæ*, qui accuratissime de ea agit. 96

PRÆCEPTUM. Vide verb. *Lex art. 1. a n. 16 ad 19.*

PRÆDICARE, PRÆDICATOR.

Prædicare tenentur Episcopi, & hoc est præcipuum eorum munus, ac per se, vel per alios in casu legitimi impedimenti id facere debent. Concil. Trid. *sess. 5. cap. 2. de reform.* ibi: *Quia vero Christianæ reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus, statuit & decrevit eadem Sancta Synodus omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium; Si vero contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam Concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni. Et sess. 24. de reformat. cap. 4.* ibi: *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est &c.* Concil Mediol. *part. 1. de prædicat. Verbi Dei*, ubi post multa de gravi obligatione Episcoporum prædicandi Verbi Dei subjungit: *Quod* 1

Quod si levi de causa, quodam animi languore impediti non fecerint, sciant sibi prætermissi necessarii Officii Judici Deo præcipue rationem esse reddendam; Sin autem se interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos ex præscripto ejusdem Concilii deligendos hoc munus studiosissime populo præstent. Unde in Episcopali consecratione cuilibet Episcopo dicitur; *Accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commisso.* Et ideo Apostolus hanc strictam, & gravem prædicandi in Episcopis obligationem agnoscens, tremens 1. *ad. Corinth. cap.* 6. scribit: *Væ enim mihi, si non Evangelizavero.*

2 Item prædicare tenentur Parochi per se, vel per alios; Concil. Tridentin. *cit. sess.* 5. *de reform. cap.*2. ibi: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, &c.* Concil. Mediolanens. *loc. cit.*

3 Immo Parochi, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio suo prædicandi muneri defuerint, possunt ad id per Censuras compelli, seu per alias pœnas arbitrio ipsius Episcopi, & etiam per subtractionem fructuum Beneficii, alteri, qui id præstet, persolvendorum, textu expresso in Concilio Trid. *cit. sess.*5. *c.* 2. ibi: *Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens Officium suum impleat.* Quomodo autem, & quando peccent Parochi in hoc deficientes? Vide verb. *Parochus art.* 2. *n.* 71. 72. & 73.

4 Prædicandum est per annum saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus Festis: Tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint Episcopi. Sic expresse Concil. Trident. *citat. sess.* 24. *de reform. cap.* 4. Et Prædicator dicit salutationem Angelicam semper, non vero *Regina Cæli*, etiam tempore Paschali. Ita Cæremon. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 22. §. 3. Merati *tom.* 1. *pag.* 2. *tit.* 6. *numer.* 38. *vers. Postquam.*

5 Per ly *Tempore jejuniorum* intelligitur solummodo tempus Quadragesimæ, & Adventus, non autem tempus Vigiliarum. Sic decisum refert Barb. *ad Concilium Trid. cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 5. *numer.* 14. & *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3.
6 *alleg.* 76. *nu.* 30. ubi insuper addit decisum fuisse per dictum *cap.* 4. *Concilii Trid.* relinqui arbitrio Episcoporum, an tempore Quadragesimæ, & Adventus quotidie, vel tribus diebus in hebdomada, vel minus illis tribus diebus prædicetur; Dicit enim Concilium: *Si ita oportere duxerint.* Et de facto tempore Adventus solis Dominicis, & Festivis diebus prædicari solet, ut etiam Romæ practicatur, & tempore Quadragesimæ pluribus in locis solet prædicari solum tribus diebus in hebdomada, etiam in Ecclesiis majoribus, & Cathedralibus, & teste Barbosa *cit. alleg.*76.*n.* 30. in Regno Portugalliæ singulis diebus per loci Ecclesias distributis in Quadragesima, excepto Sabbato, prædicatur.

Prædicationis tempore in Ecclesiis separata, seu distincta sint loca virorum, & mulierum. Concil. Mediolanense 1. *p.* 1. *tit. de prædicatione Verbi Dei*; ibi: *Concionis audiendæ causa loca virorum, & mulierum, si fieri potest, Episcopi cura distinguantur; Qui ad id exequendum idoneos aliquot viros adhibeat, & a sæcularibus Magistratibus, si opus erit, auxilium petat.* Unde omnes etiam Regulares tenere debent in Concionibus velum divisivum mulierum a viris. *Sac. Congr. Episc. & Regul. in Fanensi* 22. *Maii* 1609. apud Nicol. *in Floscul. verb. Prædicator num.* 20. & apud Pignatell. *t.* 4. *consul.* 206. *num.* 72. 7

Concionandum est Judæis semel in hebdomada, qui tenentur ad Concionem accedere. Gregor. XIII. Const. 92. incip. *Sancta Mater.* 8

Prædicationem in Ecclesia omnes possunt audire, Gentiles, Judæi, & Hæretici. Conc. Cartag. IV. *cap.* 48. 9

Prædicationis tempore interesse tenentur Episcopi non impediti, Clerici, & alii ejusdem Ecclesiæ. Conc. Mediolanens. 1. *par.* 1. *tit. de prædicatione Verbi Dei*; Unde potest Episcopus statuere, ne Canonici, & alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, & quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint. *Sacra Congr. Episcop. in Comens.* 16. *Maii* 1580. *in Castellaneten.* 20. *Aug.* 1602. & *Sacr. Congreg. Concil. in Nicien.* 18. *Novembris* 1628. 10 11

Prædicationis tempore non potest in Ecclesia dici Missa. Conc. Coloniens. III. *tit. Censuræ cap.* 19. Concil. Mediolan. *part.* 1. *tit. de prædicat. Verbi Dei.* Prædicationis tempore prohibendi sunt populi stare otiosi in Foro, seu in Platea. Concil. Treviren. *cap.* 10. 12 13

Non est prædicandum de nocte, sed tempore præscripto ab Ordinariis. Concil. Mediolanens. 1. *p.* 1. *tit. de prædicatione verbi Dei*; Unde nulla Concio, neque Passionis Dominicæ debet fieri de nocte. *Sacr. Congreg. Episc. & Regul. in Castrensi* 20. *Martii* 1629. apud Nicol. *in Floscul. verb. Prædicator num.* 17. & apud Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 206. *num.* 72. 14

Si Concio habeatur tempore Missæ, debet haberi statim post Evangelium, vel post *Credo*, si in dicta Missa tali die dicatur; Rubricæ enim vetant, ne habeatur post Oblationem. Quod si Celebrans ipse concionetur, deposita Casula, & Manipulo, sedet ad cornu Evangelii, vel ascendit Cathedram. Si quis tempore Missæ sit concionaturus coram Episcopo loci, circa initium Evangelii genuflexus petit ab illo Benedictionem per *Jube Domne benedicere*, osculata Episcopi manu, postmodum Cathedram ascendit, & de more concionatur. Prædicator, si concionetur, dum est expositum SS. Sacramentum, stat nudo capite, ex Decreto *Sacræ Congregat. Rit.* 16. *Febr.* 1630. ibi: *Ne fiat Concio coram SS. Sacramento in Altari exposito capite tecto*, & habetur in Instructione edita de mandato Clemen- 15 16

Clementis XI. ab Eminentissimo Urbis Vicario *die* 20. *Jan.* 1705. pro observandis in Oratione 40. horarum cum expositione SS. Sacramenti *nu.* 22. quæ refertur sub verb. *Eucharistia n.* 64.

17 Prædicare non possunt Laici cujuscumque sint Ordinis, & Professionis; textu expresso *in cap. Sicut* 14. *de Hæreticis*, ibi: *Cum igitur nonnulli Laici prædicare præsumant, & verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum subintrent. Nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi præcipuus: mandamus, quatenus cum alios Dominus Apostolos dederit, alios Prophetas, alios vero Doctores, interdicas Laicis universis cujuscumque Ordinis censeantur, usurpare Officium prædicandi*, & concordat *cap. Cum ex injuncto* 12. *eod.* Concil. Carthaginens. IV. *c.*68. Conc. Trevirens. II. *c.*2. Im-

18 mo Laici prædicantes subjacent Excommunicationi, & nisi quamcitius resipuerint, alia competenti pœna sunt plectendi; textu expresso *in cap. Excommunicamus* 13. *de Hæreticis*, §. *Quia vero*, ibi: *Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, cum idem Apostolus dicat (quomodo prædicabunt, nisi mittantur?) omnes, qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice, vel privatim prædicationis Officium usurpare præsumpserint; Excommunicationis vinculo innodentur, & nisi quam citius resipuerint, alia competenti pœna plectantur*; & concordat Concil. Constantiens. *sess. ultim. in Constitutione Martini V. circa finem*, & sic expresse decrevit *Sacra Congreg. Conc. die* 23. *Jun.* 1580. apud Fagnan. *in c. Responso* 43. *de sentent. Excommun. n.* 19.

19 Et a fortiori prædicare nequeunt Mulieres, *l.* 3. *Constit. Apostolor. cap.* 6. ibi: *Igitur mulieribus, ut in Ecclesia doceant, non concedimus, sed tantum ut precationes faciant, & audiant Doctores: Noster enim Magister, ac Dominus Jesus Christus, cum nos duodecim ad docendum populum, & gentes misit, nusquam mulieres ad prædicandum misit, tametsi non deerant. Erant enim nobiscum Mater Domini, & sorores ejus præterea .... Sane quidem si necesse fuisset, ut mulieres docerent, ipse primus iis quoque mulieribus, quæ nobiscum erant, populum erudire præcepisset. Si enim vir caput mulieris est, non est æquum reliquum corpus capiti præesse*; & concordat *cap. Mulier* 29. *dist.* 23. Concil. Carthaginens. IV. *cap.* 68. Concil. Constantiens. *sess. ult. in Constit. Martini V. circa finem*.

20 Potest tamen prædicationis munus ab Episcopo committi etiam Clerico, qui non sit in Sacris Ordinibus constitutus. *Sac. Cong. C. die* 23. *Junii* 1580. apud Fagnan. *in cap. Responso* 43. *de sentent. Excom. nu.* 19. Apud Barbos. *in Summa Apostol. dec. verb. Prædicator nu.* 6. *& de Offic. & potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 76. *n.* 45. *& ad Conc. Trid. sess.* 5. *de reform. cap.* 2. *num.* 4. Possevin. *de Offic. Curati cap.* 3. *numer.* 14.

21 Regulariter vero facultas prædicandi non conceditur, nisi Sacerdotibus, vel saltem constitutis in Ordine Diaconatus; Unde *Sac. Cong. in una Caputaquen.* 14. *Decembris* 1696. cuidam Clerico Andreæ Sanson. ætatis annorum viginti unius licentiato in Philosophia, & Theologia prædicare volenti tempore Quadragesimæ in uno ex locis dictæ Diœcesis, & contra Episcopum ei talem licentiam denegantem ad dictam Sacram Congregationem pro facultate recurrenti respondit *Relata*. Et quod talis facultas non sit concedenda, nisi saltem constitutis in Ordine Diaconatus, fuit expresse ordinatum in Edicto de mandato Clementis XI. publicato, *die* 20. *Jannar.* 1705. ibi: *Quello poi dovrà sermoneggiare, sarà almeno constituito nell' Ordine Diaconale*.

Episcopus potest prædicare in quacumque Ecclesia, etiam Regulari, suæ Diœcesis, nec ab ullo potest impediri, & prohiberi. *Sac. Congr. Episc. & Regul. die* 17. *Januar.* 1584. apud Barbosa *in Summa Apostolic. dec. verb. Prædicare num.* 1. *& ad Concil. Trident. sess.* 24. *de reformat. cap.* 4. *numer.* 3. apud Lezan. *in Summ. qq. Regular. tom.* 3. *verb. Concionari n.* 13. & apud Nicol. *in Floscul. Verb. Prædicator n.* 14. Non potest tamen prædicare extra suam 23 Diœcesim sine licentia Ordinarii loci. *Sac. Cong. Episcop. & Regular. in Theatina* 12. *Decembr.* 1614. apud Nicol. *loc. cit.* 22

Episcopo prædicanti per se ipsum in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet etiam ex prætextu paupertatis prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari Prædicatoribus electis ab Universitate. *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in Vestana* 20. *Martii* 1621. apud Sellium *in Selectis Canon. cap.* 23. *n.* 18. & Barbos. *ad Conc. Trid. cit. sess.* 24. *cap.* 5. *n.* 4. & Gavant. *in Manual. Episcop. verb. Concio Sacra n.* 2. 24

Quando ipsemet Episcopus prædicat, silere debent alii Concionatores, illisque poterit præcipere ut eo tempore a prædicatione se abstineant. Sic de mandato Urbani VIII. statuit *Sac. Cong. Conc. in Bituntina* 2. *Maii* 1629. Vide verb. *Parochus art.* 3. *num.* 74. 25

Possunt tamen Parochi per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse prædicat. Sic censuit *eadem Sacr. Cong. Conc. in Terulen.* 11. *Junii* 1631. ubi subdit, id non intelligi respectu Parochorum in sua Ecclesia Parochiali. Ita apud Barb. *de Offic. & potest. Parochi par.* 1. *c.* 14. *n.* 3. 26

Parochi, si per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri. *Sac. Congr. Conc. ad cap.* 2. *sess.* 5. *de ref.* in hæc verba: *Si Curatores animarum per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri*. Sic refert Barbosa *loc. citat. num.* 5. 27

Immo tempore Quadragesimæ possunt de mane in suis Ecclesiis prædicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice, vel alia Ecclesia concionetur. *Sac. Cong. Conc. in Florentina Juris prædicandi* 26. *Januarii* 1697. apud Monacell. *par.* 1. *tit.* 10. *form.* 19. *n.* 4. 28

Parocho per se ipsum concionanti in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet prætextu cujuscumque paupertatis prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari Prædicatoribus ab Universitate electis. Vide verb. *Parochus art.* 2. *n.* 77. 29

Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere 30 Con-

Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi prædicare vellet aliquis Episcopus. Vid. d. verb. *Parochus art.* 2. *n.* 78.

31 Possunt tamen Parochi dare licentiam alicui viro docto, & noto, etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in suis Ecclesiis sine Episcopi approbatione. Vid. d. verb. *Parochus artic.* 2. *numer.* 79.

32 Et a fortiori possunt, immo debent Parochi concedere approbatis ad Ordinario licentiam prædicandi in suis Parochiis. Vide d. verb. *Parochus art.* 2. *num.* 80.

33 Approbare Prædicatores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios. *Sacra Cong. Episcop. & Regul. in Aquensi* 8. *Aprilis* 1603. apud Nicol. *in Flosculis verb. Prædicator num.* 15. Unde
34 Prælatus exemptus inferior Episcopo, qui non habet Territorium separatum cum vera qualitate *Nullius*, non dat licentiam, neque Benedictionem Prædicatoribus, qui prædicare debent in locis suæ Jurisdictionis, sed ista facultas spectat ad Episcopum, in cujus Diœcesi locus exemptus existit. *Sac. Cong. Conc.* 21. *Novemb.* 1596. Pign. 10. *cons.* 151. *n.*16. & 17. Card. Petra *t.* 4. *Commentar. ad Const.* 4. *Calisti III. sect.* 2. *n.* 57. & *seq.* ubi adducit plures *S. C. C.* & Rotæ decisiones.

35 Hinc ad Episcopum spectat dare Benedictionem Concionatori, qui prædicare debet in Ecclesia Conventuali Ordinis Militaris S. Stephani, ut declaravit *Sac. Congr. Conc. in Pisana Jurisdictionis* 21. *Fe-*
36 *bruarii* 1688. *in responsione ad* 18. Item ad Episcopum Diœcesanum spectat dare licentiam, & Benedictionem Prædicatoribus, qui debent prædicare in Ecclesiis Prioratuum Religionis Hierosolymitanæ non habentium Territorium separatum cum Jurisdictione quasi Episcopali, & vera qualitate *Nullius*. Sic *Sac. Cong. Conc. in Vulturariensi* apud Card. Petram *loc. cit. num.* 58. ubi refert totum Decretum, & etiam plures decisiones Sacræ Rotæ Romanæ.

37 Ordinarius debet eligere Prædicatores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore. *Sac. Cong. Conc.* apud Zerol. *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Prædicatio* §. 7. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 76. *num.* 5. & *in Summ. Apostolic. decision. verb. Prædicator. nu.* 12. & *supra*
38 *Concil. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *n.* 5. Electio tamen, & deputatio Prædicatoris in sua Cathedrali spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quæ competeret Capitulo, seu Episcopo cum Capitulo, vel de consilio Capituli. *S.C.C. in Abulens.* 3. *Augusti* 1586. apud Barbosa *in Summa Apostolic. dec. verb. Prædicator n.* 11. & *supra Concil. loc. cit. num.* 6. & *seq.* & *cit. allegat.* 76. *n.* 6. & Pignatell. *tom.* 4. *consult.*
39 206. *num.* 41. Unde Capitulum in electione Prædicatoris pro Ecclesia Cathedrali nihil potest. Sic *Sac. Congreg. Conc.* apud Barbosa *in Summa loc. cit. num.* 8. & *supra Conc. loc. cit. num.* 8. & *cit. alleg.* 76. *n.* 7. Addenda sunt sequentia resoluta dubia a Sac. Congr. Conc. die 5. Sept. 1705. in Urgellen. juris concionandi, videlicet.

Primo: an Concionator deputatus ab Episcopo ad prædicandum in Cathedrali, aliisque Ecclesiis in ejus ambitu existentibus, teneatur exhibere Litteras Patentales Capitulo in casu &c.

Secundo: an liceat Capitulo, seu ejus Decano retinere clavem pulpiti ejusdem Ecclesiæ Cathedralis?

Tertio: An Episcopus procedere possit per censuras in casu, quo Decanus, & Canonici se opponant in casu &c. non obstante quod Capitulum se tueretur observantia sibi favorabili, ac prætensione ordinariæ jurisdictionis super Ecclesia Cathedrali, ejusque ambitu?

Sacra Congregat. die qua supra, respondit: *Quoad primum, & secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative, & amplius in omnibus.* Sic apud Scarfanton. *part.* 3. *addit.* 18. *num.* 11. per tot. ubi multa alia adducit ad rem.

Si Civitas, seu Universitas sit in possessione 40
nominandi, & præsentandi Prædicatorem pro Cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manuteneri in tali possessione; At si Episcopus vellet Jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest), non posset eamdem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas, & eleemosynam subministrare. Sic pluries respondit *Sac. Congreg. Conc.* apud Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 206. *num.* 41. & apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 11. *formul.* 7. *n.* 14. & signanter 11. *Junii* 1596. Decreto tenoris sequentis: *Sacr. Congr. Conc. censuit, esse in electione Episcopi, vel deputare in sua Cathedrali Prædicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere consuevisset; Vel prædictam nominationem ipsi populo relinquere, ita ut si Episcopus Prædicatorem eligat, populum ad elemosynas Prædicatori erogandas non compellet. Verum si populum prædicta facultate eligendi Prædicatorem uti permiserit, tunc populum ad solitas eleemosynas præstandas cogere poterit*; & *in Urbinaten.* 7. *Junii* 1698. *in Æsina* 30. *Septembr.* 1701. *in Neccastren.* 6. *Octobr.* 1703. apud Monacell. *part.* 2. *tit.* 3. *formul.* 8. *n.* 3. & sic pluries respondit etiam *Sac. Cong. Episcop.* apud Pignatell. *loc. cit.* & Monacell. *par.* 1. *loc. cit. n.* 14.

Nec in tali casu Pensionarii Mensæ Episcopa- 41
lis contribuere tenentur ad dictam eleemosynæ taxam, seu Prædicatoris manutentionis expensas. *Sac. Congr. Conc. in Nullius* 29. *Maii* 1649. in qua sic habetur: *Sacra Congregatio Concilii censuit, Pensionarios Mensæ Episcopalis non teneri contribuere pro rata expensis, quas Episcopus annuatim solvit ex fructibus Mensæ Prædicatori in Cathedrali concionanti*, *lib.* 18. *Decret. pag.* 624.

Et dato, quod Episcopus ab exercitio Jurisdi- 42
ctionis pro aliquo tempore suspendatur, & detur ei Vicarius Apostolicus, adhuc retinet Jus talis electionis, quia si ipse solvit, debet Prædicatorem in Cathedrali eligere, & non Vicarius Apostolicus, ut respondit *Sac. Cong. Episcop. in Sorana* 13. *Febr.* 1699.

Consuetudo immemorabilis nominandi, vel præ- 43
sentandi Prædicatorem Episcopo pro Ecclesiis inferioribus non est sublata, ut decisum fuisse refert Barbosa *supra Concil. cit. sess.* 5. *cap.* 2. *num.* 16. & Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 206. *num.* 26. Unde si Communitas, vel Dominus loci temporalis nominat

nat Prædicatorem, & solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est. *S. Cong. Episcop. in Aprutina, seu Theramen. 7. Febr. 1615. S. C. Conc. in Aquilan. 2. Junii 1696.*

44 Item si Episcopus consueverit eligere, & Communitas solvere, talis consuetudo servanda est; absque eo quod Universitas, seu Communitas possit prætendere nominationem. *Sac. Congreg. Conc. in Ostunen. 15. Novembr. 1692. & in Bovinen. 20. Jun. 1693.*

45 Si autem Communitas, seu Universitas, vel Dominus loci temporalis nominat, & non solvit eleemosynam, tunc nisi consuetudo esset immemorabilis, & probata, posset, & deberet Episcopus hoc Jus impugnare, & sibi vindicare deputando Prædicatorem pro libito; In hoc enim casu nulla concurrit æquitas, neque adest correspectivitas nominationis ad eleemosynam, ut docent Cardinal. de Luca *adnotat. ad Concil. discurs. 3. numer. 6.* Monacell. *part. 1. tit. 11. formul. 7. num. 13.*

46 Communitas dare debet Prædicatoribus mercedem dari solitam, nec potest ipsam imminuere, & reducere ad certam parvam quantitatem. *Sacr. Congreg. Concil. in Viterbien. Civitatis Vetulæ de mense Septembr. 1620.* apud Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Prædicator num. 13.* & pluries *Sac. Cong. Episcop. & Regul.* apud Nicol. *in Floscul. verb. Prædicator n. 21.* & nuper *in Tyburtina contra Universitatem Terræ Poli 4. Julii 1693. referente Eminent. Card. de Judice*, & recurrente P. Bucciarello Monacho Silvestrino. Vide verb. *Alimenta a num. 114. ad 116.* ubi de alimentis Prædicatori debitis.

47 Episcopus prætendens Communitatem teneri præstare eleemosynam pro Prædicatore Cathedralis, tenetur ipse probare consuetudinem immemorabilem. *Sacra Cong. Conc. in Sutrina 10. Mart. 1618. & 10. Julii 1627.* apud Barbosa *in Summa Apostol. dec. verb. Prædicator n. 10.* & apud Sell. *in Selectis Canonic. cap. 8. n. 11.*

48 Habentes Jus nominandi Prædicatorem Quadragesimalem debent illum nominare, & præsentare Episcopo in termino a Synodo Diœcesana præscripto, vel ante Festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, vel duobus mensibus ante Quadragesimam, alias nominatio devolvitur ad Episcopum. *Sacra Congregat. Concil. in Narnien. 24. Februar. 1625. lib. posit. fol. 383. & 446. & in Theanen. 14. Aprilis 1685.* apud Monacell. *part. 4. ad supplement. ad 2. tom. num. 110.* Vel ut habet idem Monacell. *part. 1. tit. 1. formul. 7. num. 1.* debent præsentare Episcopo intra mensem Novembris Quadragesimæ præcedentem; & si præsentatus fuerit rejectus, alium per totum mensem Decemb. nominare, & præsentare, alias pro illa vice jus amitterent, & ad Episcopum devolveretur, & solitam eleemosynam adhuc cogerentur solvere, ut pluries decrevit *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul.* apud Pignatell. *tom. 4. consult. 206. num. 54.* & Nicol. *in Flosculis verb. Prædicator num. 1.* & signanter *in Rossanen. 10. Decembr. 1591. in Marsicensi 13. April. 1612. in Milevitana 22. Jun. 1612. Cassanen. 11. Jun. 1627.* & nuper teste ipso Monacell. *cit. num. 1.* declaravit *Sacr. Congregat. Conc. in Trojana 14. Augusti 1700.* & novissime *eadem Sacr. Congregat. Concil. in Theanen. 1728. ad 2. dub.* respondit, quod Communitas tenetur exhibere Episcopo nominationem Prædicatoris per duos menses ante initium Quadragesimæ. Sic apud Thesaur. Resolut. Sacræ Congregationis Concil. tom. 4.

49 Si tamen nominatio, & præsentatio Prædicatoris fiat re integra, paulo post terminum elapsum, admitti debet, saltem ex gratia. *Ead. Sac. Congr. Episcop. in Nucerina 29. Jan. 1627.* apud Pignatell. *l. c. num. 54.*

50 Item quando habentes Jus nominandi nominaverunt, & præsentaverunt in tempore, si nominatus, & electus postea non vult, vel non potest illuc ire, non idcirco debent privari Jure suo sine culpa; *Ead. Sac. Congreg. Episc. in Narniensi 24. Febr. 1612.* apud Pignatell. *loc. cit. n. 54.* & Nicol. *loc. cit. n. 3. & eadem Sac. Congreg. in Ariminen. 8. Februar. 1686.* apud Monacell. *part. 2. tit. 12. formul. 8. n. 4.*

51 Nisi acciderit in ultimis diebus ante Quadragesimam, quia tunc providebit Episcopus; Nec Universitates habentes dictum Jus recusare poterunt Prædicatorem, vel ei eleemosynam solitam denegare. *Eadem Sacra Congregat. Episcop. in Montis Falisci 18. Septemb. 1648.* apud Pignatell. & Nicol. *loc. cit.*

52 Universitates, seu alii habentes Jus nominandi Prædicatorem, non possunt in suis Patentibus Litteris uti verbis: *Eligimus, & deputamus, ac electum, & deputatum declaramus*, sed debent uti verbis: *Nominamus, & præsentamus*, uti pluries declaravit *Sacra Congregatio Episcoporum & Regular.* apud Pignatell. *loc. cit. num. 54. & sequent.* & signanter in *Cæsenatensi die 17. Septemb. 1655.* & nuper *Sacr. Congregat. Concil. in Sutrina 18. Maii 1686. & in Urbinaten. 7. Jun. 1698. & 10. Januar. 1699.* apud Monacell. *part. 1. tit. 11. formul. 6. num. 3.*

53 Ubi *sub num. 4.* subjungit, quod hæc Regula etiam procedit, quamvis nominatio Prædicatoris ad Generalem alicujus Religionis pertineret, quotiescumque, non pro Religione, sed pro commoditate Universitatis, quæ eleemosynam solvat, in Ecclesia Regulari concio habenda sit, prout censuit *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. in Alatrina 3. Jul. 1693. proponente Eminentissimo Card. de Judice.*

54 Prædicator destinatus ab Episcopo defuncto, vel electus a Rectoribus antiquis, prædicare debet, nec Successores possunt alium eligere. *Sacra Congregat. Episcop. in Acheruntina 2. April. 1601. & 17. Februar. 1645.* & antea in *Mazariensi 15. Decemb. 1687.* apud Pignatell. *loc. c. n. 57.* & apud Nicol. *l. c. n. 4.*

55 Turnus, seu Circulus Concionum, ubi est in usu, debet observari. *Sacr. Congreg. Episcop. in Sutrina 4. Februar. 1611. & in Senogalliensi 3. Novemb. 1612.* apud Pignatell. *loc. cit. num. 56.* & apud Nicol. *loc. cit. num. 7.*

56 Licet alternativa esset inter Universitatem, & Regulares; *Sacra Congregat. Episcopor. & Regular. in una Augustinianorum 22. Jul.*

Jul. 1646. apud Pignatell. *loc. citat. num.* 56. At
57 ubi non est in usu, non debet introduci. *Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. in Firmana* 24. *Januar.* 1617. apud Pignatell. *loc. cit. num.* 56. & Nicol. *loc. cit. num.* 7.

58 Quando partes non sunt concordes, seu vertitur lis inter Episcopum, & Communitatem, Sacra Congregatio solet eligere Prædicatorem, vel præcipere, ut jam electus prosequatur sine præjudicio partium; Ita sæpe *Sacra Congregat. Episcop. & Regular.* & signanter *in Dertonensi* 10. *Novembris* 1645. *& in Montis Falisci* 5. *Martii* 1648. & alibi frequenter apud Pignatell. *loc. citat. num.* 57.

59 In quo casu tenetur Communitas, seu Universitas eleemosynam erogare. *Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in una Civitatis Plebis* 24. *Februar.* 1617. apud Pignatell. *loc. cit. num.* 57. & Nicol. *loc. citat. num.* 6.

60 Casu, quo Parochus velit per se ipsum prædicare, debet id intimare, & notificare iis, qui jus nominandi Prædicatorem habent, ante tempus præfixum ad faciendam nominationem; alias habentes tale jus possent juxta consuetum libere nominare, & eorum nominatio, & præsentatio valeret, essetque executioni demandanda. *Sac. Cong. Episcop. & Regul. in Senogall. inter Parochum Matthæum Fabri, & Universitatem Montis Novi* 16. *Mart.* 1690.

61 Ubi adest consuetudo, quod non prædicetur nisi in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice, Episcopus potest prohibere, ne prædicetur in aliis Ecclesiis, etiam Regularium. *Sacra Congregat. Episcop. & Regular. in Dertonen.* 10. *Februar. & in Asten.* 6. *Septemb.* 1604. apud Monacell. *part.* 2.
62 *tit.* 13. *formul.* 8. *numer.* 5. Excipiuntur tamen Ecclesiæ Parochiales, in quibus prædicatio Verbi Dei prohiberi non potest, si Parochus per se ipsum hoc munus adimpleat, cum ad id Parochus teneatur ex suo Officio. Vide *supra numer.* 26. 27. 28.

63 Episcopus prohibere potest Regularibus, ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad Cathedralem. *Sac. Cong. Conc.* apud Barbosa in *Summa Apostolic. decis. verb. Prædicator num.* 19. & Lezanam *in Summa quæst. Reg. verb. Concionari num.* 13. & Gavant. *in Manual. Episc. verb. Concio Sacra n.* 51.

64 Absque licentia Episcopi Prædicatores non possunt tempore Quadragesimæ, & Adventus, aliisque temporibus commendare in pulpito pauperes, & miserabiles personas. *Sac. Cong. Episcop. & Regul. in Placentina* 20. *Jul.* 1619. apud Barbosa *l. c. num.* 17.

65 Prædicatores etiam Regulares tenentur emittere Professionem Fidei, si ab Episcopo exigatur. Vide verb. *Fidei professio n.* 4. *&* 22.

66 Episcopus examinare potest Prædicatores etiam Regulares prædicare volentes in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt. *Sacr. Congreg. Conc. in Ugentin.* 22. *Januar.* 1628. Clemens X. Constit. incip. *Superna*, ibi: *Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum nom sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus, aut Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quo ad Doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit.*

Et Episcopus licentiam prædicandi semel iisdem 67
Regularibus concessam ob rationabiles causas, licet occultas, Prædicationem tamen concernentes, suspendere potest. Sic præcise Clemens X. in dicta Constitut. *Superna*, ibi: *Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, Prædicationem tamen concernentes, suspendere.*

Non potest tamen Episcopus generatim prohi- 68
bere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent. Sic expresse Clem. X. in d. Const. *Superna*, ibi: *Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.*

Prædicatores Regulares non possunt prædicare, 69
ne quidem in Ecclesiis sui Ordinis, nisi prius a suis Superioribus Regularibus fuerint examinati, & approbati, & ab eis licentiam obtinuerint. Sic expresse Concil. Tridentin. *sess.* 5. *de reform. cap.* 2. ibi: *Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint.*

Insuper Prædicatores Regulares, ut prædicent 70
etiam in Ecclesiis sui Ordinis, debent prius petere Benedictionem ab Ordinario: Sic expresse Concil. Tridentin. *loc. citat.* ibi: *Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis Benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant.* Idem statuit Gregorius XV. Constit. incip. *Inscrutabili*, & Clemens X. Constitut. incip. *Superna*, ibi: *Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere.*

Sufficit autem, ut Regulares in Ecclesiis sui Or- 71
dinis prædicare possint, quod Benedictionem ab Ordinario petierint, quamvis illam non obtinuerint. Sic expresse Clemens X. in d. Const. *Superna*, ibi: *Prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint.*

Dummodo tamen Episcopus expresse non con- 72
tradixerit, quia si Episcopus nedum non concesserit Benedictionem, sed etiam contradixerit, tunc Regulares nequeunt prædicare nequidem in Ecclesiis sui Ordinis. Sic expresse Clemens X. in dicta Constit. *Superna*, ibi: *Quod si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, ne in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato Censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorii XV. prædecessoris Nostri incip. Inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse; Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere.* Et videtur sic prius statuisse Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de reformat. cap.* 4. ibi: *Nullus autem Sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Epi-*

Episcopo, prædicare præsumat, & sic declaravit *Sacra Cong. Concil. in una Foroliv.* 4. *Febr.* 1647. *ad cap* 4. *sess.*24. *de reform.* apud Pign. *tom.*1. *consult.*325. ubi reprobat Peyrinum, Dianam, Mirandam, Villalobum & alios, quos minus recte dicit sequutum esse Barbos. *de pot. Episcop. part.* 3. *alleg.* 76. *num.* 20. Vide ipsum Barbos. *ibi*, *&* *supra Concil. cit. sess.*24. *cap.*4. *de reform. num.*23. ubi ad id affert Litteras Urbani VIII. in forma Brevis directas Emin. Card. de Sandoval Episcopo Giennensi sub dat. 30. *Jan.* 1629.

73 Nec Episcopus tenetur significare Regularibus causam, ob quam contradicat eis, ne prædicent. Sic decrevisse Sacram Congregationem Concilii refert cum aliis Barbos. *sup. Concil. citat. sess.* 24. *cap.* 4. *num.* 22. & Pignat. *tom.* 4. *consultat.* 206. *num.* 68. Et videtur esse juxta mentem dictæ Constitutionis *Superna*; in qua, §. 5. statuitur, Episcopum non teneri significari Regularibus causam, ob quam Confessarios a se simpliciter approbatos ad Confessiones Sæcularium, ab iisdem audiendis suspendat, ibi: *Nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit*. Sic cum aliis Anton. *de regimine Ecclesiæ lib.*7. *cap.*13. *sub num.* 9. Matthæucci *Officialis Curiæ c.*12. *nu.* 5. & alii.

74 Prædicatores Regulares tenentur petere Benedictionem ab Ordinario, etiam quando in quibusvis Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Monialium sibi subjectarum, licet clausis januis, & nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Sic expresse Clemens X. in dicta Constitut. incip. *Superna*, ibi: *Et hujusmodi Benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum Jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis, & nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint*.

75 Hinc non possunt Regulares in propriis Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, nequidem unum sermonem in eorum Festis, etiam extra tempus Adventus, & Quadragesimæ, habere coram populo sine Benedictione Ordinarii, ut colligitur ex citatis verbis dictæ Constitutionis *Superna*, & expresse jam declaraverat *Sac. Cong. Conc. in Vercellensi die* 21. *Mart.* 1643. *ex Tridentin. cap.*2. *sess.* 25. *&* *cap.* 4. *sess.* 24. *de reform.* apud Pignatell. *tom.* 1.
76 *consultat.* 266. Item Regulares, qui occasione recitandi Rosarium in suis Ecclesiis exponunt Sacra Mysteria, & faciunt pias exhortationes, tenentur petere Benedictionem ab Ordinario loci. Sic declaravit *Sacra Congregat. Concil. in una N. die* 14. *Aug.* 1643. apud Pignatell. *tom.* 1. *concl.* 1. *cons.*407.

77 Tempore Quadragesimæ, Adventus, & hujusmodi longi temporis continuate prædicandi non est necesse, quod Prædicatores Regulares singulis diebus pro singulis Concionibus petant ab Ordinario Benedictionem, sed sufficit, quod illam petant, & obtineant in principio, ut aperte colligitur ex Concilio Tridentino *cit. sess.* 4. *de reform. cap.* 2. ibi: *Antequam prædicare incipiant*; Et pro certo tenet Matthæucc. *Official. Cur. cap.* 12. *num.* 5. & alii.

Regulares ad prædicandum in Ecclesiis non suorum Ordinum, nedum indigent Benedictione, sed etiam licentia Episcopi, ultra licentiam suorum Superiorum. Sic expresse Concil. Tridentin. *sess.*5. *cap.* 2. ibi: *In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint; ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant*. Quod confirmavit Gregorius XV. cit. Constitut. incip. *Inscrutabili*. Unde nota, quod Episcopi gratis concedere debent licentiam prædicandi, ibi: *Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant*. Quod & expresse mandatur in *Taxa Innocentiana*, §. *Si dichiara*, ibi: *Si dichiara anche illecito ogni emolumento diretto, e indiretto, e per conseguenza se ne proibisce al Vescovo, o Prelato, Vicario, e Cancelliere, ed ogni altro Ministro, e Famigliare ogni esazione sotto qualsivoglia pretesto anche di mancia, e donativo, nell' infrascritte cose, cioè per la licenza, o Patente di predicare così nella Quaresima, o nell' Avvento, come in tutti li altri tempi, ed in qualsivoglia luogo*. Vide verb. *Taxa*. 78 79

In locis Diœcesis distantibus, & difficilis itineris debet Episcopus aliquem deputare, qui det approbationem, & Benedictionem *Sac. Congregat. Episcop. & Regul.* 20. *Septembris* 1583., *& Sacra Congregat.* 10. *Maii* 1635. quæ scripsit Litteras hortatorias ad Episcopos, qui peramplas habent Diœceses, ut Regularibus longe distantibus Benedictionem, vel licentiam prædicandi concedant per Litteras Patentes, vel per suos Vicarios Foraneos apud Pignatell. *tom.* 4. *consultat.* 206. *numer.*67. 80

Regulares prædicare volentes in Ecclesiis suorum Ordinum non spectat ad Ordinarium eos examinare, sed ad eorum Superiores, *Sacr. Cong. Episc. & Regul. in Salernitana* 19. *Decembris* 1610. Secus autem si Prædicator sit Clericus sæcularis, etiam electus a Regularibus, vel si Regularis prædicare velit in Ecclesiis aliorum Ordinum, etiam ab ipsis Regularibus electus. *Sacr. Congr. Episcop. & Regul. in Cajetana* 15. *Dec.* 1607. apud Pignatell. *cit. consult.*206. *num.*66. 81 82

Regulares nequidem in propriis Ecclesiis possunt tempore Quadragesimæ, & Adventus, aliisque temporibus in Pulpito pauperes, & miserabiles personas absque licentia Episcopi commendare. *Sacra Congregat. Episc. & Regular. in Placentina* 20. *Jul.* 1619. Possunt tamen commendare propria Monasteria. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul.* 8. *Maii* 1602. Ac etiam possunt, dum prædicant in suis Ecclesiis recipere, ac distribuere eleemosynas arbitrio suo, & commendare quemcumque locum pium ex iis, quæ Episcopus edixerit; at extra suas Ecclesias prout Episcopus voluerit. Ad commendandum vero familias, seu personas particulares indistincte necessaria est licentia Episcopi. *Sacra Congregatio Concil. in Paduana* 27. *Nov.* 1626. Sic expresse apud Pignatell. *consult.*206. *num.*69. 83 84 85

Ad

86 Ad prædicandum Monialibus mitti potest quilibet Regularis, modo non alloquatur seorsim aliquam ex ipsis. *Sacra Congr. Episcopor. & Regulari in Montisfalisci* 25. *Mart.* 1591, *& in Hieracens.*
87 2. *Martii* 1592. Etiam pro sermonibus spiritualibus ad crates. *Ead. Sacr. Congr. Episc. & Regul. in Interamnensi* 8. *Jun.* 1563. *& in Taracinensi* 5. *Martii*
88 1608. Vel ad conferendum cum Monialibus sermonem de rebus spiritualibus, sive ad crates, sive ad collocutorium. *Eadem Sacr. Congr. Episc. & Regul.* 2. *Jun. &* 14. *Novemb.* 1601. apud Pignatell. *loc. cit. num.*71.

89 Regulares vero missi ad crates Monialium pro munere prædicationis obeundo peccant mortaliter, & incurrunt Censuras, & pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post Concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis. *Sacr. Congreg. Conc. die* 21. *Maii* 1678. Vide verb. *Moniales art.*4. *num.* 20. *&* 21.

90 Prædicatores Regulares non acquirunt stipendium sibi, sed immediate Monasterio. Donat. *prax. rerum Reg. p.* 2. *tr.* 11. *quæst.* 3. Matthæucci *Offic. Curiæ cap.* 12. & Communis aliorum. Quidquid enim acquirit Monachus, acquirit Monasterio; *c. Statutum* 1. *cas.* 18. *quæst.*1. *cap. Abbates* 17. *caus.* 18. *qu.*2. *c. Quia ingredientibus* 7. *caus.*19. *quæst.*3. *cap. In præsentia* 8. *de probationibus*, *cap. Cum ad Monaster.* 6. *de statu Monach. cap. Dixit in* 6. *de verbor. significatione*, §. *Ne alium*, cum similibus, Fagnan. *lib.* 3. *Decret. in cap. Monachi* 2. *de statu Monachor. num.* 11. & alii passim. Et expresse Concil. Tridentin. *sess.* 25. *de Regularibus*, *& Monialibus cap.* 2. ibi: *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.* Et expressius decr. Clement. VIII. pro reformatione Regul. incip. *Nullus omnino*, §. 3. Vide verb. *Legatum a num.* 88. *ad num.*94. *& verb. Monialis art.*2. *a num.*64. *usque in finem.*

91 Die 7. Octobris 1649. Sac. Congr. S. Officii mandavit, ut Superioribus Religionum notificetur, quod Prædicatoribus significent, ut caveant ab allegatione Doctorum, & Auctorum modernorum, præsertim viventium, apud Nicol. in *Flosculis verb. Prædicator num.*28.

92 Prædicatores non possunt publicare Indulgentias non publicatas per Ordinarios Locorum. Concil. Trid. *sess.*21. *cap.*9.

93 Protonotarii extra numerum possunt concionari cum amiculo brevi, passim Mantelletta, & Carbasina Præsulari, vulgo Rocchetto. Sic probat Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 22. adducens ad id Decretum *Sac. Cong. Rit. in una Mazariensi die* 28. *Septembris* 1630.

94 Prædicatores debent salutare prius Capitulum, quam Magistratum; In causa enim Capuana fuerunt proposita, & resoluta sequentia dubia:

I. An Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ debeatur præcedentia super Magistratum Sæcularem ejusdem Civitatis in omnibus functionibus Ecclesiasticis?

II. An Concionator debeat salutare prius Capitulum, vel Magistratum?

III. An absente Archiepiscopo Magistratus debeat salutari cum titulo Illustrissimi, & Capitulum cum titulo Reverendissimi?

Sacra Congregatio Rit. 23. Januarii 1700. respondit.

Ad I. Deberi.

Ad II. Affimative.

Ad III. Negative in casu proposito.

Et jam in alia Vercellensi 2. Augusti *1691.* de- 95
claraverat, quod Concionator debet prius salutare Canonicos, quam Gubernatorem Civitatis. Sic apud Monacel. *par.*4. *supplem. ad* 1. *tom. num.* 19. 20. *&* 21. Et in eadem Vercellensi .... Cum *sub die* 11. *Augusti* 1691. Sacrorum Rituum Congregat. ad instantiam Canonicorum Cathedralis Vercellen. declaraverit, a Concionatore salutandos esse prius Canonicos dictæ Cathedralis in apparatu Chorali, absente Episcopo, capitulariter sedentes, & deinde Gubernatorem; modo exortum fuit dubium, an hoc procedere debeat, etiam præsente Episcopo? Et eadem Sacra Congregatio respondit: *In decisis, etiam præsente Episcopo die* 24. *Januar.*1693. Quæ Decreta videntur intelligenda, ubi Gubernator est Laicus; secus si Prælatus, prout esse solet in Provinciis, & Civitatibus status Ecclesiastici; Sic Joann. Baptista Bassi *Tract. de Sodalitiis q.*19. *sub num.* 15.

Prædicatores institui non debent, nisi sint æta- 96
tis 30. annorum sintque graves, maturi, & docti. Concil. Ravennatens. II. *sub Clemente V. cap.* 13. Conc. Senonens. *in Decret. morum cap.*35. *Extravagant. de privileg. cap.*35. *Inter cunctas.*

Prædicatores tenentur prædicare Sacram Scri- 97
pturam receptam a Sancta Ecclesia, & a Doctoribus Ecclesiæ approbatis sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ. Concil. Coloniens. II. *part.* 6. *cap.* 20. Concil. Lateranens. V. *sess.*11. *Constitut.* 1.

Prædicatores deviantes a communi sensu Pa- 98
trum in exponendis Sacris Scripturis sunt ab Ordinario corripiendi, & a Ministerio abjiciendi. Conc. Mog.IV. *cap.*50.

Prædicatores prohibentur obloqui de Magistra- 99
tu, vel de Episcopo coram populo. Clem. 1. *de privilegiis*. Concil. Mediolan. I. *tit. de prædicatione verbi Dei*; Unde Prædicatores etiam Regulares obloquentes de Ordinario in suis sermonibus, quos habent in Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, possunt ab eodem Ordinario puniri. *Sacra Congregatio Concil. in Vercellen. die* 21. *Martii* 1643. *ex cap.*3. *sess.* 5. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 268.

Prædicatores non possunt redarguere aliquem 100
expresso nomine in actu prædicandi sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ. Conc.Lateran.V. *sess.*11. *Const.*5.

Prædicatores prædicantes scandala, aut erro- 101
res in qualibet Ecclesia, debent ab Episcopo remo-

removeri ab Officio prædicandi, etiamsi sint exempti, & contra ipsos potest procedere prout de jure. Concil. Tridentin. *sess. 5. de reformat. cap. 2.*

102 Prædicatores non debent proponere quæstiones difficiles populo rudi. Conc. Trid. *sess.24. de refor. cap.4.*

103 Prædicari non potest determinatum tempus futurorum, ut Antichristi, vel Judicii; neque vanæ revelationes de his, vel aliis, sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ. Conc. Lateranens. V. *sess.11. Const.1.*

104 Prædicari non possunt novæ inspirationes, vel revelationes, nisi a Papa, vel Loci Episcopo sint examinatæ, & approbatæ, sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ. Concil. Lateranens. V. *cit sess.11. Const.1.*

105 Prædicari non possunt dubia pro certis, neque apocrypha, neque comica, neque anilia, fabulæ, obscœnitates, aut quæ risum movent, sed quæ lacrymas. Conc. Trevirense II. *cap.4.* Conc. Trident. *sess.24. de reform. cap.4.*

106 Prædicari non possunt miracula nova, nisi per Episcopum sint approbata. Concil. Senon. *in Decret. mor. c.4.* Conc. Trid. *sess. 25. dec. de invoc. Sanctorum.*

107 Prædicari & imprimi non possunt sine Sedis Apostolicæ licentia miracula, gratiæ, Beneficia &c. quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione Sanctitatis, nisi fuerit Canonizatus, vel Beatificatus. Urban. VIII. Const.37. incip. *Sanctissimus.*

108 Prædicari non possunt miracula, gratiæ &c. talis mortui non Canonizati, nec Beatificati sine tali licentia Sedis Apostolicæ sub pœnis Clericis Sæcularibus privationis Officiorum, suspensionis a Divinis, & administrationis Sacramentorum; Regularibus vero omnium Officiorum, nec non vocis activæ, & passivæ. Urb. VIII. cit. Const.37. incip. *Sanctissimus.*

109 De mandato SS. injungitur Episcopo, ut prohibeat nobiles Fœminas vulgo *Dame* quæstuare eleemosynam pro Concionatoribus in Civitate Casalen. juxta Edictum ab eodem Episcopo nuper publicatum, & in casu inobedientiæ suspendat Concionatorem, & prohibeat, ne concionetur in ea Ecclesia. *S. C. Imm. in Casal. 17. Jan. 1703. l. 3. Decr. Vall. p.468.*

110 Canonicus Theologus petita, & obtenta licentia a Capitulo potest concionari per alium. *Sacra Congregatio Conc. in Urgellen. 15. Decembris* 1725. ubi ad 11. dubium, *An Canonicus Theologalis concionari possit per alium in casu?* Respondit *posse, petita licentia a Capitulo.* Et reproposita causa *die* 28. *Septembris* 1726. ad 1I. dubium: *An Canonicus Theologalis concionari possit per alium, & quatenus id facere possit petita licentia a Capitulo, sufficiat, quod eam petat, vel ulterius necessarium sit, quod obtineat?* Respondit: *Quoad secundum teneri petere, & obtinere licentiam a Capitulo, salvo recursu ad Episcopum.* Sic apud d. Thes. Resol. Sac. Cong. Conc. *tom.3.*

111 Conciones in Ecclesiis de die haberi debent; Bened.XIV. tom.1. Constit.137. incip. *Singularem,* §. 3. Conciones in Capella Pontificia, & in Basilica Vaticana habentur inter Missarum solemnia; 112
Idem *ibid.* §.9. Concionatoris Apostolici munus Ordini Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum perpetuo addicitur; Idem Constitut. 75. incip. *Inclytum.* 113

Dum Episcopus per semetipsum prædicat alii, neque Regul. in propriis Ecclesiis prædicare nequeunt, nisi ipse Episcopus permittat. Bened.XIV. de Synodo Diœcesana *lib. 7. cap. 4. num. 6. & 7. ex Decret. Sacr. Congreg. Concil. in Pacen. 26. Aprilis 1607. ad 4. in Brundusina 10. Martii 1645.* 114
Possunt tamen, si Episcopus alios coram se prædicare jubeat. Idem *ibid. num. 7. ex cit. Decret. in Pacen. 16. Aprilis 1607.* Quod si idipsum ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu, & populo faciat, potest Episcopus præcipere Regularibus, etiam sub censuris, ut a prædicando, abstineant. Idem *ibid. num. 7. ex citat. Decret. in Brundusina 10. Martii 1645.* Non expedit tamen ad præcavendas lites, & discordias inter Episcopum, & Regulares, ut id generali Constitutione statuat. Idem *ibidem num. 8.* ex Decreto *Sacræ Congregationis Concilii 2. Julii 1687.* quæ ad evitandas dictas lites & discordias, censuit posse quidem Episcopum in peculiaribus eventibus, in quibus opportunum reputet solemnem indicere concionem coram se ab alio habendam, inhibere Regularibus, ne ea ipsa hora in suis Ecclesiis prædicent; minime tamen expedire, ut Constitutione, seu Edicto illis generatim prædicare prohibeat, quotiescumque ipse coram se solemniter prædicare faciet. 115 116

* Parochi singuli tenentur concionem habere in suis Ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innocentius XIII. in sua Constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniæ, quam Benedictus XIII. confirmavit, ut esset norma ceteris Ordinariis: *Institut. Eccles. 10. §. 3.* 117

Sufficit tamen pro concione allocutio pia, singulis festis, ut respondit S. Congregatio die 8. Augusti 1732. 118

Concionem proprii Parochi, quam in Parochiali Ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Synodo Diœc. lib. 7. cap. 64. §. 13.* 119

Concionatores si per scurrilitatem *Verbum Dei, veluti in scenam adducant, non levem culpam* committunt, *sed grande piaculum,* ita ex verbis encyclicæ Sac. Congregationis Concilii sub Innocentio XI. datæ *6. Julii 1686. Institut. Eccles. 27. §. 15.* 120

Additiones ex aliena manu.

Præcipuum Episcoporum munus esse prædicare, & quidem per se ipsos, pluribus monstrant *Vanespen. Jur. Eccles. univ. part. 1. tit. 16. cap. 7. fer. per tot.* ubi quod nulla consuetudo Episcopos ab hac obligatione eximere valeat, & *Rousseaud de La Combe* 121

Combe in sua Jurisprud. Canonic. verb. Prædicator sect. 1. n. 1. & 2.

122 Atque hinc descendit, quod nemo regulariter prædicare potest dissentiente Episcopo: *Rousseaud de La Combe ubi supra n. 3.* Confer etiam *Ducass. de Jurisdict. Ecclesiast. cap. 7. sect. 4. n. 1.* Et jure meritoque; repugnat enim ut quis vices alterius gerat, eo contradicente.

123 Quod attinet ad Regulares, *in Conc. Trid.* diu multumque disputatum est, an & ii huic legi obstricti esse deberent. Causam disputationi dederunt privilegia, quibus Regulares a S. Sede donati sunt, *Consule Pallavicin. Histor. Conc. Trid. lib. 7. c. 7.*

124 At *sess. 5. c. 2. de reform.* placuit distinguere Ecclesias suorum Ordinum inter ac Ecclesias non suorum Ordinum. In illis ultra licentiam suorum superiorum necessaria quoque fuit existimata licentia Episcopi. In his vero sufficere visa est simplex Benedictio Episcopi cum licentia suorum superiorum.

125 Decretum hoc in quantum permittit Regularibus prædicare in Ecclesiis suorum Ordinum de licentia suorum superiorum, & vix petita (*) benedictione ab Episcopo, valde displicuit nonnullis Patribus Tridentinis, & præsertim Brachio Martello Episcopo Fesulano. *Acerbe se angi*, inquit in cœtu Patrum super discussione hujus decreti instituta 15. April. 1546. *quod liberum esset Regularibus neque missis, neque vocatis suis in Cœnobiis, per Episcoporum diœceses concionari. Quod*, exclamavit, *quidnam aliud est, nisi permittere, ut Lupi non per ostium, sed aliunde ingressi ovile perturbent?*

126 Deinde in Congregatione generali habita 10. Maii denuo oratione satis prolixa coram Patribus id ipsum urgere, & quidem vehementissime perrexit. Atque hoc in causa fuit, ut *sess. 24. c. 4. de Reformat.* habita die 11. *Nov.* 1563. quum jam numerus Episcoporum esset frequentior, & temporum conditio convenientior, decretum fuerit, ut, *Nullus in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat*. Nec diversum statuit Clem. X. Const. quæ incip. *Superna*, si serio perpendatur.

127 Quo respiciens *Rousseaud de la Combe loc. cit.* §. 2. 5. ait, Regulares sine permissione Episcopi, vix prædicare posse in eorum Capitulis, aliisque locis Monasteriorum Fratribus suis, non item Populo.

128 Sine Episcopi licentia prædicare, & Regulares posse Monialibus subjectis, iisque solis & clausis januis, rescripsit Sac. Congr. Conc. interpres *in Conversana Jurisd. 8. Maii 1751. ad dubium decimumtertium*. Conceptum enim fuerat hoc dubium: *An ad crates Ecclesiæ seu collocutorii, aut alibi, liceat Commissario Monasterii sermonem aut Conciones habere ad Moniales sine Episcopi licentia?* Et responsum fuit *Affirmative pro solis Monialibus, & clausis Janius*. Videtur autem hac resolutione recessum a mox d. Const. Clem. X. (**)

Quod vero concernit Clericos sæculares, a mox 129 dicta lege excipiendi sunt Parochi, tum Canonici Theologi, qui vi propriorum munerum prædicare possunt & tenentur, quin opus habeant licentiam Episcopi impetrare. Cæterum si vel Parochus vel 130 Canonicus Theologus impeditus sit prædicare per se ipsum, nequit alium substituere sine approbatione Episcopi; *Rousseaud de la Combe eod. loc. sect. 3. n. 1. & sect. 5. n. 5.* Quod si vel unus vel alter negligat prædicare, potest Episcopus alium substituere impensis negligentis; secus vero si prædicare velit; *idem Auctor ubi supra*. 131

Notabile est, quod Episcopus potest, ubi ita 132 existimat, non approbare Clericum vel sæcularem vel Regularem ad prædicandum, nec tenetur causam aperire cur illum non approbet. Sin autem 133 ipse Episcopus causam manifestaverit cur illum non approbaverit, eaque minus legitima sit, non prohibetur recursus ad Superiores; *Rousseaud de la Combe ibid. sect. 3. n. 4.*

Quamvis autem Episcopi munus præcipuum sit 134 prædicare; nominatio tamen Prædicatorum potest pertinere ad alios, reservata Episcopo approbatione, sed confer *Rousseaud de la Combe c. loc. sect. 7. n. 6.* de hac nominatione.

De qualitatibus requisitis in Prædicatore vide 135 *Ducasse de Jurisd. Eccles. c. 7. sect. 4. n. 2.* Illud vero non est hic omittendum, necesse haud esse quod Prædicator sit Sacerdos, vel in sacris Ordinibus constitutus, sed satis esse quod sit Clericus, *Ducasse ubi supra*. Consule etiam *Fagnan. in c. responso nu. 14. & plur. seq. de Sent. Excomm.* ubi quod ita resolvit Sac. Cong. Conc. interpres.

De iis, quæ Episcopus Prædicatoribus injunge- 136 re debeat, consule *Acta Eccles. Mediolan. tit. de Concionator.* Confer itidem *Ducasse loc. cit. num. 3.*

(*) Nescio qua fide Additionum Auctor *τὸ vix* in hunc locum intruserit. Gravius autem peccat, cum virulentas Brachii Martelli Episcopi Fesulani in Tridentinis cœtibus xv. Aprilis, & x. Maii habitis declamationes commemorat, quin Lectores moneat, Episcopum illum, non modo a plerisque Patribus improbatum, ac refutatum, sed etiam a Concilii Legato die xviii. Maji gravi Oratione castigatum, *obortis lacrymis* contestatum esse, *haud suæ fuisse mentis, in Synodum vel sedem Apostolicam quidquam cbloqui, quod si quædam ambigua verba exciderant, Patres obtestari, ut in saniorem significationem acciperent*; ut narrat Cardinalis Pallavicinus Historiæ Concilii Tridentini lib. vii. cap. iv. num. 3. & seqq.

(**) Nullo modo S.Congr. Concilii in edenda recitata resolutione a Clementis X. Const. *Superna* recessit. Nam in Resolutione de Commissario, qui Monialium Superior est, non de aliis Religiosis agitur.

PRÆDICATORUM ORDO.

1 PRædicatorum nomen præclarissimo Ordini Dominicanorum ab Innocentio III. concessum est. Sic in Bullario dicti Ordinis in Indice rerum *tom.* 8. *pag.* 771. ubi citatur ad id tom. 1. pag. 5. Const. 3. n. 3. in quo sic expresse: Prædicatorum quo tempore nomen illud nobis fuerit inditum, docet Stephanus Salanchus Auctor coævus in Tract. *de glorioso nomine Prædicatorum cap.* 1. *Celebrato siquidem Conc. Lateranensi An. MCCXVI. Summus Pontifex* (Innocentius III.) *ordinans quædam circa negotium Fidei in partibus Tholosanis agenda, & decernens super his scribere B. Dominico & iis, qui cum eo erant, accito notario, dixit ei: sede, scribe super his Fratri Dominico, & sociis suis in hæc verba.... & stans paululum, noli scribere, inquit, sic; sed hoc modo: Fratri Dominico, & cum eo prædicantibus in partibus Tholosanis..... statimque aliquamdiu considerans plus, sic inquit, scribe: Magistro Dominico, & Fratribus prædicatoribus &c. & surrexit. Sic dixit Dominus, scripsit notarius. Nutu Dei præsens tunc Romæ aderat Pater sanctus, qui audito verbo Domini totius mundi Vicarii J. C. gavisus est gaudio magno valde: nam deinceps in Curia, & ubique, ipse & filii ejus cœperunt se fratres prædicatores vocare, cœperuntque in Curia, & ubique ab omnibus sic vocari.*

2 Qua de causa hoc præclaro nomine Prædicatorum fuerint insigniti, tradit Benedictus XIII. in Constit. incip. *Pretiosus* §. 29. ibi: *Memores porro quantum ex prædicatione verbi Dei Catholica Religio incrementum reportaverit, & quantum proinde meritum sibi comparaverint Fratres hujus Ordinis, quos proinde Sedes Apostolica ab incunabulis ejusdem Ordinis præclaro nomine prædicatorum insignivit &c.*

3 Ast nedum ex prædicatione Verbi Dei, sed etiam ex eorum scholastica Doctrina Catholica Religio maximum incrementum reportavit, ut jure merito Sanctissimi eorum Angelici Doctoris doctrina, nedum a Summis Pontificibus, omnibusque aliis usque ad sidera commendetur, sed & ab ipsomet Christo fuerit semel, bis, & ter commendata præcisis his verbis: *Bene de me, Thoma, scripsisti*; ut proin Sixtus V. effigiem S. Thomæ pingi jusserit sinistra manu Ecclesiam gestantis, dextera vero, qua scribit, magnum luminis splendorem in eam effundentis; hac addita epigraphe: *S. Thomæ de Christo scripta, a Christo Crucifixo probantur*. Unde ad id juvat afferre, quæ traduntur in laudato Bullario *tom.* 5. *pag.* 157. *n.* 6. ibi: Factum referunt antiqui scriptores laudatis in notis ad Constit. XL. Joannis dicti XXII. Ejusdem meminere Summi Pontifices, quorum diplomata postea transcribentur. Ex ipsis Clemens VIII. alloquens Neapolitanos, hæc habet: pie, prudenterque cogitatis de novo Civitati Patrono adsciscendo, Cive vestro, divinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ sanctitate, & miraculis claro, Thoma Aquinate, cujus doctrinæ fuit tantum tributum, ut christianæ eruditionis suæ divinum etiam illud habeat testimonium: *Bene de me, Thoma, scripsisti*. In alio autem diplomate sic loquitur idem Clemens: Doctrinæ (S. Thomæ) testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit. Quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit. Id perenni monumento posteris persuasum esse voluit Sixtus V. prudentissimus Pontifex, cum in Bibliotheca Vaticana S. Thomæ pingi jussit effigiem sinistra manu Ecclesiam gestantis, dextera vero, qua scripsit, magnum luminis splendorem in eam effundentis; addita epigraphe: S. Thomæ de Christo scripta, a Christo Crucifixo probantur. Hac de re legendus Angelus Rocca de Bibliotheca Vaticana. Notat Joannes Diestemius Blærus S. Jacobi Leodiensis Prior Ordinis S. Benedicti art. VIII. Commentarii de Institutione festi Corporis Christi Anno MCCXCVI. conscripti, quod in foribus Ecclesiæ Bolsenæ... depictus ... est B. Thomas sedens ac scribens tamquam doctor in cathedra, circumstante Curia: depictus est insuper Crucifixus, alloquens S. Thomam, coram se super genua adorantem, & dicens: Bene scripsisti de me, Thoma. Ter a Christo Domino commendatam fuisse doctrinam S. Thomæ, referunt Auctores.

Hinc Benedictus XIII. Const. incip. *Demissas preces* retundit calumnias adversus doctrinam SS. Augustini, & Thomæ intentatas, uti & fecit Clemens XII. Constit. incip. *Apostolicæ providentiæ*, retundens calumnias eorum, qui asserebant, censuris Constitutionis *Unigenitus* doctrinam SS. Augustini, & Thomæ Aquinatis de divinæ Gratiæ efficacia esse perstrictam; laudesque, quibus SS. Augustini, & Thomæ doctrina celebratur, confirmat, ne quis eamdem calumnietur, cavet, & scholarum catholicarum paci consulit. Videatur etiam Constitutio Sixti V. incip. *Thiumphantis Jerusalem*, in qua doctrinam SS. Thomæ Aquinatis, & Bonaventuræ egregiis laudibus ornat; asseritque expresse: hi enim sunt duæ olivæ, & duo candelabra in Domo Dei lucentia, qui & caritatis pinguedine, & scientiæ luce Ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duæ stellæ exorientes ex duabus clarissimis Regularium familiis prodierunt, quæ Sanctæ Ecclesiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maxime utiles, & ad omnes labores, & pericula pro Orthodoxa fide subeunda paratæ semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili, & bene culto solo quotidie per Dei gratiam fœcundæ & fructuosæ planctæ procreantur, hoc est, viri Doctrina & Sanctitate præstantes, qui Petri naviculæ tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici ejus clavum non sine magna sullicitudine tenenti, fortem & fidelem operam navant. 4

Crucis obviæ retro incedentibus ubique terra- 5

rum (*) PP. Prædicatoribus familiaris est gestatio; ex laudato suo Bullario *tom.* 8. *in Indice rerum pag.* 637. *& pag.* 320. *n.* XIII. ubi traditur, quod ad dubium inter alia quintum; an liceat dictis Patribus in eisdem processionibus gerere Crucem obviam retro incedentibus? Sacr. Congreg. Rituum die 10. Martii 1736. respondit: ad V. *quoad gestationem Crucis obviæ retro incedentibus, licere &c.* Sic ubique terrarum Fratribus Prædicatoribus solemne est, ut in publicis supplicationibus, seu processionibus, ut loquuntur, Imaginem Crucifixi deferant ad ipsos fratres conversam. Vide etiam ejusdem Bullarii *tom.* 7. *pag.* 392. *& seq.* ubi cum ipso quinto dubio referuntur alia septem proposita, & a dicta Sacr. Congreg. resoluta, die qua supra.

PRÆDICTIONES DETERMINATI TEMPORIS FUTURORUM. Vide verb. *Prædicare n.* 103. & verb. *Astrologia per tot.*

PRÆFATIO.

1 Missæ Præfationes novem pro diversitate temporum, & Festivitatum secundum Romanum Ritum ab omnibus Sacerdotibus recitandæ, fuerunt comprobatæ, & mandatæ a Pelagio II. in Concilio Romano ad id anno 590. celebrato, ut constat ex Epistola ejusdem Pelagii II. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ penes Labbè *t.* 3. *fol.* 913. *Cum in Dei &c.* (**) & referunt Baronius *ad ann.* 590. *num.* 5. *& seq.* Battaglinus *tom.* 1. *Histor. universal. Concilior ad ann.* 590. *fol.* 301. & alii, & tales Præfationes enumerantur *in cap. Invenimus* 71. *distinct.* 1. *de Consecrat.* ibi: *Invenimus has novem Præfationes in Sacro Catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro vetustas in Romana Ecclesia hactenus servavit, idest unam in Albis Paschalibus, aliam de ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate; octavam de Cruce, nonam de jejunio in Quadragesima tantummodo recitandam; Has Præfationes tenet, & custodit Sancta Romana Ecclesia; has tenendas vobis mandamus.* Et de his fit mentio etiam *in cap. Sanctorum* 2. *dist.* 70. (***)

2 Dictis novem Præfationibus addita est decima de B. M. V. ab Urbano II. in Concilio Placentino celebrato anno 1095. ipsam canendo, dum Missam celebrabat in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis ejusdem Civitatis Placentiæ, vulgo nuncupatæ *Madonna di campagna*, nunc a Nostratibus cum Magnifico Conventu inhabitatæ, nec antea compositam, sed ex improviso in illo actu celebrationis Missæ sibi cœlitus inspiratam, ac revelatam, ut refert Battaglinus *loc. cit. fol.* 302. Et additio talis Præfationis habetur expresse *in cap. Sanctorum* 2. *dist.* 70. ibi: *In eodem etiam Concilio antiquo novem Præfationibus decima addita est, quæ ita se habet: Æquum, & salutare: Et te in Veneratione, vel Assumptione B. V. M. collaudare, benedicere, & prædicare. Quæ & Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit, & Virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit Jesum Christum Dominum nostrum.*

3 Præfatio Missæ Sancti Patris nostri Francisci composita a nostro Beato Joanne ab Alvernia, ut refert P. Petrus Antonius a Venetiis nel Giardino Serafico *t.* 2. *part.* 5. *c.* 5. quæque recitatur a Nostratibus in Solemnitate, & tota Octava ejusdem Seraphici Patris, recitari potest, & debet in Festo Omnium Sanctorum nostri Ordinis. *Sac. Cong. Rit.* 22. *August.* 1722. Vide inter *Resol. Sac. Cong.* in nostro tom. 8.

4 In Missa feriæ quartæ Quatuor Temporum occurrentis in die Octava Nativitatis B. Virginis Mariæ, dicenda est Præfatio communis, non vero de B. M.

(*) Ritus iste nec Romæ, nec in pluribus Italiæ Urbibus, a PP. Ordinis Prædicatorum modo servatur.

(**) Ea Pelagii II. Epistola spuria est. Dicendum igitur, Præfationes ad novem fuisse circa XII. sæculum a Romana Ecclesia redactas. Additæ illis postea duæ fuerunt, altera communis antiquissima, quæ Gelasii, seu Gregorii esse creditur; altera de B. Virgine ab Urbano II. instituta. Cæterum Præfationum antiquitatem evincunt Cyprianus in Lib. *de Orat.* Augustinus ep. 57. 120. 156. aliisque in locis, & Concilium Milevitanum *can.* 12.

(***) E. R. Cardinalis Bona Rer. Liturgic. l. 2. c. 10. epist. Pelagii II. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ refert, subditque: „ Hoc ipsum Decretum in antiquis editionibus Gratiani *de Consecr.* dist. 1. cap. *Invenimus*, Gelasio adscribitur. Sed hanc epistolam dum attentius considero, hac suspicione vehementer perculsus sum, ne alterius forte Pontificis recentioris sit, & Pelagio per errorem tributa. Si enim ætate Pelagii illis tantum Præfationibus Romana Ecclesia tamquam dudum in ea receptis, & approbatis utebatur, quomodo Gregorius ejus imediatus successor, sacrorumque rituum tenacissimus custos, alias novas instituit? . . . . . De epistola Pelagii silent scriptores illius, & aliquot sequentium sæculorum. Quod si mea suspicio æquo lectori non placet, hoc saltem negare non poterit . . . Decretum de novem Præfationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, nisi sæculo X., vel XI. Evidens enim est in libris antiquis sacramentorum, qui Romanæ Ecclesiæ titulum præseferunt, plures reperiri Præfationes, vixque ulla Missa est, cui propria, & peculiaris non assignetur. „ Hactenus Bona, qui §. 2. Biblioth. Eccles. par. 2. c. 12. laudat librum, in quo sunt ducentæ quadraginta Præfationes propriæ.

B. M. V. *Sacr. Rit. Congregat.* 12. *Decemb.* 1626.

5 Si festa SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, ac Inventionis Sanctæ Crucis occurrerint infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce, ac *Communicantes* de Ascensione, *Sacr. Rit. Congreg.* 28. *Aug.* 1627. Idem dicendum est de aliis Festis, ac de Missis votivis propriam habentibus Præfationem, & infra eamdem Octavam celebrandis. Non sic autem de Festis occurrentibus infra Octavam Nativitatis Dominicæ, in quibus non solum semper dicitur *Communicantes* ejusdem Nativitatis, sed etiam Præfatio, licet Missa occurrens propriam habeat Præfationem, ut clare patet ex Missa Sancti Joannis Evangelistæ, in qua recitatur Præfatio Nativitatis, non vero Apostolorum. Vide inter *Resolutiones Sacrarum Congregationum* cit. tom. 9.

6 * Præfationem SS. Trinitatis *singulis Dominicis diebus, quibus Præfationes propriæ per rubricas non sunt adsignatæ* recitandam decrevit Clemens XIII. die 3. Januar. 1759. cujus Decretum habes tom. 9. inter Decreta S. R. C. sub *num.* 1602.

Nota ** Illustriss. ac Reverendiss. D. Alphonsus de Ligorio in sua Instructione practica pro Confessariis Italice scripta, *Tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 88. hæc in proposito relati Decreti subjungit: *Si avverta quì di più, che il nostro presente Pontefice Clemente XIII. ha ordinato, che in tutte le Domeniche il Prefazio nella Messa sia* de Trinitate, *purchè non vi sia Prefazio proprio di quel giorno. Si è dubitato poi se dentro la Quaresima, o dentro l' Ottava (per esempio) della B. Vergine, o degli Apostoli, e simili, debbasi dire il Præfazio proprio, o della Trinità. Sin tanto che dalla Sacra Congregazione de' Riti ciò non si dichiarerà, io stimo che dentro le Ottave debbasi dire il Prefazio della Ottava, perchè quello è præfazio proprio del giorno, ma dentro la Quaresima debbasi dire il Prefazio* de Trinitate, *perchè quello della Quaresima non è proprio del giorno, ma del tempo.* Hæc Auctor doctissimus æque ac piissimus, cujus ratio, quando subsistat, valebit etiam pro tempore Paschali. **

PRÆLATUS REGULARIS vide verb. *Regularis Prælatus.*

PRÆSCRIPTIO vid. verb. *Usucapio.*

PRÆSENTATIO, PRÆSENTATUS AD BENEFICIUM.

1 PRæsentatio, quando competit vigore Turni, non dicitur consumpta in primo præsentato, si hic post acceptatam præsentationem renunciavit, vel alias institutio effectum non habuit, ut respondit *Sacra Congreg. Conc. in Bononien.* 10. April. 1680. seu 1681. apud Monacell. part. 2. tit. 15. formul. 1. n. 12. & facit *cap. si electio* 25. *de election. in* 6. ac tenet ibi Barbosa num. 2. & 3. citans Rotam, & alios.

2 Præsentantes, aut Nominantes ad Episcopatus, digniores promovere tenentur. Benedict. XIV. t. 1.
3 Constitut. 5. incip. *Ad Apostolicæ* §. 7. Præsentatio ad Beneficia de jurepatronatus Ecclesiastici, in mense Apostolicæ Sedi non reservato, fieri debet coram Ordinario. Idem tom. 2. Constit. 32. incip.
Dum universi. Si autem patronus sit S. R. E. Car- 4
dinalis habens indultum conferendi Beneficia, etiam reservata, quando præsentat vigore indulti, præsentatio fieri debet coram Pontifice; Idem *ibid.*

Circa præsentationem ad parochialem notanda 5
sunt responsa Benedicti XIV. ad dubia sibi proposita ab Archiepiscopo Florentino in Epistola incip. *Reddita Nobis* 9. April. 1746. I. Patronum Ecclesiasticum teneri in foro externo præsentare ad Beneficium Curatum magis idoneum, & magis dignum inter approbatos ab Examinatoribus. II. Episcopum debere Beneficium conferre præsentato a Patrono absque eo quod inquirat de illius judicio, si inter examinatos nemo de hoc queratur; si vero sit qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere. III. Admittendam esse appellationem in devolutivo tantum, interpositam ab eo, qui se digniorem existimat, & posthabitus est, non retardata possessione præsentati, si Episcopi, & Patroni judicium de magis digno conveniat. Si vero non conveniat, tunc si quis ex approbatis ab examinatoribus & tamquam magis dignus præelectus a Patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, & ideo appellat; ejus appellationem operari debere ad effectum suspensionis: & interim Ecclesiam Parochialem remanere sub œconomo, donec lis finiatur.

Alia ad rem. Vide verb. *Beneficia art.* 3. *a nu.* 69. *&* 6
art. 5. *a num.* 31. tum verb. *Juspatronatus art.* 3. *a num.* 36. *art.* 4. *a n.* 5. *ad num.* 103.

PRÆSTIMONIUM.

PRæstimonium vi nominis idem est *ac præstans* 1
munium, Sic Hostiensis *in c. Postulasti, de Rescriptis*, Menochius *l.* 2. *de Arbitr. Judic. cas.* 20. *num.* 56. & alii. Pro ut autem Præstimo- 2
nium sumitur pro *portione præstimoniali*, nihil aliud est, quam stipendium, quod ab Ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet Canonicis, vel aliis Clericis in vitæ subsidium, præsertim ubi litteris, seu studiis vacant; Menochius *loc. cit. num.* 56. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. *&* 6. & alii passim.

Præstimonia, seu portiones præstimoniales, cum 3
dantur solummodo ad certum tempus in vitæ subsidium, v. g. durante tempore studiorum, non sunt Beneficium Ecclesiasticum proprie dictum. Menochius *loc. cit. num.* 57. *&* 60. Layman *loc. cit. n.* 5. *&* 6. Azorius *part.* 2. *Instit. moral. cap.* 7. *q.* 1. testans de communi; Et ratio est clara, quia de ratione Beneficii proprie dicti est tribuere Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ; Adeoque, cum præstimonia dantur solummodo ad certum tempus studiorum, non sunt Beneficium proprie dictum.

Si autem præstimonia conferantur in titulum, 4
atque in perpetuum, ita ut cum obitu illius, qui accepit, vacent (pro ut in Hispaniis communiter

dari talia Præstimonia testantur Garcias *de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 218. & Fagnan. in *cap. Ad audientiam* 31. *de Rescriptis num.* 62. Gonzalez *ad reg.* 8. *Canc. gloss.* 5. §. 2. & alii) tunc connumerantur inter Beneficia proprie dicta, ut tenent Menoch. *l. cit. c.* 58. *&* 59. Azorius *loc. c. cap.* 7. *qu.* 2. Garcias *loc. c. n.* 117. & alii passim per text. in *cap. ultim. de concession. præbend. in* 6. ubi præstimonia aperte connumerantur inter Beneficia, ibi: *Concessiones super Canonicatibus, Dignitatibus, præstimoniis, & aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis*: in tali enim casu nihil ipsis deficit ex requisitis ad Beneficium Ecclesiasticum.

5 Talia præstimonia in titulum perpetuum Beneficii data, seu collata, quamvis habeant annexum onus spirituale recitandi Horas Canonicas; ex sua tamen institutione nullum servitium in Ecclesia habere solent; Garcias *de Beneficiis part.* 1. *cap.* 2. *num.* 117. cum aliis ibi citatis, Azorius *part.* 2. *Instit. moral. cap.* 7. *quæst.* 1. *vers. In hac Controver.* ubi expresse dicit, quod *qui præstimonia nunc habent, liberi sint ab onere, obligatione, & præcepto residendi in Ecclesiis, quarum sunt præstimonia, ita ut nec per se, nec per alios in sui locum suffectos, inservire ullo Jure cogantur, quod certe horum Beneficiorum est proprium*.

6 Præstimonia autem data solummodo ad tempus; v. g. durante tempore studiorum, cum ex dictis *supra num.* 3. non sint proprie Beneficia, habent solum sæpe adjunctum onus orandi quotidie quinquies Pater, & Ave. Sic refert La Croix *lib.* 4. *num.* 217.

Additiones ex aliena manu.

7 Præstimonia licet antiquis temporibus nihil aliud essent, quam certæ portiones fructuum, quæ a Capitulis Ecclesiarum præstabantur iis, qui Litteris operam navarent, deinde tamen inter Ecclesiastica Beneficia enumerata sunt, & tamquam Beneficia Ecclesiastica conferri consueverunt fere ubique, & præsertim in Hispania, itaut obnoxia sint Apostolicis reservationibus. Confer Rot. in *Aurien. Beneficii de Serboi* 12. *Mart.* 1725. §. *Non relevante, cor. bon. mem. Ratt. &* 25. *Febr.* 1726. §. *Posita, cor. bon. mem. Cerr. &* 12. *April.* 1728. §. *Hujusmodi, cor. mox dicto bon. mem. Ratt.*

PRÆSUMPTIO.

---

1 PRæsumptio generatim sumpta alia est, quæ dicitur filia Superbiæ, & alia, quæ est quoddam probationis genus. *Communis*. Præsum-
2 ptio filia Superbiæ est appetitus temere aliquid aggrediendi supra vires, seu contra Jus; sic cum homo vult temere facere, seu tentare aliquid supra id quod potest, seu contra Jus, dicitur *Præsumptuosus*; Unde Præsumptio, prout importat temere tentare, seu facere aliquid contra Jus, habetur in Jure non semel expressa, & signanter in *cap. Sed nec* 4. *Ne clerici, vel Monachi*, ibi: *Nec ..... Clericorum quisquam exercere præsumat*; Et *Clementin.* 1. *de privilegiis*, ibi: *Religiosi, qui .... a pœna, & culpa absolvere quemquam præsumpserint*; & sæpe alibi. Præsumptio autem, ut est 3
quoddam probationis genus, definitur, quod sit rationabilis conjectura (vel probatio) rei dubiæ collecta ex argumentis, & indiciis, quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt. *Sic in re Communis*; & de Præsumptione sic sumpta erit hic sermo.

Præsumptio igitur sic sumpta ex vi nominis 4
idem est ac *ante, & sumptio*; hoc est *antesumptio*, quia videlicet ante legitimas probationes aliquid sumit pro vero. Ita Simanca *lib. Catholic. Instit. tit.* 50. *de præs.* Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæstion.* 7. *num.* 4. Reiffenstuel *l.* 2. *Decr. t.* 23. *num.* 2. & alii.

Præsumptio alia est Juris, & alia est Hominis. 5
Communis.

Præsumptio *Juris* est, quæ ex Juris auctoritate, 6
ac præcepto procedit, quando scilicet Lex ipsa ex aliquo indicio rem dubiam colligit; Sive quæ in ipso Jure est scripta, vel a Lege approbata. *Sic in re communis*. Præsumptio *Hominis* econtra est, 7
quæ nullo Jure scripta reperitur, sed juxta rerum, circumstantiarumque exigentiam, & varietatem ex variis verisimilibus conjecturis, seu indiciis prudentis Hominis, scilicet Judicis arbitrio, concipitur, seu formatur. *Sic in re communis*.

Pæsumptio Juris subdividitur in Præsumptionem 8
Juris tantum, & in Præsumptionem Juris, & de Jure. *Communis*. Præsumptio *Juris tantum* est il- 9
la, cui Jus tamdiu innititur, donec contrarium probetur; contra hanc enim Præsumptionem probatio in contrarium admittitur. *Sic in re communis*. Hinc de Jure quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus; *ut c. Mandata* 6. *de præsumptionibus*, ibi: *Quia ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus*, & *cap. Dudum* 16. *eodem*, ibi: *Cum prima facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur*. Et contra *ex cap. Semel malus* 8. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Semel malus semper præsumitur esse malus*, intellige tamen in eodem genere mali; ut explicat Glossa *ibid. in casu*, & nisi de emendatione appareat; *cap. Ferrum* 18. *dist.* 50. Item hac præsumptione Juris vicinus præsumitur scire ea, quæ facta sunt in vicinia; *cap. Quosdam* 7. *de præsumptionibus*, in cujus Summario sic expresse habet: *Ex vicinitate præsumitur notitia facti loci vicini*; & concordat *c. Quanto* 8. *eodem*; in cujus Summario sic præcise notatur: *Præsumitur factum notum in vicino loco, quod est notum in remoto*. Item præsumitur filius ex Uxore natus, cum qua vir cohabitavit; *l. Filium* 6. *ff. De his, qui sui, vel alieni Juris sunt*; Item si Chirographum Debitoris sit cancellatum, vel deletum, præsumitur Debitori esse satisfactum; *l. Si Chirographum* 24. *ff. de probationibus*. Et sic de plurimis similibus.

Præsumptio *Juris, & de Jure* est illa, cui Jus 10
adeo fortiter innititur, ut eam plene pro veritate haben-

habendam decernat; Unde hæc præsumptio in Foro judiciali tantum operatur, quantum veritas. Et contra hanc præsumptionem regulariter non admittitur probatio in contrarium: textu expresso in *cap. Is qui fidem 30. de sponsalibus*, ibi: *Contra præsumptionem hujusmodi non est probatio admittenda*.

11 Nisi de contraria veritate aperte constet, quia tunc omnis præsumptio cessat & cedit veritati; *arg. c. Super hoc 5. de renunciat.*, *l. Continuus 137. ff. De verb. significat. l. ultim. ff. Quod metus causa*, *l. Imperatores*, *ff. De probationibus*. Et sic in re *Communis Doctorum*. Et de hac præsumptione *Juris*, *& de Jure* plena exempla habentur in utroque Jure; Sic *in cit. cap. Is*, *qui fidem 30. de spons.* cognoscens sponsam de futuro præsumitur in Matrimonium consensisse, ita ut non admittatur probatio in contrarium; Hodie tamen tale Matrimonium præsumptum propter subsequutam copulam carnalem, tamquam clandestinum est reprobatum, & irritatum per Concil. Trid. *sess. 24. c. 1. de ref. Matr.* Item *in Clement. Litteris*, *de Probat.* contra Litteras Summi Pontificis de facto proprio attestantis non admittitur probatio in contrarium; Item in *l. Ult. Cod. Arbitrium Tut.* præsumitur, quod res in Inventario a Tutore descriptæ vere fuerint in bonis Defuncti, nec regulariter admittitur idem Tutor ad probandum oppositum, & sic plura alia habentur in Jure consimilia exempla, quæ adducit Glossa *final. in citat. c. Is*, *qui fidem 30. verb. contra præsumptionem*, *de spons.*

12 Præsumptio Hominis subdividitur in vehementem, seu violentam, in probabilem, & in levem,
13 seu temerariam. *Communis*. Præsumptio *vehemens*, seu *violenta*, est, quæ per urgentes conjecturas vehementer movet, & quasi violenter trahit animum Judicis ad credendum. *Sic in re communis*; Et exemplum hujus vehementis, seu violentæ præsumptionis est, si mulier undecimo mense post mortem mariti peperit; præsumitur enim tunc ex fornicatione peperisse, & sic de simili-
14 bus. Præsumptio *probabilis* est, quæ oritur ex probabilibus, & minus urgentibus conjecturis, & indiciis. *Sic in re communis*: Et exemplum hujus probabilis præsumptionis est, quod non sit virgo illa femina, quæ sæpe in obscuris, & remotis locis sola cum juvenibus, & uxo-
15 ratis versatur, & sic de similibus. Præsumptio *levis*, seu *temeraria* est, quæ ex levibus, & minus probabilibus, ac proinde insufficientibus conjecturis, & indiciis oritur, vel ex factis æque in bonam, & in malam partem referibilibus concipitur. *Sic in re communis*; Et exemplum hujus levis, seu temerariæ præsumptionis est, si quis v. g. suspicetur Petrum esse adulterum, quia interdum conversatur cum alterius uxore, etsi non in loco suspecto; & sic de similibus.

16 Præsumptio levis, seu temeraria nihil penitus probat, sed est omnino repellenda. *Communis* per text. *in cap. Primo semper 13. caus. 2. q. 1. cap. Oves 9. caus. 6. q. 1. & capit. Inquisitioni tuæ 44. §. in secundo de sentent. excomm.* ubi expresse statuitur, conscientiam levis, & temerariæ credulitatis esse expellendam, ibi: *Conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa*.

Præsumptio probabilis se sola probat tantum semiplene; colligitur clare *ex cit. c. Inquisitioni tuæ 44. §. final. de sentent. excomm.* & *ex cap. Tertio loco 14. de præsumptionib.* in quo habita tali præsumptione probabili, defertur partibus juramentum suppletorium; Illud enim deferri non potuisset, si præsumptio illa semiplene non probasset; *arg. l. In bonæ fidei*, *Cod. De rebus credit.* neque potuisset exigi, si dicta præsumptio plene probasset; *cap. Sicut 2. de probationibus*. Et sic tenent passim Doctores. 17

Si autem præsumptio probabilis adjuvetur, publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem; colligitur clare *ex cap. Illud 11. de præsumptionibus*; juncto ejus Summario ubi dicitur, quod per cohabitationem diutinam, & famam de Matrimonio, aliaque adminicula, probatur Matrimonium; *& ex citat. capit. Tertio loc. 13. eodem*, juncta Glossa, & DD. *ibidem*. 18

Præsumptio *vehemens*, seu *violenta* facit plenam probationem, adeo ut ad condemnationem sufficiat saltem in causis Civilibus non nimium arduis. *Communis*, per textum *in cap. Afferte 2. de præsumptionibus*, ubi refertur, quod Salomon Regum sapientissimus ex hujusmodi violenta præsumptione tulerit definitivam sententiam inter duas feminas de filio vivente coram eo litigantes, & in ejus Summario expresse dicitur: *Ex violenta præsumptione fertur definitiva*. 19

Dicitur autem notanter: *Adeo ut ad condemnationem sufficiat saltem in causis Civilibus non nimium arduis*: quia an in causis Criminalibus (quibus æquiparantur causæ Civiles arduæ, & magni momenti) Reus ex præsumptionibus etiam vehementibus, seu violentis condemnari possit, multum variant Doctores. Aliqui enim affirmant, & alii negant: Ali autem mediam viam tenentes, dicunt, condemnari quidem posse reum ex præsumptionibus, vehementibus, & violentis, attamen ad pœnam solum mitiorem, seu extraordinariam, uti notant, & referunt Menochius *l. 1. de præsumptionibus q. 97. numer. 19. & seq.* Engel *l. 2. Decretal. tit. 23. nu. 3.* Fachin. *lib. 1. Controvers. Jur. cap. 29.* & alii. In hac igitur opinionum varietate concludendum est, quod ex solis præsumptionibus etiam vehementibus, & violentis nemo in causa criminali criminaliter mota condemnandus est, nisi tamen indicia sint indubitata, & luce clariora, seu talia, quæ evidentiam rei inducant. Sic Engel *l. 2. Decr. tit. 23. nu. 4. & seq.* Pirhing *ibid. num. 49.* Reiff. *ib. num. 63.* Fachin. *cit. lib. 1. Controv. Jur. c. 29.* Mascard. *de probationibus conclus. 1128. num. 73. & seq.* cum aliis ibi citatis per textum expressum *in cap. Litteras vestras 14. de præsumptionibus*, ibi: *Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum de tali gravi crimine condemnari*; juncto ejus Summario, ubi sic expresse habetur: *Propter præsumptionem etiam vehementem non debet quis de gravi crimine condemnari*; Et sic ibi Abbas *n. 5.* & alii Canonistæ communiter, teste Pirhing *loc. c.* Et ratio est, quia in causis criminalibus criminaliter motis, ut possit Reus condemnari, requiruntur probationes indubi- 20

dubitatæ, & luce meridiana clariores; *l. Ultim. Cod. de Probationibus*, ibi: *Instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita*; Alioquin enim præstat nocentem dimittere, quam innocentem condemnare, *l. Absentem 5. de pœnis*: Tum quia si in Civilibus causis regulariter favorabiliores sunt partes Rei, quam Actoris, & proniores debemus esse ad absolvendum, quam ad condemnandum, cum promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, textu expresso *in cap. Ex Litteris 3. de probationibus*, *l. Arianus 45. ff. De obligationibus & action.* cum similibus, multo magis id debet verificari in criminalibus, cum multo plus sit alicui eripere vitam, & sanguinem, quam pecunias, & modica temporalia.

21 Merito autem fuit addita in conclusione illa limitatio: *Nisi tamen indicia sint indubitata, & luce clariora, seu talia, quæ evidentiam rei inducant*, ut v. g. Si marito per annum absente, interim uxor prægnans inveniatur: Si vir cum femina in eodem lecto nudus cum nuda deprehendatur, & hujusmodi; quia cum talia indicia sint indubitata, evidentia, & luce meridiana clariora, sufficientem probationem constituunt, adeoque in conclusione expresse excipiuntur; Et sic tenent citati Doctores, & alii passim; Et hoc modo facile solvuntur argumenta, quæ ab adversariis afferri solent; Et signanter ad objectionem, quam afferunt *ex l. ult. Cod. de Probationibus*, ubi dicitur etiam indicia sufficere posse ad condemnationem in causa criminali: Item *ex c. Litteris 12. & cap. Tertio loco 13. de præsumptionibus*, ubi habentur solæ præsumptiones, & tamen ex illis lata est sententia. Respondetur enim, quod textus *in cit. l. ult.* loquitur dumtaxat de indiciis indubitatis, & luce clarioribus, ut patet ex verbis ipsius numero antecedenti relatis: Ad *c. Ex Litteris, & cap. Tertio loco*, respondetur, quod ibi intervenerunt indicia indubitata carnis, ut legenti patet; Immo indicia *in citat. capit. Tertio loco* relata manifestam facti evidentiam induxerunt, ut ibi fatetur ipsemet Pontifex, qui ex ipsis sententiam tulit, ibi: *Nos autem, quæ dicta sunt, intelligentes, præsertim cum hoc non dicatur occultum, sed quasi prædicetur a pluribus manifestum*.

22 Præsumens prudenter restitutionem faciendam, sibi liberaliter condonandam esse, si debitum suum manifestaret, vel rogaret Dominum, non tenetur ad restitutionem, quia tunc adest voluntas præsumpta Domini sufficiens, ut retentio non fiat illo quoad substantiam invito. Quod si revera Dominum invitum postea resciret, ad eam teneretur. Molina *tom. 3. d. 68 num. 3.* Berg. *Centur. 3. cas. 85.* Lugo *disput. 21. a num. 53.* La Croix *lib. 3. p. 2. numer. 462.* cum Less. Reginald. Sa ibi citatis, & alii passim. (*)

Inventus mortuus non est præsumendus a se- 23
ipso, vel Dæmone occisus, nisi signa certa adsint, v. g. si inveniatur in laqueo mortuus, si caput plane in tergus sit obtortum, & hujusmodi; Unde non ideo statim privari debet sepultura ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus, cum potius præsumi debeat mortuus morte naturali: præsumendum est enim semper pro cujusque innocentia, cum de Jure quilibet præsumatur bonus, donec probetur malus, *cap. In cunctis 52. caus. 11. q. 3. cap. Mandata 6. & cap. Dudum 16. de præsumptionibus*. La Croix *l. 4. numer. 1477.* & alii.

Præsumptio Concessionis Apostolicæ non admit- 24
titur in iis, quæ numquam a Sede Apostolica concedi solent. Bened. XIV. tom. 2. Constit. 3. incip. *Declarasti*.

Additiones ex aliena manu.

Probatio inartificialis instruitur ex præsumptio- 15
ne. Est autem præsumptio, *conjectura probabilis desumpta ex circumstantiis ejusmodi, quæ probabilitatem animo ingenerare possunt*.

Dividitur præsumptio in præsumptionem *Juris*, 16
& præsumptionem *Hominis*. Vulgo creditur omnem præsumptionem, quæ in jure reperitur expressa, *Iuris* esse; eam vero præsumptionem, quæ in
jure non exprimitur, esse *Hominis*. At male. Po- 17
test enim esse præsumptio juris, tametsi in jure non expressa. Quum enim is, qui jurisdictionibus præest, debeat præcedere ad similia; *L. 12. ff. de Legib.* omnis præsumptio, ex qua aliquid legitime infertur, esset dicenda *juris*, quia licet expresse in legibus non contineretur, sufficere tamen posset, quod Legibus præeuntibus, ita ad similes casus fie-
ret extensio. Confer Bohemer. *in dissert. de Collis.* 18
Præsumpt. c. 1. §. 9. Contra vero non omnis præsumptio in jure expressa est *juris*, paritque effectus præsumptionis juris. *Aut* (recte inquit *Andreol.* *Con-*

Nota Romani Theologi.

(*) Nimis periculosa hæc opinio est, adeoque falsa, & in praxi rejicienda.

Responsio Auctoris.

Notet *Theologus*, quod mea, aliorumque conclusio dicit: præsumens prudenter restitutionem faciendam, sibi liberaliter condonandam esse, si debitum suum manifestaret, vel rogaret dominum &c. Id enim prudenter præsumens præsumit cum valido fundamento attentis omnibus circumstantiis v. g. parentelæ, amicitiæ, liberalitatis, divitiarum domini, seu creditoris, ejusdem commiserationis paupertati debitoris, ac hujusmodi, quibus vere intervenientibus non est falsa, nec in praxi rejicienda dicta conclusio: præsertim quia Ego *ibi* concludo: *quod si revera dominum invitum postea debitor resciret, ad restitutionem teneretur*.

Controvers. 104. *in fin.*) *lex habet hujusmodi præsumptionem pro vera, adeo ut faciat plenam probationem, tunc semper transfundit onus probandi in eum, contra quem stat præsumptio. Aut lex tantum eam habet pro adjuvante veritatem, non pro fundante, tunc non sufficit ad trasferendum onus probandi contrarium, sed solum confirmat probationem probantis minus plenam.*

19 Quoad effectus differunt inter se præsumptio Juris, & præsumptio Hominis. I. Præsumptio Juris liberat a probando, non vero Hominis, quæ probantem solum adjuvat. II. Illam sequitur Judex in dubio in causis civilibus, & pro eo pronunciat, pro quo est præsumptio, nequaquam vero hanc, utpote quæ vim probandi plenam non habet. III. Illa rejicit onus probandi in Adversarium, non item hæc, quia alioquin Actor, qui onus probandi subire debet, leves quasdam præsumptiones pro se adferre, & ita urgere posset Reum contrarium probare debere, id quod tamen Praxi repugnat. Qui probare tenetur, non nudis conjecturis incedere debet. IV. Illa vim probationis habet; non hæc, quæ aliquando, vel purgatorio, vel suppletorio facit locum, quum præsumptio iuris adjumento nullo indigeat. Consule Coccejum *de direct. probat. negativ. cap.* 3. §. 8. *&* 9.

20 Præsumptio juris dividitur in præsumptionem *juris tantum*, & præsumptionem *juris & de jure*. Hæc adeo fortis reputatur, ut probationem in contrarium haud admittat. At admittere probationem in contrarium & præsumptionem hanc juris & de jure demonstrare nituntur Coccejus *in diss. de Probat. negat. cap.* 3. *fere per tot.* Bohemer. *in diss. de Collis. Probat. cap.* 1. §. 4. *& plur. sequent.*

21 Fundantur præsumptiones rationibus naturalibus, quæ ut plurimum locum habere, & in vita communi contingere solent, ex quibus subinde variæ speciales conclusiones derivantur. Prima,

22 eaque generalis regula est, quod *naturalia inesse subjecto præsumuntur*. Altera regula est: *Mutatio non præsumitur*. Tertia regula: *Præsumptio facienda in meliorem partem*. Vide Conclusiones speciales ex his regulis derivatas apud Bohemer. *in Decretal. libr.* 2. *tit.* 23. §. 4. *& plur. sequent.*

23 Aliquando utrimque præsumptiones concurrunt, ita ut collisio oriatur. Judicio propterea limato opus est, ut attendatur quænam sint fortiores, probabiliores, & specialiores, utpote quæ debiliores enervant, tolluntque ut pro veritate amplius haberi nequeant.

25 Meo judicio Bohemer. *in cit. disser. de Collis. Præsumpt. c.* 2. *per tot.* rejectis regulis a Menochio aliisque traditis, alias suggessit huic rei maxime inservientes. Adi ipsum, ubi e re tua sit materiam hanc discutere.

PRÆVENTIO JURISDICTIONIS.

Præventio Jurisdictionis est illa, per quam unus Judex Jurisdictionem alterius Judicis cæteroquin etiam competentis prævenit, seu præoccupat, ita ut iste amplius causæ præventæ se nequeat intromittere. *Sic in re Communis*. 1

Præventio Jurisdictionis potest contingere tripliciter. *Primo* in causis mixti Fori, quæ scilicet in utroque Foro tam Ecclesiastico, quam Civili tractari possunt, ita ut præventioni locus sit; Sic desumitur, *ex cap. Sicut quædam* 38. *caus.* 23. *quæst.* 5. *& cap.* 1. *de Offic. Ordin.* ac notavit Sacra Congregatio Immunitatis sæpe sæpius, & signanter *in Sorana* 18. *Februarii* 1631. apud Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 2. *num.* 57. & in Decretis, quæ infra a num. 11. dantur. *Secundo* in Reo mutante domicilium, postquam a Judice prioris loci jam citatus, sicque præventus fuit, *cap. Proposuisti* 19. *de Foro competenti*. *Tertio* in pluribus delegatis in solidum; nam tunc uno eorum causam commissam, seu delegatam inchoante, alii se nequeunt intromittere, *cap. Cum plures* 8. *de Officio Delegati, in* 6. 2 3

Præventio Fori, seu Jurisdictionis inducitur per citationem legitime interpositam. *Communis*, per textum, *in cit. cap. Proposuisti* 19. *De Foro competenti*, juncto *ejus Summario*; *cap. Non injuste* 14. *de Procur. cap. Si quis justo* 46. §. 1. *de Elect. in* 6. *l. Si quis posteaquam* 7. *l. Qui appellat* 29. *& l. Ubi acceptum* 30. *ff. De Judiciis*, cum similibus. 5

Ut Præventio per Citationem inducatur, requiritur, quod fuerit legitime facta; *citat. cap. Proposuisti* 19. *de Foro competenti*; Alias esset invalida; & Citatio invalida, seu facta a Judice incompetente, vel a Jure reprobata, non arctat citatum; *cap. Bonæ memoriæ* 39. *de Electione*, juncta ibi Glossa finali communiter recepta; Nec perpetuat Jurisdictionem citantis; *arg. cit. c. Proposuisti* 19. *De Foro competenti*, juncta Glossa *ibidem* & DD. 6

Ut per Citationem inducatur Præventio, atque perpetuetur Jurisdictio Judicis citantis, requiritur, quod dicta Citatio emanaverit auctoritate Judicis ad petitionem partis; Unde ubi agitur ad utilitatem privatam, non sufficit, quod Judex motu proprio aliquem citaverit, aut quis extrajudicialiter alicui litem denunciaverit, ut recte notant Abbas *in cit. cap. Proposuisti num.* 3. Barb. *ibid. num.* 2. *&* 3. Bartolus *in l. Ad peremptorium, ff. de Judiciis*, & alii, *arg. cit. cap. Proposuisti*, ibi: *Ad petitionem cujusdam Adversarii sui a Te legitime citatus ad causam*. 7

Sufficit tamen Citatio facta a Judice motu proprio, quando procedit ex Officio ad utilitatem publicam, uti fit in Judicio inquisitionis, *arg. cap. Qualiter, & quando* 24. *de Accusationibus*; Et sic Abbas 8

Abbas *loc. cit. n.*3. Eng. *l.*2. *Decret. tit.*2. *num.*52. & alii passim.

9 Sufficit citatio unica, & simplex ad notitiam citati perventa, sive sit verbalis, sive sit realis, seu facta per capturam; Mascardus *de Probationibus conclus.* 1233. *num.* 7. *&* 8., & alii passim.

10 Citatio autem realis fortior est, ac præfertur Citationi verbali etiam anteriori. Fagnan. *l.* 5. *Decret. in cap. Pervenit* 2. *de Adulteriis num.* 40. ubi cum Bartol. *in l. Sepultura, ff. de sepulcr. violat.* & aliis ibi citatis, docet, quod si in crimine mixti Fori, Judex Ecclesiasticus præveniat in Citatione, Laicus autem Judex præveniat in Captura criminosi, adhuc præventio realis, seu captura facta a Judice Laico præfertur præventioni verbali, licet anteriori factæ a Judice Ecclesiastico, & idem tenet etiam Farinac. *lib.*1. *prax. crimin. tit.*1. *de Inquisitione q.*7. *num.*55. cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal. tit.*2. *num.* 174. & alii; Et id sentire videtur *Sacr. Congreg. Immunit. in sequent. Decret.*

11 In Delictis mixti Fori, qui prævenit in captura reali, procedat, præterquam in Censuris; Nam super his solus Judex Ecclesiasticus procedere potest, *S. C. Imm. in Senogall.* 9. *Octob.*1640. *lib.* 3. *Decret. Paul. p.*133.

12 Judex, qui prævenit realiter, cognoscere debet causam mixti Fori, & in contumaciam uterque Judex procedere potest; *Sacra Congregatio Immun. in Cæsenaten.* 11. *Julii* 1626. *lib.* 1. *Decret. Paul. pag.* 9.

13 In dubio de præventione utriusque Curiæ, causa stupri cognoscenda est ab Episcopo. *S. Congr. Immunit. in Anagnina* 30. *Martii* 1666. *lib. Decret. Borrom. pag.*146.

14 Attenta præventione in causa vulnerum Clerico inflictorum a Laico spectat ad Curiam Episcopalem, non ad Gubernatorem, *Sacra Congregat. Immunit. in Senogallien.* 11. *Augusti* 1631. *lib.* 2. *Decret. Paul. pag.*87.

15 Quando Laicus dedit causam rixæ cum Clerico a se invicem vulnerato, attendenda est Præventio Judicis Laici. *Sacra Congregatio Immunitatis in Æsina.* 10. *Januarii* 1639. *libr.* 3. *Decret. Paul. pag.*83.

16 Data præventione per Curiam Ecclesiasticam in cognitione causæ criminis nefandi, & facta assignatione Domus pro carcere, Reus postea carceratus formiter per Curiam Sæcularem, restituendus est Curiæ Archiepiscopali in formalibus carceribus, inde non dimittendus, nisi consulta Sacra Congregatione. *Sacra Congregat. Immunit. in Bononien.* 23. *Martii* 1683. *lib.* 3. *Decret. Altoviti pag.*153.

17 Posita præventione Curiæ Laicæ super delicto mixti Fori, v. gr. Stupri, Curia Ecclesiastica abstineat a procedendo. *Sacra Congregatio Immunit. in Nucerina* 8. *Julii* 1687. *lib. Decret. Martell. pag.* 130.

18 Amplia. Quamvis præcipitanter, & absque sufficientibus probationibus Reus fuerit absolutus. *Sac. Cong. Immun. ibid.*

19 In dubio an testis Laicus pro falsitate examinis commissa coram Judice Ecclesiastico puniri possit a Judice Laico, vel potius ab eodem Judice Ecclesiastico privative, non obstante Præventione Fori Laici, Congregatio censuit locum esse præventioni, nisi adsit contraria consuetudo. *S. Cong. Immun. in Lycien.* 11. *Jan.* 1665. *lib.* 1. *Decret. Vall. pag.* 166.

Non obstante Præventione Fori Ecclesiastici in causa furti sacrilegi Sanctissimus avocat causam a Curia Ecclesiastica, & illam committit Eminentissimo Legato. *Sacra Congregatio Immunitatis in Urbinaten.* 21. *Septembris* 1697. *libr.* 2. *Decret. Vallemani pag.* 113. etiamsi fures sint Coloni Commendæ Religionis Hierosolymitanæ. *Eadem Sacra Congregatio Immun. in Senogallien.* 25. *Febr.* 1698. *pag.* 139. 20

Additiones ex aliena manu.

Gravissima hic se offert quæstio, an præventio locum sibi vindicet per citationem, *ex L. Diffamari, C. de Ingen. & Manumiss.* 21

Præventionem, & litis pendentiam per citationem hanc induci non tam respectu judicii diffamatorii, sed & respectu ipsius causæ principalis, tradunt Ægid. Boss. *de crimin. tit. de For. compet. n.*107. Blarer. *ad L. Diffamari c.*4. *n.*4. Adde etiam Mynd. *ad eamdem l. Diffamari cap.* 5. §. 1. *num.* 37. *& sequent.* 22

At negant Brunemann. *ad L. Diffamari fere per tot C. de Ingen. & Manumiss.* Carpzov. *lib.*2. *Respons.*34. *num.*10. *& seq.* Zanger. *de exceptione par.*2. *cap.* 13. *num.* 31. Mev. *decis.* 198. *fere per tot. par.*1. Diffamatus enim, ut *mox laudati Auctores ajunt*, non agit, sed per citationem alterum ad agendum invitat. Atque hinc inferunt, quod ejus citatio nullam litis pendentiam, seu præventionem inducere potest. 23

Alii distinguunt judicium diffamationis inter & causam principalem; tenentque induci præventionem quoad diffamationem, non item quoad causam principalem, quum sint separata judicia, quorum diversi sunt fines; Gail. *lib.*1. *observat.*11. *n.*6. Græv. *lib.*1. *conclus.*11. *n.*3. 24

PRAGMATICA SANCTIO GALLORUM.

CUM Basileense Concilium varia decreta contra Romanos Pontifices, eorumque jura, ac privilegia condidisset, 38. ejusdem Canones in Catalogum relati, Carolo VII. Francorum Regi fuerunt a Concilio missi. Rex in quodam Conventu Bituricensi anno 1438. eosdem Canones Concilii Basileensis recepit, ac famosa illa Gallorum *Sanctione Pragmatica* firmavit, in Senatu Parisiensi promulgata. Cui deinceps Romani Pontifices acriter se opposuerunt. Juvat summatim illius articulos adducere. 1

Sunt hi 1. Papa singulis decenniis Concilium celebret, Si negligat, Patres suppleant. 2. Basileensis 2

leensis Concilii authoritas sit perpetua. 3. Prælaturas electivas Papa non reservet, neque Canonicatus, nisi in casibus, in Jure scripto expressis. 4. Electiones sint omnino liberæ. 5. Electionis forma observetur; & electus a Prælatis confirmetur. 6. Papa huic Sanctioni non deroget. Si faciat, deferatur ad Generale Concilium. 7. Si electio sit irrita: Electoribus altera relinquatur. Electus ab immediate Superiore confirmetur. 8. Generali Synodo etiam Papa obediat, quatenus Fides, & Schismatum abolitio postulat. 9. Concilii decreta a Christo protinus authoritatem obtinent. 10. Ecclesiis digni præficiantur. 11. Expectativis gratiis non sit locus. 12. Beneficia vivo Rectore nemini reserventur. 13. In qualibet Ecclesia Episcopali constituatur Theologus. 14. In Beneficiis conferendis præferantur Graduati. 15. Graduati nomina sua offerant. 16. Collatio prima, aliis facta, est nulla. 17. Nemo, quatuor dierum itinere Roma distans, in jus vocetur Romam, nisi in majoribus causis. 18. Appellatio fiat ad immediate Superiorem. Exemptorum vero causam Papa Judici regionis committat. 19. Qui inaniter ante sententiam appellat, 15. florenos pendat, præter litis expensas. 20. Triennalis possessio quieta non amplius turbetur, nisi impedimentum justum obstiterit, quo minus potuerit possessor impeti. 21. Cardinales sint tantum 24. docti, 30. annorum, legitimis natalibus. 22. De Dignitatibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis nihil prorsus, neque annatam, neque Primitias Pontifex) exigat. Secus irrita est provisio: Et pœna simoniacis debita infligatur. Scribis tantum, & Notariis merces solvatur. 23. Res divina sancte, ac devote peragatur. 24. Qui tantum in aliqua horarum est præsens, non fruatur distributione quotidiana. 25. Hoc etiam ad Decanum, & Præpositum extendendum. 26. Idem de garrientibus, aut deambulantibus in Ecclesia. 27. Insuper unius mensis stipendiis priventur. 28. Tabula Officiorum hebdomadalium in Choro sit appensa. 29. Symbolum integrum canatur. 30. Camænæ vulgi in Ecclesia ne canantur. 31. Missa non celebretur sine Ministro, illaque alta voce legatur. 32. Canonici debita non solventes statuto tempore, interdicuntur Divinis, & trimestri stipendio Ecclesiæ. 33. Solemnibus diebus nullum celebretur Capitulum. 34. Profana facessant ab Ecclesia. 35. Clericus Concubinarius post secundam sanctionis istius promulgationem non resipiscens, tribus mensibus fructibus beneficii careat. 36. Hæretici non denunciati non sunt vitandi. 37. Nulli communitati sacris interdicatur, nisi per seipsam, aut per Magistratus suos deliquerit. 38. Non credendum litteris, quibus scribitur, quempiam beneficio suo se abdicasse, nisi testibus id, aut documentis idoneis comprobetur.

3 Hæc sunt Capitula *Sanctionis Pragmaticæ Gallicanæ*, ex Concilio Basileensi prognata. Quamvis autem Rex Carolus ista reciperet, ac promulgaret, quoad ea tamen, quæ Conciliabulum egit in deponendo Eugenio Pontifice, noluit consentire, quin imo ad disturbandum illud Conventiculum Ludovicum Filium ad fines Basileensium misit, qui cruento prælio Helvetorum copias fudit. Porro Successor Caroli VII. Ludovicus XI. rescidit quidem anno 1462. Sanctionem istam Pragmaticam (tamquam seditionis, & schismatis tempore latam ad infringendam Sedis Apostolicæ authoritatem), urgente Pio II., cui Ludovicus illam rescissionem promiserat, si quiete ad Regnum perveniret.

Verum cum Galli Sanctionem Regno admodum utilem dicerent, propter abolitionem appellationum, reservationum Beneficialium, gratiarum expectativarum, ac præsertim Annatarum, per quas multum pecuniæ e Regno esset exportatum, quoties minus ipsis cum Pontifice conveniebat, eamdem rursus instaurarunt. Donec anno 1516. illa in Lateranensi Concilio abrogata inter Leonem X. & Franciscum I. Bononiæ statutum est *Concordatum*; quo sublata electionum libertate concessum est Regi Jus præsentandi ad Episcopatus & Prælaturas Galliæ, Pontifici vero reservatæ annatæ, Controversiæ Ecclesiasticæ, ac Jus confirmandi Episcopos & Prælatos sibi a Rege legitime præsentatos. 4

Ægre hoc Concordatum Clerus Gallicanus habuit, eo quod per illud Capitulis sit adempta eligendi potestas, & electis impositum Annatarum onus. Sed neque ipsi Reges Concordatum, quantumcumque sibi favens, integrum semper reliquerunt: Quin ultra Sanctionem Pragmaticam, & Basileensis decreta est progressus Ludovicus XIV. dum cum Innocentio XI. collisus, anno 1675. Beneficiorum Ecclesiasticorum collationem, ac perceptionem fructuum ex Beneficiis vacantibus, tanquam *Jus Regale*, ac Majestaticum prætendit. Unde magnæ illæ *Regaliarum* Controversiæ, de quibus infra V. *Regalia*. His tandem sopitis, restitutum in integrum fuit *Concordatum*, agnitumque Jus præsentandi ab Ecclesiastica Potestate esse concessum; permissæque Pontifici Annatæ. 5

Circumfertur præterea quædam antiquior Sancti Ludovici Galliarum Regis Sanctio Pragmatica, qua anno 1268., vel, ut aliis placet, 1269. statuisse dicitur, ut Ecclesiarum Prælatis, Patronis, & Beneficiorum collatoribus ordinariis jura sua integra serventur, ut liberæ sint Ecclesiarum electiones. Simonia eliminetur. Provisiones beneficiales secundum Juris Communis dispositionem fiant. Libertates, ac privilegia Ecclesiis, & Monasteriis concessa, rata, firmaque maneant. Additurque Articulus, quo vetatur, ne Curia Romana exactiones pecuniæ in Ecclesia Gallicana faciat. 6

Verum S. Ludovici Regis Constitutionem anno 1228. præcipue adversus Hæreticos latam noveramus ab Innocentio IV. in Litteris ad Reginam Franciæ anno 1250. scriptis, atque a Balutio in Appendice Conciliorum Galliæ Tit. XX. editis laudatam. Sed quod ad Sanctionem illam ann. 1268. spectat, eam plures eruditi Viri, ut Thomassinus, Bollandiani, P. Roncaglia in Notis ad Natalis Alexandri Historiam Ecclesiasticam, ac Diarii Ecclesiastici Romani Auctores, & quod mireris magis, Bohemerus in suis ad Petri de Marca librum IV. cap. 9. observationibus, non immerito supposititiam habent. Profecto præterquamquod aliter 7

aliter ejus editiones maxime discrepant, ut vel Cabassutii *notitiam* Ecclesiast. ad ann. 1268. cum Richerii historia Concil. general. *L.* 11. *c.* 7. conferenti constabit; qui witam, & gesta S. Ludovici scripserunt, nullam hujus Pragmaticæ mentionem injiciunt; quin potius Guillelmus ipsius Capellanus in libro *de illius vita*, *& miraculis* insignem erga Sedem Romanam devotionem, & obedientiam prædicat, ut *admodum improbabile inde evadat*, inquit citatus Bohemerus, *Regem hanc talem Sanctionem obedientiæ*, *venerationi huic contrariam unquam condidisse*. Equidem pro vindicanda hac Sanctione Natalis Alexander (*ad Sæc. XIII. cap.* 10. *art.* 3.) adducit notabilem quemdam locum ex Matthæi Parisii *Historia Anglicana* ad annum 1247. Verum quæ ibi Parisius tradit, eodem Bohemero judice, *vix trahi possunt ad pragmaticam hanc Sanctionem*, *quæ demum anno* 1268. *& sic longe post viginti annos lata fertur*, *atque adeo inde vel occasio*, *vel causa hujus Edicti promulgandi desumi haud potuit*. Monet præterea P. Biner in suo *Apparatu eruditionis* (*P. VI. cap. I. art.* 4. §. 1. *pag.* 15.) notum esse, quam modica adhibenda sit fides Parisio in Romanos Pontifices scribenti, ac præterea Articulum Sextum de prohibitione Exactionum, ad quem Parisii locum nonnulli trahunt, alienum esse a temporis illius usu, cum pro Terræ Sanctæ necessitatibus plures per Galliam, & quidem Rege ipso consentiente sint factæ. Sed quoniam ineptus quidam Scribillator nuper hanc Sanctionem Romanæ Sedi objicere ausus est, brevi habebunt Lectores mei Commentariolum, quo Anonymi illius tam inconsulta temeritas, atque inscitia pro meritis castigabitur.

PRECARIUM, PRECARIÆ.

---

1 PRecarium est, quod *precibus petenti utendum conceditur tamdiu*, *quamdiu is*, *qui concessit*, *patitur*; Sic expresse definitur *in l. Precarium* 1. *ff. de Precario*, & concordat *cap. Precarium* 3. *de Precariis*, ibi: *Precarium utendum conceditur*, *quamdiu patitur qui concessit*.

2 Precarium est species quædam liberalitatis, adeoque contractus gratuitus; textu expresso *in citat. leg. Precarium* §. 1. *ff. De Precario*, ibi: *Quod genus liberalitatis ex Jure Gentium descendit*.

3 Precarium differt a donatione per hoc, quia qui donat, sic dat, ne amplius recipiat; Qui autem Precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit Precarium solvere, seu revocare, textu expresso *in citat. leg. Precarium* §. 2., ibi: *Et distat a donatione eo quod qui donat*, *sic dat*, *ne recipiat*; *at qui Precario concedit*, *sic dat quasi tunc recepturus*, *cum sibi libuerit Precarium solvere*.

4 Precarium quamvis *ex cit. l. Precarium* §. 3. simile sit Commodato, quantum ad hoc quia, etiamsi, qui commodat alteri rem suam, sic commodat, ut eam non faciat recipientis, sed post certum tempus, aut completum usum ab eo recipiat, ibi: *Et est simile Commodato*, *nam & qui commodat rem*, *sic commodat*, *ut non faciat rem accipientis*, *sed ut ei uti re commodata permittat*; Nihilominus differt a Commodato in pluribus aliis. *Sic Communis Doctorum*. Primo igitur differt Precarium a Commodato, quia qui rem commodatam recipit, nec civiliter, nec naturaliter possidet, cum rei commodatæ possessionem retineat ipsemet Commodans; *leg. Rei commodatæ* 8. *ff. Commodati*, ibi: *Rei commodatæ*, *& possessionem*, *& proprietatem retinemus*, & concordat §. *Possidere*, *Instit. de interdictis*; At vero is, qui Precario rem accepit, naturaliter eam possidet, remanente possessione solum Civili penes Dominum concedentem; *l. Et habet* 15. §. 4. *ff. De Precario*, & *ibi* Glossa *verb. Corpore*, *& verb. A possessione*, & Glossa *in cap. Precarium* 3. *de Precario*, *verb. Precarium*, Azor. *par.* 3. *lib.* 7. *c.* 2. *quæst.* 4. Pirhing. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 14. *sub num.* 6. *verb. Secundo differunt*, Reiffenstuel *ibid. num.* 8. & alii passim. 5

Secundo differt Precarium a Commodato, quia Commodatum conceditur utendum ad certum, & specialem usum, & ad certum tempus expressum, vel tacitum, ut si alicui commodetur equus ad faciendum iter, ad quod certum tempus requiritur, videlicet quantum ad commode faciendum tale iter sufficit, & exigitur, *l. Interdum* 73. *in princip. & l. Continuus* 137. §. *Cum ita*, *de verb. Obligat.* Precarium autem non datur ad certum determinatum usum, neque ad certum tempus, sed quamdiu concedens permiserit, sive Precarium non revocaverit; *cit. l. Precarium* 1. *ff. de Precario*, *& cit. cap.* 3. *Precarium*, *de Precario*; Immo etiamsi Precarium concedatur ad certum tempus, v. g. ad Kalendas Julias, ut *in leg. Cum Precario* 12. *ff. de Precario*; tamen eo pacto conceditur, ut semper liberum sit concedenti revocare rem Precario concessam, etiam ante tempus illud finitum; textu expresso *in cit. leg. Cum Precario*, *ff. de Precario*, & concordat *citat. lex Precarium*, *& cit. cap. Precarium*, juncta Glossa *ibidem verb. Per conventionem*, & tenent Abbas *ibidem num.* 11. *&* 12. Pirhing. *loc. citat. num.* 6. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 6. *&* 7. & alii communiter. 6

Tertio differt Precarium a Commodato, quia qui rem Precario accepit, tenetur dumtaxat ex dolo, & culpa lata, quæ dolo in Jure æquiparatur, non tamen ex culpa levi, & levissima, *l. Quæsitum* 8. §. 3. *ff. de Precario*, *l. Contractus* 23. *ff. de Regul. Juris*. Qui autem Commodatum accepit tenetur etiam ex culpa levi, & levissima, *cit. leg. Quæsitum* 8. §. 3. *ff. de Precario*; Ubi etiam ratio affertur, quia Precarium totum procedit ex mera liberalitate Concedentis, qui potest illud revocare, quandocumque voluerit, & ideo sibi imputare debet, si ipsum non revocaverit antequam accipiens commisisset culpam levem in ejus custodia; Secus autem est dicendum de Commodato, quia ipsum non potest revocari ante com- 7

completum usum; sive tempus determinatum: Unde Commodatarius tenetur adhibere in custodia rei sibi commodatæ majorem diligentiam, quam is, qui Precario accepit in custodia rei Precario acceptæ; Sic Glossa *in citat. leg. Quæsitum §. 3. verb. Ex liberalitate*, Abbas *in citat. cap. Precarium num.* 15. Pirhing *loc citat. num. 6. verb. Tertio differt*, Reiffenstuel *loc. cit. num.*9. & alii passim.

8 Precarium expirat per revocationem Concedentis. *Com.* per text. *in l. Precarium* 1. *& l. Ait Prætor 2. de Precario, & c. Precarium 3. de Precariis*, ibi: *Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit*, uti expresse etiam dicitur *in cit. l. Precarium*, per verb. adducta *sup. num.* 1.

9 Item Precarium expirat moriente illo, cui concessum est, non item morte illius, qui concessit. *Communis*, textu expresso *in cit. c. Precarium 3. de Precariis*, ibi; *Solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis*; Licet enim expiret per obitum ejus, cui concessum est, ex quo Precarium sit Beneficium personale ipsi precanti concessum, & Beneficium personale sequatur personam, & cum ipsa extinguatur, textu expresso *in c. privilegium 7. de Regul. Juris in 6.* ibi: *privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*; Tamen non expirat per obitum ejus, qui concessit, sed transit ad ejus heredem; textu expresso *in l. Quæsitum* 8. §. 1. *& l. Cum Precario* 12. §. 1. *ff. de Precario*, ibi: *Precarii rogatio & ad heredem ejus, qui concessit, transit; Ad heredem autem ejus, qui Precario rogavit, non transit, quippe ipsi dumtaxat, non etiam heredi concessa possessio est.*

10 Item precarium expirat, si istud concedens, rem Precario concessam alienaverit; Tunc enim emptor eam revocare potest, & sic per ejus revocationem expirat, & tollitur Precarium; *Communis*, textu expresso *in cit. c. Precarium 3. de Precariis*, ubi dicitur, quod solvitur Precarium: *Aut cum ipsum alienari contingit alicui hoc revocare volenti, quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito Domino possideri*.

11 Precariæ, seu *precaria* in singulari numero, est contractus Jure Canonico introductus, quo alicui ad preces, & plerumque causa remunerationis ususfructus alicujus prædii, vel alterius rei Ecclesiasticæ immobilis ad dies vitæ, vel ad aliud tempus conceditur, ea lege, ut singulis quinqueniis renovatio hujus concessionis, seu contractus petatur; *Sic in re communis*, per text. *in c. Ea etiam 2. c. precariæ nomine 3. c. Precariæ, de quinquennio 4. & c. de precariis 5. caus.* 10. *q.* 2. *& c. Precariæ* 1. *& c. de Precariis 2. de Precariis*.

12 Contractus Precariæ, seu Precariarum multum differt a contractu Precarii: Primo enim differt, quia Precario concedi possunt tam res mobiles, quam res immobiles: Item Jura, & servitutes, v. g. iter, vel actus per fundum alterius; *l. Prætor 2. §. 3. l. In rebus 4. in princip. ff. De Precario*; Precariæ autem locum solum habent in possessionibus, seu rebus immobilibus, *c. Ea etiam 2. §. si Oeconomus, & cap. Precaria a nemine 3. caus.* 10. *qu.* 2. Et sic notant Pirhing *l. 3. Decretal. tit.* 14. *n.* 10. Reiffenstuel *ibidem n.* 11. & alii.

Secundo differt contractus Precariæ, seu Precariarum a contractu Precarii, quia Precarium ordinarie ad certum, & determinatum tempus non conceditur, sed solum tamdiu, quamdiu placuerit concedenti, *l. Precarium 1. ff. De Precario, c. Precarium 3. de Precariis*; Præcariæ autem concedi possunt, vel ad dies vitæ, vel ad aliud certum tempus, quamvis de quinquennio in quinquennium renovari debeant; *c. Precariæ 1. & c. Precarium 3. de Precario, c. Precariæ de quinquennio 4. caus.* 10. *q.* 2. 13

14 Tertio differt contractus Precariæ, seu Precariarum a contractu Precarii, quia Precarium potest semper revocari pro arbitrio concedentis; *l. Precarium 1. ff. De Precario, capit. precarium 3. §. 1. de Precariis*; Precariæ autem revocari non possunt, antequam tempus concessionis sit elapsum, textu expresso *in c. Precarium 3. §. final. de Precariis*, ibi: *Porro Precariæ, quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ*.

15 Dummodo tamen Precariæ de rebus Ecclesiæ non sint irrationabiliter, seu in grave damnum Ecclesiæ factæ; nam in tali casu revocari possent, ac deberent a successore concedentis; textu expresso *in cap. de Precariis 2. De Precariis* juncta Glossa communiter recepta *ibid. verb. Ab eo*; ubi insuper adductis variis Juribus, dicit posse, & debere etiam revocari ab ipsomet concedente, & sic tenent Engel *l. 4. Decretal. tit* 14. *n.* 5. Reiffenstuel *ib. nu.* 14. & alii passim.

16 Et ratio est clara, quia ad alienationem quamcumque rerum Ecclesiasticarum, immo etiam ad locationem ultra triennium requiruntur solemnitates Juris; textu expresso *Extravag. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienand.* Unde cum Precariæ contineant hujusmodi alienationem similem locationi ultra triennium, ex quo, ut patet ex dictis per illas Precarias concedatur ususfructus rei Ecclesiasticæ immobilis ad dies vitæ, vel ad certum tempus, si concedantur, ut fieri solet ultra triennium, requiruntur solemnitates Juris, quæ si non adhibitæ fuerint, tales Precariæ, utpote nullæ, ipso Jure revocari possunt ac debent, nedum a Successore, sed etiam ab ipsomet concedente, seu alienante. Secus autem, si Precariæ essent concessæ ad solum triennium, seu infra triennium, quia tunc, cum non requirantur solemnitates Juris, sicuti nec requiruntur ad locationem (cui assimilantur) non excedentem triennium *ex citat. Extravagant. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienand.* si rationabiliter, & sine gravi damno Ecclesiæ sint concessæ; revocari non debent, nec possunt, nec a Successore, nec ab ipsomet concedente, ut patet ex dictis *verb. Alienatio, & verb. Locatio*. 17

18 Precariæ expirant, quando ipsæ fuerunt concessæ ad longum tempus, & elapso quinquennio, is, qui eas accepit, non petiit renovationem earum, ut colligitur ex *c. Precariæ, de quinquennio 4. caus.* 10. *q.* 2. *& c. Precariæ 1. de precariis*; ubi expresse præcipitur, quod *Precariæ de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renoventur*; Adeoque qui negligunt sic renovare, cadunt Jure suo, sicuti cadit suo Jure Vassallus non petens renovationem Investi-

vestituræ a novo Domino intra legitimum tempus, ut recte probant Abbas *in cit. cap. Precariæ* 1. *De precariis num.* 1. Pirhing. *loc. cit. num.* 14. Reiffenst. *loc. cit. n.* 21. & alii.

Additiones ex aliena manu.

19 Varias a variis adductas rationes, cur in precario præstetur dolus, &, quæ in civilibus nomine doli venit, *culpa lata*, & in commodato præstetur culpa etiam levissima, affert, & una confutat Jacob. Gothofred. *in l.* 23. *ff. de Regul. Jur.*

20 Meo judicio: *Ulpiani rationi* (recte inquit idem Jacobus Gothofred. ubi supra) *adhærendum est in d. leg.* 14. §. 11. *de Furt. quæ huic conjungenda est, ut & secundæ, quæ ab Intertretibus redditur, sed quas ita evolvo. In precario ideo dolus dumtaxat præstatur, eo quod hæc liberalitas sit, seu donatio, qua scilicet possessio rei datur, donatur, leg.* 15. §. *Eum, qui de Precar. conceditur* (*qua quidem in re concedendi vox propria est, leg.* 1. *in princip.* §. 2. *leg.* 4. *in fin. leg.* 6. §. 4. *leg.* 7. 8. §. 3. *leg.* 12. §. 1. *de Precar. l.* 1. §. 11. *de Trin. actuque privat. l.* 163. *infr.*) *etsi non perpetuo jure habenda* (*precario enim id opponitur*) *attamen proprio interim quodam jure Precarium conceditur possidendum, fideique Rogantis committitur, sic ut re tamquam sua, qui precario habet, interim utatur, eamque possideat. Quare ab eo culpa exigi non debet, non potest, quum res ejus sit interim quodammodo, sed dolus tantum, quia reddendi conditio ei inest. Nam etsi rogantis arbitrio res utenda possidenda conceditur, tamen ex fide bona oritur precarium, l.* 2. §. 2. *ff. de Precar. quæ in omnibus contractibus, quibus vitæ societas continetur, præstanda est. Neque is, qui precario rogavit, eo animo possessionem nanciscitur, ut credat se dominum esse, leg.* 13. §. 1. *ff. de Publician. Eadem proinde hic ratio, quæ in deposito, quod in utroque res in totum fidei, arbitrioque accipientis deposita vel precario data committatur, concedatur.*

21 Titulus *Precariæ* olim denotavit *concessionem ad preces factam ex largitate Episcoporum, qua ostendebatur res tales mansisse in dominio Ecclesiæ, & redditus tantum detentori attributos fuisse*: Ea de caussa antiquitus priusquam Beneficia ecclesiastica ita ut hodie, ordinata fuere, clerici ab Episcopo nonnunquam bona ecclesiastica in vicem salarii fruenda hoc titulo occuparunt, ut docet *Concilium Toletanum VI. cap.* 5. *relatum in cap.* 74. *caus.* 12. *quæst.* 2.

22 Laici quoque nonnunquam per preces ab Episcopis obtinebant, ut rerum ecclesiasticarum redditus usque ad vitam suam perciperent, maxime qui valde pauperes erant, idque quia ex penu Ecclesiæ alendi erant omnes Pauperes. Confer de Precariis Bohemer. *in decretal. lib.* 3. *tit.* 14. *per tot.*

PRECES PUBLICÆ.

* Principes sæculares si petant ab Episcopo ut preces publicæ indicantur pro necessitate status, id utique potest, & debet. Nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ex consuetudine Principes Episcopali auctoritate neglecta indicere illas vellent. Benedictus XIV. Constitut. *Bull. tom.* 1. *num.* 82. incip. Quemadmodum preces. *

PRESBYTERATUS. Vide verb. *Ordo a n.* 48. *ad* 50.

PRESBYTERIUM.

CUM multa *Presbyterium* significare possit, id præsertim considerandum, quod ad Ecclesiarum regimen spectat, hoc nomine a dignioribus, qui in Clero sunt, nempe Presbyteris, sumpto totius Cleri cœtum significari. Nimirum Presbyterorum præsertim, sed & Diaconorum, imo universi Cleri consilia adhibebant Episcopi, sive de ordinandis Clericis, sive de recipiendis pœnitentibus, sive de hæresibus condemnandis, sive de alio quopiam gravi negocio Ecclesiastico ageretur. Hinc quod hic *Presbyterium* dicimus, alii veterum Senatum Ecclesiæ appellant. 1

Certe ad Carthaginiensem Ecclesiam quod spectat, ex pluribus Cypriani testimoniis manifesto liquet, ejusmodi morem in ea perpetuo servatum, ut nil grave Episcopus sine Cleri sui Consilio perageret. Et sane *Ep.* XXIII. *al.* XXXVIII. de Clericorum ordinationibus hæc habet: *In ordinandis Clericis solemus vos ante consulere, & mores, ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Et generatim de universo Ecclesiastico regimine *Epist.* VI. *al.* XIV. scribit: *Ut ea, quæ circa Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis exposcit, tractare simul, & plurimorum consilio examinata limare possimus.* 2

De universis Africanis Ecclesiis Conc. Carthag. IV. Can. XVIII. sic decrevit: *Ut Episcopus nullius caussam audiat absque præsentia clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur.* 3

Eamdem regulam tum Ephesi in condemnando Noeto, tum Alexandriæ in prima Arii ejectione fuisse servatam testatur Epiphanius. Tum Cotelerius in suis adnotationibus ad Constitutiones sic dictas Apostolicas formulam quamdam depositionis Arii ex antiquo quodam manuscripto erutam evulgavit, quæ æque Episcopos Dioeceseos Ægypticæ, ac Presbyteros Alexandrinos Arii depositioni suffragatos exhibet. 4

Idem

5 Idem quoque in Origenis condemnatione obtinuisse testatur Pamphilus, qui lib. II. *Apolog.* pro Origene apud Photium Cod. CXVIII. narrat *Synodum Episcoporum, & Presbyterorum adversus Origenem* fuisse habitam, cujus Decreto Alexandria ejiciendum sancitum est, nec ipsi permittendum, ut ibi vel doceret, vel habitaret.

6 Antiochiam quoque ad Pauli Samosateni caussam discutiendam, eumdemque deponendum plurimos quoque Presbyteros cum Episcopis convenisse testantur Eusebius *lib. VI. cap.* 28.

7 Neque aliud a primis usque temporibus Romani Pontificis servarunt. Plura exempla dabit Selvaggius Antiquit. Christianar. *lib.* I. *cap.* 16. *pag.* 9. Paucis contentus ero. S. Cornelius a. 251. Cypriano scribens, qua demum ratione ad ejurandum schisma perducti fuerint Maximus Presbyter, Urbanus, & Sidonius ait: *Omni igitur actu* (eorum) *ad me perlato, placuit contrahi presbyterium* (*adfuerunt etiam Episcopi quinque qui & hodie præsentes fuerunt*) *ut firmato Consilio, quid circa Personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur*. Fecit etiam a. 381. Siricius presbyterium adversus Jovinianum Hæreticum, ut ipsemet scribit ep. VII. in eoque *omnium nostrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri* (en quid *Presbyterium* fuerit) *unam scitote fuisse sententiam, Jovinianium, Sociosque damnandos esse*. Hinc intelligere est, quid omne *Presbyterium Romanæ Ecclesiæ* fuerit, quod Liberius ep. XI. ad Ursacium &c. *testes* appellabat. Etiam S. Innocentius I. *consessum presbyterii*; idest Cleri Romani, & acta in eo confecta urget *ep.* 3.

8 Quod hi *Presbyterium* vocarunt, Zosimus *ep.* 8. *Sedis Apostolicæ Cœtum* dixit. Bonifacius quoque *Presbyterio universo* litteras se prælegisse, quibus Thessalonicensem Episcopum in vicaria Sedis Apostolicæ delegatione confirmaverat, testatur *Ep.* XV. Huic vero Presbyterio, quod Romanæ Ecclesiæ Synodum Diœcesanam non immerito dicas, aderant quoque Episcopi, quos in Urbe esse contigisset; ut vel Cornelii recitatus locus ostendit.

PRETATICUM. Vide verb. *Hebræus n.* 7.

PRIMÆ PRECES IMPERATORIS. Vide verb. *Beneficia art.* 12. *per totum*.

PRIMATES.

---

1 QUI apud Græcos *Exarchi* dicti sunt, *Primates* apud Latinos fuere. Ut autem apud Græcos Exarchorum, ita etiam apud Latinos diversa Primatum, & acceptio fuit, & potestas: alii enim jam a primis temporibus integram regebant diœcesim, ut & Romanus Italiam, & Carthaginensis Africam; & multo post Hispaniam Toletanus. Alii verò diœcesis tantum parti præerant; ut Lugdunensis, & Bituricensis certis quibusdam Galliæ provinciis: & ætate nostra, quod antea factitatum nusquam legitur. *Primates* dicuntur multi, quorum jurisdictio tum primatialis, tum metropolitana iisdem est terminata finibus. Sed illorum dispar est ratio, sunt enim, qui nullis umquam præfuerint Metropolitanis, ut Rotomagensis: sunt qui olim multis, nunc nullis; sed eorum alii suos habent, ut vocant, *Officiales*; quorum alter Metropolitani jure, alter Primatis judicet; itaut a priori ad posteriorem provocetur, ut Bituricensis: apud alios verò idem est Judex Primatis, qui Metropolitæ.

In Africa tot erant *Primates*, quot Provinciæ. 2
Provinciam quisque suam administrabat: Carthaginensi parebant omnes. Illorum jura eadem fuerunt, quæ apud alias gentes Metropolitanorum. Inter illos tamen, & Metropolitas hoc intererat, quod metropoles statæ, & fixæ semper erant; primæ autem Sedes in Africa desultoriæ, & nunquam fere eædem, sed nunc hæ, nunc illæ; cum Metropolitanum ipsa Metropolis faceret, primam Sedem ipse Episcopus: nec enim Urbi, si Carthaginem exceperis, sed ætati, & ordinationis prærogativæ addicta fuit Primatis dignitas: quo quisque antiquior in Provincia Episcopus, is eo Primatui vicinior; ille demum *Primas*, qui omnium antiquissimus.

Olim in Synodis generalibus post Patriarchas 3
Primatum, ut potior Authoritas, ita honestior locus erat: ii erant omnino tres, Thraciæ Heracleensis, Ephesinus Asiæ, Ponti Cæsareensis. Illis proximus erat Thessalonicensis Vicarius, qui jussu Romani Præsulis toti Illyrico præerat. Huic assidebat Episcopus Carthaginensis, ut ex quinta Synodo intelligere licet.

Si generalis Synodus hoc tempore habenda fo- 4
ret, hæc fere esset, si Jacobatio, aliisque credimus, considendi ratio. Primum locum, ut par est, obtinet Summus Pontifex, princeps, & moderator totius Concilii; secundum Ostiensis Episcopus, cujus est consecrare Romanum Antistitem; tertium Constantinopolitanus Patriarcha, qui Innocentii III., Conciliique Lateranensis suffragio prælatus est cæteris; quartum Alexandrinus; quintum, & sextum reliqui duo, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Hos excipiunt Occidentis Patriarchæ, aliis nomine quidem pares; re tamen, & dignitate inferiores multo, Bituricensis, Venetus, Cantuariensis, quibus, ut nonnullis placet, Pisanus additur. Deinde sedent Primates, ut Lugdunensis, ut Toletanus &c.

PRIMICERIUS.

PRimicerius generaliter loquendo dicitur ille, 1
qui primus juxta antiquorum consuetudinem erat scriptus in ordine ceræ seu scripturæ; Mos enim erat antiquis in tabulis ceratis, & pugillaribus scribere, & hinc quicumque in quolibet hominum ordine primo loco scriptus erat in Albo, seu tabula cerata, *Primicerius* appellabatur; & qui secun-

secundo loco *Secundocerius*, & qui tertio *Tertiocerius*, ut colligitur *ex l. Primicerius* 2. & *l. Lege pragmatica* 4. *De domesticis*, *& protectoribus*; Sic *in Rubrica Cod. de primicerio lib.* 12. Primus Notariorum appellatur *primicerius*, eo quod in Matricula Notariorum primo loco sit scriptus, ut explicat Glossa *ibidem*. Similiter *l. Primicerium* 2. *Cod. de Fabricensibus*; Primus Fabricensium vocatur *primicerius*, ut tradunt Gregor. Tholosan. *lib.* 15. *Syntagm. Jur. cap.* 22. *num.* 5. *& sequent.* Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. *quæst.* 1. Pirhing *lib.* 1. *Decret. tit.* 25. *numer.* 1. Reiffenstuel *ibid. n.* 1. & alii passim.

2 Quoad præsens autem *Primicerius* dicitur *primus Cantor*, seu primus in Cantu, seu Choro, qui alio nomine appellatur *præcentor*, ut patet *ex cap. Cum olim 6. de consuetud.* & qui secundum locum post ipsum tenet, ejusque absentis vices gerit, vocatur *Succentor*, ut *cap. Inter dilectos* 11. *de excessibus Prælator.* sive *Vicecantor*; Azor. *cit. part.* 2. *lib.* 3. *c.* 22. *q.* 2. Pirhing *loc. cit. num.* 1. & alii; Et alicubi vocatur *Magister Scholarium*, seu *Scholasticus*; Sic notat Hostiens. *in Summar. num.* 1. *tit. de Primicerio*, Pirhing *loc. cit. num.* 1. Reiffenst. *loc. cit. num.* 1. & alii.

3 Primicerii Officium describitur *in cap. perlectis* 1. *§. ad primicerium dist.* 25. *& c. Unic. de Officio primicerii*, quod sit præesse Diaconis, & reliquis Clericis in docendo ordinem, & modum psallendi, & canendi in Choro pro diversitate, & solemnitate temporum, & ad ipsum spectet Divinum Officium ordinare, Psalmos, Lectiones, Responsoria, & alia hujusmodi assignare, quæ quisque Clericorum dicere debeat, ipsumque Chorum regere, & operam dare, ut omnes, ab ipso, vel a quo ipse jusserit, instruantur, & disciplina inter eos observetur, tamquam pro iis rationem coram Deo redditurus, alioquin enim tenebitur de negligentia in Officio suo commissa.

4 Primicerius, Cantor, seu Præcentor in illis locis, seu Ecclesiis, in quibus ratione sui Officii præcedit aliis Canonicis, censetur constitutus in Dignitate, seu Personatu, ibique Primiceriatus est Dignitas, seu Personatus, ut constat *ex cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus*, *& cap. Cum olim 6. de consuetud.* Ubi vero nullam præeminentiam, seu præcedentiam inter alios Canonicos habet, non censetur in Dignitate, seu Personatu constitutus, sed ibi nudum Officium, seu administrationem
5 habet. Et idem dicendum est de Thesaurario, Sacrista, & Custode; Azorius *loc. cit. cap.* 16. *qu.* 3. *& cap.* 22. *q.* 1. Pirhing *loc. cit. nu.* 2. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 3. Layman *in cit. cap. Unic. de Officio primicerii*, & alii passim.

Additiones ex aliena manu.

6 Vicarii *nati* Episcopi primitus fuere *Archidiaconus*, *& Archipresbyter*. Additus postmodum fuit in Ecclesiis Cathedralibus *Primicerius*, qui ex delegata potestate Episcopi præerat Clero inferiori, seu minori. Primis temporibus hæc potestas Ar- 7
chidiacono demandata erat ab Episcopo, ut omni Clero etiam Presbyteris, & Archipresbyteris præesset, ut ejus quasi esset administrator, & Vicarius Generalis. Quum vero hic potissimum auctoritatem suam in Clerum majorem, & Superiorem extendisset, substitutus est ei alius Vicarius, a quo Clerus inferior regeretur; Thomassin. *vet. & nov. Eccles. disc. t.* 1. *lib.* 2. *c.* 103. *§.* 10. Factum est
inde, ut in absentia Episcopi his tribus Vicariis 8
Archidiacono, *Archipresbytero*, *& Primicerio* gubernacula Ecclesiæ demandarentur: ut mox laudatus Auctor *loco citato* §. 3. ex Epistola Papæ Martini ostendit.

Plene officium Primicerii in Cathedralibus de- 9
scribit Isidorus *in C.* 1. *d.* 25. *Ad Primicerium*, inquit, *pertinent Acolythi*, *Exorcistæ*, *Psalmistæ*, *atque Lectores*. Pergit vero: *Signum quoque dandum pro Officio Clericorum*, *pro vitæ honestate*, *& Officio meditandi*, *& peragendi sollicite lectiones*, *benedictiones*, *psalmum*, *laudes*, *offertorium*, *& responsoria*, *quis Clericorum dicere debeat*. *Ordo quoque*, *& modus psallendi in choro pro solemnitate temporum*, *ordinatio quoque pro luminibus deportandis*. *Si quid etiam necessarium est pro reparatione Basilicarum*, *quæ sunt in urbe*, *ipse denunciat Sacerdoti*. *Epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum Parochianis ipse per Ostiarios dirigit*: *Clericos*, *quos delinquere cognoscit*, *ipse distinguat*. *Quos vero emendare non valet*, *eorum excessus ad cognitionem Episcopi deferat*. *Basilicanos ipse constituat*, *& matriculam ipse disponat*. Plenius hoc declaratur *in C. unic. de offic. Primicer.* ubi additur, quod præsit Diaconis, & reliquis gradibus Ecclesiasticis in ordine positis, quamvis sub Archidiacono constitutus sit, & ejus Sub-officialis esse videatur.

De Primicerio juxta hodiernam disciplinam con- 10
sule Corvin. *de Person. & Benefic. Eccles. tit. de Primic.*

Alias constat Primicerium vocari Antesignanum 11
cujuscumque Officii Civilis & Sacri. Fit hoc sensu in antiquis monumentis mentio *Primicerii Notariorum*, *Palatii*, *Aulæ*, *sacri cubiculi*, *sacrarum largitionum*, *Defensorum*, *Judicum*, *Lectorum*, *Silentiariorum* &c. *Ducange in Glossar. ad Scrip. med. & infim. Latinit. voce Primicer.* Confer etiam Jacob. Gothofred. *ad L.* 19. *C. Theodos. de Palatin. Sac. Larg.* Brisson. *de verb. signific. voce Primicerius*. Si-
cuti itaque qui primum locum tenebant, *Primice-* 12
rii appellabantur; ita qui secundum, & tertium locum, dicebantur *Secundicerii*, *Terticerii*; Brisson. *ubi supra* (*).

PRI-

(*) Vide hac de re disserentem cumprimis Illustriss. Cyrenensium Episcopum Aloysium Gallettum in egregio opere, quod *de Primicerio* edidit: ubi & illud *pag.* 26. animadvertit, inter Primicerios, qui Romæ erant, *Primicerium Notariorum eminuisse*, huncque illum fuisse, qui vel *Primicerius* absolute appellabatur, vel *Primicerius Sanctæ Sedis Apostolicæ*, vel *primus Primicerius* vel etiam *Primicerius judicum*.

PRIMITIÆ.

1 Primitiæ sunt primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum, & hujusmodi. *Communis*, & colligitur aperte *ex lib. Exodi cap.* 23. *num.* 16. *&* 19. *ex lib. Num. cap.* 18. *nu.* 12.
2 *& ex lib. Deuteronom. c.* 16. *num.* 2. Vocantur autem *primitiæ*, quia sunt primi fructus. *Communis*, per text. *in leg. Num. cap.* 18. *num.* 12. *&* 13. ibi: *Quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi, Universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedant in usus tuos*. Insuper Barbosa *in Rubric. de primitiis num.* 6. Silvester verb. *Decimæ n.* 1. *in fine* Reiffenst. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 30. *num.* 171. addunt vocari *primitias*, quia sunt fructus optimi, sive primi in bonitate, per text. *in cit. lib. Num. cap.* 18. *nu.* 12. ibi: *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino &c.* Quod negant Suarez *lib.* 1. *de Divino cultu cap.* 8. *num.* 2. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 30. *num.* 169. & alii dicentes, quod significantur hic nomine Primitiarum primi fructus tempore, non bonitate, idest optimi, ut colligitur *in citat. lib. Numer. c.* 18. *numer.* 13. ibi: *Universa frugum initia* (idest Primitias) *quas gignit humus &c.*

3 Per primitias non intelliguntur, nec olim intelligebantur, omnes primi fructus alicujus terræ, agri verbi gratia aut vineæ, nec erat quantitas certa, & determinata; Postea vero fuit determinata hæc quantitas, scilicet, quod nemo plusquam quadragesimam partem dare teneretur, & nemo minus, quam sexagesimam dare posset de primis fructibus; textu expresso *in cap. Decimam partem* 1. *de Decimis, Primitiis, & Oblationibus* §. *At vero*, ibi: *At vero primitiæ, quas de frugibus offerebant, non erant speciali nomine definitæ, sed offerentium arbitrio derelictæ; Traditionem quoque accepimus Hebræorum, non Lege præceptam, sed arbitrio Magistrorum inditam; Quod qui plurimum, Quadragesimam partem dabant Sacerdotibus, qui minimum, Sexagesimam; Inter Quadragesimam, & Sexagesimam licebat quodcumque voluissent offerre; Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hoc specialiter definitur propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in Primitiis offerendis*.

4 Ad primitias reducuntur omnia Primogenita, idest primi partus, tam de hominibus, quam de animalibus, qui Deo specialiter offerri, & sacrificari debebant, juxta *cap.* 13. *Exodi numer.* 2. ibi: *Sanctifica mihi omnem primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quam de jumentis*, & cap. 18. *Num.* ibi: *Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui Juris erit, ita dumtaxat, ut pro hominis Primogenito pretium accipias*.

Primitiæ Lege veteri debebantur Jure Divino 5
positivo. *Communis*, per text. *in cap.* 23. *num.* 19. *Exodi c.* 48. *num.* 12. *Num. c.* 16. *n.* 2. *Deuteron.* cum similibus.

Primitiæ secundum substantiam, quatenus vide- 6
licet spectant ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ etiam in Lege nova adhuc debentur de Jure Divino; Formaliter vero sumptæ, seu pro certa quantitate, debentur solum Jure humano. Prima pars colligitur *ex cap. Revertimini* 65. *caus.* 16. *quæst.* 1. ubi Decimæ, ac Primitiæ quoad substantiam Jure Divino obligari supponunt, & *capit. Tua* 26. *De Decimis, Primitiis, & Oblationibus*, ubi expresse habetur: *Nimis profecto videtur iniquum si Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse Decimas, & Primitias asseverans &c. diminui valeant*. Et tenent Glossa *in cap. Ecclesias* 1. *caus.* 13. *q.* 1. *verb. Primitias*, Guttierez *Canonic. qq. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 6. Barbosa *de Offic. & potest. Parochi part.* 3. *cap.* 27. *numer.* 5. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 175. Didac. & alii. Secunda autem pars clare patet *ex cap. Revertimini* 65. *cap.* 16. *quæst.* 2. *& cap. Decimas* 1. *ead. caus.* 16. *quæs.* 7. ibi: *Oportet autem .... Primitias, quas Jure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere; cap. præter* 6. *dist.* 32. *in fine*, ibi: *Primitiæ .... fideliter reddantur a Laicis*.

Primitiæ formaliter sumptæ non amplius deben- 7
tur; ubi non adest consuetudo eas solvendi. *Communis*, ut patet ex fere universali praxi eas non solvendi. Cum enim primitiæ formaliter sumptæ, idest secundum specificam, & determinatam quantitatem, sint introductæ sola Lege humana, potuit huic derogare consuetudo legitime præscripta; textu expresso *in cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*.

Inter Primitias, Decimas, & Oblationes hæc 8
adest differentia, quod *Primitiæ* solvuntur semel tantum de primis fructibus Novalium, agrorum, vinearum, arborum, & animalium in signum gratitudinis erga Deum; *Decimæ* solvuntur singulis annis in recognitionem universalis Dei dominii de omnibus fructibus; *Oblationes* solvuntur sine determinatione temporis, qualitatis, aut quantitatis ex causa devotionis. Sic expresse Engel. *lib.* 3. *Decret. tit.* 30. *num.* 60. & alii. Vide verb. *Decimæ*, & verb. *Oblationes*.

Additiones ex aliena manu.

Primitiæ dicuntur primæ fructuum obventiones, 9
ut primi animalium fœtus, primi fructus de terra ad culturam redacta, & denique prima de fructibus singulorum annorum commoda.

Antiquissimi sane fuit instituti, eas Deo conse- 10
crare Fonti omnis boni, & omnium commodorum largitori. Tenebantur hac etiam devotione Genti- 11
les; Consule *Samuel. Pitisc. in Lexic. antiq. Roman. voce Primitiæ. Spencer. de leg. Hebræor. Ritual. lib.* 3. *diss.* 1. *cap.* 6. *Guther. de vet. jur. Pontif. lib.* 4.

Male vero *Spencerus* inde colligit, institutum 12
primitiarum ex Religione Gentilium esse petendum.

dum. Prima ejus vestigia inter eos, qui verum Deum colebant, deprehendimus e Sacra Scriptura, exemplo Abelis id corroborante; *Genes. IV.* 4.

13 Nulla in Ecclesia nascente erat Lex de Primitiis solvendis. Quod enim *in can.* 4. *Apostolorum apud Harduin. tom.* 1. *Concil. p.* 10. *& p.* 33. de Primitiis traditur, non est Apostolicum institutum, sed sæculorum subsequentium usus; *Pseudo-Clemens ait: Omnis autem fructus domum mittatur. Primitiæ Episcopis, & Presbyteris. Clarum est, quod Episcopi, & Presbyteri Diaconis, & reliquis distribuant: Canone præcedente III. Apostoli finguntur indulsisse, ut tantum legumina nova tempore opportuno ad Altare deferantur, quod eo tempore inter non entia relatum est. Qui mensas Agapis destinatas Altaria fuisse asserunt, næ graviter errant, ut Eruditi docuerunt.*

14 Si Canones Arabici Nicæni genuini forent, jam sæculo IV. fuisset Lex de solvendis primitiis. Si quidem *cap.* 1. constitutum apud *Harduinum tom.* 1. *Conc. p.*510. fingitur: *Item exigit a vobis Deus, ut offeratis primitias frugum vestrarum, & primitias fructuum vinearum, & jumentorum vestrorum Ecclesiis, ut ex iis alantur Sacerdotes, & Ecclesiæ Ministri*: Hanc vero Legem ignorant Canones Nicæni genuini, ignorant Canones Synodorum reliquarum hujus sæculi.

15 Posterioribus vero temporibus legem de solvendis primitiis in Ecclesia fuisse indictam tenent nonnulli præsertim ex *Can.*7. *Conc. a S. Gregorio VII. Romæ in Laterano anno* 1078. *habiti*, quod relatum est *in Can.*1. *q.*7. At alii censent, potius contineri
16 adhortationem, & consilium, quam jussum. Sed quidquid hujus rei sit, si spectes usum, primitiæ non sunt sub obligatione.

17 Duobus vero casibus adhuc debentur. Primo si Parochorum facultates adeo angustæ sint, ut congruæ ipsorum sustentationi haud sufficiant. Se-
18 cundo si solvi alicubi consueverunt. Et, quod mirum est, *Jacobus de Lande in Rubric. ad tit. De-*
19 *cret. de Decim.* censet, oblationes consuetudine quantumvis vetustissima haud evadere obligatorias, primitias vero consuetudine obligatorias evadere. Rationem vero diversitatis his verbis nititur: *Oblationes* (inquit) *ex pietatis officio, & mera donantium voluntate proficiscuntur, & nullo jure cogente celebrari debent, juxta id quod ait sacer textus: Voluntarie sacrificabo tibi: & illud Exodi* 35. *Omnes viri, & mulieres mente devota, obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi: cuncti filii Israel voluntaria donaria Domino dedicaverunt: can.*6. *Concilii Cabilon. Aliud obtinet circa Primitias, propterea quod specialis sit ratio eas præstandi, nimirum in recognitionem divinæ liberalitatis ob fructus concessos, quæ cum temporis diuturnitate concurrit, atque ita primitiæ duobus casibus obligationis nexu continentur, si Populus usu longævo eas rependere solitus sit, vel si Sacerdotes indigeant, quibus intervenientibus sunt in mandato, & primitias renuentes possunt excom-*
20 *municari, Canon. Præter hoc, dist.*32. Sed & oblationes consuetudine obligatorias evadere, monstravimus *in addit. ad verb. Oblationes.*

PRIVATIO VOCIS ACTIVÆ, & PASSIVÆ, & OFFICII, VEL BENEFICII. Vide verb. *Lex art.*2. *a n.*27. *ad* 44.

PRIVILEGIUM.

Articulus I.

Quoad ea, quæ concernunt Privilegiorum naturam, divisionem, concessionem, acquisitionem, & communicationem.

Privilegium proprie sumptum est Supremi Principis Constitutio specialem favorem concedens; Unde Privilegium dici solet Lex privata, contra, vel præter Jus, aliquid concedens; *cap. Privilegia* 3. *dist.* 3. *& cap. Abbate* 25. *de verbor. signific.* ibi: *Cum Privilegium sit Lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret.* Sic in re *Communis.* 1

Ad substantiam Privilegii non requiritur, quod sit scriptum; *cap. Institutionis* 7. *caus.* 25. *quæst.*2. & ibi Glossa verb. *Præsentia*, *Clementin.*2. §. *Nos enim de sepulturis*, ibi: *Universa privilegia, gratias, Indulgentias, verbo, seu scripto concessa &c.* & Glossa ibidem verb. *Verbo*. Et *Extravag. ultim. post initium, de pœnit. & remissionib. inter Communes*, ibi: *Facultatum per Nos concessarum, tam verbo, quam in scriptis, confectis exinde litteris, vel non.* Et sic *Doctores communiter.* 2

Privilegium dividitur primo in Privilegium contra Jus, & Privilegium ultra, vel præter Jus. Privilegium *contra Jus* est, quo Juri communi derogatur, ut exemplo a solvendis Decimis, vel a Jurisdictione Ordinarii, & hujusmodi, quæ conceduntur contra Jus commune; Privilegium *ultra, vel præter Jus* est, cujus actus, vel materia non est quidem Jure prohibita, sed tamen non nisi certis personis concessa, ut potestas absolvendi a reservatis, vel dispensandi, & hujusmodi. 3

Secundo, Privilegium dividitur in Privilegium clausum in corpore Juris, & in Privilegium extra Corpus Juris, seu datum per speciale Rescriptum Principis. Privilegium *clausum in corpore Juris* est, quod inter alia Jura, seu alias Leges Corpori Juris insertum est, ut sunt Privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quæ habentur passim, tum in Jure Canonico, tum etiam Civili *in Titulo, & Cod. de SS. Eccles. & Cod. de Episcop. & Cleric.* Item Privilegia Pupillorum, Minorennium, Studiosorum, Militum, Fisci, Creditorum, & similia, quæ passim habentur in utroque Jure. Privilegium *extra Corpus Juris* est illud, quod per speciale Rescriptum Principis, seu per speciales litteras, vel per Bullam, Diploma, seu Indultum alicui personæ, Communitati, vel loco 4

est

est concessum, & necdum Juri communi est insertum.

5 Tertio, Privilegium dividitur in reale, personale, & mixtum. Privilegium *reale* est illud, quod proxime, immediate, & directe confertur rei, loco, muneri, dignitati, & hujusmodi, v. g. Prædio, Ecclesiæ, Monasterio, Prælaturæ, & consequenter etiam, & ultimate personis, quæ talem rem, locum, Prælaturam, Dignitatem, vel Officium habent. Privilegium *personale* est illud, quod proxime, immediate, & directe confertur personæ ratione illius personæ sine contemplatione rei, *arg. cap. Mandata 6. de Præsumpt.* ibi: *Quas non loco tribuimus, sed Personæ*. Privilegium *mixtum*, idest partim personale, & partim reale est illud, quod conceditur certo personarum generi, seu qualitati, ut privilegium restitutionis in integrum concessum Minoribus 25. annis, quod etiam ad heredes transit, *l. Non solum 6. ff. de in integrum restitut.* Item Privilegium S. C. Vellejani concessum fœmnis, ne ex fidejussione obligentur; Item Privilegium S. C. Macedoniani concessum filiis familias, ne ex mutuo sine consensu Patris accepto obligentur. Item Privilegia Clericorum, Studiosorum, Militum, & hujusmodi; Talia enim Privilegia dicuntur mixta, quia conceduntur non mere respectu personæ, nec mere respectu rei, sed mixte, & respectu personæ, & respectu rei, videlicet intervenientis læsionis, vel ratione status, Dignitatis, Officii, aut conditionis ipsis adhærentis, ideoque etiam perpetua sunt, & transeunt ad personas succedentes in Dignitate, Officioque, & sic etiam realia privilegia censentur.

6 Quarto, Privilegium dividitur in Privilegium remuneratorium, & in privilegium mere gratiosum. Privilegium *remuneratorium* est illud, quod conceditur intuitu meritorum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, servitiorum, expensarum, & hujusmodi, in conversione infidelium, Hæreticorum, Rebellium, Schismaticorum, in bello, & hujnsmodi exhibitorum, & præstitorum; sicque hoc Privilegium censetur datum, seu concessum tamquam in præmium, & quamdam remunerationem, seu compensationem. Privilegium *mere gratiosum* est illud, quod ex mera Concedentis gratia, & benevolentia, non intuitu meritorum, aut in illorum compensationem conceditur.

7 Quinto, Privilegium dividitur in scriptum, & non scriptum. Privilegium *scriptum* est illud, quod per scripturam, seu Rescriptum Principis conceditur. Privilegium *non scriptum* est illud, quod Princeps oretenus dumtaxat sine scriptura concedit, & dicitur privilegium *vivæ vocis oraculo concessum*, de quo fuse sub verb. *Oracula vivæ vocis*.

8 Sexto, Privilegium dividitur in perpetuum, & temporale. Privilegium *perpetuum* est illud, quod conceditur absque limitatione temporis, vel adhæret rei de se perpetuo duraturæ. Privilegium *temporale* est illud, quod conceditur pro determinato, & limitato tempore.

9 Septimo, Privilegium dividitur in Commune, seu Communitatis, & in privatum, seu privatorum. Privilegium *Commune, seu Communitatis* est, quod primario conceditur Communitati, seu Universitati, & per se respicit bonum Communitatis, cui est concessum, quamvis etiam redundet in membra ejus, ut est privilegium Fori, & Canonis concessum toti statui Clericali. Privilegium *privatum, seu privatorum*, est, quod primario conceditur personis particularibus, & per se respicit bonum personarum particularium, quamvis mediate redundet etiam in bonum Commune, ut est privilegium restitutionis in integrum Minoribus 25. annis concessum, & hujusmodi.

Octavo, Privilegium dividitur in purum, & in 10
Conventionale. Privilegium *purum* est illud, quod sine aliqua conventione, seu reciproca obligatione conceditur. Privilegium *Conventionale* est illud, quod conceditur cum conventione, & obligatione aliquid dandi, aut faciendi, & hujusmodi; Unde hoc privilegium quodammodo emitur, seu per contractum onerosum acquiritur.

Nono, Privilegium dividitur in Privilegium pro 11
foro conscientiæ tantum, & pro foro externo. Privilegium *pro foro conscientiæ* est, quod solum prodest, ut quis salva conscientia illo uti possit, non vero, ut quis exterius, & in foro contentioso pro privilegiato agnoscatur. Privilegium *pro foro externo* est, quod non tantum prodest in conscientia, sed etiam in Judicio externo.

Decimo, Privilegium dividitur in Privilegium 12
concessum ex motu proprio concedentis, & in privilegium concessum ad preces, seu supplicationem Privilegiati. Privilegium concessum *ex motu proprio* est illud, quod in Litteris privilegii insertam habet clausulam *Motu proprio*, etiamsi forte privilegiatus per se, vel per alium pro eo supplicaverit; Textus, & Glossa communiter recepta, *in cap. Si motu proprio 23. de Præbend. in 6.* Unde idem operatur motus proprius ad instantiam partis concessus, ac motus proprius ex mera Principis liberalitate procedens. Barbosa *clausul. 79. n.6.* & alii passim. Privilegium concessum *ad preces, seu supplicationem Privilegiati* est illud, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces, seu supplicationem conceditur.

Inter utrumque hoc Privilegium notabilis interce- 13
dit differentia, quod scilicet Privilegium *motu proprio* concessum, non tantum sit altero favorabilius, & plenissimæ interpretationis, *c. Quamvis 4.* cum ibi notatis per Glossam in verb. *Plenissimæ, de Præbend. in 6.* sed etiam non possit argui de subreptione, *cit. cap. Si motu proprio 23. de Præbend. in*. E contra vero Privilegium, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces, seu supplicationem conceditur, corruit per falsa narrata, vel tacitam veritatem, quæ de jure, aut stylo Curiæ exprimi debuisset; Semper enim intelligitur illa tacita conditio: *Si preces veritate nitantur*, textu expresso in *cap. Ex parte 2. de Rescriptis*, ibi: *In hujusmodi Litteris intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: Si preces veritate nitantur*.

Privilegium concedere potest solus ille, qui Le- 14
gem condere potest. *Communis*; Privilegium enim,

enim, vel est *contra Jus*, & tunc clarum stat, quod soli Legislatori, vel ejus Successori, vel utriusque Superiori competit facultas concedendi tale privilegium, cum includat dispensationem, & derogationem Legis. Vel est privilegium *ultra*, seu *præter Jus* commune, vel municipale, & tunc etiam clare patet, quod solus Legislator, vel Successor, seu Superior utriusque potest ipsum concedere, cum solus ipse obligare possit saltem suos subditos, ne impediant privilegiatum in usu sui privilegii.

15 Privilegium *contra Jus*, non potest concedi nisi aliquo modo subditis. *Communis*. Per tale enim privilegium eximitur privilegiatus a Lege, seu Jure, cui subdi debet; aut exercetur aliquis actus Jurisdictionis, qui exerceri non potest nisi in aliquo modo subditos.

16 Privilegium autem *ultra*, seu *præter Jus* potest concedi etiam non subditis. *Communis*, Concessio enim talis privilegii non est tam actus Jurisdictionis, quam cujusdam donationis, & dominii illius rei, vel Juris, quod per privilegium datur: Videmus enim in dies Principes concedere sibi benemeritis forensibus, & extraneis privilegium, ut in suis Ditionibus liberi sint a præstandis Vectigalibus, ut possint extrahere frumentum, merces, arma, milites, & hujusmodi.

17 Ut concessio privilegii sit licita, requiritur justa causa. *Communis*; Justitia enim distributiva, & Legalis requirit, ut nullus absque rationabili causa eximatur a Lege communi, & sic ne concedatur alicui privilegium contra Jus: Immo neque privilegium *ultra*, seu *præter Jus*, quia si sine justa causa id Princeps concederet, argueretur prodigalitatis, & acceptionis personarum, daretque occasionem invidiæ, & perturbationis aliis non privilegiatis.

18 Potest tamen concessio privilegii esse valida, quamvis sit facta sine justa causa. *Communis*: Valor enim privilegii, sive *contra Jus*, sive *ultra*, seu *præter Jus* pendet omnino a voluntate Concedentis ipsum privilegium. Unde sicut ipse potest absque ulla causa tollere valide hujusmodi Jus, seu Legem ex toto; ita a fortiori ex parte unam, vel aliam personam per speciale privilegium ab ejus obligatione eximendo saltem valide.

19 Privilegium acquiri potest ex concessione Principis, sive facta motu proprio ex ultronea ipsius liberalitate, sive facta ad preces, & supplicationem privilegiati. Qui tamen privilegiatus ad hoc, ut valide, & licite privilegium acquirat, debet in supplicatione evitare obreptionem, & subreptionem; necessario enim debet fideliter exprimere ea omnia, quæ verisimiliter retrahere possent animum a concessione Privilegii. Sic notant passim Doctores post Clarum, §. *final. qu.*59. *verb. Debes advertere*.

20 Item privilegium acquiri potest Præscriptione, seu consuetudine legitime præscripta. *Communis*, per textum, *in cap. Novit* 13. *de Judiciis*, *& cap. Super quibusdam* 26. *de verborum significat.* Consuetudo enim legitime præscripta habet vim Privilegii, & inducit Jus, *arg. citat. cap. Novit* 13. *de Judiciis*, ibi: *Nisi forte Jure communi per speciale Privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum*. Ubi Glossa communiter recepta verb. *Consuetudinem*, sic dicit: *Nota, quod consuetudo parificatur privilegio*; *cap. Conquestus* 8. *caus.* 9. *quæst.* 3. *cap. Quia sancta* 28. *dist.* 63. *cap. Quia per ambitionem* 6. *dist.*64. Unde per consuetudinem legitime præscriptam acquiritur Jurisdictio, *cap. Duo simul* 9. & *ibi* Glossa *verb. Consuetudo*, *de Offic. Judic. Ordinar. cap. Cum contingat* 13. *in fine de Foro competenti*. Item per ipsam acquiritur Jus exigendi tributa, & pedagia, *cap. Super quibusdam*, 26. §. *Præterea*, & *ibi* Glossa *verb. Non extat memoria*, *de verborum significatione*. Item per ipsam acquiritur exemptio a Decimis, a Funeralibus, & similibus; *cap. De quarta* 4. *& cap. Cum olim* 18. *de Præscriptionibus*, cum similibus.

Item Privilegium acquiritur per communicationem. *Communis*. 21

Communicatio autem, seu communicare idem 22 est, ac commune facere, & conferre alicui quod prius jam alteri fuerat concessum: Unde communicatio Privilegiorum consistit in participatione, & concessione quadam Privilegii, quod Superior, postquam illud uni simpliciter concesserat, etiam ad alium extendit, *arg. cap. Cum de diversis* 2. *de Privilegiis in* 6.

Regulares Mendicantes habent plenissimam in- 23 ter se communicationem Privilegiorum; Immo communicant etiam Privilegiis concessis aliis Ordinibus non Mendicantibus. Sic Herincx *disput.* 4. *de legibus*, *quæst.*6. *num.* 73. Sannig. *dist.* 2. *de privileg. Regular. quæst.* 4. Cassaing. *de privileg. Regular. tract.* 1. *cap.*3. *præposit.*1. Portel. *verb. Communicatio privilegiorum*, Casarubios *eodem verbo*, Rodriquez *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.*55. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.*33. *num.*55. *& seq.* & alii communiter. Et id clare patet ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus, & signanter Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli V. Pii IV. S. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. pluriumque aliorum, quos enumerat, & adducit novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Summe decet*, & Constitut. incip. *Pretiosus*, & in aliis Constitutionibus specificatis, & moderatis a Clemente XII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*.

Et quo ad hanc Privilegiorum communicationem 24 mea Religio Fratrum Minorum Regularium Observantiæ inter alias amplissimam concessionem obtinuit a Clemente VII. Constitut. incip. *Dum fructus uberes*, quæ Bulla fuit postea confirmata a Paulo IV. Pio IV. Gregorio XIII. Sixto V. & aliis Pontificibus, & specialiter a Clemente VIII. Constit. incip. *Ratio Pastoralis*, & a Benedicto XIII. Constit. incip. *Summe decet*; quæ tamen Benedicti XIII. Constitutio quo ad maximas ampliationes, & ingentes novas concessiones una cum aliis ab eodem emanatis pro aliis Ordinibus Regularibus, fuit moderata a Clemente XII. d. Constit. incip. *Romanus Pontifex*.

Unde hic juvat adducere dictam Constitutionem 25 Clement. VII. quæ est, ut sequitur.

CLE-

CLEMENS PAPA VII.

DUm fructus uberes, quos ordo Sacer dilectorum Fratrum Minorum Regularis Observantiæ im agro militantis Ecclesiæ cum propagatione Religionis, ac defensione, & augmento Fidei Catholicæ, ac salute Christifidelium produxit hactenus, & in dies producit, diligenter attendimus, dignum, quin potius debitum putamus (ut ejus statum prosperum, & tranquillum omni diligentia procuremus) illius Religiosas personas specialibus favoribus, & gratiis prosequi. Hinc est, quod Nos motu proprio, & ex certa nostra scientia, tenore præsentium, omnia, & singula Privilegia, immunitates, exemptiones, præsertim de non solvendo Clericis Sæcularibus Quartam funeralium, quoad Fratres in possessione non solvendi quartam hujusmodi existentes, ac omnia, & singula Indulta, Indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias dicto Minorum, ac S. Claræ, ac tertio de Pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, Sororibus, & utriusque sexus personis, atque Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & Locis quibuscumque, etiam per modum extensionis, seu communicationis, & per alias quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos, & Sedem prædictam concessa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & innovamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere, ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domus, Ecclesias, & alia loca hujusmodi omnibus, & singulis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, & gratiis, quibusvis Congregationibus dictorum Ordinum, aliorumque Ordinum Mendicantium quomodolibet concessis, & concedendis, nec non etiam quibusvis facultatibus, & gratiis suæ possessioni Regularis Observantiæ non contrariis, aliis Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus quomodolibet concessis, & concedendis, uti, frui, & gaudere posse, atque debere in omnibus, & per omnia perinde, ac si eis specialiter concessa fuissent; & Constitutiones in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, in Provincia Burgensi Regni Castellæ factas pleno robore firmitatem obtinere, & ab omnibus, quamdiu per Capitulum aliud Generale dicti Ordinis mutatæ non fuerint, inviolabiliter observari debere, nec non Regulam ipsam per Sanctum Franciscum pro Fratribus Minoribus institutam, observabilem, meritoriam &c. Cum omnibus clausulis revocativis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Maii Anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto Pontificatus Nostri Anno secundo.

Hæc Bulla videri potest in compendio privilegiorum nostrorum P. Alphonsi Casarubios in fine.

26 Adducitur etiam alia dicta Constitutio Clementi VIII. quæ est, ut sequitur.

CLEMENS PAPA VIII. &c.

„ RAtio Pastoralis Officii nostri exigit, atque efflagitat, ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apostolicæ, totique Ecclesiæ non modo illustrem, & præclaram, sed utilem etiam, ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris, & ejus Sedis Apostolicæ honoribus, ac beneficiis libenter prosequamur. Cum vero ex bonis, & commodis spiritualibus Ordinum Mendicantium, ea longe lateque pateant, semperque patuerint, quæ a Sacro Ordine Fratrum Minorum de Observantia, ab ipsis fundatæ Relgionis initiis, in omnes Christianæ Reipublicæ Provincias profluxerunt, quotidieque profluunt, & promanant, faciendum Nobis esse statuimus, ut in eodem Ordine, nostris, & Sedis Apostolicæ gratiis, atque muneribus honestando, nihil Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum benignitati, ac studio concedamus.

§. 1. Cum igitur pro parte dilecti Filii Joannis Baptistæ Moles Commissarii Generalis in Romana Curia ultramontanæ Familiæ prædicti Ordinis de Observantia Nobis expositum fuerit, ex ipsius Sedis benigna dignatione provenire, ut Romanus Pontifex, quandoque Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata, & restaurata muniat, & fulciat, & in pristinum statum reponat, ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri quasdam gratias, Concessiones, Indulgentias, & peccatorum remissiones, absolutiones, etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia Privilegia, & Indulta, tam prædictis Fratrum Minorum, quam S. Claræ, ac tertio de Pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriusque sexus personis, & Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque dictorum Ordinum nunc, & pro tempore existentibus in genere, vel in specie etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum aliis Ordinibus, Domibus, Ecclesiis, & utriusque sexus personis Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium existentibus concessorum concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, prout in singulis Concessionibus, Declarationibus, & Litteris eorumdem Prædecessorum expeditis plenius dicitur contineri:

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illa, quæ sæpius Apostolica auctoritate prædicta, munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, pro parte prædicti Joannis Baptistæ Moles Nobis fuit humiliter supplicatum, ut prædictis Privilegiis, Immunitatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, Indulgentiis, & Indultis, pro illorum observantia, nostræ approbationis robur adjicere, aliasque in præmissis opportune providere, benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui omnium votis, præsertimque illorum, qui sub suavi Religionis jugo Divinis Laudibus, & Christianæ Religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati, & commoditati consulunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, quæcumque præmissa, ac omnia singula alia Privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, Concessiones, Indulgentias, & Indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus ejusdem Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, & S. Claræ, & de Pœnitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium Professione, & eorumdem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Observantiæ hujusmodi obedientia degentibus: ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriusquee sexus etiam singularibus personis, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, sub quacumque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus, & singulis, in eis forsan contentis clausulis, Decretis, & Declarationibus quibuscumque, ac singulis desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, & in eis contenta, & inde secuta quæcumque illorum omnium tenores, & formas datas, effectus, & Decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, & in his essent inserta, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia (in his omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversantur, salvis etiam Decretis a Nobis in favorem Fratrum Reformatorum concessis) approbamus, & confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter observare, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, & Sanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de Observantia hujusmodi degentibus Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, personis, Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis, & locis prædictis, etiam per modum communicationis, & extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, & gaudere, & quando, & quoties opus fuerit, posse, & debere, in Judicio, & extra, ac etiam in foro conscientiæ, in omnibus, & per omnia, ac si specialiter, & expresse eisdem Fratrum Minorum, & S. Claræ, & Tertio de Pœnitentia Ordinibus per Nos concessa fuissent, decernimus; Supplentes omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum etiam de Juris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, & alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

§. 4. Quo circa venerabilibus Fratribus Mantuan. & Canarien. Episcopis, ac dilecto Filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos, concernunt, pacifice frui, & gaudere. Non permittentes quemquam desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, & causa, etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebite molestari: quinimmo quidquid contrarium attentari, vel fieri continget, omnia semper in pristinum reponi; Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascumque pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna Juris, & facti remedia, appellatione quacumque postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, ac S. R. E. Cardinales, nec non Sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VII. etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis; dummodo ultra tres dietas aliquis præsentium vigore ad Judicium non trahatur, aliisquæ Apostolicis Constitutionibus, ac Provincialibus, & Capitularibus statutis, & Constitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, etiam in forma Brevis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, & motu proprio, ac scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries concessis, firmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, earumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, & non autem per Clausulas Generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam, quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari posset, tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & auctoritate similibus derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas; non facientes

tes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Verum, quia difficile foret, præsentes Litteras ad singula quæque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus, & pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus ex Secretariis cujusvis prædictorum Prælatorum, Generalium, ac Romanæ Curiæ Commissarii, & suorum successorum, aut Notarii publici subscriptis, & Sigillo Officii alterius eorumdem, aut alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Dec. 1595. Pontificatus Nostri Anno sexto. „

Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini tom. 3. pag. 66.

27 Regulares Mendicantes communicant in omnibus privilegiis Societatis Jesu, etiam in quibus apposita est sequens, seu similis clausula: (*) *Ne illis per Communicationem fruantur ceteri Mendicantes*. Sic Diana, *par. 3. tract. 2. resol.* 81. Rodriquez, *tom. 1. quæst. Regular. quæst.* 55. *art.* 7. Henrincx *disp.* 4. *de Legibus quæst. 6. num* 75. Donatus, *tom. 1. par. 1. tract.* 7. *quæst.* 8. Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæst.* 46. *art.* 5. *conclus.* 2. Reiffenst. *lib. 5. Decretal. titul.* 3. *nu.* 64. Kazenberger, *in Supplement. Theol. moral. P. Sporer*, *cap. 1. sect.* 4. §. 2. *num.* 225. & alii. Et ratio est, quia Pontifices Successores Gregorii XIII. (qui talem clausulam prohibitivam communicationis apposuit) in Constitutione incip. *Pium*, *& utile*, de novo absque tali, seu simili clausula prohibitiva Communicationis amplissimam concesserunt Mendicantibus, & confirmarunt communicationem Privilegiorum, quorum Pontificum potestati derogare non statuit, immo non potuit ullus Antecessor, quia Par in Parem non habet imperium; *cap. Innotuit* 20. *de electione*, §. *Quamvis*, *& cap. Exiit* 3. §. *Ceterum Sanctæ memoriæ*, *de verbor. signific. in* 6.

28 Quod autem sine tali, seu simili clausula prohibitiva communicationis concesserint, seu confirmarint Successores Pontifices, patet ex variis eorum Bullis, & signanter ex Bulla Pii IV. incip. *Circumspecta*, confirmata per S. Pium V. Constit. incip. *Etsi cuncta*, & per ipsummet Gregorium XIII. Constit. incip. *Quo magis*, & per Sixtum V. Const. incip. *Etsi*, & per Gregorium XV. Constit. incip. *Quanta Christianæ*, & per Clement. VIII. Const. incip. *Pastoralis*. Quibus accedunt Constitut. Clementis VIII. incip. *Ratio Pastoralis* adducta *supra num.* 24. in qua Ordini nostro Minorum de Observantia, & singula Privilegia, quibuscumque, & quomodocumque concessa, *non obstantibus quibusvis clausulis irritativis*, *annullativis*, *cassativis etiam privilegiorum*, *earum revocativis*, *& restrictivis &c.* prout amplius potest videri in dicta Bulla, §. 5. Item Constitutio Gregorii XIV. incip. *Illius*, *qui*, in qua concessit Cisterciensibus, & Cruciferis præter cuncta alia privilegia, etiam in specie privilegia Societatis Jesu; Item Constitutio Bened. XIII. incip. *Summe decet* emanata pro nostro Ordine Minorum de Observantia, & alia incip. *Pretiosus* emanata pro præclarissimo Prædicatorum Ordine, in quibus præter omnia alia summa privilegia concedit eis in specie sine ulla limitatione cuncta privilegia præstantissimæ Societatis Jesu, quamvis dictæ Benedicti XIII. Constitutiones, quoad maximas ampliationes, & ingentes novas concessiones, una cum aliis ab ipso pariter editis pro diversis aliis Ordinibus Regularibus fuerint moderatæ a Clemente XII. Constit. incip. *Romanus Pontifex*. Et jam amplissimam Privilegiorum confirmationem, extensionem, & innovationem sine superius dicta limitatione, aut simili restrictione concesserant nostro Minorum Ordini de Observantia varii Summi Pontifices, & signanter ipsemet Gregorius XIII. Const. incip. *Ex benigna*; Paulus V. Constit. incip. *Injuncti Nobis*; Clemens VIII. Const. incip. *Ratio Pastoralis*; Urbanus VIII. Constit. incip. *In plenitudinem*, quæ omnes & aliæ confirmatoriæ Bullæ Privilegiorum nostrorum de novo fuerunt plenissime, & amplissime confirmatæ sine tali, aut simili clausula prohibitiva communicationis ab Innocentio XI. Constit. incip. *Exponi Nobis*; Unde ut concludunt Reiffenstuel *loc. cit. n.* 65. Kazenberger *l. c. n.* 425. & alii, nullum prorsus dubium superest, quin ceteri Mendicantes, & præsertim Fratres Minores gaudeant quoque Privilegiis Societatis Jesu, etiam cum clausula: *Ne illis per communicationem fruantur ceteri Mendicantes*, aut alia simili concessis.

Si Privilegium alteri Religioni communicatum, 29
apud primam Religionem privilegiatam restringatur, vel usu contrario penitus aboleatur, seu abrogetur, id non nocet dictæ secundæ Religioni privilegiatæ per communicationem. Sic Engel *lib. 5. Decret. tit.* 33. *numer.* 1. Suarez *de Legibus cap.* 15. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 69. & ipso teste alii passim. Et ratio est, quia licet tale Privilegium dependeat a priore privilegiata Religione in productione, non dependet tamen ab ipsa in conservatione, sed a secunda privilegiata per Communicationem, cum statim ac Privilegium est concessum uni Religioni, efficiatur etiam proprium alterius Religionis habentis communicationem cum illa; adeoque quamvis prima Religio privilegiata per non usum, seu revocationem illud amiserit, adhuc reservatur in secunda Religione, cui fuit communicatum, potestque ipsa illo libere uti, cum eidem Jus fuerit jam acquisitum ante illius cessationem seu revocationem.

Communicantes Privilegiis aliorum possunt 30
illis uti contra eosdem. Unde Regulares *communicantes* in Privilegiis aliorum Regularium possunt illis uti in Judicio contra eosdem Regulares, quibus ea primitus fuerunt concessa; dummodo Regulares *communicantes* sint rei, vel agant de damno

(*) E. R. Nota. Nisi aliunde constet de Communicatione, & quidem expresse, id falsum est.

mno vitando; Facta enim semel privilegiorum *communicatione* quælibet Religio æqualiter, & independenter ab alia gaudet talibus Privilegiis. *Communis*, teste Reiffenstuel *l. c. n.* 70. *& seq.*

31 APPROBATIO,

Et confirmatio Regularium Collegii, seu seminarii Missionariorum in Conventu S. Bartholomæi in Insula de Urbe Ordini Fratrum Minorum de observantia nuncupatorum destinati.

CLEMENS PAPA XI. &c.

Commissi Nobis Divinitus Sacrosancti Apostolatus officii ratio postulat, ut illis, quæ provido consilio pro Collegiorum, seu Seminariorum, in quibus Religiosi viri ad Christianam Fidem, & Catholicam Religionem propagandam mittendi opportune instituantur, salubri directione, felicique progressu constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolici muniminis adjungamus firmitatem.

§. 1. Alias siquidem Nos juxta Decretum, quod prius nempe in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum die tertia Octob. MDCCVII. coram Nobis habita edideramus, dilectis Filiis quorumdam Religiosorum Ordinum Superioribus præcepimus, ut omnino, ac quamprimum suo cuique in Ordine Conventum aliquem, veluti pro Seminario Missionariorum, adinstar Seminariorum, seu Collegiorum in S. Pancratii prope, & extra muros Urbis Ordinis Fratrum B. M. Virginis de Monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum, ac S. Petri in Monte aureo de eadem Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum etiam nuncupatorum Conventibus respective institutorum deputarent, in quo diu, ac diligenter vocatio, & spiritus eorum, qui Missionibus destinarentur, probaretur, ipsique etiam ibidem de omnibus, quæ ad hoc Apostolicum Ministerium cum laude, & fructu exercendum utilia, ac necessaria forent, plene instruerentur: quatenus vero in aliquo Ordine Conventus hujusmodi destinatio ad hunc effectum tantum non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo Conventu, vel Domo ejusdem Ordinis, ubi Regularis Observantia magis vigeret, executioni mandarentur.

§. 2. Porro in præmissorum implementum, sicut præfati Cardinales Nobis nuper exposuerunt, novissime in Conventu S. Bartholomæi in Insula de Urbe præsata Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum novum Collegium, seu Seminarium pro Missionariis hujusmodi erectum, seu destinatum, nec non dormitorium pro duodecim Religiosis ad loca Terræ Sanctæ, & alias Missiones expediendis assignatum fuit, & insimul nonnullæ Regulæ pro novo Collegio, seu Seminario hujusmodi confectæ, illæque ipsis Cardinalibus, ut ab iis confirmarentur, exhibitæ fuerunt tenoris, ut sequitur, videlicet: *Regulæ, & provisiones pro novo Collegio, seu Seminario Minorum Observantium erecto in Conventu S. Bartholomæi in Insula ejusdem Ordinis a Sacra Congregatione Generali de Propaganda Fide confirmandæ.*

I. Cum a Congregatione particulari habita die duodecima Septembr. MDCCIX. resolutum fuerit esse destinandum locum, seu dormitorium in dicto Conventu pro duodecim Religiosis expediendis ad loca Sancta, & respective ad alias Missiones, & Pater Cœlestinus a Mediolano Vice-Commissarius Generalis assignaverit Dormitorium, e conspectu Palatii Dominorum de Sabellis continens duodecim cellas, & alias contiguas pro Lectoribus juxta numerum inferius præfigendum, confirmanda videtur dicta assignatio, & ponenda in principio Dormitorii, vel in loco aptiori inscriptio:

Collegium, seu Seminarium pro Missionibus Sanctorum, & aliorum locorum.

II. Ut Missionum munus, quod vere Apostolicum est, per viros undequaque idoneos omni cura, & fervore, ac cum fructu exerceatur, incumbat Superior Generalis eligere Religiosos Regulari disciplina, probitate morum, ac zelo Gloriæ Dei præditos, & ad animarum salutem eximia caritate accensos, qui veluti candelabra super Montium jugis sita, ad tenebras tam infidelitatis, quam hæreseos pro viribus dissolvendas sint apti, quique nec minores sint annis vigintiquinque, nec trigesimoquinto majores, exceptis tamen lectoribus Jubilatis, & sexennalibus Sacræ Theologiæ ad has Missiones divinitus vocatis, dummodo tamen quadragesimum annum non excedant, robusta quoque corporis valetudine polleant ad jugiter laborandum in vinea Domini, & quidem indistincte, tam pro locis Terræ Sanctæ, quam pro aliis Missionibus: Theologiæ pariter cursum expleverint, ac Lectores, seu Concionatores fuerint, aut saltem in Morali Theologia bene versati, illosque non ex sola Italia, sed ex omnibus Provinciis advocare curet, & plures etiam ex una Provincia, dummodo sic electi prædictas habeant qualitates, moneatque insuper Provinciales, Guardianos, aliosque, si opus fuerit, Religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant, & contra tales dissuadentes, ac male consulentes, pœnas comminetur privationis vocis activæ, & passivæ, aliasque arbitrio Sacræ Congregationis.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem, aut saltem octo dies, cum omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, & deinde immediate in manibus dicti Patris Superioris Generalis Cismontani, aut eo absente, alterius ab eo deputandi juramentum juxta infrascriptam formulam præstent, illudque ad Sacram Congregationem transmittatur. Formula juramenti talis est.

Ego Frater N. professus in Conventu N. Provinciæ N. Ordinis S. Franc. de Observantia juro, & promitto in manibus Paternitatis vestræ Reverendiss. N. sive Superioris Delegati me ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum, mediate, vel immediate per interpositam Personam, nisi ex legitima causa admitten-

da

da a Paternitate vestra Reverendissima, vel a vestris Successoribus canonice intrantibus, & non alias. Insuper pro Fidei Catholicæ propagandæ causa, ac salute infidelium procuranda ad loca Terræ Sanctæ, aut aliam quamcumque Provinciam vel Regnum, sine aliqua repugnantia, & exceptione, quandocumque iturum, & ad illam partem ex dictis locis, aut Provinciis, ad quam a Paternitate Vestra Reverendissima ero destinatus, & missus; Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia: Ego N. N. affirmo, ut supra, manu propria.

IV. In dicto Seminario permaneant spatio duorum annorum, & non ultra, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus, vel ex alia legitima causa censuerint Lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis Patris Superioris Generalis Cismontani, & Sacræ Congregationis.

V. In omnibus Collegiales subsint, prout etiam Lectores, obedientiæ Guardiani, & Superiorum Ordinis respective, sicut ceteri Fratres, & Lectores de Familia, ac de iis habeatur, dum in Seminario permanserint, eadem ratio, ac si hujus Provinciæ Fratres essent, tum circa præcedentiam juxta susceptionem habitus, cum hac tamen declaratione respectu Lectorum Jubilatorum, & Sexennalium, ut dum actu sunt Collegiales, præcedentia, & præeminentiis ipsis competentibus secundum statuta Ordinis fruantur; & si Sexennales in propria Provincia locum non haberent, sint immediate post ultimum aggregatum de numero. Tum etiam circa reliqua eorum Religiosis necessitatibus convenientia, exceptis his, quæ sequuntur hoc modo, nempe vestiarium cuique ex dictis studentibus subministretur a singulis respective eorum Provinciis, juxta morem in Religione observatum, ac practicatum erga alios studentes. Quo vero ad Lectores actu legentes, Vestiarium subministretur ex pecuniis Terræ Sanctæ, mediante Syndico Apostolico, eisdemque Lectoribus, prout etiam sex studentibus ex eisdem pecuniis subministrentur ceteræ, quæ in Religione vocantur necessitates. Quo vero ad alios sex, subministrentur a Guardiano dicti Conventus, & Dominus Secretarius Sacræ Congregationis supplicabit Sanctissimo pro eleemosyna Missarum in dicta Ecclesia S. Bartholomæi celebrandarum pro sex ad minus dictorum Religiosorum, ne pro habenda dicta eleemosyna, ad alias Ecclesias divagentur.

VI. Duo semper in hoc Seminario ad minus pro nunc adsint Lectores, alter controversiarum, & alter pro lingua Arabica; & si possibile sit, addatur tertius, pro lingua Illyrica, & remittitur prudentiæ Patris Superioris Generalis Cismontani invenire lectorem, qui utramque ex dictis linguis calleat, & non admittantur nisi prævio examine, & confirmatione Sacræ Congregationis, iisdemque serio injungatur sedulitas, & assiduitas in lectionibus, repetitionibus, & exercitiis, ac dicti Lectores dum actu legunt, habeant præcedentiam modo, quo sequitur, nempe Lector Controversiarum, si fuerit lector Jubilatus de non numero, inter lectores Jubilatos de numero ultimo tamen loco; si fuerit solum sexennalis, omnes Ex-Definitores, Lectores linguæ Arabæ, si fuerint Jubilati, vel sexennales, eo modo, quo lector Controversiarum; si tantum instituti Lectores Theologi, inter Ex-Definitores juxta antiquitatem habitus; si non sint Lectores Theologi & trigesimum annum compleverint, immediate post Vicarium; si non compleverint trigesimum annum inter Lectores artium cum prærogativis secundum morem, & statuta Ordinis respective competentibus præcedant, incedant, & potiantur.

VII. Præfatus lector Controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones utiles locis Terræ Sanctæ, ac aliis respective locis, ubi Religio Missiones habeat, & post Vesperas earumdem agat conferentiam, frequentibusque exercitiis studentes instituat, singulis vero mensibus traditæ doctrinæ disputationes habeantur intervenientibus etiam aliis Lectoribus, & Religiosis ejusdem Conventus. Alii autem Lectores linguarum ter in hebdomada legant, & rerum, quas docuerint, repetitionem a studentibus exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post Vesperas auditores suos exercendo.

VIII. Prohibetur æque Lectoribus, ac studentibus, diebus Lectionum a Conventu egredi quacumque de causa, nisi expletis integre lectionibus, ac exercitiis ea die, qua fieri debebunt, & in hoc Guardianus diligenter incumbat, & si Theses eadem die habeantur, si ita expediens videbitur, absolute licentiam deneget.

IX. Interdicitur pariter æque Lectoribus, ac Collegialibus quadragesimalium concionum cursus aggredi, & solummodo permittatur studentibus sermonem aliquem, aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem Festivitatem, aut quadraginta horarum, & similiter in mensa, aut in Conventu, ad hoc ut prompti, sint ad hujusmodi exercitium subeundum tempore Missionum, dummodo per id a studiis prædictis nulla penitus distractio sequatur.

X. A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii, nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, & si quis neglexerit, a Guardiano corrigatur; idemque fiat, si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus, aut in dictis studiis desidiosum reperiat, & tam Lectores, quam Guardianus de omnibus Superiorem Generalem, ac etiam Sac. Congr. certiorent.

XI. Senis quibuscumque mensibus Theses Theologiæ, seu Controversiarum Arabico, Latino, & quatenus fieri possit, Illyrico idiomate habeantur, quibus Guardianus interesse teneatur ad dignoscendum eos, qui proficiunt, & monere debeat Patrem Superiorem Generalem de iis, qui forsan studio hujusmodi minus vacaverint, ut valeant, illis submotis, alios subrogare.

XII. Curet Superior Generalis aliquem Religiosum deputare, qui ad ipsos studentes singulis mensibus magno zelo, ac fervore concionem habeat de Missionariorum muneris præstantia, deque peculiaribus ejusdem functionibus, quo Spiritus Apostolicus in eis succendatur, ac persev-
veret,

veret, erudianturque in iis omnibus, quæ ad illud congrue, & cum Dei Gloria peragendum pertinent.

XIII. Superior Generalis Familiæ Cismontanæ, vel alter ab eo delegatus singulis saltem quatuor mensibus studium istud visitet, & si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliqua pœnitentia injuncta, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur, eum ad propriam Provinciam redire jubeat, & eamdem Sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimum subroget. Ultra vero præfatam Patris Superioris Generalis visitationem, Secretarius itidem Sacræ Congregationis idem Collegium bis visitet in anno absque Superiorum interventu, ut liberius queat statum, & necessitates Collegii exponere; adhibito secum dumtaxat aliquo Arabicæ linguæ perito, per quem possit alumnos examinare, & de eorum progressu certiorare.

XIV. Singulis diebus Dominicis, & aliis festivis de præcepto, præfati Collegiales in loco per Superiorem Cismontanum in Conventu destinando post Vesperas serio, & cum opportunis observationibus explicent Religiosis Sacerdotibus, Clericis, & Laicis Catechismum Romanum, unusquisque turnarie continuet per mensem, quousque compleatur, & deinde de novo per ordinem incipiatur, ad hoc, ut aptiores evadant tempore, quo in Missionibus permansuri erunt.

XV. Completo biennio singuli Collegiales, juxta Decretum die tertia Octobris MDCCVII. emanatum, in Congregatione coram Sanctitate sua examinentur, præsente quoque Eminentissimo Protectore Ordinis, qui cum Superiore Generali eligat illos ad Sancta loca mittendos, & alios pro ceteris Missionibus eidem Eminentissimo benevisis, & referre dignabitur Sacræ Congregationi, & si nullus tunc temporis in promptu sit Terræ Sanctæ, vel Missionis locus, aut saltem non pro omnibus Collegialibus, a Patre Superiore Generali destinentur, ut inferius, in aliquibus Conventibus, quousque advenerit occasio juxta indigentiam, & opportunitatem transmittendi, & Sacram Congregationem certioret, & si aliquis ad locum destinatum renueret, aut accedere negligeret, arbitrio Sacræ Congregationis plectetur, & advenientibus novis Collegialibus, præmissis exercitiis spiritualibus, factoque juramento, illud ad Sacram Congregationem transmittat.

XVI. Ut autem dicti Ordinis Collegiales aliquo etiam temporali præmio alliciantur, animosque libentius intendant ad Sacrum Missionum Ministerium, ac consequenter studiis præfatis, veluti ad Missiones ipsas directis, infra dicendis privilegiis gaudeant, & potiantur.

XVII. Donec completo studio sese obtulerit occasio ad loca Sancta, vel alias Missiones accedendi, Pater Superior Generalis illos ad proprias revocet, collocetque in aliquo principali Provinciæ Conventu iisdem grato, ex quo ipso Generali Superiore Cismontano inconsulto, dimoveri nequeant.

XVIII. Iis vero, qui in Missione aliqua Præfecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriæ Provinciæ Conventibus sibi deligere, ac inter Lectores Jubilatos de numero præcedentiam habere juxta antiquitatem institutionis, cum omnibus præeminentiis per Constitutionem san. mem. Urbani VIII. concessis: & si jam iidem Præfecti fuerint Lectores Jubilati instituti, sive de numero sive de non numero, potiantur præcedentia, & loco immediato ad ultimum Ex-Ministrum Provincialem in propria Provincia, nec non præeminentiis eorumdem Ex-Ministrorum Provincialium in propria Provincia, ac si officio Ministeriatus hujusmodi functi fuissent.

XIX. Liceat pariter iis, qui laudabiliter duodecim annorum spatio Sacræ Congregationi in Missionibus, vel in locis Sanctis inservierint, post reditum unum ex principalibus propriæ Provinciæ Conventibus sibi deligere, eorumque locus sit (si jam non fuerint instituti Lectores Jubilati, vel Lectores sexennales) immediate post actuales Definitores supra quoscumque alios; si vero jam fuerint instituti Lectores Jubilati, vel Sexennales, & inservierint, ut supra, per octo annos post reditum ad propriam Provinciam, potiantur præcedentia, & præeminentiis Lectoribus Jubilatis de numero concessis, servando inter se anterioritatem institutionis; Et si discedentes ex Missionibus pro negotiis earumdem Missionum ad Urbem se conferant de licentia Sac. Congregationis, maneant in dicto Conventu S. Bartolomæi si commode recipi possint, vel in alio Conventu B. Mariæ de Aracœli, & interim habeantur, ac si essent de Familia, quousque per Sacram Congregationem expediantur.

XX. Utque similiter tam Lectores Controversiarum, quam Lectores, seu Magistri linguarum, qui laudabiliter, & cum approbatione Patris Superioris Generalis Cismontani in prædictis se gesserint, aliquod præmium pro eorum laboribus consequantur, conceditur, ut si Lectores Jubilati de non numero per quadriennium, sexennales per octennium, & Lectores Theologi tantum instituti per decennium legerint; non instituti vero Teologi, linguas per quinquennium docuerint redeuntes ad propriam Provinciam, potiantur eadem præcedentia, & præeminentiis, quibus gaudent Lectores Jubilati de numero, servata pariter inter eos anterioritate institutionis.

XXI. Studeat Superior Generalis Cismontanus deputare Procuratorem pro Missionibus, qui vel in Sancti Bartholomæi, vel in Aracœlitano Conventibus commoretur, & unum socium gratum habeat, qui in gerendis negotiis Missionum eum coadjuvet, & petita solita benedictione a Superiore locali, e Conventu exeat, qui quidem Procurator, vel per sexennium completum fuerit Præfectus, aut Officialis locorum Terræ Sanctæ, vel per decennium Missionarius, aut servitio Terræ Sanctæ per idem tempus permanserit. In his omnibus Sacra Congregatio conscientiam Superiorum Ordinis Familiæ Cismontanæ oneratam esse voluit, eorumque arbitrio reliquit Regulas (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regu-

regularem disciplinam, tum studiorum Præfectum respicientes, & per eamdem Sacram Congregationem approbandas.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memorati Cardinales, facta sibi per dilectum Filium Secretarium prædictæ Congregationis omnium, & singularum Regularum hujusmodi distincta relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint: Hinc est, quod Nos inviolabili earumdem Regularum robori, & efficaciæ providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easdem præinsertas Regulas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes Litteras, ac Regulas hujusmodi, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, præfati Conventus S. Bartolomæi, & illius Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, & usibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Januarii 1710. Pontificatus nostri anno decimo.

F. Oliverius.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ Missionariis Ord. Min. de Observantia, & Christifidelibus, ad quos missi fuerint.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

COElestium munerum Thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos pro sua in Deum, & proximos caritate, & Christianæ Religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de observantia habeamus, eosque in primis, quos Dilecti Filii eorumdem Fratrum Superiores ob hanc causam hoc ipso, & consequentibus annis in diversas Provincias Christianæ Reipublicæ mittere constituerunt; Nos sane eorumdem Fratrum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, & devotionem spiritualibus gratiis confovere, atque augere cupientes, Supplicationibus dilecti filii Matthæi a Sancto Stephano dicti Ordinis Ministri Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere volentes, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Fratribus dicti Ordinis tam Reformatis, quam non Reformatis, Ministro Generali ejusdem Ordinis subjectis, ad Missiones in quibusvis locis de Ordinariorum licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Missionarii congregationis de propaganda Fide) & aliis utriusque Sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram & Apostolicam benedictionem, per præsentes impertimur: Nec non iisdem vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, Principum Christianorum unione, Infidelium conversione, hæresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino auctoritate Apostolica tenore præsentium pro una vice dumtaxat pro unaquaque Missione de Ordinariorum locorum licentia respective facienda concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, & Rectores, ac verbi Dei Prædicatores, ut in suis quisque Ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, præsentes Litteras, & omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eisdem fratribus, tam Reformatis, quam non Reformatis, favorem, & auxilium in præmissis præstent: Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXI Aug. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

J. F. Cardinalis Albanus.

Additiones ex aliena manu.

33 De Privilegio personali, tum de reali, de quo
frequenter in Foro disputari solet, non male paulo latius hic agitur.
34 Personale Privilegium dicitur, quod Personæ
concessum, cum ea extinguitur, nec ad heredes
transit. Reale vero, quod rei cohæret, & ad heredes, aliosque successores transmittitur; *L.* 3. §. 1.
L. 4. §. 3. *ff. de censib. L.* 4. *ff. de Jur. Immunitat. L.*
7. §. 1. *ff. de except. L.* 196. *ff. de Regul. Jur.*
35 At privilegium personale non est tantum, quod
uni certæ personæ datur, sed & quod uni generi
certarum personarum lege generali conceditur. Sic
quondam Pupillis pro administratione tutelæ, Uxori pro recuperatione dotis, privilegium inter Tutorum, ac Maritorum creditores tributum, ipsis
solis, non item heredibus prælationem tribuebat;
L. 19. *ff. de reb. Auctor. Jud. possid. L. unic. C. de*
de privileg. Dot. §. *Fuerat* 29. *Instit. de Action.* Pa-
37 riter solis Maritis conventis de dote, uti & cæteris, quibus competentiæ beneficium a Lege datum,
id ipsum prodest, nequaquam heredibus; *l. Maritum, & L. seq. ff. solut. matrim. L.* 24. §. 1. *& L.*
seq. ff. de re Judic. Leg. 7. *princip. ff. de except.* Reale quoque privilegium non rei, seu causæ tantum
39 singulari, sed & generaliter conceditur. Actioni
enim judicati contra condemnatos intentandæ privilegium dilationis quatuor mensium additum
est, non ipsis solummodo condemnatis, sed &
heredibus, & aliis in locum eorum succedentibus
profuturum; *L.* 29. *ff. de re Judic.* & actioni funera-
40 riæ cohærens privilegium religionis favore, non
funeranti tantum, sed & heredi ejus agenti utile
est.
41 Privilegium personale uti ad heredes non transit, ita nec cessione juris, aut actionis in aliam
personam transferri potest; idque quia hac ratione
personam egrederetur contra concedentis intentionem; *L.* 42. *ff. de Admin. & peric. Tutor.* Contra
42 reale privilegium cessione transit; *L.* 68. *de Reg.*
Jur. Licetque fortassis extra materiam privilegiorum
non universaliter verum sit illud, omne, quod ad
heredes transire valet, etiam posse cessione transferri; tamen quum reale privilegium dicatur ex eo
quod rei, seu causæ ipsi adsit, & insit, æquum
est, ut quemadmodum ipsa causa, seu actio recte ceditur, ita & inhærens ei privilegium cedendo censeatur translatum; Confer Anton. Matth. *de*
Auction. lib. 2. *c.* 5. *num.* 3. *& seq.*
43 Quod si de concesso privilegio non satis constet, utrum personale, an reale sit, illud ex onerosa, vel gratuita concessione dijudicari oportere
censent Gail. *l.* 2. *observ.* 2. *n.* 13. *& seq.* Ant. Mat-
44 thæi *de Auction. lib.* 2. *c.* 7. *num.* 50. sic ut gratis datum, putent in dubio personale; ex contractu oneroso impetratum, reale esse. At quum causa one-
45 rosa impedire haud debeat restrictionem ejus, quod
odiosum est, maxime si per modum privilegii concessum sit, ac gratuitam concessionem non raro
præcedant benemerita, Principis benevolentiam
non minus provocantia, quam ex contractu numeratum pretium; ideo inspiciendum potius, utrum
in privilegio id comprehensum sit, quod est favorabile, & publicam utilitatem, & jus tertii non
lædit, an contra odiosum in præjudicium Reipublicæ, aut juris tertio quæsiti, datum. Priori casu
Privilegium personale, posteriori vero reale cen- 46
sendum est; Zoes. *in commentar. ad Pandect. lib.*
1. *tit.* 4. *num.* 18. Consule etiam Enenkel *de Privileg. l.* 3. *c.* 1. *num.* 25. Klock. *de contrib. c.* 16. *num.*
51. *& seq.* Mev. *part.* 5. *dec.* 182. *n.* 8. Christin. *vol.*
5. *dec.* 47. *num.* 37.
Negandum vero haud est, quod ex variis per- 47
sonarum, rerumque circumstantiis aliis, utrum
privilegium personale, an reale sit, quandoque sit
judicandum, uti id pluribus tractant Menoch. *de*
præsumpt. l. 3. *præsumpt.* 103. Klock. *de contribut.*
c. 16. *num.* 75. *& sequent.*

Articulus II.

Quo ad ea, quæ concernunt Privilegiorum confirmationem, extensionem, & interpretationem.

Confirmatio, seu innovatio Privilegiorum est 1
Privilegii prius legitime habiti per legitimum
Superiorem facta corroboratio. Est *in re Communis.*
Confirmatio est duplex, una in forma commu- 2
ni, seu simplici, & ordinaria, & alia in forma
speciali, seu ex certa scientia. *Communis.* Con- 3
firmatio *in forma communi*, quæ & confirmatio simplex, & ordinaria appellatur, ea est, qua Jus,
seu Privilegium, prout hic & nunc reperitur, non
præcedente alia cognitione causæ, corroboratur,
seu confirmatur, relinquendo ipsum in eodem statu, in quo prius fuerat. *Communis*, per textus mox
adducendos. Notanter autem additur: *Relinquendo ipsum in eodem statu, in quo prius fuerat*; Quia
Confirmatio in forma communi nullum Jus novum, neque valorem tribuit illi, cui accedit, sed
supponit Privilegium jam validum, approbatque
illud sicuti reperitur validum; nec tamen facit Privilegium de novo validum, si prius reperiebatur
invalidum, ut clare habetur *ex cap. Cum dilecta*
4. *de confirmatione utili, vel inutili*, ubi Pontifex
in simili confirmatione sic loquitur: *Nolentes,*
quod ex innovatione hujusmodi novum Jus Monasterio acquiratur, sed antiquum (si quod habet) per
innovationem Privilegii conservetur; & cap. Quia
diversitatem 5. *de concession. præben.* ubi sic dicitur: *Non obstante confirmatione a Sede Apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat Beneficia, & Præbendas, sicuti juste, & pacifice possidentur*, & concordat id, quod habetur *in capit.*
Præceptis 2. *dist.* 12. ibi: *Non novum aliquid præsenti jussione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur*
indulta, confirmamus.
Confirmatio *in forma speciali*, seu *ex certa scien-* 5
tia ea est, quæ fit cum perfecta notitia totius negotii,

gotii, seu Privilegii, & omnium circumstantiarum, novumque Jus tribuit, ita ut non solum valida corroboret, sed insuper revalidet, & de novo concedat *Privilegia* etiam revocata; *Communis*, *argum. cap. Sicut grave* 1. *de transactionibus*; Et ratio est clara, quia confirmatio in forma speciali, seu ex certa scientia non est nuda, & simplex confirmatio, sed potius est in re, & effectu nova concessio, adeoque vim habet Privilegia ceteroquin nulla, & invalida reddendi valida.

6 Quod confirmatio facta sit in forma speciali, & non solum in forma communi, colligitur ex variis signis, videlicet si in ipsa confirmatione apponatur clausula *Ex certa scientia*, seu clausula *Ex plenitudine potestatis*, aut clausula *Non obstante quacumque Lege, consuetudine in contrarium*, vel clausula *Supplentes omnes Juris, & facti defectus*, seu clausula *Sublata &c.* aut in Litteris confirmationis inseratur tenor totius Privilegii, aut Instrumenti. *Sic passim Doctores*.

7 Confirmatio Privilegiorum alia censetur utilis,
8 & alia inutilis. *Communis*. Confirmatio utilis tunc censetur, quando est valida, & tali Judex inferior nequit contravenire, nec de ea judicare potest; *cap. Si quis* 1. *& cap. De confirmationibus* 2. *de confir-*
9 *matione utili, vel inutili*. Confirmatio inutilis tunc censetur, quando ipsa nullius est valoris, ut si obreptitie, vel subreptitie fuit obtenta, narrato scilicet falso, aut suppresso & rejecto vero, quod de Jure exprimi debuisset; *cap. Bonæ memoriæ* 3. *cap. Ad nostram* 5. *capit. Porrecta* 6. *& capit. Examinata* 7. *de confirmatione utili, vel inutili*, *& cap. Super Litteris* 20. *de Rescriptis*, cum similibus.

10 Regularium Privilegia pluries sunt a Summis Pontificibus concessa, innovata, & confirmata, non tantum in forma communi, sed etiam in forma speciali, seu ex certa scientia, & sic non confirmatione utili, ut patet ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus, & signanter editis pro nostro Ordine Minorum, quas ad 120. enumerat, & initiative adducit una cum aliis favorabilibus Decretis Benedict. XIII. Constitut. incip. *Summe decet*.

11 Et ad hæc habentur plurimæ aliæ Pontificiæ concessiones, innovationes, confirmationes, ampliationes, & extensiones, & communicationes in nostro Compendio privilegiorum Fratrum Minorum, omni cum debita reverentia, & obedientia erga S. Sedem juxta Dec. Concilii Tridentini, & aliarum constitutionum reformato, & sic reformato edito, adeout nullum in illo reperiatur Privilegium a Concilio Tridentino, vel aliqua Constitutione usque ad Clementem VIII. (sub quo reformatum fuit) renovatum, seu abrogatum, ut testantur Reiffenstuel *lib. 5. Decretal. tit. 33. nu. 235.* Kazenberger *loc. cit. sub num.* 441. *vers. Quantum ad privilegia*.

Unde ex his colligitur, quod Privilegia nostra 12
etiam per communicationem cum aliis tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, vel alia ratione nobis competentia omnino adhuc valere, & firma subsistere, solis illis exceptis, quæ Constitutionibus Apostolicis post allegatas Bullas, & dictum reformatum Privilegiorum compendium emanatis expresse fuere derogata, & quæ Sacri Conc. Tridentini Decretis, aut Regularibus nostri Ordinis Institutis adversantur. Sic expresse Reiffenstuel *loc. cit. num.* 87. Kazenberger *loc. cit. num.* 441. & alii.

Idem dicendum est de Privilegiis aliorum Regu- 13
larium a variis Summis Pontificibus eis concessis, confirmatis, & communicatis, & in Pontificiis Constitutionibus, atque in suorum Privilegiorum reformatis compendiis contentis.

Dum Privilegia sæpius confirmantur, & in una 14
Bulla confirmatoria quædam omittuntur, quæ in alia ponuntur, non censentur esse revocata quæ fuerunt omissa, sed relinquuntur in suo vigore, quem pro tunc habent; Unde plene adhuc valent, nisi sint revocata ab aliqua posteriore Constitutione, aut Sacris Canonibus, & Decretis Concil. Tridentini adversentur: Pontifex enim per Constitutiones confirmatorias non intendit, nec solet aliqua Privilegia revocare, nisi id exprimat. *Communis*.

Clausula: *Quatenus*, vel, *Dummodo sint in usu* 15
(quæ in Constitutionibus confirmatoriis Privilegiorum solet apponi) significat, quod Papa nolit de novo confirmare, seu confirmando de novo revalidare illa Privilegia, quæ per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, seu amissa fuere & consequenter non amplius sunt in usu. Sic Donatus *tom.* 1. *part.* 1. *tr.* 11. *q.* 13. Rodriq. *tom.* 1. *qu. Regular. q.* 8. *art.* 3. Peyrin. *in declarat. privileg. Ordin. Minimor. tom.* 2. *Constit.* 1. *Gregorii XIII. numer.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 108. & alii passim.

Clausula: *Dummodo Sacris Canonibus, & Decre-* 16
tis Concilii Tridentini non adversantur, facit solum hunc sensum; *Dummodo Sacris Canonibus Concilii Tridentini, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur*; Non enim per illa verba Sacris Canonibus intelliguntur Sacri Canones in Corpore Juris clausi, seu contenti, alias nulla, & otiosa, sibique contradictoria esset omnis confirmatio Privilegiorum, cum omnia Regularium Privilegia proprie dicta adversentur Juri communi: Privilegium enim dicitur Lex privata contra, vel præter Jus aliquid concedens; *cap. Privilegia* 3. *dist.* 3. *c. Abbates* 25. *de verb. significatior.* Et sic illam clausulam intelligit Communis Doctorum, teste Reiffenstuel *loc. c. n.* 113. (*)

Per clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tri-* 17
dentini non adversentur, Reiffenstuel *loc. c. n.* 116. *& n.* 139. *usque ad* 146. cum Suarez, Miranda, Ro-

Rrr 2 dri-

(*) E. R. Nimis deflectit a sensu istorum verborum: *Dummodo Sacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adversetur*, explicatio ab Auctore tradita. Canones Tridentini Fidem dumtaxat spectant. Numquid præsumendum est Pontificem concedere velle privilegium fidei contrarium? Igitur verba illa: *Sacris canonibus* denotant Canones in corpore juris contentos, quibus Papa derogare minime intendit per privilegiorum confirmationem, nisi alias privilegium aliquod speciale concesserit ipsis contrarium.

driquez ibi citatis, & pluribus rationibus adductis, contrariisque argumentis solutis, dicit, & docet, quod probabilissime a confirmatione eximuntur illa dumtaxat Privilegia, quæ a Concilio Tridentino sunt revocata, qualia sunt omnia, quæ contraria sunt Decretis *sess.* 25. *de Regularibus*, sicut, & illa, quæ adversantur præcedentium Sessionum Decretis positis cum clausula, *Non obstantibus privilegiis*, seu alia simili clausula privilegiorum derogatoria, seu revocatoria. Alia vero Privilegia, quæ contraria sunt Decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*) & clausulam Privilegiorum derogatoriam expressam non habentibus, docet non censeri revocata ab eodem Concilio, nec eximi a confirmatione per illam clausulam: *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*. Vide ipsum *loc. cit.* ubi multa ad rem. Vide tamen dicta infra *n.* 31. (*)

18 Clausula: *Quatenus*, vel, *Dummodo non sint revocata*, vel, *sub aliqua revocatione comprehensa* significat aperte, quod Pontifex nolit confirmare illa Privilegia, quæ per Legem, Constitutionem, vel Decretum generale, aut speciale, expresse, vel tacite fuerunt revocata, & de novo non amplius concessa, vel confirmata. *Communis*, *ac certa*.

19 Extensio, & Interpretatio Privilegiorum est duplex, una proprie dicta, quam aliqui *extensivam* vocant; & alia improprie dicta, seu *comprehensiva*: Seu ut loquitur Fagnanus *in c. Quod nonnullis* 25. *de privileg. n.* 26. *&* 28. duplex est interpretatio, una per *extensionem*, seu *extensiva*, & alia per *comprehensionem*, seu *comprehensiva*.

20 Interpretatio *per extensionem*, seu *Extensio extensiva* est illa, per quam Legis alicujus decisio transfertur, seu extenditur ad alium casum, vel personas, tam ultra verba Legis, quam ultra mentem Legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius, *arg. cap. Cum dilecta* 4. §. *Nos igitur*, *de confirmation. utili*, *vel inutili*.

21 Interpretatio per *comprehensionem*, & Declarationem, seu *extensio comprensiva* est illa, quæ fit ultra verba Legis, sed non ultra mentem Legislatoris; Et hæc tunc intervenit, quando decisio Legis transfertur, seu extenditur ad alium casum, seu personam non comprehensam sub verbis Legis, comprehensam tamen sub mente Legislatoris, juxta quod *l. Scire oportet* 13. §. 2. *De excusationibus*, dicitur: *Sed etsi maxime verba Legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult*: Interpretatio enim potius menti, quam verbis Legis convenire debet; *cap. Humanæ aures* 11. *caus.* 22. *quæst.* 5. ibi: *Non debet aliquis verba considerare* (intelige nude, & simpliciter) *sed voluntatem; & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Unde *l. Scire* 16. *ff. De legibus* dicitur: *Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim, ac potestatem; & cap. Certum est* 88. *de Regulis Juris in* 6. expresse habetur: *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Idem dicitur *in l. Non dubium est*, *in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem*.

Interpretatio, alia est *Auctoritativa*, seu *Authentica*, vel *Definitiva*, ac *Judicialis*, & alia *Doctrinalis*, seu *Magisterialis*. Prima est illa, quæ fit a Principe privilegium concedente, seu ejus Successore, & ipsi standum est, tam in, quam extra Judicium, *arg. l. Inter æquitatem* 1. *l. leges* 9. *l. Si imperialis* 12. *Cod. De legibus*, ibi: *Si enim in præsenti leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet*, juncto ejus Summario, in quo præcise dicitur: *Ejus est legem interpretari, cujus est condere; & capit. Inter alia* 31. *de sententia excomm.* ibi: *Unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat*. Secunda, scilicet *Doctrinalis*, seu *Magisterialis* est illa, quæ a Magistris, seu Doctoribus dari potest, & solet, *l. Unic. Cod. De Posessoribus Urbis Constantinopolit.* 22

Hinc Interpretatio Privilegiorum *Authentica*, seu *Auctoritativa*, vel *definitiva*, ac *judicialis* fieri potest a solo Concedente Privilegium, vel ejus Successore, seu Superiore, *arg. cit. l. Inter æquitatem* 1. *l. leges* 9. *l. Si imperiali* 12. *Cod. De legibus*, *cap. Cum venissent* 12. *de judiciis*, ibi: *Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari*, juncto ejus Summario, ibi: *Solus Papa cognoscit de dubiis Privilegiorum Apostolicæ Sedis, & non inferior*: & concordat *citat. cap. Inter alia* 31. *de sent. excomm.* Interpretatio autem *Doctrinalis*, seu *Magisterialis* Privilegiorum potest fieri etiam a Doctoribus, seu Magistris, aliisque viris doctis, & in Jure versatis, *cit. l. Unic. Cod. de Professoribus Urbis Constantinopolit.* quæ tamen interpretatio probabilitatem dumtaxat affert, non autem necessitatem, sicuti prima *Auctoritativa*, seu *Authentica*, vel *Definitiva*, ac *judicialis*. 23 24

Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio; *l. Licet imperator*, *ff. De legatis* 1. *& l. Ille*, *aut illa*, *ff. de legatis* III. *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, *cap. Porro* 7. *de Privileg.* ibi: *Quod totum inspectione Privilegiorum suorum plenius advertere potes, & secundum quod inveneris, ita observes*, *capit. Recepimus* 8. *eod.* ibi: *Inspicienda sunt ergo Privilegia, & ipsorum tenor est diligentius attendendus*. Unde Glossa communiter recepta *in capit. Cum dilectus* 8. *de consuetudin. verb. Nec juri communi in fine*, sic expresse habet: *Ubi verba non sunt ambigua, non est locus Interpretationi, sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio*. 25

Privilegium non est extendendum ab una persona, cui concessum est, ad aliam non expressam, & sic nec ab uno casu ad alium. *Communis*, per text. *in cap. Sane* 9. *de Privileg.* ibi: *Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctori-* 26

(*) E. R. Nota. Hæc opinio Regularibus nimium indulget, propptereaque non videtur in omnibus probanda.

ctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere, & cap. Quod alicui 74. *de Reg. juris in* 6. ibi: *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum*. Rota recent. *part.* 13. *decis.* 70. *numer.* 43. *part.* 14. *decis.* 238. *numer.* 12. *part.* 18. *tom.* 2. *decision.* 741. *numer.* 10. & sæpe alibi.

27 Privilegia, quæ non sunt contra Jus commune, sed solum præter, vel ultra Jus, nec cedunt in præjudicium alterius, cum sint meræ gratiæ, seu beneficia Principis, sunt late interpretanda. *Communis*, per text. *in c. Cum olim* 16. *de verbor. significat.* ubi dicitur: *Cum beneficia Principum sint interpretanda latissime, & l. Beneficium* 3. *ff. de Constitutionib. Princip.* ibi: *Beneficium Imperatoris, quod a Divina scilicet ejus Indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus; cap. Quia circa* 22. *de Privileg.*, ibi: *Ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, cap. Odia* 15. *de Regul. juris in* 6. ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*.

28 Privilegia autem, quæ sunt contra Jus commune, & quæ cedunt in præjudicium alterius, sunt stricte interpretanda. *Communis*: Et quidem quoad primam partem ratio est clara, quia omnis recessus a Jure communi censetur odiosus, *cap. Is qui* 1. *& cap. Si quis* 2. *de filiis Presbyt. in* 6. Odiosa autem sunt restringenda, *cap. Odia* 15. *de Reg. juris in* 6. ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari, & cap. Quare a jure* 28. *de Reg. juris in* 6. ibi: *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*. Quoad secundam autem partem clare desumitur *ex cap. Super eo* 15. *de Officio Delegati*, ibi: *Non tamen est nostræ intentionis Diœcesano Episcopo præjudicium generare*; & concordant *cap. Licet* 12. *de Offic. Ordinar. cap. Cum Capella* 16. *cap. Pastoralis* 19. *& cap. Dudum* 31. *de privileg.* juncta Glossa, & DD. inde inferentibus, quod Pontifex nullius Juri intendat derogare, nisi fortasse hoc expresserit, adeoque Privilegium cedens in præjudicium alterius, si in ipso aliud non sit expressum, est stricte interpretandum.

29 Privilegia non attenduntur, nisi de eorum veritate doceatur. Bened. XIV. tom. 2. Constitut.
30 incip. *Causarum*. Privilegia Regularium a Gregorio XIII. redacta fuerunt ad terminos juris. Idem
31 Constitut. 27. incip. *Impositi Nobis*. Privilegia recipiendi Ordines a quocumque abolita fuerunt in Concilio Tridentino, ideoque, nisi post confirmationem ipsius Concilii ex integro concessa fuerint, minime suffragantur. Idem Constitut. 40. incip. *Causarum*. Vide tom. V. verb. *Ordo, Ordinare*.

32 Privilegia honoris non inducunt exemptionem ab Ordinaria Episcopi jurisdictione. Idem Con-
33 stitut. 40. incip. *Causarum*. Privilegium, ne locus, aut personæ Ecclesiasticis Censuris subjiciantur sine mandato Sedis Apostolicæ, non probat loci, aut personarum exemptionem ab Ordinaria
34 Episcopi jurisdictione. Idem *ib.* Hujusmodi privilegia, præterquam Regibus, Reginis, eorumque Filiis, aut Ordinibus Regularibus universim concessa ad Ordinariorum sententias, & processus non extenduntur. Idem *ib.*

Additiones ex aliena manu.

Valde interest dignoscere, utrum confirmatio 35
privilegii facta sit in *forma communi*, an in *forma specifica*. Duas inter alias solent Doctores afferre conjecturas, quibus confirmationem in *forma specifica* esse credunt.

Prima est, si tenor privilegii confirmationis fue- 36
rit insertus, quod colligitur ex *c.* 8. *de confirmat. util. vel inutil.* At Bohemer. *in decretal. lib.* 2. *tit.* 30. 37
§. 4. *& seq.* postquam ostendere conatus est, textum hunc minime primam hanc conjecturam suppeditare. *In privilegiis* (ait) *ubique praxis obtinet, ut confirmationibus tenor privilegiorum plene inseratur, unde tamen majorem vim haud accipiunt. Insertio siquidem privilegiorum docet scientiam ejus confirmantem habuisse, ast quod certam, & solidam scientiam habuerit, inde non liquet, quam aliter habere nequit, nisi matura, plena, & solida causæ cognitio, & dubiorum excussio deliberata accesserit*. Quidquid vero dicat Bohemer. confirmatio in 38
forma specifica dicenda est semper, ac totus tenor privilegii confirmati fuit confirmationi insertus, ut probat Rot. *cor. Coccin. decis.* 1573. *a numer.* 15. *ad plur. seq. cor. Falconer. decis.* 9. *nu.* 24. *de Offic. Ordinar. & Territ. separat.*

Altera est, si confirmationi apposita sit clausu- 39
la: *Ex certa scientia*, vel *ex plenitudine potestatis*, vel *non obstante quacumque lege, statuto, & consuetudine, quæ sint in contrarium*. Hanc vero 40
conjecturam ab *Auctore* traditam *num.* 6. non male rejiciunt inter alios, Bohemer. *in Decretal. lib.* 21. *tit.* 39. §. 6. *& seq.* Stryk. *judiric. dissert. vol.* 1. *disp.* 2. *cap.* 1. §. 5. idque quia clausulæ hodie plerumque 41
fere apponuntur potius de stylo, quam ea mente ut singulare quid ex Principis intentione operari debeant.

Præcipua autem differentia confirmationem *in* 42
forma communi inter, & confirmationem *in forma specifica* quod attinet ad privilegia, est, quod ex illa probatum haud remanet ipsum privilegium confirmatum, ex hac vero privilegium confirmatum remanet probatum; Stryck. *juridic. dissert. vol.* 11. *disp.* 2. *c.* 1. §. 28.

De interpretatione privilegiorum, de qua pari- 43
ter in hoc articulo agit Auctor, consule Stryck. *Iuridicar. dissertat. volum.* 4. *disp.* 24. *de privilegiorum interpretatione*, qui septem integris capitulis materiam hanc tractat, & quidem accuratissime. Primo enim capitulo agit *de sensu Rubricæ*, secundo, *de Privilegiorum interprete*, tertio, *de modo interpretandi privilegia in genere*, quarto, *de authentica, & in specie de simplici Privilegiorum interpretatione*, quinto, *de extensiva privilegiorum interpretatione*, sexto, *de respectiva Privilegiorum interpretatione*, & septimo, *de correctiva Privilegiorum interpretatione*,

Articulus III.

Quoad ea, quæ concernunt modos, quibus Privilegia cessant, seu amittuntur.

1 Privilegium singulariter personale cessat per mortem personæ privilegiatæ. *Communis* per text. *in c. privilegium 7. de Regul. Juris in 6.* ibi: *privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*, & concordat *l. In omnibus causis 68. & l. Privilegia quædam 196. ff. de Regul. Jur.*

2 Nec cessat tamen Privilegium per mortem, seu depositionem ab officio ipsius Privilegiantis, seu concedentis Privilegium absolute, & sine limitatione; Regula enim generalis est, & communiter recepta, quod Gratia, uti est Privilegium, absolute concessa & acceptata non cesset per mortem, aut depositionem ab Officio ipsius Concedentis, *cap. Si super Gratia 9. de Officio Jud. Delegat. in 6. & cap. Si cui de præbend. in 6.*

3 Si autem Privilegium non sit absolute, & sine limitatione concessum, sed cum aliqua conditione, aut limitatione ad certum tempus, dicendo v. g. *Usque ad beneplacitum nostrum*, tunc ipso facto cessat per mortem Concedentis; per mortem enim Concedentis omnino etiam extinguitur ipsius beneplacitum. *Communis*, textu expresso *in c. Si gratiose 5. de Rescriptis in 6.* ibi: *Hujusmodi Gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat.*

4 Si vero Privilegium concessum sit sub clausula: *Usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, aut hujusmodi, durat perpetuo, nisi a Concedente, vel ipsius Successore revocetur, neque cessat morte ipsius Concedentis. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Si gratiose 5. de Rescriptis in 6.* ibi: *Secus autem, si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum Gratia concedatur prædicta; Tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore fuerit revocata.*

5 Item non cessat morte Concedentis Privilegium concessum sub clausula: *Donec revocavero*; Suarez *lib. 8. de Legibus cap. 32. num. 2. & seq.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 11.* post Navarrum, Covarruviam, & alios, Pirhing *lib. 5. Decretal. tit. 33. num. 172.* Reiffenstuel *ib. num. 170. & lib. 1. Decret. tit. 3. num. 262.* ubi testatur de communi, Barbosa *clausula 53. num. 12.* Menochius *de arbitr. Judic. lib. 1. quæst. 63. num. 12.* citans Communem aliorum contra Bartolum. Et ratio est, quia ad revocationem requiritur actus novus positivus contrarius, qualis non habetur per solam mortem Concedentis; Nam, ut recte argumentatur Menochius *consil. 360. num. 9.* cum aliis, aliud est voluntatem cessare, & aliud eam revocare; Voluntatis cessatio fit per mortem, quia morte finitur voluntas hominis; *l. Locatio 4. ff. Locati*; Voluntatis enim revocatio requirit factum quoddam, nempe expressionem ipsius revocationis.

6 Privilegium reale cessat, & extinguitur, extincta re, cui inhæret. *Communis*, per text. *in c. Accessorium 42. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Intellige tamen cum hac distinctione, nempe quod Privilegium reale cesset per extinctionem rei, cui inhæret, si ipsa res privilegiata extinguatur sine spe restitutionis, prout contingit, si res, Ecclesia, vel alius locus destruatur Superioris auctoritate absque ulla spe restitutionis, aut reparationis; Tunc enim extinguuntur etiam & perduntur omnia privilegia ei cohærentia, tamquam sublata in perpetuum a fundamento, cui inhærent, nec amplius dici possunt illius Ecclesiæ Clerici, aut illius Oppidi Cives, vel Municipes, ut colligitur *ex cap. Placuit 26. dist. 1. de consecrat. & cap. Et hoc diximus 9. caus. 16. q. 7.* Sic Glossa communiter recepta *in cap. Privilegium 7. de Reg. Jur. in 6.* Pirhing *loc. c. n. 198.* Reiffenst. *loc. c. n. 171. & 172.* & *Communis aliorum*.

Si autem res privilegiata extinguatur cum spe restitutionis, pout contingit, si res, Ecclesia, vel alius locus ab hostibus destruatur, aut occupetur, seu casu fortuito comburatur cum spe refectionis, aut reædificationis, tunc conservantur omnia ejus Privilegia, & Jura, ut colligitur *ex cap. Pastoralis 24. caus. 7. quæst. 1. & cap. Quæ semel 4. caus. 19. quæst. 3.* Sed tamen cum hoc discrimine, quod, si Privilegia, seu Jura sint concessa ipsi loco, seu pavimento, eique adhæreant, ut est Consecratio, & Benedictio loci sacri, & privilegia inde provenientia, nempe quod locus ille non possit vendi, nec converti in usus profanos, & hujusmodi, tunc semper remanent, & conservantur, quia eorum fundamentum non est destructum, *l. Æde Sacra 73. ff. de contrahenda emptione*, ibi: *Æde Sacra terræmotu diruta locus, Ædificii non est profanus*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 173.* Pirhing *loc. cit. n. 199.* Sanchez *lib. 8. de Legibus cap. 5. num. 6.* & alii passim. 8

Si vero Privilegia loci sint concessa principaliter ipsi ædificio, aut Ecclesiæ, Altari, & hujusmodi, tunc, vel Privilegia sunt talia, ut eorum usus præcise requirat illum locum v. g. ut intra talem Ecclesiam, seu ad tale Altare fiat, ut Indulgentia concessa visitantibus talem Ecclesiam, Indultum pro celebrantibus ad tale Altare privilegiatum; & hoc casu, quamvis Privilegia illa non omnino extinguantur, suspenduntur tamen, donec reædificetur talis Ecclesia, seu tale Altare; *arg. cap. Pastoralis 24. caus. 7. quæst. 1. & leg. Cum loca 36. ff. de Religios. & sumptib. funer.* Pirhing *loc. cit. numer. 199.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 164.* Suarez *loc. cit. num. 6.* Zoesius *lib. 5. Decretal. tit. 13. de privileg. num. 53.* & alii communiter. Vel Privilegia sunt talia, ut etiam extra illum locum, v. gr. extra illam Ecclesiam alibi exerceri possint, & tunc Privilegia ne quidem suspenduntur, pro illo tempore, quia manent in personis, quæ uti possunt talibus Privilegiis loci; Sic Episcopus, vel Canonicus alicujus Ecclesiæ occupatæ, vel destructæ ab infidelibus, seu Hæreticis adhuc retinet denominationem ab illa Ecclesia, quamvis extra illam resideat, & gaudet Privilegiis ipsi concessis ratione Episcopatus, vel Canonicatus talis loci, ut patet de Episcopo Gebennensi, seu Genevensi, qui cum suis Cano- 10 11

Canonicis fruitur titulo, & Privilegiis Ecclesiæ Gebennensis, seu Genevensis, quamvis cum ipsis resideat Annesii in Sabaudia, & sic de aliis; Pirhing *loc. citat. num.* 199. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 175. Suarez *loc. citat. num.* 6. & alii passim.

12 Sic si Superioris auctoritate Ecclesia, Monasterium, seu Conventus, Civitas, vel Oppidum transferatur ad alium locum, vel alteri uniatur, tunc non cessant ejus privilegia, sed una cum Ecclesia, Monasterio, seu Conventu, Civitate, vel Oppido transferuntur, quando non sunt concessa ratione situs; sed directe ipsi Ecclesiæ, Monasterio, seu Conventui, Civitati, vel Oppido, ejusque nomine; colligitur *ex cap. Et temporis* 48. *& cap. Postquam* 49. *caus.*16. *q.*1. *& cap. Quia Monasterium* 2. *de Religiosis Domibus*; Ita Glossa communiter recepta *in cit. c. Privilegium de Regul. Juris in* 6. Pirhing *loc. c. num.*168. Suar. *loc. cit. num.*4. *& seq.* Azorius *part.*1. *l.* 5. *cap.*22. *q.* 11. & alii communiter.

13 Privilegium cessat etiam, & perditur per abusum, textu expresso *in c. Ubi ista* 7. *dist.* 84. ibi: *Nam Privilegium Dignitatis meretur amittere; qui permissa sibi abutitur potestate*; *cap. Privilegium* 63. *caus.*11. *quæst.* 4. ibi: *Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, & cap. Ut Privilegia* 13. *de Privilegiis*, ibi: *Quia Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.*

14 Privilegium autem non semper ipso Jure, & facto amittitur per abusum, sed per sententiam, & revocationem est auferendum, nisi in Jure aliud exprimatur. Zoesius *lib.*5. *Decret. tit.*33. *de Privileg. num.* 38. Reiffenstuel *ibidem num.* 179. Suarez, & alii, per text. *in citat. cap. Ut Privilegia* 24. *de Privileg.* ibi: *Quædam in eisdem Privilegiis duximus declarare, ne minus sane intellecta pertrahantur ad abusum, propter quem possint merito revocari.*

15 Privilegium revocari potest saltem per sententiam, si incipit cedere in grave præjudicium aliorum, seu Communitatis. Colligitur *ex c. Suggestum* 9. *de Decimis*; ubi Summarium sic expresse habet: *Revocatur Privilegium si ex post facto incipit enormiter esse nocivum, & cap. Cum ad hoc sint* 16. *de Clericis non residentibus*, in cujus Summario sic expresse dicitur: *Si Ecclesia patitur Ministrorum defectum, Privilegiati super absentia per subtractionem proventuum redire coguntur.*

16 Privilegium cessat etiam, cessante causa, ob quam datum est. *Communis*, per textum *in cap. Cum cessante* 60. *de appellation.* ibi: *Cum cessante causa, cesset effectus.*

17 Hoc tamen intelligendum est solummodo de causa finali, quæ est principalis causa Privilegii, sine qua princeps Privilegium nullo modo concessisset, & a quo valor Privilegii pendet in fieri, & conservari; non autem de causa dumtaxt impulsiva, quæ secundario solum movet Principem ad concessionem Privilegii, adeoque, ipsa cessante, non cessat Privilegium, cum in ea non nitatur. Abbas *in cap. Suggestum* 9. *de Decimis n.*5. Suarez *lib.*8. *de Legibus cap.*30. *n.*1. cum aliis ibi citatis, Reiffenst. *loc. cit. num.*184. Pirhing *loc. cit. num.* 168. & alii passim.

Item est hoc intelligendum solum de Privilegio, 18 quod *derogat Juri communi, vel alterius tertii*, ad cujus etiam conservationem requiritur causa: Secus autem est de Privilegio *præter*, vel *ultra Jus commune*, seu quod continet merum beneficium Principis; & ad sui conservationem non requirit aliam causam præter liberalem Principis concessionem; Tale enim Privilegium perseverat, etiamsi causa, ob quam concessum fuit, cessaverit; Suarez *loc. citat. num.* 169. Reiffenstuel *loc. citat. num.*185. Zoesius *loc. cit. num.* 32. & alii per text. *in cap. Decet* 16. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum*, juncta Glossa *ib. verb. Decet*, cum pluribus Juribus ab ipsa adductis.

Privilegium cessat etiam lapsu temporis, ad 19 quod dumtaxat fuit concessum, & restrictum, quod verificatur solummodo in Privilegio temporali, & non in perpetuo. *Communis*, *arg. cap. De causis* 4. *de Offic. Judic. Delegat.* Idem dicendum 20 est de Privilegio concesso sub conditione. Nam ipsum est solum concessum pro tanto tempore, quanto duraverit ipsa conditio, adeoque, cessante conditione, cessat etiam Privilegium, cum sit finitum tempus, pro quo fuit concessum. *Communis*.

Privilegium cessat etiam per renunciationem li- 21 beram, & expressam alicujus personæ particularis, si in ejus solius favorem sit Privilegium concessum. *Communis*, textu expresso *in cap. Si de terra* 6. *de Privilegiis*, ibi: *Cum liberum sit unicuique Juri suo renunciare, & l. Si quis* 29. *Cod. de pactis*, ibi: *Regula est Juris antiqui, omnes licentiam habere, iis, quæ pro se introducta sunt, renunciare.*

Si autem Privilegium sit principaliter concessum 22 in favorem alicujus Communitatis, Dignitatis, Loci, v. gr. Civitatis, Ecclesiæ, vel Monasterii, non potest ei renunciari a personis particularibus illius Communitatis, vel Loci. *Communis*, textu expresso *in cap. Si diligenti* 12. *de Foro competent.* ibi: *Cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.*

Unde Clerici nec volentes possunt renunciare 23 Privilegio *Fori Communis*, per text. *in cit. cap. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* Neque possunt renun- 24 ciare Privilegio *Canonis*. *Communis*, textu expresso *in cap. Contingit* 36. *de sententia excommun.* ibi: *Cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus.*

Item nec Religiosi possunt renunciare Privilegiis 25 suæ Religioni concessis, ut Privilegio *Exemptionis*, sine consensu Papæ, qui eos ab aliorum Ordinariorum jurisdictione exemit, & suæ gubernationi ac protectioni immediate subjecit; *arg. cap. Cum tempore* 5. *de Arbitr. n.*2. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.*53. *n.*2. Pirhing *loc. c. n.*174. Reiffenstuel *loc. cit. num.*193.

Possunt tamen Prælati Regulares limitare, re- 26 strin-

stringere, immo etiam tollere suis subditis usum quorumcumque Privilegiorum etiam a Sede Apostolica concessorum, ita ut nequeant talibus Privilegiis uti; Sic concessit Leo X. Minoribus, & Augustinianis, Clemens IV. Cisterciensibus, & Gregorius XIII. Societati Jesu: *Compend. privilegior. Mendicant. verb. Privilegia Fratrum* §. 26. Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæst.* 43. *art.*4. Rodriquez *tom.* 1. *qu. Regular. qu.* 9. *art.*2. Tamburin. *de Jure Abbatum tom.*1. *disput.*16. *quæst.*9. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 199. & 200. Lezana *in Summa qu. Regular. tom.*2. *cap.*18. *num.*56. & alii; & ad hoc faciunt *cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus*, *cap. Per illorum* 22. *de Præbend.* Et ad hoc locum habet Regula, quod favori suo ii, quibus competit, renunciare possunt; *arg. l. Si quis* 39. *Cod. de pactis*, *c. Si de terra* 6. *de Privilegiis*; Et quod nemo beneficio sibi concesso uti cogitur; *arg. l. Invito*, *ff. de Regul. Jur.*

27 Sic potest tota aliqua Communitas, v. gr. Civitas, Prælatus cum Capitulo, & hujusmodi renunciare Privilegio sibi concesso, quod eidem vel non est utile, vel est indifferens; *per citat. cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus*, *cap. Pro illorum* 22. *de Præbend. cap. Si de terra* 6. *de privileg. l. Si quis* 19. *Cod. de pactis*, *l. Invito*, *ff. de Regul. Juris*.

28 Secus autem, si talis renunciatio cederet in præjudicium Ecclesiæ, vel Communitatis, in quo casu etiam unus solus de Capitulo contradicens impedire potest renunciationem. Innocent. *in cap. Accedentibus* 15. *de privilegiis*, & Glossator, Abbas, Alexander de Nevo *ibidem in additionibus*, Pirhing *loc. cit. n.*174. Reiffenstuel *loc. cit. n.*196. & alii passim.

29 Si vero Privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat, ita ut observari non debeat. *Communis*, per text. *in cap. Quod ob gratiam* 61. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

30 Privilegia *affirmativa* concessa cum gravamine aliorum, v. gr. exigendi Decimas, imponendi Tributum, & hujusmodi, amittuntur *per non usum* via Præscriptionis, si interim fuit occasio utendi privilegio, & tamen eo usus non fuerit Privillegiatus *scienter*, *sponte*, *ac voluntarie*, *& per tempus requisitum ad præscriptionem pro qualitate privilegiorum*. *Communis*, per text. *in cap. Cum super* 23. *de Offic. Delegat.* ibi: *Cum noluerit*, *quod potuerit*, *& leg. Nundinis* 1. *ff. de Nundinis*, ibi: *Nundinis impetratis a principe non utendo*, *qui meruit*, *decennii tempore usum amittit*, *& cap. Si de terra* 6. *de Privileg.* ibi: *De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis*, *cum liberum sit unicuique suo Juri renunciare*, *eoque modo nom potestis vos in hac parte tueri*.

31 Dicitur tamen notanter; *Si interim fuit occasio utendi Privilegio*, *& tamen eo usus non fuerit Privilegiatus*, quia si occasio utendi Privilegio nunquam se offerat, per *non usum* non amittitur, quamvis per mille annos nullus exerceatur usus Privilegii. *Communis*, *arg. l. Architriclinus*, *ff. des servitut. Rust. prædior.*

32 Item notanter dicitur *scienter*, quod quis sciat se habere tale Privilegium, & tamen oblata sibi favorabili occasione, eo uti omittat; Quia qui ignorat se habere tale Privilegium, illud non amittit, si eo uti omittat. *Communis*, *arg. l. Is qui usumfructum* 20. *ff. Quibus modis ususfructus*, *vel usus amittitur*.

Item notanter dicitur *sponte*, *ac voluntarie*, quia 33
si quis violenter, aut ob infirmitatem, vel absentiam *ab usu* impeditur, Privilegium non amittit. *Communis* cum Glossa *in cap. Ut privilegia* 24. *de privilegiis*, *verb. Semel in anno*.

Item notanter dicitur: *Et per tempus requisitum* 34
ad præscriptionem pro qualitate Privilegiorum, quia tempus ad Præscriptionem requisitum est varium pro diversitate rerum, Jurium, Actionum, & Servitutum, ut patet ex dictis sub verb. *Præscriptio* §.6. Unde cum Jura, Actiones, Privilegia, & similia veniant nomine rerum immobilium, ex dictis sub *dict. verb. Præscriptio* §. 5. *num.* 3. & 4. Et res immobiles privatorum cum titulo, & bona fide præscribantur decennio inter præsentes, & 20. annis inter absentes, ex dictis *ibidem num.*1. sine titulo autem, sed cum bona fide præscribantur triginta annis, ex dictis *ibidem num.*12. Et res immobiles Ecclesiæ Romanæ præscribantur dumtaxat spatio 100. annorum, ex dictis *ibidem num.*13. Et res immobiles aliarum Ecclesiarum inferiorum, & aliorum locorum priorum, seu causarum piarum præscribantur spatio 40. annorum, ex dictis *ibidem num.* 15. Et res immobiles Ordinum, & Monasteriorum Regularium præscribantur sola centenaria, ex dictis *ibidem num.* 16. Sic pariformiter est discurrendum de tempore requisito ad Præscriptionem cujusvis respective Privilegii in specie. *Communis*.

Privilegia *affirmativa*, quæ sunt meræ Gratiæ, 35
atque in nullius gravamen cadunt, v. gr. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi, & hujusmodi per *merum non usum* nunquam amittuntur; Glossa *in cap. Ut privilegia* 24. *de Privileg. verb. Semel in anno*, Engel *lib.*5. *Decretal. tit.* 22. *num.* 19. Pirhing *ibidem num.*176. Reiffenstuel *ibid. num.* 707. Bassæus *verb. Privilegium* 3. *num.*16. Suarez, Layman, Bonacina, Rodriquez, & alii passim; Et ratio est, quia *merus non usus* est actus liberæ facultatis, qui non inducit præscriptionem, seu renunciationem. In facultatibus enim non datur præscriptio, ex dictis sub verb. *Præscriptio* §.2. *num.*17.

Similiter per eamdem rationem Privilegia *ne-* 36
gativa mere gratiosa, v. gr. non jejunandi, nunquam amittuntur *per usum contrarium*; Suarez *lib.*8. *de Legibus cap.*25. *num.* 22. Pontius *lib.* 8. *de Matrimonio cap.* 18. *num.* 25. Pirhing *loc. citat. num.* 183. Reiffenstuel *loc. cit. num.*212. cum communi aliorum.

E contra autem Privilegia *negativa* cum onere 37
aliorum concessa, v. g. non solvendi Decimas, seu Tributum, amitti possunt *per usum contrarium*. Suarez *loc. cit. cap.*34. *n.*20. & *cap.*35. *n.*1. & 2. Layman *lib.*1. *tract.* 9. *c.*23. *n.*43. Pirhing *loc. cit. n.*178. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 213. cum communi, & certa aliorum; *arg. cap. Cum accessissent* 8. *de Constitutionibus*.

Ut

38 Ut dicta Privilegia *negativa*, quæ in non faciendo consistunt, & aliis onerosa sunt, ut est Privilegium immunitatis a solvendis Decimis, vel Tributis, Privilegium exemptionis a Jurisdictione Ordinarii, amittantur *per usum contrarium*, v.g. voluntarie, libere, ac sponte solvendo Decimas, vel Tributa, sistendo se Tribunali, seu Jurisdictioni Ordinarii sine protestatione, requiritur tantum temporis, quantum requiritur ad Præscriptionem juxta dicta *supra n.* 34.

39 Privilegium cessat, seu amittitur per revocationem Concedentis, Successoris, vel Superioris.
40 *Communissima*. Revocatio autem Privilegii duobus modis fieri potest, scilicet expresse, vel tacite; seu duplex est revocatio, una *expressa*, &
41 alia *tacita*. *Communis*. Revocatio expressa subdividitur in specialem, & generalem. *Specialis* est, quando istud, vel illud Privilegium in specie revocatur. *Generalis* est, quando in genere revocantur omnia privilegia alicui Constitutioni, &
42 Decreto contraria. *Sic Doctores communiter*. Revocatio Generalis, alia est communis, & alia extraordinaria; Revocatio generalis *communis* est, quæ fit per clausulam generalem communem, dicendo v. gr. *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis*; Revocatio generalis *extraordinaria* est, quæ fit per clausulam generalem extraordinariam, & fortiorem, dicendo v. gr. *Non obstantibus Privilegiis quibuscumque sub quacumque verborum forma concessis*; Vel sic: *Etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio*, & hujusmodi. *Communis*.

43 Per clausulam communem generalem: *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis* in posteriore Privilegio positam absque alia expressa, & specifica mentione non revocantur Privilegia clausa in corpore Juris, & certis personis concessa. *Communis*. Et ratio est, quia correctio Jurium est evitanda, quantum fieri potest, nec est facile præsumenda, nisi clare exprimatur, *arg. cap. Cum expediat, de election. in* 6. adeoque per generalem derogationem, nisi clare exprimatur, non censetur tolli Jus speciale prius habens rationem specialem; Si enim hoc Princeps voluisset, expressisset, *arg. cap. Inter Corporalia* 2. *de translatione Episcopi* §. *Sed neque istud*, *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, & *cap. Quia circa* 21. *de privileg.*

44 Per dictam clausulam communem generalem, *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis*, nec revocantur Privilegia extra corpus Juris existentia, si fuerint concessa cum clausula, quod revocata non censeantur, nisi expresse eorum mentio fiat. *Com-*
45 *munis*. Dicta tamen Privilegia revocata censentur per clausulam *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis sub quacumque verborum forma concessis*. Vel sic, *Etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio*; & hujusmodi. *Communis*, & clare patet ex ipsismet verbis clausularum.

46 Per nullam ex prædictis clausulis generalibus censentur revocata Privilegia per modum contractus concessa, vel in remunerationem meritorum, & obsequiorum præstitorum, nisi saltem in genere addatur clausula: *Etiamsi per modum contractus fuerint concessa, vel etiam meritorum intuitu*. *Communis*. Et ratio est, quia talis revocatio cedit in præjudicium tertii auferendo ei *Jus quæsitum*, adeoque non præsumitur in Principe voluntas revocandi, nisi exprimatur: Tum quia talia Privilegia ordinarie revocari non possunt, nisi ex causa gravi ad bonum publicum pertinente, adeoque revocata censeri non debent, nisi specialiter exprimatur.

Tacita autem Privilegii revocatio fit per actum 47 Principis directe contrarium Privilegio, seu qui non potest subsistere, vel non habere effectum intentum sine revocatione Privilegii antea concessi. Dummodo possit præsumi eum scire Privilegium antea concessum, illiusque recordari. *Communis*, *arg. l. Idem Ulpianus*, *ff. de excusationibus Tutorum &c.*

Unde circa hanc etiam Privilegiorum revocatio- 48 nem traduntur communiter sequentes Regulæ. Prima est: per Legem generalem, & quæ non expresse revocat Privilegia, censentur tacite revocata Privilegia in Corpore Juris contenta; Non autem censentur revocata Privilegia extra Corpus Juris existentia, nisi eorum mentio specialis fiat. Et ratio primæ partis est, quia cum Privilegia in Corpore Juris contenta pertineant ad Legem universalem, præsumitur Legislatorem ea scire, adeoque revocare Legem priorem continentem Privilegium Juris communis, quamvis in posteriore Lege non exprimat. Ratio autem secundæ partis est, quia cum Privilegia extra Corpus Juris existentia contineant Jus privatum, & particulare factum, Legislator vero non præsumatur scire Jura privata, aut particularia facta, *cap. Licet* 1. *de Constitut. in* 6. sequitur aperte, quod non censeatur ea velle revocare, nisi ea exprimat.

Secunda Regula est. Privilegium prius conces- 49 sum non tollitur, nec tacite revocatur per Privilegium posterius priori contrarium, nisi illius prioris fiat mentio specialis; Cum enim Privilegium sit Jus privatum, & particulare, præsumitur, quod Princeps concesserit Privilegium secundum ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem fecit; Adeoque secundum concessum privilegium censetur subreptitium, & invalidum, *argum. cap. Cum ordinem* 6. *de Rescriptis*, *cap. Ex parte* 12. *de Offic. Delegat. cap. Veniens* 19. *de Præscriptionibus*, *cap. Licet* 1. *de Constitut. in* 6. & late id declarat Glossa *in cap. Sicut* 1. *de Rescriptis*, *verb. Mandatum*.

Tertia Regula. Per sententiam latam contra Pri- 50 vilegium a Principe, qui potuit Privilegium concedere, non revocatur Privilegium tacite, sed potius reprobatur, idest tamquam defectuosum, seu invalidum rejicitur, & sic non tamquam prius validum aufertur, seu tacite revocatur, *arg. c. Suborta* 21. *de sent. & re judicat.*

Privilegium mere gratiosum subdito concessum 51 potest ex justa causa revocari a Concedente, vel ejus Successore, seu Superiore valide, & licite; Sine justa autem causa valide quidem, sed illicite. *Communissima*, & *satis clara*, unde non indiget probatione.

Si autem Privilegium mere gratiosum sit conces- 52 sum non subdito, nequit amplius revocari. *Communis*

munis cum Pirhing *loc citat. num.*186. Suarez *lib.*8. *de Legibus cap.*37. *num.* 2. Reiffenstuel *loc. cit. numer.*121. Et ratio est, quia, postquam Privilegium fuit acceptatum, transit in pactum, seu contractum, quo proprie dictum Jus acquiritur Privilegiato, quod non subdito auferri nequit; Tale enim Privilegium concessum non subdito, quamvis ab initio sit contractus voluntarius, ex post facto tamen est necessitatis, ut dicit Glossa *in cap. Decet* 16. *de Regul. Juris in* 6. verb. *Nota ulterius in fine*, juxta illud vulgatum: *Quod a principio est voluntatis; expost fit necessitatis; arg. l. Sicut* 5. *Cod. de obligat. & actionib.*

53 Hinc per dictam rationem Privilegia, quæ Imperatores, aliique Principes concesserunt Ecclesiis, nequeunt amplius revocari. Sic expresse Glossa *in cit. cap. Decet*, Pirhing *loc. citat. num.*186. Reiffenst. *loc. cit. num.*122. Laymann *loc. cit. cap.*23. *num.* 25. & alii passim.

54 Privilegia remuneratoria, vel per modum pacti, seu contractus onerosi concessa etiam subdito, nequeunt amplius revocari, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune, & cum compensatione aliqua Juris ablati. Pirhing *loc. citat. num.* 187. Reiffenstuel *loc. citat. num.* 122. Engel *loc. citat. num.* 22. Suarez *loc. citat. cap.* 37. *num.* 5. *& seq.* & alii passim; Et ratio est, quia etiam Princeps tenetur servare pacta præsertim onerosa inita cum subditis; *arg. cap.* 1. *de probationibus*, adeout ab eis recedere non possit, etiam de plenitudine potestatis, ut notat Fagnanus *in cap. Antigonus num.*7. *de Pactis*. Et ratio est, quia Princeps ex pacto præsertim oneroso obligatur Jure naturali, ac Divino, cui & Papa, & Imperator subjiciuntur; Et licet ob publicam necessitatem possit rescindere contractum cum subdito initum, non tamen potest juste illum omnino privare re sua sine ulla compensatione, cum Princeps non sit absolutus Dominus rerum subditi.

55 Privilegia Regularium non sunt omnia a Concilio Tridentino revocata, sed plurima ab eodem sunt confirmata. *Communis* textu expresso in eodem Concilio *sess.* 25. *de Regular. cap.*20. *ad finem*, ubi in plurimis Privilegia Regularium firma, & illæsa asserens, ac denuo confirmans, sic expresse habet: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum Privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & Jura concernunt, firma sint, & illæsa.*

56 Omnia, & singula Privilegia Regularium ante Concilium Tridentinum eis concessa, quæ adversantur Decretis *in sess.* 25. *de Regul. & Monialib.* sunt revocata ab eodem Concilio. *Communis*, per text. ejusdem Concilii *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 22. ubi ab omnibus Regularibus *omnia, & singula in superioribus Decretis contenta observari præcipit &c. Non obstantibus eorum omnium & singulorum Privilegiis sub quibuscumque verborum formulis conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus, & Regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel Præscriptionibus, etiam immemorabilibus &c.*

57 Item revocata sunt Privilegia illa Regularium ante Tridentinum eis concessa, quæ adversantur præcedentium sessionum Decretis habentibus supradictam, vel similem clausulam Privilegiorum revocatoria: *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis &c. Communis*. Et ratio est, quia, ubi adest expressa clausula Privilegiorum revocatoria, de Revocatione dubitare non licet; In claris enim, & expressis non datur interpretatio, vel voluntatis conjectura, *l. Licet Imperator, ff. De Legatis* 1. *& l. Ille, aut Illa, ff. De Legatis* 3. Unde Glossa communiter recepta *in cap. Cum dilectis* 8. *de consuetudine verb. Nec Juri communi*, sic expresse habet: *Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio*, & concordat *c. Ad audientiam* 12. *de Decimis, & cap. Porro* 7. *de privilegiis*.

An autem revocata censeantur non solum illa 58
Regularium Privilegia, quæ adversantur alicui ex Decretis Concilii Tridentini *cit. sess.*25. *de Regularibus*, vel alicui ex Decretis præcedentium Sessionum habentibus supradictam expressam clausulam Privilegiorum revocatoriam *Non obstantibus quibuscumque Privilegiis &c.* sed illa quoque, quæ adversantur, seu contraria sunt Decretis aliarum Sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*) & clausulam Privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, ita ut per Bullas confirmatorias Privilegiorum Regularium nunquam censeantur confirmari, sed potius pro invalidis declarari per illam clausulam: *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur?* Non conveniunt Doctores; Donatus enim *tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 11. *quæst.*15. *a num.* 4. Peyrin. *in declarat. privilegior. tom.*2. *in Constit.*1. *Gregorii XIII. num.* 3. & alii, tenent sententiam affirmativam. Suarez autem *lib.*8. *de Legibus cap.*18. *in fine*, Rodriquez *tom.* 1. *qu. Regular. quæst. 6. art.*7. Miranda *Manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 8. *art.* 3. *vers. Sed alii*, & plures alii, signanterque Reiffenstuel *lib.*5. *Decretal. tit.*33. *a num.*116. *ad num.* 118. *& a numer.* 139. *ad* 146. defendunt sententiam negativam, dicentes, quod illa Regularium Privilegia, quæ advresantur, seu contraria sunt Decretis aliarum sessionum (excepta dicta *sess.* 25. *de Regularibus*) & clausulam Privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, probabilissime non censentur revocata ab eodem Concilio, nec eximuntur a confirmatione per illam clausulam, *Dummodo Sacris Canonibus, & Decretis Conc. Trid. non adversentur.* Vide ipsum Reiffenstuel *loc. citat.* ubi pluribus rationibus, & Juribus adductis, contrariisque argumentis solutis, solide & fuse hanc sententiam propugnat.

Regulares non possunt nec in foro conscientiæ 59
uti suis Privilegiis, quæ sunt expresse revocata a Concilio Tridentino. *Communis, ac certa*; Sententia enim contraria fuit expresse damnata ab Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 1666. propositione 36. in ordine, ibi: *Regulares possunt in foro conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum*. Immo Regulares non 60
possunt in foro conscientiæ uti suis Privilegiis a Concilio Tridentino expresse revocatis, nec in locis, ubi Tridentinum Concilium non est receptum. Sic

Sic cum aliis solide probat Viva *ad dictam propo-*
61 *sitionem 36. num.*10. Qui *ibidem num.* 11. ex communiori dicit, neque posse Regulares in foro conscientiæ uti suis Privilegiis solum implicite a Tridentino revocatis; quia Tridentinum condendo Legem in contrarium, illam revocavit implicite, & in Bullis confirmatoriis Privilegiorum Regularium addi solet clausula illa, *Dummodo Decretis Conc. Trid. non adversentur*, adeoque neque iis possunt Regulares uti in foro conscientiæ, quidquid in contrarium docuerit Rodriquez cum Miranda, & Portello, quos postea cum aliis sequutus est Reiffenstuel *loc. supra cit.*

62 Quamvis multa Regularium Privilegia, tum per Concilium Tridentinum, tum per varias Pontificias Constitutiones fuerint vere revocata; adhuc tamen multa, & plurima alia existunt, quæ nec dicto Concilio Tridentino, nec dictis Constitutionibus Pontificiis adversantur, seu contraria sunt, & consequenter non sunt ab eis revocata, uti clare patet in Compendiis Privilegiorum Regularium recenter editis, & juxta Decreta Conc. Trident, & aliarum Pontificiarum Constitutionum reformatis, & signanter *in nostro Privilegiorum Compendio primitus compilato ab Alphonso de Casarubios Hispano*, & postea *per Hieronymum a Sorbo* omni debita cum reverentia, & obedientia erga Sedem Apostolicam juxta Decreta Conc. Trid. & aliarum Pontificiarum Constitutionum reformato, in quo nullum Privilegium a Conc. Trident. vel aliqua Pontificia Constitutione usque ad Clementem VIII. (sub quo reformatum fuit) reperitur revocatum, & tamen plurima in illo reperiuntur Privilegia etiam nulli posteriori Constitutioni Pontificiæ contraria, nec *per usum contrarium*, vel *non usum*, *Renunciationem*, *Præscriptionem*, vel aliam viam amissa. Sic Reiffenstuel *loc. cit. a num.*323. Kazenbeger *loc. cit. n.*441. & alii.

63 Alia, vide verb. *Oracula vivæ vocis*, *per tot.* hic autem pro complemento tandem sit

Constitutio Clementis XII. in qua nonnullas Apostolicas Litteras Ordinibus Regularibus, & Mendicantibus a piæ mem. Benedicto Papa XIII. concessa moderatur, ac reducit ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum.

CLEMENS EPISCOPUS &c.

R*Omanus Pontifex, quem cælestis Paterfamilias Vineæ suæ custodiendæ præposuit, diu noctuque operarios, impigre in ea laborantes, circumspicit, congruam, immmo amplam mercedem eis largiturus, ut Vinea, probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare possit.*

Sane fel. record. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. strenuas Ordinum Regularium, & Mendicantium cohortes, hanc Domini Vineam, atque Agrum Ecclesiæ inaesinenter colere conspicatus, ac paterno erga eos animo effectus, quo etiam Nos ipsi utique afficimur, plura eis privilegia concessit, ratus ea pari voluntate universim excipienda: Quod tamen secus evenisse, Nos ad supremi Sacerdotii apicem, disponente Domino, evecti, ægre intelleximus; inde nimirum præter omnem expectationem nostrum variis litibus, & controversiis exortis, ac nisi opportune occurratur, fortasse in posterum exorituris. Quare nonnullis ex hujusmodi Litteris, & Constitutionibus Apostolicis mature perpensis ad sedandos rumores propterea excitatos, mutuamque & vere Christianam inter Episcopos, & Regulares Familias, ac etiam Seculares Ordinis, & Sodalitates, publicasque Universitates benevolentiam, & pacem ubique in Ecclesia servandam, de consilio nonnullorum ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in hanc sententiam devenimus, ut subsequentibus Litteris, & Constitutionibus eodem Pontifice Benedicto sedente vulgatis, moderationem aliquam auctoritate nostra adhibendam esse decerneremus. Litteræ vero ipsæ, & Constitutiones Ordinibus Regularibus pridem concessæ hæ sunt.

Editæ IV. Idus Dec. an. MDCCXXV. quæ incipiunt: Paterna.

Aliæ IX. Kal. Jun. an. MDCCXXI. quæ incipiunt Ratio Apostolici ministerii.

Aliæ 3. Nonas Julias ejusdem anni, quæ incipiunt: Singularis devotio.

Aliæ VIII. Augusti ejusdem anni, quæ incipiunt: Exponi nobis nuper fecerunt.

Aliæ Kalendis Septembris ejusdem anni, quæ incipiunt: Vitæ, & morum integritas.

Aliæ Kal. Jan. anni MDCCXXVII. quæ incipiunt: Libenter.

Aliæ V. nonas Martias ejusdem anni, quæ incipiunt: Loca Sancta.

Aliæ Kalendis Aprilis ejusdem anni, quæ incipiunt: Ex quo Sedes.

Aliæ V. Nonas Aprilis ejusdem anni quæ incipiunt: Summe decet.

Aliæ VII. Kal Junias ejusdem anni, quæ incipiunt: Pretiosus, *cum declarationibus sub die XXVIII. Septembris anni MDCCXXVIII. ab eodem Pontifice factis super quibusdam dubiis circa intellgentiam rerum in ipsa Constitutione contentarum exortis.*

Aliæ XXI. Mart. anni MDCCXXIX. quæ incipiunt; Exponi nobis fecit.

Aliæ demum VII. Kalend. Apr. Ejusdem anni MDCCXXIX. quæ incipiunt: In Sede.

Quamvis autem hæc omnia, & singula ex ejusdem recolendæ memoriæ Benedicti pia, & laudabili erga Regularium Familias voluntate, profecta fuerint, quos ipse ob eorum zelum de salute animarum, religionis fervorem, doctrinam, & regularis disciplinæ observantiam, magna, ac vere paterna dilectione prosequebatur, concessa, extensa, decreta, confirmata & declarata fuerint; Nos tamen qui post varias altercationes, & difficultates de eisdem Litteris, & Constitutionibus excitatas, & optatam Sanctæ Dei Ecclesiæ tranquillitatem præ oculis habemus, volentes, ut universis Dominici gregis Pastoribus, ac præsertim Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in partem solicitudinis nostræ vocatis, liberum jurium suorum, quæ summi Dei gloriam, & animarum salutem respiciunt, in illorum Diœcesibus exercitium servetur, quæque illud quomodocumque impedire, & lædere fortasse possunt, pro viriii nostra penitus amovere cupien-

cupientes, quemadmodum alias Romani Pontifices Antecessores nostri sæpius egerunt; Nos quoque ad præservandum iisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac quibuscumque aliis Ordinibus, ac Cætibus Ecclesiasticis, & Sæcularibus suorum jurium exercitium, & possessionem, amovendamque quarumque dissensionum, & litium occasionem ex concessa Nobis Divinitus Apostolicæ potestatis plenitudine, eorumdem Antecessorum nostrorum Pontificum Romanorum vestigiis inhærentes, statuimus & decernimus de omnibus, & singulis prædictis Litteris, & Constitutionibus, quæ ab eodem Antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, Gratiis, Favoribus, Indultis, Exemptionibus, Facultatibus, & Declarationibus in iisdem contentis, eam deinceps Decisionem, ac judicium, etiam in foro conscientiæ habendum, quod sive ex jure communi, sive ex Concilio Tridentino sive ex Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, sive alias, legitime habebatur, antequam eædem Litteræ, & declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, perinde scilicet, ac si illæ non emanassent; Ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum, omnia superius enunciata omnino reducimus, & reducta esse volumus, itaut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Litterarum, & Constitutionum usu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur.

Hinc ad præmissorum effectum pro nullis, & infectis haberi volumus omnia Decreta irritantia Prohibitiones, Declarationes, Mandata, & quæcumque in Litteris, & Constitutionibus prædictis quomodolibet apposita, atque alia, eorumdem occasione facta, huic reductioni, Decreto, & Voluntati nostræ quomodocumque adversantia, quibuscumque ea essent concepta formulis, ac præservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis, præsertim quod semper in data cuicumque Constitutioni illarum revocatoriæ, in posterum edendæ, posteriores censeantur. Etiam motu proprio, & potestatis pari plenitudine, ac ex certa scientia; Etiam Consistorialiter, etiam pro conservatione status regularis, etiam in vim contractus, & stipulationis inter Sedem Apostolicam & Ordines prædictos initæ, quam ad hujusmodi effectum rescindimus, & ex nunc rescissam, nulliusque roboris, & momenti esse volumus, & decernimus; Ideoque omnes dissensiones, altercationes, & lites coram quibuscumque Judicibus Ordinariis, Extraordinariis, & Commissariis, etiam a Causarum Palatii nostri Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis nec non quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, prædictarum Litterarum, & Constitutionum occasione, jam motas, necdum decisas, aut finitas, vel etiam, quæ jam decisæ essent, si modo tractum habeant successivum, easque rursus in posterum excitari contingat, juxta juris communis, Conc. Trid. Decretorum, & Constitutionum Apostolicarum, ac præsentem hanc nostram dispositionem, nec aliter decidendas esse præcipimus. Futura vero dubia, & difficultates ubicumque, & quandocumque oriantur, ad Nos, & Sedem Apostolicam, ad quam Pontificiarum Constitutionum, atque Ecclesiasticarum sanctionum interpretatio pertinet, referenda esse decernimus.

Itaque omnia, & singula hactenus memorata, nec non præsentes, etiam ex eo quod causæ, ob quas emanaverint, comprobatæ, expressæ, & verificatæ, aut in præmissis interesse habentes, vel prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque eisdem consenserint, vel alias ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, sive alio quovis defectu notari, & impugnari, argui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; Sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, omnino statuimus; Sicque, & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii nostri Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & decretum esse volumus; Non obstantibus præmissis, nec non nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non omnibus, & singulis prædicti Benedicti prædecessoris, declarationibus super dubiis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnium, & singulorum Ordinum prædictorum, ac eorum cuilibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, etiam Mare Magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, Litterisque Apostolicis; sub quibuscumque tenoribus, & formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & Consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & pluries innovatis: Quibus, omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu, quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret: eorum omnium, & singulorum tenores, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, & plenissime hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque quomodolibet contrariis quibuscumque.

Volumus autem, &c.

Nulli

Nulli ergo omnino hominum, &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1732. *tertio Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.*

Additiones ex aliena manu.

64 De singulis modis, quibus Privilegia amittuntur, agere pro dignitate, immensi esset laboris. Vide de iis, ubi necessitas postulet, Grueber *de*
65 *Privileg. Religios. tract.* 1. *disp.* 5. *per tot.* Paucis disserendum de revocatione tantummodo Privilegiorum.

66 Et quoad revocationem privilegiorum, adhiberi solet distinctio, utrum subdito, an non subdito privilegium concessum sit, sic ut illo quidem casu revocatio sæpe Principi permissa sit, hoc non item; Gail. *observ. l.* 3. *observ.* 60. *n. ult.* Merul. *in*
67 *Prax. tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 33. Ast quum non magis subjecti fraudandi sint suis commodis, quam hisce fides ex jure gentium servanda certe sit, nulla sufficiens ratio apparet talis distinctionis, sive quæstio sit de Privilegiis indultis ex mero beneplacito Principis, sive de istis, quæ descendunt ex præcedenti quodam contractu, seu causa.

68 Rectius meo judicio sentiunt, qui Principi tribuunt facultatem revocandi in iis privilegiis, quæ profluxerunt ex mera ejus liberalitate, non præcedente, vel subsequente conventione, & obligatione, quæque ipse indefinite sine ulla temporis adjectione concessit, aut (quod non infrequens) circa quæ tempore concessionis sibi potestatem revocandi, mutandi, diminuendive nominatim reservavit; eo quod hæc non alio quam precarii jure, videri possunt haberi, atque possideri ab illis, quibus sunt acquisita; Nec ullam inferre dici potest injuriam, qui repetit concessa precario, aut utitur jure sibi reservato, & quidem tametsi nulla penitus causa revocandi subesset; Besold. *Delibat. Jur. ad Pandect. lib.* 1. *n.* 13. Anton. Matth. *de Auction. l.* 2. *c.* 7. *n.* 51.

69 Sin autem mediante contractu interveniente causa onerosa ob factum aliquod impletum, vel implendum, aut dationem præsentem, vel futuram constet Privilegia concessa, vel ob benemerita talia, & operas navatas, quæ sæpe tanti valent, quanti pecunia: nonnisi ex causis justis legitimis, & satis gravibus de novo emergentibus ea jure revocat Princeps; Besol. *ubi supra*, Zoes. *in Comment. ad Pandect. l.* 1. *tit.* 7. *n.* 30.

70 Nec aliter dijudicandum est de Privilegiis illis, quæ cum ex mera benevolentia Principum indulta essent, jurejurando tamquam leges fundamentales tempore suscepti Imperii fuerunt a Successore firmata; Besold. *eod. loc.*

71 Quod si Privilegia, vel ad certum numerum annorum, vel in perpetuum impetrata ita sint, ut manifesto constet obreptum concedenti, vel veritate impressa, vel suggesto mendacio; impetrationis effectu quantocius privari a Principe possunt tales Precatores.

72 Justa itidem revocationis causa erit, si probatum sit Artifices, Opifices, aliosve similes Privilegio sibi concesso contra intentionem Principis concedentis in fraudem aliorum subjectorum abuti; Zoes. *ibid. n.* 9. Jacob. Coren. *observat.* 27. *n.* 57.
Uti si obtentu Privilegii sibi ipsi jus dicat, factis 73
magis, & violentiis, ac armis de Privilegio contendentes, quam implorato Judicis competentis auxilio: Iidem Auctores *iisdem locis*.

At nota, hæc procedere si tota illa Societas Ar- 74
tificum sic Privilegio sit abusa. Si enim, cum universitati indultum esset, per membra quædam ejus singularia sine ipsius Universitatis assensu sub velamento Privilegii peccatum fuerit; iniquum erit, ex paucorum forte facto, insontes quoque cæteros, atque ipsam Universitatem quæsito jure fraudari; Gayl. *observat. l.* 2. *observ.* 60. *n.* 15.

ARTICULUS IV.

Quoad ea quæ concernunt Privilegia vivæ vocis Oraculo concessa.

Vide verb. *Oracula vivæ vocis, per tot.*

ARTICULUS V.

Quoad ea, quæ concernunt Privilegium Fori, & Privilegium Canonis.

Vide verb. *Clericus art.* 2. *per tot.*

PROBATIO.

Probatio ut sic, est rei dubiæ, seu contro-
versiæ per legitima argumenta facta ostensio. 1
Mascard. *de probationibus, volum.* 1. *q.* 2. *proœmial. n.* 8. Abbas *ad Rub. de probationib. nu.* 1. Hostiens. *in Summa de probationib. num.* 2. Reiffenstuel *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. *numer.* 2. & alii passim. Pro-
batio Judicialis est Judici rei dubiæ apud eum con- 2
troversæ per legitimos modos facta ostensio. Mascard. *loc. c. n.* 17. Engel *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. *nu.* 1. Vallens. *ib.* §. 5. Sannig *ib. c.* 1. Reiffenst. *ib. nu.* 5. & alii.

Probatio generatim sumpta dividitur in Judicia- 3
lem, & extrajudicialem. *Judicialis* est illa, quæ fit in Judicio; *Extrajudicialis* est illa, quæ fit extra Judicium, ut sunt probationes, quæ solent adhiberi inter homines privatos in Contractibus Civilibus. *Sic in re Communis*.

Insuper probatio dividitur in plenam, & semi- 4
plenam. *Plena* est illa, quæ tantam fidem facit, quanta ad definiendas controversias sufficit; ut est probatio, quæ fit per duos testes omni exceptione majores, per instrumenta authentica, per confessionem propriam, & hujusmodi. *Semiplena* est illa, quæ facit quidem aliquam fidem rei gestæ, sed non tantam, quæ sufficiat ad definiendas controversias, ut est probatio per unum testem, per confessionem extrajudicialem, per scripturam privatam, per fugam Rei, qui debuisset respondere, per famam, & hujusmodi. *Sic in re Communis*.

Proba-

5 Probatio plena subdividitur ab aliquibus in plenam, pleniorem, & plenissimam, seu in evidentissimam, claram & minus evidentem. *Probatio evidentissima* censetur illa, quæ fit per Privilegia, & instrumenta indubitata, ut notant Mascard. *loc. cit. q.* 4. *n.* 5. Abbas *in c. Licet n.* 11. *de probationibus*, Reiffenst. *loc. cit. n.* 12. & alii. Et huc accedunt probationes apertissimæ, prout appellantur *in c. Pia*, *de exceptionibus in 6. & l. Sciant*, *Cod. de probation.* & istæ probationes *apertissimæ*, seu *plenissimæ*, atque luce clariores habentur per facti evidentiam, & aliis modis indubitatis. *Probatio clara* est illa, quæ fit per testes, & hujusmodi. *Probatio minus evidens*, quæ alio nomine dicitur *Probatio præsumptiva*, est illa, quæ fit per conjecturas, & præsumptiones, ut *cap. Afferte* 2. *de præsumptionibus*.

6 Probationum species quamvis alii assignent duodecim, alii decem, commode tamen reducuntur ad novem, prout assignantur ab Hostiensi *in Summa tit. de probationibus num.* 6. Engel *loc. c. n.* 7. Reiffenstuel *loc. c. n.* 18. & ab aliis, quæ in sequentibus versiculis breviter continentur:

Aspectus, *Sculptum*, *Testis*, *Notoria*, *Scriptum*.
Jurans, *Confessus*, *Præsumptio*, *Fama probavit*.

7 Per ly autem *Aspectus* indicatur probatio per *Inspectionem ocularem*. Per ly *Sculptum* indicatur probatio per antiquas *Scripturas* in lapidibus marmoreis impressas: Per ly *Testis* indicatur probatio, quæ fit *per Testes*. Per ly *Notoria* indicatur probatio, quæ fit *per Evidentiam rei*, seu per *Notorietatem*. Per ly *Scriptum* indicatur probatio, quæ fit *per Instrumenta*. Per ly *Jurans* indicatur probatio, quæ fit *per Juramentum*. Per ly *Confessus* indicatur probatio, quæ fit per propriam confessionem. Per ly *Præsumptio* indicatur probatio, quæ fit *per Præsumptionem*. Per ly *Fama* indicatur probatio, quæ fit *per Famam*. Ad quas novem præcipuas probationum species, ut vides cæteræ aliæ possunt commode reduci.

8 Probatio debet esse clara, & certa. *Communis*, per text. *in c. In præsentia* 8. *de Probationibus*, juncta Glossa *in casu ad cit. c. in præsentia*, ubi expresse dicit, quod *Clara*, *& certa debet esse probatio*, *& non dubia*. Unde probatio dubia, seu
9 æquivoca, idest, quæ potest referri ad unum & ad alium, non relevat probantem, sed rejici debet, cum nihil concludat, nec ullum probationis gradum constituat. Rota recent. *part.* 3. *dec.* 176. *n.* 8. *dec.* 232. *n.* 9. *dec.* 311. *nu.* 2. *dec.* 509. *num.* 5. *dec.* 511. *n.* 3. *par.* 4. *tom.* 1. *dec.* 263. *num.* 3. *part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 254. *n.* 22. *dec.* 335. *n.* 7. *dec.* 487. *nu.* 11. *part.* 6. *dec.* 121. *num.* 22. & sæpissime alibi cum communi Doctorum. Nam juxta illud vulgatum: *Non probat hoc esse*, *quod ad hoc*, *quandoque contigit abesse*, prout loquitur Summarium *in l. Neque Natales*, *Cod. de probationibus*, & probat text. *ibid. & l. Non hoc*, *Cod. Unde vi*, & Rota rec. *part.* 19. *t.* 1. *dec.* 469. *n.* 15.

Probatio Judicialis debet fieri secundum formam Libelli, *cap. Cum dilectus §. Sed quoniam*, *de ordin. cognition.* Est enim pronunciandum secundum formam Libelli. *Clementin. Sæpe contingit*, *§. Verum quia*, *de verbor. significat.* Et ideo illa solummodo sunt probanda, quæ mediante Libello in Judicium deducta fuerunt, ac desuper lis movetur, sive directe, sive in modum executionis, vel replicationis, ut *cap. De testibus* 29. *de testibus*, *& l. Ad probationem dominii*, *Cod. de Probationibus.* Unde si per testes probatur aliud, quam quod est deductum per Libellum in Judicium, non valet dictum eorum super illo, *leg.* 1. *§. Divus Antoninus*, *ff. de Quæstionibus*, junctis Juribus proxime allegatis, Hostiens. *in Summa tit. de probationibus numer.* 5. Mascard. *de probationibus*, *quæst.* 17. *n.* 17. Speculator *tit. de Teste §.*1. *num.*62. Reiffenstuel *loc. c. n.*56. *&* alii passim. 10

Probatio Judicialis regulariter debet esse plena, & concludens. Rota recent. *par.* 1. *dec.* 160. *n.* 2. *& dec.* 568. *n.* 5. & sæpe alibi, & *Communis Doctorum*, per textum in *cit. cap. In præsentia* 8. *de Probationibus*, *cap. Recipimus* 18. *de Privileg. & ex l. Judices*, *Cod. de Judiciis*, ibi: *Judices oportet imprimis rei veritatem plena. inquisitione discutere*, 11

Quænam autem probatio hic & nunc sit plena, & concludens, ut plurimum Judicis arbitrio relinquitur. Rota recent. *part.* 3. *dec.* 466. *sub n.* 4. *par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 53. *n.* 13. *par.* 18. *t.* 1. *dec.* 146. *num.* 19. & sæpe alibi, & Doctores communiter, per text. in *l.* 3. *§. Ideoquo Divus*, *ff. de Testibus*, *cap. In nostra* 53. *de Testibus*. 12

Dantur tamen plures casus in quibus non requiritur probatio plena, sed sufficit semiplena, vel alia ex conjecturis deprompta, ut sunt casus, in quibus sententia lata facit modicum præjudicium. Rota recentior. *part.* 15. *dec.* 190. *nu.* 15. *& Communis Doctorum*, per text. in *l.* 3. *§. Causæ*, *ff. de Carbonian. Edict. & l.* 4. *§. Sciendum*, *ff. Ad exhibendum*. 13

Sic probatio plena non requiritur, sed sufficit semiplena, & præsumptiva in materia difficilis probationis. Rota *part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 619. *n.* 4. *par.*13. *dec.* 537. *n.* 9. Et Doctores communiter per text. in *c. Cum Dilectus* 32. *de election. cap. Præterea* 27. *de Testibus*, *l. Filium*, *ff. de his*, *qui sui*, *vel alieni Juris &c.* 14

Item sufficit probatio semiplena, & ex conjecturis, seu indiciis in rebus antiquis, præsertim si excedant 100. annos. Rota rec. *part.* 2. *dec.* 556. *n.* 3. *part.* 4. *tom.*2. *dec.* 254. *nu.* 48. *par.* 10. *dec.* 234. *num.* 10. *p.* 19. *t.* 1. *dec.* 44. *n.* 17. *& dec.* 270. *num.*8. & sæpe alibi. Et Doctores passim per text. in *l. Census*, *& monumenta*, *ff. De probationib. l. Qui ex liberis*, *ff. de bonorum possessione secundum tabul. capit. Cum causam* 13. *de probation.*, *cap. Cum olim* 19. *de Censibus*, juncta Glossa *ibid. verb. Antiquis*. 15

Item sufficit probatio semiplena & unius testis depositio in iis, quæ nemini nocent, & alteri prosunt. *Communis*, per text. in *c. Parvulus*, & *cap. Itaque*, *dist.* 4. *de Consecrat.* 16

Item sufficit probatio semiplena in Judicio Ma- 17
nuten-

nutentionis Interdicto retinendæ. *Communis* cum Rota recent. *par. 2. dec. 147. n. 1. par. 10. decis. 11. n. 2. par. 24. dec. 493. n. 8.*

18 Item sufficit probatio semiplena in materia de sui natura verisimili. *Communis* cum Rota *par. 18. t. 1. dec. 92. num. 7.* Et quando agitur de aliqua re incidenter. Rota *par. 14. dec. 361. n. 6.*

19 Tandem sufficit probatio semiplena in causis summariis, ubi agitur de rebus modicis, & quasi nullius præjudicii. *Communis* cum Rota *par. 15. dec. 190. num. 14.* per textum *in cap. Ex litteris, de in integrum restitution. cap. Cum Bertoldus 18. de sent. & re judicat. l. 3. §. causæ, ff. de Carbonian. Edict. & l. 4. §. Sciendum, ff. Ad exhibendum*, cum similibus.

20 In concursu contrariarum probationum plenior, fortior, seu efficacior prævalere debet, & minor, seu minus plena habetur pro non facta; *Communis* cum Rota recent. *part. 1. dec. 303. num. 13. dec. 494. n. 11. dec. 509. n. 9. part. 2. dec. 44. n. 6. par. 7. dec. 203. n. 12. par. 8. dec. 212. num. 10. par. 12. dec. 336. num. 34.* & sæpe alibi, per text. *in cap. cum Ecclesia 3. §. Partibus, de causa possess. c. Licet causam 9. §. final. de probat. l. Nam & iis, ff. de inofficios. testament.* cum similibus.

21 Item probatio clara, & magis distincta prævalet probationi præsumptivæ, obscuræ, & minus distinctæ. *Communis* cum Rota *part. 7. dec. 269. num. 12. par. 14. dec. 520. num. 80. part. 15. dec. 323. num. 5.* per text. in *l. Imperatores, ff. de probationib. l. In rebus, Cod. de Jure Dotium*, cum similibus.

22 Item probatio certa, & concludens superat probationem æquivocam, & imperfectam. *Communis*, cum Rota *par. 5. t. 1. dec. 313. nu. 6. par. 5. tom. 2. dec. 430. num. 104. par. 17. dec. 208. nu. 17.* per text. *in cap. Per totas, Qui filii sint legitimi, & l. 1. & seq. Cod. Plus valere quod &c. & l. Ob carnem §. final. ff. de Testibus.*

23 Item probatio specialis prævalet probationi generali. *Communis*, cum Rota *par. 1. dec. 246. n. 5. part. 2. dec. 299. par. 3. dec. 556. n. 3. par. 4. dec. 447. n. 3. part. 7. dec. 272. num. 7. part. 11. dec. 305. n. 8.* & sæpe alibi, per text. in *c. Generi 34. de Reg. Juris in 6.* cum similibus.

24 Probatio per aspectum corporis præfertur probationi per attestationem juratam in contrarium. *Communis*, per text. in *cap. Proposuisti 4. de probationibus*, juncta Gloss. *ibid. verb. Puellæ.*

25 Probatio per evidentiam facti, seu per inspectionem ocularem, vel per instrumentum, vel per rem judicatam, vel per confessionem partis superat quacumque aliam probationem. *Communis*, cum Rota *part. 4. t. 1. decis. 568. n. 7.* per text. *in c. Evidentia 9. de accusationibus, cap. ult. De cohabit. Cleric. c. Cum olim 24. de verbor. signific. l. Cum te, Cod. de transactionibus, l. Generaliter, Cod. de non numerand. pecun.* cum similibus.

26 Sic nulla alia datur major probatio, quam ea, quæ fit ex proprii oris confessione. *Communis* cum Rota *part. 9. tom. 1. dec. 98. n. 4.* per text. *in cap. Per tuas 10. de probationib. l. Cum te, Cod. de transact. l. Generaliter, Cod. de non numerand. pecun.*

In æqualitate probationum favetur Reo. *Communis*, per text. *in c. Ex litteris 3. de probationib. c. ultim. de sent. & re judicat. c. Cum sunt 11. de Reg. Juris in 6.* juncta Glossa *ib. verb. Cum sunt*, cum pluribus Juribus ab ipsa citatis. 27

Item in æqualitate probationum favetur possessori. *Communis*, per text. *in c. In pari 65. de Regul. Juris in 6. & l. In pari, ff. de Regul. Jur.* 28

Excipe tamen hic causas favorabiles, quales sunt quatuor; scilicet pro Matrimonio, pro Libertate, pro Dote, ac pro Testamento; Nam si in istis utriusque partis probationes fuerint æquales, non pro possessore, sed pro valore Matrimonii; sive pro Libertate, vel pro Dote, aut Testamento profertur sententia; Istæ enim quatuor causæ propter favorem excipiuntur. *Communis*, per text. *in c. Ex litteris 3. de probationibus, &c. ultim. de sent. & re judicat.* Gloss. *ibid. verb. Proferentibus, in fine*; ubi allegat sequentes vulgatos versiculos. 29

Stat Testamentum, Libertas, Conjugium, Dos.
Si sint æquales, qui producuntur utrinque.

Plures probationes semiplenæ possunt conjungi ad faciendam, seu constituendam plenam probationem; Dummodo quælibet de per se, & in suo genere sit perfecta, & tendat ad eumdem finem. *Communis*, cum Rota *par. 2. dec. 519. numer. 7. par. 3. dec. 526. num. 10.* & sæpe alibi per text in *cap. Cum causam 13. de probationib. c. Per tuas 32. de Simonia, l. Instrumenta, Cod. de probationibus*, cum similibus. Si autem probationes semiplenæ in suo genere sint imperfectæ, licet plures, non conjunguntur ad constituendam plenam probationem. *Communis*, cum Rota *part. 3. dec. 117. num. 3. part. 4. tom. 2. dec. 391. numer. 34. part. 12. dec. 8. num. 29. part. 17. dec. 172. num. 26.* & sæpe alibi. 30 31

Ubi probationes concludentes requiruntur, debent illæ per necesse concludere, & non per possibile. *Communis* cum Rota *part. 4. t. 1. dec. 173. nu. 13. & Annotat. ad dec. 131. nu. 50. & seq. part. 8.* per text. in *l. Non hoc, Cod. Unde legitimi, l. Neque natales 10. & l. Ad probationem 22. de probationibus.* 32

Probatio plena, & concludentissima requiritur in materia objectiva, & quæ sapiat delictum; præsertim ubi agitur de magno præjudicio. *Communis* cum Rota *part. 2. dec. 179. num. 3. part. 3. dec. 117. num. 11. part. 10. dec. 51. num. 30. part. 11. dec. 229. num. 7. art. 12. dec. 347. num. 26.* & sæpissime alibi, per text. in *cap. per Litteras vestras 14. de præsumptionibus, l. ult. Cod. de probationibus*, cum similibus. 33

Unde probatio ex solis præsumptionibus etiam vehementibus, nemo in causis criminalibus criminaliter motis (quibus æquiparantur causæ Civiles arduæ, & magni momenti) condemnandus est. Nisi tamen indicia sint indubitata, & luce clariora, seu talia, quæ evidentiam rei inducant. Vide verb. *Præsumptio a n. 19. ad 21.* 34

Verba narrativa Papæ, quibus in suis Apostolicis 35

licis Litteris proprium factum narrat, plenam probationem faciunt, si super illis intentio ipsius fundetur. *Communis* cum Rota *part.* 1. *dec.* 416. *nu.* 1. *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 307. *num.* 12. *part.* 12. *dec.* 357. *n.* 26. *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 159. *n.* 9. per text. in *Clementin. Unica, de probationibus*, juncto Summario *ibidem*, in quo sic expresse habetur: *Verba Litterarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probant, si super illis gratia, vel intentio Papæ fundetur.*

36 Si autem intentio Papæ super eis non fundetur, tunc verba narrativa Papæ, seu Litterarum Apostolicarum nihil probant. Glossa communiter recepta in *citat. Clement. Unica verb. Fundatur*, Abbas *ibid. num.* 1. Mascard. *de probationibus conclus.* 236. *num.* 25. & 29. Reiffenstuel *lib.* 2. *Decretal. tit.* 19. *num.* 108. & alii passim, *arg. cap. Si aliquando* 41. *de sent. excomm. Clementin. Si summus* 4. *de sent. excommun.*

37 Hinc si Papa suis Litteris Apostolicis salutat Excommunicatum, non per hoc censetur eum absolvere, quia intentio Papæ Litteras illas dantis super impertienda tali absolutione se non fundabat. *Communis*, textu expresso in *citat. cap. Si aliquando* 41. *de sentent. excomm.* ibi: *Si aliquando forte contigerit, quod eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subjecti, nostræ Litteræ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata. Dum per ignorantiam, vel negligentiam aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem* (tacendo videlicet quod quis sit excommunicatus) *contingat hujusmodi Litteras impetrari*. Et ibi Summarium expresse habet: *Si Papa suis Litteris excommunicatum salutat, non propter hoc eum absolvit.*

38 Immo quamvis Papa scienter excommunicato participet Litteris, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret velle per hoc ipsum absolvere. *Communis*, textu expresso in *Clementin. Si summus* 4. *de sent. Excom.* ibi: *Si Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet Litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi*, juncto ejus Summario sic expresse habente: *Si Papa etiam scienter excommunicato participat, illum per hoc non absolvit, nisi exprimat, hoc se velle.*

39 Similiter si Papa quempiam sub titulo cujuslibet Dignitatis nominet, honoret, tractet, & hujusmodi, non per hoc in Dignitate illa ipsum approbare intelligitur. *Communis*, textu expresso in *cit. Clementin. si Summus* 4. *de sent. Excomm.* ibi: *Similiter quoque si quem sub titulo cujuslibet Dignitatis, ex certa etiam scientia, verbo, Constitutione, vel Litteris nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in Dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris*, juncto Summario *ibidem* sic expresse dicente: *Et si scienter sub titulo Dignitatis aliquem nominet, vel honoret, per hoc illum in Dignitate non approbat*. Et ratio est, quia super talibus verbis, signis, vel factis non fundatur intentio Papæ, seu talia non sunt ad conferendam, vel approbandam dignitatem illam, sed incidenter solum similia narrantur, aut fiunt, & ita dicendum est de similibus.

Quando intentio Papæ fundatur sapra facto alieno a se narrato, tunc narratio, seu assertio Papæ facit quidem plenam fidem, si nihil opponatur; sed tamen adimittitur probatio in contrarium. Rota *part.* 2. *dec.* 580. *num.* 6. *part.* 5. *dec.* 510. *numer.* 1. & sæpe alibi, Glossa in *citat. Clement. Unica, de probat. verb. Fecisse narramus*, Abbas *ib. num.* 2. Barbosa *num.* 6. Pirhing *lib.* 2. *Decret. tit.* 19. *num.* 61. Mascard. *de probat. conclus.* 139. *num.* 21. & 22. cum pluribus aliis docens, quod attestationi Papæ de facto alieno statur, donec probetur contrarium; Cum enim ob falsam aliorum relationem, seu informationem possit Papa in narrativa facti alieni errare; *c. Lator* 7. *de sent. & re judicata*, & *c. A nobis* 28. *de sent. Excomm.* merito relinquitur locus probationi in contrarium. Unde Rota *part.* 2. *dec.* 46. *num.* 2. dicit, quod narrativa Papæ facta per verba *Ut accepimus*, non probat, sed debet a parte justificari. 40

Enunciativæ Papæ matura consideratione emissæ omnino probant. Rota *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 192. *num.* 13. præsertim si sint antiquæ, & motu proprio emanatæ. Rota *part.* 1. *dec.* 312. *num.* 18. *par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 288. *num.* 7. *part.* 17. *tom.* 1. *dec.* 754. *num.* 9. Unde Enunciativæ Papæ motu proprio emanatæ plene probant etiam de facto alieno. Rota *part.* 1. *dec.* 212. *numer.* 18. Item etiam unica in antiquissimis probationem constituit. Rota *part.* 1. *dec.* 25. *nu.* 2. Item Enunciativæ antiquissimæ Pontificis probant qualitatem Ecclesiæ. Rota *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 120. *sub num.* 6. Item probant etiam dominium possessionis. Rota *part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 93. *nu.* 21. Item probant etiam Ecclesiam esse in uno potius Territorio, quam in alio. Rota *part.* 1. *dec.* 432. *num.* 2. 41 42 43 44 45 46

Limitantur prædicta tamen, quando non motu proprio, sed ad instantiam, supplicationem, vel suggestionem partis sunt emmissæ, quo casu licet sint antiquæ, contra tertium non probant. Rota *part.* 1. *dec.* 25. *nu.* 3. *part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 722. *numer.* 9. *part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 353. *num.* 95. *part.* 10. *dec.* 147. *num.* 20. *part.* 12. *dec.* 336. *num.* 11. *part.* 13. *dec.* 432. *num.* 11. *part.* 18. *tom.* 2. *dec.* 628. *num.* 14. & sæpissime alibi. 47

Quod procedit, etiamsi in illis fundetur intentio Papæ. Rota *part.* 19. *tom.* 2. *dec.* 494. *num.* 21. præsertim ubi de illis certiorem notitiam verisimiliter non habebat. Rota *part.* 5. *tom.* 1. *dec.* 353. *num.* 95. *part.* 10. *dec.* 347. *num.* 30. 48

Hinc inter *Narrativas*, & *Enunciativas* colligitur esse hanc differentiam, quod per *Verba narrativa* dicatur quis loqui, quando narrat factum aliquod, v. g. quod talis commiserit adulterium, prout accidit, si Papa dicat; *Multorum clamor ad nos pervenit, quod talis commiserit adulterium &c.* At vero per *verba Enunciativa* dicitur quis loqui, quando loquitur hoc modo: *Quia constat nobis talem commisisse adulterium &c.* Ita Abbas in *cap. Cum oporteat num.* 7. *de accusationib.* Mascard. *de proba-* 49

probationib. conclus. 622. num. 1. & conclus. 754. numer. 35. cum aliis a se citatis, Petrus Duennas *Regul. 229. limit. 18.* Reiffenstuel *lib. 2. Decretal. tit. 19. num. 103.* & alii.

50 Probatio est facienda Judici, & non Adversario, vel alteri. Glossa communiter recepta *in l. Quinquaginta verb. Judici, ff. de probationib.* Rota recent. *part. 6. dec. 8. num. 3.* Mascard. *de probationib. quæst. 2. proœmial. numer. 24.* Hostiens. in *Summa tit. de probationib. numer. 3.* Abbas in *cap. Ex litteris 3. de probationib. num. 7.* & alii passim, per text. in *cit. l. Quinquaginta de probationib. in cit. c. Ex litteris 3. de probationib. cap. in nostra 32. de testibus* cum similibus. Potest tamen Judex alium deputare ad recipiendos testes, depositiones, aliasque probationes. *Communis* ex praxi universali.

52 Probationes ex testium depositionibus recipi non possunt, nisi citato, & si venire voluerit, præsente Adversario, alioquin non valent. *Communis*, textu expresso *in c. In nomine Domini 22. de Testibus*, juncto ejus Summario sic dicente: *Nulla est receptio Testium facta contra non citatum*, & concordat *Authentic. de Testibus §. Et hæc vero, Collat. 7.*

53 Probationes Judiciales debent fieri Judici in præsentia publici Notarii, aut duorum virorum idoneorum, qui præter cætera acta Judicii diligenter easdem conscribant. *Communis*, textu expresso *in cap. Quoniam 11. de probationib.* juncto Summario *ibidem* sic expresse habente. *Judex debet habere Notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant Acta Judicii; Alias si quid difficultatis emerserit, per Superiorem punietur. Nec credetur ei super processum, nisi in quantum per acta, vel alias per legitima documenta constabit.*

54 Probationes generatim loquendo faciendæ sunt ab eo, qui dicit, non ab eo, qui negat. *Communis*, textu expresso *in l. Et incumbit 2. ff. de probationibus*, ibi: *Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.* Et hoc jure merito, quia *negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio*, ut expresse dicitur *in cap. Bonæ memoriæ 23. de Election. cap. Accusator 6. q. 5. l. Actor 23. Cod. de probationib.* cum similibus.

55 Probatio, seu onus probandi regulariter incumbit Actori. Ad ipsum enim spectat illud, quod proposuerit, probare, si Reus id neget; alioquin, ipso non probante, Reus absolvetur ab ejus impetitione. *Communis*, textu expresso *in cap. Cum Ecclesia 3. §. fin. de causa possession. & l. Qui accusare 4. Cod. de Edendo*, ibi: *Actore non probante, qui convenitur, & si nihil ipse præstiterit, obtinebit*, & concordat textus *in cit. cap. Accusator 6. q. 5. & l. Actor 23. Cod. de probationib.* ibi: *Actor* (seu Accusator) *quod asseverat, probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.*

56 Dicitur autem notanter, quod onus probandi incumbit Actori *regulariter*, quia quandoque transfertur onus probandi in Reum, & signanter ipsi Reo incumbit onus probandi, si is excipiendo aliquid affirmat, quod deinde in replicatione ab Actore negatur, textu expresso *in l. 1. ff. de Exceptionibus*, ibi: *Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur. Nam Reus in exceptione Actor est, & l. In exceptionibus 19. ff. de probationibus*, ibi: *In exceptionibus dicendum est, Reum partibus Actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem velut intentionem implere, ut puta si pacti conventi exceptione utatur, docere debet pactum conventum factum esse.*

Item Reo incumbit probatio, quotiescumque 57 præsumptio Juris stat pro Actore: Hinc si Parochus petat decimas intra fines suæ Parochiæ existentes, nihil probare tenetur; sed Reus tenetur ostendere, quo Jure ad ipsum decimæ pertineant; Parochus enim habet fundatam intentionem in Jure, quod decimæ ad se pertineant, nisi contrarium ostendatur. *Communis*, textu expresso *in cap. Ad decimas 2. de restitut. spoliator. in 6.*

Item etiam Reo incumbit probatio in Judiciis 58 duplicibus, seu communibus, quia in ipsis utraque pars litigantium vicem duorum sustinet, scilicet Actoris, & Rei, *cap. Ex litteris 3. de probationib. l. Judicium 10. ff. Finium regundorum, & l. Inter Cohæredes, §. Qui familiæ, ff. Familiæ Herciscundæ*, in quibus Juribus habetur, quod in Judiciis duplicibus utrique parti incumbat onus probandi, & quæ melius suam intentionem probaverit, obtineat. Hujusmodi autem Judicia duplicia, seu communia sunt tria, videlicet Judicium *communi dividundo*, quo agitur ad communium rerum divisionem; Judicium *Familiæ Herciscundæ*, idest hereditatis inter coheredes dividendæ; & Judicium *Finium regundorum*, quod datur inter eos, qui agros, & confines habent, & prædia ad horum fines dirimendos, textu expresso *in l. In tribus 13. De Judiciis*, ibi: *In tribus istis Judiciis Familiæ Herciscundæ, Communi dividundo & Finium regundorum, quæritur quis Actor intelligatur, quia par causa omnium videtur? Sed magis placuit eum videri Actorem, qui ad Judicium provocasset; l. Judicium 10. ff. Finium regundorum*, ibi: *Judicium Communi dividundo, Familiæ Herciscundæ, Finium regundorum, tale est, ut in eo singulæ personæ duplex Jus habeant, Agentis, & ejus, cum quo agitur.*

Item etiam Reo incumbit probatio in interdictis 60 duplicibus, qualia sunt, Interdictum *Uti possidetis*, & Interdictum *Utrubi*, quorum priore certatur de retinenda possessione rei immobilis, v. gr. fundi, ædium, & hujusmodi; posteriore vero, seu Interdicto *Utrubi* contenditur de rerum mobilium possessione, textu expresso *in §. Retinendæ 4. Institut. de Interdictis*, ibi: *Sed interdicto quidem Uti possidetis, de fundi, vel ædium possessione contenditur; Utrubi vero Interdicto, de rerum mobilium possessione; & §. Tertia divisio 7. Institut. eod.* ibi: *Duplicia sunt, veluti Uti possidetis Interdictum, & Utrubi; Ideo autem duplicia vocantur, quia par utriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipue Reus, vel Actor intelligitur, sed unusquisque tam Rei, quam Actoris partes sustinet.* Quibus Interdictis accedit etiam Interdictum *De superficiebus*, nam & hoc duplex est exemplo Interdicti *Uti possidetis*, prout desumitur

mitur *ex l. 1. §. Proponitur, ff. De superficiebus*. In hujusmodi enim Judiciis, atque Interdictis duplicibus, cum uterque litigans, tam Actoris, quam Rei partes sustineat, *cap. Ex litteris 2. de probat. l. Si duo ff. Uti possidetis, l. Judicium 10. ff. Finium regundor. & §. Tertia divisio 7. Instit. de Interdictis*, proinde utrique parti incumbit onus probandi, & quæ melius probaverit suam intentionem, obtinebit; *arg. cit. Juribus*.

61 Actor non potest regulariter petere, ut Scripturæ, & Instrumenta propria Rei sibi ab ipso tradantur ad probandam suam intentionem; Nec Reus suas Scripturas, & Instrumenta, quibus in Judicio non est usurus, tenetur tradere, seu consignare ipsi Actori. *Communis*, per text. *in c. 1. de probationibus*, juncto ejus Summario, in quo expresse dicitur: *Reus Actori sua propria instrumenta edere non tenetur, & l. Qui accusare 4. Cod. de Edendo*; Non enim Juris, aut Æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnetur, Adversario suo tradere, cumque contra se adjuvare cogatur, *leg. Nimis grave Cod. de Testibus*.

62 Tenetur tamen Reus tradere Actori petenti instrumenta communia; Et si Judex parti petenti non faciat tradi instrumenta communia, licite ab ipso appellatur, & quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet. *Communis*, textu expresso *in cap. C. Perpetuus Vicarius 12. de Fide Instrumentor.* juncta Glossa *ibid. verb. Instrumentorum communium*, cum pluribus Juribus ibi a se adductis.

63 Probationes post publicationem attestationum regulariter non possunt amplius fieri, seu alii Testes supra eisdem articulis, vel directe contrariis produci, quamvis possint produci nova instrumenta usque ad conclusionem in causa; Sic Glossa communiter recepta *in c. Cum dilectus 7. de Fide Instrumentor. verb. Post publicationem*, Mascard. *de probationib. quæst. proœmial. 5. num.45. & q. 6. numer.130.* Speculator *tit. de Testib. verb. Satis utiliter num.3. & tit. de Instrumentorum editione §. Nunc dicamus num.1.* Farinac. *tit.8. de Testibus q. 75. n. 68. & seq.* & alii passim, per text. *in cap. Fraternitatis 17. cap. Intimavit 18. cap. Ex tenore 35. de Testibus, cap. Cum dilectus 9. de Fide Instrumentor. Authentic. de Testibus §. Quia vero, verb. Illud tamen, collat. 7. & Authent. Qui semel, Cod. de probationibus*.

64 Post conclusionem in causa non amplius super eisdem articulis examinandi sunt Testes, neque admittendæ novæ probationes per Instrumenta, vel hujusmodi, sed est ferenda sententia super allegata, & probata. Ita Glossa communiter recepta *in cap. Cum dilectus 9. de Fide Instrumentor. verb. Conclusum*; Abbas *ibid. num.8.* Menoch. *part. 6. speculi aurei tit. de Instrumentor. production. num.47.* & alii passim, per text. *in cap. Juravit 6. de probationib. cap. Cum dilectus 9. de Fide Instrument.* Et ratio est clara ex ipsamet significatione hujus verbi *conclusio in causa*, cum per ipsam, ut ipsiusmet nomen importat, partes sive expresse, sive tacite ulteriori probationi renuntient, seque ad sententiam submittant.

Dicitur autem notanter *super eisdem articulis*, 65 quia super novis articulis, etiamsi pendeant ex veteribus, aut ex illis oriantur, bene possunt aliæ probationes admitti, *arg. cap. Fraternitatis 17. & cap. Ex tenore 35. de Testibus, cap. Cum Joannes 10. §. Penultim. de Fide Instrumentor.* juncta Glossa communiter recepta *in cit. cap. Fraternitatis, verb. Nobis, & in citat. cap. Cum Joannes, verb. Postquam*.

Quamvis autem præmissæ conclusiones *sub numer.63. & 64.* regulariter procedant; Nihilominus 66 dantur plures casus, in quibus possunt adhuc produci novi testes, etiam super eisdem articulis post publicationem attestationum, & admitti novæ probationes post conclusionem in causa. *Communis*, & ostenditur inductione.

Sic in primis post publicatas attestationes pos- 67 sunt adhuc produci novi testes super eisdem articulis, & admitti novæ probationes post conclusionem in causa in casibus, ubi agitur de valore Matrimonii; Nam in his ob periculum animarum, seu ne Conjuges legitime copulati separentur etiam post publicatas attestationes, & conclusionem in causa, debent admitti novi testes, & novæ probationes pro valore Matrimonii jam contracti militantes. Immo etiam ipsamet sententia contra Matrimonium contractum lata, nunquam transit in rem judicatam, sed potest quocumque tempore revocari, ostensa per novas attestationes, & probationes ejusdem falsitate, *c. Lator 7. & c. Consanguinei 11. de sent. & re judicat.*

Item possunt adhuc produci novi testes, & ad- 68 mitti novæ probationes in causis Beneficialibus: Idque propter dictum periculum animarum, & ne quis per subreptionem ad Dignitatem Ecclesiasticam ascendat. Mascard. *de probationib. q.17. proœmial. num.47.* allegans Rotam *dec.1. & dec.2. de Testibus in novis*, Reiffenstuel *loc. cit. num.164.* & alii passim.

Item in causis Criminalibus præsertim capitali- 69 bus; Ubi enim agitur de causis criminalibus capitalibus, possunt ad defensionem Rei etiam post publicationem attestationum produci novi testes, & post conclusionem in causa admitti novæ probationes ad ejus innocentiam detegendam, & vitam conservandam, ne Reus subitis Accusatorum criminibus opprimatur, & injuste condemnetur. *Communis*, textu expresso *in l. Unius facinoris 18. §.9. ff. de Quæstionibus*, ibi: *Ne hi, qui defendendi sunt, subitis Accusatorum criminibus opprimantur, defensionem quocumque tempore postulante Reo negari non oportet*.

Alii plures consimiles casus referuntur passim ab 70 Auctoribus, & signanter ab Abbate *in cap. Fraternitatis 17. de Testibus num.4.* Farinac. *tit. 8. de Testib. q.75. a num. 98. usque ad num. 255.* Speculator *tit. de Testibus §. Satis utiliter, num.3. & sequent.* qui brevitatis gratia relinquuntur videndi apud ipsos.

Nominis identitas personarum identitatem non 71 probat. Benedict. XIV. Constitut. incip. *Inter cætera*, §. 11. ubi affert exempla, quibus non semel contingit, ut uno nomine, & Sanctus, & Hæreticus designarentur; Ex Raymundis enim Lullis, unus

unus martyrii fama prædicatur, at non alter, qui infelicem vitam, ac mortem sortitus est; Unus pariter Joannes Cantius Beati nomine insignitur, alter vero hæresi inquinatus execratur, & sic de aliis.

72 Alia ad rem. Vide verb. *Fama*, verb. *Scripturæ*, *Instrumenta*, verb. *Sententia*, & verb. *Testis*, *art.* 2.

Additiones ex aliena manu.

73 Negativam directo haud posse probari, communis fere est sententia. Causam huic sententiæ dederunt textus nonnulli, tum juris civilis, tum juris canonici, quibus asseri videtur, Negantem probare nec posse, nec debere. Confer *L.*103. *C. de Probat. L.*10. *C. de non numerat. pecun. cap.*11. & 12. *eod. tit. de Probat.*

74 Quoniam vero ex multis aliis textibus apparet, negativam, & probari posse, & aliquando debere, ut ipse Pontifex *in c.* 5. *in fin. de renunc.* non
75 diffitetur; Hinc est, quod multi post Glossam *in c.*13. *de elect.* excogitarunt tres species negativæ, *juris*, *facti*, & *qualitatis*; negativam *juris* probari posse & debere censent, ut si quis impugnet testamentum, quod rite haud sit conditum; idem
76 affirmant de negativa *qualitatis*, quando scilicet negatur qualitas inesse, quæ communiter & regu-
77 lariter inesse solet; circa vero negativam *facti* distinguunt utrum sit *facti definiti*, an *indefiniti*; hanc probari directo posse negant, illius autem probationem saltem per indirectum admittunt. Hoc
78 etiam concedunt, si negativa prægnans est, quæ propositionem affirmantem implicite in se contineat. Vide Grananien. *in c.*11. *n.* 3. *de Probationib.* Wiestner *in Decretal. lib.*2. *tit.*19. *num.* 11. & *sequ.*
79 Alia via processit Herculanus *in tract. de proband. negat.* Primo enim Regulam præmittit: *negativam ab eo probandam esse*, *qui in ipsa se fundat*, at *n.*27. & *seq.* plures subdit limitationes, quæ fere destruunt Regulam.

80 Ostendit vero, & quidem solidissime Coccejus in dissertatione *de directa probatione negativæ*, negativam non tantum directo probari posse, sed etiam probari debere ab eo, qui in ea se fundat, sive is sit Actor, sive sit Reus: ut non sit necesse ad distinctiones illas confugere, quas mox attulimus. Consule etiam Zoes. *in tract. de Except. non numerat. pecun. thes.*4. §.12.

81 Patet autem hinc male ex sententia illa, quæ negativam haud probari posse tenebat, olim non fuisse admissas *positiones negativas*, vitiosos fuisse reputatos *articulos negativos*, & non probandos esse ab eo, qui Judici ipsos offert.

82 De collisione probationum, materia in Foro frequentissima, agendum hic quoque esset. Sed ne nimius sim, vide Bohemer. *in Exercit. Pandect. lib.*22. *Pandect. tit.*2. *exercit.*65.

PROCESSIONES.

Processiones a procedendo, & eundo dicuntur (*): nam convocato, & procedente Clero cum Crucibus, Vexillis, & Cereis, ac sequente populo fiunt. Ita Petrus Gregor. *lib.* 1. *partition. Juris Canonici tit.*20. *cap.*4. Barbosa *de Offic.* & *potest. Episcop. part.*3. *allegat.*78. *n.*1. & alii. Unde Processiones dicuntur Chori ambulantes, ut ex aliis notat Ursaya *tom.*1. *part.*2. *discept.*26. *n.*38. *vers. Quin obstet*, & *tom.* 2. *part.* 2. *disceptat.* 23. *num.*50.

Processiones semper fuerunt in usu in Ecclesia, etiam a primordiis illius; Card. Baronius *in notis ad Martyr. Roman.* 7. *Kalendas Maii*, Durand. *de Ritibus Eccles. lib.*2. *cap.* 10. Rota Recent. *part.* 17. *decis.* 87. *num.*13. Fuerunt enim adumbratæ etiam in veteri Testamento, *Esdræ cap.* 12. ubi habetur, quod instaurata Jerosolyma post captivitatem Babilonicam, indicta fuit solemnis Processio cum interventu Sacerdotum, Levitarum, & populi ad reddendas in gratiarum actionem pro tanto beneficio cum Choris canentium debitas Deo laudes. *Josue* 6. refertur quod in obsidione Civitatis Jericho celebrata fuit, Dei monitu, veluti quædam Processio circumeundo per septem dies dictam Civitatem cum delatione Arcæ fœderis omnes Sacerdotes, Levitas, Milites, ac reliquum populum buccinis clangentes, ac concrepantes. 2. *Reg.*6. & 3.*Reg.*8. etiam innuuntur quædam nostrarum Processionum figuræ occasione translationis Arcæ fœderis ex uno in alium locum indictæ a David, & Salomone. In novo autem Testamento cœptas quodammodo fuisse a Christo Domino Processiones habetur *Matthæi* 21. ubi ipse ascensurus in Jerusalem ad perficienda Mysteria nostræ Redemptionis veluti processionaliter solemni ritu voluit ingredi in Sanctam Civitatem, turbis præcedentibus, ac sequentibus, clamantibusque, *Hosanna Filio David*, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; a qua originem desumpsisse nostras Processiones certius tenent Gavantus, & Merati *p.* 1. *tit.*19. *litt.E.* ubi sic expresse habent: *cujus*, idest Processionis, *origo an a Purificatione B. M. Virginis cum Josepho*, *Simeone*, & *Anna*; *Vel certius ex Historia Evangelica a turbis in die Palmarum &c.* Hinc patet, usum Sacrarum Processionum esse antiquissimum, & post promulgationem Evangelii dicendum est, manasse ex doctrina, & traditione Apostolica. Et quamvis tempore Apostolorum ob sævitiem persecutorum non potuerint, sicuti nunc, palam, & publice fieri, credibile tamen est etiam a primordiis Ecclesiæ celebratas fuisse Sacras Processiones in cryptis, & speluncis ad memorias Martyrum ibi quiescentium. Et tandem cessata sævitie persecutorum tempore Con-

(*) De hujus nominis etymo, variaque significatione nonnulla attigit Zaccharia in *Onomastico Rituali T. II. pag.*106.

Constantini Magni Imperatoris, & S. Silvestri Papæ, juxta doctrinam, & traditionem Apostolicam tempore opportuno exequendam, statim cœpit frequens usus publicarnm Processionum, cum interventu utriusque Cleri, & populi, ut variis adductis exemplis referunt Baronius, *tom.5. Annalium, & in annotationibus ad Martyrologium Romanum sub die 25. Aprilis*, Gulielmus Durandus *in suo Rationali lib.4. cap.6.* Stephanus Durandus *de Ritibus Eccles. lib.2. cap.10.* & alii. Et sic tenent expresse Gretserus, *de Sacris Processionibus libr. 1. cap. 1.* Quarti *de Processionibus in genere sect.1. punct.3.* & alii. (*)

4 Processiones publicas indicere, dirigere, & ordinare spectat ad Episcopum privative quoad alios. Sic sæpius decrevit *Sacra Congregatio Rituum*, & signanter *in Trullen. 17. Decembris 1602. in Elbor. 14. Januarii 1617. & 28. Martii 1628. & in Squillacen. Processionum 9. Maii 1693.* Et hoc non obstante, quod Capitulum, vel alii sint per longum tempus in possessione indicendi publicas Processiones, vel præscribendi quomodo, & quo sint dirigendæ. *Sacr. Cangreg. Concil. sub die 16. Februarii* 1619. Et non obstante etiam immemorabili consuetudine; *Sacra Congreg. Rit. in Camerinensi 24. Augusti 1619.*

5

6

7 Requiritur tamen ad id consilium, non autem consensus Capituli. *Sacr. Congreg. Rit. in Elborem. 28. Martii 1628.* Et expresse quod consilium requiratur, declaravit *Sac. Cong. Conc. in Comensi 7. Februar. 1632.*

8 Ita ut Episcopus solus sine consilio Capituli eas indicere, & dirigere minime valeat, ut decisum fuisse ab eadem Sacra Congregatione referunt Francisc. Leo *in Thesauro Fori Ecclesiastic. part.4. cap.2. num. 145.* Armendar. *in addit. ad compil. legum Navarræ l. 2. tit.14. l.28. §. 1. de processionib. num.4.* Aloysius Ricc. *Neapolit. decis. p.4. decis. 379. num.4.* Valenzuel. *consil. 184. num.23. volum.1. & num.31. & 32.* Barbos. *supra Conc. Trident. sess.25. de Regul. cap.13. n.41. & part.3. de Offic. & potest. Episc. allegat.78. n.4. & in Summ. Apostol. decis. verb. Processio num. 4.*

9 Processionis hora indicenda est arbitrio Episcopi, cui Magistratus, & omnes debent obedire. *Sacra Congregatio Rituum in Urbevetana 17. Junii 1606.* apud Barbos. *in Summ. Apostolic. dec. verb. Processio num. 9.*

10 Processiones ex devotione populi, & Confratrum introductæ possunt ex causa ab Episcopo prohiberi. *Sac. Cong. Rit. in Elbor. 14. Januar. 1617.* apud Barbos. *loc. cit. n.10.*

11 Quamvis Processiones solitæ privatæ, quæ fiunt a Parochis in Parochia, & a Capitulo in Cathedrali, fiant sine licentia Episcopi, adhuc tamen, si transferantur, exigitur Episcopi approbatio, ut partibus informantibus fuit decisum *a Sacra Congreg. Rituum in Hispalen. 3. Septemb. 1695. & 21. Jul. 1696. & in Asten. 31. Januar. ejusdem anni* apud Monacell. *tom.1. tit.5. form.7. num.22.* Nec ipse Parochus sine licentia Episcopi potest Processiones extraordinarias facere. *Sac. Cong. Conc. 13. Jul. 1636.* in qua fuit dictum non sufficere licentiam Vicarii Foranei.

Processiones publicas indicere, & dirigere, absente Episcopo, spectat ad Vicarium Generalem cum consilio Capituli, prout posset Episcopus, si præsens esset. *Sacra Congreg. Rit. in Vigilien. 28. Septembr. 1630. in Bituntina 3. Aprilis 1632. & in Cassan. 3. Martii 1633.* apud Barbos. *in Summa Apostolicar. decis. loc. cit. num.7. & 8. & super Concilium Tridentinum loc. citat. num. 42. & citat. alleg. 78. num. 5.* 12

Processionibus generalibus indictis pro causa, bono, vel honore publico, tam Clerici sæculares Beneficia, vel Officia Ecclesiastica habentes, quam Regulares invitati, omnes interesse tenentur, & adesse compelluntur Juris remediis, juxta dispositionem Concil. Trid. *sess. 25. cap. 13. de Regular. Sacr. Congreg. Episcop. in Cajetana 25. Octobris 1602.* confirmat. 7. *April. 1690.* & novissime *Sacra Cong. Conc. in Neapolitana processionum 3. Augusti 1709. & in alia Neapolitana processionis 11. Novembr. 1724.* ubi fuit resolutum, quod ad Processiones generales tenentur accedere exempti, & illis recusantes intervenire, excommunicationis pœna puniri possunt, teste Ursaya *in Miscellaneo sacro, & profano 1. l. P. n. 32.* 13

Tales autem Processiones, ad quas tenentur accedere Regulares, sunt solum illæ, de quibus fuit dispositum in Congregatione particulari de ordine Urbani VIII. celebrata *sub die 27. Julii 1628. & 21. Augusti, ac 19. Septembr. ejusdem anni* apud Pignat. *tom. 1. consult. 122.* ut infra: „ Aditis Procuratoribus Ordinum, negotioque mature discusso, unanimiter censuerunt posse Episcopos pœnis sibi benevisis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiamsi Monachos, & quomodolibet exemptos, ad infrascriptas processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, & Monasteriis ultra medium milliare a Civitate distantibus, nempe in die Festo SS. Corporis Christi, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis, & consuetis, vel pro bono, causa, aut honore publico, ab Episcopis indictis processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis tantum Apostolicis S. Conc. Tridentini posterioribus contrarium desuper disponentibus minime sublatis „. 14

Processiones vero, quæ referuntur ad causam, bonum, & honorem publicum, sunt illæ, quæ fiunt & in- 15

(*) Quos inter nominandi Nicolaus Serarius „ cujus *de Sacris Ecclesiæ Catholicæ Processionibus* libri duo ann. 1607. Coloniæ prodierunt, Nicolaus Sanderus in auctariolo ad Serarium, Gretserumque *de ritu Catholicarum Processionum* Ipris 1640., Christianus Lupus dissertatione IX. *de Sacris Processionibus*, Bruxellis 1690. & Vatar in Gallico Libro *des Processions* de l' Eglise, de leurs antiquitez, utilitez &c. Parisiis 1705.

& indicuntur pro gratiarum actione de re gravi, pro pace inter Catholicos Principes, vel victoria impetranda contra infideles, pro electione Romani Pontificis, pro lucrando Jubilæo, pro placando Deo occasione pestis, famis, belli, sterilitatis, terræmotus; & similium, ut tradunt Pax Jordan. *Lucubrat. tom. 2. lib. 11. tit. 2. num. 4.* Passerin. *de statibus homin. tom. 3. quæst. 189. num. 996.* & alii passim.

16 Istæ tamen Processiones ad effectum obligandi Regulares ad interessendum, non sunt renovandæ annuatim, & perpetuandæ, nisi motiva, & novæ causæ concurrant. Sic censuit *Sacr. Congr. Rit. in Bitecten. 19. Januar. 1697. ad relationem Cardinal. Petrucci*, in qua declaratum fuit, *Edictum Episcopi* (quo adstringebantur Regulares sub pœna suspensionis, & Interdicti Ecclesiæ ipso facto incurrenda ad interessendum Processioni indictæ pro obtinenda liberatione a terræmotu semel jam factæ anno præcedenti, & postea renovatæ) *non sustineri cum omnibus inde secutis*. Sic refert Monacell. *tom. 1. tit. 5. formul. 7. num. 25.*

17 Nec possunt Episcopi obligare Regulares ad interessendum cùm Clero sæculari Processioni indictæ occasione suæ primæ Visitationis, ut expresse censuit *Sacra Cong. Concilii in Anagnina processionis 9. Decembr. 1662.* Decreto ut infra.

In Anagnina Processionis.

Occasione suæ primæ Visitationis, primique ingressus in Terram Carpineti Dominus Episcopus Anaguinus Plenariam Indulgentiam ex auctoritate S. D. N. publicare intendens, Edictum tenoris sequentis promulgavit. Omissis &c.

Di quì, è che abbiamo risoluto di fare una pubblica generale, e generalissima Processione per solennizzare con la douvta decenza dette Sacre azioni per eccitamento maggiore de' Fedeli alla divozione, e pietà; che perciò invitiamo tutto il popolo, comandando a detto effetto a tutti gli Ecclesiastici, così Secolari, come Regolari di detta Terra che debbano intervenirvi personalmente sotto pena a detti Ecclesiastici di Scommunica latæ sententiæ da incorrersi ipso tunc, che non saranno intervenuti, ed altre pene a nostro arbitrio &c.

Conqueruntur Fratres Ordinis strictioris Observantiæ se immerito, atque injuste compelli ad hujusmodi Processionem; Econtra vero conqueritur D. Episcopus, dictos Fratres præfatum Edictum non sine populi scandalo contemnentes dictæ Processioni non interfuisse, & non obstantibus Censuris ob eorum contumaciam ipso facto incursis, a celebratione Divinorum Officiorum non abstinuisse; Quare præsuppositis iis, quæ ab utraque parte informante deducuntur;

Quæritur, an dicti Fratres potuerint ad prænominatam Processionem ab Episcopo compelli.

Die 9. Decembris 1662.

Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit non potuisse.

F. Episc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Nec possunt Episcopi cogere ad interessendum Processionibus publicis Regulares, qui distant a Civitate, vel Oppido per dimidium milliare; Sic decisum fuisse a *Sacra Congr. Concil.* referunt Piasec. Armendar. Lezana, Idelphons. a Jesu Maria apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. Collectan. 607. num. 17. & de Offic. & potest. Episcop. part. 3. allegaat. 78. n. 21.* & expresse patet etiam in Decreto allato *supra num. 14.* 18

Ubi tamen viget consuetudo, quod Regulares, vel etiam Confraternitates Laicorum, non obstante distantia unius milliarii, conveniant ad Processiones, est servanda, & convenire tenentur; Passerin. *de statu homin. tom. 3. qu. 189. art. 10. inspect. 10. num. 100.* Monacell. *loc. cit. num. 30.* & novissime censuit *Sacra Congreg. Rit. in Nucerina Paganorum 12. Sept. 1699. ad relationem Card. Francisci Barberini.* 19

Regulares ad Procesiones, ad quas tenentur accedere, sufficit quod invitentur per Edictum. Monac. *tom. 1. tit. 5. formul. 7. num. 23. & tom. 3. tit. 3. formul. 6. num. 3.* ubi tradit formulam Edicti, & docet quomodo Regulares & exempti sint in Edicto invitandi, & monendi; Et sic multis in locis servat praxis; Ubi autem adesset legitima praxis in contrarium, esset servanda, *arg. cap. Cum tanto 11. de consuetud.* cum similibus. 20

Regulares non debent accedere ad Processiones publicas cum Cruce, & numero duorum tantum Religiosorum. *Sac. Congr. Concil. in Aquen. 9. Jun. 1708. in responsion. ad 2.* Neque eorum Laici deferentes Crucem in Processionibus, vel Candelabra debent uti Alba, vel Dalmatica, seu Pluviali, ut respondit *Sacra Congreg. Rit. in Cæsenat. ad 6.* & quod talis usus non sit permittendus, declaraverat *19. Maii 1659.* apud Monac. *tom. 4. supplem. ad 1. tom. num. 78.* 21 22

Regulares in Processionibus deferre non debent Galerum, sive Pileum, non obstante prætenso solito. *Sac. Cong. Rit. 30. Augusti 1664.* cum facultate data Episcopis illos cogendi ad deponendum etiam Censuris; Quod Decretum eadem Congregatio innovavit, & servari mandavit *in Aquipendii 26. Apr. 1662.* contra PP. Augustinianos, & Minores Conventuales. 23

Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. *Sac. Congr. Rit. 14. Januarii 1617.* 24

Regulares accedentes ad publicas Processiones, non debent, Processione terminata, statim a loco recedere, sed tenentur tam in accessu, quam in reditu Ecclesiam ex qua, & in qua functio incipit, vel terminatur, ingredi, ibique precibus, seu Benedictioni assistere usque in finem. Sic decrevit *Sacra Congr. Rit. in Siracusana 6. Sept. 1636. & in Pisaurensi 7. Mart. 1648.* apud Pignat. *tom. 3. consult. 46. a n. 32.* ubi docet id haberi etiam *ex Rituali Romano tit. de Procession. Corporis Christi & ex Ceremoniali Episcop. lib. 2. cap. 32. & seq. & ex Decreto Sacræ Congregationis Episcop. & Regular.* 25

Regulares in Processionibus, quas ipsi faciunt extra Claustra, egent licentia Episcopi, vel respectivi Parochi, non obstante quacumque consuetu- 26

suetudine in contrarium; Nisi pro aliquibus Processionibus habeant speciale Privilegium; Sic pluries decrevisse Sacram Congreg. Concilii, & Rituum referunt Riccius, Lauret. de Franch. Donat. Ventriglia, Romaguerra apud Monacell. *t.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *n.* 26.

27 Episcopi autem, & Parochi non debent denegare talem licentiam Regularibus, alioquin si denegetur, recurritur ad Sedem Apostolicam, a qua vel rescribitur Episcopo, ut licentiam concedat, pro ut rescripsit *Sacr. Cong. Episcop. in Papien.* 11, *Maii* 1696. Vel *servetur solitum*, ut *ab eadem Sacra Congr. Episc. fuit rescriptum in Savon.* 4. *Septemb.* 1693. *& a Sacr. Congr. Rit. in Ferentina* 21. *Nov.* 1699. Et a *Sac. Congr. Concilii in Aquen.* 6. *Junii* 1708. *ad* 7. *Dubium*, ibi: *An Patribus Carmelitis locis Incisæ liceat extra propria claustra, & districtum, per loca consueta facere Processionem B. M. V. de Monte Carmelo, occasione suæ Festivitatis, petita tamen licentia a Parocho, licet non obtenta?* Respondit, *Affirmative*. Et *die* 27. *Aprilis* 1709. reclamante Parocho, stetit *in decisis*.

28 Notanter autem *supra n.* 26. fuit dictum: *Nisi pro aliquibus Processionibus habeant speciale Privilegium*, quia pro ipsis nulla indigent licentia, nec Episcoporum, nec Parochorum, ut pro faciendis Processionibus Sanctissimi Sacramenti in quacumque die infra Octavam Corporis Christi habent Regulares omnes Privilegium cum amplissimis derogatoriis sibi concessum a Gregorio XIII. Constit. 10. incip. *Cum interdum*, in cujus §. 2. sic expresse habetur: *Universis, & singulis Clero, & Clericis, ac personis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam Ordinum, Religionum, ac Militiarum Regularibus, ac etiam &c. liceat ipsis, tam die ipsa Dominica infra Octavam Corporis Christi, quam aliis totius Octavæ prædictæ diebus, Processiones suas celebrare &c. Nec super eo tam ab Ordinis Prædicatorum hujusmodi, quam aliis quibuscumque personis &c. quomodolibet molestari, inquietari, vel perturbari &c. tenore præsentium concedimus, & permittimus*; Quam late examinat, & propugnat D. Ursaya *tom.* 2. *part.* 1. *discept.* 4. in cujus Summario, seu argumento sic expresse habet: *Vigore Constitutionis* 10. *Sanctæ memoriæ Gregorii XIII. absque ulla Ordinariorum, vel Parochorum licentia possunt omnes, tam de Clero Sæculari, quam Regulari etiam extra eorum claustra facere processiones in die Octavæ SS. Corporis Christi, & in aliis diebus ejusdem Festivitatis*. Et pluries id novissime statuit *Sacra Congregatio Episcoporum & Regular.* & signanter *in Tricaricen. Processionis* 18. *Aprilis* 1714. *&* 4. *Martii* 1717. *& in Potentina Processionis* 13. *Martii* 1718.

29 Et quidem eadem die possunt plures fieri Processiones a diversis Regularibus; Dummodo fiant distinctis horis, pro ut Innocentius XII. disposuit in causa vertente inter Fratres Ordin. Minor. & PP. Ordin. Prædicat. in Indiis Constit. incip. *Sua Nobis*, in qua sic expresse habetur:

„ Cum Sacra Rituum Congreg. sub die decima „ Mensis Februarii de Anno Domini, millesimo „ sexcentesimo octuagesimo quinto decrevisset, „ & declarasset, competere PP. Dominicanis Jus „ peragendi processionem Sanctissimi Corporis „ Christi Dominica infra Octavam illius, privative ad PP. Minores de Observantia, & signanter in Civitate Quiten. ita tamen, ut liceret eisdem PP. Minoribus eadem die Dominica infra „ Octavam facere processiones intra Claustra eorum Conventus.

„ Pro parte eorumdem PP. Dominicanorum Provinciæ Quiten. habitus est recursus ad Sanctæ „ Memoriæ Innocentium Papam XII. prædecessorem nostrum ad obtinendam specificam confirmationem præmemorati Decreti, quam eis idem „ Innocentius Prædecessor benigne impertitus est „ per Litteras in forma Brevis incipientes *Emanavit*, sub die vigesima sexta Martii ejusdem „ anni millesimi sexcentesimi octuagesimi quinti „ expeditas.

„ Verum causa hujusmodi, cum Juribus ex „ tunc ad Urbem pro Patribus Franciscanis allatis, „ iterum coram eadem Sacra Congreg. ad plenum „ discussa, ipsamet Congregatio Decretum edidit, „ quo præscripsit, quid tandem observandum sit „ ab utraque parte circa prædictam processionem, „ tenoris sequentis, videlicet: In causa Quiten. „ inter PP. Ordinis Minorum Familiæ Ultramontanæ, Conventus Civitatis Quiten. ex una, & „ PP. Dominicanos ejusdem Civitatis ex altera „ partibus a dilecto Filio nostro Cardinali Pamphilio reproposita dumtaxat super dubio processionis Sanctissimi Corporis Christi, eadem Sacra Congreg. auditis utriusque partibus, tam in „ voce, quam in scriptis informantibus censuit, „ recedendum a decisis, & in casu, de quo agitur, licere Patribus Franciscanis facere Processionem die Dominica infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi: Sed PP. Ordinis Prædicatorum de mane; Patribus vero Minoribus de sero, & ita decrevit, & servari mandavit die vigesima quarta Martii, millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

Attamen non acquiescentibus prædictis PP. Ordinis Minor. Familiæ Ultramontanæ Conventus Quiten. hujusmodi Decreto in ea tantum parte, in qua hora peragendi processionem ipsi præscribitur, reproposito ab eodem Cardinali Pamphilio in Sacra Rituum Congregatione hujusmodi dubio, eadem Congregatio PP. Dominicanis licet citatis non informantibus: In decisis super negotio principali, & licere PP. Franciscanis facere Processionem etiam de mane, distinctis tamen horis ab Episcopo præscribendis, censuit, & ita servari mandavit die septima Aprilis millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

Sed ab hujusmodi Decreto reclamantibus Patrib. Dominicanis proposita iterum causa per præfatum Cardinalem Pamphilium, utraque parte informante, Juribus hinc inde discussis Sacra Congreg. prædicta rescribendum censuit; In decisis super negotio principali, & licere Patrib. Franciscanis facere Processionem extra claustra per loca solita, etiam de mane, distinctis tamen horis, ab Episcopo præscribendis, & data electione horæ Patribus Dominicanis, a qua semel electa, non liceat amplius recedere, & ita decrevit, & servari mandavit die prima

prima Septembris millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti.

„ Verum quia sicut eadem petitio subjungebat, „ dicti Patres Franciscani dubitant, ne executio, „ & observatio Decreti hujusmodi a dictis Patri- „ bus Dominicanis forsan impugnari possit, & in „ simili eventu idem Decretum suo frustretur ef- „ fectu; ideo prædictus Frater Nicolaus ad Nos „ recurrit humiliter supplicando, quatenus tibi, ut „ ad executionem dicti Decreti juxta illius teno- „ rem, & formam procedas, Apostolica auctoritate „ committere, aliasque sibi in præmissis opportune „ providere de benignitate Apostolica dignaremur. „ Nos igitur statum, & merita causæ hujusmodi „ præsentibus &c. „ Deinde committit Episcopo Quitensi, ut contradictores ad exequendum Decretum omnibus Juris remediis, & facti compellat, ut ibi late, *non obstantibus &c. Romæ* 5. *Kal. Martii* 1696.

30 Et sic expresse fuit resolutum etiam novissime *a Sac.Cong. Episcop. & Regul. in Tricaricensi Processionis die* 17. *Aprilis* 1714. & 4. *Martii* 1717. cum præciso Rescripto: *Affirmative, dummodo fiant Processiones distinctis horis.*

31 Item speciale Privilegium habet præstantissima Prædicatorum Religio pro facienda sine prædicta licentia Processione SS. Rosarii, uti inter alios refert Eminentissimus Card. Petra *tom.* 5. *Commentariorum ad Constit. XVIII. Sixti IV. nu.* 15. & 16. his verbis: „ Adsunt tamen resolutiones SS. Con- „ gregationum favorabiles dictæ Processioni Ro- „ sarii, ut sine licentia aliqua celebretur, sed con- „ currente consuetudine celebrationis, ut in Baren. „ *resolvit* Sacra Congreg. Rituum 11. Martii 1690. „ & Sacra Congreg. Concilii in Ripana Confra- „ ternitatis 30. Mart. 1715. in qua causa aderat „ consuetudo, & ad rem fuerunt inter alia pro- „ posita plura dubia respicientia controversias in- „ ter Confratres Sanctissimi Rosarii, Patres Præ- „ dicatores, & Episcopum, quæ possunt videri „ in Regesto Congregationis pro opportunitate, „ & integrum referendum puto ad rem infrascrip- „ tum dubium VIII. An liceat Fratribus sine li- „ centia Episcopi peragere per Civitatem Proces- „ siones tam in prima Dominica Octobris, quam „ aliis temporibus, in casu, &c. Sacra Congreg. „ censuit ad VIII. negative, exceptis Processio- „ nibus Sanctissimi Corporis Christi & Rosarii in „ in prima Dominica Octobris; Verum Sanctissi- „ mus Dominus Noster Benedictus XIII. in re „ edidit novissime Litteras Apostolicas in forma „ Brevis sub die 10. Aprilis 1725. anno primo Pon- „ tificatus, in quibus Fratribus Prædicatoribus in- „ dulsit, ut ipsi de cetero processionem præfatam „ Sanctissimi Rosarii, qualibet prima Dominica „ Mensis Octobris, ingrediendo limites cujuscum- „ que Parochiæ, Ordinarii licentia minime requi- „ sita, & absque assistentia Parochi, ac cum om- „ ni pompa peragere libere, & licite possint.

32 Regulares, qui gaudent speciali Privilegio faciendi dictas Processiones extra claustra sine ulla licentia, tenentur incedere per viam semel electam. *Sac. Congr. Rit. in Pisauren.* 3. *Novembr.* 1013. *in Materan.* 15. *Maii* 1632. *in Bekastren.* 28. *April.* 1690. *ad relat. Cardin. Petrucci, & in Quiten. Processionis* 1. *Septembris* 1696. *referente Card. Pamphilio.*

Regulares possunt in suis Processionibus uti 33 Pluviali; Nec talis usus est signum, seu testimonium Iurisdictionis in utente Sacerdote, ut patet ex resolutione, & responsione Sacræ Congr. Rit. ad sequentia dubia,

Supplicante humiliter P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Observantium S. Francisci a Sacra Rituum Congregatione declarari infrascripta dubia.

Primum. An Guardiani Ordinis Minorum Observ. S. Francisci Provinciarum Regni Neapolis, obtenta ab Ordinariis locorum oretenus, vel in scriptis licentia faciendi solemnes Processiones per Civitates, vel Oppida extra limites Conventuum suæ Religionis cum statua, aut Reliquia alicujus Sancti, possint Religiosi sui Ordinis uti pluviali, licet in licentia obtenta non fuerit expressus usus pluvialis?

Secundum, An usus pluvialis in Processionibus solemnibus sit testimonium, & signum Jurisdictionis in utente Sacerdote?

Sacra eadem Rituum Congregat. censuit respondendum.

Ad primum Affirmative.

Ad secundum Negative, & ita declaravit, *die* 21. *Martii* 1699.

Regulares in suis Processionibus non possunt, 34 nec debent ducere puellas habitu fictitio Angelorum, neque Bizzocheras, ut declaravit *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Ebredun.* 19. *Januar.* 1691. apud Monac. *t.* 1. *tit.* 5. *formul.* 7. *numer.* 33. Et jam decreverat *in Placentina* 4. *Septemb.* 1601. & *in Mutinen.* 14. *Jun.* 1619. quod in dictis Processionibus, nec intermisceantur pueri, puellæ, vel etiam viri cum extraordinariis habitibus, puta Angelos, vel Dœmones referentibus; Puellæ vero neque cum suis vestibus ordinariis, nisi in loco solito aliarum mulierum, cum facultate Ordinario precedendi contra Regulares cujuscumque Ordinis inobedientes, ut *in Cremon.* 6. *Septemb.* 1604. apud Nicol. *in Floscul. verb. Processio numer.* 8.

Regulares non possunt Processiones in Monia- 35 lium Ecclesias, quamvis eorum regimini subjectarum inferre, & introducere, licet adesset consuetudo. Sic *Sac. Congregat. Episcop. & Regul. in una Olivetanorum* 27. *Mart.* 1602. & *in Pisauren.* 24. *Novemb.* 1617. *in una Dominicanorum*, his verbis: *Cum Sacræ Congregationi innotuisset, nonnullos Ordinis S. Dominici Regulares occasione Processionum per eosdem diebus Dominicis, post Vesperas celebrari solitarum processionaliter in Monialium eorum regimini subjectarum Ecclesiis ingredi consuevisse, Illustrissimi ejusdem Congregationis Patres Episcopo Pisauren. Litteras dari mandarunt, ut præfatum abusum omnino tollat, provideatque, ut præfati Regulares, quovis prætextu Processionum per ipsos fieri solitarum, in dictarum Monialium Ecclesias in posterum nullatenus ingrediantur.*

Intra clausuram Monialium fieri non debent ab 36 exte-

exteris Processiones, neque cum Sanctissimo Sacramento. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Neapolitana* 10. *Januar.* 1596. apud Nicol. *loc. citat. num.* 18.

37 Imaginem Beatissimæ Virginis cum Baldachino & intortitiis in Processione deferri non est prohibendum. *Sacra Congregat. Episcop. & Regul. in Cremon.* 11. *Mart.* 1579. *in Patavina* 20. *Decemb.* 1609. *& in una Servitarum Perusiæ* 20. *Julii* 1621. Modo petatur ab Ordinario licentia, ut occurri possit abusibus. *Eadem Sacra Congreg. in Taurinen.* 12. *Martii* 1623.

38 Idem dicendum est de imaginibus, sive statuis Sanctorum. *Eadem Sacra Congregatio* 19. *Julii* 1647.

39 Regularibus paratis, & deferentibus in Processione Reliquias debetur præcedentia (non tamen ceteris non paratis) supra Clerum Sæcularem. *Sac. Congregat. Episcop. & Regul. in Juvenac.* 4. *Septembris* 1693.

40 Quomodo regulanda sit præcedentia Regularium inter se, & inter alios in Processionibus? Vide verb. *Præcedentia a n.*44. *ad* 48.

41 Processio SS. Corporis Christi inchoari non debet ab Ecclesia inferiori, non attenta immemorabili consuetudine. *Sac. Congr. Conc. in Sarnen.* 7.
42 *Augusti* 1683. Item Processio SS. Corporis Christi terminari debet in illa Ecclesia, a qua incœpit. *Sac. Cong. Rit. in Nolana Processionis* 1. *Sept.* 1718. apud Ursayam *tom.*3. *part.*1. *disceptat.* 26. *num.* 45. *&* 46.

43 Processio SS. Corporis Christi, Sede plena, ob commodum Papæ fit in Basilica Vaticana. At, Sede vacante, quia cessat dicta ratio, fit in Ecclesia S. Joannis Lateranensis, ut evenit tempore Sedis vacantis per obitum Alexandri VIII. anno 1691. cum ipsa sit major Ecclesia. Rota *part.* 19. *tom.*2. *recent. decis.* 479. *num.*64. Card. Petra *tom.*4. *Comment. ad Constitut.* 1. *Gregorii XI. num.* 18. *&* 19.

44 Processiones in Festo Corporis Christi facere non licet aliis Ecclesiis, sed soli Episcopo, seu Ecclesiæ Cathedrali. *Sacra Rit. Congregat. in Pisana*
45 22. *Maii* 1615. Processio Sanctissimi Sacramenti in ejus Festo debet inchoari a Cathedrali, & in ea terminari. *Sac. Rit. Congr. in Tuscan.* 29. *Augusti* 1619.

46 In Festo Corporis Christi non est deferenda in Processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed Celebrantis manibus. *Sacra Rituum Congregat.* 2. *Jun.* 1618.

47 In Festo Corporis Christi Eucharistia non est deferenda per vias Hebræorum. *Sac. Congr. Rit.* 22. *Febr.* 1593.

48 In Festo Corporis Christi debet deferri Eucharistia a Celebrante; Et in Vesperis diei Octavæ, si fiat Processio, debet deferri ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. *Sacr. Rit. Congregat.* 12. *Junii* 1627. *&* 23. *Maii* 1709. *in respons. ad* 4. teste Ursaya *tom.*2. *p.*1. *num.* 59.

49 Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante Processionem SS. Sacramenti, & deinde altera Dignitas minor gestet illud in Processione, *Sacra Congregat. Rit.* 31. *Jun.* 1632. *&* 13. *Mart.* 1700. *in respons. ad* 5. teste Ursaya *loc. citat. num.*60.

Si Episcopus in Festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tamen debent induere Sacras Vestes. *Sacra Congregat. Rituum* 17. *Mart.* 1628. 50

Canonici Ecclesiæ Collegiatæ non debent in Processionibus incedere parati sicut Canonici Cathedralis. *Sac. Rit. Cong.* 17. *Maii* 1607. 51

In Festo Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari sermone. *Sac. Rit. Congreg.* 21. *Martii* 1609. 52

In Festo SS. Corporis Christi non est facienda Processio sine Pluviali. *Sacra Rit. Congr.* 21. *Januar.* 1701. 53

In Processionibus, quæ fiunt cum Sanctissimo Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu, & transitu a latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo videant prædictum Sanctissimum Sacramentum. *Sacra Rit. Congreg.* 1. *Martii* 1681. 54

In Processione solemni Corporis Christi, quando Processio sistit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, & Diaconus non debent sedere, neque in scamno, neque in Sedibus. *Sacra Congregatio Rituum in Hispalen.* 21. *Januarii* 1690. *in responsione ad* 4. 55

In Processione, in qua defertur SS. Sacramentum, vel Lignum Sanctissimæ Crucis, tam Clerici Regulares, quam Sæculares, omnesque Laici incedere debent detecto capite; In aliis vero Processionibus Clerici deferentes Reliquias, & omnes sæculares comitantes incedere debent detecto capite; Alii vero Clerici detecto capite cum bireto. *Sacra Congr. Rit. in Cajetana* 2. *Septembris* 1690. 56
Episcopus vero deferens Reliquiam Ligni Sanctissimæ Crucis in Pontificalibus poterit incedere cum Mitra. *Sacra Congregat. Rit. in Maceraten.* 14. *Junii* 1692. 57

Occurrente Festo S. Antonii de Padua in Dominica infra Octavam Corporis Christi, quamvis PP. Dominicani in dicta die peragant Processionem SS. Sacramenti; nihilominus potest a Franciscanis fieri Processio de dicto Sancto; dummodo fiat diversa hora, & data prælatione temporis PP. Dominicanis de mane, vel de vespere. *Sacra Congreg. Rit. in Placentina* 30. *April.* 1701. *& in Aliphana* 18. *Mart.* 1702. 58

In Processionibus non sunt deferendæ Reliquiæ Beatorum. *Sacra Rituum Congregat.* 27. *Septembris* 1659. 59

Abusus antiqui in Processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. *Sac. Cong. Rit.* 13. *Maii* 1603. 60

Canonici in Processione intra Ecclesiam debent incedere capite detecto, & extra eam cum bireto in capite. *Sacra Rituum Congregat.* 30. *Martii* 1633. 61

In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt intra Ecclesiam sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata; Quod si pulsetur, & advertatur elevatio, tunc genuflecten- 62

ctendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento, progrediendum; Similiter si aliqui transeant in elevatione Calicis. *Sac. Rit. Congregat.* 1. *Mart.* 1681.

63 Processiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, & sexta majoris hebdomadæ non convenit, & repugnat Mysteriis Ecclesiæ, & est abusus omnino tollendus. *Sac. Cong. Rit. in Mantuana* 18. *Aug.* 1606. apud Barbos. *in Summ. Apost. dec. verb. Processio n.*12.

64 Processiones, ut de nocte fieri possint feria sexta majoris hebdomadæ, arbitrio Episcopi conceditur. *Sac. Cong. Rit. in causa Indiarum* 20. *Jul.* 1600. apud Barb. *loc. c. n.*13.

65 Si autem aliqua Processio fiat de nocte, non debet inferri in Ecclesiis Monialium. *S. Cong. Episc. & Regul.* 6. *Sept.* 1709.

66 Licet PP. Capuccini possint retinere, & processionaliter etiam deferre Imagines S. Antonii Patavini, & S. Francisci in habitu Capuccini, non possunt tamen subtus Imagines S. Antonii, vel S. Francisci de Assisio depictas, sculptas, vel impressas cum eodem habitu apponere, & retinere inscriptiones indicantes illas esse effigies dictorum Sanctorum cum veriori forma habitus ipsius S. Francisci, sed moniti debent illas delere, & cancellare, ut jussit *Sac. Cong. Rit. in Neocastren.* 22. *Jan.* 1707.

67 Episcopus potest cogere Clericos Beneficiatos ad interessendum Processionibus publicis. *Sac. Cong. Concil. in Nullius Altamuræ* 26. *Mart.* 1678. etiam Censuris, quamvis non probetur consuetudo accedendi; Dummodo Censuræ sint comminatoriæ, ferendæ sententiæ, & in subsidium. *Ead. Sac. Cong. in Surrentina* 6. *Aug.* 1689.

68 Item Processionibus publicis interesse etiam tenentur Clerici Sæculares alicujus Ecclesiæ, quamvis in fundatione illius exempti sint a Jurisdictione Ordinarii intra cujus Diœcesim existunt. *Sacra Cong. Conc.* 21. *Mart.* 1702.

69 In Processionibus publicis interesse cogi possunt Sacerdotes inservientes Ecclesiis Religionis Hierosolymitanæ. *Sacra Congregatio Concilii* apud Barbos. *in Summ. Apostol. decis. Collect.* 607. *num.* 3.

70 Non sunt tamen ab Episcopo compellendi interesse Processionibus publicis Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Ecclesiasticum in Civitate, vel Diœcesi obtinentes. *Sac. Cong. Conc.* 9. *Maii* 1597. apud Barbos. *loc. cit. n.* 5. & Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 21. §.2.

71 Processiones publicas comitari cogere non potest Episcopus Clericos, qui sunt nullius Diœcesis. *Sacra Congregat. Concil.* apud Barbos. *loc. cit. num.*6.

72 Processionibus publicis ab Episcopo cogendi non sunt interesse degentes extra Civitatem in locis, in quibus habent plebem, quia cum illa plebe debent facere Processionem. *Sacra Congreg. Conc.* apud Campanil. *in diversor. jur. Canonic. rub.* 12. *c.* 33. *n.*117. Barbos. *loc. c. n.*7.

73 Processionibus publicis cogi non possunt interesse Clerici Regulares Societatis Jesu. Gregorius XIII. Constit. incip. *Quæcumque*.

Processionibus publicis interesse ab Episcopo compelli non possunt Clerici Regulares Congregationis S. Pauli decollati. Sixtus V. Constit. incip. *Rationi*. 74

Processionibus publicis interesse cogi non possunt Clerici Regulares Matris Dei Scholarum Piarum. Urbanus VIII. Constitut. incipient. *Debitum*. 75

Processionibus publicis ultra solitum cogendi non sunt interesse Canonici Regulares Congregationis Lateranensis. *Sac. Cong. Rit. in causa Canonic. Regular. Lateran.* 30. *Jul.* 1616. 76

Processionibus publicis interesse non sunt ullo modo cogendi Monachi Congregationis Cassinensis, nisi ad Processionem SS. Sacramenti juxta eorum antiquam consuetudinem. *Sac. Congr. Rit. in Placentina* 10. *Iunii* 1602. 77

Processionibus interesse cogi non debent Monachi Olivetani. *Sac. Congr. Rit.* apud Joan. Mariam Novar. *in Lucerna Regul. verb. Processio n.*11. & Barbos. *loc. c. n.*13. 78

Processionibus publicis interesse non sunt cogendi Monachi S. Hieronymi. *Sac. Cong. Concil.* apud Joan. Mariam Novar. *loc. cit.* & Barbos. *loc. cit. num.*14. 79

Processionibus publicis interesse compelli non possunt Monachi SS. Trinitatis Caven. quorum Monasterium est immediate subjectum Sedi Apostolicæ. *Sac. Cong. Conc.* 13. *Aug.* 1579. 80

Processionibus publicis interesse cogi non possunt Carmelitæ Discalceati. Clemens VIII. Constitut. incip. *Religiosorum*. Et sic etiam plures alii Regulares, uti constat ex eorum respectivis Privilegiis. 81

Episcopus cogere non potest Canonicos ad interessendum Processioni, quæ fit in tertia Dominica mensis. *Sac. Cong. Conc. in Sarnen.* 27. *Junii* 1705. *in responsione ad* 7. 82

Processiones fieri possunt a Canonicis Cathedralis etiam per limites Parochiarum sine licentia Curati. *Sac. Congr. Rit. in Thelesina* 28. *Aug.* 1615. & 15. *Jun.* 1619. 83

Processionibus solitis, ut Confratres conveniant, compellere potest Episcopus sub pœnis arbitrio illius, maxime stante possessione illos vocandi per Edicta. *Sacr. Congr. Conc.* 21. *Januar.* 1622. & 8. *Maii* 1627. 84

Processiones debent fieri ordinatim, & successive absque aliqua divisione, tam quando incedunt, quam quando stant. *Sac. Congr. Rit. in Toletana* 15. *Maii* 1612. 85

Edictum Episcopi prohibens explodi tormenta bellica per vias, dum fiebant Processiones, sustinetur; E contra Edictum Curiæ Laicæ permissivum post peractam Processionem refellitur, prout de Jure. *Sac. Cong. Immun.* 2. *Decembr.* 1698. *libr.* 2. *Decret. Vall. p.*190. 86

Si ratione alicujus solemnis Processionis, seu alterius urgentis necessitatis Religiosi omnes egrediantur a Conventu, fœminæ tunc illum ingredientes, graviter peccant, & pœnis ingredientium 87

tium afficiuntur. Sic expresse Bonacina *tom.* 1. *tract. de clausura q.* 5. *punct.* 2. *num.* 7. Donatus *Prax. Regular. tom.*1. *tract.* 4. *quæst.* 16. & alii. Et ratio est, quia in tali casu facerent contra Legem, quæ sub gravissimis pœnis prohibet fœminas introire in Conventus virorum. Nec obstat, quod pro tunc cesset finis Legis, nempe Regulares perturbari, vel incitari ad peccandum, cum, ut supponitur, in Conventu nullus existat; quia per accidens est, finem Legis in aliquo raro casu non violari; Lex autem respicit id, quod est per se, & sæpius accidit, non autem id, quod est per accidens, & raro contingit; *l. Ex his* 4. *& l. Nam ad ea* 5. *ff. de Legib. Authent. Ut sine prohibitione matres* cum similibus.

Nec valet dicere, quod cessante causa prohibitionis cessat ipsa prohibitio, *cap. Cum cessante* 60. *de appellationib. leg. Cum ancillam 6. Cod. de condictione ob causam*, & Glossa *final. ibidem*, cum similibus: Non valet, inquam, quia id procedit quando causa cessat per se; secus autem si ex aliquo accidenti, ut in nostro casu. Et id quod dicitur de ingressu fœminarum in Conventus Religiosorum, venit dicendum etiam de ingressu virorum in Monasteria Monialium, si ex aliquo accidentali casu ad breve tempus omnes egrediantur a Monasterio. Et a fortiori si aliquis Religiosus, vel aliqua Monialis remaneat in Conventu, & respective Monasterio ad custodiam, vel ob aliam causam pro illo brevi tempore; maxime cum novissime editæ sint a Bened. XIV. duæ Constitutiones rigidissime prohibentes quemcumque ingressum in clausuram Religiosorum, una quæ incipit: *Regularis disciplina*; & altera ingressum in clausuram Monialium, quæ incipit: *Salutare in Catholica Ecclesia Institutum*.

88 Alia ad rem. Vide verb. Crux.

89 Processio Generalis in solemnitate Corporis Christi, Sede Apostolica vacante, de more celebrari jubetur, cum præscriptione ritus, & personarum, quæ interesse debent. Bened. XIV. tom. 1. Consti-
90 tut. 122. incip. *Pastoralis Sollicitudinis*. Et præscribit, quod celebretur apud Basilicam Vaticanam.
91 Idem *ibid.* §. 3. Electio Antistitis, qui deferat Sanctissimum Sacramentum, tribuitur Collegio Cardinalium. Idem *ibid.* §. 5.

92 Processiones Confraternitatum singulis diebus per Octavam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli in Urbe habendæ statuuntur ad diversas, & designatas Ecclesias. Idem Constit. 83. incip. *Admirabilis* §. 11. Vide supra ad verb. *Capella a num.* 65. ubi assignantur Ecclesiæ, & Indulgentiæ.

93 Regularibus liberum est pro Processionibus peragendis extra Claustra licentiam petere vel ab Episcopo, vel a Parocho; Immo habita licentia ab Episcopo, qui est Parochus Parochorum, etiam contradicente Parocho, possunt Processiones ipsas extra Claustra peragere. *Sacra Congregat. Concil. in Nepesina* 3. *August.* 1686. *& in Volaterrana* 16. *Mart.* 1725. *ad decimum*, ut refertur in Thesauro Resolutionum *Sacræ Congreg. Conc. tom.*4. *in dicta Volaterrana*.

Processio Kalendis Augusti ab Ecclesia S. Francisci Assisien. ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, ad formam veterum Indultorum approbata & confirmata fuit a Benedicto XIV. Constitut. incip. *Fidelis Dominus* §. 10. 94

Processionibus publicis, quocumque jure, seu auctoritate indictis ab Archiepiscopo Neapolitano, interesse non tenentur Rector, aliique Clerici, seu Presbyteri actu inservientes in Hospitali S. Angeli a Nido Neapolitanæ Civitatis. Bened. XIV. Constit. incip. *Præclarum* §. 15. 95

Processiones prius fieri debent, dein Missa solemniter cantanda ex Rubrica Missalis Romani. *Institut. Eccles.* 68. §. 12. Nisi tamen aliter ob gravem causam Episcopo vel Clero videatur. *Ibid. ex ead.* 96

Processio in Festo Sancti Marci, si incidat in ipsam Paschæ Resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem Paschæ, ex decreto *Sacræ Congregat. Rit. die* 25. *Septembris* 1734. *Institut. Eccles.* 28. §. 3. 97

Additiones ex aliena manu.

Non obstante Concilio Tridentino *sess.*25. *cap.*13. *de Regular.* obligante Regulares tametsi exemptos ad publicas processiones, possunt adhuc ii, vel ex privilegio, vel ex præscriptione non teneri in iis intervenire. 98

Quod attinet vero ad privilegium, nota hoc debere esse *recta* concessum, minimeque venire in generali privilegiorum communicatione, ne ex ea, quam fere omnes Religiones habent, communicatione privilegiorum, Regularibus orbatæ remaneant publicæ processiones contra mentem Concilii Tridentini: Pellizar. *in Manual. Regular. tract.*5. *c.*2. *qu.* 4. Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. de Process. qu.*2. *num.* 63. Quarti *de Process. sect.* 2. *punct.* 1. *quæsit.* 4. *in fin.* P. Gaudent. a Janua *de Visitat. c.* 4. *dub.* 10. *sect.*4. *num.*63. Rota *in Meliten. Processionum* 24. *Januar.* 1758. §. 6. *cor. R.P.D. Paraccian. &* 14. *Februar.* 1759. §. 2. *coram R.P.D. Herreros.* 99

De Privilegio concesso a S. M. Pio V. in Bulla *Et si mendicantium* Collegiis Studiorum non interveniendi in publicis Processionibus, quæri solet, an revocatum illud fuerit a Gregorio XIII. in Bulla *In tanta*? Affirmavit autem Rota *in d. Meliten. Processionum* 23. *Januar.* 1757. §. 3. *&* 14. *Februarii* 1759. §. 3. 100

Cæterum attenta Bulla *Etsi mendicantium* non omnia Collegia Studiorum, sed Mendicantium tantum, non item Monachorum, & quidem ea, in quibus Fratres sub arctiori custodia degunt, ita ut nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studiis, & lectionibus vacent, gaudent privilegio non interveniendi in publicis processionibus; Rot. in *d. Meliten. Processionum* 24. *Januar.* 1757. §. 4. *&* 14. *Febr.* 1759. §. 3. 101

Quod vero concernit præscriptionem, ea non aliter potest opponi, quam si Regulares vocati, per tempus legitimum non intervenerunt in publicis processionibus. Cæterum Regulares non vo- 102 103
cati,

cati, tametsi per diuturnum tempus non intervenerint in publicis Processionibus, præscriptionem opponere nequeunt, idque quia ubi quæstio est de præscriptione juris negativi cum iis, qui ante interpellationem nulla tenentur obligatione, ea non incipit nisi a die, qua interpellati contradixerint, & sic possidere cœperint; Peirin. *ad Constitut. 2. Sixti IV.* §. 11. *num.* 57. Maron. *Respons.* 12. *num.* 3. *&* 35. Pellizar. *in Manual. Regular. tract.* 1. *cap.* 11. *num.* 13. Bordon. *variar. resolut. part.* 2. *resolut.* 7. *num.* 142. Lezzan. *in Summ. tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 47. Rot. *in dicta Meliten. Processionum* 24. *Januar.* 1557. §. 15. *&* 14. *Febr.* 1746. §. 10.

104 Quantum vero tempus requiratur ad hanc præscriptionem, variant Doctores. At si ponderetur, quod singulis Decretis Concilii Tridentini inest *decretum irritans* ex Constitutione S. M. Pii IV. ejusdem Concilii Tridentini confirmatoria, quæ in radice submovet quamlibet contrariam consuetudinem in futurum, vim nullam habere poterit quadragenaria; Ursaya *discept. Eccles. tom.* 6. *part.* 2. *discept.* 19. *n.* 105. *& plur. seq. Rot. in d. Meliten. Processionum* 24. *Jan.* 1757. §. 14. *&* 14. *Februarii* 1759. §. 10.

PROCESSUS CURIÆ LAICÆ LÆSIVI IMMUNITATIS.

---

1 PRocessui Laicorum post confugium facto nulla adhiberi potest fides per Judicem Ecclesiasticum, quo vero ad probationum relevantiam remittitur judicio Episcopi. *Sac. Congr. Immun. in Lauden.* 13. *Decemb.* 1633. *l.* 4. *Decret. Paul. pag.* 179.

2 Immo injungitur Episcopo, ut non recipiat Processus fabricatos in Curia Laica post extractionem confugitorum. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Pennen.* 2. *Junii* 1624. *ex Regesto Scripturarum veterum pag.* 26.

3 Processibus Curiæ Laicæ super delictis eorum, qui fuerunt ab Ecclesia postea extracti, Episcopus potest adhibere fidem, si ante extractionem fuerint fabricati, vel ante confugium. *Eadem Sacra Congr. Immun. in Caputaquen.* 15. *Julii* 1636. *l.* 3. *Decret. Paul. p.* 9. *in Siracusana* 13. *Jul.* 1626. *l.* 1. *Decr. Paul. p.* 8.

4 Processus originalis cum omnibus actis contra Clericum per Judicem Laicum est ab ipso transmittendus Judici Ecclesiastico, ut aboleatur, & igni tradatur. *Eadem Sacra Congregatio Immunitatis in Nepesina* 27. *Aprilis* 1638. *l.* 3. *Decret. Paul. p.* 6. *Civitatis Plebis* 31. *Maii* 1639. *dict. l. pag.* 92.

5 Quatenus sit impossibilis laceratio Processus in ea parte, quæ concernit Ecclesiasticum, vel cassatio nominis ipsius Ecclesiastici, facta prius declaratione per Judicem, qui confecit dictum Processum, irritante ipsum cum omnibus actis contra Ecclesiasticum, uti invalidum defectu Jurisdictionis, datur facultas absolvendi censuratos, tam nominatos, quam innominatos in Cedulonibus. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Aquilana* 27. *Jan.* 1634. *l.* 3. *Decr. Paul. p.* 194.

Processus, & alii actus Curiæ Laicæ contra Equites Hierosolymitanos sunt prorsus invalidi. *Eadem S. C. Immun. in Messanen.* 18. *Nov.* 1653. *l.* 5. *Decr. Paul. p.* 25. 6

Officiales, & Ministri Curiæ Laicæ conficientes Processum contra Clericum, excommunicationem incurrunt. *Eadem Sacra Congregat. Immunit. in Recinaten.* 27. *Julii* 1683. *l.* 3. *Decret. Altoviti pag.* 211. 7

PROCESSUS CURIÆ ECCLESIASTICÆ.

PRocessus Curiæ Ecclesiasticæ non sunt consignandi Judici Laico. *Sacra Congreg. Immun. in Terracinen.* 18. *Febr.* 1631. *l.* 2. *Decr. Paul. pag.* 97. 1

In confectione Processus super Immunitate non est permittenda a Ministris Episcopi assistentia Judicis Laici. *Sac. Cong. Immun. in Ariminen.* 6. *Maii* 1631. *ibi p.* 76. 2

In fabricatione Processus contra personas Ecclesiasticas caveat Episcopus, ne utatur ministerio Laicalium Ministrorum. *Sacra Congregatio Immunitat. in Pientina* 30. *Jun.* 1700. *l. Decret. Vall. pag.* 297. 3

Episcopus conficiat Processum ad formam Bullæ super delicto prætenso exceptuato, observans, quod nullus habendus est respectus ad Processum fabricatum in Tribunali Laico pro probatione juridica delicti, sed solum permissum est uti Processu Curiæ Laicæ pro simplici instructione animi. *Sac. Cong. Immunit. in Alexandrina* 17. *April.* 1700. *ibi pag.* 282. 4

Aliquando injungitur Vicario, ut abstineat ab ulteriori Processu super delictis Extractorum, attenta eorum restitutione ad Ecclesiam. *Sac. Cong. Immun. in S. Severinæ* 18. *Augusti* 1663. *l. Decret. Fani p.* 10. 5

Cum Curia Legationis peteret sibi communicari Processus fabricatos in Curia Ecclesiastica contra Extractores, Sacra Congregatio respondit: Communicatio Processus non est facienda, nisi comprehensis in Monitoriis. *Sac. Congregat. Immunit. in Bononien.* 19. *Julii* 1695. *lib.* 1. *Decret. Vallem. pag.* 201. 6

Processus occasione Immunitatis factus a Curia Ecclesiastica ex stylo Sacræ Congregationis non consignatur Partibus *Sac. Congregat. Immunitat. in Januen.* 23. *Julii* 1632. *libr.* 2. *Decret. Paul. pag.* 133. 7

Confectio Processus super loco capturæ ad effectum declarandi, an quis gaudeat, nec ne Immunitate? spectat ad Episcopum. *Sac. Cong. Immun. in Neritonen.* 1. *Septemb.* 1643. *l.* 3. *Decr. Paul. pag.* 208. 8

Episcopus Mantuanus supplicat Sac. Congr. pro reso- 9

resolutione infrascriptorum dubiorum, scilicet: aliqui Sacerdotes cum aliis Laicis prætensi Monetarii carcerati fuere a Curia Sæculari, & adhuc detinentur in Carceribus Laicis pro tuta custodia, sed nomine Episcopi, qui quærit,

I. An possit Episcopus circa Ecclesiasticos conficere Processum conjunctim cum Curia Laica ob Laicos complices.

II. An ad conficiendum Processum possit delegare usque ad sententiam exclusive Judicem Laicum?

III. An facto Processu in Curia Episcopali, possint communicari indicia resultantia ab ipso Curiæ Sæculari contra Laicos?

IV. An dato, quod Curia Sæcularis perseveret in denegatione communicationis sui Processus Curiæ Episcopali in parte tangente Ecclesiasticos, si vicissim Curia Episcopalis non communicet Curiæ Sæculari indicia, quæ resultabant ex dicto suo Processu, debeat Episcopus dimittere Sacerdotes, cum contra ipsos, nec indicia, nec corpus delicti habeat?

Sacra Congregatio respondit:

Ad I. Episcopum non posse conjunctim procedere, & ad ipsum spectare integram cognitionem causæ.

Ad II. Eumdem Episcopum non posse delegare Judicem Laicum.

Ad III. Non posse Processum communicare.

Ad IV. Non posse de rigore Juris procedere, sed facere debere diligentias pro habendo Processu, & corpore delicti; quod si non habuerit, dimittat carceratos cum cautione de se præsentando; *S. C. Immun. in Mantuana* 18. *Julii* 1651. *l.* 4. *Decr. Paul. p.*154.

30 Episcopus formet Processum contra eos, qui in actis produxerunt Episcopum non esse Judicem competentem Immunitatis Ecclesiasticæ, neque Sac. Cong. sed solum Regiam Cameram. *S. C. Immun. in Orien.* 29. *Decemb.* 1625. *l. Scripturarum Veterum pag.* 80.

31 Pendente fabricatione Processus super requisitis Clericatus, Episcopus faciat sibi consignare Clericum a Curia sæculari, & caute in suis carceribus custodiat. *S. Cong. Imm. in Aquin.* 18. *Febr.* 1673. *lib.*1. *Decr. Altov. p.*771.

32 Processus fabricatus a Clerico conjugato uti subdelegato a Delegato Papæ contra Personas Ecclesiasticas, est nullus, eo quia subdelegatio virtute facultatis Pontificiæ solum concedi solet Clericis simpliciter. *Sacra Congregatio Immunitat. in Viterbien.* 13. *Septembris* 1679. *lib.* 2. *Decret. Altov. pag.* 1833.

33 Processus fabricatus a Clerico conjugato de ordine Sacræ Consultæ ex facultate habita a Sanctissimo, in qua tamen non erat expressum Processum, fieri posse a Clerico conjugato, non sustinetur. *Sacra Congregatio Immunitatis in Interamn.* 20. *Decemb.* 1702. *lib.*3. *Decr. Vallem. p.*46.

14 Processus confectus a Bigamo absque expressione Bigamiæ in facultate concessa a Sanctissimo procedendi contra Clericum, non sustinetur. *Sac. Congr. Immunit. in Montis Falisci* 19. *Decemb.* 1702. *ibi pag.*462.

Processus Curiæ Episcopalis, & condemnatio ad Triremes Clerici dolose extracti ab Ecclesia per Capitaneum di *Campagna*, ut dicitur, est omnino abolendus. *Sac. Congregat. Immun. in Cassanen.* 10. *Martii* 1693. *lib.*1. *Decret. Vallem. pag.*29. 15

Cum Episcopus suffraganeus in confectione Processus contra Canonicum prætensum Reum homicidii proditorii commiserit plurimos defectus, ad hos vitandos Sacr. Congr. ordinat, ut, prævia consignatione Canonici carcerati Metropolitano, idem conficiat novum Processum juxta instructionem faciendam per D. Ponentem. *Sacr. Congreg. Immun. in Oppiden.* 17. *Februarii* 1693. *lib.* 1. *Decr. Vallem. p.* 24. 16

Processus fabricatus a Vicario Gener. contra perturbatores Libertatis Eccles. cum subscriptionibus dedita opera falsis, & datis dierum pariter falsis, impedit validitatem Censurarum, & Episcopus procedat contra falsarios. *Sac. Congreg. Immun. in Caven.* 24. *Augusti* 1694. *ibi pag.* 141. 17

Confectio Processus super extractione Parochi a propria Domo Parochiali propter causam Civilem committitur Episcopo viciniori, quando Episcopus Diœcesanus Parochi est suspectus extracto, immo allegatur ut ordinans talem extractionem. *Sacr. Congreg. Immun. in Oppiden.*21. *Januarii* 1687. *lib. Decret. Martelli pag.* 42. 18.

Assignandus est terminus duorum mensium Fisco, & adhærentibus pro legitimatione Processus, quo elapso, & nihil justificato, restituantur Ecclesiæ extracti. *Sacr. Congreg. Immun. in Squilac.* 25. *Maii* 1655. *lib.*5. *Decret. Paul. p.*66. *in una Marsorum* 9. *Maii* 1656. *ibi pag.* 94. 19

Aliquando in causis particularis attentionis injungitur Episcopo, ut per se ipsum conficiat Processum. *Sacr. Congr. Immun. in Tudertina* 17. *April.* 1675. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 1087. 20

Impinguatio Processus committitur Metropolitano, quando Episcopus non agit viriliter circa Ordines Sacræ Congreg. pro reparatione Immunitatis. *Sacr. Congreg. Immun. in una S. Agathæ Got.* 27. *Maii* 1687. *l. Decret. Martelli pag.* 108. 21

Injungitur Judici Ecclesiastico, ut in construendo Processu utatur Cancellario idoneo, & examinare faciat testes de visu inductos. *Sacr. Congreg. Immun. in Viterbien.* 3. *Martii* 1694. *l.* 1. *Decret. Vallem p.* 107. 22

Aliquando, ut utatur alio Cancellario Ecclesiastico Partibus secreto. *Sac. Congr. Immun. in Meliten.* 7. *Julii* 1699. *l.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 230. & in locum Assessoris deputet alium Partibus non suspectum. *Sac. Cong. Immun. in eadem* 9. *Februarii* 1700. *ibi pag.* 270. 23

Quoad Processum formatum in Curia Episcopali solvenda est merces dumtaxat Copistæ. *Sac. Cong. Immun. in Balneoregien.* 6. *Julii* 1694. *l.* 1. *Decret. Vallem. p.* 132. 24

Aliquando transmittitur Processus absque solutione, donec cognoscatur de asserta paupertate Partis. *Sac. Congreg. Immun. in Trojana* 6. *Dec.* 1692. *d. l. pag.* 9. 25

Aliquando prævia cautione personæ Eccles. ab 26
Epi-

Episcopo approbandæ solvendi Cancellario Episcopali summam taxandam a Sacr. Congregat. *Ead. Sac. Congr. Immun. in Theanen.* 13. *Nov.* 1694. *d. l. pag.* 156. *& Nullius Atini* 11. *Decemb. d. Anni*, *& l. pag.* 161.

27 Sæpe Sacr. Congreg. injungit Judici Ecclesiastico, ut conficiat Processum, & transmittat, ac informet. *Sac. Congreg. Immunitat. in Terracinen.* 13. *Maii* 1698. *l.* 2. *Decret. Valleman. pag.* 154. *& alibi*.

28 Aliquando jussu Sac. Congr. per D. Ponentem, vel D. Secretarium datur instructio Judici Eccles. sive Episcopo, seu Vicario Apostolico, seu Capitulari, seu Generali, seu Nuncio pro conficiendo, vel impinguando, & etiam ulterius impinguando Processu. *Sacra Congr. Immun. in Perusina* 14. *Jan.* 1698. *d. l. pag.* 133. *in Sorana* 8. *Jul. d. Anni*, *& l. p.* 162. *& in eadem* 13. *Januarii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vall. pag.* 197. *& alibi*.

29 Pro sanatione præteritorum Processuum agendum cum Sanctissimo. *S. C. Immun. in Urbevetana* 16. *Januar.* 1691. *l. Dec. Martell. p.* 719.

30 Sanantur, annuente Sanctissimo, Processus facti contra Reum assassinii extractum, tum ob nullitatem provenientem ex eo, quod Judices subdelegati auctoritate Apostolica processerunt in Constitutione Rei, & in aliis actibus non conjunctim juxta eorum deputationem, sed divisim; tum ob nullitatem provenientem ex eo, quod ad efficiendos complices contumaces recepta fuit ratificatio extracti in tormentis absque speciali facultate Apostolica. *S. Cong. Immun. in Bonon.* 16. *Apr.* 1697. *l.* 2. *Dec. Vall. pag.* 86.

31 Processus fabricatus a Curia Episcopali super delicta extracti auctoritate Laicali, est nullus, sed annuente Sanctissimo, sanatur. *Sac. Congreg. Immun. in Asten.* 11. *Martii* 1681. *lib.* 2. *dec. Altov. pag.* 2165.

32 Sæpe injungitur Judici Ecclesiastico, ut legitimato Processu, assignet defensiones, & transmittat. *Sacr. Congr. Immun. in Capuana*, *seu Neapolitana* 12. *Julii* 1698. *lib. Decret. Martelli pag.* 491. *in Anglonen.* 2. *Junii* 1699. *lib.* 2. *Decret. Vallem. pag.* 223.

33 Item ut impinguet Processum, eum legitimet, & assignet defensiones, ac transmittat. *S. C. Immun. in Nullius Atini* 16. *Sept.* 1698. *l.* 2. *Decr. Vall. pag.* 176.

34 Sæpe ex commissione Sanctissimi, vel Sacr. Cong. Curia Ecclesiastica Processum a se factum consignat Curiæ Laicali. *Sac. Cong. Immun. in Pisaur.* 21. *Apr.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. pag.* 178. *& alibi in Senogallien.* 17. *Dec.* 1658. *lib. Decret. Rocci pag.* 143.

35 Modus fabricandi processus, brevitatis gratia, videndus relinquitur apud Farinacium, Julium Clarum, Gomez, Raynaldum, Passerinum, Sanctorium, Reiffenstuel, de Bictis, aliosque similes classicos Auctores.

PROCURATIO.

PRocuratio, quamvis generatim varia significet, ad præsens tamen nihil est aliud, quam contributio sumptuum, & expensarum necessariarum pro victu, & honesta sustentatione tempore Visitationis præstanda illis, qui Ecclesias Diœcesis visitant. *Sic in re Communis*, *arg. cap. Procurationes* 23. *de censibus*, & Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. 1

Sub Procuratione comprehenduntur omnia, quæ sunt necessaria pro victu, nempe cibus, potus, & habitatio ipsius Visitatoris, & honesti comitatus ejusdem. Item pabulum pro equis, & jumentis necessariis. *Communis*. Omnia enim supradicta veniunt nomine victus; *l. Verbo victus* 43. *l. Et cetera* 44. *& l. in stratum* 45. *de verb. significat.* Unde supradicta omnia debent subministrari Episcopo, seu Visitatori a Clericis, & Ecclesiis visitatis. *Communis*, per text. *in c. Procurationes* 33. *c. Venerabili* 24. *& fere per tot. tit. de Censibus*, & Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 3. 2 3

Non potest tamen Episcopus, seu Visitator Ordinarius exigere Procurationem pro equitaturis, & vecturis, neque pro aliis expensis faciendis extra victum, quia ad ista, & alia (solo victu excepto) tenetur de suo. *Sac. C. Episcop. & Regul. in Vintimiliens.* 21. *Augusti* 1606. *in Cajacen.* 20. *Martii* 1615. *& Sacra Congr. Concil. in Larinen.* 12. *April.* 1698. *& in Amalphit.* 18. *Julii* 1699. Et sic *communis Doctorum*. 4

Si autem Visitator sit Delegatus Apostolicus, ultra victum, sunt etiam ei solvendæ expensæ pro equis, seu vectura, & itinere de loco ad locum necessariæ. *Communis*, ex Decreto *Sac. Congreg.* 10. *Junii* 1627. relato per extensum a Nicol. *in Flosculis verb. visitatio n.* 15. ubi recte advertit, quod ea, quæ statuit Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. non intelliguntur nisi de Visitatione Ordinarii, non autem de Apostolica, quæ ad relationem Sacræ Congregationis destinari solet a Summo Pontifice sub forma ibi a se adducta. 5

Ordinarie loquendo ad Procurationem præstandam Visitatoribus tenentur omnes Ecclesiæ Visitationi subjectæ, nisi Privilegio, vel legitima consuetudine sint exemptæ. *Communis*, *arg. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinar. cap. Ex Officii* 16. *de præscript. cap. Procurationes* 23. *de Censibus* cum similibus, juncto Concilio Trid. *cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 3. 6

Dicitur autem notanter: *Nisi privilegio*, *vel legitima Consuetudine sint exemptæ*, quia Ecclesiæ, quæ speciali Privilegio Pontificio sunt exemptæ, ad eam præstandam non tenentur, textu expresso *in cap cum instantia* 17. *de censibus*. Sicuti etiam non tenentur Ecclesiæ illæ, quæ legitimam consuetudinem habent eam non præstandi, textu expresso in Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 3. ibi: *In iis vero locis*, *seu Provinciis*, *ubi consuetudo* 7 8

do est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.

9 Sic non potest Episcopus visitans parvos Conventus sibi suppositos, seu subjectos aliquod accipere Procurationis nomine, seu in pecunia seu in victualibus, ut expresse declaravit Sac. Congr. super statu Regularium 25. *Junii* 1665. Papa approbante Decretum, ut sequitur.

„ Cum Sacra Congregatio super statu Regularium alias consulta: An Episcopus visitans parvos conventus suæ Jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes ad præscriptum Decreti san. mem. Innocentii X. quod incipit: Ut in parvis &c. possit a visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, duxerit expedire, ut Sanctissimus D. N. decernat, & declaret non licere Episcopo tales conventus visitanti quicquam accipere procurationis nomine. Sanctitas Sua Congregationis sententia audita, eam expresse approbavit, noluitque licere Episcopis hujusmodi conventus visitantibus aliquid accipere procurationis nomine, seu in pecunia, seu in victualibus, & ita observari præcipit. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore Juris clausis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rom. die 23. Junii 1665.

Marcus Antonius Card. Franciottus.

10 Item non potest Episcopus Procurationem exigere pro Visitatione Oratorii privati. *Communis*, textu expresso *in cap. Auctoritate* 27. *de Censibus* juncto ejus Summario, in quo sic præcise habetur: *Propter privatum Oratorium Pocuratio ratione visitationis non debetur.*

11 Item Episcopus non potest Procurationem exigere ab Ecclesiis, & Beneficiatis pauperibus sufficientes redditus non habentibus ad ipsam præstandam. *Communis; arg. c. Cavendum* 7. *caus.* 10. *qu.* 3. *c. Statutum* 21. §. *Insuper, de rescript. in* 6. ibi: *Ubi notabiliter fuerint pauperes, etiam pro expensis nihil prorsus exigatur ab eis, c. Placuit* 1. *q.* 2. ibi: *Si autem paupertas, aut necessitas illum retinet, nihil exigatur ab eo c. cum instantia* 17. *de censibus*: *& ibi* Glossa verb. *Indebite prægravari*, ubi ait; *Immo a paupere non debet exigere, quin nec judex exigit sportulas a pauperibus. Novell.* 17. *c.* 3.

12 Item non potest Episcopus Procurationem exigere ab Hospitalibus, Leprosariis, & aliis piis locis pro pauperibus, aut infirmis deputatis, etiamsi amplissimos habeant redditus: Redditus enim talium locorum omnes quantumvis ampli, applicari debent in usus pauperum: *Clement. Quia contingit, De Religiosis Domibus*; Unde si quid ab eis exigeretur, pauperibus præjudicaretur, utpote qui ad victualia præstanda non tenentur; *arg. c. Licet multum* 4. *de censibus*; Et sic expresse declarasse *Sacr. Congregationem Concil.* testatur Fagnans *l.* 3. *Decretal. in cap. Venerabili* 24. *de censibus, num.* 34.

13 Item non potest Episcopus post Concilium Tridentinum Procurationem exigere ab Ecclesia sua Cathedrali, aut aliis Ecclesiis, seu locis piis, & Clero Civitatis, in qua Sedem habet. *Communis*; Et sic expresse pluries declaravit *Sac. Cong. Episcop.* apud Nicol. verb. *Visitatio num.* 10. *Amplia* 1. *& Sac. Cong. Conc. ex c.* 3. *sess.* 24. teste Fagnano *loc. cit. nu.* 15. *&* 38. Immo etiamsi ipse Episcopus moretur in alio Oppido Diœcesis. *Sacr. Congr. Conc. in Aliphana* 18. *Jul.* 1705. apud Monacell. *t.* 4. *supplement. ad tom.* 3. *n.* 78.

Episcopus, quando vadit per Diœcesim extra Visitationis occasionem, licet ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, vel Sacramentum Confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro equis, neque pro victualibus. *Sacr. Congreg. Episcopor. & Regular. in Ajacen.* 14. *Novem.* 1681. *in Albinganen.* 18. *Januar. & in Florentina* 25. *Jun.* 1627. apud Nicol. *in Flosculis, verb. visitatio limit. numer.* 10. 12. *& S. Congreg. Conc. in Amalphitana* 18. *Jul.* 1699. *in responsione ad secundum* apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *fol.* 1. *a num.* 20. *ad* 23. ubi plurimis adductis testatur de communi, & Fagnan. *loc. cit. num.* 19. 14

Procuratio non debetur Episcopo, cum per alium visitat, sed ipsi Visitanti. *Communis*, per text. *in c.* 6. *si Episcopus, de Offic. Ordinarii in* 6. juncto Summario *ibi*; & Concil. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. & expresse declaravit *Sac. Cong. Conc. in Elven.* 23. *Nov.* 1613. apud Fagnan. *in cap. Procurationes* 23. *de censibus num.* 14. 15

Visitatores contenti esse debent modesto equitatu, famulatuque, ne scilicet inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint. *Communis*, per text. *in c. Cum Apostolus* 6. *c. Procurationes* 23. *de censibus, cap. Conquerente* 19. *de Offic. Ordinarii*, & Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. ibi: *Exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, ac moderate pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda*; Unde *in cap. Cum Apostolus* 6. *de Censibus*, expresse prohibetur, ne Visitatores *cum canibus venatoriis, & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere videantur; Nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste, & competenter eis fuerit ministratum.* 16

Unde non debet Episcopus secum ducere plusquam ad summum octo personas, ut observabat S. Carolus, qui etiam pro sua mensa uno ferculo contentus erat. *Sacr. Cong. Episc. in Camerinen.* 26. *Aug.* 1575. apud Nicol. *loc. citat. numer.* 10. *limit.* 1. 17

Vicarius autem Capitularis, seu Vicarius Generalis, vel alius Substitutus, qui non sit Episcopus, non potest exigere, nisi medietatem Procurationis dari solitæ Episcopo. Sic pluries decrevit *Sac. Congregat. Episcop.* apud Nicol. *loc. citat. numer.* 19. *limitat.* 9. & novissime *Sacr. Congregat. Concil. in Amalphitana* 18. *Jul.* 1699. *in responsione ad* 4. confirmata *auditis partibus* 6. *Februar.* 1700. *& in Nullius Provinciæ Hispalen. excessuum* 11. *Septemb.* 1706. *ad* 5. apud Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 3. *numer.* 3. *& eadem Sacr. Congregat. Concil. in Ostien.* 28. *Jul.* 1708. *in responsione ad* 5. apud Mo- 18

Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad tom.* 3. *numer.* 79.

19 Ubi *numer.* 80. ex aliis resolvit, quod hoc procedat etiam respectu Vicarii Apostolici Visitantis, cum & ipse visitet tamquam Vicarius Capitularis, adeoque tractandus est tamquam inferior Episcopo.

20 Procurationum numerus commensurandus est numero dierum, in quibus munus Visitationis impeditur. *Communis*; textu expresso *in cit. c. Procurationes* 23. *de Censibus*, ibi: *Ita quod numerus Procurationum numerum dierum, quibus hujusmodi moram fecerint, non excedat*. Fagn. *ibid. num.* 19. Et concordat *c. Inter cetera* 8. *caus.* 10. *qu.* 3. ubi ad evitanda gravamina Ecclesiarum ordinatur, ut nisi necessitas aliquid exigat, *Cum Episcopus Diœcesim visitat* ... *amplius, quam una die per unamquamque Basilicam remorandi licentiam habeat*.

21 Unde si Visitator una die plures Ecclesias visitando absolvat, non licet ei accipere ab omnibus ipsis simul, nisi unam Procurationem pro tali unica die, quamvis quælibet Ecclesia de per se sufficiat ad integram Procurationem præstandam. *Communis*, textu expresso *in cap. Felicis* 3. *de Censibus in* 6. ibi: *Adjicientes, quod non licet Visitanti, nisi unam Procurationem recipere una die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura: etiamsi locus quilibet visitatus ab illo sufficeret ad Procurationem integram persolvendam, cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat a locis personaliter visitatis pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat*. Et in tali casu illæ plures Ecclesiæ, una die visitatæ debent inter se proportionaliter dividere solas expensas necessarias pro tali unica Procuratione, seu honesta sustentatione unius diei ipsius Visitatoris, & comitatus ejusdem, & nihil amplius; ut notant *communiter Doctores*.

22 Nullam tamen Procurationem exigere potest Ordinarius pro Visitatione Parochialium unitarum Religioni Hierosolymitanæ; Nisi ipse Ordinarius, quando concessit Ecclesiam illi Religioni, sibi, & Successoribus suis Jus Procurationis expresse reservasset. S. Pius V. Constit. 136. incip. *Exposcit*, & sæpius declaravit *Sac. Cong. Episcop.* & signanter *in Perusina* 11. *Jan. & in Senensi* 8. *Mart.* 1578. *& in Elven.* 20. *Jun.* 1604.

23 Visitator hospitatus a Laicis non potest exigere Procurationem a Clericis, dummodo isti victualia non recusaverint. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 73. *num.* 66. *& in cap. Felicis* 3. *de Censibus in* 6. *n.* 3. Graff. *dec. aur. par.* 2. *c.* 27. *numer.* 90. *lib.* 3. Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 4. *num.* 6. & alii passim, *arg. c. Procurationes* 23. *de Censibus, & citat. capit. Felicis* 3. *eodem in* 6. cum similibus.

24 Laici, nisi velint solvere, non debent cogi Censuris, ut solvant Procurationem, non obstante solito; Glossa *in c. Cavendum* 7. *caus.* 10. *quæst.* 3. Glossa *in citat. capit. Felicis* 3. *de Censibus in* 6. *verb. Laicos*, Monacell. *loc. citat. numer.* 4. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 47. *per tot. & tom.* 9. *consultat.* 146. *numer.* 30. ubi ad id plura decreta affert.

25 Visitator non potest prætendere victualia in pecunia præcise, quamvis antea visitati soliti fuissent solvere tantam pecuniæ summam loco victualium, sed est in optione eorum, qui visitantur, an malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia subministrare, textu expresso in Conc. Trid. *cit. sess.* 14. *de reform. c.* 3. ibi: *Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, id quod erat ab ipsis ante solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia subministrare*. Et concordat *cap. Felicis* 3. *de censibus in* 6. ubi conceditur facultas Visitatoribus accipiendi Procurationem in pecunia a volentibus illam solvere, ibi: *Concedimus, ut Episcopi, & alii, quibus ex Officio competit visitare, a volentibus Ecclesiarum, & locorum visitatorum, Rectoribus, seu personis, pecuniam libere accipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus Visitationis officium personaliter exercebunt*. Non obstante, quod olim id, scilicet pretium moderatæ *Procurationis*, in pecunia accipere prohibitum fuerit, *in c. Relata* 9. *caus.* 10. *qu.* 1. *cap. Romana* 1. §. *Procurationes, & c. Exigit* 2. *de Censibus in* 6.

Intuitu Procurationis non potest Visitator, sive 26
ejus Secretarius, sive quis alius de suo comitatu aliquod munus, etiam gratis oblatum, accipere, etiam quovis prætextu, seu quæsito colore, puta pro equis ferrandis, seu pro xeniis famulorum seu qualitercumque; Et hoc sub pœna maledictionis, a quo non liberetur, nisi duplum restituat; textu expres. *in cit. c. Romana* 1. *de Censibus in* 6. §. *Procurationes*, ibi: *Caveat insuper, ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, præsumat recipere: Ut non quæ sua sunt videatur quærere, sed quæ Jesu Christi. Quod si fuerit contra præscriptum recipiens, maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur. Volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari*. Insuper si duplum ejus, quod receperit, intra mensem non restituerit, si sit Episcopus, vel Superior, est ipso facto interdictus ab ingressu Ecclesiæ; Si vero sit Inferior, ipso facto est suspensus ab Officio, & Beneficio, quousque de populo hujusmodi gratis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendat, nulla ei in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura. Et præterea aliis pœnis absque ulla spe veniæ arbitrio Synodi Provincialis puniri debet. *Communis*, per text. *in cap. Exigit* 2. *de Censibus*, & Conc. Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.*

Addendæ sunt ad rem sequentes resolutiones 27
Sac. Congr. Conc. prout habentur in Thesauro Resolutionum *tom.* 6. *S. Marci Visitationis* ibi: Anno 1708. Clerus Oppidi Belvederii ejusdem Diœcesis Sancti Marci alias quæstiones adversus Episcopum prædecessorem proposuit circa modum, & quantitatem Procurationis. Disceptatum quippe fuit:

I. An sit in libertate Cleri Terræ Belvederii solvere Episcopo S. Marci visitanti Procurationem in pecunia, vel subministrare victualia? Et quatenus in pecunia.

II. An,

II. An, & in qua summa sint taxanda?

III. An, & per quot dies liceat Episcopo visitanti protrahere visitationem?

IV. An, & quot personas possit secum ducere Episcopus occasione dictæ visitationis?

V. An Clerus teneatur quidquam solvere Ministris, aliisque Officialibus Episcopi visitantis?

VI. An idem Clerus teneatur solvere Episcopo visitanti vecturas equorum.

Die vero 7. Julii rescriptum fuit: Danda esse Decreta alias edita, & signanter ad I. in Tyrasonen. Junii 1586. lib. 4. Decret. pag. 146. & in Potentina Procurationis 24. Jan. 1705. ad primum dubium, lib. 5. Decret. pag. 23. ad II. in eadem Potentina ad secundum dubium, ad III. in Turritana 25. Novembris 1704. ad sextum dubium libr. 14. Decretor. pag. 415. ad IV. in Forosempronien. Novembris 1587. lib. 5. Decret. pag. 64. ad V. in Amalphitana 18. Julii 1699. ad tertium dubium, lib. 49. Decret. pag. 252. ad VI. In Aprutina Dec. 1584. l. 4. Decr. pag. 10.

Sensus autem, qui hujusmodi responsis inest, ex vi aliorum Decretorum, quæ ibi indicantur, est hic, videlicet. Ad I. Affirmative. Ad II. in summa moderata ad formam Concilii. Ad III. arbitrio & conscientiæ Ordinarii ad formam Concilii. Ad IV. Episcopum modesto equitatu, & famulatu oportere contentum esse. Ad V. deberi victualia tantum ad formam Concilii. Ad VI. Negative.

28 Rursus in alia causa Sancti Marci plurium, die 16. Jan. 1723. proposita fuerunt hæc quæ sequuntur dubia.

I. An Episcopus S. Marci possit per se ipsum quotannis visitare omnes Ecclesias, omniaque loca suæ Diœcesis, & an intra annum possit plures facere visitationes?

II. An dicto Episcopo visitanti per se ipsum debeatur integra solita procuratio, seu potius sit servanda alternativa?

III. An prædicta integra solita procuratio sit solvenda in illa solita quantitate pecuniæ juxta morem cujuscumque loci visitandi, & in tribus prandiis dandis Episcopo, ejusque comitatui in vecturis, habitatione, & utensilibus necessariis juxta prætensam antiquissimam consuetudinem?

IV. An Episcopo ejusque comitatui debeantur cibaria, aliaque necessaria toto tempore permanentiæ in visitatione?

V. An eidem Episcopo visitanti possit præfigi numerus personarum ejus comitatus?

VI. An eidem Episcopo visitanti possit præfigi numerus dierum, quibus permanere debet in visitatione loci visitandi?

Rescriptum vero sic fuit: Ad I. Affirmative quoad primam, & secundam partem pariter affirmative, sed absque ulla procuratione. Ad II. servandam esse alternativam. Ad III. esse in optione visitandorum solvere procurationem vel in victualibus, vel in pecunia, exclusis tribus prandiis in casu solutionis pecuniæ, & quoad vecturam equorum detur decretum 7. Julii 1708. in S. Marci ad sextum. Ad IV. provisum in tertio. Ad V. & VI. arbitrio, & conscientiæ Episcopi ad formam Concilii, & ad mentem, ut in lib. 73. Decret. pag. 4.

In Ferentina, in qua proposito inter alia hoc secundo dubio: II. *An & in qua summa, seu specie sit taxanda procuratio solvenda, seu subministranda Episcopo Visitanti? S. Cong. Concil. die 26. Mart.* 1735. Respondit: *Ad secundum taxandum esse in scutis septem, quatenus visitandi nolint præstare victualia, danda in quantitate moderata ad formam Conc.* Sic apud Thesaurum Resolutionum *tom. 7. in d. Ferentina.* 29

Quæ autem summa aliquando augenda decernitur, cum paupertas intervenit Episcopi, ac multiplicantur dies in Visitatione necessarii, attentis Ecclesiis pluribus, & locis piis non adeo perfunctorie, & per solam apparentiam visitandis, ut resolutum fuit in *Juvenacen. sub die 3. Septembris* 1740. in qua proposito dubio; *An, & in qua summa, seu quantitate debeatur Episcopo Juvenacen. Procuratio pro Visitationibus Ecclesiarum, & locorum piorum Oppidi Terlitii expletis absque solutione per tres vices, scilicet annis elapsis* 1734. 1735. *&* 1737. Eadem Sacra Congregatio Concil. die qua supra auditis partibus, discussisque earum rationibus, respondit *contra Capitulum Collegiatæ Oppidi Terlitii, deberi pro utraque Visitatione in ducatis biscentum, non comprehensis ducatis septemdecim jam solutis.* Et reproposita causa sub *die* 20. *Januar.* 1742. Ead. Sac. Cong. respondit *in decisis, & amplius*, ut apud Thes. Resolution. *dictorum annorum.* 30

Episcopus Procurationem exigere nequit nedum ab Ecclesiis, & Clero Civitatis suæ Ordinariæ Residentiæ, sed neque ab Ecclesiis, & Clero Oppidi, in quo aliqua parte anni resideat, ut resolvit *Sac. Congregat. Concil. in Policastren. Procurationis* 4. *Junii* 1737. In qua inter alia propositis quatuor sequentibus dubiis, I. *An Episcopus in actu visitationis possit exigere ab Archipresbytero, & Clericis Participantibus Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Laureæ procurationem in casu &c.* & quatenus affirmative, II. *An dictus Episcopus possit exigere ab eodem Archipresbytero; & Clericis ultra procurationem ducatorum* 15. *in pecunia, victuaria, & vecturas equorum pro se, & familia in casu &c.* III. *An idem Episcopus, non completo anno ab ultima visitatione possit iterum eamdem Ecclesiam visitare, & aliam procurationem a visitandis exigere*, & quatenus in omnibus negative: IV. *An præfatus Episcopus teneatur restituere hucusque exactum.* Eadem Sac. Congr. Conc. die qua supra Respondit: ad primum *Negative, quatenus Episcopus resideat aliqua parte anni in terra Laureæ.* Ad secundum *Negative.* Ad tertium *Affirmative quoad primam partem, & Negative quoad secundam.* Ad quartum *ad Mentem.* 31

Et cum nihilominus Episcopus, posthabita dicta resolutione, Procurationem singulis annis adhuc voluisset exigere, propositis duobus sequentibus dubiis: I. *An constet de exactione procurationum contra formam Resolutionis Sacræ Congregationis die* 1. *Junii* 1737. *in casu &c. & quatenus Affirmative*, II. *An Episcopus Policastren. incurre-* 32

curreri pœnas contentas in cap. Exigit, de censib. in 6. & cap. 3. sess. 24. de reformat. Sac. Concil. Tridentin. in casu &c. Eadem Sacra Congregatio die 7. Aprilis 1742. Respondit: *Affirmative ad utrumque*. Sic apud Thesaurum Resolut. *dictorum annorum*.

33 Et eadem Sacra Congregatio si quando aliquid exactum fuit supra quam exigi debuisset, jussit restitui, *ut in Nullius Provinciæ Hispalen.* 11. *Septembris* 1706. *in Brictinorien.* 27. *Aug.* 1712. *lib.* 61. *Decret. p.* 326. *in Florentina* 7. *Junii* 1727. *lib.* 77. *decret. p.* 342. & *in Pacen.* 29. *Jan.* 1729. *lib.* 79. *decret. p.* 35. ut apud Thesaur. Resolution. *tom.* 6. *in causa S. Marci Visitationis*.

Additiones ex aliena manu.

34 Quæstio, de qua *Auctor num.* 13. agit, an Episcopus exigere valeat procurationem ab Ecclesiis in Civitate positis, si ad tramites juris resolvenda sit, non negative, ut sentit *ipse Auctor*, sed affirmative resolvi debet. In textu enim in *c.* 24. *de censib.* Honorius III. statuit, ut & Ecclesiæ positæ in Civitate oneri procurationis subjectæ esse debeant, ut patet ex ejus verbis, & tradunt Gonzalez *in Commentar. ad d. c.* 24. *n.* 2. & Nicolaus le Maistre *de Bon. & Possess. Ecclesiar. lib.* 2. *c.* 1. *fol.* 174. *edit. Parisiensis anni* 1636.

35 Cæterum in Foro prævaluit opinio, quod non tenentur ad procurationem Ecclesiæ in Civitate po-
36 sitæ. Quinimo, & receptum est, ut Episcopus exigere nec valeat procurationem visitando Clerum, & Oppidum suæ Diœcesis, si aliqua parte anni resideret, rescripsit S. Cong. Conc. interpres in Polycastren. Procurationis 1. Junii 1637. *Vid. n.* 31. & *seqq.*

37 Pariter quæstio illa, an Episcopus iterando eodem anno visitationem, possit iterum procurationem exigere, attenta dispositione juris *in cap.* 21. *de censib.* pro ipso Episcopo esset decidenda. At & contrarium in praxi servatur. Quo fortassis respiciens S. Cong. Conc. interpres resolvit, Episcopo eodem anno iteranti visitationem non deberi iteratam procurationem, ut *in S. Marci* 23. *Jan.* 1723. & *in alia Polycastren.* 18. *Maii* 1737. Vide *num.* 28. & 31.

38 De summa, in qua præstari debeant procurationes, quatenus non subministrentur victualia, vide Resolutiones S. Congregationis Concilii interpretis relatas a *P. Gaudentio a Janua de visitat. dub.* 6. *proœmial. num.* 6. easque varias pro varietate locorum.

PROCURATOR.

1 Procurator ex nominis etymologia idem est, *ac pro alio Curator*, nempe pro Domino, cujus loco, & nomine res, seu negotia sua gerit, & administrat; Unde *Procurator est, qui aliena negotia mandato Domini administrat*; Sic expresse definitur *in l. Procurator* 1. *ff. de Procuratoribus*.

Procurator alius est Procurator ad Judicia, seu Judicialis, & alius Procurator ad Negotia, seu Extrajudicialis. Procurator *ad Judicia, seu Judicialis*, est ille, qui alterius vices in sustinendis Judiciis gerit, atque in his alieno nomine lites prosequitur; (*) Jure vetustissimo paucis casibus admittebatur, ut quis alieno nomine experiretur vetaute regula *nemo alieno nomine lege agere potest. l.* 123. *ff. de reg. jur.* quæ regula licet quoad judicia in desuetudinem abierit, tamen obtinere perrexit circa cæteras legis actiones. Hæc regula consentanea erat alteri regulæ juris, *per extraneam personam nihil acquiri posse*. Hinc aut judicati actionem, aut rei iudicatæ exceptionem Procurator acquirere non posse videbatur. Præterea legis actiones, quo in numero erant actiones, nec diem nec Procuratorem recipiebant ex vulgata regula. Repugnabat etiam solemnis conceptio formularum, quæ ita conceptæ erant, ut quisque quod suum esset peteret: *Ajo hanc rem meam esse*: *ajo te mihi dare oportere*, nec ulla erat prodita, qua quod alteri dari oporteret peteretur. Tamen necessitate suadente receptum fuerat ut, cum populus, & servus ipsi pro se agere non possent, posset agi alieno nomine pro populo, & pro libertate, & pro pupillo, cujus quis tutor esset. Permissum etiam fuit lege Hostilia agere *Furti* pro iis, qui absentes Reipublicæ causa aut captivi essent. Hæc omnia videre est *in Instit. tit. de iis per quos agere possumus*. Tandem paulatim invaluit in quibuscumque causis Procuratorum usus, sed ut subtilitas juris servetur, fingitur dominium litis in eos Procuratores transire, cujus fictionis effectus plurimos si otium erit in decursu indicabimus. Hac de causa post mortem principalis citationes non fiunt nomine hæredum, sed nomine Procuratoris *tamquam dominum litis effectum*. Hinc Ulpianus inquit, *Usus Procuratoris, per quam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt per alios possint vel agere vel conveniri l.* 1. §. 2. *ff. hoc tit.* Quidam Procuratores dicebantur Cognitores quidam simpliciter Procuratores. *Cognitor est qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est. Procurator autem absentis nomine actor fit*: *Festus in verbo Cognitor*. Qui reum defendit specia-li nomine vocatur Defensor. Justiniani ævo Cognitoris appellatio exoleverat. (*) Procurator *ad Negotia, seu Extrajudicialis* est ille, cui negotia extra Judicium gerenda committuntur, seu demandantur. *Sic in re Communis*. 2

Item Procurator alius est generalis, & alius specialis. Procurator *generalis* est ille, cui universorum bonorum, seu negotiorum administratio commissa est; *l. Procurator* 1. §. 1. & *l. Procurator totorum bonorum* 63. *ff. de Procuratoribus*, & *c. Dilectus* 11. juncta Glossa verb. *Generalis, de Procuratoribus*. Et sic etiam Procurator *generalis ad Judicia, seu lites* est ille, qui ad omnes lites, tum præsentes, tum futuras sui Principalis prosequendas constitutus est. Procurator *specialis* e contra est ille, qui ad certum dumtaxat negotium, aut ad certam dumtaxat litem expediendam constitutus est; 3

est; *l. Procurator* 1. §. 1. *ff. de Procuratoribus*. *Et sic in re Communis*.

4 Item Procurator generalis alius est constitutus adjecta clausula *cum libera*, hoc est cum plena, & libera potestate administrandi omnia, quæ Domini sunt; ut *l. Procurator cui* 58. *de Procuratoribus*. Et alius simpliciter constitutus sine adjecta tali clausula *cum libera*, ut fit *in cit. leg. Procurator totorum bonorum* 63. *ff. de Procuratoribus*. (*) Hæc tamen distinctio minime placet Duareno, & Vinnio, qui nullum putant discrimen intercedere inter eum, cui totorum bonorum simpliciter, & eum cui libera administratio bonorum concessa est. Si lubet de ea re consule Vinnium *quæst. lib.* 1. *cap.* 9. Displicet non minus Heinecio, quem vide ad hunc titulum §. 430. in suo commentario ad Pandectas. (*)

5 Item Procurator alius est datus in rem alienam, & alius datus in rem suam. Procurator *datus in rem alienam* est ille, qui aliena negotia de mandato Domini administrat in ejus utilitatem, & talis est proprie dictus Procurator. Procurator *datus in rem suam* est ille, qui aliena negotia de mandato Domini administrat, sed in propriam suam utilitatem, sive commodum; ut si Pater Filio, vel Dominus Extraneo cedat omnia sua Jura, & bona, & eum constituat Procuratorem in talia Jura, & bona, & talis dicitur Procurator solum improprie. *Sic in re Communis*.

6 Item Procurator alius est verus, & alius falsus. Procurator *verus* est ille, qui legitimum habet mandatum procuratorium. Procurator *falsus* est ille, qui vel nullum habet mandatum procuratorium. Vel si habet, non est legitimum, nec sufficiens; ut si habeat solum mandatum generale, ubi requiritur speciale: vel habet mandatum impertinens ad causam pendentem, vel mandatum jam revocatum. *Sic in re communis*.

7 Item Procuratores alii sunt simpliciter constituti, & alii in solidum. Procuratores *simpliciter constituti sunt* illi, qui plures simul constituuntur, non adjecta clausula *in solidum*, adeout unus sine alio non debeat admitti, nec negotium, sive causam ejusmodi solus possit expedire; sed necesse sit, ut simul intersint, & quisque eorum pro sua concurrat, *cap. Si duo* 6. *de Procuratoribus in* 6. *cap. causam Matrimonii* 16. *de Offic. Delegat.* & *l. Duo ex tribus*, *ff. de re judicat.* Procuratores *in solidum constituti* sunt illi, qui plures simul constituuntur, adjecta hac clausula *in solidum*, hoc est in totum, adeo ut quilibet eorum ex se solo possit negotium, sive causam ejusmodi expedire; Cum hoc tamen, quod postquam unus primo per litis contestationem negotium, seu causam occupavit, alii penitus excludantur, nisi forsan in Constitutione talium Procuratorum fuerit adjectum, quod primo occupante causam non prosequente, nec alium substituente, alter admittatur; textu expresso *in citat. cap. Si duo* 6. *de Procuratoribus in* 6. ibi: *Si duo Procuratores, simul, non adjecto in solidum deputentur, unus sine altero non debebit admitti; Secus si sint in solidum constituti, sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit: Post occupationem autem, aut hujusmodi, alter se intromittere nequibit ulterius, cum ille litis Dominup sit effectus; Nisi dictum in constitutione fuisset, quod non fieret melior conditio occupantis: Tunc enim, si eum, qui occupavit infirmari, mori, absentari, vel alias impediri contingat, aut si qui prosequi forte nolit, poterit alter suscipere, ac perficere negotium ab alio inchoatum, dum tamen ab alio non fuerit alius substitutus; nam si sit, is præferri debebit eidem;* juncto Summario, & Glossa *ibid.* communiter recepta.

Generatim loquendo quilibet, qui non reperitur in Jure prohibitus, potest Procuratorem constituere. *Communis*, per text. *in l. Mutus* 43. §. 1. *ff. de Procurator.* 8

In jure autem prohibetur constituere Procuratorem Pupillus, vel Minor habens Curatorem, nisi adsit Tutoris, seu Curatoris auctoritas; *l. Neque Tutores* 11. *Cod. de Procurator.* 9

Item Filius familias non aliter constituit Procuratorem, nisi quatenus ipse experiri pôtest; *l. Filius familias* 8. *ff. de Procurator.* 10

Item capti ab hostibus nequeunt dare, vel habere Procuratorem, quia quandiu sunt in potestate hostium, non sunt sui Juris, nec rerum suarum Domini, *l. Ab hostibus*, *ff. Ex quibus causis majores &c.* Et sic de aliis similibus, 11

Item Excommunicati Excommunicatione majori non possunt constituere Procuratorem ad agendum. *Communis*, *arg. c. ult. de Procuratoribus*. Possunt tamen Excommunicati Procuratorem constituere ad defendendum, seu quando ab aliis in Judicio conveniuntur. *Communis*, textu expresso *in c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, ibi: *Quia postulasti a nobis, utrum Excommunicatus in Judicio stare possit? Respondemus, quod conveniri potest, & debet per alium respondere in Judicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare*. 12

Generatim loquendo quilibet, qui non reperitur in Jure prohibitus, potest Procurator constitui. *Communis*, per text. *in cap. Non indiscrete* 1. §. 1. *de Procuratoribus in* 6. & *l. Mutus* 43. §. 1. *ff. eod.* 14

In jure autem prohibentur esse Procuratores Excommunicati Excommunicatione majori. *Communis*, *arg. cap. ult. de Procurat.* & *c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*. 15

Item Procuratores constitui in Foro Laicali prohibentur Clerici Beneficiati, seu in Sacris constituti. *Communis*, per text. *in Authent. de Sacr. Episcop.* §. *Deo autem*, *cap. Quia Episcopus* 5. *q.* 3. *cap. Nullus* 11. *quæst.* 1. *cap. Credo* 21. *quæst.* 3. *cap. Clerici* 1. *de Postulando*, *cap. Multa sunt negotia* 1. *cap. Sacerdotibus* 2. & *cap. Sed nec* 4. *Ne Clerici, vel Monachi*. Vide verb. *Clericus art.* 3. *n.* 59. & *seq.* 16

Item prohibentur esse Procuratores Religiosi, nisi cum licentia sui Prælati, & pro utilitate sui Monasterii, vel suæ Religionis. *Communis*, per text. *in Clementin. Religiosus de Procuratoribus*, *cap.* 2. *de postulando*, *cap. De præsentium*, & *cap. Monachi* 16. *q.* 1. cum similibus. 17

Fratres autem Minores, nedum non possunt esse Procuratores, & Advocati, sed neque possunt perso- 18

personaliter assistere Procuratoribus, & Advocatis ad eosdem instigandos, quando ipsorum negotia pro rebus temporalibus agitantur in Curiis. *Communis*, per text. *in Clementin. Exivi* §. *Proinde, de verbor. significat.* Ubi adducitur ratio, quia Fratres Minores nihil habent proprium, ne quidem in communi, sicuti habent alii Regulares; Atqui *ex talibus assistentiis in Curiis, & instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commodum convertendis, creduntur verisimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris judicare) in ipsis rebus Fratres assistentes aliquid quærere tamquam suum*, prout argumentatur Pontifex *ibidem*, adeoque nullo modo debent hoc facere, *ut & testimonium habeant ab his, qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum pusillorum*, ut *ibidem* subjungit Pontifex.

19 Item prohibentur esse Procuratores omnes impuberes, *l. Feminæ* 2. *de Regul. Juris*.

20 Immo etiam minores septendecim annis non possunt esse Procuratores, nequidem ad negotia, & Minores vigintiquinque annis nequeunt esse Procuratores ad Judicia, *cap. Qui generaliter* §. *fin. de Procuratoribus in* 6. *& l. Minor* 51. *ff. eod.*

21 Item prohibentur, & ab Officio Procuratoris excluduntur feminæ, *l. Alienum*, *Cod. de Probationibus*, *& cit. leg. Feminæ* 2. *ff. de Regul. Juris*; Exceptis necessitatibus suorum parentum, pro quibus, alio non existente Procuratore, possunt Feminæ Procuratoris obire Officium, textu expresso in *l. Feminas* 41. *ff. de Procurator.* ibi: *Feminas pro parentibus agere interdum permittetur causa cognita, si forte parentes morbus, aut ætas impediat, nec quemquam qui agat, habeant*.

22 Item prohibentur esse Procuratores in alienis negotiis milites, *leg. Neque Feminæ* 54. *de Procuratoribus*; Ipsi enim, quia armis, & non privatis negotiis occupari debent, nec pro conjunctis personis, v. g. Patre, Matre, vel Uxore, Procuratoris vices agere possunt, *l. Militem* 7. *Cod. De Procuratoribus*. Possunt tamen Milites esse Procuratores in propriis causis, & negotiis, *l. Qui stipendia* 9. *Cod. de Procuratoribus*. Sicut & in negotiis suæ Cohortis, *l. Filius familias* §. *Veterani*, *ff. de Procuratoribus*.

23 Item Potentiores prohibentur esse Procuratores ad lites, *leg. Divini admodum* 1. *Cod. Ne liceat potentioribus*. Et idem dicendum est de Redemptoribus alienarum litium, *arg. l. Litem* 15. *de Procuratoribus*.

24 Item Jure Canonico prohibentur esse Procuratores omnes infames, textu expresso *in cap. Infamis* 1. *caus.* 3. *q.* 7. ibi: *Infamis persona nec Procurator esse potest*, *cap. Infames* 2. *ead. caus.* 3. *& q.* 7. ibi: *Infames non possunt esse Procuratores, vel Patroni causarum*, cum similibus. Dicitur autem notanter *Jure Canonico*; Nam, spectato Jure Civili, infames non prohibentur esse Procuratores, §. *Final. Institut. de Exceptionibus*.

25 Procurator Judicialis, seu ad judicia post litem contestatam potest alium substituere; Tunc enim Dominus litis jam effectus est. *Communis*, textu expresso *in cap. Non indiscrete* 1. §. *Licet a Procuratoribus in* 6. *& l. Nulla*, *Cod. eod.* cum similibus.

Et a fortiori potest alium libere substituere Procurator Extrajudicialis, seu ad negotia. *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Non indiscrete* 1. §. *Procurator*, *de Procuratoribus in* 6. Cum enim in negotiis non agatur de tam gravi præjudicio, sicut in Judicialibus, si potest alium substituere Procurator judicialis, seu ad judicia, vel ad lites; a fortiori poterit alium substituere Procurator extrajudicialis, seu ad negotia. 26

Procurator non præjudicat Domino, si extra fines mandati aliquid egerit. *Communis*, per text. *in l. Si Procurator* 19. *Cod. de Procuratoribus*. Talis enim Procurator fines mandati excedens, aliud agit, quam sibi fuerat injunctum; *l. Diligenter*, *ff. Mandati*, adeoque non præjudicat Domino, ne quis alieno facto oneretur, *l. In causa* 27. *ff. de Procuratoribus*. 27

Procuratoris generalis omnium rerum factum, seu negligentia, vel dolus nocet Domino. *Communis*, per text. *in l. Procuratoris*, *ff. de Tributor. action.* Dominus enim debet sibi imputare, quod negligentem, aut dolosum Procuratorem præsertim generalem omnium suarum rerum constituerit, *l. Cum mandato*, *ff. de Minoribus*. Poterit tamen Dominus *actione mandati directa* agere contra talem Procuratorem de omni damno, & interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato, *l. Si Procurator* 10. *l. Licet in popularibus* 42. §. *Ea obligatio*, *Cod. de Procuratoribus*, *l. Si Procuratorem* 8. §. *final. ff. Mandati*, *& l. Procuratorem*, *Cod. eod.* cum similibus. 28 29

Item nocet Domino etiam factum, seu negligentia, vel dolus Procuratoris specialis, qui fines Mandati non excessit. *Communis*, per text. *in l. Procurator* 10. *Cod. de Procuratorib. l. Eum qui res*, *Cod. eod. l. Quoties*, *Cod. de dignitat.*, *capit. Cum olim Abbas* 32. *de Offic. Delegat. cap. Cum olim* 7. *de causa possess. & proprietat.*, cum similibus. Et contra hunc etiam Procuratorem poterit Dominus, *actione Mandati directa*, agere de omni damno, & interesse per ejus dolum, culpam, aut negligentiam sibi illato. *Commun.* per citata Jura *sub. num.* 29. 30 31

Procuratoris tamen specialis factum, seu negligentia, vel dolus non nocet Domino, si fines Mandati excesserit. *Communis*, per text. *in l. Si Procurator* 10. *Cod. de Procuratoribus*, ibi: *Si Procurator ad unam speciem constitutus Officium mandati egressus est, id, quod gessit, nullum Domino præjudicium facere potuit*, & patet ex dictis *supra num.* 27. 32

(*) Ut quis alterius nomine valeat cum effectu & rite agere, omnino præcedat oportet mandatum. Regulariter enim non admittitur quis ad agendum alieno nomine nisi de mandato doceat. Cæterum qui ad aliquam actionem mandatum habet & ad ea per quæ ad hanc actionem pervenitur, mandatum habere intelligitur *l.* 56. *l.* 57. *lib.* 72. *& leg.* 78. §. 1. *ff. hoc tit.* Quædam nihilominus personæ sunt, quæ cum naturali affe-

 ctione

ctione ad agendum pro aliquo invitentur etiam sine mandato admittuntur. Talis primo est maritus pro Uxore l. 21. Cod. hoc tit. Secundo idem dicendum de liberis, qui pro parentibus agerent, & viceversa. l. 35. ff. hoc tit. l. 51. l. 56. §. 1. ff. de verb. sign. Tertio admittuntur etiam fratres & affines, puta socer si agat pro nuru. l. 50. ff. eod.

Quisquis autem ille sit, qui alieno nomine experiatur, hæc ab eo exiguntur, nimirum *ait Pretor. Cujus nomine quis actionem dari sibi postulabit, is eum viri boni arbitratu defendat, & ei quo nomine aget id ratum habere eum ad quem ea res pertinet boni viri arbitratu satis det. l. 33. §. 3. ff. hoc. tit.* (*)

33 Procuratoris officium finitur quinque potissimum modis. Et primo finitur *Revocatione*: Procurator enim, tum judicialis, tum extrajudicialis, re integra, potest libere a Domino revocari etiam sine causa, *cap. Quamvis 2. de Procuratoribus in 6. l. Si Procuratorem §. Recte, Institut. de Mandato*. Re autem non integra, seu post litem contestatam, aut incæptum negotium, revocari potest solum cum justa, & rationabili causa, *cit. c. Quamvis, de Procuratoribus in 6. l. Post litem 17. ff. de Procuratoribus*.

34 Causæ autem justæ, & rationabiles revocandi Procuratorem etiam re non amplius integra recensentur in *cit. cap. Quamvis 2. de Procuratoribus in 6.* ubi postquam Pontifex dixit: *Quamvis Procurator possit ante litem contestatam, etiam sine causa libere a Domino revocari*, statim subjungit: *Postea tamen ipso nolente nequibit, nisi eum cum Domino inimicum fieri, vel suspectum, aut adversario affinitate conjungi, vel ejus heredem fieri, seu ingredi Religionem, aut in longum peregrinari, vel ægritudine, aut vinculis detineri contingat, seu alia rationabilis causa subsit, propter quam sit merito revocandus*.

35 Secundo, finitur *Renunciatione*, seu mutuo consensu Principalium, scilicet Domini constituentis, & Procuratoris constituti, *l. Mutari 24. ff. de Procuratoribus*, juncta Glossa *ibidem* communiter recepta, & *cap. Omnis res 1. de Regul. Juris*, ibi: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*.

Tertio, finitur *Finita instantia Judicii*, idest post latam sententiam definitivam; Tunc enim licet possit, & debeat Procurator a tali sententia appellare, vel saltem statim Dominum admonere, ut ipse, si velit, appellare possit, tamen non tenetur appellationem prosequi invitus, adeoque censetur ex tunc expirare ejus Officium; *c. Non injuste 14. de Procuratorib. & l. Invitus 17. Cod. eodem*.

37 Quarto, finitur *per mortem Domini ipsum constituentis*, si moriatur re integra, alias secus, *§. Item 10. Institut. de mandato, l. Inter causas 25. ff. Mandati*, ibi: *Inter causas omittendi Mandati etiam mors Mandatoris est, nam Mandatum solvitur morte: Si tamen per ignorantiam impletum est, competere actionem utilitatis causa dicit*: Ne scilicet justa ignorantia cuipiam damnum afferat, ut dicitur *in citat. §. Item*, ibi: *Alioquin justa, & probabilis ignorantia tibi damnum adferret*.

Quinto, finitur *per mortem ipsiusmet Procuratoris*; Tale enim Officium non transit ad heredes, cum censeatur electa industria personæ: *l. Si quis alicui 37. §. 3.* ibi: *Morte quoque ejus, cui mandatum est, si is, integro adhuc Mandato, decesserit, solvitur Mandatum, & ob id heres ejus, licet executus fuerit Mandatum, non habet Mandati actionem*, & concordat *cit. §. Item 10. Instit. de Mandato*. 38

Procurator unus, qui sit Viri, & alter, qui sit Procurator Mulieris, baptizatum de sacro Fonte suscipere possunt, sed non duo viri, nec duæ Mulieres, unusquisque tamen proprio nomine Vir loco Mulieris, vel Mulier loco Viri. *Sac. Cong. Conc.* apud Barbosam *in Summa Apostolic. Decis. verb. Procurator nu. 1.* 39

Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed Mandanti. *Sac. Congregat. Conc. in Tridentina 16. Maii 1630.* Barbos. *loc. cit. n. 4.* 40

Procuratur pro contrahendo cum absente Matrimonio potest esse diversi sexus ab illo, cujus nomine contrahit; Unde potest femina contrahere pro viro, & econtra vir pro femina: Agit enim non suo, sed alterius nomine. Vide verb. *Matrimon. art. 1. n. 36.* 41

Nec requiritur, quod Procurator sit certæ ætatis; Quamvis enim *c. Qui generaliter §. fin. de Procuratorib. in 6. & l. Minor 51. ff. eod.* juxta dicta *supra num. 20.* dicatur, Procuratores ad negotia debere esse 17. annorum, tamen id non requiritur in Matrimonio, in quo non exigitur industria Procuratoris, sed tantum manifestatio consensus: Unde sufficit, quod sit in ætate sufficiente ad manifestandum sui Principalis consensum, quamvis nec dum esset pubes. Vide d. verb. *Matrimonium n. 37.* 42

Impedimentum congnationis spiritualis Procuratoris, qui puellam ad Baptismum suscepit, non obstare quo minus Matrimonium contrahere valeat cum puella suscepta, respondit *Sac. Congreg. Conc. in Theatina Matrimonii 23. Aug. & 18. Sept. 1721.* apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Congreg. Conc. 43

Procurator Generalis Observantium debet præcedere in Capella Pontificia Procuratori Patrum Conventualium. *Sac. Congregat. Rit. 26 Novemb. 1593. & 11. Jan. 1692.* approbante Sanctissimo, ut patet ex Decreto ad litteram relato a Lantusca *in Theat. Regul. verbo Procurator, num. 6.* ut infra. 44

Viso memoriali pro Procuratore Generali Ordinis Minorum Sancti francisci de Observantia Sanctissimo Domino Nostro porrecto, & a Sanctitate Sua Congregationi Sacrorum Rituum transmisso super præcedentia eidem Procuratori in Capella Sanctissimi ante Procuratorem generalem ejusdem Ordinis Conventualium competenti, ac Decreto alias sub die 26. Nov. 1593. ad ejusdem Procuratoris de Observantia favorem facto.

Congregatio die 21. Jan. 1602. stetit in decisis, factaque eidem Sanctissimo Domino Nostro (juxta ejusdem Sanctissimi Rescriptum) de præmissis relatione,

tione, Sanctitas Sua dicta Decreta approbavit, & ab his, ad quos spectat, observari mandavit.

P. H. Card. Com.

45 Procuratores, seu Officiales deputati Monasteriorum Monialium durare debent per triennium, & non ultra, seu de triennio in triennium, mutari debent. *Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Orien. 16. Jul.* 1615. apud Barbos. *in Summa Apost. decis. verb. Procurator num. 3.* & Monac. *tom. 1. tit.*
46 *XI. formul.* 14. *n.* 8. Immo si Episcopus animadvertat non esse utiles, parumque propensos, & diligentes servitio, etiam durante triennio, poterit eos removere. *Eadem Sacra Congregat. in Surrentina* 12. *Maii* 1617. apud Monac. *loc. citat. num.* 8.

Additiones ex aliena manu.

47 Procurator contrahendo, etsi regulariter non propriam, sed personam obliget mandantis, plures tamen sunt casus, in quibus propriam obligat personam.
48 Primus casus est, si sine legitimis facultatibus contraxerit. Dicitur autem contrahere sine legitimis facultatibus, si mandato contrahendi caruerit, ut respondit Rota *in Melevitana Redditionis rationis super indemnitate* 24. *Aprilis* 1760. §. 3. *cor.*
49 *Reverendiss. Molin.* Idem est, si mandatum fuerit revocatum, nec juvatur ambiguitate revocationis, & credulitate ratificationis, & vanum est dicere *putabam*, ut firmavit idem Sacrum Tribunal *in Romana Frumenti super reservatis* 7. *Mart.* 1342. *cor. eodem.*
50 Alter casus est, si Procurator habeat mandatum, sed mandans sit *exterus, & ignoti nominis*; Rota *in dict. Romana Frumenti super reservatis* 7. *Mart.* 1742. *cor. eodem.*
51 Tertius casus est, si substituerit, & substitutus male se gesserit. Et nota id locum sibi vindicare, etiamsi Procurator facultate substituendi donatus fuerit, modo facultas substituendi non sit directa in certam personam. Confer Rot. *in Romana Pecuniaria* 9. *Decemb.* 1743. *cor. Reverend. P. D. Canilliac Decano*, ubi quando Procurator non teneatur pro male gestis a substituto.

(*) Multa sunt onera defensorum, quæ hic non recensentur sed unusquisque per se videt, procuratorem in re aliena se gerere debere, ac si de re propria ageretur. Sed si procurator officio functus sit, vel defecerit tum ipsi tum domino competit actio. Siquidem *ea obligatio quæ inter dominum & procuratorem consistere solet mandati actionem parit. l.* 42. §. 2. *ff. hoc tit. Unde procurator ut in cæteris quoque negotiis gerendis, ita & in litibus bona fide rationem reddere debet. Itaque quod ex lite consecutus erit, sive principaliter ipsius rei nomine, sive extrinsecus ob eam rem debet mandati judicio restituere, usque adeo ut etsi per errorem aut injuriam judicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat l.*46. §. 4. *ff. eod. Item contra, quod ob rem judicatam Procurator solverit, contrario mandati judicio recuperare debet d. l.* §. 5. Nam *litis impendia bona fide facta, vel ab actoris procuratore, vel a rei debere ei restitui æquitas suadet. d. l.* §. 6. *Pœnam autem quam ex suo delicto præstitit recuperare non debet ibid.* §. 8.

Aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati sicut evenit, cum in rem suam procuratorem præstamus, eoque nomine judicatum solvi promittimus. Nam si ex ea promissione aliquid præstiterimus, non mandati sed ex vendito, si hereditatem vendidimus (finge: heres vendidit hereditatem, deinde is heres conventus a creditore hereditario emptorem dedit procuratorem pro quo *judicatum solvi* promisit) *vel ex pristina causa mandati agere debemus, ut fit cum fidejussor reum Procuratorem dedit. l.* 42. §. 2. *vers. aliquando ff. hoc tit.* Idest ex illo pristino mandato, quod contractum est cum reus mandavit fidejussori, ut pro ipso fidejuberet, non ex illo mandato, quo fidejussor mandavit reo, ut ipsum adversus creditorem defenderet. (*)

PRODIGALITAS. Vide tom. 1. verb. *Avaritia n.* 13. *&* 14.

PROFESSIO FIDEI. Vide verb. *Fidei professio.*

PROFESSIO REGULARIS. Vide verb. *Regularis Professio.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Propositiones damnatæ in Conciliis Cartaginensi, & Milevitano annis 411. *&* 416. *habitis ex capite secundo Appendicis* De damnatis propositionibus *Theologiæ Moralis P. Gabrielis Antoine a P. Philippo a Carboneano subjectæ.* 1

1. Naturaliter potest implere legem qui vult, & Deus legem ad adjutorium dedit.

2. Ad perficiendam justitiam, & Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.

3. Parvuli propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt.

4. Potest homo in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*

5. Illud, *& ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in nostra positum est potestate, & ad hoc implendum sola sufficit hominis voluntas.

6. Non est orandus Deus ut contra peccati malum, & ad operandam justitiam sit noster adjutor.

7. Non

7. Non opitulatur parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ Sacramentum.

2 *Propositio Abbatis Joachim* De unione Divinæ Trinitatis in natura *damnata in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. anno* 1215. *Collect. Concilior. Edit. Venetæ anno* 1730. *tom.* XIII. col. 929. seqq.

1. Unitas divinarum personarum in natura non est vera & propria, sed quasi collectiva, & similitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia.

3 *Propositiones duæ, altera* De usuris, *Altera* De anima rationali a *Clemente V. in Concilio Generali Viennensi anno* 1311. *damnatæ; illa Clementinar. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. Fidei Catholicæ, *hæc lib.* V. *tit.* V. *cap. unic.* Ex gravi.

1. Exercere usuras non est peccatum.

2. Anima rationalis non est vere & proprie forma corporis humani.

4 *Propositiones Beguardorum & Beguinarum ab eodem Pontifice in eodem Concilio damnatæ Clementinarum lib.* V. *tit.* 3. *cap.* 3. Ad nostrum.

1. Homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) si quis potest semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradus perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita spiritui, & rationi subjecta, quod homo potest libere concedere corpori quidquid placet.

3. Illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur. Quia (ut asserunt) *ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

4. Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi sicut eam obtinebit in vita beata.

5. Quælibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter est beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

6. Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a se virtutes.

7. Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.

8. In elevatione corporis Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis ejusdem, si a puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa mysterium, seu sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

Propositiones Joannis de Poliaco *Doctoris Parisiensis damnatæ a Joanne* XXII. *Constit.* Vas electionis *Extravag. Commun. lib.* V. *tit.* De hæreticis *cap.* 11., *& Collect. Concilior. Edit. citatæ* 1731. *Tom.* XV. *col.* 156. *seqq.* 5

1. Confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti.

2. Stante *omnis utriusque sexus* edicto in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri (quem dicit esse parochianum curatum). Immo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3. Papa non potest dare licentiam generalem audiendi confessiones, immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse (ut præmittitur) proprium curatum.

Propositio de paupertate Christi, & Apostolorum ab eodem Joanne XXII. *damnata, ut hæretica, in Extravag.* Cum inter nonnullos, *&* Quia quorumdam. *Extravag. Joannis* XXII. *tit.* XIV. De verbor. signif. *cap.* IV. *&* V. 6

1. Christus, & Apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo, simplicem usum facti.

Propositiones quinque Marsilii Patavini, *&* Joannis de Janduno *ab eodem Joanne* XXII. *damnatæ Const.* Licet juxta. *Apud Odoricum Raynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 1327. *numer.* XXVIII. *seqq.* 7

1. Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus.

2. Beatus Petrus Apostolus, non fuit plus caput Ecclesiæ, quam quilibet aliorum Apostolorum, nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii Apostoli, & Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, & nullum fecit vicarium suum.

3. Ad Imperatorem spectat corrigere Papam, & punire, ac instituere, & destituere.

4. Omnes Sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive Sacerdos simplex quicumque, sunt æqualis auctoritatis, & jurisdictionis ex institutione Christi; sed quod unus habet plus alio, hoc est secundum quod Imperator concessit plus, vel minus, & sicut concessit, revocare potest.

5. Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem, quantumcumque sceleratum, potest punire punitione coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem.

Arti-

8 *Articuli* XLV. Joannis Wicleff *a Synodo Constantiensi damnati sess.* VIII. *Collect.Concillor. cit.edit. Tom.* XVI. *col.* 119. *seqq. tum a Martino V. Const.* Inter cunctas. *tom. eod. col.* 751. *seqq.*

1. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præsentia corporali.

4. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, nec consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire Diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.

8. Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub Legibus propriis.

10. Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare; nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo, & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, & Regni.

13. Illi, qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei Judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales ceteris paribus.

20. Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus,

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Consecratio reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria quæ in eisdem sunt vana gentilitate introducta, tantum prosunt Ecclesiæ sicut Diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31. Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri Diabolici.

32. Ditare Clerum est contra Regulam Christi.

33. Silvester Papa, & Constantinus Imperator erarunt Ecclesiam dotando.

34. Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynas excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad regnum cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent, & consentientes eis, omnes videlicet Domini sæculares, & ceteri laici.

37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

38. Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a Fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator, & Domini sæculares sunt seducti a Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a Diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere Indulgentiis Papæ, & Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quod habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones, & sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Arti-

9 *Articuli* XXX. Joannis Hus *damnati ab eadem Synodo sess.* XV. *Tom.cit.Collect. Concilior.col.*284. *seqq. & a Martino V. Const.* Inter cunctas *Tom. eod. col.* 758. *seqq.*

1. Unica est Sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus similiter excidat ab ea, eo quod prædestinationis caritas, quæ ipsam ligat, non excidat.

4. Duæ naturæ Divinitas, & Humanitas sunt unus Christus.

5. Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam; tamen nunquam est pars Sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non, secundum præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesia Sanctæ Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, & sic ut filii infideles sentiunt infideliter de 7. Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, Officiis, Censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ perfectio, & institutio a Cæsaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iste, quicumque est, Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud Officium Vicariatus requiritur, & morum conformitas, & instituentis Auctoritas.

13. Papa non est verus, & manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; & si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Iscariot. Et pari evidentia, Cardinales non sunt veri, & manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, & consilia Domini nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per Censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari Judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Phariseos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: *nobis non licet interficere quemquam*; ipsum sæculari Judicio tradiderunt, & quod tales sint homicidæ graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt, vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, & agit quicquam, tunc agit vitiose; & si est virtuosus, & agit quicquam, tunc agit virtuose, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum debent prædicare, non obstante prætensa Excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi prætensa excommunicatione non obstante.

19. Per Censuras Ecclesiasticas Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Christo; Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt Censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui Clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc ut Judas Apostolus est Diaboli, fur, & filius perditionis, & non est caput Sanctæ Militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus, & prescitus est æquivoce Pastor, & vere fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum Officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum Officium, & tortores, & præcones dicerentur sancti; immo etiam Diabolus deberet dici Sanctus, cum sit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam, & legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam, nam Judas Iscariotes rite, & legitime est electus a Deo Christo Jesu ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde ad ovile Ovium.

25. Condemnatio 45. articul. Joannis Wicleffi per Doctores facta est irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus, & manifestus successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in Officio Ecclesiastico; unde sive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere, nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur, & conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces Discipulos sparsos per Orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli, & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ Officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem Judicii.

30. Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

10 *Propositio de occisione Tyranni damnata a Synodo Constantiensi sess.* XV. *tom. eod. Collect. cit. col.* 262. *quam condemnationem innovavit, & quatenus opus esset, approbavit, & confirmavit Paulus V. Const.* Cura Dominici Gregis, *Bullarii Romani Edit. Roman. Mainard. tom.* V. *part.* IV. *pag.* 170.

Quilibet tyrannus potest, & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes; non obstante quocumque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscumque.

11 *Propositiones XVII. Nicolai Serurarii ex propositionibus ejusdem damnatis a Martino V. Const.* Ad hoc præcipue, *Bullar. Rom. Edit.* cit. Tom. III. part. 2. pag. 435. seq.

1. Charitas est ad Deum, & proximum, & non ad se ipsum.

2. Deus non remisit, nec remittere potest culpam absque prævia contritione.

3. Presbyteri publici concubinarii non habent auctoritatem, seu potestatem absolvendi peccatorem, & peccator confessus Sacerdoti publico concubinario recedit absque absolutione.

4. Orationes, & preces Missales talium Sacerdotum publicorum concubinariorum sunt nullius valoris, & Missæ per tales concubinarios celebratæ pro defunctis, aut vivis sunt nullius valoris.

5. Oratio non debet dirigi nisi ad Deum solummodo, & non ad Sanctos.

6. Curati dicunt Parochianis suis, quod saltem semel in anno Parochianus tenetur confiteri suo proprio Curato.

7. Religiosi sunt proprii Sacerdotes, & veri Curati.

8. Curati impediunt Parochianos suos, ne dent, nec faciant eleemosinas, dona, aut legata mendicantibus, & ne dicti Parochiani eligant sepulturas in domibus eorumdem mendicantium.

9. Mendicantibus præsentatis; ipsis confessus licite potest recipere corpus Christi, & non potest, nec debet Curatus Confessor mendicantibus præfatis denegare Corpus Christi, quod si deneget, dictus Curatus peccat mortaliter, & est excommunicatus.

10. Statim mortali peccato commisso; peccator sub pœna peccati mortalis debet illud confiteri, antequam obliviscatur.

11. Non est mulieri opus purificari, quin imo hoc, scilicet purificari, est judaizare.

12. Presbyteri publici concubinarii sunt pejores Juda, qui de loculis Apostolorum nutrivit suam concubinam, & suas proles.

13. Presbyteri concubinarii sunt excommunicati, & sanctum publice scienter participantes.

14. Plures Sacerdotes a modico tempore citra licentiaverunt suas concubinas, ficte, inquam, quia occulte bibunt, & comedunt cum suis concubinis, quod nullus debet pati, imo cum iisdem Sacerdotibus concubinariis publicis conversantes, & eos favorizantes sunt in pari peccato, & peccant qui eos nituntur excusare falsis glossis.

15. Si Parochiani alicujus Curati concubinarii publici bene Deum diligerent, deberent inhibere suo Curato publico concubinario, ne Missam, aut aliud divinum officium coram eis Parochianis celebraret.

16. Facientes celebrare Missam per Sacerdotes concubinarios publicos peccant mortaliter.

17. Audientes scienter Missas Sacerdotum concubinariorum peccant mortaliter.

Propositiones decerptæ ex libro Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni damnatæ in Synodo Basileensi sess. XXII. anno 1435. Concilior. Edit. citat. tom. XVII. col. 322. 12

1. Christus quotidie peccat &, ex quo fuit Christus quotidie peccavit quamvis de capite Ecclesiæ Christo Jesu Salvatore nostro dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo capite unum esse Christum asserit, intelligentiam eius esse referendam dicat.

2. Non omnes fideles justificati sunt membra Christi, sed soli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Christo.

3. Secundum ineffabilem præscientiam Dei sumuntur membra Christi, ex quibus constat Ecclesia, quæ tamen non constat nisi ex eis, qui secundum propositum electionis vocati sunt.

4. Non sufficit Christo uniri vinculo caritatis, ut aliqui efficiantur membra Christi, sed requiritur alia unio.

5. Humana natura in Christo vere est Christus.

6. Humana natura in Christo est persona Christi.

7. Ratio suppositalis determinans humanam natu-

turam in Christo non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.

8. Natura humana in Christo procul dubio est persona Verbi: & Verbum in Christo, natura assumpta, est realiter persona assumens.

9. Natura humana assumpta a Verbo ex unione personali, est veraciter Deus personalis & proprius.

10. Christus secundum voluntatem creatam tantum diligit naturam humanam unitam personæ Verbi, quantum diligit naturam divinam.

11. Sicut duæ personæ in divinis sunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Christo, humana, & divina, sunt æqualiter diligibiles propter personam communem.

12. Anima Christi videt Deum tam clare & intense, quantum clare, & intense Deus videt seipsum.

13 *Propositiones Magistri Petri de Osma damnatæ in Congregatione Complutensi, quarum condemnationem Sixtus IV. confirmavit auctoritate Apostolica anno* 1489. *Const.* Licet ea, *Collect. Concilior. Edit. citat. Tom.* XIX. col. 378. seqq.

1. Peccata mortalia quatenus ad culpam, & pœnam alterius seculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiæ, non de jure divino.

3. Pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.

6. Papa non potest indulgere alicui viro pœnam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romæ errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.

9. Sacramentum pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ sacramentalis, naturæ est, non alicujus institutionis veteris, vel novi testamenti.

14 *Propositiones duæ* De anima rationali *damnatæ a Leone X. sacro approbante Concilio Constit.* Apostolici regiminis *edita sess.* VIII. *Concilii Lateranensis V. Collect. Concil. Edit. citat. tom. eod. col.* 842.

1. Anima intellectiva mortalis est, saltem secundum philosophiam.

2. Anima intellectiva est unica in cunctis hominibus.

15 *Articuli* XLI. Martini Lutheri *anno* 1520. *damnati ab eodem Leone X. Constit. incip.* Exurge Domine.

1. Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ Legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu Cœli.

4. Imperfecta Caritas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, non est fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem & fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc Contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de Contritionibus hucusque data præstantius, de cetero non facere, summa Pœnitentiæ; optima Pœnitentia, nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia peccata mortalia cognoscas; unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote, credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam Contritionem, sed propter verbum Christi: *Quodcumque solveris &c.* Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de Contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos, immo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet Sacerdoti respondere se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria, omnes illi ad judicium sibi manducant, & bibunt; sed si credant, & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in Commu-

muni Concilio statueret Laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi sub utraque specie communicantes sunt Hæretici, sed Schismatici.

17. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi &c.

18. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam Justitiam.

20. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus utiles.

21. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ, nec sunt necessariæ, nec utiles; videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere Excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram &c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Papæ aut Ecclesiæ prorsus non esse statuere articulos Fidei, immo nec Leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum, aut Hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concil. Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum est veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus Sancti.

34. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura quæ sit in Canone.

38. Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute saltem omnes, nec probatum est ullis, aut rationibus, aut Scripturis ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ Caritatis.

36. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Prælati Ecclesiastici, & Principes sæculares non male facerent, si omnes Saccos mendicitatis delerent.

Propositiones LXXIX. Michaelis Baii, & aliorum, 16
quas damnavit S. Pius V. die 1. *Octobris anno* 1567. *Const.* Ex omnibus; *quam damnationem confirmarunt Gregorius XIII. die* 29. *Januarii anno* 1579. *Const.* Provisionis nostræ, *& Urbanus VIII. die* 6. *Martii anno* 1641. *Const.* In eminenti *Bullar. Roman. Edit. citat. tom.* IV. *part.* III. *pag.* 426. *seqq. & tom.* VI. *part.* II. *pag.* 270. *seqq.*

1. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna Homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex Lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta, & Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur.

6. Naturali Lege constitutum fuit Homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia, quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa Homini integro & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici Gratia, sed quia secundum usum Sacræ Scripturæ nomine Gratiæ tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male meritis, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, Gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe remanet, & corporis resurrectio proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, & juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie Gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio Creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua Lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: Opus bonum, citra Gratiam adoptionis factum, non est regni Cœlestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia Legi, quodque per ea præstatur obedientia Legi.

14. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam Justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat Gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit Divinæ Legi.

16. Non est vera Legis obedientia, quæ fit sine Caritate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut Fides, & Pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiæ, & Temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus Fidei Gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Caritate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & ad Dei Filium adoptatus.

25. Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum, in viam justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, ac ab ea non superetur.

31. Caritas perfecta, & sincera, quæ est de corde puro, & conscientia bona, & Fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Caritas illa, quæ est plenitudo Legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, & recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac Legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in Gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obe-

obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt Legis obedientia, & vera Legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ, non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive Lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum Auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio,

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator Pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens, & inspirans vivificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem Caritatis nobis eorum passiones impartiuntur, & ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa Doctorum dinstincto, Divinæ Legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum Caritatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum Caritatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo Caritatem diffundentis, qua Divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem Gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram Caritatem, & Caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum Caritate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino Justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum. Unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt,

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato Originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum,

rum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam conditionatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat Gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia primum Hominem potuisse a Deo creari, & institui sine Justitia naturali.

17 *Declaratio quod liceat per literas, seu internuntium Confessario absenti, peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Et prohibitio hanc propositionem defendendi* facta a Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis die 20. Julii 1602. Decreto incip. *Sanctissimus* a Clemente VIII. approbato, quod inter ejus Constitut. est 87., & reperitur *Bullarii Romani Edit. cit. tom.* v. *part.* II. *pag.* 460.

Sanctissimus D. N. D. Clemens Papa VIII. &c. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustriss., & Reverendiss. Dominis Cardinal. contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus mature, ac diligenter considerata.

§. 1. *Hanc propositionem, scilicet licere per Litteras, seu Internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit.*

§. 2. *Præcepitque, ne deinceps ista propositio in publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur: quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe, seu indirecte deduxerit, præter Excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & a qua non possit (præter quam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. Majori Pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi, aliis etiam pœnis infligendis subjaceat.*

In Generali Congregatione Sanctæ Roman. & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, die 20. *Mensis Iulii* 1602.

18 Decretum Innocentii X. adversus libros continentes propositionem, qua asseritur æqualitas SS. Petri, & Pauli in Indice Decretorum subjecto Indici Librorum prohibitorum Alexandri VIII. jussu edito pag. 357.

Feria v. die 24. Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa X. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

„ Editus est anno 1654. Liber Gallico idiomate impressus, cui titulus; *De l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apostres*, absque nomine Auctoris, & impressionis loco. Hujus libri evulgationem subsecuta editio est alterius Libri anonymi eodem Idiomate impressi, cui titulus: *La Grandeur de l'Eglise Romaine etablie sur l'autoritè de S. Pierre, & de S. Paul*, necnon Epistolæ ejusdem argumenti Latino idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, plurimis adductis, atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis „.

„ Quo circa, ne in re tanti ponderis error aliquibus mentibus Christifidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi mature examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis „.

„ Sanctissimus relata unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum propositionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac Supremi Duces summa inter se unitate conjuncti. Vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt. Vel sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine Universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit „.

„ Epistolam vero, ac libros prædictos, aliosque, in quibus propositio, ut supra, explicata, & damnata asseritur, & defenditur, tam impressos, quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet, etiam in scriptis evulgatos, vel imposterum evulgandos, Sanctitas sua omnino damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat, & prohibet „.

„ Mandans, ut nemo cujuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim a præsentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur.

Propositiones V. Jansenii, & designatio quorumdam locorum, e quibus desumptæ sunt. 19

I. *Pro-*

I. *Propositio*. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

Jansenius in suo Augustino *Tom.* 3. *l.* 3. *cap.* 13. sic habet: *Ex hac indubitata Doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur, & clarescunt*: 1. *Quidem esse quædam homini præcepta secundum statum, & vires, in quibus constitus est, impossibilia*: 2. *Non adesse semper Gratiam, qua possimus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus*. 3. *Hanc impotentiam reperiri non solum in excæcatis, obduratis, & infidelibus, sed etiam fidelibus, & justis, qui & fidem Christi, & caritatem justitiæ, susceperunt*. 4. *Hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt* ... *Hæc igitur omnia plenissime, planissimeque demonstrant nihil esse in S. Augustini Doctrina certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus excæcatis, & obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deesse quoque Gratiam, qua fiant possibilia*. Hanc eamdem propositionem inculcat toto illo libro, exceptis duobus ultimis capitibus.

II. *Propositio*. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Jansenius Tom. 3. *l.* 2. *cap.* 24. ait: *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit, ut non raro dicat hominem operanti Deo per Gratiam non posse resistere, cap.* 25. *Quod est perinde ac si apertissime diceret, numquam illa caret effectu suo; capit.* 29. Docent ipsimet recentiores *cum omnibus istis Gratiis optime consistere posse, ut voluntas iis excitata, & suasa, atque prolecta nolit, quod certissimum est, illi Gratiæ medicinali repugnare, quam Augustinus lapsis hominibus dari tradit*. *Tom.* 3. *l.* 3. *cap.* 1. pro titulo habet: *Nullum dari post lapsum Adami adjutorium sufficiens, quin simul sit efficax*. Et totus secundus liber fuit pro ea propositione firmanda.

III. *Propositio*. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Jansenius Tom. 3. *l.* 6. *cap.* 6. ait: *Quod sola necessitas coactionis adimat libertatem* ..... *demonstrari potest, l.* 8. *cap.* 19. ait: *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiæ*. Tot. *l.* 6. 7. & 8. non continent, nisi unam illam proposit. prout etiam tituli ostendunt manifeste.

IV. *Propositio*. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Jansenius Tom. 1. *l.* 8. *c.* 6. ait: *Certum esse, & indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem, atque naturam, veram etiam, atque internam & actualem Gratiam ad ipsam etiam Fidem, quam humanæ voluntatis, ac libertatis adscribunt viribus, necessariam esse fatentur*. Idem docet *c.* 7. 8. *& seqq. Eodem cap.* ait: *In hoc ergo proprie Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet; neuter tamen absque interiori Gratiæ adjutorio, cujus usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, & potestate*; capit. 15. dicit: errorem Massiliensium fuisse, *quod initium Fidei, orationem, gemitus, & desideria, & hujusmodi ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio prodire senserunt, & tamen Gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio*; Et hic est scopus omnium librorum de Hæresi Pelagiana.

V. *Propositio*. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Jansenius Tom. 3. *l.* 3. *c.* 21. Respondetur & ad hoc argumentum, quod Christus sit Redemptor omnium, pro omnibus crucifixus, & mortuus; *Sicut alia præcedentia jam olim ad nauseam usque a Pelagianis, presertimque Massiliensibus inculcatum fuit, ut mirum sit, Recentiores tanto studio trita Hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere*. Ibidem ait: *Juxta doctrinam antiquiorum respiciendum tamquam errorem a Fide Catholica abhorrentem, quod Christus pro omnibus omnino passus, aut mortuus, aut pro omnibus tam generaliter Sanguinem fudit* ... *Vanum est, & stultum pro eo irritando, vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum & prædeterminatum esse jam nosti: vanum etiam pro talibus salvandis pati, mori, vanum pro talibus a perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, & Sanguinem suum* ... *Quæ sane cum in August. doctrina perspicua, certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro Justorum non perseverantium æterna salute mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur, ex quo factum est, ut juxta summum Doctorem non magis Patrem pro æterna salute ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit*. Postrema capita hujus libri 3. non sunt nisi hæc quinta propositio repetita.

Unde dantur hic Bullæ Pontificum, & modus, 20
quo singulæ hæ propositiones damnatæ sunt.

Sanctissimi D. N. Clementis XI. confirmatio, & innovatio Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. adversus Jansenianam Hæresim editarum cum nonnullis Declarationibus pro debita illarum observantia adjectis. Bullarii Romani Edit. cit. tom. x. part. 1. pag. 145. seqq.

„ VIneam Domini Sabaoth, quæ est Catho-
„ lica Ecclesia, pro commisso nobis divini-
„ tus Apostolicæ servitutis munere custodire,
„ atque excolere omni studio, atque industria ju-
„ giter satagentes, ea quæ a Romanis Pontifici-
bus

„ bus Prædecessoribus nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum vepres radicitus evellendos, prudenti, salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscumque inimici hominis molitionibus dejectis, firmius semper, atque exactius observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter roboramus; atque alias desuper sollicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad fidelem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, nec non animarum pretioso Unigeniti Dei Filii Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

„ Sane postquam fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor noster per quamdam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas propositiones ex Libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus* excerptas Apostolici censura Judicii rite confixerat; rec. mem. Alexander Papa VIII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores a Christifidelium mentibus prorsus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam Innocentii Prædecessoris Constitutionem toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque Declarationum accessione constabilivit, sua in id pariter edita Constitutione tenoris, qui sequitur, videlicet.

21 „ Alexander Episcopus servus servorum Dei, Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad Sanctam B. Petri Sedem, & universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis, evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut Sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati, tradita Nobis a Deo potestate, opportune consuleremus.

„ Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abunde fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ auctoritatis remedium censuimus non esse differendum.

„ Emanavit siquidem a fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, & definitio tenoris, qui sequitur, videlicet.

22 „ Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus *Augustinus* Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos instituerunt, ut easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam: Tenor vero præfatarum propositionum est pro ut sequitur: *Prima*: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. *Secunda*: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Tertia*: Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Quarta*: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: *Quinta*: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino mortuum esse, aut Sanguinem fudisse,

„ Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduo pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tamquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit, pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Card. ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in Sac. Theol. Magistris, easdem quinque propositiones, ut supra, Nobis oblatas fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque Magistros variis cor. Nobis actis Congregationibus prolixe super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus.

„ Cum autem ab initio hujusmodi discussionis, ad Divinum implorandum auxilium, multorum Christifidelium preces, tum privatim, tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos sollicite implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.

„ Primam prædictarum propositionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant*: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Secundam: *Interiori Gratiam in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Tertiam: *Ad merenaum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiæ talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: Falsam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Quintam: *Semipelagianum est dicere, Chri-*

stum

stum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expressis.

„ Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, ceteraque Juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, omnino coerceant, & compescant.

„ Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ 1653. 31. Maii.

„ Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed ficte, & pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento non damnatas fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident.

„ Nos, qui omnia, quæ in hac re gesta sunt, sufficienter, & attente perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu, dum adhuc in Minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia qua major designari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis imposterum auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejus Fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii, ac matura deliberatione præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, declarationem, & definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus, & definimus, ac uti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum sæpe dicti Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios, tam manuscriptos, quam typis editos, & si quos forsan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut supra, damnata defenditur, vel adstruitur, aut defendetur, vel adstruetur, damnamus itidem, atque prohibemus: mandantes omnibus Christifidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel scripto exponant, vel interpretentur, publice, vel privatim, palam, vel occulte imprimant, sub pœnis, & Censuris contra Hæreticos in Jure expressis ipso facto absque alia declaratione incurrendis.

„ Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, ac Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris constitutionem, declarationem, ac definitionem, juxta præsentem nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque Juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant.

„ Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarn. Dom. 1656. 16. Octob.

„ Subinde vero, quo omnis Apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædecessor priscum Ecclesiæ morem secutus certam edidit formulam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis, tam Sæcularibus, quam Regularibus personis subscribendam per aliam suam hac in re promulgatam Constitutionem tenoris sequentis, videlicet.

„ Alexander Episcopus servus servorum Dei. 23
Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apostolici Divina Providentia Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem, quantum licet, in Domino applicemus; Quamobrem Cornelii Jansenii Hæresim in Gallia præsertim serpentem ab Innoc.X.fel.rec.Prædecessore nostro fere oppressam, adinstar colubri tortuosi, cujus caput attritum est in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem, singulari Constitutione ad hunc finem edita, altero assumptionis nostræ anno, extinguere conati fuimus.

„ Sed, ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archi-Episcopi, & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipue intenti contulerunt, & Carissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit.

„ Cum autem præfatus Rex Christianissimus „ eodem Religionis zelo ductus per suum in Ur- „ be Oratorem Nobis significari exponique cura- „ verit, nullum aliud opportunius remedium pe- „ stiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis ad- „ hiberi posse, quam si omnes certam formulam „ subscriberent nostra auctoritate firmatam, in „ qua quinque propositiones ex Cornelii libro, cui „ titulus *Augustinus*, excerptas sincere damna- „ rent, ac proinde illam a Nobis quantocius ex- „ pediri ad quælibet effugia præcidenda, omnes- „ que removendos obtentus, flagitaverit.

„ Nos tam piis dicti Regis Christianissimi vo- „ tis benigne annuendum esse ducentes, Formu- „ lam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, „ etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archi-Epi- „ scopis, & Episcopis, nec non aliis quibuscum- „ que Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, „ quam Sæcularibus, etiam Monialibus, Docto- „ ribus, & licentiatis, aliisque Collegiorum Re- „ ctoribus, atque Magistris subscribi districte man- „ damus, idque intra tres menses a die publica- „ tionis, seu notificationis præsentium, alias con- „ tra eos, qui intra terminum prædictum non pa- „ ruerint, irremissibiliter procedi volumus, juxta „ Canonicas Constitutiones, & Conciliorum De- „ creta.

Formula a supradictis subscribenda.

„ Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. „ datæ die 31. Maii 1653. & Constitut. Alex. VII. „ datæ die 16. Oct. 1656. Summorum Pontificum „ me subjicio, & quinque propositiones e Cornelii „ Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excer- „ ptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, „ prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apo- „ stolica damnavit, sincero animo rejicio, ac „ damno, & ita juro; Sic me Deus adjuvet, & „ hæc Sancta Evangelia.

„ Decernentes insuper, præsentes Litteras sem- „ per, & perpetuo validas, & efficaces existere, „ & fore, suosque plenos, & integros effectus „ sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque „ Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judi- „ cari, & definiri debere, sublata eis, & eorum „ cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpre- „ tandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & „ inane, si secus super his a quocumque quavis „ auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit „ attentari.

„ Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Epi- „ scopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis „ committimus, & mandamus, ut singuli in suis „ Diœcesibus, ac locis suæ Jurisdictioni subje- „ ctis, præsentes Litteras, & in eis contenta quæ- „ cumque exequantur, & executioni mandari, & „ observari ab omnibus curent, & inobedientes „ quoscumque per sententias, & pœnas, aliaque „ Juris, & Facti remedia, appellatione postposi- „ ta, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, bra- „ chii sæcularis auxilio, omnino compellant.

„ Volumus autem, ut præsentium transumptis „ etiam impressis, manu Notarii publici subscri- „ ptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ec- „ clesiastica constitutæ munitis, eadem fides pror- „ sus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris „ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc no- „ stram Constitutionem, & Ordinationem infrin- „ gere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis „ autem hoc attentare præsumpserit, indignatio- „ nem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli „ Apostolorum ejus se noverit incursurum. Da- „ tum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno „ 1664. 15. Februarii.

„ Sic equidem causa finita est; non tamen sic, „ ut par erat, finitus est error Apostolico toties „ mucrone percussus: Neque enim defuere, nec „ adhuc desunt homines veritati non acquiescen- „ tes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem „ facientes, qui variis distinctionibus, seu potius „ effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, „ Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis „ quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere, „ & implicare conantur, quodque deterius est, „ ipsamet Apostolicæ Sedis Decreta redarguendis „ eorum pravis sensibus condita, ac præsertim „ quasdam piæ mem. Clementis Papæ IX. die 19. „ Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, nec „ non binas similis mem. Innocentii Papæ XII. „ etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Febr. 1694. „ & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii „ in forma Brevis respective datas Litteras in er- „ roris sui patrocinium advocare, temerario pla- „ ne ausu non erubescunt, perinde ac si memoratus „ Clemens Prædecessor, qui eisdem suis Litteris „ se Innocentii X. & Alexandri VIII. Prædecesso- „ rum Constitutionibus supradictis firmissime in- „ hærere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, & „ totalem obedientiam, adeoque Formulæ a præ- „ fato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, „ editæ sincere per eos subscribi voluisse decla- „ ravit, aliquam in tam gravi negotio exceptio- „ nem, seu restrictionem, quam nullam prorsus „ se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, „ re ipsa admisisset; Dictus vero Innocentius XII. „ Prædecessor, dum sapienter, ac provide prædi- „ ctas quinque propositiones ex memorato libro „ Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsa- „ met propositionum verba exhibent, ac præse- „ ferunt, damnatas esse pronunciavit, non eo ip- „ somet obvio sensu, quem in Jansenii libro ha- „ bent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac a „ præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. Præ- „ decessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam „ diverso sensu cogitasset, dictasque Innocentii „ X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitu- „ tiones temperare, refringere, aut alio quovis „ modo immutare voluisset, iisdem ipsis Litteris, „ quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque „ illis firmiter inhærere verbis apertissimis asse- „ rebat.

„ Præterea iidem inquieti homines, sparsis un- „ dequaque scriptionibus, ac libellis exquisita ad „ fallendum arte compositis, non sine gravi „ Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ec- „ clesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obe- dien-

„ dientiam præfatis Apostol. Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interius ut Hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio, quam absurda sit, & animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur, vulnus tegitur, non curatur, Ecclesiæ illuditur, non paretur: Et lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio Hæresim, dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectent.

„ Quin etiam eo impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti asserere non dubitaverint, præfatæ Formulæ a memorato Alexandro Prædecessore præscriptæ subscribi licite posse etiam ab iis, qui iterius non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam Hæreticam contineri; Quasi vero contra quam scriptum est: Qui loquitur veritatem in corde suo. Et: Qui jurat proximo suo, & non decipit; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jerejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt: seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

„ Hinc est, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudinis debito, quamplurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo, ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impune pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententia Apostolicæ Sedis amplius ambigendi supersit locus, Divino prius tam privatis nostris, quam publice indictis precibus, implorato præsidio, ac re mature discussa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis, primo quidem præinsertas Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque, & singula in iis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus.

„ Ac insuper, ut quævis in posterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Eclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interius obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura Constitutione; Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus, ut Hæreticum, non ore solum, sed corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, credulitate supradictæ Formulæ subscribi licite posse, ita ut, qui secus, aut contra quoad hæc omnia, & singula senserint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tamquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores omnibus, & singulis illarum Censuris, & pœnis omnino subjaceant, eadem auctoritate Apostolica decernimus, dedeclaramus, statuimus, & ordinamus.

„ Decernentes pariter, easdem præsentes, & præinsertas Litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

„ Quo circa Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut singuli in suis respective Diœcesibus, ac locis suæ Jurisdictioni subjectis, ipsas præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque exequantur, & executioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscumque per Censuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & Facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

„ Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno 1705. 16. Julii.

24 *Decretum SS. D. N. Alexandri VII. de propositionibus 6. a regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegavensis Apostolicæ Sedi oblatis fer.* v. *die* 30. *Januar.* 1659.

In Congregatione generali S. Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentis. & Reverendissimis DD. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum nuper a Regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegaven., judicio Sedis Apostolicæ (ad quam dumtaxat controversias fidei, ac morum universalis Ecclesiæ pertinet definire) infra insertæ propositiones fuerint oblatæ, de mandato Sanctissimi Domini nostri Domini Alexandri divina providentia Papæ VII. plurium theologorum, & canonistarum a Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum examini sunt commissæ, quo peracto, & relata Sanctitati suæ unanimi eorumdem theologorum, atque canonistarum censura. Idem Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum & Reverendissimorum dd. Cardinalium generalium inquisitorum, easdem propositiones, prout infra qualificatas, auctoritate apostolica declaravit, declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

1. Conc. Trident. non obligat regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei, neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim, & schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ injuriosa.

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quin immo ordinum mendicantium religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; etsi ab Episcopis religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexe accepta est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.

3. Regulares ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopis auctoritas ipsis indulta non fuerit.

Quoad primam partem est falsa, & saluti animarum perniciosa; quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum, & Sedis Apostolicæ injuriosa.

4. Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annunciantur, & docentur.

Quoad primam, & secundam partem simpliciter accepta, est erronea, & temeraria: suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia provinciarum, vel nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Suppositis itidem privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram; verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta.

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a judicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in adventu, & quadragesima: Quod si renuant facere Episcopi, decretum judicum sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis religiosis concessa fuisset.

Est falsa, erronea, & in hæresim, ac schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem a cunctis tenendam, sequendam, & in praxi observandam esse, Sanctitas sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos respective impositis. Contrariis quibuscumque non obstantibus &c.

Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Decretum adversus propositiones 28. *scandalosas, & perniciosas in praxi.* 25

Feria v. *die* 24. *Septembris* 1665. *In Congregatione generali Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis &c.*

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentias in dies excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ Christianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam Suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam avocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis

mis DD. Cardinalibus, contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit, qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat,

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminent. Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab Hæresi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse Hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra Justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoquæ sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam.

„ Quibus peractis, dum similium propositionum
„ examini cura, & studium impenditur, interea
„ idem Sanctissimus re mature considerata statuit,
„ & decrevit prædictas Propositiones, & unam-
„ quamque ipsarum, ut minimum tamquam scan-
„ dalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut
„ eas damnat, ac prohibet, ita ut quicumque il-
„ las, aut conjunctim, aut divisim docuerit, de-
„ fenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative,
„ publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan

impu-

„ impugnando, ipso facto incidat in Excommu-
„ nicationem, a qua non possit (præterquam in
„ articulo mortis) ab alio, quacumque, etiam Di-
„ gnitate fulgente, nisi a pro tempore existente
„ Romano Pontefice absolvi.

„ Insuper districte in virtute S. Obedientiæ, &
„ sub interminatione Divini Judicii prohibet om-
„ nibus Christifidelibus cujuscumque conditionis,
„ dignitatis, ac status, etiam speciali, & specia-
„ lissima nota dignis, ne prædictas opiniones,
„ aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

26 *Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Decretum adversus propositiones alias scandalosas & in praxi perniciosas.*

Feria v. *die* 18. *Martii* 1666. *In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis &c.*

Sanctissimus D. N. post latum Decretum die 24. *Septemb. proxime elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulo, & accurate usque ad hanc diem, infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales adversus Hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.*

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comendendi Ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino,

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus, quam per decem annos.

44. Quo ad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum, adhibita diligentia, corrigantur.

Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet; Ita ut quicumque illas, &c. *ut in priori Decreto*.

Insuper districte in virtute S. Obedientiæ &c. *ut in priori Decreto*.

Innocentii Divina Providentia Papæ XI. Decretum contra propositiones 65. *scandalosas & in praxi perniciosas.* 27

Feria v. *die* 2. *Martii* 1679. *In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis &c.*

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, Ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum, prosequi volens, plurimas Propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel Thesibus; seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas; Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit: Quibus Propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinal. & Theol. votis per Sanctitatem suam auditis: Idem Santiss. D. N. re postea mature considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes Propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum, tamquam scandalosas, in praxi perniciosas esse damnandas, sicuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantum utendum non est in Collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Pro

2. Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ Jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & Jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fætum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum

dum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, & falso crimine elidere.

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis;

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc *Digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities Jure naturæ prohibita non est; Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in Confessione dicere se fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars teahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere Attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholica hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede super iisdem Propositionibus Judicium proferatur.

Con-

28 *Condemnatio duarum Thesium de omnipotentia donata, & subjecta Creaturæ.*

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostol. Montis Quirinalis coram S. S. D. N. Innoc. Div. Prov. P. P. XI. ac Emin. & Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus, in tota Rep. Christiana contra Hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum supradictis Emin. & Reverendis. D. D. delatæ fuerint hæ duæ propositiones.

1. Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.

Eorumdem jussu per Theologos ad id specialiter deputatos S. S. D. N. relatæ, & coram sua Sanctitate propositæ una cum votis Emin., & Rev. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit, & mandavit, ut ambæ propositiones prohiberentur, sicut eas præsenti Decreto damnat, & prohibet, ut temerarias ad minimum, & novas, mandatque, ne quis deinceps cujuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, sive etiam oretenus docere, vel asserere, sub pœnis, & Censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque Sanctitati Suæ bene visis.

Prohibitio de usu scientiæ ex Confessione acquisitæ. Feria 4. die 18. Novembris 1682.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam coram Eminentis. & Reverendis. D. D. S. R. E. Cardinalibus, in tota Repub. Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Prævia matura consultatione Dominorum Consultorum facta fuit discussio sequentis Propositionis.

Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine Pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex Confessione acquisita cum gravamine Pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo majus gravamen ejusdem Pœnitentis ex non usu sequeretur, statuerunt dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine Pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, sive limitatione, & præsenti Decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere sub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis; Mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant.

Constitutio Innocentii XI. proscribentis octo & sexaginta Theses, quæ prætextu Orationis Quietis a Michaele de Molinos docebantur, Bullarii Romani Edit. cit. tom. VIII. pag. 441. 30

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Cælestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere post lapsum primi Parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos caritatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in Cœlum Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tamquam novam Civitatem Sanctam Hierusalem descendentem de Cœlo non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctamque in Terris relinquens, armis potentiæ suæ contra Portas Inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam tectamque custodirent, ne oves pretioso Sanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipue Beato Petro mandasse Sacræ Litteræ docent: Cui enim Apostolorum, nisi Petro, dixit Pasce Oves meas, *& rursus*, Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Quare Nobis, quia non nostris meritis, sed inscrutabili Dei Omnipotentis consilio in ejusdem Petri cathedra, pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur Fidem, quæ a Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & numquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad Sæculi consummationem permansuram esse promisit.*

Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata, tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis, contra doctrinam, & usum a Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Christianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quæque inducebant: Nos, cui cordi semper fuit, ut Fidelium animæ Nobis ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum Michaelem de Molinos *carceribus mancipari mandavimus. Deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerunt pro suis recognitæ, & de quibus Propositionibus tamquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis, ip-*

se convictus, respective confessus fuerat, ut latius in Processu, & Decreto de mandato nostro lato die 28. Augusti præsentis Anni 1687. devenire, ut infra, decrevimus.

Propositiones 68.

1. Oportet Hominem suas potentias annihilare; Et hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus Agens; & ideo opus est, seipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt Perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est Gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando Anima se annihilat, & ad ipsum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & Anima se ipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet Anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de Æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne? nec opus est, ut velit, cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet Anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi, & ad proprios defectus non posse reflectere; Gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, nec ne, non est opus reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis suam Divinam voluntatem.

14. Qui Divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod Divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra Divinæ. Et illud Evangelii: *Petite, & accipietis* non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo hujusmodi Animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est Divinæ justitiæ satisfacere, quam Divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione Animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria, & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in Oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in Fide obscura, & universali cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illud adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per Fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor Gradus, Lectionem, & Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam; Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit; qui semper in secundo persistit numquam ad tertium pervenit, qui est nostra Contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est; Dummodo Deus Animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; & hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum in-

indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei: Immo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit Oratio, & contemplatio actualis; quia Oratio, & resignatio, resignatio & Oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & Oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystiça, cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum, & male agit, cum eam desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtute, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gtatiarum actio (pro istis Animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, & fiunt in via ordinaria; Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit Anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam Animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi; Et idem dicitur de locis Sacris, quia hujusmodi Animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro Animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu Pater noster recitare.

35. Non convenit Animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas, ex propria electione, & activitate, alias non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut humanitatem Christi, quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

63. Nulla creatura, nec B. V. nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum non debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. Beata V. nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dœmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia & sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contigant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos Ministerio Dœmonis, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex Dœmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi Dœmonis violentiam in suo corpore passus est, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via facilior, & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas; Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur Dœmon, & acquiritur thesaurus pacis.

47. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur, unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Iob ex violentia Dœmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. 16. Job.)

50. David, Hieremias & multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent: De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit: De Eliseo, qui pueris maledixit: De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel Dœmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, necdum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint Animæ, quæ proficiunt in via interna: sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, & cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & cupiditates, nec alterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a confessariis, & a casibus conscientiæ, & Theologia, & Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in Sacramento reciperent, & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quinimmo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticæ, est si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativi. Primo quia non habet Fidem adeo puram; Secundo quia non est adeo humilis; Tertio quia non adeo curat propriam salutem: Quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se habet quo solus Deus, & Director intrant:

66. Risu digna est nova quædam Doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: Quod si Episcopus non sint capax, anima ipsum cum suo Directore adeat; novam dico Doctrinam, quia, nec Sacra Scriptura, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores, eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi benevisum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & simulationibus.

68. In mundo non est Facultas, nec Jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ.

Quas quidem Propositiones tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas respective: ac quæcumque super iis verbo, scripto, typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus: deque eisdem, & similibus omnibus, & singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in pra-

in praxim reducendi, facultatem quibuscumque interdiximus, & contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, Officiis ipso facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, quo nonnisi a Nobis, & a Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi; Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera, quocumque loco, & idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos, *vetuimusque, ne qui cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneantur sub eisdem pœnis superius inflictis, qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igni comburi faciant. Tandem ut prædictus* Michael de Molinos *ob Hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis Filiis Consultoribus nostræ Sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, & in Jure Pontificio Magistris cum eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto dictum* Michaelem de Molinos *tamquam Reum convictum, & confessum respective, & uti Hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti, & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato Juris ordine, damnavimus; mandantes, ut die, & hora præfigendis in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus, stante in suggestu eodem* Michaele de Molinos, *una cum sententia inde secuta legeretur, & postquam idem* de Molinos, *habitu Pœnitentiæ indutus, prædictos errores, & Hæres publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto Filio nostro Sancti Officii Commissario, ut eum a Censuris quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret; quæ omnia in executionem dictæ nostræ Ordinationis die 3. Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.*

Et licet supernarratum Decretum de Mandato Nostro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum, & divulgatum fuerit; Nihilominus ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione supradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum supradictas Propositiones definitive damnantes, & reprobantes, librosque, & manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos *prohibentes, & interdicentes sub eisdem pœnis, & Censuris contra transgressores latis, & inflictis.*

Decernentes &c. Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno duodecimo.

Alexandri Divina Providentia Papæ VIII. Decretum contra duas propositiones, Bullarii Romani Edit. cit. tom. IX. *pag. 96.* 31

Feria V. *die* 24. *Augusti* 1690.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, & cum sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries re mature discussa infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative; *Hinc Homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

2. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale est transgressio libera divinæ Legis: Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

„ Quibus peractis Sanctissimus omnibus plene, „ & mature consideratis, Primam Thesim, seu „ Propositionem declaravit Hæreticam, & uti „ talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti „ damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis „ contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure „ expressis. Secundam Thesim, seu Propositio„ nem declaravit scandalosam, temerariam, & „ piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti „ talem damnandam, & prohibendam esse, si„ cuti damnat, & prohibet, ita ut quicumque il„ lam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea „ etiam disputaverit publice, seu privatim tracta„ verit, nisi forsan impugnando, ipso facto in„ cidat in Excommunicationem, a qua non pos„ sit (præterquam in articulo mortis) ab alio „ quacumque etiam Dignitate fulgente; nisi a „ pro tempore Romano Pontifice absolvi. Insu„ per districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & „ sub interminatione Divini Judicii prohibet om„ nibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, digni-

dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim, seu „ Propositionem ad praxim deducant „.

32 *Decretum S. D. N. Alexandri VIII. contra propositiones* 31., *tom. eod. pag.* 96. *seq.*
Feria v. *die* 7. *Decembris* 1690.

„ Sanctissimus D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus pro Pastorali cura Ovium a Christo Domino sibi commissa, de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, atque sedulo, ac pluribus incumbentes super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim detulerunt.

Propositiones autem 31. *sunt infrascriptæ, videlicet*.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ; hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *a Gratia sufficienti libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quo ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita Pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua Pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis Pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. M. V. die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit Purificatione, & quod Filius qui offerebatur etiam macula Matris maculatus esset secundum verba Legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare,

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris &c.* prætermissis illis: *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo, facere quod facit Ecclesia*.

29. Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendi infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

„ Qui-

„ Quibus mature consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones, tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

„ Insuper districte in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

„ Non intendit tamen S. Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero, ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas, approbare „.

33 *Breve Innocentii XII. proscribentis tres & viginti Theses, quæ prætextu amoris erga Deum purissimi in Gallis docebantur, Bullar. Roman. Edit. citat. tom.* IX. *pag.* 499. *seqq.*

INNOCENTIUS PAPA XII. &c.

„ CUm alias ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam Gallico Idiomate editum, cui titulus; *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure par Messire François de Salignac Fenelon, Archeveque Duc de Cambray, Precepteur des Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry: A Paris chez Pierre Aubovin, Pierre Emery, Charles Clousier* 1697. Ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eum librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi Mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis Congregat. varias Propositiones ex eodem libro excerptas, diuturno, accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis videretur, tam voce, quam scripto nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum sententiis, Dominici gregis Nobis ab Æterno Pastore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica damnatos induci possent, ac insuper tamquam continentem propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipso facto absque alia declaratione incurrenda interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penes se habuerint, illum, statim atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, &c. Ceterum Propositiones in dicto libro contentæ, quas Apostolici Censura judicii, sicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum versæ sunt tenoris qui sequitur, videlicet.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Caritas pura, & sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem; Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ omittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate: Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu Sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus; Nihil volumus, ut simus perfecti & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gatiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed

sed eam volumus voluntate plena ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus: Ita nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem sunt conditionalia; sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario; In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in se dicens: *Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori; idest in suis actibus directis, & intimis spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab Inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione: Nam totum, quod est involuntarium, & intellectuale est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio fit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis; Primo in fervore nascente earum contemplationis; Secundo Anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distincte, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam fit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitationem amoris interessati, eorum gratiæ proportionatam.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

„ Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem, alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes Litteræ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Martii 1699. Pontificatus nostri Anno octavo. „

Sanctissimi D. N. Clementis *Divina Providentia Papæ XI. Damnatio quamplurium Propositionum excerptarum ex libro Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo sub titulo*: Le Nouveau Testament en Francois avec des reflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699. *Ac. aliter* Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Cano-

Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris 1694.

Cum prohibitione ejusdem libri, & aliorum quorumcumque in ejus defensionem, tam hactenus editorum, quam in posterum edendorum. Bullar. Rom. Edit. cit. tom. x. *part.* III. *pag.* 340. *seqq.*

CLEMENS EPISCOPUS &c.

„ Unigenitus Dei Filius pro nostra, & totius Mundi salute Filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis Ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & se se Divinæ legis sententiis, velut quibusdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur, antiqui scilicet, a quo progeniti sunt mendacii Parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His nos vere Divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum sub titulo:

Le Nouveau Testament en Francois, avec des reflexions morales sur chaque verset, &c. A Paris 1699. Aliter vero: *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris 1693. & 1694.*

Tametsi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, Christifidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio & opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim adduci summopere doluimus: adeoque Pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum literis, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideo potissimum progredi, & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; melliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula, & quidem intento arcu ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari a Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctius & apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina e medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore, ut omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re Catholica futurum sedandis præsertim in florentissimo Galliæ regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: Conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis Carissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius Nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis Officiis, ardentibus votis a nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocius Apostolici Censura Judicii consuleremus.

Hinc adspirante Domino, ejusque Cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto Libro, juxta super recensitas respective editiones, fideliter extractas, & cum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti Deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri Textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi, & examinari mandavimus, Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet:

1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius Gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indi-

indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, & orationem, & ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi Gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

4. Ita Domine: Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem Gratiæ suæ, exhortationes, & Gratiæ exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter Fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum Legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua Gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ Gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum non possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori Gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit Peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ Gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris Gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus Omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera Gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt, loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est Gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.

22. Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum Misericordiæ, & Gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ Gratiæ, eam significans per illam, qua Creaturas a nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ Gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur Gratiæ nisi per Fidem.

27. Fides est prima Gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est Peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur Gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest, Electos de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut fecit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter Gratiam Adami, & status innocentiæ, ac Gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata; Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Pec-

38. Peccator non est liber, nisi ad malum sine Gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam Gratia non prævenit, nihil habet [illegible] virium, nisi ad se vulnerandum; Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine Gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis, Ethnicis, non potest venire nisi a Deo, & sine Gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola Gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus Gratiæ Baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Caritas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia Legis profluere debet ex fonte; Et hic fons est Caritas: Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Caritate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine Amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus Caritatis non est ille qui clamat.

51. Fides justificat, quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per Caritatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in Fide tamquam in suo germine, & semine, sed hæc Fides non est absque amore, & fiducia.

53. Sola Caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.

54. Sola Caritas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi Caritatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat, nisi Caritatem, quoniam Caritas sola Deum honorat.

57. Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Caritas.

59. Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat Pœnitentiam, quo hæc magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub Lege, sicut Judæus, si Legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto Legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per Fidem, & per amorem sicuti Filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, & precibus.

69. Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandos peccatores.

71. Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea Lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christum, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium Gratiam futuri Sæculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona: Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium Sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & mem-

membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.

78. Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput est Jesus Christus tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere Spiritum, Pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum; Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum Librorum; Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt Hæreses.

84. Abripere a Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis Filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam Excommunicationis.

86. Eripere simplici Populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, & Caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum Pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilietur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera Pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet Jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Caritatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace Excommunicationem, & Anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus [illegible] exerceri supra Fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec Fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina quasi plerisque Christianis; modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum, adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum Fidelium; Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ Gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed Iustus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quo ad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, Tempus hoc advenit . . . . . Haberi, & tractari a Religionis Ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior; Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare; Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo Dei servum.

101. Nihil Spiritui Dei, & Doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.

„ Auditis itaque tum voce tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, Divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes & singulas Propositiones præinsertas, tamquam falsas, & captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ec-

Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de Hæresi, ac Hæresim ipsam sapientes, mati faventes, erroneas, [illegible] etiam Schisdamnatas, ac demum etiam Hæreticas, variasque Hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continetur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem nostra Constitutione continetur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis Censuris aliisque contra similia perpetrantes a Jure statutis pœnis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Ceterum per expressam præfatarum Propositionum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas, nec sane paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes, quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minime necessarium; ac demum quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem; a vulgata vero editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, & ac sæpe noxios sensus non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longe accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, Auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem, tam scriptos, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus sub pœna Excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

„ Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores & rebelles quoscumque per Censuras, & pœnas præfatas, aliahoc, si opus fuerit, brachii invocato etiam ad omnino coerceant, & compellant [illegible] auxilio,

Volumus autem &c.

Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

J. Card. Prodatarius „.

35 Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. incip. *Detestabilem*, qua anno 1752. quarto idus Novembris, damnavit atque prohibuit quinque propositiones Duellorum abusui faventes, jam protulimus ad litteram tom. 2. in verb. *Duellum* quam, ne alibi dicta repetantur, vide ibi.

* Decretum autem Sac. Congregationis Inquisitionis Rom. quo novissime damnatæ sunt quædam Theses circa usum Opinionis probabilis, allatum est supra verb. *Opinio probabilis*. *

36 Qua censura notandus sit, qui Propositiones a Pontifice loquente ex Cathedra damnatas amplectitur adhuc, ut probabiles, seu veras; Non omnes in omnibus conveniunt Doctores. 37 Quamvis enim omnes communiter conveniant in hoc, quod Propositiones damnatæ, ut *Hæreticæ*, non possint citra Hæresim negari tales, nempe quod sint *Hæreticæ*, & *falsæ*, utpote immediate oppositæ Doctrinæ Fidei essentialiter veræ ab Ecclesia definitæ; tamen circa Propositiones alia Censura notatas, nempe quod sint *scandalosæ*, *temerariæ*, *erroneæ*, *seditiosæ*, *blasphemæ*, & hujusmodi, valde dissrepant inter se Doctores; Bannes enim *quæst. 11. de Fide art. 2. in fine*, Turrianus *de Fide disp. 55. dub. 5. §. Deinde in aliis*; Lugo *de virtute Fidei disp. 20. sect. 3. a num. 108.* citati a Viva *ad Proposit. damnat. quæst. Prodroma num. 18.* & alii putant solum esse errorem, aut errori proximum negare, quod aliqua talis propositio mereatur notam, qua inuritur a Sancta Sede, ipse tamen Viva *cit. q. Prodroma ad Propositiones damnatas num.* 18. cum Maldero, Coninch., & aliis dicit, quod licet propositio alia censura notata, v. gr. quod sit *scandalosa*, citra Hæresim negari non possit, quod sit *scandalosa*, prout ea definitur a Pontifice loquente ex Cathedra; Nihilominus negare, quod ea sit falsa in omnium sententia, non continet Hæresim, sed solum errorem, cum non definiatur a Sancta Sede immediate ejus falsitas, sed solum per illationem certam descendat falsitas ex eo, quod sit *scandalosa*; Unde secundum hanc veriorem sententiam, qui docet, & tenet propositionem *scandalosam*, non est formaliter & proprie, seu rigorose *Hæreticus*, sed solum formaliter, & rigorose, *Scandalosus*, & sic *Temerarius*, qui docet, & tenet *temerariam*, *Seditiosus*, qui *seditiosam*, & similiter de aliis.

In

38 (+) In Opere inscripto: *Pontificiarum Constitutionum in Bullario Magno, & Romano contentarum, & aliunde desumptarum Epitome, & secundum materias dispositio cum Indicibus locupletissimis opera, & studio Aloysii Guerra S. T. D. Venetiis MDCCLXXII.* tom. [illegible] *de hæresibus libris, propositionibus* [illegible]; & Decreta eorum auctoritate [illegible] Romanorum [illegible] Leone I. usque ad Clementem [illegible] hæreses, propositiones, ac libri damnantur. De erroribus autem, *qui ab initio duodecimi seculi post Incarnationem Verbi usque ad annum* 1713. *in Ecclesia proscripti sunt, & notati*, pluribus agit Carolus du Plessis d'Argentrè in opere cui titulus, *Collectio judiciorum de novis erroribus; Lutetiæ Parisiorum MDCCXXIV.* Theologiæ quoque Morali P. Gabrielis Antoine P. Philippus a Carboneano Appendicem addidit: *De damnatis ab Ecclesia propositionibus*, cum opportunis ad earum plerasque adnotationibus, & explicationibus ac censuris, monitoque *ad Ecclesiæ pastores & confessarios circa eorum vitium, ac detestandum peccatum, qui Orthodoxas scholas, Theologosque Catholicos invidioso Bajanismi, ac Jansenianismi nomine traducunt*, & expositione doctrinæ; *De variis hominis ad ultimum finem comparati statibus, De libertate, deque Christi gratia: ubi ea potissimum declarantur, quæ ad explicanda Lutheri, Baii, Jansenii, Quesnellique systemata, atque vindicandas ab omni nota Catholicorum opiniones necessaria videntur.* Quod quidem Monitum, & expositionem in duabus Appendicibus verb. *Gratia ut est donum Dei* ab eodem P. Philippo a Carboneano subjectis in Romana Bibliothecæ hujus Editione anno 1757. curata, & ceteris quæ eam sunt consecutæ, legere quisque potest. Latius in hoc argumenti genere versati sunt, qui vel omnes & singulas Propositiones, quas Romani Pontifices ab anno 1567. ad annum usque 1713. damnarunt, vel aliquas tantum, v.g. proscriptas ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. sive a Clemente XI. expendendas, refutandasque data opera susceperunt. Ex his illos, quorum mihi opera nunc succurrunt, indicabo. Sunt autem, Dominicus Viva in *Damnatarum Thesium Theologica trutina* in qua *Theses ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. necnon Jansenii, & Quesnelli ad Theologicam trutinam revocantur, ac Michaelis Baii, Michaelis de Molinos aliæque Theses superiore sæculo profligatæ in calce Operis* (nempe in Appendice ad Part. III. alterius Editionis) *recensentur, & nonnullæ discutiuntur*, Patavii MDCCIX. & Beneventi MDCCXVI. qui tamen non sine cautione est legendus: Franciscus Vanrast, cujus Opuscula duo extant sæpius typis excusa, primum ita inscriptum: *Veritas in medio, seu D. Thomas Doctor Angelicus Propositiones omnes circa Theoriam, & Praxim, Rigorem, & Laxitatem versantes a Bajanis usque ad Quesnellianas* 101. *inclusive per tutissima, & inconcussa, atque ab omni extremo remota dogmata prædamnans: inserta est vita Baii, Jansenii, aliaque gesta historica: accessit Responsio brevis ad P. Quesnel*; alterum hoc titulo: *Historia Hæreticorum, & Hæresum antea inscripta lux Fidei, seu D. Thomas Doctor Angelicus omnium errorum ante vitam, in vita, & post vitam ad hæc usque tempora ab incunabulis Ecclesiæ exortorum tenebras e Literis Sacris profligans, ac prædebellans, cujuslibet seculi Erroribus* [illegible] *modernos Sectarios*: Ludovicus Vincentius Masius de Casavallibus Valentinus Ordinis Prædicatorum in Opere, quod inscribitur: *Propositionum Canonice damnatarum prædamnatio Augustino-Thomistica, sive Propositiones a S. Pio V. Successoribusque Romanis Pontificibus usque ad præsens proscriptæ &c. in duos Tomos distributa Valentiæ apud Josephum Stephanum Dolz MDCCLXI.* Pius Thomas Milante, qui Neapoli ex Typographia Januarii, & Vincentii Mutio annis MDCCXXXVII. & duobus proximis, Tomis tribus in 4. *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propositiones proscriptas a SS. PP. Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII.* edidit De La Fontaine cujus est titulus: *SS. D. N. Clementis PP. XI. Constitutio Unigenitus, Theologice propugnata cum Synopsi. Auctore Christophoro Jacobi Paderbornensi, Romæ typis Jo. M. Salvioni, & Mainardi* 1717. Gregorius Selleri in Opere, cui titulus: *Propositiones a SS. D. N. Clemente Papa XI. damnatæ in Bulla Unigenitus Dei Filius quas in sententia SS. Ecclesiæ DD. Augustini, & Thomæ Aquinatis Apostolici Judicii censura merito confixas fuisse ostendit Frater Gregorius Selleri Ord. Præd. S. P. A. Magister, Romæ MCCXVIII. ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ*; Fulgentius Bellelli cujus Opus inscriptum: *Mens Augustini de modo reparationis humanæ naturæ post lapsum, adversus Bajanam, & Jansenianam hæresim juxta Apostolicas Constitutiones exposita. Pars prima quæ est Refutationis propositionum damnatarum Quesnelli Prodromus. Pars altera Quesnelli Theses confutatas exhibens, Romæ typis Rocchi Bernabò anno* 1737. prodiit.

Hinc ad uberiorem notitiam juvat hic recensere præcipua censurarum genera, quibus notari possunt propositiones referentes doctrinam Fidei Catholicæ, & Christianis moribus nocivam, seu noxiam, a quibus eædem propositiones denominationem sortiuntur. 39

Hæretica propositio est illa, quæ formaliter opponitur veritati a Deo revelatæ, & per Ecclesiam definitæ, seu cujus contradictoria est de Fide. 40

Sapiens Hæresim est illa, cujus contradictoria non est quidem expresse definita, sed tamen sic communiter recipitur in Ecclesia, ac si esset de Fide, ideoque præbet judicium saltem probabile judicandi, quod in defensore illius lateat Hæresis. 41

Suspecta de Hæresi est illa, quæ in rigore grammatico vera esse potest; Attamen ex quibusdam circumstantiis personæ, loci, & temporis innuere videtur latentem Hæresim. 42

Hæresi proxima ea est, quæ est contradictoria illi, quæ vel a plerisque habetur tamquam de Fide, vel per evidentem consequentiam infertur ex una de Fide, & altera indubitata. 43

Shismatica est illa, quæ aperit viam divisioni Corporis Mystici Christi, idest separat, seu retrahit 44

trahit Ecclesiam, seu Fideles a suo capite, seu Romano Pontifice.

45 *Judaica* est illa, quæ de Christo sentit cum Judæis, asserens v. g. Christum, seu Messiam nondum advenisse, sed adhuc esse venturum.

46 *Pagana* est illa, quæ cum Paganis plures Deos admittit.

47 *Athea* est illa, quæ cum Atheis Deum esse negat.

48 *Blasphema* est illa, quæ continet injuriam, & irreverentiam contra Deum, vel Deiparam, vel Sanctos.

49 *Impia* est illa, qua verus cultus Deo, vel Deiparæ, vel Sanctis debitus evertitur, vel minuitur.

50 *Erronea* est illa, quæ contradicit Conclusioni Theologicæ, sive deductæ ex una de Fide, & altera evidente.

51 *Errori proxima* est illa, quæ contradicit tali conclusioni, quæ a plerisque, non tamen ab omnibus habetur tamquam Theologica.

52 *Sapiens errorem*, vel *suspecta erroris* est illa, quæ licet in rigore sermonis non contradicat alicui Conclusioni Theologicæ, tamen ex circumstantiis personæ, loci, & temporis, gravem adjunctam habet erroris suspicionem.

53 *Scandalosa* est illa, quæ immediate, & de se præbet alii occasionem ruinæ spiritualis circa doctrinam morum, & Fidei.

54 *Temeraria* positive est illa, quæ contra se habet firmissimas rationes, & gravissimorum Doctorum auctoritates, & pro se nullam firmam, & gravem. *Temeraria* negative est illa, quæ nec pro se, nec contra se habet ullam rationem, & auctoritatem.

55 *Seditiosa* est illa, quæ inducit divisionem in populo, seu concitat tumultum contra Superiores in Ecclesia, vel Republica.

56 *Male sonans* est illa, quæ abutitur vocibus contra communem sensum Fidelium, & licet habeat duos sensus, unum Fidei congruum, alterum non congruum; sæpe tamen ab audientibus sumitur in malam partem.

57 *Piarum aurium offensiva* est illa, quæ nedum male sonat, sed aliquid insuper indignum seu indecens in materia Religionis pronunciat.

58 *Laxa* est illa, quæ multum favet conscientiæ libertati, & in materia morum est nimis licentiosa.

59 *Simplicium seductiva* est illa, quæ sub specie pietatis, vel boni prætextu errorem tegens, apta est simplicium mentes seducere.

60 *Insana*, *fabulosa*, *&* *mendosa* est illa, quæ nec ratione, nec auctoritate constat, neque aliqua verisimilitudine nititur.

61 *Apocrypha* est illa, cujus Auctor incognitus, aut incertus est; Vel de qua non constat, quod sit Canonica, vel Divina.

62 *Antiquata* est illa, quæ antiquitus admittebatur tamquam probabilis, quia nondum erat cognitum principium certum; sed jam licet non sit expresse damnata, est tamen incompossibilis cum novo Decreto Romanæ Cathedræ.

63 *Improbabilis* est illa, quæ nititur motivo fallibili, non gravi, sed simpliciter indigno, propter quod fiat assensus.

Nova Additio.

De variis errorum gradibus, notisque propositionum plura tibi dabunt, Melchior Canus, De Locis Theologicis lib. XII. cap. VII. & seqq. Petrus Annatus in Methodico ad Positivam Theologiam Apparatu lib. I. art. V., Cardinalis Gotti in Theologia Scholastico-Dogmatica Tractatu I. Isagogico quæst. II. dub. V. §. I. & seqq.; P. Philippus a Carboneano in Appendice citata: De Propositionibus damnatis cap. II. & alii, a quibus indicandis supersedeo. 64

PROSPECTUS.

Nullo modo debet ab Episcopo permitti, quod in fundatione Monasterii, nec postea, Moniales habeant prospectum, vel retineant Crates correspondentes in Ecclesia Presbyterorum sæcularium, sive Regularium pro audienda Missa sub prætextu, quod non possint ob illarum paupertatem manutenere Capellanum, sed ubi inveniat adesse, & retineri, omnino debet mandare removeri: prout ita fieri jussit *Sac. Cong. Episc. in Trojana adversus Moniales Annunciatæ Foggiæ ad relationem Card. Petrucci 27. Febr. 1693.* quæ cum parere distulissent variis excusationibus, iterum recurrentibus Canonicis Collegiatæ in quorum Ecclesia prospectus in vim concordiæ retinebatur, *Ead. Sac. Cong. 16. Nov. 1696.* rescripsit: *Episcopus omnino intra mensem Decreta Sacræ Congregationis exequatur, & procedat ad destructionem transitus.* Sic apud Monac. *tom. I. tit. 6. formul. 16. n. 35.* 1

Injungitur Episcopo, ut cryptas, & aditus subterraneos a Domibus privatorum ad Ecclesias, & loca immunia claudere faciat. *Sacra Congregat. Immunitat. 9. Martii 1632. lib. 2. Decretor. Paulucci pag. 115.* apud Riccium *in sua Synopsi verb. Episcopus quoad Immunitatem num. 30.* 2

Alia ad rem. Vide verb. *Fenestræ*, verb. *Ecclesia art. 55.* & verb. *Porta*. 3

PROTONOTARII DE NUMERO PARTICIPANTIUM.

Protonotarii dicti sunt a verbo græco *Protos*, quod latine idem est ac *primus*. Unde S. Stephanus Protomartyr dicitur, quia primus pro Christi nomine martyrio coronatus fuit, sicque est primus Martyr, ut declarat Glossa *in Authentic. de Tabellionibus §. Illud quoque collat. 4.* Hinc Protonotarii sunt primi Notarii Sedis Apostolicæ; Hæc ta- 1 2

tamen in Bullis aliisque Pontificiis Litteris illos nominat simpliciter *Notarios*, ut notant Chassan. *in Catalog. gloriæ mundi par.* 4. *considerat.* 28. Card. Petra *Commentar. ad Constit. Apostolic. tom.* 5. *in Constit.* 4. *Pii II. num.* 2. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 23. *num.* 4. & alii passim. Quamvis in Regulis Cancellariæ ponatur illud nomen ad majorem excellentiam; In Litteris tamen Apostolicis isti qui Collegium Prælatorum in Curia constituunt, appellantur cum adjecto *de numero Participantium*, ut ita distinguantur ab aliis simplicibus, ut tradunt Card. de Luca *in Relat. Romanæ Curiæ discurs.* 44. *num.* 2. Card. Petra *loc. cit. num.* 2. & alii; Potestque addi quod sic appellentur ex quo præ aliis participent & habeant quotidie panem honoris, & vestes in Coronatione & morte Pontificis & locum in Cavalcatis Pontificalibus, ex Constitut. Sixti V. incip. *Romanus Pontifex*.

3 Dicti Protonotarii, seu Notarii Sedis Apostolicæ fuerunt numero septem instituti a primordiis Ecclesiæ, a SS. Clemente 1. Anthero etiam 1. & Julio similiter 1. ad res Martyrum, & quæcumque ad Ecclesiam pertinerent fideliter describenda, & descripta scriniis Ecclesiæ recondenda, ut dicit Sixtus V. in cit. Constitut. *Romanus Pontifex*. Ideoque præcipuum eorum munus versatur in processibus, qui fiunt super Canonizationibus, seu Beatificationibus Servorum Dei, & in registrando acta Summorum Pontificum, & Ecclesiæ, Card. de Luca *loc. cit. num.* 2. Card. Baronius *ad annum* 238. *num.* 1. & alii.

4 Istud Collegium septem Notariorum Sedis Apostolicæ fuit ampliatum ad numerum duodecim a Sixto V. Constitut. incip. *Romanus Pontifex*; maximisque privilegiis fuit decoratum ab eodem Sixto V. in cit. & alia Constitut. incip. *Laudabilis*: Et in primis §. 3. Doctorandi facultatem concedit; Et §. 4. Notarios creandi; Et §. 5. Spurios Legitimandi ad successionem bonorum etiam Ecclesiasticorum: Et §. 6. statuta pro Collegio condendi. Et §. 7. Familiares Papæ, & Prælati domestici declarantur. Et §. 8. concedit ut panem honoris quotidie, & vestes in coronatione, & morte Papæ & locum in Cavalcatis Pontificalibus habeant. Et §. 9. Ut Litteræ Apostolicæ gratis pro eis expediantur. Et §. 10. ut emolumenta illis assignata nusquam eis diminuantur. Et §. 11. Licentiam dat deferendi arma pro ipsis, & eorum familiaribus. Et §. 12. Facultatem eis concedit testandi, etiam de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis pro ducatis duobus mille. Et §. 13. eos eximit & totaliter liberat a quorumcumque Ordinariorum locorum, & aliorum omnium Judicum jurisdictione, potestate, superioritate, & dominio, ac Sedis Apostolicæ jurisdictioni, & potestati dumtaxat immediate subjicit. Et §. 14. Facultatem concedit creandi quolibet anno unum Notarium, seu Protonotarium Titularem, non participantem. Et §. 15. Locum eis designat in Signaturis: Et §. 16. Pariter in actibus publicis Consistorii. Et §. 17. Canonizationibusque Sanctorum. Et §. 18. Consistoriis quoque publicis, & Capellis. Et §. 19. concedit ut habeant monetas argenteas, & aureas Coronationis. Et §. 20. Constituit quando Papæ serviant. Et §. 21. Quando utantur Pontificalibus. Et §. 22. Altarique portatili.

Officium Protonotariorum Apostolicorum Participantium est venale ratione emolumentorum valoris scutorum duodecim mille circiter, magis, vel minus juxta diversas temporum contingentias, ex quibus emolumenta crescere, vel decrescere solent. Card. de Luca *loc. cit. num.* 2. Cardin. Petra *loc. cit. num.* 29. ubi dicit esse in pretio scutorum 14. mille circiter. 5

Hoc Protonotariorum Collegium fuit semper in maxima veneratione, & in illud admitti non solent, nisi nobilissimi, & undequaque ornatissimi viri; Unde ex illorum numero quamplurimi ad Cardinalatum, & multi etiam ad Summum Pontificatum promoti fuerunt, ut tradunt Card. Petra *loc. cit. numer.* 22. Barbosa *loc. cit. num.* 7. & alii passim. 6

Olim isti Protonotarii habebant præcedentiam super Episcopos, ac consequenter super omnes Prælatos, ut inter alios tradit Cardin. Petra *loc. cit. num.* 3. At Pius II. Const. incip. *Cum servare*, præcedentiam Episcopis etiam electis, super Notarios Papæ, vulgo Protonotarios nuncupatos, deberi statuit ubique in Curia, & extra. 7

In Consistoriis vero publicis quatuor Notarios assistere decrevit proximiores Solio Pontificio honorabiliori loco, ut videri potest in d. Constitutione. In ipsis enim publicis Consistoriis, ubi de rebus, quæ geruntur, authentica conficiant instrumenta rogari consueverunt, quatuor ex eis, qui *Numerati* dicuntur, aut ipsis absentibus, totidem ex aliis secundum institutionem eorum seniores, juxta gradum Apostolici Solii honorabiliorem occupant locum, Sedique Pontificiæ proximiores assident; Sicque isti Protonotarii in equitationibus solemnibus, quæ fiunt occasione Possessionis Romani Pontificis apud Ecclesiam Lateranensem, in ingressu Regum, & Magnorum Principum, ac hujusmodi, præcedentiam habent super Episcopos, & Archiepiscopos non Assistentes; Tunc enim primum locum occupant Episcopi Assistentes Capellæ Pontificiæ, deinde Protonotarii, & post eos accedunt Archiepiscopi, & Episcopi non Assistentes, aliique Prælati juxta eorum ordinem. Sic Cardin. de Luca *loc. cit. num.* 3. Cardin. Petra *loc. cit. num.* 10. Barbosa *loc. citat. numer.* 3. & alii passim. 8

Protonotarii Apostolici in Capella Pontificia, aliisque actibus distinctis a mox dictis præcedunt quoscumque alios Prælatos non Episcopos; Sicque præcedunt Auditores Rotæ, Clericos Cameræ, aliosque inferiores Prælatos, ac Generales Religionum; Cardin. de Luca *loc. cit. num.* 2. Cardin. Petra *loc. citat. num.* 13. & alii communiter; & colligitur ex cit. Const. Pii II. incip. *Cum servare*: ubi statuitur quod ubique habeant locum post Episcopos. 9

Item præcedunt Sacristam Papæ, si non sit Episcopus. *Sac. Rit. Congreg.* 11. *Febr.* 1598. & 13. *Januar.* 1601. Cardin. Petra *loc. citat. num.* 14. & alii communiter innixi dictæ Const. Pii II. *Cum servare*. 10

Insu-

11 Insuper præcedunt Præceptorem Hospitalis S. Spiritus Urbis, Archimandritam Messanensem, & Abbates usum Mitræ habentes, ac Correctorem Cancellariæ. Sic expresse *Sac. Rit. Congr.* 13. *Julii* 1601. apud Barb. *loc. cit. num.* 8. Card. Petra *loc. cit. num.* 15. & alii passim per cit. Const. Pii II. *Cum servare*.

12 Item præcedunt omnes Canonicos Patriarchalium Urbis tam in ipsis Patriarchalibus, quam in quibuscumque Cathedralibus extra Urbem; sic servari mandavit *Sac. Rit. Cong.* cum oraculo Pauli V. *sub die* 4. *Maii* 1613. testibus Barb. *loc. cit. nu.* 10. Card. Petra *loc. citat. num.* 21. & Nov. *in Summa Bullar. tit. de Protonotariis num.* 8.

13 Protonotarii participantes induunt Vestem & Mantellettam violaceam cum usu Rochetti in publicis functionibus, & habent in pileo privative quoad alios Prælatos floccum rosacei coloris, nec non pileum Prælatitium nigrum cordulis violaceis circumdatum cum floccis dicti coloris rosacei. *Sac. Rit. Congr. in causa Urbis Protonotariorum* 17. *Febr.* 1617. apud Barb. *loc. cit. num.* 7. & tradit expresse Card. Petra *loc. cit. num.* 23. qui immediate sub *num.* 24. sic subjungit.

14 Quoad pileos usuales fuit habita Congregatio quædam particularis *die* 6. *August.* 1674. in causa Vittæ Protonotarii; & inter positiones Card. Casanate reperitur sequens adnotatio.

Die 6. *August.* 1674. *Vittæ Protonotariorum*.

In Congregatione particulari habita in ædibus Eminentissimi Brancatii, in qua interfuerunt idem Eminentissimus, nec non Eminentiss. D. D. Cardinales Rasponus, de Maximis, Carpineus, & Casanate, in præsentia a secretis Congregat. Rituum, fuit propositum votum, An Collegio D. D. Protonotariorum participantium concedenda sit facultas Vittæ argenteæ in pileo, attento quod vitta violacea ex concessione Apostolica fuit concessa Auditoribus Rotæ, & Clericis Cameræ Apostolicæ, Eminentissimus Brancatius dixit, posse concedi; Ementiss. de Maximis non esse concedendum, quia metalla sunt promiscua & talis concessio forsan esset injuriosa Sacro Collegio. Eminentissimus Carpineus dixit posse concedi Vittam coloris rosacei, nec non tintinnabula in cingulo. Eminentiss. Casanate in voto Eminentiss. Carpinei. Omnes tandem convenere in Voto Eminentissimi Carpinei quoad Vittam tantum.

15 In Capella Pontificia Protonotarii Participantes utuntur Cappis juxta morem aliorum Prælatorum, nunquam tamen Cottis super Rochettum, uti utuntur Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, & alii inferiores Prælati in Processionibus, & certis aliis actibus; Isti enim Protonotarii semper incedunt cum cappis. Sic expresse Cardin. Petra *loc. citat. num.* 25.

16 Unus istorum Protonotariorum Participantium semper intervenit in Congregatione de Propaganda Fide, in Congregatione Sacrorum Rituum, & in confectione Processuum Canonizationum, seu Beatificationum Servorum Dei, Cardin. de Luca in *Relatione Romanæ Curiæ discurs.* 18. *numer.* 14. & *disc.* 44. *nu.* 4. Card. Petra *loc. cit. nu.* 27. Vide supra *nu.* 4. §. 17. Constitutionem Sixti V.

Collegium Protonotariorum Participantium tenere solet Capellas, prout quolibet anno eam tenent in Ecclesia S. Andreæ de Valle Clericorum Regularium, in Festivitate S. Cajetani, qui de eodem Collegio fuit, teste Cardin. Petra *loc. cit. num.* 226. 17

Protonotarii Apostolici participantes nequeunt promovere absentes ad gradus Doctoratus. Bened. XIV. tom. 1. Const. 106. incip. *Inter Conspicuos*, §. 23. Præsentes vero in Urbe, nonnisi sex in singulos annos servatis servandis, & cum conditionibus præscriptis; Idem *ibid.* §. 25. Protonotariorum non participantium numerus immerito incusatur. Idem Const. incip. *Quamvis* §. 1. & 4. 18 19 20

Additiones ex aliena manu.

De origine Protonotariorum vide si lubet *Macr. in Hierolexic. verb. Protonotarius*, *Cardinal. Jacobat. de Concil. lib.* 3. *art.* 5. *Felic. Anton. Guarner. de Eccles. militant. l.* 4. *c.* 7. 21

Duo vero hic non sunt omittenda. Alterum est, quod ex Constitutione S. M. Benedicti XIV. data quarto Kalendas Septembris 1744. de qua meminit etiam Auctor *supra num.* 18. & 19. Collegio Protonotariorum de numero participantium non licet hodie ad Doctoratus gradum absentes promovere, prævio examine in partibus explendo; sed solum conceditur sex personas singulis annis in Urbe vere, & realiter præsentes prævio rigoroso examine personaliter, & collegialiter per ipsos Protonotarios faciendo promovere. Et numerus dictorum sex Doctorum quavis de causa uno anno non completus haud potest subsequentibus annis suppleri. Qui vero ita ab hoc Collegio in Urbe ad Doctoratus gradum promoventur, iisdem gaudent privilegiis, quibus gaudent promoti ab Archigymnasio Sapientiæ etiam ad effectum assequendi Ecclesias Cathedrales. 22

Alterum, quod hic expendere necessarium est, an vacato per contractum Matrimonii Protonotariatu, Reservatarius decreti amittat pretium? Rationes hinc inde affert *Rigant. in commentar. ad Regul. Cancellar. Regul.* 58. *a num.* 87. *ad plur. sequent.* & pro affirmativa opinione de rigore juris concludit; æquitatem vero habere subdit opinionem negativam: *Et æquitatem hanc sequutus* (inquit) *S. M. Clemens XI. quum anno* 1705. *per matrimonium contractum a Principe Hieronymo Pamphilio vacasset Protonotariatus per ipsum obtentus, pro cujus pretio, & emolumentis reservatum erat decretum favore clar. mem. Principis Joannis Baptistæ Patris, mandavit ex gratia Protonotariatus pretium eidem Principi Patri restitui.* 23

PROTONOTARIUS TITULARIS, SEU EXTA NUMERUM.

1 PRotonotarius titularis, seu extra numerum, non potest prohiberi deferre Habitum Prælatitium, nempe Rochettum cum Mantelletta coloris violacei, & in Ecclesiis, & functionibus Ecclesiasticis cum eodem habitu incedere, & sedere juxta dispositionem Cæremonialis, *lib.* 1. *cap.* 13. *Sac. Cong. Rit. in Mazarien.* 28. *Sept.* 1630. *& in Catanien.* 5. *Julii* 1631.

2 Protonotarius titularis præcedit Canonicis Cathedralium uti singulis, non autem Collegialiter. *Sacr. Cong. Rit. in Concord.* 16. *Maii* 1601. *&* 12. *Julii* 1603.

3 Protonotarius titularis non debet ratione sui Protonotariatus munera aliis de Jure, seu de consuetudine spectantia, sibi vindicare. *Sac. Cong. Rit. in Caputaquen.* 16. *Maii* 1601.

4 Protonotarius titularis paramenta benedicere non potest. *Sacr. Congregat. Rituum die* 27. *Julii* 1627.

5 Protonotarius titularis non potest paramenta sumere pro Missa de altari; sed in Sacristia ut ceteri. *Sacr. Congreg. Rit. in Asculana in Apuliia* 6. *Mart.* 1610.

6 Protonotarii titulares post Abbates, & non supra, sedere debent. *Sacr. Congregatio Rituum in dicta Asculana in Apulia* 6. *Martii* 1610.

7 Protonotarii titulares tam in Sessionibus in Ecclesia, quam in Processionibus debent cedere locum digniorem Officialibus Episcopi, & Dignitates obtinentibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, *Sacr. Congreg. Rit. in causa Castellæ, & Legionis* 30. *Aprilis* 1604. Clemens VIII. Constitut. incip. *Decet Romanum*.

8 Protonotarii titulares neque supra, neque inter Canonicos locum habere debent. *Sacra Congregatio in Spoletana Terræ Casciæ* 23. *Martii* 1619.

9 Protonotarii titulares in Conservatores deputari possunt. *Sacr. Cong. Conc. de anno* 1630. apud Barbosam *in Summa Const. Apost. verb. Protonotarius titularis num.* 18.

10 Protonotarius titularis in Habitu Clericali incedens, tam in Civilibus quam in Criminalibus causis Fori privilegio gaudet, quamvis non sit adscriptus servitio alicujus Ecclesiæ, *Sacra Cong. Concilii in Toletana* 27. *Mart.* 1632.

11 Protonotarius titularis ex privilegio in Civilibus est exemptus a Iurisdictione Ordinarii quoad causas excedentes summam 25. Ducatorum, Leo X. Const. 10. incip. *Regimini*; Concil. Lateranem. V. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 11. non derogavit privilegiis Protonotariorum, nisi in causis Criminalibus, prout declaravit *Sacr. Cong. ejusdem Concilii in Papien.* 14. *Decembris* 1630. apud Barbosam supra Conc. Trid. *loc. cit. num.* 2. & in *Summa loc. cit. num.* 3.

12 Protonotarius ut Dignitas non potest præparare Abacum, dum celebrat more Prælatorum: *Sacr. Congregat. Rit. in Comaclen. & Neocastren.* 21. *Augusti* 1601.

13 Protonotarius titularis non participans potest apponere Pileum super insigniis, & habere annulum, dum celebrat, dummodo non cum Gemma. *Sacr. Congreg. Rit. in d. Comacl. & Neocastren.* 21. *Augusti* 1601. apud Cordubam *in Prax dispens. Apostolicar. lib.* 5. *cap.* 6. *numer.* 52. Barbosa in Summa decis. *Apostol. verb. Protonotarius titularis numer.* 6. Piton. *Constitut. & Decis. ad Canonicos numer.* 119

14 Unde quamvis Protonotarii titulares non possint in Missa gestare annulum cum Gemma, ut censuit *Sac. Cong. Rit. in d. Comaclen. & Neocastren.* & alias *die* 13. *Februarii* 1625. *&* 20. *Novembr.* 1620. apud Piton. *loc. cit. num.* 459. ex Gavant his verbis: *Annuli usus prohibetur Protonotariis non participantibus, Doctoribus quibuscumque, Canonicis Cathedralium*; Tamen *die* 4. *Augusti* 1663. *Ead. Sacr.* 15 *Congr. Rit.* apud eumdem Piton. *loc. cit. num.* 722. ex eodem Gavant. statuit, ut sequitur: *Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo, & de rigore uti, sed sine Gemma, & sine aliqua effigie*.

16 Protonotarii titulares possunt concionari cum Mantelletta, & Rochetto. Vide verb. *Prædicator num.* 93.

17 Protonotarius incedere potest cum Habitu Prælatitio, & suum retinere locum in Choro. *Sacr. Congregat. Rit. in Burgi Sancti Sepulcri* 22. *Aug.* 1722. teste Ursaya *in Miscell. primo litt. C. numer.* 36.

18 Alia, quæ concernunt Protonotarios Canonicos; Vide verb. *Canonicus art.* 9. *a num.* 81. *ad* 90. & Resolutiones *Sacr. Congreg.* in nostro relatas tom 8.

Additiones ex aliena manu.

19 PRotonotarii de quibus hic agitur, creari possunt non solum a Papa, sed & a Legatis de latere, aliisque quos recenset *Rigant. in commentar. ad Regul. Cancellar. Regul.* 1. §. 4. *numer.* 45. & quidem etiam in Urbe, quum agatur de actu voluntariæ jurisdictionis, qui ubique locorum etiam in Urbe Summo Pontifice non absente exerceri potest; *Ventriglia in Prax. par.* 1. *adnot.* 26. *n.* 15. *Rota cor. Puteo decis.* 162. *lib.* 1. Confer etiam Rigant. *ib. n.* 137. *& seq.*

21 Omnium autem horum Protonotariorum Beneficia sunt reservata vigore *Extravagantis, Ad Regimen, & Regulæ prim. Cancellar.* Confer *Rigant. ubi supra num.* 46. *& plur. sequent.* ubi quid in Germania, tum quid in Polonia servetur, quoad reservationem hanc.

22 Ut autem locum sibi vindicet hæc reservatio, debet Protonotariatus probari, & quidem *plene, & concludenter*, sive agatur de ea probanda favore S. Sedis, sive favore Protonotarii. Præsertim si ex capite Protonotariatus induci prætendatur reservatio contra Reum, & possessorem Beneficii, atque in ea per provisum Apostolicum reponatur principale fundamentum gratiæ tendentis ad irritam declarandam præcedentem collationem Ordi-

Ordinarii; *Riganti loco citato numer. 61. & plur. sequent.* ubi & de concludentibus modis ipsum probandi agit, examinatque, an per Testes probari ipse valeat.

24 Quæstionis etiam est, an necessaria sit acceptio Protonotariatus, ad effectum reservationis. Vide & de ea eumdem *Riganti eodem loc. a n. 75. ad plur. seq.*

25 Convenit vero inter omnes, quod Beneficia Protonotariorum sint reservata, etiamsi ii fidei professionem & fidelitatis juramentum non emiserint, tum propria insignia non assumpserint; *Rot. cor. Caprar. decis. 131. num. 10. & seq. & in Segobien. Beneficii cor. Lancett. decis. 1292. num. 8. cor. Crisp. §. Quinto.*

26 Quinimmo, & reservata sunt Beneficia illius, qui fuit Protonotarius *de facto*, & non *de jure*; maxime si publice, & palam se gesserit uti Protonotarius, nam sicuti sustinentur actus ab eo gesti, ita illius Beneficia sunt reservata; *Rigant. loco toties memorato num. 123. & plur. seq.*

27 Protonotariatus vero, qui concedi solet Comitibus Domus *Sfortiæ*, reservationem non inducit. Nec eum admittit Secretaria Brevium.

PRUDENTIA. Vide verb. *Virtus n. 96*

PSALMUS, PSALTERIUM.

1 Psalmus vox est Hebræa, significans Cantum, Oden, Hymnum; Beyerlinck in *Theatro vitæ humanæ verb. Psalmus litt. E.* Unde apud Ecclesiasticos Scriptores Psalmus intelligitur carmen sacrum, sive Dei laus metrice scripta, sive solo ore, sive instrumento decantata. Quamvis Psalmus generice captus etiam de profanis cantionibus, & quæ ad quodcumque musicum instrumentum recitantur, accipiatur. Idem *ibidem*.

2 Psalterium dicitur Vas musicum decem chordarum; Tostat. *Comment. in 1. Paralipom. p. 297. col.1.* Unde Scriptura sæpius Psalterii decem chordarum meminit. Hoc decachordum Psalterium pulsatur a parte inferiori, & reddit sonum a superiori. Et Hebraice vocatur Nablum, & Psalterium, Græce Organa; Tostat. *in Genes. fol.44. col.2.*

3 Psalterium, ut opinatur Euthymius apud Beyerlinck *loc. cit.* antiquitus mulcendo gregi serviebat. At David ejus usum sapienter ad Dei cultum transtulit, cantoresque instituit, quod primum fecit in translatione Arcæ ex domo Obededom 1.

4 *Paralipom. cap. 15.* Unde usus invaluit, quod apud Ecclesiasticos pro Psalterio intelligatur Liber Psalmorum, juxta illud *Lucæ 29. n. 42. David dicit in Libro Psalmorum*, & illud *Actor. 1. num. 20. Scriptum est enim in Libro Psalmorum.*

5 Psalterii versus, etsi in nostra lingua sine metro procedant, apud Hebræos tamen versus metrici sunt ex pedibus lyricis, juxta illud: *Psalterium lyrici composuere pedes.* Et dicuntur pedes lyrici, quia ad lyram concinentem dicebantur, scilicet Citharis, Organis, & musicis instrumentis; Tostat. *in Genes. fol. 44. col. 1.*

Quoad Psalmorum Auctorem, seu Auctores, varii varia sentiunt. Ludovicus enim Vives *in cap. 14. lib. 17. de Civitat.* asserit ante Origenem nullum fuisse dubium apud Judæos Davidem omnium Psalmorum esse Auctorem: Postquam vero Origenes summa sua eruditione cœpit ostendere quæcumque in Prophetis, maxime in Psalmis contenta, ad Christum jam natum pertinere, Judæi talibus convicti fortissimis argumentis ad novas opiniones veteribus suorum Magistrorum contrarias confugerunt: Alii solum illorum Psalmorum, qui ejus nomine inscribuntur, Auctorem Davidem asserentes; Alii novem solummodo ab eo conscriptos, ceteros vero ab illis, quorum nominibus prætitulantur fuisse dictatos, sustinentes: Inde factum est, ut etiam Sacri Interpretes Christiani in varias abierint sententias. Sanctus enim Augustinus, Theophylact. Euthymius, & hos secuti Emmanuel Sa, Mariana, & alii apud Tirinum *præf. in l. Psalmorum*, volunt solum Davidem omnium Psalmorum fuisse Auctorem. Et de facto Sanctus Augustinus, *l. 14. de Civitate Dei cap. 17.* sic expresse dicit: *Mihi credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum quinquaginta Psalmos Davidis operi tribuunt.* Et quamvis ipse Sanctus Augustinus *t. 8. impressionis Lugdunensis de anno 1664. in expositione tituli primi Psalmi* dicat, *Non enim omnes psalmi a David editi sunt .... David ergo solus novem psalmos ore proprio cecinit*: Hæc aliena manu in textum Augustini irrepsisse Eruditi animadvertunt, ut notat Calmet *in Dictionario Sacræ Scripturæ verb. Psalmi vers. Hæc pro Davide.* Et quod solus David omnium sit auctor Psalmorum deducit Cassiodorus *Præf. in Psalm.* ex constanti usu, & traditione Ecclesiæ, ibi: *Usus Ecclesiæ Catholicæ Spiritus Sancti inspiratione generaliter, & immobiliter tenet, ut quicumque eorum psalmorum cantandus fuerit, Lector aliud prædicare non audeat, nisi psalmos David.* Quod & tenet Theodoretus, Chrysostomus, & alii *Præfat. in Psalm.* & Gavant. *tom. 2. sect. 5. cap. 8. num. 4.* vocat sententiam hanc communiorem. Immo S. Philastrius Hæresi *126.* inter Hæreticos reputat qui secus senserit. 6

Et hanc sententiam de solo Davide omnium Auctore Psalmorum colligunt supradicti ex variis Scripturæ locis, & in primis ex *2. Regum cap.23. num. 1.* ubi David ipse hæc de se prodit: *Dixit David David filius Isai .... egregius Psaltes: Spiritus Domini locutus est per me.* Item ex *2. Paralipomenon cap. 7. num. 6.* ubi expresse dicitur: *Sacerdotes autem stabant in Officiis suis, & Levitæ in Organis carminum, quæ fecit David ad laudandum Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas.* Et variis aliis veteris Testamenti relictis Textibus, in Testamento novo *Lucæ cap. 20. num. 42.* aperte dicitur: *David dicit in Libro Psalmorum*, & concordant *Matth. cap. 22. n.43. & Marc. cap. 12. n. 36.* 7

Contrariam sententiam, nempe non omnium Psalmorum Auctorem esse Davidem defendunt 8

Sanctus Hieronymus, Hilarius, Tostatus, Tirinus, & alii plures dicentes varios Psalmos a variis Prophetis compositos fuisse, iis nempe, qui in Titulis subinde prænotantur, v. g. Asaph, Moyse, Ethan, Eman, Idithum, & tribus filiis Core, sed plures a Davide; Quos deinde Esdras simul omnes in unum volumen compegit, & incæpit esse liber Psalmorum. Et revera Sanctus Hieronymus *Epist. ad Cyprianum* diserte pronunciat: *Scimus errare eos, qui psalmos omnes David arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt*. Et distinctius *Epist. ad Sophronium* scribit: *Psalmos omnes eorum testamur Auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph & Idithum filiorum Core, Eman, Esraitæ, Moysis, & Salomonis, & reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit*. Et Sanctus Hilarius *Præfat. in psalm. & Comment. in Psalm.* 131. expresse dicit: *Absurdum est psalmos David dicere, vel nominare, cum ibi Auctores eorum ipsis inscriptionum titulis commendantur*, & Tostatus *Præfat. in lib. Regum qu.* 20. *vers. Respondendum est de psalmis*, ait: *Quamquam David fecerit quosdam psalmos, tamen non omnes, feruntur enim fuisse decem Auctores Psalmorum*, Quod & clarius dicit *in cap.* 22.*Matth. q.* 340. Et Tirinus *Præfat. in lib. psalm.* probabiliorem hanc vocat sententiam, quia in fine Psalmi 71. desinere dicuntur Psalmi Davidis, ibi: *Defecerunt laudes filii Jesse*, & mox subnectuntur Psalmi Asaph Prophetæ, ut patet in titulo Psalmi 72. Et 2. *Paralipomen. cap.* 29. *n.* 30. præcepit Ezechias Levitis, ut cantent Psalmos non modo Davidis, sed etiam Asaph: *Præcepitque Ezechias, & Princeps Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph videntis*.

9 Unde quamvis difficile sit in hac ancipiti materia quidquam certi statuere, tamen probabilius est, Davidem solum non omnium Psalmorum esse Auctorem, sed & alios, qui in eorum titulis prænotantur. Hinc ad Scripturas, & Auctoritates pro prima sententia adductas, quibus videtur innui Davidem unicum esse Psalmographum, respondetur, quod ipsi totum Psalterium videtur tribui, eo quod ipse plures ediderit Psalmos, quam aliquis aliorum Auctorum, immo quam omnes alii simul, ut vult Tostatus *in Matth. c.* 22. *q.* 346. Quemadmodum Ciceronianum Epistolarum volumen, etsi aliorum plurimorum Epistolis ad eum scriptis constet, uni tamen Cicerononi, cujus est major Epistolarum, pars tribuitur. Vel ideo omnium Psalmorum Auctor unus David innuitur, ac dicitur, quia nedum ipse solus plurimos edidit, sed & editos ab aliis ipse recensuit, & modulationi, ac musicis instrumentis aptavit: Unde notabile est illud *Ecclesiastici cap.*47. *num.* 10. 11. ubi dicitur, quod *David de omni corde suo laudavit Dominum.... & stare fecit Cantores contra Altare, & in sono eorum dulces fecit modos*. Hanc sententiam ultra recensitos numero immediate antecedenti tuentur etiam Eusebius Cæsariensis *Præfat. in psalm. & in Inscript. psalm. & in psalm.* 41. 60. & 62. S. Athanasius *in psalm. p.* 70. *tom.* 2. *nov. edit. Collect. Græcor. PP.* & Auctor Synopsis, quæ ipsi Sancto Athanasio tribuitur, in qua Synopsi, ut notat Calmet *in Dictionario Sacræ Scripturæ verb. Psalmi vers. Nec Patres Græci*, Psalmi quidam Auctoribus, Idithum, Asaph, Filiis Core, Aggæo, Zachariæ, Eman, quidam vero quibus Alleluja inscribitur hisce omnibus simul tribuuntur: Quod autem (ait ejus libri Auctor) Psalterium Davidis nomen exhibeat, ipse David in causa fuit, qui primus Psalmorum inventor habetur, & quorumdam Psalmographorum munera, & tempora direxit. Hæc ille. Sic etiam Frassen *Disquisition. Biblic.* §. 11. *de libro psalmorum num.*9. Cajetanus, aliique plures. Vide Cantipratensem 4. *Hypotyposeon cap. ultim.* & Bellarminum *in Præfat. ad explanat. in psalmos*, ubi eos vocat Davidis, qui carent titulo, & eos item, qui nomen David in titulo præferunt quocumque casu sive Genitivo, sive Dativo.

Hinc fidem adhibendo titulis nostrorum Bibliorum, sub Davidis nomine 72. Psalmi producuntur, nullo inscripti nomine 40. quos tamen ad præcedentis Psalmi Auctores Rabbini referendos censent. Hanc Judæorum traditionem probant S. Hieronymus *in Malachiam*, & *Epist. ad Cyprian.* Sanctus Hilarius *prolog. in psalm.* Sanctus Athanasius *Præfat. in psalm. t.* 2. *nov. edit.* & Eusebius *in psalm.* 25. Filii Core Auctores laudantur Psalmorum 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 87. Salomoni adscribitur Psalmus 71. *Deus judicium tuum*, & Psalm. 126. *Nisi Dominus*, Ethan Psal. 88. *Misericordias Domini*, Idithum Psal. 76. *Voce mea*, Moysi Psalm. 89. *Domine refugium*, Asaph Psalm. 46. *Deus Deorum Dominus*, Psalm. 72. *Quam bonus Israel Deus*, Psalm. 73. *Ut quid Deus*, Psalm. 74. *Confitebimur tibi Deus*. Item Psalmi a 75. usque ad totum 83. Adamo Psalm. 91. *Bonum est confiteri Domino*. Melchisedecho Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. Jeremiæ & Ezechieli Psalm. 64. *Te decet Hymnus*, Jeremiæ Psal. 136. *Super flumina Babylonis* qui etiam Davidi tribuitur. Aggæo, & Zachariæ Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum*. Psalm. 145. *Lauda anima mea Dominum*. Sic expresse Calmet *loc. cit. vers. Si titulis*. 10

Liber Psalmorum, aut Psalterium constat ex centum & quinquaginta Psalmis (1) cujus numeri mysticas assignant causas Doctores, ut Trinitatis ob tres quinquagenarios Hieronymus, Augustinus, Remigius, Lombardus; ob Fidem, Spem, & Ca- 11

(1) Hebræorum tamen numerus, qui a nostro, & Græco differt, uno Psalmo ad centesimum decimum tertium nos superat; Psalmum enim nonum *Confitebor* duas in partes dividunt, ac decimo Psalmo initium dant a versu 22. *Ut quid Domine recessisti longe*. Verum iidem Hebræi nobiscum subinde conveniunt circa Psalmorum numerum, centesimum decimum quartum & centesimum decimum quintum, uti & centesimum quadragesimum sextum, & sequentem simul conjungentes. Neoterici hæretici eorum divisionem amplectuntur, Catholicis LXX. Interpretum partitioni adhærentibus.

Caritatem, per quas obtinemus Jubilæum, Rupertus; ob status Pœnitentium, Justorum, & Beatorum, B. Thomas. Sic Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ verb. Psalmus* §. *Numerus*. Vel ob tres gradus vitæ, seu viæ spiritualis, nempe Purgativæ, Illuminativæ, & Unitivæ. Frassen *l. c. nu. 6.* & alii. (2)

12 Psalmorum alii sunt Invitatoriales, alii Pœnitentiales, & alii Graduales. Invitatorialis unicus est, scilicet 94. *Venite exultemus*, quem Ecclesia quotidie, paucis diebus exceptis, legit initio Matutini, ut per ipsum animæ devotæ invitentur ad Deo in corde cantandum, ejus inspirationibus prompte assentiendum, & ejus auxilium implorandum. Beyerlink *loc. cit.* §. *Partitio*, *&* *Varietas*.

13 Pœnitentiales sunt septem, qui a Pœnitentibus maxima utilitate leguntur, seu recitantur, cum exemplo Davidis eorumdem Auctoris ad Pœnitentiam, & culpæ detestationem excitent, Deum ad veniam, & misericordiam incitent, eumque propitium reddant: Unde solent Litaniæ Sanctorum illis addi, ut Pœnitentes multiplicatis Intercessoribus apud Deum ab ipso facilius veniam peccatorum consequantur, juxta illud Ecclesiæ in Oratione Festi omnium Sanctorum: *Ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis Intercessoribus largiaris*.

14 Cur autem Psalmi Pœnitentiales sint septem? Varias rationes assignat doctissimus Tostatus *in Genesim c. 17. q. 606.* quarum præcipuæ sunt. Primo, quia inter omnes Psalmos solos istos septem invenimus, qui aperte loquantur de Pœnitentia. Secundo, quia nos facimus pœnitentiam de peccatis præcipue mortalibus, quæ sunt septem. Tertio, quia numerus septenarius convenit remissioni peccatorum, & etiam pœnis peccatorum; Unde Ecclesia septem assignavit Psalmos Pœnitentiales, ut per ipsos significet nos petere veniam de peccatis, & pœnam non inferri pro peccatis, cum utrumque Scriptura per septenarium significet. De remissione enim Peccatorum, quod significetur per numerum septenarium patet *Matth. c. 18. n. 21. &* 22. ubi dicit Petrus ad Jesum: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, in quibus per dictum numerum septenarium signatur remissio universorum delictorum. De pœnis autem patet *Gen. c. 4. n. 16.* ubi dixit Deus: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*, & infra *nu.* 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies*, ubi tota pœna signata fuit per septem, adeoque conveniens fuit septem esse Psalmos Pœnitentiales.

Graduales numero sunt 15. a Psalmo 119. usque 15
ad 134. Dicuntur autem Graduales, quod veluti ad templum Salomonis ascendebatur 15. gradibus canendo ipsos 15. Psalmos, ita etiam Anima devota 15. his Psalmis velut gradibus ad Deum mente conscendat, & quæ sursum sunt, sapiat. Unde Psalmi Graduales, appellantur in Textu Hebræo Canticum ascensionum. Calmet *loc. c. vers. Psalmi Graduales, & vers. Unde autem*, ubi testatur, quod sic vulgo censent Interpretes.

Psalmorum, & Hymnorum cantus fuit jam in 16
usu a tempore Apostolorum, ut patet ex Epist. B. Pauli *ad Ephesios c. 5. n. 19.* ibi: *Loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes, & psallentes, & ad Colossen. c. 3. n. 16.* ibi: *Docentes, & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes*. Et etiam jam tempore 17
Apostolorum fuisse in usu alterum Psalmorum cantum probabile censet Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ, verb. Psalmus, vers. Est tamen probabile*. Nam, dicit ipse, Philo scribit ab Alexandrinis suis Religiosis Viris id esse factum. Inter Græcos videtur Dionysius *de Cœlesti Jerarchia c.3.* hunc innuere alternum cantum. Item Basilius *Epist.* 43. qui testatur de ritu communi omnibus Ecclesiis exemplo sumpto a cantu Antiphonarum Ignatiano; Ignatius enim Antiochenus ex Cassiodoro *in Tripartita lib.* 10. *cap.* 9. post quamdam visionem Angelorum unum ad alterum cantantium Sanctus, Sanctus, præscripsit alternum cantum in Ecclesia Antiochena. Inter Latinos autem S. Ambrosius Græcos imitatus ex Isiodoro *lib. 1. de Offic. cap. 7.* & teste Augustino *lib. 9. Confession. cap. 6.* primus invexit in Ecclesiam alternum cantum, quem S. Damasus Papa Decreto generali firmavit, & communem toti Ecclesiæ fecit, ut habetur in Breviario lect. 6. ejus Festi; Qui ut patet ibid. etiam statuit, ut in fine cujuslibet Psalmi diceretur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.*

Psalmi, uti modo recitantur in Divino Officio 19
fuerunt partiti, & distributi a S. Hieronymo, qui 18. constituit in Matutinis Dominicarum, 12. in Matutinis Feriarum, 9. in Matutinis Festorum, & ad Horas Ambrosium secutus distribuit in plures partes Psalm. 118. *Beati immaculati*, quo ordine recitari præcepit S. Damasus ex Baronio *anno* 60. Gavant. *Comment. in Rubric. Breviarii tom. 2. sect. 5. cap. 8. num.* 8. & aliis. Et de hoc habetur Decretum

(2) Psalmorum antiquissima Latina versio fuit ante Hieronymum, vulgo *Italica*. Hanc Damaso Papa petente Hieronymus juxta veterem LXX. Interpretum editionem primum emendavit, sed *cursim* ut ipse ait; aliam deinde novam eorumdem Psalmorum editionem S. Doctor aggressus fuit, quam verosimillimum est, nostram esse *vulgatam*. Romanum Psalterium secundum LXX. versionem abolitum a S. Pio V. fuit, illudque præscriptum, quod S. Hieronymus secundis curis exhibuit, licet a pluribus postea librariorum mendis rursus expurgatum, & correctum. In Vaticana tamen Basilica, in Mediolanensi, & Veneta S. Marci Ecclesia vetus Italica Psalterii versio etiamnum perdurat, licet nonnullo inter se discrimine. Eadem antiqua Romana editione Mozarabes usi sunt, atque in nonnullis Toletanæ Urbis Ecclesiis, ubi idem Mozarabum ritus hodieque servatur, utuntur.

cretum Gregorii VII. *in c. In die* 14. *de consecrat. dist.* 5. ibi: *In die Resurrectionis usque ad Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem tres Psalmos tantum ad nocturnos, tresque lectiones antiquo more canimus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, si Festum est, novem Psalmos, & novem lectiones dicimus. Aliis vero diebus* 12. *Psalmos, & tres lectiones recitamus. In Dominicis vero diebus* 18. *Psalmos excepto die Paschæ, & Pentecostes) & novem lectiones celebramus.*

20 Decem & octo Psalmi in Matutinis Dominicarum ita sunt constituti, & distributi, ut primi 12. per quaternos divisi significent Patriarcharum 12. & Apostolorum totidem cultum erga Sanctissimam Trinitatem per quatuor virtutes Cardinales. Reliqui tres in secundo, & tertio Nocturno significant electos sub lege, & sub Gratia cum eodem cultu SS. Trinitatis. Amalarius *lib.* 4. *de Divinis Officiis c.* 9. Gavant. *loc. cit. sect.* 4. *n.* 111.

21 Duodecim Psalmi in Matutinis Feriarum ideo sunt sic constituti, & distributi, quia duodecim sunt horæ noctis, & cuilibet horæ Psalmus unus respondet. Amalarius *loc. cit. c.* 11. Gavant. *loc. cit. n.* 12. qui dicuntur bini ad caritatem excitandam ex Hugon. Victor. *Specul. Eccles. c.* 3. Gavant. *loc. c. n.* 112.

22 Novem Psalmi in Matutinis Festorum Domini ideo sunt sic ordinati, ut per ipsos gratias agamus Deo de descensu ejusdem propter nos sub novem Choris Angelorum. Et in Matutinis Festorum de Sanctis, eo quod sint ipsi facti digni ascendere usque ad altitudinem Cœli, ubi habitant iidem Chori novem Angelorum; Amalarius *loc. c.* Gavant. *loc. c. n.* 10. Vel ter tria cantamus cum Angelis. Durandus *in Rational. lib.* 5. *c.* 3. Gavant. *l. cit. n.* 10.

23 Psalmi quinque recitantur in Laudibus ad muniendos quinque corporis sensus, ut dicit Hugo Victorin. *in specul. Eccles. c.* 3. qui notat præterea eos esse octo vere ad significandos octo ordines Electorum, sed dicuntur quinque, quia tertius, & quartus sub una conclusione terminantur, ad denotandum ex Amalario *de Ordin. Antiphonarii c.* 5. geminam dilectionem Dei, & proximi. Vel ex eodem *lib.* 4. *de Divinis Officiis cap.* 10. unionem Ecclesiæ ex Judæis, & Gentilibus. Item sextus, septimus, & octavus unam habent conclusionem ad significandum ex Amalario *loc. cit. cap.* 2. Fidem, Spem, & Caritatem, unitas, & junctas erga Deum (inquit cap. 5.) Trinum & Unum, Gavant. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 6. seu ex Durand. *in Rational. Divinor. Officior. lib.* 5. *cap.* 4. ad denotandum triumphum de mundo, carne, & Diabolo, & quoniam unum sine altero non habetur, ideo merito conjunguntur.

24 Dictum autem est, Psalmos Laudum esse quinque, quia licet quartus sit proprie Canticum, abusive tamen appellatur Psalmus, cum, ut infra *n.* 30. & 44. videbimus, parum differat Canticum a Psalmo; Gavant. *l. cit. n.* 7.

25 Ex dictis Laudum Psalmis duo mutantur in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, vice quorum dicuntur Psalmi *Miserere*, & *Confitemini* ad timorem, & spem eo tempore excitand. timorem ob peccata in Psalmo *Miserere*, & spem ex bonitate Dei in Psalmo *Confitemini*. Et quia non est tempus lætitiæ, quam exprimunt illi duo Psalmi *Dominus regnavit*, & *Jubilate*. Amalarius *lib.* 4. *de Divin. Offic. cap.* 18. Gavant. *loc. cit. n.* 9. Psalmus autem *Dominus regnavit* dicitur tunc in Prima, ne in tota hebdomada omittatur Psalmus ullus de Psalterio, & ideo Psalmus *Jubilate* ponitur in Matutino Sabbati. Amalarius, Gavant. *loc. cit.*

In Laudibus ferialis Officii per annum primus 26
Psalmus est Pœnitentialis *Miserere*, quia dies feriales sunt pœnitentiæ. Hugo Victorin. *lib.* 2. *de Offic. cap.* 10. Gavant. *loc. c. n.* 10. subdens, quod tunc variatur 2. ut expleatur Psalterium.

In Laudibus qualibet die hebdomadæ loco quar- 27
ti Psalmi ponitur unum Canticum, quia Canticum laudem Divinam, & gratiarum actionem significat, ex Durand. *in Rational. lib.* 5. *cap.* 4.
Et laudes dictæ sunt ex Hugon. *lib.* 2. *de Offic. c.* 10. 28
eo quod laudem aperte sonant Divinam, quod
repetit *in Specul. Eccles. cap.* 3. Et Canticum ibi 29
sumitur pro Psalmo, cum parum differant inter se.
Psalmus enim est carmen, seu Canticum instru- 30
mento Psalterii. Et canticum est vox musica cum 31
harmonia ore solo prolata, ut ex Euthymio notat Gavant. *loc. cit. sect.* 5. *cap.* 9. *n.* 1.

In Prima Dominicis diebus per annum, & Fe- 32
riis, Sabbato excepto, recitantur 4. Psalmi, ne de Psalterio quidquam supersit. Unde in Sabbato recitantur tantum 3. quia nullus superest, qui ipsi assignari possit. Et talis quaternarius Psalmorum numerus denotat, quod in quatuor mundi partibus Doctrina 4. Evangelistarum laudatur. Durand. *in Rational. Divin. Offic. lib.* 5. *c.* 5. Gavant. *loc. cit. sect.* 4. *cap.* 3. *n.* 5.

In Festis autem totius anni, & Dominicis tem- 33
pore Paschali dicuntur tantum tres Psalmi ob temporis jucunditatem, quæ laborem multa canendi excludit, ex Radulpho *proposit.* 10. Gavant. *loc. c. n.* 7. ubi subdit, quod Amalarius *lib.* 3. *de Offic. c.* 3. tres ideo dici putat, quia pro tribus horis a Prima ad Tertiam laudandus est Deus Trinus, & armandi sumus contra tres hostes.

In Tertia, Sexta, & Nona recitantur 3. Psal- 34
mi propter eamdem supradictam rationem, quia 3. Psalmi protegunt nos in tribus horis seqq. cum quælibet ex tribus Horis tres contineat temporis horas. Amalarius *lib.* 4. *de Offic. c.* 2. Gavant. *loc. c. sect.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. Immo ut subdit ipse Gavant. *ib.* & Amalar. *cap.* 1. *ibid.* in Prima, Tertia, Sexta, & Nona 12. canimus Psalmos (in Festis) pro numero 12. horarum diei, ut Deo præsentes simus omnibus horis.

Advertendum tamen hic est, quod dd. Divina- 35
rum Horarum Psalmi a *Beati immaculati* usque *Principes persecuti sunt*, non sunt revera distincti Psalmi, sed potius unicus tantum Psalterii Psalmus in ordine 118. in plures partes distributus, quarum quælibet ex 16. versibus est constituta (ut in dd. Divinis Horis patet) ad significandos 16. Prophetas, 12. minores, & 4. majores, seu ad designandos 12. Apostolos, & 4. Evangelistas, ut sic ostendatur, quod ea, quæ 12. Prophetæ mino-

minores, & 4. majores; sive 12. Apostoli, & 4. Evangelistæ dixerunt, scripserunt, ac docuerunt, pro posse observare debemus. Sic Durand. *in Rational. lib. 5. c. 5.*

36 In Vesperis 5. recitantur Psalmi, quia 5. vulnera Christi recolenda monent, quorum ultimum vulnus hora vespertina fuit Sacro lateri illatum. Gemma *lib. 2. c. 62.* Gavant. *cit. sect. 4. cap. 5. num. 5.* Item quia sicuti quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras, ita necesse est ut initio noctis pro eis veniam precemur. Amalarius *lib. 4. de Offic. cap. 7.* Gavant. *loc.cit.* Item recitamus in Vesperis quinque Psalmos, ut quasi quinque Evangelicæ prudentes Virgines quinque lampadibus oleo bonorum operum plenis, veniente nocte, Domino obviam eamus. Amalarius *de Ordin. Antiphonarii c. 6.* Gavant. *loc. cit. n. 5.*

37 In Completorio quatuor Psalmi recitantur, quia per ipsos quatuor elementa corporis nostri Domino commendamus: In primo enim Psalmo cum Christo quietem poscimus: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* In secundo ad ea verba, quæ protulit Christus in extremo vitæ: *In manus tuas &c.* optamus mori cum eo. In tertio, & quarto contra tentantiones nocturnas armamur. Amalar. *lib. 4. de Offic. c. 8. & de Ordin. Antiph. c. 7.* Gavant. *cit. sect. 4. c. 6. n. 7.* & alii.

38 Hinc habes, quod si dividas omnes Psalterii Psalmos per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91. ad Laudes 13. ad Vesperas 35. ad alias Horas 11. qui omnes faciunt summam 150. quibus constat Psalterium. Gav. *loc. cit.sect.5. c. 8. n. 7.*

39 Psalterium autem, quo Romana Ecclesia utitur, est ex translatione Romana (*) S. Hieronymi teste Rodulph. *propos.* 8. & differt a Psalterio translationis septuaginta Interpretum, quod adhibetur Romæ in Æde Vaticana S. Petri, quo etiam utuntur Ambrosiani. Gavant. *cit. sect. 5.cap.7. n.2.*

40 Unde S. P. N. Seraphicus Franciscus in c. 3. suæ Regulæ ubi excipit ab Officio Divino Psalterium, intelligit de dicto Psalterio translationis septuaginta Interpretum, quod in Vaticana Sancti Petri est in usu antiquissimo. Gavant. *cit. sect. 5. cap. 8. nu. 2.* S. Bonaventura citatus, & secutus a Petro Marchant. *in expositione dictæ Regulæ cap. 3. qu. 4.*

41 Ultra supradictos centum quinquaginta Psalmos habentur in Breviario ex Sacris Litteris Cantica distributa, & posita in unaquaque die Hebdomadæ loco quarti Psalmi Laudum, nempe die Dominica Canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino*, quod est trium puerorum *Daniel. c. 3.* Feria 2. Canticum *Confitebor tibi Domine*, quod est *Isaiæ c. 12.* Feria 3. Canticum *Ego dixi*, quod est Ezechiæ Regis, *Isaiæ cap. 38.* Feria 4. Canticum *Exultavit cor meum*, quod est Annæ Matris Samuelis, *1. Regum c. 2.* Feria 5. Canticum *Cantemus Domino*, quod est Moysis, *Exodi cap. 15.* Feria 6. Canticum *Domine audivi*, quod est Habacuc, *Habacuc. c. 3.* Sabbat. Canticum *Audite Cœli*, quod est Moysis, *Deut. c. 32.*

Ex Evangelio habentur in Breviario alia tria Cantica, nempe Canticum *Magnificat*, quod est B. M. V. *Luc. c. 1.* & recitatur, seu canitur in Vesperis. Canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*, quod est Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ, *Luc. c. 1.* & recitatur, seu canitur in Laudibus, & Canticum *Nunc dimittis*, quod est Simeonis, *Lucæ cap. 2.* & recitatur, seu canitur in Completorio. 42

Etiam varii Psalmi prænotantur in Psalterio cum titulo Cantici, ut *Canticum Psalmi*, & alii cum titulo *Psalmus Cantici*. Unde ad pleniorem intelligentiam notandum est, quod hoc interest inter Psalmum, Canticum, Psalmum Cantici, Canticum Psalmi, & Hymnum, quod *Psalmus* est carmen cum instrumento Psalterii. *Canticum* est vox musica cum harmonia ore solo prolata. *Psalmus Cantici* dicitur, dum Cantore præcinente, organi modulatio subsequitur. *Canticum Psalmi* e contra, cum vox humana concentum sequitur Organi. *Hymnus* autem est sermo in Dei laudem metrice compositus, sive ore, sive humana voce, sive instrumento musico recitatus. Sic colligitur ex Sanctis Hilario, & Chrysostomo *in Prolog. Ps.* Frassen *disquisit. Biblicæ §. XI. de libro Psalm. n. 2.* Euthymio citato, & secuto a Gavant. *loc. cit. sect. 5. c. 9. n. 1.* & alii. 43 44

Psallendi ordo sequendus, quem tenet Ecclesia Metropolitana, *cap. de his 13. dist. 12. ex Concilio Toletano 11. c. 3.* 45

Psalmi vulgares non possunt in Ecclesia recitari. *Conc. Bracharen. II. c. 67.* 46

Psalterium B. M. V. quod ex 150. Ave Maria constat, ad instantiam Ducis Britanniæ recitari concessit cum Indulgentiis Sixtus IV. Const. 18. incip. *Da quæ.* 47

Psallendi debitum omnibus in Choro incumbit, etiam Dignitatibus, & Canonicis, quacumque contraria consuetudine, aut præsumpto privilegio non suffragante. Benedict. XIV. tom. 1. Constit. incip. *Cum semper*, §. 24. 48

PUBER-

(*) E. R. S. Hieronymus, ter circa Psalterium insudasse, communior Sententia est inter Eruditos. De versione Psalterii ex Hebraico fonte non loquor, cum nunquam in usu fuerit, vel apud Ecclesiam Romanam, vel penes aliam quamcumque Ecclesiam. De emendatione igitur Psalmorum juxta septuaginta Interpretum versionem, est sermo, in qua elaboranda bis S. Doctor suum impendit laborem. Hujusmodi emendationes sub nomine *Psalterii Romani, & Psalterii Gallicani* vulgo recensentur. De utraque sermonem habet S. Doctor in *Præfatione, seu Prologo in Librum Psalmorum.* Psalterium Romanum adhuc in usu est in Vaticana Basilica. Gallicano Psalterio utimur in Romano Breviario, atque illud est, quod insertum habemus in vulgata Latina editione. Hæc tria sunt. Hinc constat quantum a vero abhorret Auctor noster hoc in loco. * Legesis Dissertationem P. D. Augustini Calmet in textum, & veteres Psalmorum Versiones Art. III.

PUBERTAS. Vide verb. *Matrimonium*, *art.* 2. *a num.* 31. *ad* 37.

PUBLICA HONESTAS. Vide verb. *Matrim. quoad Impedimenta*, *art.* 2. *a num.*20. *ad* 27.

PUNCTATOR, PUNCTATURA.

1 PUnctator retinere debet librum in loco publico, ibique deficientes adnotare, ac librum ostendere cuicumque postulanti. *Sacra Congregat. Episcopor. in Pisaurien.* 19. *Novemb.* 1649.

2 Contrapunctator ejusdem Ecclesiæ eligendus, ut confrontatione, si opus sit, possint detegi fraudes. *Sacr. Congreg. Episcopor. in Fundana* 15. *Februar.* 1503. *&* *in Licien.* 18. *Februar.* 1602.

3 Compelli possunt Punctatores ad exhibendum librum Ordinario, non vero ad oretenus eidem quotidie significandum deficientes. *Sacra Congreg. Episcopor. in Castellaneten.* 20. *August.* 1692.

4 Potest Episcopus cogere Canonicos ad præstandum Juramentum de fideliter punctando in Choro. *Sac. Cong. Conc.* 17. *Mart.* 1619. apud Barb. *de Canonicis cap.* 34. *num.* 20.

5 Punctatores, quorum electio spectat ad Capitulum, ut decrevit *Sacr. Congregat. Concil. in Conversanen.* 4. *Dec.* 1706. admonendi sunt, quod si conniventer prætermittant punctare eos, qui juxta Ecclesiæ, & Collegii statuta punctandi sunt, tenentur de proprio restituere distributiones, quæ accrescerent interessentibus; Et ulterius, graviter peccant, prout illos monendo tradit *Episcopus Gravinen.* iu suo Tractatu, *L'Ecclesiastico in Coro cap.* 27. *num.* 33. his verbis: *Or se nondimeno i Puntatori per riguardi umani d'affetto, timore, speranza, o qual altro sia, tralasciano di puntare i diffettanti, vengono ad essere ladri sfacciati, per chè levando palesemente l'emolumento a chi tocca per ragione di accrescimento, o per altro titolo, lo danno a chi per legge non tocca; Oltre di che si rendono egli stessi rei del disservigio di Dio sul punto geloso del Divino suo pubblico culto, ed il loro peccato viene a contrarre certo che del grande coram Deo cotanto da lui detestato in quei suoi Ministri, i quali retrahebant homines a Sacrificio Domini.* Sic apud Monacell. *tom.* 4. *supplement. ad* 1. *t. num.* 148.

6 Pœna Censurarum imponi non debet non restituenti damnum ex omissione punctandi, sed carceris ad triennium, & similium. *Sacr. Congreg. Episcopor. in Castellaneten.* 21. *Augusti* 1602. apud Nicol. *in Flosculis verb. Punctator num.* 6.

7 Punctaturæ dari debent interessentibus, licet ex Decreto Episcopi applicandæ essent aliis usibus, nisi adesset Statutum in contrarium. *Sac. Congregat. Episcop.* 16. *Junii* 1607. apud Nicol. *loc. cit. num.* 7. & sæpe alibi, ut refert idem Nicol. *in Flosculis* verb. *Distributiones sub num.* 6. Distribu-
8 tiones enim emissæ a Canonicis absentibus accrescunt inservientibus, quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, non obstante; *Sac. Congreg. Concil. in Civitatis Castellanæ* 30. *April.* 1623. *&* *in Nicien.* 18. *Novemb.* 1628. & sæpe alibi apud Nicol. *cit. verb. Distributiones sub num.* 6.

Salarium debetur Punctatoribus. *Sac. Congreg. Episc. in Meliten.* 16. *April.* 1602. apud Nicol. *loc. cit. num.* 5. 9

Canonici confabulantes in Choro sunt punctandi, & privandi distributionibus tamquam absentes. *Sacr. Congreg. Episcop. in Nucerina* 7. *Septembris.* 1591. 10

Canonici non interessentes Concioni tempore Quadragesimæ possunt punctari, quia est defectus gravis, & mali exempli. *Sacra Congreg. Episcop. in Comensi* 10. *Maii* 1580. *&* *in Castellaneten.* 20. *Aug.* 1602. & alibi, ut refert Pignatell. *tom.* 5. *consultat.* 206. *num.* 61. 11

Canonici non possunt exire a Choro, nisi petita venia Archidiacono, sive Præsidenti per salutationem sub pœna punctationis. *Sacra Congregat. Episcop. in Aprutina* 18. *April.* 1616. *&* *Sacr. Congregat. Concil. in Lunen. Sarzanen.* 3. *Junii* 1702. *ad* 1. 12

Episcopus potest augere Punctaturas, quando servitium Ecclesiæ negligitur. *Sacr. Congr. Concil. in Civitatis Castellanæ* 25. *Junii* 1697. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *n.* 4. 13

Canonici in Choro, vel in Ecclesia Divinis Officiis interessentes sine Habitu Canonicali, & Superpelliceo, debent punctari. *Sac. Congreg. Rit. in Lunen. Sarzanen.* 3. *Mart.* 1633. 14

Ad colligendum servitium novem Mensium, quibus residere tenentur Canonici quolibet anno, non sunt colligendæ Punctaturæ, quasi ii qui novem partes punctaturarum ex duodecim habuerint, servitium novem mensium debeant satisfacere, sed ipsi dies residentiæ, & servitii sive continui fuerint, sive interpolati, numerandi sunt ad complementum dictorum novem Mensium. *Sac. Congreg. Episcop. in Aquilana* 25. *Septemb.* 1584. apud Barbos. *De Canonicis cap.* 26. *num.* 14. 15

PURGATORIUM.

PUrgatorium est quidam locus, in quo tamquam in carcere post hanc vitam purgantur Animæ, quæ in hac non plene purgatæ fuerunt, ut nimirum sic purgatæ in Cœlum ingredi valeant, in quod nihil coinquinatum introire potest. *Est in re Communis inter Catholicos.* 1

Dari Purgatorium est de Fide. *Communis inter Catholicos* ex Conc. Trid. *sess.* 6. *Canon.* 30. *sess.* 22. *cap.* 2. *&* *Canon.* 3. *&* *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio*, & habetur ex pluribus Sacræ Scripturæ locis tum Veteris, tum Novi Testamenti; Et quidem ex veteri Testamento habetur 2. *Machabæorum cap.* 12. ubi expresse dicitur: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*: Quæ verba cum neque de Beatis, neque de damnatis intelligi possint, sequitur ne- 2

necessario intelligenda est de illis, qui in Gratia Dei ab hac vita decedentes non plene satisfecerint, & adhuc aliqua vincula habeant, a quibus post mortem solvi queant fidelium suffragiis, & potissimum acceptabili Altaris Sacrificio, ut dicit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio*; & proinde dari Purgatorium, & Sacrificia, & Orationes vivorum prodesse defunctis illis, qui inibi pro plena purgatione, & satisfactione detinentur: *Purgatorium esse, Animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari*, sunt verba Concilii Tridentini.

3 Item habetur *ex cap.* 4. *Tobiæ*, ibi: *Pone panem tuum, & vinum super sepulturam justi constitue*, quod Sacri expositores intelligunt de pane, & vino, quod Deo in Sacrificium pro Animabus justis offertur, & de illo, quod elargitur in sustentationem pauperum, & Religiosorum, & Sacerdotum ut pro ipsis defunctis orent, ut dicunt Turrianus *lib.* 4. *pro Epist. Pont. cap.* 14. Mastrius *in Theol. moral. disp.* 24. *qu.* 1. *art.* 1. *num.* 4. Bellarmin. *de Purgatorio lib.* 1. *cap.* 3. *litt. B.* & alii. Unde Sanct. Joann. Chrysost. *hom.* 32. *in Matth.* sic habet: *Cur*, inquit, *post mortem tuorum Pauperes convocas? Cur presbyteros, ut pro eis velint orare, obsecras?*

4 Item habetur *ex cap.* 4. *Isaiæ*, ibi: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu Judicii, & spiritu ardoris*, ubi alii legunt: *Purgabit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem mundabit de medio earum in spiritu Judicii, & spiritu ardoris*, quem locum de Animabus, & pœnis Purgatorii intelligunt S. Augustinus *lib.* 20. *de Civitate Dei cap.* 25. Bellarmin. *loc. cit. litt. E.* Mastrius *loc. cit. num.* 4. & alii.

5 Item *ex cap.* 7. *Michææ*, ibi; *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est; Iram Domini portabo; quoniam peccavi ei: donec causam meam judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem, justitiam ejus videbo*. Quem locum afferri solitum pro Purgatorio docet S. Hieronymus *in cap. ult. Isaiæ*, & Glossa ordinaria exponit: *Iram Domini portabo hic, vel in Purgatorio*.

6 Item *ex cap.* 3. *Malachiæ*, ibi: *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos &c.* Quem locum exponunt de pœna purgatoria Origenes *hom.* 6. *in Exod.* S. Ambrosius *in Psalm.* 36. S. Augustinus *lib.* 20. *de Civitate Dei cap.* 25. & S. Hieronymus *in hunc locum*, & Bellarminus *loc. cit. cap.* 3. *in fine*, ubi dicit ex illa pœna purgatoria viventium recte inferri pœnam purgatoriam seu Purgatorium Defunctorum.

7 In novo autem testamento habetur *ex cap.* 5. *Matthæi num.* 26. ibi: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Et concordat *cap.* 12. *Lucæ num.* 58. ibi: *Cum autem vadis cum adversario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo: ne forte tradat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem, dico tibi non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas*. Quæ loca passim ad probandum Purgatorium adducuntur a Patribus, & signanter a S. Augustino *in c.* 5. *Matthæi, & Homil.* 1. *de verbis Domini. Homil.* 4. *in l.* 50. *Homiliarum, & in lib. de decem chordis cap.* 3. S. Ambrosius; S. Bonaventura, & Beda *in cit. cap.* 12. *Lucæ* S. Gregorius *Homil.* 39. S. Bernardus *serm.* 85. *in Cantica*, S. Anselmus *in cit. cap.* 5. *Matthæi*, Bellarmin. *loc. cit. cap.* 7. *vers. Est ergo verissima Expositio*, & alii dicentes pro Adversario in dictis locis intelligi Legem Dei, quatenus præcipit contraria carni, sive conscientiam, quæ Dei Legem semper objicit peccanti: Lex enim Dei, & conscientia nostra semper sunt nobiscum in via, semper adversantur nostris pravis desideriis, iisque utilissimum est cito consentire, & ab eorum inimicitia liberari, & denique accusatores, & testes erunt contra nos in Judicio, ut recte observat Bellarmin. *loc. cit.*

Item *ex cap.* 12. *Matthæi num.* 32. ubi Dominus dicit esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, ibi: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*; Ubi, ut vides, clare supponitur, & demonstratur quædam peccata remitti in futuro sæculo, idest post hanc vitam per orationes, & suffragia Ecclesiæ, ut exponunt S. Gregorius *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 39. S. Augustinus *lib.* 21. *de Civitate Dei cap.* 24. *& lib.* 6. *in Julianum cap.* 5. S. Bernardus *Homil.* 65. *in Cantica*, & alii passim. 8

Item *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 5. *num.* 15. ibi: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, quem locum Sotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *litt. A.* & communiter alii Patres, quos fuse adducit Faber *disp.* 36. *de Purgatorio cap.* 1. intelligunt de Purgatorio. 9

Item *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 15. *num.* 29. ibi: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Ubi Patres, & signanter Dionysius, Hugo, Gagnejus, & alii in hunc locum, Ephræm *in suo Testamento*, Petrus Cluniacensis *in lib. Contra Petrobrusianos*, Bellarmin. *loc. cit. cap.* 6. *vers. Et igitur*, dicunt, & exponunt, quod Apostolus ibi loquitur de Baptismo lacrymarum, & Pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo, se affligendo, & hujusmodi, ita ut sensus sit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Idest quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? Et revera vox baptizari passim in Scriptura accipitur pro pati, & affligi, ut *Marc.* 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Luc.* 12. ibi: *Baptismo habeo baptizari*; Unde Patres passim vocant pœnitentiæ afflictionem Baptismum laboriosum, & secundam tabulam, S. Cyprianus *in sermone de Cœna Domini*: *Lacrymis*, inquit, *se baptizat*, S. Gre- 10

S. Gregorius Nazianzenus *in Oratione de Epiphania*; *Scio*; inquit, *quartum Baptisma*, *quod per Martyrium*, *& sanguinem fit*, *scio*, *& quintum lacrymarum*, *& pœnitentiæ* & consimiliter alii passim.

11 Alia plura Scripturæ loca brevitatis gratia relinquuntur videnda cum variis Conciliis, plurimis Sanctis Patribus, & solidis rationibus apud Brancatum *t.* 4. *de Omnibus Novissimis disp.* 26. *art.* 2. §. 1. Bellarm. *de Purgatorio lib.* 1. *per tot.* Patrem Antonium a Venetiis *in Ecclesia Jesu Christi contra Piceninum tom.* 2. *cap.* 16. *art.* 8. *per tot.* Panigarolam & alios. (1)

12 Purgatorii locus communis secundum Legem communem, & ordinariam Dei est in ipsis terræ visceribus, & Inferno conjunctus. *Sic Communis* cum S. Toma *in* 4. *dist.* 20. S. Bonaventura *ibidem part.* 1. *qu.* 6. Bellarmin. *de Purgatorio lib.* 2. *cap.* 6. *litt. B*. Mastrio *in Theolog. moral. disp.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 9. Et colligitur ex variis Scripturæ locis, & signanter *ex cap.* 2. *Actorum*, ibi: *Solutis doloribus Inferni*, quæ verba S. Augustinus *Epist.* 99. intelligit de pœnis Purgatorii. Idem *ex cap.* 2. *ad Philippenses*, ibi: *In nomine Jesu omne genuflectatur Cœlestium*, *Terrestrium*, *& Infernorum*, ubi per ly *Infernorum* intelliguntur solum Animæ Purgatorii; cum nequeant intelligi Animæ in Inferno damnatæ, quæ tantum abest, ut Christo genu flectant, quod potius illum continuo blasphement, juxta illud *Psalm.* 73. *nu.* 23. *Superbia eorum*, *qui te oderunt*, *ascendit semper*. Item ex illo *Psalm.* 113. ibi: *Non mortui laudabunt te Domine*, *neque omnes qui descendunt in Infernum*, quæ verba indicant etiam aliquos, qui descendunt in Infernum, idest, in inferiores terræ partes, Deum laudare, quod cum nequeat intelligi de damnatis in Inferno, qui ex dictis Deum semper blasphemant, intelligi debet de existentibus in Purgatorio, ut communiter Patres exponunt. Item *ex cap.* 5. *Apocalyp.* ibi: *Nemo inventus est dignus aperire librum neque in Cœlo*, *neque in Terra*, *neque subtus Terram*. Ubi cum Apostolus Joannes non enumeret nisi Justos, aperte indicat etiam sub terra esse Justos, idest Animas Purgatorii; Unde etiam Ecclesia in Missa de Defunctis dicit: *Libera Domine animas omnium Fidelium Defunctorum de pœnis Inferni*, *& de profundo lacu*; & id confirmatur ex visione, quam refert Beda *lib.* 5. *cap.* 13. *Historiæ*, ubi aperte visum est Purgatorium Inferno damnatorum contiguum.

13 Dicitur autem notanter *Purgatorii locus communis secundum Legem communem*, *& ordinariam Dei*, quia secundum Legem Dei particularem, & dispensationem Divinam interdum aliquibus animabus destinatur pro Purgatorio aliquis locus particularis, vel quia in ipso peccaverunt, vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus, magnam post hanc vitam pœnam infligi peccantibus, vel propter earum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare, vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur, quod S. Patritius impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra; Sic expresse docet S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 20. *par.* 1. *q.* 6. quem dicendi modum sequuntur omnes recentiores, teste Mastrio *loc. cit. num.* 9. *in fine*. Et ad id referuntur plurima exempla a Patribus, & Scriptoribus, & signanter a S. Gregorio *l.* 4. *Dialogorum cap.* 40. *&* 55. qui refert Animam Pascasii, & cujusdam alterius in balneis quibusdam fuisse purgatas, a S. Petro Damiano *Epist.* 13. *ad Desiderium cap.* 7. *de miraculis sui temporis*, ubi describit visionem de purgatione animæ S. Severini in quodam flumine; a Dionys. Carthusian. *in Dialogo de judicio particulari art.* 31. ab Hugone de S. Victore *lib.* 2. *de Sacrament. part.* 16. *cap.* 4. & ab aliis passim.

Purgatorium non est æternum, sed temporale. 14
Communis, & clare habetur *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 3. ibi: *Salvus erit*, *sic tamen quasi per ignem*: quibus verbis significat Animas Purgatorii ab illis pœnis tandem evasuras. Unde Purgatorium non est 15
ultra diem Judicii universalis, & finalis duraturum. *Communis*; & aperte habetur *ex cap.* 25. *Matthæi*, ubi expresse dicitur, quod omnes adulti secundum opera eorum judicabuntur, & boni in Cœlum, mali autem in Infernum finaliter deputabuntur.

Animæ in Purgatorio plene purgatæ recipiuntur 16
in Beatitudine ante diem Judicii. *Communis*, estque definita a Benedicto XII. Constit. incip. *Benedictus Deus* contra illos, qui dicebant Animas in Gratia decedentes, non recipi in Beatitudine nisi post diem Judicii.

Quantonam tempore unaquæque Anima in pur- 17
gatorio detineatur; nulla certa habetur definitio. Sotus *in* 4. *sentent. dist.* 19. *q.* 3. *art.* 2. dicit, neminem manere in Purgatorio ad decem annos; Nam, dicit ipse, cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio ejus, & post Christum passum Sacramenta, & suffragia, & bona, quæ egit, opera ad cumulum ei satisfactionis accedunt; In summa non est credibile, ut quos pœnarum accumulatione expedire Deus brevius inde potuit, temporis prolixitate detineat. *Hæc ipse loc. citat.* At vero communis Doctorum sententia docet, quamplures animas in pœnis Purgatorii longe majori tempore detineri, ac proinde terminum assignari non posse, ultra quem Purgatorii pœna non duret: huic communi sententiæ contra Sotum, & paucos alios favet Ecclesiæ praxis, & universalis consuetudo, quæ anniversaria Sacra celebrat pro Defunctis, etiamsi constet eos ante centum, vel ducentos annos esse mortuos; quod certe non fieret, si Ecclesia crederet non puniri animas ultra decem annos: Tum quia plurimæ revelationes, visio-

(1) Nominandi tamen mihi duo sunt, P. Scheffmacher celeberrimarum quas 1732. primum Argentorati edidit Polemicarum Epistolarum Tom. 1I. *Ep.* v., & Eminentissimus Josephus Castallius mihi numquam sine laudis præfatione memorandus, in præclara, quam anno 1770. typis Romanis vulgavit, de Purgatorio dissertatione.

visiones, & Ecclesiasticæ Historiæ ostendunt plures animas diutius in Purgatorio detineri, uti referunt S. Bernardus *in vita S. Malachiæ*, Carthusianus *in Dialogo de judicio particulari art.* 31. Beda *lib.* 5. *Histor. cap.* 13. Henriquex *lib.* 7. *cap.* 16. *litt. I.* ubi ex Surio notat de Innocentio Papa III. quod esset usque in diem Judicii in Purgatorio detinendus, Viva *ad propositiōn.* 43. *ex damnat. ab Alexandro VII. num.* 7. referens, quod paucis ab hinc annis in quodam Conventu prope Neapolim apparuit Religiosus, qui fere centum ab hinc annis, decesserat, & suffragia postulavit, & similiter de pluribus aliis referunt passim scriptores; Unde merito a d. Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 1666. fuit inter alias damnata sequens propositio 43. in ordine, ibi: *Annuum Legatum pro anima relictum non durat plus quam decem annos.*

18 Animæ in Purgatorio cruciantur vero igne corporeo, & ejusdem speciei cum nostro elementari. *Communis*, & clare desumitur *ex* 1. *ad Corinth. cap.* 3. *num.* 15. ibi: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: Nec obstat illa particula *quasi*, quia ut advertit Faber *disp.* 36. *cap.* 4. cum pluribus aliis, & Mastrius *loc. cit. q.* 12. *art.* 1. *numer.* 23. illa particula non est diminuens veritatem ignis, sed explicat modum, quo illi salvantur, & liberantur, qui est mediante illo instrumento ignis, ita ut sensus sit, quod ille ignis est quasi causa salutis earum, quamvis non sit causa principalis, est tamen causa instrumentalis cum in medio illo igne purgentur, & sic liberentur ab illo carcere.

* Potest etiam dici, quod illa particula *quasi* signum sit veritatis, non similitudinis; ut Joannis c. 1. *nu.* 14. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti*; quem locum sic explicat Euthymius; *Gloriam, non qualis est Sanctorum beatorum, vel Angelorum, sed gloriam vere unigeniti, nam hic dictio* ὡς (*tamquam*) *idem significat quod vere.* *

19 Animæ in Purgatorio non torquentur a Dœmonibus tamquam Divinæ Justitiæ Ministris, sed ab ipsa Divina Justitia immediate per ignem tamquam per instrumentum obedientiale puniuntur, & purgantur. *Sic Communis Theologorum* cum S. Thoma *in* 4. *dist.* 20. *art.* 5. S. Bonaventura *ibidem*, Richard. *ibidem*, Mastrio *loc. cit. quæst.* 2. *art.* 1. *numer.* 24. Coninch. *de Purgatorio disp.* 11. *dub.* 3. *in fine*, & alii passim contra paucos tenentes contrarium per hoc, quod aliquæ visiones, & apparitiones videantur ostendere, quod animæ Purgatorii torqueantur a Dæmonibus; Et ratio nostra est, quod omnes animæ Purgatorii in ultimo conflictu Dæmones superarunt; ergo non decet Divinam Justitiam, ut sinat eas cruciari in Purgatorio ab hostibus, quos ipsæ in hoc mundo vicerunt: Tum quia indecens est, ut Deus utatur Dæmonibus tamquam ordinariis Ministris ad amicos suos puniendos, cum id non facerent in Divinæ Justitiæ executionem, sed potius ex odio in genus humanum, & pessima voluntate, ut faciunt
20 in Inferno. Nec obstant visiones, & apparitiones, quæ id videntur ostendere, & signanter illa, quæ refertur *in vita S. Bernardi lib.* 1. *c.* 10. in qua dicitur, quemdam Religiosum illi apparuisse cum quatuor, qui ipsum dilaniabant, & postea fuisse liberatum precibus ejusdem Sancti, & aliæ similes, quas referunt Beda *lib.* 3. *Histor. Anglic. c.* 19. Dionysius Carthusianus *lib. de quatuor novissimis*, & alii. Non obstant, inquam, quia, ut recte advertit Mastrius *loc. cit. num.* 24. & alii, tales visiones, & apparitiones sunt symbolicæ, & allegoricæ, & a Sanctis, & Scriptoribus narratæ hoc modo ad ostendendam pœnarum illarum acerbitatem, quæ a nobis intelligi nequeunt, nisi per exempla nobis connaturalia.

An animæ in Purgatorio existentes possint pro 21
nobis orare, & aliquid nobis de congruo mereri, vel impetrare? & an miracula facere possint, cum plurimis aliis ad rem; Vide verb. *Anima per tot.*

De Purgatorio Catholicum Dogma est, quod, 22
qui vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus, de commissis, & omissis satisfecerint, eorum animæ pœnis Purgatorii post mortem purgari debeant. Et 23
ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta, probat Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 17. incip. *Etsi Pastoralis* §. 1.

Hic juvat refutare falsam opinionem vulgarem 24
de existentia Putei, seu Purgatorii, vulgo dicti S. Patritii, quæ opinio a pluribus sæculis adeo invaluit, ut etiam in Breviariis aliquarum particularium Ecclesiarum fuerit commemorata existentia dicti Putei, seu Purgatorii Sancti Patritii, & signanter in Breviario Ecclesiæ Parisiensis edito anno 1622. ibi: *Antrum vero pœnitentiale etiamnum visitur, quod de ejus nomine Puteus, seu Purgatorium Sancti Patritii vocatur.* Et in Breviario Venetiis anno 1522. per Antonium de Giunta impresso habebantur lectiones totæ fere de hoc puteo, seu Purgatorio. Ast biennio postquam prodierunt, ab ipso Breviario, Pontificio mandato fuerunt expunctæ, ut patet ex iterata ejusdem Breviarii impressione per eumdem Giuntam anno 1524. facta. Uti etiam Romana Sedes negavit, hanc Historiam de puteo, seu purgatorio prætenso Sancti Patritii inserendam, ut petebant, in Breviario Romano. Videantur ad rem eruditissimi Bollandistæ *ad diem decimam septimam Maii in legenda Sancti Patritii* §. 5. 6. ubi omnia a variis Scriptoribus de hoc prætenso Puteo, seu Purgatorio fuse recensent, referuntque, quod serio exploratis omnibus, quæ de hoc asserto Puteo, seu Purgatorio circumferebantur, & comperta ad integrum ejus existentiæ falsitate, fuisse de mandato Alexandri VI. fossam illam pro dicto Puteo, seu Purgatorio falso prædicatam, habitam, & creditam, penitus obstructam, uti & refert exactissimus Petrus Le Brun *nella Storia Critica delle pratiche superstiziose, tomo terzo*, italico sermone edita, nella dissertazione sopra il Purgatorio di San Patrizio; ubi subjungit sic. „ Convengono assai bene queste circostanze con ciò, che è detto dal „ Vareo nelle sue antichità d'Irlanda, che nel mille quattrocento novanta sette un Guardiano „ dell'

„ dell'Ordine di S. Francesco fece demolire esso „ luogo per autorità del Papa Alessandro VI. ubi „ in finem insuper addit; non recherà noja il „ leggerne i propri termini, con cui ce n'erudisce „ il Signor Girado Boato nella Storia naturale „ d' Irlanda alla pag. 137. ivi „.

„ Nel lago di Dirg, il quale è nel numero di que' della mezzana spezie, sta piantata una di esse Isolette, che è stata in gran grido in tutta la Cristianità per più secoli, perchè si era fatto credere al Mondo, che in quel luogo si trovassero i sobborghi del Purgatorio, e che coloro, che aveano il coraggio d'entrarvi, e di dimorarvi il tempo prefisso, vedesservi, e vi notassero terribili, e straordinarie cose. Ha durato una tal opinione sino al nostro tempo; ma finalmente si è discoperto, ciò non essere, che una pura illusione. Avvenne questa discoperta sotto il governo di Riccardo Boile conte di Cork, e di Adamo Losso Visconte di Eli, Cancelliere d'Irlanda, il quale governava quel quel paese negli anni ultimi del Re Jacopo. Indotti dalla curiosità di rilevare il vero d'un tal affare, spedirono essi Signori sopra luogo alcune persone di probità per praticarne un ricercamento esatto. Esaminate che ebbero appuntino le cose tutte, rinvennero dette persone, che la pretesa miracolosa caverna, che davasi ad intendere, calare fino nel Purgatorio, e nell' Inferno, non era altro, che una celletta scavata in un fondo di rupe, senza finestra, e senza apertura, e sì tenebrosa, che quando n' era serrato l' uscio non entravavi qual che fosse raggio menomo di luce: del restante sì bassa, che appena poteva un uomo di alta statura introdurvisi in piedi, e sì picciola, che contener non potea, se non sei persone, o sette al più. Qualora capitava in quell' isola taluno invogliato di fare il viaggio del Purgatorio, alcuni pochi Monaci, che d'ordinario soggiornavano quivi presso, digiunar il facevano, e vegghiare estraordinariamente, trattenendolo per tutto quel tempo nelle terribili cose, ch'egli vedrebbe nel suo viaggio sotterraneo; e dopo averlo così preparato, lo rinserravano in quell'oscura, e tenebrosa buca, donde qualche tempo dopo ritiravanlo per modo stordito, che il viaggiatore meschino senza essersi punto mosso dalla prima sua situazione, dicea d' essere penetrato assai dentro la terra; e narrava strane avventure vedute all' asserir di lui, nel suo cammino, conformi a quelle idee ed impressioni, che gliene avevano formate i Monaci prima di metterlo in essa buca; e di cui empiuto aveano il vuoto di lui cerebro affievolito dalle lunghe vigilie, e dagli anteriori eccessivi sofferti digiuni, valevoli a stemprare un intelletto anche meglio composto.

Per impedire in avvenire siffatte furberie, ed imposture i prefati Signori costrinsero i Monaci ad atterrare le loro abitazioni, e a distruggere quella celletta, la quale da quel tempo inanzi rimase discoperta, ed esposta alla vista di tutti; cosicchè di poi più non si è udito parlare del viaggio del Purgatorio.

Per dar credito a questo viaggio del Purgatorio, si era dato ad intendere al popolo idiota e superstizioso, che S. Patrizio, da cui gli Irlandesi furono convertiti al Cristianesimo, quattrocent'anni, o a un dipresso dopo il nascimento del N. S. Gesù Cristo, l'avea ottenuto da Dio per mezzo delle sue orazioni, e istituito per convincere coloro, che non credeano l' immortalità dell'anima, nè le pene ingionte per punzion de' malvaggj dopo morte. Quindi li fu imposto il nome di Purgatorio di S. Patrizio; ma egli è cosa fuor d'ogni dubbio, che in vita d' esso Santo non aveasene conoscenza veruna in Irlanda, e che non se n'è ragionato, che di là a lunghissimo tempo; essendo la verità, che è stata questa un'invenzione de' secoli posteriori, autorizata dall' ignoranza, che allora correa, e che di molto favoreggiava gli Autori di somiglianti imposture, i quali introdussero ovunque la superstizione, e valsersi scaltramente della divozione del popolo, per rendere soddisfatta l' infame e sordida loro avarizia".

Hæc ad convincendam & penitus eliminandam erroneam, falsam, ac superstitiosam opinionem, & credulitatem penes idiotas, nec non aliquos etiam prætensos eruditos adhuc in dies vigentem, ut non semel egomet ipse audivi, impulsus sum his additionibus adnectere.

PYROMANTIA. Vide verb. *Superstitio nu.* 19.
PYTHONIA. Vide *ibidem num.* 27.

FINIS TOMI SEXTI.





Pro Mense Feb.ro 839

Casus Primus.

Quia per legem Hac consultissima [illegible] C. de Testamentis, aperte noscitur Testamentum scriptum quod etiam clausum vulgo appellatur esse cunctorum Testamentorum solemnissimum, ideo non solum utile, sed etiam necessarium esse videtur inquirere 1.° quales sint in conficiendo Testamento scripto solemnitates in praefata lege sancitae?

2.° Utrum Notarii publici interventus pertineat ad hujus Testamenti solemnitatem?

3.° Explicentur differentias ultras inter testamentum scriptum sive clausum, et Testamentum nuncupativum?

Ad primum.

Ad valorem Testamenti scripti, seu in scriptis sive vulgo Clausi (praeter haeredis directam institutionem, quae ex juribus necessaria est ad valorem cujuscumque Testamenti etiam privilegiati) requiritur

1.° ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius Testatoris, vel manu alterius de expresso ejus mandato, lege Hac consultissima 21. Cod. de Testamentis cum requisitis a jure dispositionibus si testator propria manu Testamentum scripserit, vel alterius manu exaratum, quas dispositiones brevitatis gratia omitto.

2.° ut adhibeantur septem Testes idonei ex citata lege Hac consultissima, et ex lege Heredes.

3.° Ut omnes Testes ita sint praesentes, ut Testatorem non tantum audire, sed et videre possint, lege si non speciali

4.° ut Testes omnes non solum sint praesentes.

Sed insuper quod ad testificandum sint rogati, seu invitati, ac moniti. Ex Cit.ª Lege Hac consultissima.

5.º Requiritur, quod Testator, Testibus, ut supra praesentibus, scripturam clausam, aut consolatam exhibeat, dicendo in illa suum contineri Testamentum. Ex Cit.ª Lege.

6.º Testamentum sic exhibitum debet esse propria manu Testatoris subscriptum, si ipse non totum non scripsit, vel si subscribere nequeat, aut nesciat, octavum testem, qui nomine suo subscribat, adhibeat. Ex Cit. Lege.

7.º Omnes, et singuli testes nomen suum propria manu subscribant, et illud subsignent annulo, seu sigillo suo, aut alieno etiam a Testatore accepto. Ex Lege ad Testium.

8.º Denique, ut totum negotium Testamenti peragatur uno, eodemque loco, et tempore, unoque contextu. Ex lege Hac.

~~[illegible]~~ Ad secundum. ~~Ad secundum.~~

~~[illegible]~~ Nuperrime autem Sanctus Dominus noster Papa Gregorius XVI. sancivit ut in Testamento scripto, ut supra cum necessaria indicatione Diei, Mensis, et Anni, scripto ut supra, sufficiant duo Testes idonei, qui sese subscribant, et actum tradatur notario, vel deponatur in [illegible] Cancellariam Notarium coram praedictis Testibus.

Ad secundum.

I. Exceptis Testamentis privilegiatis, ut Cardinalium [illegible] interventus Notarii est semper essentialis.

Ad tertium.

Testamentum scriptum, seu clausum differt a Testamento nuncupativo.

1.º quia in Testamento scripto ~~[illegible]~~ plerumque celatur ultima voluntas Testatoris, et heres institutus. In testamento nuncupativo autem debet manifestari ultima voluntas Testatoris, et palam nuncupari heres, ut sciant Testes, quinam sit institutus. Lege jubemus.

2.º Quia ad Testamentum scriptum necessario requiritur scriptura, sine qua Testamentum est nullum; Testamentum vero nuncupativum potest fieri sine ulla scriptura sola nuda voce coram Testibus; et quamvis hodie in scripturam redigi soleat, id fit pro ~~maiori~~ commoditate, et faciliori probatione. Ex lege jure.

Tertio denique quia in Testamento nuncupativo Testes nec subscribunt, nec subsignant, sicuti nec Testator. Totum autem id requiritur ad Testamentum scriptum. Ex lege cum antiquitas. Cod. de Testamentis ordinandis.

II. — De Jure autem Canonico, ad valorem Testamenti sive ad Causas pias, sive profanas, non plus requiritur quam ut adsint duo Testes idonei, et Parochus facti. Ex Cap.e Cum esses. 10. De Testamentis. Cetera &c.

1 Testamentum minus solemne, seu imperfectum, [illegible] et interno [illegible] post judicis sententiam pariter est nullum, ut notat Schmalzgrueber lib. 3. Decretalium Tit. 26. num. 13 = in fine.

A. Nisi adsit clausula codicillaris inter liberos.

3. Post Gregorium XVI. tamen quum sufficiunt duo Testes &c.

omnibus solemnitatibus a jure requisitis, non solemne seu privilegiatum est, quod ex speciali juris privilegio, etiam absque solemnitatibus aliis de jure communi praescriptis valet.
Cujusmodi est Testamentum militis in bellica expeditione factum; Testamentum parentum inter liberos: Testamentum ad pias causas: Testamentum factum tempore pestis: Testamentum Rustici &c.
Testamentum solemne subdividitur in Testamentum scriptum, seu clausum, et in nuncupativum S. Finali de Testamentis.
Testamentum solemne scriptum est quod in scripturam redactum subscriptum et subsignatum est, servata juris forma legibus consultissima. Tale facere solent illi, qui etiam testes scire volunt id, quod in Testamento continetur, cit.a lege consultissima, quod propterea etiam Testamentum clausum nuncupatur.
Testamentum solemne nuncupativum est quod sine scriptura, ac etiam sine subscriptione, et subsignatione Testium fit, dum Testator coram requisitis testibus heredem oretenus nominat, simulque indicat quid de bonis suis post mortem fieri velit S. Finali de Testamentis.
Non solemne Testamentum dividitur, ut supra fuit notatum. In Testamentum militare

Parentum inter liberos, ad causas pias, item factum tempore pestis &c:
Ad secundum
Inter solemnitates internas N. P.es praecipuam enumerant internam suasionem heredis ab intestato testatorem habuisse intentionem ~~relinq~~ constituere heredem, vel legatarium ~~ve~~ talem, vel talem, quamvis deficeret una, aut plures solemnitates Civiles, liberas voluntatis, nulla coactio, vel timor in Testatore, et sanitas mentis.
Quoad solemnitates externas Civiles seu Canonicas unumquodque Testamentum habet suas proprias.
Verum omissis solemnitatibus aliorum testamentorum
Enumerabo solemnitates Testamenti solemne scripti seu clausi, et Testamenti ad causas pias ~~aut~~ ~~vel~~ coram Parocho facti
Prima solemnitas Testamenti solemnis est: Ut Testamentum manu propria Testatoris, vel aliena in scriptum redigatur 2.o debent adesse septem Testes idonei, 3.o debent esse rogati. quarto ita praesentes, ut testamentum audiant, et videant. 5.o ut ita praesentibus Testibus contestetur Testator, et in charta quam profert, suam contineri voluntatem. 6.o ut omnes testes subscribant. septimo ut sigilla propria apponant. Octavo ut totus actus uno tempore peragatur.

In testamentis ad pias causas requiruntur duo testes idonei, casu quo aliunde non constet de Testatoris voluntate, quamvis duo testes non sint ~~substantia~~ Testamenti.
Debent in eo adesse saltem ea, quae requiruntur de jure naturae. 3º. Testamentum ad pias causas valet quando absque omni teste adest manus propria Testatoris: vel heres ab intestato spectare audivit defuncti voluntatem, 4. solo nutu ad alterius interrogationem. Valet etiam si incertus heres instituatur. 5. etiam mulier potest esse testis. Re Solemnitates Testamenti facti ad formam capituli cum esses sunt ~~[illegible]~~ Confectio Testamenti coram Parocho, et duobus Testibus. Caeterum &c:

Casus primus pro mense Januarii 1739.

Sicut de Contractibus inter vivos satis superque egimus, ita de actibus, et dispositionibus causa mortis plane convenit pertractari, et de Testamentis potissimum, quorum materia non solum jurisconsultis, Tabellionibus, ac Notariis, sed animarum curatoribus eo est scitu necessaria, quo sua [illegible] est practica, et infinitis propemodum difficultatibus implicata. Quaeritur igitur.
1. Quid et quotuplex sit Testamentum?
2º. Quaenam [illegible] Testamenti solemnitates primum [illegible] ad primum [illegible]
Testamentum vera est ultima voluntas ~~[illegible]~~ cum directe heredis institutione [illegible] quis testamentum facere potuerit.
Testamentum autem varie dividitur, omissis tribus veterum testandi formulis,
1º in Publicum, et privatum.
Publicum est, quod sit publica authoritate attributum et [illegible]. Testator absque alia juris solemnitate ultimam suam voluntatem ad acta tradit, vel [illegible] in testam [illegible] offert ad hoc ut fidem, et authoritatem publicam sustineat, ac defectus solemnitatum suppleantur. Leg. [illegible]
Privatum est, quod testium, et authoritate privatorum firmatur.
2º. dividitur in Testamentum Solemne, et non solemne.
Solemne illud est, quod conficitur cum

Pro Mense Novembris 1839.

Casus primus

Audivit a suo Praeceptore Scentius in jure certissime reperiri aliud Testamentorum genus, quod non minus sunt privilegiata quam illa, quae superioribus consistatis fuerunt explanata, videlicet Testamentum Rusticorum, Testamentum publicum, et Testamentum Tempore Pestis; de quibus cupiens omnino informari Scentius postulat ab eodem praeceptore:

1o Quodnam sit Testamentum Rusticorum?

2o Quodnam dicatur publicum?

3o Quodnam Testamentum Tempore pestis?, et qua ratione privilegiatum?

Ad primum

Testamentum Rustici potest valide fieri coram quinque testibus, casu, quo Rusticus in loco, ubi testatur, septem testes, alias de jure requisitos habere commode nequeat. Commemorat textus expresso in Lege. Et ab antiquis [illegible] Cod. de Testamentis. Si vero unus, aut duo vel plures fuerint illiterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, praesentibus tamen, subscriptionem suam ponere, sive testes sint septem, vel quinque. Si vero nullus litteratus haberi possit, potest Rusticus etiam oretenus coram septem testibus, si haberi possint, vel coram quinque, si septem commode haberi nequeant, valide testari per verba. Uti expresse habetur in Lege per illa verba = Ubi autem non inveniuntur &c.

Testamentum Rusticorum coram paucioribus quam quinque factum in oppido, vel pagis nullo modo valet, praestat si testes non sint idonei, et qualificati sicut in aliis Testamentis non privilegiatis.

Ad Tertium

quod attinet ad Testamentum tempore pestis

quod attinet ad testamentum tempore pestis factum cum distinctione procedendum est. Vel pestis est seviens in extremo gradu, et tunc omnes sensabi Doctores conveniunt, quod ad tale testamentum ea sola sufficiant, quae de jure Naturae, et Gentium requiruntur, et consequenter hujusmodi testamentum coram duobus testibus factum in utroque foro subsistat. Cujus ratio est quia in casu necessitatis recedit a jure communi, cum ipsi illa non subjaceat Lege ubi adsunt 19.a ff. de Tutoribus, et Curatoribus, ~~et Curatoribus~~ et ex Cap.e sicut 11.o distinctione 1.a de Consecratione ibi: =necessitas non habet legem=

Vel pestis non est in extremo gradu seviens, ~~et tunc~~ et tunc, si fieri potest, adhibeantur septem testes si id nequeat, quinque, et in casu necessitatis etiam duo, rationibus superallatis. Ratio est quia ob pubblicum infortunium jus naturae non ~~[illegible]~~ deletur. Ita Clarus, et Reiffenstuel, et plures alii. Ratio est quia judiciarius non habetur textus optima legum interpres est consuetudo. Lege si de interpretatione 37.a ff. de Legibus.

Adsumendum ~~[illegible]~~. Testamentum Pubblicum quod est privilegiatissimum ~~[illegible]~~ est illud quod testator prius absque ulla juris solemnitate in scripturam redigit, et postea supremo Principi vel ejus nomine deputatis offert rogans, ut illud auctoritate Principis sustineatur. Sic in Lege omnium. 19. Cod.e de Testamentis.

Pariter Testamentum pubblicum et privilegiatum est illud, quod Testator coram Principe, ~~et~~ vel deputatis oretenus absque ulla juris solemnitate facit, ultimam suam voluntatem declarando, seu manifestando, et rogando, ut auctoritate Principis sustineatur, ut habetur in cit.a Lege omnium, per quam validissimum habetur.

Item

Item testamentum valet, ut privilegiatum ad acta datum, vel apud Acta, vel coram ~~[illegible]~~ factum, de quibus superfluum est ulterius verbum facere. Cum in novissima Lege nuperrime sancita a Gregorio feliciter regnante XII. in qua statutum est, ut Testator suum testamentum scribat, et subscribat propria manu, ~~et [illegible]~~ datando Annum Mensem, et Diem, et sic clausura declaret, esse suum ultimum voluntatem Testamentum, et coram duobus Testibus, subscriptis ~~et sigillo munit~~ et eorum sigillo munitum pubblico Depositario ~~[illegible]~~ tradat. ad bertinat

Plures sunt rationes ~~est~~ cur ~~quia~~ ista Testamenta sint privilegiata 1.a Deficientia Testium in loco rustico, ~~[illegible]~~

2.a Urgens casus a pestis, quo tempore omnis ordo evertitur, cum vix naturae jus ~~[illegible]~~ servetur, deleto omni jure Civili,

3.a Denique supremi Principis auctoritas fides, voluntas, gratia &c. Caeterum &c.

Innocentiae vias non secuti, ad secundam in
post naufragium tabulam idest ad poenitentiam confugere debent
si salutem aeternam consequi velint.
Inquirimus igitur 1º. Quid sit poenitentia,
et quotuplex.
2º. An sit sacramentum a Christo Domino
institutum, et quando.
3º. [illegible] sit a Christo institutum,
An semper sit necessaria, et unica poenitentia
da prima tabula, et ad salutem aeter=
nam consequendam.

bende asconda il viso;

in sacrifizio il core,

lo avrà diviso,

o dell' eterno Amore.

(Nella Stamp. Donati : *Con permesso*.